Historia simplicium reformata, sub Musei Museorum titulo antehac in vernacula edita, jam autem ... sub directione ... autoris, a J.C. Beckero ... Latio restituta. Accedit India literata [seu dissertationes epistolicae de plantis ... aliisque rarioribus, ad scrutinium naturae artemque medicam specrantibus, ab Europaeis curiosis et eruditis, Cleyero, Rumphio, H. de Jagero, ten Rhyne, Kaempfero aliisque in India reciprocatae] ... nunc ... Latinitate donata, ... auctior reddita ... a C.B. Valentini / [Michael Bernhard Valentini].

Contributors

Valentini, Michael Bernhard, 1657-1729
Rumpf, Georg Eberhard, 1627-1702
Rhijne, Willem ten, 1647-1700
Becker, Johann Conrad, active 1696-1729.
Cleyer, Andreas
Jager, Herbert de.
Kaempfer, Engelbert, 1651-1716
Musei Museorum.

Publication/Creation

Francofurti ad Moenum : Ex. Off. Zunneriana apud J.A. Jungium, 1716.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/fkzrwrcq

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



56254/D

C'est un excellent ouvrage et des plus étendus sur la Matière Médicale. C'est la 2ème édition.

VALENTINI

HISTORIA

SIMPLICIUM

REFORMATA

TOWER LIBRARY

VALENTINI HISTORIA SIMPLICIUM REFORMATA.

VALENTINI

HISTORIA

SIMPLICIUM

REFORMATA.

42550

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI,

Archiatri Haſſiaci & Prof. Medici Giſſeni,

HISTORIA SIMPLICIUM REFORMATA,

ſub

MUSEI MUSEORUM

titulo antehâc in Vernaculâ edita, jam autem in gratiam Exterorum, ſub directione, emendatione & locupletatione AUTORIS,

à

D. JOH. CONRADO BECKERO,

MEDICO ALSFELDENSI,

Latio reſtituta.

Accedit

INDIA LITERATA,

E Lingua Belgica primum in Germanicam translata,

nunc verò,

ad deſiderium Exterorum Latinitate donata, longe auctior reddita, novisque Figuris æneis illuſtrata

à

CHRISTOPHORO BERNHARDO VALENTINI,

M. B. Filio.



FRANCOFURTI ad MOENUM,
Ex OFFICINA ZUNNERIANA,
Apud JOHANNEM ADAMUM JUNGIUM,
MDCCXVI.

MICHAELIS BERNHARDI
VALENTINI,

HISTORIA
SIMPLICIUM
REFORMATA,
ET
MUSEI MUSEORUM
tribulo auctoris in Vertpenuli editæ, pars autem in gratiam
Lectorum, sub directione, emendatione & locupletatione
AUTORIS,
D. IOH. CONRADO BECKERO,
MEDICO ALSFELDENSI,
Iuxta editum,
INDIA LITERATA,
Liliputa Belgica primum in Germanicam translata,
CHRISTOPHORO BERNHARDO
VALENTINI,
WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
LUDOVICO,
LANDGRAVIATUS HASSIÆ SUPERIORIS HEREDI, PRINCIPI HERSFELDIÆ, COMITI IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIGENHAINA, NIDDA, SCHAUMBURGO, YSENBURGO ET BUDINGA, reliq. reliq.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30450615

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,

COgitanti mihi de magno aliquo literarum Statore, in cujus nomine hæc mea Latina Verſio *Valentiniani Muſei* appareat, cujusve patrocinio munita contra obtrectatores perſtet, in mentem venit SERENITAS TUA, quam ſciebam non ſolum melioris literaturæ eſſe amantiſſimam, ſed benigno quoque numine fovere Muſas, harumque filios ſuſcipere ornandos. Nec enim prodire in lucem ſine tutela, ſineque ſpe patrocinii audebat ſcriptum, hac præſertim obtrectatorum fœcunditate, neque venire in hominum manus geſtiebat ſine cenſura, à tali tantoque peragenda, cujus cum auctoritate, tum judicii acumine ſibi aſſeratur pondus. Qui autem ad utrumque valeat, tuendarum literarum TE majus extare ſtudium velit, explorandis quoque Naturæ myſteriis TE maturius judicandi vim acuerit, ſciebam neminem. Eſt enim hoc SERENISSIMÆ DOMUI TUÆ gentilitium, ſuſcipere patrocinium Muſarum, ac conſuetudinem in illo tuendo ſervare. Non defatigabitur poſteritas, quin potius voluptatem capiet in prædicanda cum incredibili animi magnitudine, tum inexhauſta liberalitate, qua immortalis famæ Princeps LUDOVICUS V. Fidelis, *Abavus Tuus*, A. 1607. d. 7. Octobr. Academiam Giſſenam, ab Se Ludovicianam dictam, condidit: qua GEORGIUS II. *Proavus Tuus*, iſtam ab divino Conditore eodemque Parente ſuo, quod Marburgenſem anno quinto & vigeſimo ab Se reſtauratam, fovere Sibi deliberatum erat, prudenter ſuſpenſam, anno 1650. de integro Giſſam transferri,

ferri, exulesque Muſas revocari curavit: qua divinus *Avus Tuus* LUDOVICUS VI. illam haud ſecus atque pupillam amavit, amatamque fidei puritate juxta ac ſcientiarum cultura domi ſervavit ſplendidam, exteris æſtimatam. Quanta vero Sereniſſimi Domini *Parentis Tui* cura extiterit, & etiamnum extet tuendæ ornandæque Academiæ patriæ, non neceſſe eſt, ut hic commemorem, cum unicuique conſtet, ac exteri etiam æſtiment, admirenturque, quam magnis ſumtibus Profeſſores vocet, alat, iſtorum numerum ac ſtipendia augeat, & quanta magnificentia ſecularem Academiæ natalem, Jubilæum vocant, fecerit celebrari. Tantis genitus Parentibus SERENISSIME PRINCEPS! in id ſemper divinioris animi indole incubuiſti, quo virtuti ſis ſimillimus, i. e. quo ſanctiſſimis venerabilibusque Parentis, Avi, Majorumque veſtigiis incedas. Quem ingeneratum TIBI vigorem omnibus doctrinæ ſtudiis mira ingenii promtitudine perfeciſti, itineribus quoque ac conſuetudine ſummorum Principum usque eo evexiſti, ut æquales TE admirentur, ac potentiſſima Magnæ Britanniæ Regina, æſtimandis Tuis virtutibus adducta, gratioſiſſima animi propenſione Sua in aula TE tractaverit: nunquam niſi honorificentiſſime TE appellaverit: TEque abeuntem cum teſtificatione Suæ in TE voluntatis dimiſerit ornatum. Quod numen Tuum, SERENISSIME PRINCEPS! ut ſanctum mihi eſt & venerandum, ita Muſis meis velim eſſe propitium. Tentabit aditum hic præſens liber, quem pace Auctoris Latinitate donavi, quo præfixo nomine TUO, cum ſibi apud exteros auctoritatem conciliet, tum me interpretem apud TE ponat in gratiam. Pro incredibili in literas literatosque amore veniam facies audaciæ, quâ *Tibi*, SERENISSIME PRINCEPS! hoc quantulumcunque munus ſubmiſſiſſima animi pietate offero, huicque Verſioni meæ SERENISSIMUM NOMEN TUUM ſumo præſcribendum. Suſcipe igitur ac patrocinio TUO dignare præſentem hunc librum, ab ſubjectiſſimo TIBI cliente oblatum, in quo, ceu monumento ære perenniore, forſan & nobiliore, poſteritas videat, legat, intelligat, Muſas noſtras, SERENISSIMI DOMINI PARENTIS Tuaque gratia plus ſemel recreatas, aliquid ex ſe promſiſſe ad gloriam gentis TUÆ, & aſſerendam ab oblivione laudem, Domui Darmſtadinæ propriam & peculiarem. Ego DEUM deprecor, ut TE, ſecundum SERENISSIMUM DOMINUM PARENTEM, Principalis Familiæ decus, ab omni malo periculoque defendat: vita diuturna & integra valetudine beet: ſpem Principis, aliquando glorioſiſſime recturi, de TE concitatam, ſpatio vitæ omnique felicitate comprobet: ſtirpem denique ac ſucceſſionem per TE faciat firmari. Sic vovet

SERENITATI TUÆ

Alsfeldiæ pridie Iduum Julii,
A. MDCCXV.

Subjectiſſimus ſervus

JOHANNES CONRADUS BECKER, D.

PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

JOHANNES CONRADUS BECKER, D.

PRodit in lucem Amphitheatrum ſimplicium ſ. Muſeum Muſeorum Valentinianum, *Latine à me converſum, quod Clariſſimus Auctor vernacula conſcriptum ante duo luſtra ediderat. Miraberis fortaſſe, quamobrem operoſum hunc laborem mihi imponi paſſus fuerim, qui videretur in res alias melius potuiſſe impendi. Quinimo inanis ac ſupervacaneus videbitur labor, quo tantum ſtudii, tantumque operæ in verſionem Latinam contuli, quæ tantum abſit, ut lucem affundat ſcripto, hujusque ſenſum faciat planiorem, uti potius Auctoris mentem, vernacula ſatis clare ac perſpicue explicatam, obſcuret magis, ſermoneque non cuique artis alumno ſine lexicis cognito involvat. Adhæc in ſuſpicionem factæ ab conſuetudine ac inſtituto Majorum, multorumque noſtræ memoriæ Doctorum, diſceſſionis cademus, quos ſcimus patrio ſermone ſcripſiſſe, ac multa peregrino ſcripta idiomate expreſſiſſe indigena. Quî tandem me non abducere debuerit Zoilorum præſumtio, in vituperandis aliis omnem judicii vim laudemque ponentium, cum mihi verendum ſit, ne maledico dente ſtylum carpant, ac inſtitutum ducant culpandum? Enimvero cum nec quicquam mihi adhuc deliberatius fuerit, quam Doctorum tueri dignitatem, ac ſcriptorum, quæ magno ipſis ſudore conſtant, amplificare uſum: facile me perſuaderi paſſus ſum, ut rerum naturalium artificialiumque Muſeum, è Germanico in Latinum verterem, ſuſciperemque exantlandum, quicquid hic vides laboris. Nec parum me movit cum ſumma Doctoris Valentini auctoritas, quam amplificanda Medicina, &*

multis

multis praclariſſimis ingenii monumentis, totius Orbis literati judicio conſecutus eſt, aliisque inpoſterum edendis confirmabit: tum ipſius operis præſtantia, in quo tantum non omne, quicquid ſparſim apud curioſos invenitur, magno ſtudio ac indefeſſo labore legimus congeſtum. Id vero vel maxime dolebant exteri, peregrinitate ſermonis, quo Dn. Auctor iſtud ſolis Germaniæ civibus reſervari voluiſſe videtur, ſe ab utiliſſima iſtius lectione hucuſque fuiſſe excluſos. Ne igitur ſit, quamobrem aliarum terrarum curioſi querantur, quod uſura hujus Muſei tamdiu caruerint, pace Autoris ac commendatione aliorum, iſtud eum in ſermonem ſumſi vertendum, quo ubique terrarum poſſit prodeſſe & intelligi. Tantum vero abeſt, ut operoſa mihi moleſtaque extiterit verſio, uti potius iſta ſumma cum delectatione animi perfunctus fuerim, naturæ meæ propenſionem ſecutus, quæ ad literarum ſtudia incenſa ejusmodi me non defatigari ſinit labore. Et qui utilius locare operam potuerim, quæ tanquam inſigni aliquo beneficio Exteros demeremur, iisdemque Naturæ Artisque theſauros recludimus. Nemo itaque, niſi literarum rudes, hanc noſtram deprecabuntur verſionem, qua ſua haud conſultum vident literarum ignorantia: contra ea ſummis laudibus extollent eos, qui neſcio quo promovendi boni publici prætextu, ſed haud prudenti inſtituto, Doctorum Latinis ſcriptis in Germanicum vertendis, doctiſſimorum Virorum arcana, longis vigiliis, multoque ſumtu parta, ignorantiæ fratribus, balneatoribus, pharmacopolis, fœminisque ac ruſticis produnt, nobiliſſimam ſervandorum hominum artem vileſcere, Medicos expilari, iſtorumque honorem & exiſtimationem uſque eo explodi proſternique faciunt, ut plebs ſusque deque habeat, Doctoremne in arte peritum, an tonſorem, Judæum, anum aut alios conſulat, Medicinæ ſcientiam uno alterove medicamento præ ſe ferentes. Aliam inſtituti rationem habet Clariſſimus Auctor, qui cum facere Medicinam docet, eandemque obſervationibus illuſtrat, aut Deciſa Medico-legalia cum eruditis communicat, prudenti conſilio Latinè ſcribit, quò artis noſtræ honorem tueatur: curioſa verò Naturæ & Artis, quæ rimari præter Medicos aliis quoque volupe eſt, vernacula prodit, quo utriusque theſauros introſpicere liceat cuique. Quæ ne Exteris diutius celentur, Latinè de Germanico expreſſi, ſtylo facili & æquali, quem Zoilus tamdiu arrodere deſinat, quoad probaverit, ſe ſcribere meliori. Te L. B. rogo, ut æquum Te mihi judicem præbeas: quod ad rem literariam adjumentum affero, æqui bonique conſulas: inſtitutum magis quam facultatem æſtimes: Tibique prorſus perſuadeas ſolo obſequendi amicis deſiderio, cupidique Tui promovendi commodi, hoc quicquid eſt operis, ſine ambitione à me ſuſceptum. Vale. Alsfeldiæ *ipſis Idibus Julii, A.O.R. ſupra milleſimum ſeptingenteſimum decimo quinto.*

HISTO-

MICHAELIS BERNHARDI
VALENTINI,
ARCHIATRI HASSO-DARMSTADINI, PROF. MED. P. ORD. & REI
OECONOMICÆ IN ACADEMIA GIESSENA INSPECTORIS

AURIFODINA MEDICA

E TRIPLICI NATURÆ REGNO,
MINERALI, VEGETABILI & ANIMALI,
SEU

HISTORIA SIMPLICIUM REFORMATA,

TRADENS ORIGINEM ILLORUM GENUINAM, VIRES & USUM LEGITIMUM,
CUM

INDIA LITERATA

seu DISSERTATIONIBUS EPISTOLICIS, à Viris celeberrimis, *Georgio Eberhardo Rumphio, Herberto de Jager, Andrea Cleyero, ten Rhyne* aliisque in India Orientali de aromatum aliorumque exoticorum vegetatione, cultura & negotiatione reciprocatæ ac figuris æneis ad vivum expressis illustratæ,

EDITIO SECUNDA, AUCTIOR REDDITA
PER

ACCESSIONES NOVISSIMAS,

quibus certiores de sale Ebeshamensi, alumine plumoso, auripigmento, rusmate Turcarum, smalta, hysterolithis, semine esperatæ, mastiche, caffè à la Sultane, granis chermes, cascarilla, terebinthina Veneta, sale armoniaco, lapide bezoar, secundis rajarum &c. relationes & observationes continentur.

Pro coronide adjecta est

TABULA ICHNOGRAPHICA STADII STUDIIQUE MEDICI.

GIESSÆ & FRANCOFURTI,
Prostat apud DOMINICUM à SANDE & EBERH. HENRIC. LAMMERS,
M DCC XXIII.

PRÆFATIO.

AURIFODINAM Tibi offero L. B. non hominum consiliis & industria per virgam Mercurialem operosè inquisitam, sed Dei qs. digito ostensam. Quid enim triplex naturæ regnum aliud est quam *aurifodina* à Deo T. O. M. in primæva creatione producta? quid aliud quam cornucopiæ aut profundissima divinæ bonitatis abyssus? Habent hic quæ fodiant Artifices tantum non omnes, cumprimis Aromatarii, Seplasiarii & Pharmacopœi, qui tabernas suas & officinas non sine causa *aurifodinas* vocant, cum è vilissimis, ut gloriantur, sterquiliniis aurum lucrari & conflare valeant. Habent quo panopliam sibi parent Medici pharmaco quovis universali aut auro potabili certiorem. Deus enim de terra creavit medicinam, quam prudens (suadente sacro codice) non contemnet. Imprudentia è contra, si non insania, est insuper habitis Dei operibus perfectissimis perfectiora meditari, omnia quæ per syncrisin Creatoris conjuncta sunt per diacrisin Anticreatoris dissolvere, texturam naturalem discerpere, in puritate summa impuritatem quærere & tandem è validissimis aut mera capita mortua, aut è temperatis remedia corrosiva & insecura parare. Hinc illæ lacrymæ! hinc funestissimi quoque casus, queis experimenta per

mortes hominum facientes Medicaſtri coemeteria ſaginant, dum alii, quibus

De meliori luto finxit præcordia Titan,

unico eoque ſimplicisſimo medicamento in morborum curatione ſæpe plus efficiunt, quam ſesquipedalibus compoſitorum formulis. Videas inde Medicos, in ſumma licet celebritate conſtitutos, haud rarò in ruborem dari, ſi aut lippiens fortè vetula, aut glebam terens ruſticus vulgatisſimâ quâvis herbâ aut radiculâ morbum curet, quem prolixis multoque pretio conſtantibus receptis perdomare non valebant. Scelus ſanè eſt uti compoſitis, (verba ſunt *Cratonis* trium Imperatorum Archiatri) ubi ſimplicia ſuffecerint. Scelus eſt calumniis proſcindere eos, qui in conſcientia convicti periculoſa, ſuſpecta minusque ſecura abhorrent & alios, ut cautius mercentur, adhortantur. *Hippocratem* igitur, *Celſum* aliosque Medicinæ Statores imitemur, oportet, quos ſimplicisſima utplurimum, aut proximè ad illa accedentia in curatione morborum felicisſime præſcripſiſſe legimus.

Quo verò eò tutius circa uſum & applicationem illorum verſemur, originem, generationem, facultates & vires eorum ad unguem addiſcere decet, quæ Exoticorum intuitu animadverſione quadam, vel ſi mavis reformatione indigebant. Tentavimus hanc aliquot abhinc luſtris in *Muſeo Muſeorum* Teutonico primum, mox & Latino idiomate, ſub *Hiſtoria Simplicium Reformata* nomine, cum *India Literata*, in gratiam Exterorum edito. Quum verò annis ſubſequentibus novæ illis ſive acceſſiones ſive emendationes factæ ſint, operæ me pretium meriturum duxi, ſi pro ſupplemento has prioribus maritarem omniaque ſub AURIFODINÆ MEDICÆ rubrica publici juris facerem.

Faxit alma Trias, ut opibus inde conquiſitis opem ferramus omnibus ope & auxilio noſtro indigentibus & ſic cuncta cedant in Divini ſui Nominis honorem, Proximi emolumentum noſtramque ſalutem nunquam intermorituram. Fiat! Scrib. Giſſæ die 10. Aprilis A. 1722.

AUTORIS

AUTORIS VITA.

QUæ ratio vitæ, ſtudiorum, quæve laborum,
Proſequar ut voto, LECTOR amande, Tuo
Permittas! Phaëtontis avem moriendo ſecutus,
Si, quod vulgus ait, roſtro obeunte canit.
Effluxi ſêcli medio dum ſeptimus annus
Acceſſit, vitæ ſtamina cœpta meæ.
Auram captavi *Giſſæ*, de ſtirpe Parentum
Germanæ fidei natus utrinque probâ.
JUSTI namque *Pater* tum nomen & omen habebat
Atque VALENTINI: WILLIA *Mater* erat.
Sanguine mox Chriſti mundatus, ſicque renatus,
Turbæ Chriſticolæ pars ego dictus eram.
Tu mihi *Sponſor* eras SIRICI, Tuque DRESINGI,
Hic mihi BERNHARDUS, MICCHAEL alter erat.
Orbilium ſexto tenerâ adhuc mente ſecutus
Anno, cum pueris prima elementa traho.
Mox ea juncta lego: *Donati* regula flectit
Declinanda, ſuis format & illa modis.
Caſibus hinc variis fere ſex exercitus annis
Claſſibus immiſſus, claſſica quæque canam.

Clavum MISLERUS tenuit, RUDRAUFIUS alter,
Huic *Logicam* acceptam, cætera utrique tuli.
Hîc præcepta dabant: PISTOR ſua *Græca*, *Latina*
LEUSLERUS: RODAUG *carmina* cum *Melicis*.
Relliqua SCHLOSSERUS, SEIP, ROSLER, LOTICHIUSque
Formabant: colophon RUNCKEL uterque fuit.
Exhauſtis curſu ſexenni claſſibus, illis
Exemtus Civis Publicus inde eluo.
Agmine jam facto Sophiæ tot membra celebris
Laudabant meritis dogmata quæque ſuis.
RUDRAUF hîc *Logicam* repetebat & *entia* mentis,
Mores formabat WEISSIUS atque ſimul
Quid deceat civem? KAHLERque *Mathemata* ſignat,
Qui me *Carteſiis* admovet ipſe *Scholis*.
STRAUSSIUS in *Phyſicis Medicisque* arcana recluſit,
HEILAND cum *plantis viſcera* quæque ſecat.
Omnia facundo *Rhetor* PHASIANUS ut ore
Sint dicenda refert: cætera tempus habet.
Non tamen his ſolis contenta & ad extera vergit
Ignea mens, literis plus repetendo ſuis.
ETTMULLERUS erant, FRANCUS, WALDSCHMIDIUS, omnes
Quos ſequor in ſcriptis ſæpius usque meis.
Publica privatis miſcebam prælia verbis,
Præſide RUDRAUFFO Tutor & Autor eram.
Tandem Examinibus variis tentatus ab illis
Quos Ordo Medicus Gratus in Arte tenet:
Doctorum cathedram ſolus ſine Præſide ſcando
Convulſos curans diſqueputando viros.
STRAUSSIUS hîc Rector, ſimul & Decanus & Hoſtis,
Inſtabat dubiis acrius usque ſuis.
CARTESIO infenſus ſequitur RUDRAUFIUS, ille
Vellicat innumeris dogmata noſtra modis.
Fruſtra ac in vanum! ridens delira Scholarum
Somnia principiis ipſe triumpho novis.
Singula Doctorum per vota *Licentia* ad altum
Mox in Arte Gradum ſponte parata fuit.
Jam vade, occidens, nova nunc Rabelæſia proles,
Morbonam & mortem vah! pete, quære, neca,
In cathedra multos dicunt curarier ægros,
Ad lectum paucos convaluiſſe malo.

Hæc

Hæc ne de noſtris ſpargantur ſcommata Muſis,
Ad Praxin Medicam protinus ire juvat.
Rhenum ergo ſuperans Bacchi mox occupo terram,
Vangiones tangens, quæ mihi meſſis erat.
Inde Philipsburgum, munitam fortiter urbem,
Evocor, ut turmas Cæſaris ipſe juvem.
Quanta STAREMBERGI me foverit atque NIGELLI
Gratia: vix calamo pinxero forte meo.
Neuque Tuis meritis, Doctor celeberrime WIDTI,
Sufficio innumeris: Dî Tibi grata ferant.
Jactis ſic primis felicis Praxeos annis
Extera mens ardet, laſſa latere domi.
Non aſſanda domi pyra ſunt, nec mammula Matris
Eſt mordenda diu, plura videnda foris.
Quare bonis avibus Rheni provectus in amne
Belgica tunc bello claſſica caſſa peto.
Cymba ſoluta volat, patuit *Rhingovia:* triplex
Electoralis cernitur inde Domus.
Rhenus ubi Mœno junctus *Moguntia* ſurgit,
Qua patet ad reliquas porta parata vias.
Mox & Moſellam capiens illam alluit urbem
Quæ *de Conſluxu* nomen & omen habet.
Longius expanſo rivo *Collonia* ſe offert.
Haud procul à *Bonna*, principe ſede novâ
Arnhemii MUYSUM quærens, caupona tenebat
Chirurgo-Medicum, percelebrem ac agilem.
Trajectum ſequitur, *Neomago* ſponte relicto,
Ambo pacifico fœdere clara loca.
Trajecti Muſas celebres Medicosque ſaluto,
VALLANTUM validum, MÜNNIKE & invalidum.
Lugdunum vento delatus & inde ſecundo
Obſervo votis quæque parata meis.
Proſector Gallus, qui DRELINCURTIUS audit,
Artus in humano corpore quosque ſecat.
HERMANNUS celebri Doctor mirandus in horto
Indicat è plantis India quicquid habet.
Praxin formabat SCHACHTUS, Mennonia proles,
Carbones inflant MORTIUS atque MAËTS.
VOLDERUS, SENGUERD certabant Experimentis
MUSCHBROEK inventis ſervit utrique ſuis.

Ordinibus ſacram Belgarum tractus ad Aulam
Hagam, Comitiis quæ celebrata ſuis,
Binis ipſe Viris vah! quantis obvius ibam,
Quorum vix ſimiles totus hic Orbis habet.
NUCKIUS unus erat, ſolus SOLINGIUS alter,
Pluribus è ſcriptis notus uterque ſuis.
Condecorata prior quamplurima viſcera monſtrat,
Vaſa replens cerâ quælibet apta ſuâ.
Poſterior Sellam, Cultros, Hamosque trahendis
Fœtibus è Matris corpore facta tulit.
Delphicus mox Argus miras LEWENHOCKIUS offert
Lentes, queîs Orbis parvula quæque patent.
His culicis partes, omnes & pulicis artus,
Non ſine deliciis, undique viſa patent.
RUYSCHIUS inde ſuis Theſauris *Amſtelodami*
Percelebris placuit: Mox COMELINUS adeſt,
Plantis exornans raris tum gnaviter Hortum,
Quo Pomona ſuos Floraque fructus alit.
Quot Chirurgorum gazas ferat Amphitheatrum?
Indica quidve Domus? dicier hicce nequit.
ERASMI Patriæ memini quoque *Rotterodami*,
Qua patet ad Anglos, quod meditabar, iter.
Ligneus hîc equus, Trojano major, ubivis
Ad nutum proſtat, vela parata ſimul.
His *Brielam* ſupero, Ponto mox traditus alto,
Duxque Comesque fuit pyxis & urſa minor.
Ridebam incuſſum per Te, CAMERARIE, ſcrupum,
Ridebamque minas Æole mille Tuas.
I nunc & ventis animam committe! ſuſurrat
Alter Ego, hancce viam mox tamen Ipſe terens.
Cuivis, qui mediis validè hîc jactatur in undis,
Nauſea cum vomitu mox ſolet eſſe gravis.
Dum tamen ad Tameſin trudebant carbaſa navim,
Mirum! ceſſabat nauſea & omne malum.
Londinum ad Tameſis tractum ſe extendit & effert,
Urbs Mundo populis aſſimilanda ſuis.
Cruribus hîc parcas, rhedaque veharis oportet,
Aut cymba facili: compita longa nimis.
Vix ingreſſus eram, mox læta novella per urbem
Fertur & adventus PRINCIPIS HASSIACI:

ERNST

ERNST LUDVICUS erat, Patriæ Nutritor & Hæres,
Quod pro felici ſidere tunc habui.
Exhilaratus eô Londini lumina luſtro,
Lumina quæ ſcriptis inclyta facta ſuis.
Sol BOYLEUS erat radiisque fovere benignis,
Non detrectabat, cuîvis ut eſſe ſolet:
Tabidus hic valde, pellis vix oſſibus Ejus
Hærebat, tenero corpore, mente piâ:
Diſcurſu facilis, quô non facundior alter,
Naturam Chymicis diſcutiendo probis.
Furnos cum raris libris, multa experimenta
Tractavi manibus, pace Viri, hiſce meis.
LISTERUS ſequitur, concharum ſcriptor & autor,
Tuque SYDENHAMI, portio magna meæ
Praxeos, in ſcriptis major quàm corpore quondam
Oreque, Morbonæ malleus aſper ades:
Herbis non verbis curas, ſincerus in omni
Curandi methodo, quam Tua Praxis habet.
Exactis aliquot Londini menſibus ultra
Tendebam, viſis pluribus ante locis.
Gallia, tunc bello nondum perplexa, patebat,
Quæ ſimul inſignes continet Arte viros.
Doveram vectus licuit conſcendere navim
Trajectoque freto Gallicus iſthmus adeſt.
Caletum tum porta fuit, *Picardia* portus
Introitusque, viam ripa marina dedit.
Octavo inde die *Lutetia Pariſiorum*
Panditur excelſis turribus alta ſuis,
Quam meritò linguâ Toſcanâ un piccolo mondo
Dicunt, nec muris cincta nec aggeribus:
Copia ſed populi Tibi murus aheneus eſto,
Formicas numeris exſuperando ſuis.
Hic mihi ſi centum linguæ ſint oraque centum,
Vix tamen immenſas eloquar Artis opes.
Nulla dies abiit, quâ non inſigne novumque
Spectarim caſum, nullibi forte datum.
Confluxus rerum tantus tantusque virorum
Quantus vix alibi vaſtior Orbis habet.
Doctorum permagna cohors vivebat in Urbe,
E Medicis pauci complacuêre mihi.

Purgant & ſaignant, centum clyſteria donnant,
Qua methodo pereunt corpora mille virûm.
Tu mihi DU VERNEY, Sector Celeberrime, in Horti
Introitu Regii, præ omnibus hiſce places.
Omnibus applaudo, quotquot TOURNFORTIUS offert,
Plantis, mirando hîc ordine diſpoſitis.
HAMELIUS Phyſicas breviter componere lites
Suſtinet in ſcriptis, quæ dedit usque ſuis.
ROQUIUS hebdomatis medio mox colligit omnes
Quotquot in Arte novas hicce venantur opes.
Exacuit mentem MALBRANCHIUS, Autor in Orbe
Famoſus: Chymici munus agit L'EMERY.
Paucis: Cuncta patent, proſtant venalia cuncta,
Si nihil attuleris, ibis Homere forâs.
Nil tamen æque mihi, nil fortunatius unquam
Contigit ac olim PRINCIPIS HASSIACI
Gratia: Magnanimi Victoris nempe GEORGI,
Quem tunc Pariſiis mox veneratus eram.
Verſaleſum abiens auro fulgentia tecta
Miror: Rex intus Sol mihi ſolus erat.
Immortalis is in Statuis, nec pluribus impar,
Impar erit morti, viribus impar erit.
Jam reditum meditor, patriosque reviſere lares
Intendens Gallis mox valedico meis.
Ad Patriæ fines *Campanæ* nomine nota
Me duxit regio, dulcia vina ferens.
Hanc ſi relliqueris mox *Lotharingica terra*
Se offert, *Nancejo* fortior usque ſuo.
Alſatos tandem prodit ſic dicta *Taberna*,
Anguſtis montis paſſibus apta ſuis.
Hinc *Argentinæ* turris fere ad æthera ſcandens
Spectatur, ſummo culmine nota ſuo.
Infauſtam fauſtis avibus progreſſus ad urbem
Turmas innumeras miror in urbe novas,
Omine proh triſti! vix unus vertitur annus,
Claſſica quin caneret Gallus in urbe ſua.
Fax erat Aurelì Duciſſa petens repetensque
Dotem, de reliquis diſqueputando bonis.
Hæc fatalis erat Spiræ, Wormatiæ & omni
Confinio: flammis cuncta peruſta malis!

Argen-

Argentina vale! valeas Doctiſſime SCHEIDI!
Tuque Valentini ſis memor usque tui.
Durlacum attingens ſpecto confinia caſtri
Cæſarei, quondam Praxeos illa meæ
Rudera, quæ mitto; mox *Heidelbergica* turris
Eminet: hæc FRANCUM dat mihi ſponte ſuum.
WINCKLERUM Archiatrum, vultu triſtique ſevero
Arreſtô vinctum, quæſii & indolui.
Dolia magna locus, ſed maxima Principis aula
Commonſtrat, Bacchum digna replere ſuum.
Heidelberga *viam montanam*, à montibus ortam,
Siſtit: Cattorum mox Melibocus adeſt.
Tranſeo *Darmſtadium*, *Francorum* maximam ad *urbem*
Tendens: hæcce viæ terminus eſto meæ.
Vix Patriæ glebam calco & promotio duplex
Imminet, exilii clauſula facta mei.
Doctores fiunt Sacri, Juſti, Medicique,
Inter poſtremos ordine primus eram.
Poſt accedebat *Phyſices Profeſſio* Giſſæ,
Cui nunquam viſa heîc experimenta tuli.
Decem poſt annos *Medicorum* me vocat *ordo*,
Cui ſimul ac Sophico dogmata noſtra probo.
Publicus in cathedra clamando & diſqueputando
Privatim multis ſervio in Arte Viris.
Ter ſum Magnifici *Rectoris* munere functus,
Ceu præter votum vota tulere meum.
Decani officium mihi ſæpius obtulit Ordo
Conſeſsûs Medici, ſæpius & Sophici.
Libros diverſos (abſit jactantia,) ſcripſi,
Queîs ſtruo Philiatros nocte dieque meos.
Giſſenam Phyſicam, *Medici* poſt dogmata *Curſûs*,
Praxi cum dupla, *Caſibus* & variis.
Pandectas Medico-Legales atque *Novellas*,
Muſeum Latio jam modò reſtituo.
Plantarum ſequitur *deſcriptio* & *Amphitheatrum*
Brutorum: *Chymicis* clauditur omne probis.
Sic ſteti in Illuſtri per ſex ferè luſtra Lyceo,
Huicque, juvante DEO, commoda multa tuli.
Non tamen Haſſiacis tantùm ſum natus Athenis,
Muſis & peregrè non peregrinus eram.

Caſa-

Cæsaris hîc prima est: abhinc *Patavina* secunda:
Tertia *Prussiaca* est: quarta perennis erit.
Me tandem *Archiatrum* sibi vult CELSISSIMA PRINCEPS
Butsbaci, Patriæ Mater & Alma Patris.
Filia Theiologi MÜLLERI erat *accola thori*,
Conjugii septem *pignora* nata mihi.
Relligio mihi sacra fuit, fuit illa saluti,
In Christum propriâ vivitur hîcce fide.
Crux mihi Mundus erat: Mundo sæpissime crucem
Fixi: Justitiam semper amantis amans.
Hæc mea *Vita* fuit bis sex fere cognita lustris,
Vita mihi multo ducta labore vale.
Quod supersest animam manibus commendo benignis
Christi salvificis, qui mihi Finis erit!

INTRODUCTIO
DE
MUSEIS CURIOSIS ET SIMPLICIBUS
ILLIC OCCURRENTIBUS IN GENERE.

NOtam meretur ſingularem, quod DEUS T.O.M. ſub primævâ rerum productione quamcunque nunquam non bonam obſervaverit: id quod non tantùm quinquies ſigillatim in hiſtoria creationis cuilibet additur, ſed & de omnibus conjunctim ſingulari cum emphaſi repetitur, dum Spiritus S. §. 31. *Cap.* 1. *Geneſeos* expreſsè dicit: Viditque DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Noverat ſcil. Summus & Omniſcius rerum Creator, ex divinâ ſuâ æternaque providentiâ, fore, ut homo ingratiſſimus, poſt lapſum Adamiticum, eò ſe abduci pateretur, ut creaturas ſuas, non ſine ſtupendâ bonitate & elegantiâ productas, quovis modo reformaturus & uberiorem illarum perfectionem tentaturus ſit; quapropter ad ineptam hanc & omninò temerariam arrogantiam convincendam Spiritus S. omnium & ſingularum creaturarum perfectiſſimam bonitatem toties repetiit & expreſſione ſingulari inculcavit. Non dicam jam vaniloquos & fraudulentos Chryſopœos, noſtris diebus in Aulis Magnatum adeò frequentes, hèic ſuam obtinere paræneſin, dum metalla viliora, ſeu, ut loquuntur, ignobiliora, pro immaturis & non non ſatis bonis à ſe habita, in nobilia & pretioſiora, aurum ſcil. & argentum, transmutare, ſicque DEI creaturis majorem perfectionem affricare ſatagunt: cùm obſcura illorum mirisque ambiguitatum tenebris involuta ſcripta (è quibus integram *Bibliothecam Chymicam* formarunt Genevenſes) artem illam ſatis ſuſpectam reddant, ipſaque experientia teſtetur montes illorum & panaceas, nil niſi aurum parturientes, utplurimùm ridiculum tantùm murem eniti. Illud potius hâc vice cuilibet penſitandum offero, annon & Medici hujus ſe pervicaciæ participes reddant, quotquot creata à DEO medicamenta naturalia, quæ ſimplicia vulgò audiunt, ſi non prorſus inſuper habent, non tamen eâ, quâ decet, ſollicitudine inquirunt & examinant, ſed illorum uſui aut ſesquipedales Galenicorum formulas, quas recepta vocant, aut arte Chymica inde extortas Quint-eſſentias, Spiritus, Olea, Salia, Extracta & ſimilia ſubſtituunt, ſub ſpecioſo quidem, ſed prorſus inani, prætextu, quod purum ab impurò, bonum à malò ſeparare ſtudeant. Nonne quoque hæc talia creaturarum DEI reformationem dicam an emendationem ſapiunt? Qui cum Sacra hæc Scripturâ concordant, quæ omnia, quæ fecerat Dominus, valdè valdè bona teſtatur? bona ſcil. quoad eſſentiam, bona quoque quoad virtutes & effectus. Quodſi forte regerant multas adhuc fæces & impuritates inutiles remanere, quas eam ob cauſam terram damnatam, imò caput mortuum vocare conſueverunt: ſciendum, caput ſic dictum ab illis mortuum neutiquam in ſimplicibus, eâ ſub formâ, exſtitiſſe, ſed ab hominibus ignis ope ſic productum fuiſſe, quem *Helmontius* eam ob cauſam haud immeritò mortem in manu artificis olim appellavit. Relinquatur illud, inter alias particulas, in texturâ & mixturâ à DEO T.O.M. numero, pondere & menſurâ optimè combinatas, & non minus vivâ multoque efficaciore vi gaudebit, quàm omnia ſalia, ſpiritus & olea per artem elicita. Quodſi autem ea, quæ DEUS conjunxit & qs. maritavit, humanâ ſuperſtitione aut arrogantiâ ſeparentur, è terrenis & in mixtione ſua nobiliſſimis ac optimis particulis nil niſi capita mortua, terras damnatas & inutilia terræ pondera efficiunt. Crede, mi *Pyrophile*, hanc unam è ponderoſiſſimis eſſe cauſam, quòd noſtris temporibus tot morbi incurabiles (de quibus *Seidelius* integrum libellum conſcripſit) numerentur, contra quos DEUS T.O.M. dubio procul certa etiam remedia, è terrâ ſcaturientia, creavit, modò debitâ diligentiâ curaque in eadem inquireretur, ac, ut Creator ineffabilis illa produxit, immutata relinquerentur. Poſtquam verò compoſitioni dicam, an confuſioni, humanæ & per ignem diſcerptæ corruptioni

)( )(confi-

confidimus, ſimplicia autem, à Deo è terrâ producta & à Sapiente non contemnenda, inſuper habemus, mirum non eſt nobiliſſimam medendi artem à tot retroſeculis non tantum pauca, aut omninò nulla in Praxi incrementa cepiſſe, ſed & à priſtinô decore & nobilitate plurimum degeneraſſe. Reſpiciamus, quæſo, effluxa (quibus Primicerii & Parentes Medicorum, *Æſculapius*, *Hippocrates* & alii ferè ſolis ſimplicibus in medendo utebantur) tempora, & oppidò eluceſcet, tunc inſigniores & notabiliores, quam ab hodiernis Chymicis expectantur, curas obſervatas fuiſſe; unde tanto illi honore mactati tantoque in pretio habiti fuerunt, ut tempore neceſſitatis tantum auri & argenti, quantum poſtularant, illis oblatum, ſumma in veneratione habiti, tandemque, more Ethnicis conſuero, in Deorum numerum evecti fuerint. Conſulatur & quotidiana experientia, ac facilè apparebit illos affectus, qui prolixis iteratisque formulis, tincturis, eſſentiis & quinteſſentiis nequicquam cedere voluerunt, uno, eoque ſimpliciſſimo, à Deo per naturam ſuppeditato, feliciſſimè ſublatos & ſubjugatos fuiſſe. *Helmontius* ſupralaudatus hoc in proprio quondam corpore experiebatur: & licet Chymicus experientiſſimus & ſubactiſſimus per ignem (ut ſe vocat) Philoſophus fuerit, fateri tamen cogebatur, quod, cum per nulla medicamenta compoſita ſublevari potuerit, tandem unico è ſimplicibus, eoque viliſſimo, ut videri poterat, remedio curatus fuerit. Poſtquam enim ſub ipſis juventutis annis Virginem Nobilem, eamque ſcabioſam (cui valedicebat) manibus teneret, hujusque chirotheeis luderet, hoc amoris ſui præmium reportabat, ut ſimili morbo infectus veritatem proverbii experiretur:

Morbida facta pecus totum corrumpit ovile.

Cum ergò pertæſus hujus rei Medicos quosdam Celebriores conſuleret, venæſectione, purgantibus & decoctis longis ſic exhauriebatur, ut neque manus, neque pedes ſuum amplius officium, eâ qua decet ratione, facere potuerint, eâdem ſemper facie incedente ſcabioſo *Helmontio*. Quapropter tandem ſolo crudoque ſulphure externè uſus intra breve temporis intervallum cum priſtinâ ſanitate in gratiam redibat, uti caſum hunc bis in ſcriptis ſuis, ſcil. *Part. 1. Tr. Scab. & Ulcera Schol. & Part. 2. de Febribus fuſius* recenſet. Ne verò quis exiſtimet, & in contrarium opponat, hoc tantum de compoſitionibus Galenicis intelligendum eſſe, neutiquam ſimul de Præparatis Chymicis, en! alium, eumque omnibus Doctoribus Practicis notiſſimum, caſum, qui Vetſaleſii in Aula Regis Gallici ſe truſit ubi Delphinus, Princeps Regius Hæreditarius, febri quartanâ corripiebatur. Jam unusquisque facile hariolari poterit omnes ſtatim Archiatros Archiatrorumque Comites conſultos fuiſſe, qui nulla non, etiam pretioſiſſima, elixiria, eſſentias & extracta antifebrilia, dubio procul, diu præſcripſerant, quibus tamen febris contumaciſſima non cedebat. Tandem hinc adeò famoſus *Talbotius* ex Angliâ, ſuâ Chinâ Chinâ inſtructus, accedebat, eaque paucos intra dies Principem hunc Regium in integrum reſtituebat, & ob curationem hanc felicem non tantum plura coronatorum millia reportabat, ſed & pro communicatione hujus arcani (à Rege Ludovico XIV. poſtmodum, in gratiam ſubditorum, non ſecus ac cum ipecacuanhâ nuper factum, typis mandati) non contemnendam auri ſummam lucrabatur: quemadmodum hæc omnia, in gratiam Hoſſorum noſtrorum, aliquot ante annos in ſpeciali *de Chinâ Chinæ Diſputatione*, hic Giſſæ ventilatâ & in *Polychreſtô noſtrô Exoticô* legendâ, fuſius deſcripſimus. Quis jam inficias ibit, ſimplicia hujusmodi naturalia & ſpecifica multò majorem, quam alia per artem inde facta compoſita, efficaciam habere? & licet neque hæc, neque alia Chymicè præparata penitus rejiciam, multo minus hæc in illorum præjudicium intelligi velim, cum & ipſe non rarò iis utar: attamen priora ſimplicia eapropter non ſtatim aut minoris facienda, aut omnino inſuper habenda, ſed majori, quam hactenus factum, diligentiâ excolenda ſunt: eoque magis, quod hæc ipſa non tantum emolumenti, quod præſtant, ſed & delectationis, quam curioſa inde pectora expectant, intuitu, prioribus longis paraſangis præferenda ſint. Jungantur, ſi placet, & in ordinem redigantur omnia ſalia, ſpiritus, olea & ſimilia, videaturque, an eâ ratione ſuperbiant, ac varia ſimplicia, in tot Curioſorum Muſeis ludentia & oculos paſcentia, mineræ ſcil. omnis generis, lapides figurati, conchæ, radices, flores, quadrupeda exotica, aves, piſces & ſimilia? & quamvis Inclytus *D. Major Cap. VI. Judicii ſui de Muſeis Curioſis in genere*, Germanicè olim editi, dubitare videatur, an ullibi locorum perfectum & omnibus numeris, ordinis intuitu, abſolutum Muſeum rerum naturalium habeatur? in unoquovis tamen erit, quod animum rerum harum avidum tenere recreareque poterit: adeò quidem, ut Sapientiſſimus Regum, Salomo, in omni gloriâ & majeſtate ſuâ, nullibi majorem, quam in rebus ejusmodi naturalibus complacentiam inverterit, cum *Lib. 2. Regum cap. 4. §. 33.* non tam de ſummâ ſuâ Poteſtate aut Majeſtate Politicâ, quam potius de arboribus, de cedro, quæ eſt in Libano, usque ad hyſſopum, quæ egreditur è pariete: ut & de quadrupedibus & avibus, de reptilibus & piſcibus differuerit; & quoniam alibi ſimiliter, ſcil. *Eccl. 2. §. 4.* ipſemet gloriatur, quod ſibi vineas, hortos, piſcinas & ſimilia ædificarit, omnesque plantarum ſpecies procuraverit, dubium nullum eſt, quod ſimili quoque Muſeo rerum naturalium gaviſus fuerit. Quodſi jam famigeratiſſimus Germaniæ Orator *D. Schuppius* ſuo tempore exoptavit, ut *Salomonis Phyſicam & Hiſtoriam Naturalem* (quam conſcripſiſſe dicitur) unquam vidiſſet: multo magis pretioſiſſimum ejus & inæſtimabile Muſeum &

Theſau-

Thesaurarium me vidisse desiderarem. Dilucidiora adhuc & planiora Regis Hiskiæ Musei vestigia in Sacris, scil. *Lib. 2. Regum cap. 2.* occurrunt, ubi præter aurum & argentum, in Thesaurario Regis obvium, varia pariter aromata & olea observata fuérunt; quemadmodum & alii Reges Ethnici in regionibus orientalibus similes thesauros, è curiosis naturalibus constantes, in certis receptaculis asservasse leguntur. De *Inga* sanè, Rege Peruvianô, scribitur, quòd tantùm non omnia animalia, aves, homines, arbores cum foliis & fructibus, ex merô aurô sibi conflari & asservari curaverit. Non minus Mexicanorum Rex *Montezuma* similia simulacra auro atque gemmis repræsentasse & alioquin varia animalia exotica, aves & similia in certis receptaculis & theriotrophiis, pro delectatione sui, aluisse legitur. Quam pretiosa verò & insolita rariora Indiarum Mogol in VIII. maximis repositoriis Agræ asservari curaverit, *Erasmus Franciscі Part. 3. Horti sui Indici pag.* 1438. testatur. Abhinc in Africam trajicientes observamus Ægyptiorum Regem *Ptolomæum Philadelphum* (qui circa annum mundi 3666, sicque 283. annis circiter ante nativitatem Christo floruit) multos, eosque pretiosissimos, quoque thesauros collegisse, & si non perfectum ac omnibus numeris absolutum rerum naturalium Gazophylacium, attamen certa rariorum suorum receptacula habuisse, de quibus rerum Judaicarum Scriptor *Josephus lib. 12. Antiq. Jud. cap. 2.* consulatur. De insolitis *Ibraham Bassæ* collectaneis, Constantinopoli videndis, jam prolixus non ero, dum plura, quæ de vitâ Ejus recensentur, fabulæ Romanæ, ad fallendum tempus excogitatæ, quàm veritati mage consentanea videntur. Quàm pretiosi igitur hi Regum Ethnicorum thesauri videri possent, longe tamen utiliora æquè ac curiosiora sunt Musea & Gazophylacia nostris temporibus in Europâ, non tantùm in Aulis Magnatum, Collegiorum & Societatum Illustrium, sed & penes complures privatos occurrentia, cùm in his non tantùm insana auri pondera, gemmas & similia, sed & omnis generis naturalia & exotica rariora, vegetabilia, animalia, lapides, mineras &c. contemplari liceat, è quibus Dei T.O.M. Omnipotentia & Omniscientia luce meridianâ clarius elucescit. Testatur hoc pretiosissimum non minus quàm rarissimum *Museum Cæsareum Viennense*, è quô jussu Clementissimo S. C. Majestatis, Invictissimi & Victoriosissimi LEOPOLDI Magni, gloriosissimæ recordationis, aliquot icones & figuræ æri incisæ Miscellaneis S.R.I. Academiæ Naturæ Curiosorum annuis insertæ fuérunt. Testatur idem pariter *Museum Regium Hafniense*, à D. Oligero Jacobæo eleganter recensitum & tersissimis inscriptionibus exornatum; cui quamproximè accedebat decantatatum adeò *Gottorpiense*, à Dn. Oleario luci publicæ expositum, sed, quod dolendum, subsequentibus temporibus simplicibus quamplurimum exhaustum & privatum; & licet famigeratissimum simul *Gazophylacium Electorale Saxonicum*, quod Dresdæ est, maximam ad partem è rarioribus artificialibus, horologiis, armis, numismatibus & similibus sit conflatum, haud pauca tamen corpora naturalia, indeque præparata Chymica secretiora, illic occurrunt, prout è Zeileri scriptis elucescit, fusiusque à Tobia Beutelio in Cedreto Elect. Saxonicô ostenditur: cui Dn. Erbachius, ut audio, propediem catalogum *Musei Ducalis Vinariensis*, conchis exoticis instructissimi, juncturus erit. Ast quanta non *in Theatro Anatomicô Amstelodamensi* spectantur! Quanta non in ambulacro *Horti Medici* & *Theatri Anatomici Lugdunensis* in Batavia! peculiaribus libellis, illic veneuntibus, descripta. Quàm admiranda facie ludunt ea, quæ Societas Regia in *Collegio Greshamensi Londini* Britannorum colligit, naturalia, prolixo satis commentariô descripta! cui parum vel nihil cedit *Theatrum Scheldonianum Oxoniense*, similibus exoticis superbiens. Nec in Galliâ, cumprimis Lutetiæ Parisiorum, prope Theatrum Anatomicum, in atrio Horti Regii, ut & in *Gazophylacio Regiô*, in Fano *S. Dionysii*, similia rariora naturalia desiderantur, quorum catalogi quoque lucem aspexerunt publicam. In Italia equidem tot & tam completa Musea publica non habentur, nisi quod *Florentiæ* in Laboratoriô celeberrimô Magni Ducis Toscaniæ, *Pisæ* penes Facultatem Medicam, *Bononiæ* in Museo ab Illustrissimo Comite Marsigli novissimè fundato, atque *Romæ* in Collegio Medico haud pauca etiam spectentur: interim nunquam non illic æquè ac in vicinis Regnis, Neapolitano & Siciliæ, Curiosi nonnulli, iique maxima ex parte Eruditi, se truserunt, qui similia exotica sollicitè & cumulatim collegêrunt. Inter illos Itinerariorum Scriptores Illustris *Johannis Francisci Habelæ*, sacri ordinis Hierosolymitani & Vice-Cancellarii Insulæ Malthæ, *Gazophylacium Melitense*, cujus Dn. Niderstatt in Descriptione Insulæ hujus cap. 5. pag. 17. mentionem fecit, extollunt. Nec minus famosum est *Petri Castelli Museum Messanense*, quod Thomas Bartholinus in diversis Epistolis dilaudavit. Quò *Pauli Boccconis*, *Vincentii Cioffi*, *Joh. Vincentiæ Portæ*, *Donati Eremitæ* & *Fabii Columnæ* rariora, *Neapoli* conspicua: Athanasii item *Kircheri*, *Barberini*, *Burghesii* & *Farnesii* naturalia, *Romæ* occurrentia, referenda sunt; & quanta non *Bononiæ* penes Ulyssis Aldrovandi hæredes? Quanta *Veronæ* penes Ludovicum Moscardum, (cujus Museum linguâ Toscanâ evulgatum)! Quanta *Milani* in Gazophylacio Septaliano, pariter typis expressо! quanta non *Patavii* apud Dnn. Salam, Speronium, Ursatum, & tandem *Venetiis* in ædibus Rosini, Foscarini, Grimani & templô D. Marci occurrunt. Interea non opus est, ut omnia & singula Musea exotica maximis, quæ requiruntur, impensis pervagemur, cùm in Germaniâ

vicinisque Regionibus ſimilia, etiam in privatorum haud paucorum ædibus, occurrant, quorum catalogum prolixum in ſupralaudati *D. Majoris Judicio de Muſeis in Genere* videre licet. Hinc perſonatus ille Wigandus (ſeu potius *Willius*), in eleganti *de Philiatrorum Germanorum itineribus* libello, Medicis Teutonicis quondam conſulebat, ut potius ipſam Germaniam, quam Italiam, Galliam & alias Exterorum plagas itineribus ſuis emetirentur. Eorum hac vice tantum mentionem faciemus, quæ lucem hactenus publicam aſpexerunt, inter quæ *Muſeum Wormianum* optimó jure agmen ducere poterit, utpote quod unum ex inſtructiſſimis, adeoque inſtar omnium eſſe poterit, cum ab Autore ipſo, Dn. Olao Wormió, Archiatro Regio & Profeſſore Hafnienſe, collectum & accuratiſſime deſcriptum fuerit. Secundum ab hoc locum tenet utrumque *Beslerorum* Norimbergenſium *Gazophylacium*, è meris ferè iconibus conflatum, & numerum exoticorum ſi ſpectes, priori facile cedens. Sequitur hæc *Muſeum Brackenhoferianum*, Argentoratenſe, à Dn. Bockenhofero elegantibus deſcriptionibus ob oculos poſitum: utut optandum eſſet, ut ab Autore b. m. ipſo deſcribi potuiſſet, qui ingentem MSS. & ex parteæti inſculptarum figurarum apparatum hæredibus reliquit, quæ lucem publicam eó majori jure mererentur, quod omnibus accurata deſcriptio & hiſtoria naturalis juncta eſt, quam in *Muſeo Petiveriano* (in Anglia usquedum ſua indies incrementa ſumente & in Extractis menſtrualibus, ut vocantur, A. 1701. Menſ. jam p. 88. dilaudato) quis deſideraret. De reliquis pauca, niſi catalogi quidam typis expreſſi ſunt, inter quos *Conſulis Laurentii* Lipſienſis *Gazophylacium & Index Muſei Speneriani* hactenus innotuêre, quod ultimum tamen poſt obitum B. Speneri hinc inde diſtractum & ſeparatum fuit, à Dn. Fratre, Conſiliario & Medico Regio, nunc reparatum; quod idem Celeberrimo *Muſeo Hermanniano Ceylanicó* Lugduni Batavorum & nuper admodum *Dn. Peykenkampii Gazophylacio Marpurgenſi* quoque accidiſſe conſtat. An *Muſeum Ambonicum Dn. Rumphii*, linguâ Belgicâ conſcriptum, & ab Editore Halmâ c. figuris terſiſſimis editum, ſua mox complementa ſit viſurum, dies nos & tempus docebit. Omnibus his meritò Repoſitoria Aromatum & ſimplicium, in *Ædibus Mercatoriis Societatis Indicæ*, tam Orientali, quam Occidentali, *Amſtelodami* videndis, occurrentia, ut & Aromatariorum, in Emporiis Maritimis viventium, reconditoria accenſere poteris, utpote quæ non tam nudæ contemplationi, quam uſui bonoque publico deſtinata ſunt, dum è contra de prioribus valet illud: Quid juvat aſpectus, ſi non conceditur uſus?

Et eandem ob cauſam tam proficua ſimplicium (ſeu ut audiunt) *Materialium Cameræ*, in Emporiis S. R. I. Celebrioribus, Lubecæ, Hamburgi, Lipſiæ, Francofurti & Norimbergæ, pro optimis Muſeis habendæ ſunt; unde & Aromatarii quidam & Pharmacopœi Curioſi aut rariora tantum, aut ſimul omnia ſimplicia, quæ in uſus varios trahuntur, deſcripſerunt. Priorum facile primicerii ſunt *Ferdinandus Imperatus* ejusque filius *Franciſcus*, qui Parentis ſui naturalia, Neapoli conſpicua, ope Colantonii Stelliolæ, typis publicis conſcripſit. Similiter *Franciſcus Calceolarius*, Veronenſis, Muſeum ſuum per Benedictum Cerutum evulgavit; quos è Germanis noſtris *Chriſtophorus Vielheuerus* in deſcriptione ſimplicium exoticorum cum fig. & *Gottofredus Nicolai* in Muſeo Curioſo, per Chriſtianum Warlizium, Med. D. edito, imitari conati ſunt. Inter poſteriores bini Norimbergenſium Aromatarii, *Schurzius* & *Marxius* ſunt famoſi, qui ambo quidem omnia ſimplicia & materialia Germanicè deſcripſerunt, adeò tamen accurati non ſunt, quam ſub fine ſeculi præcedentis Lutetiæ Pariſiorum à *Dn. du Blegny* editus Tractatus de ſimplicibus, & *Pometi* Hiſtoria ſimplicium, cujus Autor, ope & conſiliis Dn. *Tournefortii*, in rebus hiſce Verſatiſſimi, adjutus, omnibus aliis Aromatariis palmam eripuit. Quoniam verò in egregió alioquin & pretioſo hocce libro adhuc plures errores & defectus obſervantur: ſupradicta quoque Germanorum Muſea, ſeu materialium cameræ, non tantum infinitis ſphalmatibus ſcatent, ſed & de origine, generatione & naturâ ſimplicium planè falſas & erroneas ſententias aut opiniones fovent: hinc cogitavi ſæpius, annon de bono publico quis optimè mereri poſſet, ſi nonnemo ex Eruditis id ſibi operæ ſumeret, ac completum aliquod & in Natura fundatum ſimplicium Muſeum in lucem publicam emitteret; Cumque iſthoc conſilium, inter alios ſermones, olim Dn. Johanni Davidi Zunnero, Bibliopolæ Francofurtenſi primario & de tota Republicâ Literaria meritiſſimo, τῷ ἐν ἀγίοις, aperitem, non tantum omnia ad negotium hoc ſubſidia ſtatim obtulit, ſed & plurimis inſtantiis rogavit, ut ipſemet opus hoc ſuſciperem, utcumque mihi viſum fuerit dirigerem, & abhinc diſtractionem ejus ſibi præ aliis committerem. Poſtquam ergò per viginti, quos tum temporis in Celebertima S. R. I. Academiâ Naturæ Curioſorum, partim ut Collega, partim ut Adjunctus, ſuperaveram, annos tantum non omnes Scriptores de hoc vel illo corpore naturali in ſpecie & ex profeſſò, quod dicitur, agentes evolveram & magnâ ex parte in *Hiſtoria Literaria S. R. I. Acad. Nat. Cur.* recenſueram, in Illuſtri Lyceo Giſſenó etiam ultra 17. annos Profeſſoris Phyſici Medicique Ord. munus obieram, ſicque rerum illarum notitiam neceſſariò obtinueram, hinc eó majori confidentiâ manum operi admovi, varia variorum Muſea & Gazophylacia, Ephemerides Curioſas, Itineraria aliaque Phyſiologorum ſcripta de novó contuli, genuinam ſimplicium originem, naturam & proprietates inde extraxi, ſelectum eorum & quæ ad mercaturam & negotiationem illorum

rum ſpectant, è ſupradictorum Aromatariorum libris adjeci, tandemque uſum ſingulorum è probatiſſimis Medicorum ſcriptis annexi, non omiſſis terſiſſimis & undique ſollicitè conquiſitis figuris æri inciſis, effigiem ſimplicium ad vivum exprimentibus: quibus omnibus intra paucos annos ſufficientem huic rei apparatum mihi comparavi: & licet nec laboribus, nec impenſis, ut quivis rerum harum non ignarus ſupputare facilè poterit, hic parcendum fuerit, omnia tamen ſingulari delectatione & ſatisfactione inde perceptâ ſuperavi, eoque pronius, quod ſingulari DEI T. O. M. rerum omnium Creatoris & Conſervatoris, providentiâ pleraque ad id negotii requiſita ſubſidia, absque cura inſigniori, ſponte ſe truſerint, dum non tantùm ſupralaudatus Dn. Zunnerus libros quosdam rariores & cariores, *Hortum* ſcil. *Malabaricum*, *Plukeneti Phytographiam*, *Rudbeckii Atlanticam*, *Tournefortii*, *Willughbeji*, *Sibbaldi* aliorumque *ſcripta* haud vulgaria, partim meis, partim ſuis impenſis mihi comparavit, ſed & eodem tempore Simpliciſta quidam, Johannes Gottofredus Vitus, Wormatienſis, ex India Orientali redux, non tantum magnam rerum exoticarum copiam, ſed & inſignem MSS. Belgicorum, à Dn. *Herberto de Jager*, Conſiliarii & Soc. Ind. Orient. Curatoris in Indiâ relictorum, faſciculum Francofurtum ad Mœnum adferebat. Enimverò ſub primo hujus adventu, quò moroſus adhuc & minus liberalis erat, hæc ipſa neque pretio, neque precibus, utut inſtantiſſimis, ab eô extorquere valebam; cùm verò paulò poſt datis hinc literis meam illi ſententiam aperirem, ſimulque non contemnendam nummorum ſummam offerrem, non ſolùm eorum me participem fecit, ſed & unicâ hâc de cauſâ Wormatiâ Giſſam ſe contulit, & per aliquot dierum decurſum de haud paucis oretenus me informavit, quùm tot abbreviaturis belgicisque characteribus conſcripta MSS. ſine prævia inſtructione lectu difficilima fuerint. Haud multo poſt etiam tam beato mihi licuit eſſe, ut Experientiſſ. Dn. *Engelbrechtus Kæmpferus*, nunc Archiater Lippiacus, & Med. D. (è Perſico itinere Weſtphaliæ, ceu Patriæ ſuæ paulò ante reſtitutus) honoris ergò me hic Giſſæ ſalutaverit, qui haud pauca, à Dn. Vito oretenus tradita, confirmabat. Quantam jam bini hi mihi lucem his in tenebris accenderint, Lector Eruditus ex Appendice hujus operis, *India* ſcil. *literata* & ſubjunctis relationibus juratis haurire poterit. Ad minimum hic certi quid obtinemus, cui tutò fidere licet, quoniam ab hominibus ſolide & profundè doctis, expertis & ad id ordinatis (quorum autographa adhuc poſſideo) ſunt profecta, utpote qui ſuis omnia oculis hauſerunt, ſicque majorem præ aliis, auritis tantum teſtibus, fidem promerentur. Methodi, quâ uſus ſum, intuitu, realibus utplurimum inhæſi, moleſtum & minus neceſſarium fore judicans, ſi tot & tam variis variarum linguarum nominibus, ſimplicibus tributis, & in *Pharmacopœia* (quæ in omnium manibus teritur) *Medico-Chymica Schrœderi* Lexicisque peculiaribus occurrentibus, cramben bis coctam apponerem. Quòd tandem non omnia naturalia, in Muſeis Curioſorum obvia, hic inſeruerim, eam ob cauſam factum eſt, quod hâc vice ea tantùm ſimplicia, quæ ſuum Arti Medicæ aliisque Mechanicis uſum & emolumentum aliquod commodant, deſcribenda ſuſcepi, ut de integro Commentario valeat illud: ET PROSUM ET DELECTO. Ne verò ſolis Germanis hæc ſcripſiſſe Exterisque delicias hujusmodi Naturæ invidiſſe videar, ad horum deſiderium jam ea, quæ octennio abhinc in vernaculâ publicavi, Latinitate donata recuſaque offero, ſublevatus hâc in parte à Viro Nobiliſſimo, Dn. Johanne Conrado Beckero, Phyſico Provinciali Alsfeldenſi, qui cum Filio meo Primogenito, eô, quô in adornandâ *Praxi Medicinæ* atque *Chirurgiæ infallibili*, & imprimendis *Novellis Medico-Legalibus*, occupatus eram, tempore verſionem hanc ſuſceperunt, quam prævia reviſione, non ſine novis acceſſionibus & augmentis, unà cum *Phœnice Perſico Kæmpferiano*, aliisque curioſis & utilibus, Lectori curioſo jam primâ vice ſiſto, & ſimul innumera illa ſphalmata, quæ Editioni Germanicæ (citra præſcitum meum à Bibliopola ſecundâ vice inemendatè publicatæ) affricta ſunt, prorſus eradico. Quodſi verſionem hanc Eruditis minus diſplicere videro, dabo operam, ut *Pars ſecunda* Muſei hujus (quam in vernacula nuper edidi) ſimili poſthac facie ſequatur. Omnia in honorem Dei, proximique emolumentum! *D. Giſſæ Haſſorum, die* 30. *Julii*, *A. MDCCXV.*

ALLEGATA.

A.

Abatius de admiranda Viperæ Natura.
Achyrenes de Usu Spongiæ.
Acosta Histor. Nat. Indiæ Orientalis.
Acta Eruditorum Lipsiensium.
Hafniensia
Philosophica Soc. Reg. in Anglia.
Agricola de Re Metallicâ.
Aldrovandi Opera.
Alpinus de Plantis Ægypti & Exoticis.
Ammanni Antiquarium Peruvianum & alia.
Andrea Tr. de Balsamatione Veterum.
Anonymi Historia von Hhamzas.
Journal de Siam.
Laboratorium Ceylonicum.
The manner of making of Caffe.
Apini Febris Epidemicæ A. 1694. Historica Relatio.
Apuleji Lib. de virtutibus Herbarum.
Avicennæ Opera.
Axtius de Arboribus Coniferis.

B.

Baccius de Bestia Magna, Vino & Unicornu.
Baglivius de Tarantulæ Motu.
Balbini Historia Naturalis Bohemiæ.
Baldæi Beschreibung der Küsten Malabar und Coromandel.
Balduini Aurum Auræ.
Barosii Decades.
Bartholeti Encyclopædia Medica.
Bartholini (*Casp.*) de Lap. Nephritico.
Bartholini (*Erasmi*) Experim. Crystalli Island.
Bartholini (*Thom.*) Tract. varii.
Bauhini Pinax.
Bauschii Tr. de Lap. Ætite & Hæmat. de Unicornu Fossili.
Baylei Problemata Physica.
Beccheri Physica Subterranea.
Belli Descriptio Anisi Stellati.
Bellonius de Agaricô.
Besleri (*Mich. Ruperti*) Gazophylacium.
Blegny Traité des Drogues, & Zodiacus Med. Gallicus.
Breynii Cent. I. Exoticorum & Tr. de Nisi.
Buccone Recherches & Obs. Naturelles, &c. Musæum.
Buckenhoferi Museum Brakenhoferianum.
Buchardi Hierozoicon.
Bütii Tract. de Lapidibus.
Bohnii Collegium Physicum Experim. Ms.
Bontekoe Tractaat van Thee, Coffi &c.
Bontii Histor. Nat. Indiæ Occidentalis.
Borelli Observationes.
Borrichii Disc. de Somno, Somniferis & usu Plantarum.
Boylei Opera.
Boymi Flora Sinica.
Brancatii Diatribe de Usu Chocolatæ.
Brand de Ovo Cometico.
Bravonis Opera.
Brunneri Consilia.
Bruno de Medicam. ex homine.
Buchanani Res Scoticæ.
Bumanni Ricreatio del occhio & della mente.
Burggraf de Malo Sinensi Aureo.
Burrhi Consilia Mss.
Busbequii Epist. Legationis Turcicæ.
Buttlerus de Apibus.

C.

Cæsalpini Lib. de Metallis.
Camelli Epistola de Fabis S. Ignatii.
Camerarii (*Joachimi*) Obs. de Bolo Armena.
Camerarii (*Rud. Jac.*) Epist. ad D. Valentini, de Sexu Plant.
Disp. de Infuso Ligni Nephrit.
Canoparius de Atramentis.
Cardanus de Rad. Chinæ.
Carteſii Opera.
Castelli Tr. de Gutta Gambodiâ & Hyæna.
Catelanus vom Einhorn.
Ceruti Museum Calceolarii.
Charas Tr. de la Theriaque.
Charleton de Spiritu Gorgonicô.
Chevalier Description de la Piece d'Ambre gris.
Cieca Chronicon Peruanum.
Clauderi Inventum Cinnabarinum.
Cleyeri Epist. ad D. Schefferum.
Clusii Historia rariorum & Exot.
Coleri Oeconomia.
Columna de Purpura.
Commelini Comment. ad Hort. Malab.
Cromerus de Poloniâ.

D.

Dale Manuductio ad Mat. Medicam.
Deckeri Exercitat. Practicæ.
Densingius Tract. varii.
Digby de Pulvere Sympathetico.
Scripta adhuc inedita.
Dioscoridis Opera.
Dolæi Epist. Amoebææ.
Döringius de Usu & Qualit. Opii.

E.

Eichovii Lib. Insignium aliquot itinerum.
Eichstadius de Confect. Alkermes.
Elsholtzii Flora Marchica.
Ens Histor. Ind. Occidentalis.
Tr. de Singularibus in Italiâ.
Entzelii Corpus Juris Metallicum.
Erast. Ep. de Lapidibus Sabulosis Palatin.
Estienne la Maison Rustique.
Ettmulleri Opera.
Everarti Comment. de Tabaco.

F.

F. F. Spicilegium Antiquitatum Palatinatus.
Faber (*J. M.*) de Pilâ Marinâ.
Fabri (*Joh.*) Annot. in Nardi Hist. Nov. Hisp.
Fallopius de Morbô Gallicô.
Febure Cours de Chymie.
Febrii Tr. de Absinthiô & Scorzonerâ.
Ferrarii Cultura & Usus Malorum Aur.
Florum Cultura.
Ferretii Musæ Lapidar. Antiquorum.
Flacourt Histoire de Madagascar.
Fonseca Tr. de tuenda Valetud. & product. Vitæ.
Foresti Observationes.
Fracassati Epist. ad Malpigh. de Linguâ.
Fragosus de Utriusque Indiæ Simplicibus.
Franckii (*Georgi*) Lapicidina Microcosmi.
Franckii (*Joh.*) Veronica Theizans.
Francisci Oſt-und Weſt-Indianiſcher Luſt-Garten.
Franzii Hist. Animalium Sacra.
Freheri Origines Palatinæ.
Freytagii Aurora Medicinæ.
Fricks Oſt-Indianiſche Reiſe.
Friedels Disp. de Caryophyllis Aromaticis.

G.

Gaffarelli Curiositates Inauditæ.
Galeni Opera omnia.
Garzoni Schau-Platz aller Künſten.
Gaſſendi Vita Peireski.
Geiserus de Cantharidibus & Glossopetris.
Geilfuſii Unterricht vom Sauer- und Brodel-Brunnen zu Langen-Schwalbach.
Unterricht vom Wiſibad.
Tract. de Terra Sigillata Laubacensi.
Geilfuſii (*Bernh. Wilh.*) Disp. de Moxâ.
Gesneri Opera.
Gilbertus de Magnete.
Glauberi Furni Philosophici.
Gœbelius de Alce & Succino.
Golii Lexicon Arabicum.
Goris Medicina Contempta.
Graba Elaphographia Curiosa.
Gräfin wunderbahre Verwandelung der Raupen.
le Grand de Carent. Sensus in brutis & hist. naturæ.
Greneri Animadversiones in Helvetii Descript. Ipecacuanhæ.
Grew Museum Societ. Reg. Londinensis.
Grimmii Hiſtoriſch-Medicinaliſche Relation.
Grützmann de Avibus Paradisiacis.
Guiberti l'Apothicaire & Medecin Charitable.
Güldenklee Epistolæ Medicæ.

H.

A. C. V. E. Ars Chymica Nat. æmula.

ALLEGATA.

Hambergeri Disp. de Barometris.
Hamelii Historia Reg. Scientiarum Academiæ.
Tract. de Corp. Affectionibus.
Hannekenius de Museo testesti clavato.
Happelii Theatrum Exoticorum.
Harsdorffers Deliciæ Mathematicæ.
Hartmanni (*Joh.*) Praxis Chym attica.
Hartmanni (*Phil. Jac.*) de Succino Prussiaco.
Harvei Ars curandi morbos expectatione.
Heer de Fontibus Spadanis.
Heilbrunnenses Medici de Cremore ♀.
Helmontii Opera.
Helvetii Novum Medic. Antidysentericum.
Tr. de Usu Chinæ Chinæ in Clyst.
Helvici Theatrum Historicum.
Hermanni Catalogus Hotti Lugdunensis.
Collegium de Mat. Medica Msc.
Hernandez Rerum Med. Nov. Hisp. Thesaurus.
Hertodtii Crocologia.
Hieble Tr. *von den* Bezoar-*Steinen.*
von Hornberg Adelliches Feld-Leben.
Hæchstetter de Gummi Gamandra.
Hæfers Hercules Medicus.
Hoffmanni (*Frid. Patris*) Clav. Pharm. Schroederi.
Hoffmanni (*Frid. Fil.*) Disp. de Balsi Peruviano & Terebinthinâ.
Hoockii Micrographia.
von Hornigk Epist. de Camphoræ qualitat.
Nutzliche und curieuse Fragen, die Apothecker- und Materialisten betreffend.
Horstii (*Joh. Dan.*) *Embser Bads-Beschreibung.*
Beschreibung der Sauer- und Erodel-Brunnen zu Schwallbach.
Hortus Academicus Lugdunensis.
Giessensis.
Oxoniensis.
Eystettensis.
Malabaricus.
Med. Amstelodamensis.
Regius Blesensis.
Parisiensis.
Schwebbertianus.
Hospinians Lib. de Usu & Abusu Templorum.
Hulsii Holländische Schiffarth in Ost-Indien.

I.

Jacobæi Museum Regium Hafniense.
Jacobus (*Rex Aug.*) de Abusu Tabaci.
Imperati Historia Naturalis.
Jonstonis Histor. Nat. de Avibus, Insectis,
Piscibus & Quadrupedibus.
Josephi Antiq. Judaicæ.
Journal des Sçavans.
Itnar Tr. des Vers à Soye.
Jungii Doxoscopia Physica & Historia Vermium.

K.

Kæmpferi Decas Observ. Exoticarum.
Amœn. Exot.
Kauppers Disp. de Nat. & Præstantiâ Vini Rhenani.
Kentmanni Nomenclatura Fossilium in Misnia.
Kerckringii Spicilegium Anatomicum.
Keslers Processus Chymici.
Kircheri Opera.
Kirchmayeri Disp. de Draconibus & Ambra.
Tr. de Arb. Philosoph. & Ramo aureo Virgineo.
Klobii Historia Ambræ.
Königii Regnum Animale.
Kunckelii Ars Vitraria Experiment.

L.

Lachmundi Οδοντογραφία Hildesheimensis.
Tr. de Lapide Judaico.
Laetii Historia Nat. Indiæ Occidentalis.
Langii Epistolæ.
Tr. de Thermis Carolinis.
à Lapide Comment. in Acta Apostolorum.
Ledesma de Chocolat.
Leibnitzii Epist. de Novo Remed. antidysent.
Lemery Cours de Chymie.
Leuwenhœck Anatome Rerum & Arcana Nat. detecta.
Libavius de Succino & Gagate.
Licetus de Lapide Bononiensi.
Ligonis Histor. Nat. Insulæ Barbados.
Limbergii Itinerarium.
Lindenius de Scriptis Medicorum.
Linschotis Orientalische Schiffarth.
Lippenii Bibliotheca Med. Realis.
Lipsii Syntagma de Bibliothecis.
Listerus de Araneis.
Lochneri Pateira brava.
Lomeierus de Bibliothecis.
Lopez Histor. gener.
Lorentzens Naturalien-Kammer.
Ludolfi Historia Æthiopica.
Ludovici Dissert. de Moderatione Tartari.
Pharmacia mod. seculo applicanda.
Tr. de Volatilisat. ♁ ☿.
Lusitani (*Zac.*) Medicorum Principis Hist.
Lyseri Observationes post Cultr. Anat.

M.

Maërti Prodromus Chym. Ration.
Magnenus de Manna, it. de Tabaco.
O. Magni Histor. Septentrional.
Majoris Comment. in Columnam de Purpura.
Dissert. de Calculo Sperlingiano.
Histor. Anatomiæ Chilonensis primæ.
Tr. de Marga.
Maji Historia Animalium.
Mallet Beschreibung des gantzen Welt-Kräyses.
Mandelslo Itinerarium.
Manitius de Actatibus Zedoariæ.
Marggravii Histor. rerum naturalium Brasil.
Marsi Cassotologia.
Maroneus de Amomo.
Marsigli Tr. de Fosforo Minerale.
Notitie di Constantinopoli Sopra la pianta del Caffé.
interno dalla grana Kermes.
Martel Pierre de Mexique.
Martens Itinerarium Spitzbergicum.
Martini Atlas Sinensis.
Marxens Teutsche Material-Kammer.
Matthioli Commentarius in Dioscoridem.
Mayovv de Nitro aëreo.
Meisters Ost-Indianischer Lust-Gärtner.
Merretti Anmerckungen über des Neri Glasmacher-Kunst.
Meursius de Luxu Romanorum.
Mayerus de Volucri Arborea.
Metzgeri Ambrologia.
Michaelis Opera Medico-Chirurgica.
Micralii Syntagma Historicum.
Mindereri Aloedatium.
Miscellanea S. R. I. Acad. Nat. Cur.
Mœbii Anatomia Camphoræ.
Molitor de Thermis Artificialibus.
Monardes Tr. de Simplicibus ex Occid. India.
Monconnys Voyages
Mousannus de Terra Sigillata Goldbergensi.
Morisonis Hortus Blesensis.
Mortoni Opera Medica.
Moscardi Museum Italicum.
Mynsichts Armament. Medico-Chym.

N.

Neandri Sassafrasologia & de Tabaco.
Syntagm. de Medic. Laud.
Nebelii Disp. de Malo Citreo.
Notæ ad Ammanni Charact. Plant.
Negotien-Bücher der Niederländischen Compagnie.
Neri Ars Vitraria.
Nicolai Museum Curiosum.
Niederstätts Beschreibung der Insul Malthe.
Nieuhofii Itinerarium ad Chinam.

O.

Oleandri Orientalische Reise-Beschreibung
Jurgen Andersen.
Olearii Annotat. ad Itinerarium Mandelslo.
Gottorpische Kunst-Kammer.
Persianische Reis-Beschreibung.
Oppiani Αλιευτικῶν l. de Nat. Piscium.
ab Ortu Tr. de Aromatibus.
Oviedo Hist. Nat. Ind.

P.

Palmarius de morbis contagiosis.
Panarolli Observationes.
Paracelsi Opera.
Paulini (*Fab.*) de Viperis in Trochisc. pixp.
Paulli Digress. de Febrib. Malignis.
Quadripartitum Botanicum.
Tr. de usu & abusu Tabaci.
Paullini de Asino, it. de Jalapa.
Pechlini Tr. de Purgantibus.
Theologia.

Pedemon-

ALLEGATA.

Pedemontani Lib. de Sectetis.
Peikenkamp de Arboribus Philosoph.
Petiveri Museum.
Pflaumeri Mercur. Ital.
Pharmacopœia Batcana.
Pisonis Histor. Nat. Brasiliæ.
Mantissa Aromatum.
Placentini Disc. de Santalis.
Plateri Praxis.
Plotii Historia Natur. Agri Oxonienss.
Plukenet Phytographia.
Plumerii Descriptio des Plantes d'Ametique.
Pomet Histoire des Drogues.
Porta Magia Naturalis.
Ptolomæi Geographia.

Q.

Quinqueranus de Laudibus Gallo-Provinciæ.

R.

Radzivil (*Principis*) Itinerarium.
Raji Historia Plantarum.
Methodus Plantarum Nova.
Rauwolfii Hodœporicum.
Redi Experimenta Naturalia.
de Generatione Insectorum.
Observat. de Vipetis.
de Regio Tr. de Capillis.
Reisii Dissert. de Glossopetris Lüneburg.
Renodæi Institutiones Pharmaceuticæ.
Reudenius de Gummi Guttæ.
ten Rhyne Dissertatio de Arthritide.
Richter de Coccionellis.
Ringelbergii Experimenta.
Rivini Introductio Gen. in Rem Herb.
de Tenis Sigillatis.
Rivii Historia Navalis.
Robertson Lexicon Concord.
Rochus de rebus min. & metall.
Rondeletius de Piscibus.
Rudbeckii Atlantica.
Rulandi Lexicon Alchymicum.
Rumphii Amboinsche Rariteiten-Kamer.
Herb. Amboin.

S.

Saar Ost-Indianische Kriegs-Dienste.
Sachsii Ampelographia.
Gammatologia.
Monocerologia.
Sala Tartarologia.
Salmasii Exercitat. ad Solin.
Sanfelicius Tr. de Campanis.
Savazenus de Notis Bezoar.
Scaligeri Exercitationes.
Scapula Lexicon Græco-Latin.
Schambergers Japonische Reis-Beschreibung.
Scharffii Curiosa Juniperi Descriptio.
Schefferus de Militia Navali.
Schauchzeri Histor. Nat. Helveriæ.
Schiefai Persianisches Rosen-Thal.
Schmuckii Secreta Chymica.
Schotti Opera Varia.
Schreyeri Neu-Ost-Indianische Reis-Beschreibung.
Schræckii Historia Moschi.
Schræderi Pharmacopœia Medico-Chym.
Schrœteri brevis in Nat. Opii inquisitio.
Schulzii Triga Cinnabar.
Schuppii Salomo.
Schurtzens neu-eingerichtete Material-Kammer.
Schweiggers Reis nach Constantinopel und Jerusalem.
Schwenckfeldii Catalogus Fossilium Silesiæ.
Seidelius de Morbis Incurabilibus.
Senecæ de Tranquillitate animi.
Sennerti Opera.
Serapionis Practica s. Breviarium.
Sereni Lib. de Re Medicâ.
Seuterri Disput. de Nuce Vomicâ.
Sibbaldi Scotia Illustrata.
Tr. de Anseribus Scoticis.
Soleysel le Parfait Marechal.
Sorbaiti Opera Medica.
Spaneri (*Joh. Jacobi*) Disp. de Usibus Gen. marum superstitiosis.
Index Musei Spenerriani.
Spaneri (*Christ. Mart.*) Epist. ad D. Valent. de Mutibus marinis.
Spleissii Annotat. ad Zapat. Mirabil.
Sponi Aphorismi Novi.
Stahlii Disput. de Lapide Manati, it. Metallurg.
Stenonis Anatome Piscis Carchariæ.
Rajæ ad Pisonem.
Sterrbeccii Theatrum Fungorum & Citri Cultura.
Stisserus de Machinis Fumiductoriis.
Feb. Intermitt. Confider. Nova.
Stockhusius de Fumo Litharg yrii noxiô.
von der Berg-Katze.
Strobelbergeri Tr. de Cocco-Baphiâ.
de Fœticulo.
Masticbologia.
Stubbe Tract. de Chocolata.
Sturmii (*Joh.*) de Rosa Hierochuntinâ.
Swertii Florilegium.
Sydenham Opuscula.
Sylvii (*de le Boë*) Praxis.
Sylvii (*Jacobi*) Tr. de Delectu Medicam.

T.

Tachenii Clav. Hippoct. Chym.
Tackii Manuale Manusct.
Triplex Phas. Soph.
Talanders Reis-Beschreibung durch Italien.
Tavernier Itinerarium in Indiam.
Temple Essai du Moxa contre la Goute.
Terrentii Notæ ad Ant. Recchum.
Terre Histoire des Antilles.
Thevenot Itinerarium.
Tillingii Tr. de Opio & Rhabarbaro.
Scrutin. Cinnab. miner.
Torck Disput. de Cervo ejusque partibus.
Transylvanus de Moluccis Insulis
Tournefort Instit. Botanicæ.
Tulpii Observationes.

V.

Valentini (*Bas.*) Cutrus Triumph. Antim.
Valentini (*Mich. Bernh.*) Scripta varia.
Valentini (*Christ. Bernh.*) Tournefortius Contractus.
Vallemont de Magnete in Tutti invent.
Valleriola Observationes.
Vannini Amphitheatrum Providentiæ Divinæ
Velschius de Ægagropilis.
Hecatostæ Observationum.
Pinacotheca Univers. Mscr.
Verulamii Historia vitæ & mortis.
Vesalii Epist. de Rad. Chinæ.
Veslingii Observationes in Prosp. Alpinum.
Vielbeners Beschreibung frembder Materialien.
Virgilii Georgica.
Vitruvii Architectura.
Volkameri Opobalsami Orient. Examen.
Tr. de Gelsem. Indico.
Volderi Disput. de Aëris Gravitate.
Voorn Museum Indicum.
Vossius de Ort. & Progr. Idololatr. it. Etymologic.
Vriesii Groenlandia Antiqua.
Urbini Türckisches Stadt-Büchlein.
Ursini Arboretum Biblicum.
Tr. de Gemmis Biblicis.

W.

Wagneri Hist. Nat. Helvet.
Waldschmidii Monita de Opio.
Epist. Amœbæ.
Weckeri Antidotarium.
Wigandus de Succino.
Willis Dissert. de Itineribus Philiat. Germ.
Wirsii Opera.
Willughy Ornithologia.
Piscium Historia.
Wittichs Beschreibung verschiedener Simplicien.
Wormii Museum.
Wurfbaimii Salamandrologia.

Z.

Zachiæ Quæst. Medico-Legales.
Zaluzanii Methodus Herbaria.
Zeilers Hand-Buch und Italianische Reis-Beschreibung.
Zobelius de Tartaro.
Zwelfer Animadv. in Ph. Aug.
Apolog. contra Tachen.

HISTO-

ACCESSIONES
NOVISSIMÆ
AD
AURIFODINAM MEDICAM seu HISTORIAM SIMPLICIUM REFORMATAM.

Ad pag. 2. §. 11.

Referri huc meretur TERRA SICULA PANORMITANA, de quâ sub rubrica *pulveris Claramontii*, vel *terræ Bairæ* nonnulla in medium attulit *Bocconus* in *Museo Physico & experimentali obs. 7. & 12.* Conf. quoque Ejusdem *Curiose Anmerckungen de A. 1697. num. 18.* Laudatur ceu specificum ant-hypochondriacum, de cujus usu atque dosi seqq. *Ephemeridibus Academiæ Cæsareo Leopold. Naturæ Curiosorum Cent. III. & IV. Obs.* CLXXV. inseruit *D. Rosinus Lentilius*: Taurini & in pluribus Italiæ locis arena quædam in Sicilia prope Panormum effossa pharmaci polychresti vicem obire cœpit. Primus de illa mihi locutus est *Frater Capucinus e monasterio trans Padum prope Taurinum.* Ea se contra insultus hypochondriacos summo cum emolumento uti prædicabat. Perhibetur efficaciæ summæ absorbens. Nonnihil ejus arenæ ex officina montis Capucinorum obtinui. Gryſea fuit, odoris ac saporis, saltem notabilis, expers, ponderosa. Aliam ex officina *Fratrum Minimorum*, aliis instructiore, petii, priori longè candidiorem & subtiliorem, sed æque gravem. Hujus arenæ ℥j. imò & ℥ij. in aquam fontanam infunduntur, cochleari tamdiu agitando, donec materia efferveſcere, quod fieri solet, desierit, quo facto consistentiæ pultaceæ materia assumitur, idque bis de die, ad 3. Septimanas, fine curandi. Accepi hujus arenæ in pollinem contusæ ℈ß. instillavi in vitro ⊖ bonum, abscripsit 60. ad 70. guttas, vehementer efferveſcendo. Curiosissimum erat videre, non tam bullulas, quam ipsius Spiritus quasi fila ingentissimo numero, mira altitudine, inter efferveſcendum, supra vitri marginem projecta fuisse, instar fonticulorum salientium, quos Galli *jettaux* vocant, sic ut arcus quoque formarent aquea illa fila sursum in vitrum delabentia. Diu vero durabat ista ebullitio, pulvere quidem soluto, sed Spiritu omnem acrimoniam amittente. Accepi *Magnesiæ albæ* tantundem, exploraturus, qua absorbendi virtute hæc duo alcalia ab invicem distarent, sed impense mirabar, ultra 30. Spiritus ⊖ guttas non fuisse destructas, cum ebullitio per affusionem hujus Spiritus super *Magnesiam Ottmannianam* non ante cessarit, quam 130. guttæ instillatæ fuissent. Tantum interest, ut magnesia probe paretur, quod obiter noto. Neque enim post absolutam efferveſcentiam Spiritus ⊖ acorem omnem depositurat, bullulis quidem etiam numerose prosilientibus, spectaculo tamen tamdiu non durante, nec Spiritu fila ducente. *Terram* igitur hanc *Siculam*, quam vocant, ab affusione ▽. Fontanæ efferveſcentem denuo considerans, in eam deveni suspicionem, an forte quædam esset calcis vivæ species, vel quasi? Incidebat in Sicilia per ignes subterraneos, quos ibi, teste Ætna ignivomo crebrisque terræ motibus suppono plures, lapides quosdam calcarios in calcem exuri, indeq; calcis vivæ æmulam isthanc cum aqua fontana ebullitionem, quamvis Panormi ab Ætnâ longa satis sit distantia. Totam enim propediem Siciliam abundare prophylaciis istis verisimile credebam. Cum autem domi etiam examen instituissem, affundendo illi arenæ aquam fontanam, percepi quidem ebullitionem, sed vix ultra momentum durabilem, quantam etiam, imo ferme fortiorem, aqua fontana magnesiæ albæ affusa excitare valet. Nondum itaque certo affirmare ausim *terram Siculam* participare de natura calcis vivæ, præsertim cum credibile sit alias quoque terras alcalicas affusione aquæ efferveſcentiam momentaneam excitaturas, quod experiundum. Quid si tentaretur experimentum cum ista terra ibi statim loci, ubi effoditur? Calx enim viva libero aëri diutius expositа cum aqua non ebullire comperitur. Certè in officina Fratrum minimorum è vitro probe clauso exemta terra ab affusione aquæ longe potentius, quam domi meæ efferbuit. Quieſcere quoque sivi scutellas utrasque, *magnesiæ* sc. *terræque Panormitanæ*, quibus aquam affuderam, hæc in superficie in cuticulam seu cremorem depositurat, qualem & aqua calcis vivæ separare solet: quam cochleari sublatam & exsiccatam reperi candidissimam, gustui nonnisi leviſſime, quin vix levitet salsidulam. Nil tale cum magnesia factum. Lixivium quoque, ut sic abusive loquar, magnesiæ saporis omnis plane expers erat. Illud verò terræ Siculæ sapore quodam levi linguam feriebat, sed tali, cujus naturam describere non possum. Scripseram de hac terra (potius arena) ad Exc. D. *Eliam Camerarium* nostrum, qui mihi inter alia Tubinga rescripsit: largam esse hujus ter-

ræ doſin, ſive ſit bolus, ſive ſit lactis D. æmula, ſive ſoboles combuſtionis ſubterraneæ, quod de Sicilia haut improbabili conjectura ſuſpicatus fuerim. De doſi deinceps. Interim hæc arena non eſt bolus, quia arena non cohærens, nil pingue habens, nec linguæ ſemet adglutinans: non eſt lac lunæ, quia multo gravior, nec æque tenuis & poroſa. Celeb. *Mangetus* in literis ad „me Geneva datis, judicium, ſcribit tuum de „natura *terræ Panormitanæ* quam maxime ar„ridet, & experimenta, quæ in hac ſumſiſti ma„teria, ſatis ſuperque probant illam ad calcis „vivæ vulgaris indolem omnino accedere, cu„jus lixivium non parum itidem hypochon„driacis ac aliis cacochymicis, imò etiam ipſis „hydropicis confert.

Calcem hanc, ut aliâs forſan non inutilem, tanto pondere, per tempus adeo longum quotidie devoratam, eſſe corpori utilem nemo mihi perſuaſerit. Amicus quidam nuper è Patria ſcripſit magneſiam albam atro carbone notari cœpiſſe propterea, quod in Civis Eslingenſis, qui ea copioſe uti conſueverat, demortui & aperti ventriculo non ſpernenda illius quantitas fuerit reperta. Quamvis autem ob hoc φαρμακον magneſiam, quod ſit noxia, calumniari ſit injuriam innocenti medicamento inferre: hoc tamen inde patet, ejusmodi terras, calces & alcalia fixa magna copia diu aſſumta in fundo ventriculi, præcipuè pituita viſcida repleti, vi ſuæ gravitatis hærere poſſe, non hærere ſolum, ſed eum pondere ſuo aggravare, digeſtionem impedire, ad ſtatum corporis cachecticum alias proclives in ſupplementum perfectæ cachexiæ præcipitare, uno verbo, nocere. Non enim dubito, quin alia id generis alcalia fixa, cornu cervi uſtum, oculi cancri, creta alba, terræ ſigillatæ, boli, conchæ præparatæ, ſi quis modum æque in utendo excedat, moras ejusmodi in ſtomacho tractura ſint, in ejus fundo poſt mortem, ſiquidem illorum corpora luſtrare liceat, reperiunda. Quod magis cum aliis, quam ipſa magneſia, contingere poteſt, quum hæc alvum ſubducendi facultate polleat, qua deſtituuntur calces abſorbentes reliquæ. Id enim præcipuum ſibi præ omnibus aliis abſorbentibus ſervat magneſia, ut non tantum imbibat, ſed etiam evacuet acidum. Hinc illam qui ſumunt, plerumque de ardoribus ani ſummis in actu depoſitionis alvi queruntur, ſigno meliori, quam ſi ſecus evenerit: nam ejusmodi ſedes urentes in cachexia pituitoſa quis fruſtra expectaverit. Uſurpanda igitur magneſia, uſurpanda quælibet hujus commatis medicamenta doſi moderata, diebus non multis, ac præſente debita indicatione, quando nempe per indicia certa conſtat ineſſe primis viis acidum. Sæpe enim, ubi maxime creditur ineſſe, ibi minime inveniri in corpore acidum ſum valdè perſuaſus: perſuaſus etiam hanc oxymaniam plurimorum jam funerum cauſam fuiſſe. Non alia compulſi ratione vina lixivio cinerum clavellatorum dulcificata, contra quorundam Medicorum placita, vetanda judicavimus pridem Archiatri Würtenbergici. Laudabantur illa, ut ſalubria, quippe alcaliſata, acido contraria, quaſi nusquam non ſit in corpore acidum. Hoc itaque certum: In corporibus cachecticis, pituita fatua abundantibus, tono ventriculi exiſtente flaccido, liquore gaſtrico inerte, non tantum, etiam in reſtricta doſi, ejusmodi medicamenta non proſunt, ſed nocent quoque ſtomachi rugis impacta morasque ibi trahentia. Alterantia ſunt. Hoſtem ſuum, acidum imaginarium, ubi non reperiunt, naturam, cui ſuppetias ferre debebant, turbant ac ſucceſſivè deſtruunt. Hujus cæmenti Panormitani intra tres ſeptimants ℔. vij. Medicinales deglutiendas dare terribilis eſt nec digna eleganti Medico medicatio, ac inde quid boni effectus ſibi polliceri velle, vanum eſt. Nulla calce facilius, quam illa Panormitana, nihilo pauperiores, officinæ noſtræ poſſunt carere.

Ad pag. 11. §. 8.

Quandoquidem decantatum hodie SAL EBESHAMENSE è fonte quodã proficiſci putetur, non poſſum non ea quoque his adjicere, quæ ſupra laudatus *Lentilius* allegatis *Ephemeridibus Obſ. CLXXIII.* de illis annotavit. Ab annis jam aliquot (inquit) ſub nomine SALIS PURGANTIS ANGLICI vel EPSOMENSIS laxandi fine celebrari cœpit Sal quidam amaricans, tener, cryſtallis gaudens oblongis ac cylindricis. Uncia circiter una, in jure calido ſoluta, non ſine faſtidio ſorbetur, alvo hinc pro temperamenti modulo fluidorumque corporis diſpoſitione ter, quater, quinquies & ultra ſubducta. Primum eum vidi ante ſexennium inclyto *Dn. Ottmanno* Pharmacopoeo Stuttgardienſi ſagaciſſimo ex Anglia miſſum. Poſtea, quum ante fermè quadriennium Auguſtam Taurinorum veniſſem, qui nobiſcum eodem tum utebatur hoſpitio Reginæ Magnæ Britanniæ ad Sereniſſimum Sabaudiæ Ducem Legatus *Dn. Chedwin* de hoc Sale multum prædicavit, ſic ut ex Anglia petitus etiam ibi locorum in uſum trahi reliquisque purgantibus anteferri cœperit, qua ſorte gaudent noviter in ſcenam producta, præcipue natalibus Britannicis caput extollentia medicamenta. Tum vero & ego, ne parum rei medicæ curioſus judicarer, pharmaci novi periculum facturus, juſculum uncia una hujus ſalitum potavi, quater hinc ad ſellam Patrocli vocatus. Interea temporis ejus fama in tantum adolevit, ut in omnes Europæ provincias, non modio neque trimodio, ſed pleno horreo exportetur, nec delicatior ferme quisquam aliter, in his etiam

oris

oris, quam hoc ipſo Sale, mundari geſtiat ac everti. Credebatur autem hic Sal ex *aquis mineralibus Ebeshamenſibus*, à vico *Ebesham* haud Londino procul ſito ſic dictis, encheireſi certa confieri, adeoque præ cunctis aliis virtute quanam univerſali paniatrica dotatus eſſe. Non diu gaudebat iſta tam pingui ſorte pharmacon, cætera minime ſpernendum. Etenim cum ſub incunabulis ſuis pretio ſat caro veniret, mox vili emeretur & etiamnum viliſſimo venderetur, non obſtante inſigni iſta, qua nunc diſtrahi ſolet, quantitate, ſcrupulus inde quibusdam ortus: an ex aquis illis mineralibus revera prodiret hic Sal? Nam ſi vel omnis aqua Epſomenſis nil niſi ♁ eſſet, illa tamen ſcaturigo vix tantæ prodigalitati ſuffectura videbatur. Pharmacopœus quidam Ultrajectinus, non tam hac ſuſpicione, quam ut ſumtus compendifaceret, ingenii nervos eo intendit, ut imitamentum quoddam hujus Salis excogitaret, atque cum re varie tentata finem non aſſequeretur, in conſilium adſcivit *Dn. Dippelium*, ſub *Democriti Chriſtiani* velo non ignotum, in vico Moerſen haut procul Ultrajecto ante infortunium, quod expertus eſt, habitantem. Hic, uti pollebat acri judicio, in *Sale mirabili Glauberi* ſe quod quisque à ♁. Epſomenſe ſperare poſſet, inveniſſe putavit, effectuque purgatorio eodem obſervato ſe minime falſum eſſe comprobavit. Ab eo tempore in Batavia paſſim Sal mirabile *Glauberi* paratur ac pro Epſomenſi publice, re neutiquam diſſimulata, venditatur & emtitatur. Amicus quidam mihi Stuttgardia miſit *Salis Epſomenſis deſcriptionem* ſeq. ℞. ♁. marin. ℥xvi. ☌ ☿. deſtill. ℥xx. „ Sal contuſum in vaſe ferreo torreatur, cui „ poſtea in vas figulinum immiſſo ſenſim inſtil- „ letur ☌ ☿. ſemper agitando ſpatula lignea, „ donec magma colorem & conſiſtentiam „ axungiæ rotarum induat. Affundatur aquæ „ fontanæ menſura una cum dimidia (id eſt lib. „ Vij. pond. Med.) coquendo, evaporando &, „ in crucibulo aperto calcinando, usque dum „ fluere cœperit, tunc denuo ſolve ac in aqua „ coque, usque dum ſupernatet materia ſper- „ mati ceti ſimilis. Vaſi lapideo commiſſa ma- „ teria reponatur in hypogæum cryſtallique a- „ quam decantando colligantur, quæ denuo „ inſpiſſata rurſum cryſtallos largitur. Meam „ ut mentem aperirem, nunquid ea mihi deſcriptio genuina judicaretur, Amicus iſte meus rogavit. Expenſam igitur penitius eam à dicto ♁. mirabili *Glauberi* parum vel nihil in fundamento diſcrepare deprehendebam. Quantillum enim eſt, quod ab eo differt? niſi quod *Glauberus* loco marini Sal commune recipiat, Olei ☿. ſit æquale pondus & ~ ♁. ex horum commixtione per deſtillationem evocetur: cætera ſunt eadem. Adibam heic Hagæ-Comitum *Dn. Schroederum*, Pharmacopœum Teutonicum, virum elegantem. Quærebam ex eo, an haberet Sal Epſomenſe? quidni? inquit. Fac, dico, ut videam. Promit vitrum capax ac in eo guſtandum præbet, atque contrectandum illum Salem, qui totus humebat, aliâs tamen ſaporem ſatis Ebeshamenſis exacte ſatis mentiens. Interim tamen ab eo Sale, quem & Stuttgardiæ & Auguſtæ Taurinorum videram, me quidem recordante, differebat in hoc maximè, quod hujus cryſtalli fuiſſent longe teneriores & oblongi, *Schroederiani* Salis craſſi & quadrati, quales eſſe ſolent ♁ communis. Nunquid eum ex Anglia advocaret? quæro. 1. Non, ait, ſed ipſe paro, nec enim eſt quicquam aliud quam Sal mirabile *Glauberi*, nec præter hoc datur ullum ♁. Epſomenſe. Ut mihi de rei veritate promtius perſuaderet, ſe cum cive quodam Ebeshamenſe locutum eſſe adjiciebat, qui nunquam ex ▽. mineralibus Epſomenſibus vel unicam hujus Salis drachmam prodiiſſe ſancte affirmaſſet. Ob diverſitatem tamen cryſtallorum à me deprehenſam fidem plenariam adhibere nolens litteras Londinum exaravi ad *Dn. Hankewizium*, Chymicum famigeratum, inter alia Phosphori Chymici monopolium exercentem, cujus elaborationem ſe ſolum tenere putat. Olim hic vir Illuſtr. *Dn. Boyleo* à carbonibus fuerat, Chymicus ob litteraturæ defectum, potius practici, atque ut Galli loqui amant, par la routine, quam theoreticus. Rogavi hunc, ut me certiorem redderet, nunquid Sal Epſomenſis aquæ iſti, à qua nomen mutuatur, ſuos natales deberet, an eſſet factitius, mirabili *Glauberi* aut ſimilis, aut forſan idem? Reſpondit quæ ſequuntur: Multum diſtat Sal „ Epſomenſe ab illo Glauberiano, quippe quod „ ſit concretum naturale ex aquis iſtis minera- „ libus evaporatione collectum, in quo valde „ extenſa ſunt ſalina ſpicula per terram, cui ſo- „ ciantur, homogeneam, hinc ob poroſitatem „ ſuam in minima aquæ quantitate facile ſolubi- „ le: factum ad hujus imitationem è ♁. com. „ & ☌ ☾. ob terræ paucitatem continet aci- „ dum longe magis concentratum, proinde „ poris denſioribus conſtat, hinc, ut ſolvatur, „ aquæ longe majori, triplici nempe, vel qua- „ druplici copia opus habet. Sed & ſapore mi „ rabiliter differunt. Amaritudo in Epſomen- „ ſi grata, leniter linguam feriens & ipſum ca- „ lore quodam faucibus amicum; in perſona- „ to Sale metallica auſteritas amarori juncta, „ quæ frigoris quendam ſenſum imprimat pa- „ lato. Præterea nusquam terrarum, niſi in „ Anglia, Sal iſtud reperitur. Angliæ nempe „ ſolum aluminoſum, cujus acidum debita Sa- „ lis communis proportione in aquis Epſomen- „ ſibus ſolutum hoc nobile concretum gignit, „ figura longe ſubtiliore ac teneriore, quam il- „ lud Glauberianum. Denique Sali Epſomen- „ ſi ſoluto ſi inſtilletur alcali volatile, terra quæ- „

„dam alba insigni quantitate præcipitabitur, „quorum nihil fieri comperitur in Glauberia„no vel simili. Utraque tamen Salia alvum „sollicitare negari non potest, ea restitante so„la differentia, quod Sal Epsomense contineat „acidum Sulphureo-Aluminosum mitius, mol„lius & naturæ nostræ amicius; mirabilis autē „ipsius acidum Sulphureo-Vitriolicum metal„licæ & rudioris naturæ. Hactenus *Hankewizium*. Quis jam de ingenuitate hujus Viri dubitasset? Non ego sane confirmatus in mea sententia per integerrimum *Dn. Sebam* ex eo, quod affirmaret, Salem mirabilem longe majore pretio constare, quam Epsomensem, argumento haud obscuro, istum pro hoc non nisi ab insulso Mercatore vendi posse.

At vero nuper me convenit Chirurgus egregius, Vir theoria & praxi instructus, *Dn. Neumannus*, qui nunc à tempore jam diuturno Londini fruitur & hospitio & convictu celeberrimi Medico-Chirurgi *Dn. Cypriani*, ac insuper familiariter ipsomet *Hankewizio* utitur. Hic de Sale Epsomense à me rogatus in modum seq. differebat: Sal hic non ex aquis Epsomensibus paratur, quæ Salium adeo divites non sunt, ut horum vim tantam largiri queant; quam vis talismodi Salem suppeditare possint, ac forsan ab initio, antequam medicamentum hoc tam avide expeteretur, ex illis paratus fuerit. Nec etiam est Sal mirabile *Glauberi*, quippe ab eo per qualitates, quas in epistola sua descripsit *Hankewizius*, notabiliter distans. Fit autem in lixivio Salis communis, cui filtrato admiscetur Coleothar ☉. à destillatione ☽☉. residuum, è qua mixtura coctione, evaporatione & crystallisatione generatur. Lixivium istud vocant, ait, matrem Salis (*die Salz Mutter*,) quemadmodum lixivium nitrariorum, è quo conficitur alba magnesia, appellatur mater nitri, (*die Salpeter-Mutter*.) Sal enim cibarius, addit, partim ex Indiis, partim è Lusitania & in Angliam & in Hollandiam vehitur, fœculentus adhuc multisque scatens impuritatibus, quam elutriatione cum aqua communi facta prius purificant, quam culinis admoveatur. Lixivium inde prognatum cum capite mortuo vitrioli constituit, modo dicto, Salem Epsomensem, qui vili pretio propterea venire potest, cum e re vili & abjectitia paretur; nam istud lixivium hactenus tanquam inutile rejectum fuit.

Hinc est, quod tanta ejus copia haberi possit. Sed nec istud reticebat *Neumannus*: non interrogandum à me fuisse *Hankewizium*, quippe qui sibi quæstum ex eo Sale pararet vix credibilem. Interesse igitur illius, ne quis non credat aquas Epsomenses hoc medicamentum largiri, aliter enim fors illa tam fructuosa fuerit peritura. Postremo se ipsammet præparationem non semel vidisse, adstitemque paranti *Hankewizio* fuisse affirmabat. *Dn. Seba* se aliquando bis mille libras hujus Salis Londino omnes acceptas una vice possedisse mihi fide Germana asseruit. Cæterum & hujus medicamenti fama jamjam decrescere cœpit, sic ut lucro futuro desituro cum præterito *Dn. Hankewizius* contentus esse debeat, nam indies magis illa fama minuetur, imò me stipulatore, plane exspirabit. *Sal* certe *polychrestum Seretianum*, cujus in *Miscellaneis* meis dedi descriptionem, viribus si non majoribus, iisdem tamen revera pollet, usu nunc tot annorum probatissimum. Et quid? Si omnia Salia Medica eadem dosi sumta purgarent? Ego his talibus didici carere, imo careo libenter. Nos Germani, uti semper sumus cæterorum imitatores & admiratores, ita vel Colchicum nobis futura sit panacæa, dummodo nomen obtineat panacææ vel Britannicæ, vel Gallicæ &c.

P. S.

Posteaquam isthanc observationem jam Augustam Vindelicorum misissem, navi tractoria, qui est mos regionis, Lugdunum Batavorum vectus inter alios DNN. Professores etiam Celeberrimum *le Mort* visitavi. Varios inter sermones Chymicos etiam de Sale Epsomensi orti sermones. Dicebat Vir expertissimus frustra Chymicorum aliquos de magnitudine, quadratura rudi & difficili solutione Salis mirabilis *Glauberi* conqueri, dum eum rite parare nesciant. Observata enim legitima enchiresi crystallos eum æque teneros adquirere, ac in æque tantilla aquæ portione solubilem esse, ac ipse, qui pro genuino circumfertur, Sal Epsomense. Hunc autem ultimum se parare è Sale marino cum ☉. (quæ sunt ingredientia Salis Glauberi) addita tantilla portione ☉ ♂. (cujus tamen pondus mihi non declarabat.)

Atque sic fieri Salem tenerrimum à Sale Epsomense nulla vel levicula nota distinguibilem, quin eodem plane effectu præditum, adeoque verum Salem Epsomensem. Jam igitur habemus V. Salis Epsomensis traditiones. 1. Salem ex aquis Epsomensibus. 2. Mirabilem Glauberi communi more & 3. eundem cum additione ☉ ♂. modo le Mortiano. 4. Loco Salis marini cum Sale communi. 5. Denique è Lixivio ☽. com. cum capite mortuo ☉. paratum. Quis circumspectus Practicus ejusmodi pharmacis tutò fidat?

Ad pag.

AD AVRIFODINAM MEDICAM.

Ad pag. 13. §. 8.

Quæ hic *de Alumine plumoſo* dixi, confirmat Dn. *Pitton* de *Tournefort*, Botanicorum Princeps, in *Relatione de itinere ſuo Orientali p.* 63. ubi ſe genuinum alumen plumoſum in Inſula Milo inveniſſe narrat, & quidem in faſciculis haud exiguis, è filis ſubtiliſſimis & quaſi ſericeis, tenerrimis, argenteis & ſplendentibus, ſesquidigitum fere longitudine æquantibus, conflatum, qui eundem prorſus ſaporem & indolem habebant cum alumine communi; unde quoque refellit omnes, quotquot alumen plumoſum cum lapide amiantho confundunt. Faſciculi trajiciebant lapides, qui leves admodū & teneri obſervabantur, *v. cit. loc.*

Ad pag. 29.

Auripigmentum neutiquam idem eſſe cum Arſenico flavo contra vulgarem oſtendit *Aug. Frid. Pott*, in *Diſp. Inaug. Halæ A.* 1720. *de Auripigmento* habita. Arſen. flavum enim arte parari, Auripigmentum verò minerale nativum, in Turcia, Bohemia & Luſatia ex limo quodam copioſe erui, nec venenoſum eſſe docet & ex anatome ejus fuſe probat. Striæ rubicundæ ex hac minera ſeparatæ *Sandaracham* mineralem conſtituunt, quæ pariter differt ab arſenico rubro *vid. c. 1.*

Ad eandem pag. 29.

Rusma, aliis *Lupma*, hic adjectum nemo elegantius deſcribit, quam *Eichovius* in *Itineribus ſuis*, qui *pag.* 214. ceu teſtis oculatus aſſerit Ruſma hoc non tam ex melle ad duritiem cocto, vel auripigmento arte parari, ſecundum *Bellon. Obſ. pag.* 462. & *Scalig. Exercit. C. XIV. §.* 4. quam mineram quandam eſſe, ferri excremento ſimilem, ſed leviorem, nigram & aduſtum quid redolentem. Fodina enim ipſa, unde eruitur, leviter aduſta videtur. Minera hæc Gynecæo Orientali eſt uſitatiſſima. Ruſmate enim in tenuiſſimum pulverem contuſo calcis vivæ dimidiam partem adjiciunt, in fictili aqua macerare ſinunt: hinc balneum ingreſſuræ partes genitales, quas glabras volunt, inungunt atque tamdiu inhærere ſinunt, quamdiu ovum coquitur: ita radices pilorum laxiores redditæ decidunt, parte calida aqua abluta. Hactenus *Eichovius.*

Ad pag. 30.

An *Smalta* internè data pro veneno ſit habenda? occaſione mulieris Herbornenſis, marito juſculum cum ſmalta permixtum offerentis, in Facultate Medica Giſſena aliquot abhinc annis ventilatum & affirmatum fuit. Reſponſum cum Specie facti vid. in *Corpore Juris Medico-Legali, Part. II. pag.* CCCCLIV.

Ad pag. 47.

Hyſterolithos nihil aliud quam conchas bivalvas petrefactas, aut terram vel margam in illis, tanquam in matrice, lapidefactam eſſe pluribus oſtenditur in *Ephemerid. Germ. Curioſ. Cent. III. & IV. pag.* 221. & *Cent.* V. & VI. *pag.* 204.

Ad pag. 65.

Circa *uſum Antimonii & Antimoniatorum* repeto ea, quæ in *Introductione* de medicina à Deo ex terra creata, ubivis præferenda, monui. Terribiles ſunt Chymicorum, cumprimis Antimoniatorum effectus. *Regulum* ℈. *Medicinalem*, tantopere laudatum, nuper in curatione febris tertianæ hypercathartin lethalem excitaſſe novi. *Antimonii Diaphoretici* damna recenſet *Thom. Bartholinus* in *Act. Hafnienſibus Vol. V. pag.* 25. verbis ibi: Inſtante vere ſudorifera ex theriaca, ℈. diaphoret. gr. vii. &c. filiæ ſuæ exhibuit Vir Reverendus ex officina quadam urbis petitum. Statim ſudoris loco oborta tormina ventris & anxietates, cum ſiti & ardore ingenti, qui ſedari non potuit, niſi propinata cereviſia calida. Hinc vomitus ſecutus & alvi fluxus cruentus, qui mitigatus fuit exhibita theriaca cum lacte: alia quoque ſymptomata comitabantur, lipothymiæ, extremarum partium frigus, pulſus intermittens horulæ ſpatio, convulſiones &c. Oblatis alexipharmacis ſedata omnia. Pharmacopœi ſervus cuncta legitimè præparata dicebat, nec venenum in vicinia adfuiſſe, nec mortarium impurum. Antimonium quoque optime ante 14. dies à ſe ipſo præparatum Pharmacopœus dejerabat, colore adhuc candido monſtrandum & ſine noxa à ſe ad ſcrupulum medium devorandum. Exiſtimavit vero puellam hyſtericam fuiſſe, cujus tamen affectus nulla comparebant indicia & cura per alexipharmaca & lac huic ſuſpicioni repugnat. In quem culpa rejicienda, expiſcari nequivimus. Caſus vero fortuitos nec Pharmacopœum, nec Medicum ullum præſtare poſſe, nemo ignorat. Pacis amore Vir Religioſiſſimus Deo vindictam commiſit, ſi quidem in officina culpa lateret. Convaluit enim Virgo, quanquam lento gradu & cottidiano medicaminum uſu Orbique teſtis eſt, quam periculoſa ſint medicamenta ex Antimonio male fido confecta. Summa neceſſitas me ad hoc remedii genus vix propellet. Antimonium enim & Mercurius mihi ſemper fuere ſuſpecta. Leviſſimus quippe error in præparatione commiſſus vita hominis expiatur. Hactenus *Bartholinus.* Qualis per incautam *Spiritus Vitrioli Philoſophici* (antimo-

nialis etiam proſapiæ) præſcriptionem tragœdia ſe truſerit, è Caſu judicialiter ventilato & in *Authenticis* noſtris *Medico-legalibus* inveniendo videre licet.

Ad pag. 92.

Semini Medicæ affine videtur *Semen Eſperatæ*, vulgò *Kleber-Klee-Saamen*, Anglis *Clover-Gras-Seed*, cujus anno elapſo 1719. in novellis, ceu novi cujusdam & exotici vegetabilis, e Turcia advecti mentio eſt facta. Vid. *Viridarium* noſtrum *reformatum pag.* 401. Novum tamen & Anteceſſoribus noſtris incognitum non fuiſſe, teſtatur liber Anglicus curioſiſſimus & in oeconomia utiliſſimus, cui titulus: *Adam out of Eden*, or *an abſtract of divers excellent experiments touching the advancement of Husbandry*, impreſſus *Londini* Ao. 1659. apud *Henricum Brome*. Ipſa planta, uti Medica, inſervit nutritioni & ſaginationi boum, cum fœnore inſigni. Vid. *cit. lib. pag.* 31. & ſeqq.

Ad pag. 129.

Radicibus medicinalibus addantur *Radices telephii*, amuletum *Wedelii* contra hæmorrhoides dolentes, approbatum à *Caſp. Kölichen* in *Act. Hafnienſibus Vol. V. pag.* 330. & *radices colchici*, noviſſimum & probatiſſimum ejusdem *Dn. Wedelii* amuletum & prophylacticum in malignis, aliquot abhinc annis peculiari libello laudatum.

Ad pag. 175. col. 1.

CHAQUARILLAM nec Corticem Winteranum, nec Canellam albam, ſed ſpeciem Kinkinnæ, ſc. *Kinkinnam Spuriam* (die graue China Chinæ eſſe, cum *P. Hermanno*, *Dalco* & *Apino* aſſerit *D. Nebel* in *Diſp. de Caſcarilla A.* 1717. Heidelb. habita.

Ad pag. 185.

Qua ratione *Maſtix* à lentiſco in Inſula Scio colligatur, ex inſpectione oculari refert *Tournefort*, *au Voyage du Levant, Tom. I. pag.* 144.

Ad pag. 194.

Arboris fructusque *Caffe* genuinam & optimam deſcriptionem dedit Autor Itineris Arabiæ felicis & in Aulam Regis Yemen, loci Caffe natalis, in libro Gallico: *Voyage de l'Arabie heureuſe* ejusque appendice: *Memoire concernant l'Arbre & le fruit du Caffe*, ubi & optima ejus figura occurrit, omnino ſimilis illi, quam dedit *Dn. Volckamerus* ex horto Webberiano, & in *Ephem. Germ. Curioſis Cent. III. IV. Obſ.* 168. nomine *Gelſemini Arabici, foliis Caſtaneæ*. Conf. *Viridarium* n. *Reformatum* in *Appendice Tom. II.* Hoc in ſcripto plurima circa nomen & ortum hujus potus, aliis plane indicta & incognita traduntur ab Autore erudito, quem *Galandinum* dicit *D. Roſinus Lentilius*, *Ephem. Germ. Cur. Dec. V. & VI. pag.* 156. è quo novum CAFFE genus A LA SULTANE dictum ita deſcribit: de hoc ſeqq. habet itineris Auctor, vel potius Collector, uti videtur, Dn. *la Roque*: Optimatibus Regionis Yemen alius potus Caffe modus in uſu, ipſis tantum peculiaris. Non enim fabis, ſ. potius fabaceis nucleis Caffe utuntur, ſed corticibus tantum ſeu involucris: quibus pelliculas tenuiſſimas fabæformem nucleum proxime inveſtientes Exc. *Kaempfero in Amoenit. Exot. Faſc. I. pag.* 123. furvas membranulas dictas, addunt; præparationis modū ita deſcribunt: Sumunt probè maturos cortices, quos diffractos in cymbio fictili carbonibus imponunt & inſtar Caffe torrent, usquedum parum coloris contrahunt. Eodem temporis articulo aqua in vaſe decoctioni deſtinato calefit, cumque cortex debito modo torrefactus eſt, bullienti aquæ infunditur, cum quarta pellicularum parte; tantum autem temporis ſpatium, quantum ordinaria potus Caffe decoctio, exigit. Color convenit per omnia cereviſiæ Anglicæ. Sapor eſt gratiſſimus, ſaccharo vix opus habens. Vid. plura in *App. Tom. II. Viridarii Reformati*. De alia ſpecie arboris Caffe in Inſulæ Bourbon, prope Inſ. de Madagaſcar nucleos longiores & amariores ferente, vid. *l'hiſtoire de l'Acad. Royale des ſciences Ao. MDCCXVI. p.* 42.

Ad pag. 209.

Grana Chermes ſi triduum ſibi relinquantur non exſiccata, tota fere in vermes & papiliones abire Lugduni in Gallia apud Dn. *Bertet* obſervavit *Olaus Borrichius*, Vid. *Acta Hafnienſia Vol. V. pag.* 203. quod certo eſt indicio, illa nihil aliud, quam vermium receptacula eſſe.

Ad pag. 284.

Terebinthina Veneta in Inſula Chio l. Cypro collectionem ita fieri *Turnefortius* in *itin. Orient. lit. IX. p.* 145. *Tom. I.* experientia edoctus refert: Arbores ſc. craſſiores (quarum deſcriptionem Botanicam ibi recenſet) per transverſum, à menſe Julio usq; ad Octobrem, incidunt, unde Terebinthina in lapides quadratos, illis ſubſtratos, decidens ab incolis baculis exiguis colligitur & ab in his in vaſa & lagenas deſtillari ſinitur. Hic liquor balſamum naturale & excellens conſtituit, inſigne ſtomachicum & diureticum, iis tamen, qui calculo

calculo laborant, non facile dandum, ſiquidem pejus inde ſe habent. Vid. *cit. loc.*

Ad pag. 287.

Mumias genuinas Ægyptiacas omnes ſexus ſequioris eſſe, ex Illuſtri quadam perſona, quæ Regem Sueciæ in Turciam ſecuta erat, audivi. Magnates enim in Ægypto conjuges ſuas balſamis pretioſiſſimis à corruptione præſervaturi easdem ita condiri variisque gemmis c. figuris infarciri, ungues digitorum inaurari, aliisque ornamentis involvi curabant: quæ omnia confirmat Mumia Gothana, magnis ſumptibus à Pharmacopœo *Chriſtiano Herzog* ex Ægypto obtenta & peculiari libro deſcripta, in quo plura exempla parallela occurrunt. Urnæ mumiis appoſitæ cineres Maritorum continent.

Ad pag. 296.

Sal Armoniacum, quod in panibus in Europam undique devehitur, non tam artificiale, quam nativum eſſe recentiſsimè traditum eſt in *Hiſt. Acad. Reg. Scientiarum Pariſ. A.* 1716. *pag.* 34. Probant hoc (1. à conſiſtentia duriſſima, qualis non occurrit in ☉. armoniaco per artem ſublimato. (2. à figura particularum & cryſtallorum recta, inſtar columnarum, quæ arguit ſal aliquod in aqua ſolutum & poſt evaporatam aquam remanens, qualis in floribus ſublimatis non obſervatur. 3.) à pretio tolerabili, quo obtineri non poſſet, ſi per artem pararetur, ob indicibilem quantitatem urinæ, ſalis & vaſorum requiſitorum. Hinc *Dn. Lemery* c. l. credit Sal armoniacum in Oriente iisdem fere laboribus & expenſis parari ac Sal marinum & fontanum per ſimplicem evaporationem, vel ex Sale Gemmæ juncto cum Urina animalium in Libya & Arabia; quamvis dubium adhuc ſit, unde tanta in copia ad nos adferatur.

Ad pag. 309.

Lapidis bezoartici Orientalis verum examen tradit *D. Caſparus Kölichen* in *Act. Hafnienſibus à Thom. Bartholino* editis, *Vol. V.* in *Append. p.* 327. ſeqq. Incidi nuper in ſcriptum ex Anglico idiomate in Gallicum translatum, ſine nomine Translatoris, Autoris verò nomen *Grew.* ibi in præf. legitur: Inſcriptio libri talis eſt: *Recueil d' Experiences & Obſervations ſur le combat, qui procede du melange des corps ſur les ſaveurs, ſur les odeurs, ſur le ſang, ſur le lait* &c. ubi inter alia ſcitu digniſſima ibi agitur de lapide bezoartico Orientali, quodſi nempe illi affundatur Spiritus nitri, brevi poſt tantam effervescentiam ibi excitari cum ſpuma, ſtrepitu, vapore & elevatione tanta, usquedum illa lapidis bezoartici quantitas tota ſit à Spiritu nitri diſſoluta & in colorem ſanguineum mutata, id quod veriſſimum eſt; tentavimus enim hoc examen in Pharmacopolio Beckeriano, præſente D. *Chriſtiano Foſſio*, Archiatro Regio. Drachmæ autem Lapidis bezoartici Orientalis electi affudit *Beckerus* præter propter ʒij. ☞ ℚ. & vitrum cum contentis admovit prunis, ut paulum inclareſceret, ubi illico tanta ebullitio cum ſpuma inſecuta, ut vitrum ℔j. p. c. capax vix ſufficeret, ut intra capacitatem ejus contineri poſſent hæc duo ſibi repugnantia, ubi tandem poſt abſolutam pugnam liquor rubicundiſſimus in vitro remanſit. Tentavimus idem cum lapide bezoartico factitio, ubi nihil effervescentiæ ſubortum.

Ad pag. 347.

Ova hæc *Rajarum*, vulgò ſic dicta, rectius ſecundinas illarum dici, vid. in *Amphitheatro* n. *Zootomico Tom. II. pag.* 125.

Ad pag. 348.

Lapidum cancrorum genuinorum collectionem frequentiorem obſervari hodie perhibent in Beſſarabiæ Tartaria Budziacenſi, cumprimis deſerto Walachienſi, urbi Teginæ ſive Bender non multum diſſito; quinimo in Ucrania Moſcovitica, circa fluvium Boryſtenem & Tyram, per utrosque Podoliæ terminos, regione multis magnisque fluminibus & ubertate & fertilitate cancrorum divitibus irrigua. Alveo ſuo egreſſos hos fluvios majores minoribus inde prodeuntibus & adſitis per diverſos confinium regionum tractus, fertilitatis cancrorum copiam inferre perhibent, ſi non penitus, certe utplurimum adverſari dixerunt, cancrorum conſervationi invigilant, usque dum ſuo tempore eorundem lapidum acquiſitione privatis non minus ac publicis neceſſitatibus commode ſubvenire poſſint, data ſæpius ſubordinato Magiſtratui certa horum lapidum portione in onerum publicorum pretium. Obſervatis exacte iis menſibus, quibus cancri communiter bonitate diſtinguuntur, Boryſtenis & Tyræ, hincque proſilientium & quacunque ratione cancrorum copia divitium fluminum accolæ, omnium primò vaſtis deſertisque & ab omnium hominum conſortio remotis locis ſe inſinuant, ibidemque aut quocunque ſolitario loco fieri poteſt, foveas præparant, quarum profunditas ſexaginta circiter aut ſeptuaginta, latitudo vero decem, quindecim aut viginti pedibus adæquet: Iis, qua fieri poteſt, diligentia, incredibili copia obtentos captura cancros infarciunt & haud aliter ac uvas pedibus conculcando, interdum pro

contritione certiore obtinenda adaptata tudete lignea, corpora eorundem concutiendo ac enecando foveis & deserto relinquunt, domus suas repetentes, quas ad triginta interdum milliariorum spatium abhinc dissitas habere dicuntur, eapropter abditorum ac remotorum sylvarum recessuum amatores, ne gravis ex omnibus & interdum funestus, qui ex putrefactione cancrorum diffunditur, fœtor sanitati officiat. Hac ratione foveis immissa Gammarorum multitudo quibuscunque cœli tempestatumque injuriis patet, usquedum post superatas hyemis asperitates, vernali tempore auspice, superioris laboris cursum relegere liceat operi intentis his hominibus, qui illuvie, situ ac sordibus coinquinatas in foveis reliquias, quo longius ab his recesserunt, eo curatius fluviis, quos proximos habent, advehunt, in quibus excussorio cribro inquinamenta repurgando tandem lapidum admirabilem copiam, in laboris præmium, ex voto obtinet inops aliàs & egena gens, in angustia sua hoc thesauro locupletior reddita. Hæc per Tartariam Oczavienſem, Regnum Astracanum, Palatinatum Kiecienſem & Witepskienſem lapides hos extrudit venales, unde tum ingenti copia Regiomontanorum, Gedanenſium, Uratislavienſium & tot mercatorum manibus communis committitur merces; quæ omnia ex appulſis Uratislaviam Mercatoribus & Recutitis perunctatus est *D. Gothofredus David Mayerus*. Vid. *Ephemerid. Acad. Cæsareo - Leopoldino-Carolinæ Nat. Cur. Ann. VII. & VIII. Obſ. LXXX. pag.* 447.

Ad pag. 362. §. 5.

De GUTTIS ANGLICIS, quarum in hac theſi circa finem mentio facta eſt, notari merentur, quæ Dn. *Lentilius* in *Ephemerid. Acad. Naturæ Curioſorum Ann. III. & IV. Obſerv. CLXXIV.* communicat ſeqq: DN. *Neumannum*, Chymicum nuper ex Anglia advenam, qui jamdiu Londini moratus eſt, eoque rurſum redibit, inter alia rogavi: an GUTTÆ ANGLICÆ (*les goutes d' Angleterre*) adhuc in iſtis Inſulis multo in uſu eſſent? Ipſe ne quidem nomen ſibi notum eſſe reſpondit, argumento novo, ab Exteris haut raro pluris æſtimari medicamenta nomen regionis præ ſe ferentia, quam ab ipſismet illius regionis indigenis. Poſtea vero quam ipſi rem prolixius declamarem è nupero diſcurſu cum ipſo habito intelligens quod *Hiſtoriam Academiæ Regiæ ſcientiarum* legiſſet, nempe in ejus quodam tomo guttas illas deſcribi: Jam earum, inquit, recordor, deſtillantur nempe è Serico crudo: nonnunquam cum ℞. Cinnamomi rectificantur, ac in deliquiis hyſtericis conſimilibusque inſultibus odoramenti loco inſerviunt, quas frequenter ipſe paravi, quippe *Tournefortio* familiaris; at verò (pergit) nullus de his amplius Londini ſermo, ita ut vel ipſum nomen nequidem audiatur. Interim mirum eſſe dicebat ſericum crudum ſpirituum copiam tantam largiri, quantam nec ipſum cornu cervi præbeat.

Nihilominus cum & in Italia & Germania noſtra paſſim adhuc guttæ illæ concelebrentur, non incurioſum fore duxi, ſi & de his mihi quædam competta notarem.

Sic autem ex *Memoir. de l' Acad. des Sciences Ao.* 1700. *p.* 95. in Latinum traductæ ſonant: „Spiritus ſerici volatilis cum Oleo Cinnamo„mi, aut cum alio quodam oleo eſſentiali re„ctificatus illud ſuppeditat, quod appellatur „*les veritables Goutes d' Angleterre.* „*Liſterus* Regiæ Societatis membrum, Londi„nenſium Medicorum haut equidem poſtre„mus, mihi communicavit illud ſecretum, „quod in Anglia adhuc cautè occultatur. Ex„perientiæ debetur guttas illas, id eſt Sal vola„tile ſerici rectificatum & ſuaveolens factum „cum oleo quodam eſſentiali in affectibus ſopo„roſis multum valere, nec non in variis deli„quiis, uſu tam in-quam externo odoratorio. „Nec tamen eas præparatis è Cornu Cervi, Sa„le Ammoniaco, Spiritibus vel Salibus volati„libus Oleoſis uſualibus præferendas judicem, „niſi forte quoad odorem, qui tam gravis ac „tetricus non eſt, adeo, ut magis hæ guttæ de„licatioribus ægris convenire queant. Hucus„que *Acta Regiæ Academiæ.*

Sed verò longe alia deſcriptio nobis exhibetur in Epiſtola à DN. *Biet*, Pharmacopæo Regio Pariſienſi primario, ad *Dn. Lebratium*, Pharmacop. Lugd. Allobr. d. 29. Apr. 1713. exarata, cujus rurſum verba in Latium traducta „ſunt ſeqq. Plures circumferuntur compo„ſitiones ſub guttarum Anglicarum titulo, „quibus ille falſo tribuitur, interdum etiam „non ſine decumbentium noxa propinatis. „Præferenda autem omnino eſt noſtra illis „omnibus, quæ vel ex ſerico, vel araneis vel „aliunde deſumuntur. Inventor primus *Gott„waldus*, Medicus Londinenſis, qui CARO„LUM II. Regem, ab omni ope humana de„relictum, hujus medicamenti virtute mortis „faucibus eripuit. Compoſitionem Rex dictus „à *Gottwaldo*, licet ægerrime, obtinuit pretio „25000, Imperialium, fide tamen ſilentii prius „ſtipulata. Deſcriptio talis eſt:

„ ℞. *Raſ. cran. hum.* ſuſpenſi de laqueo
„ aut violenta morte extincti ℔ *V.*
„ *Viper. exſicc.*
„ *Raſ. CC.*
„ *ebor. an. lib.* ij.

„Fiant omnium tres partes æquales ex totidem „retortis igne reverberii deſtillandæ, cautelis „illis adhibitis, quas in deſtillatione CC. vel „viper. adhibere par eſt, idque ad ſiccitatem.

Poſtquam

Poſtquam retortæ refrixerint, affuſa Spiritus „ deſtillati portione ☉. vol. parietibus colli re- „ tortæ affixus, ſolvatur; hinc vitro capaci, „ quod evocatum eſt, infuſum per chartam „ emporeticam filtretur, ut ♁. inutile ſepare- „ tur. Liquor filtratus per retortam vitream „ ex ♋. deſtilletur, cui adaptanda eſt alia vitrea, „ quæ pro excipulo inſerviat, commiſſuris pro- „ be lutatis. Fiant cohobia tria, ſemper ad- „ mixto Sale retortis adhærente, quantum ejus „ poteſt ſeparari. Poſt deſtillationem tertio „ factam liquor, qui tranſiit, omnis infunditur „ in cucurbitam proceram, cui imponitur a- „ lembicus cum excipulo parvo, junctu ris o- „ mnibus veſica madida probe munitis, impo „ natur cucurbita igni arenæ leni, ſublimabitur „ tunc adhærens capitello Sal volatilis: augea- „ tur △. & tranſcendet Spiritus illum Salem „ diſſoluturus, quo ſoluto cucurbitam ſtatim „ ab △. remove, ne plus liquoris tranſcendat, „ quæ encheireſis eſt prora & puppis totius de- „ ſtillationis, atque ſic ſeparatæ ſunt guttæ. Do- „ ſis eſt à gutt. vij. ad L. in affectibus Soporoſis, „ febribus malignis, variolis &c. Reperitur „ hæc Epiſtola in *Memoir. de Trevaux* 1713. *Aouſt p.* 1049. Eo vero libentius utrasque deſcriptiones hic addidi, quod utrique libri non in omnium manibus, in Patria præcipue noſtra, habeantur.

Utra deſcriptio ſit vera? quis determinare auſit; Tutius à medicamentis abſtinetur, quorum deſcriptio minus exacte cognita. Sapio, quantum ad me, piſcator ictus, ictibus vipetinis medicamentorum Mercurialium, quæ mihi à Viris quoque Celeberrimis adeo fixata laudabantur, ut ſalivam nullo modo, diuturno licet uſu, ſint motura: moverunt tamen, cum ægrotorum alibi degentium periculo, qui à me, nihil tale metuente, non moniti, regimine ſalivationi debito ſibi non ſatis cavebant. Alias ultima hæc *Bieti* Guttarum Anglicarum deſcriptio cum *Spiritu bezoardico Buſſi* magnam affinitatem debet, nec medicamentum aut nuile prorſus, aut periculoſum judicandum exiſtimem. Id modo dico certitudine ne quidem morali nos tutos eſſe poſſe, an, quod deſcripſimus, idem ſit illud, quod ſub GUTTARUM ANGLICARUM nomine celebratur.

Ad pag. 362.

Quoad *araneos* curioſum eſt Gallum quendam *Monſr. Bon ſericum è tela araneorum* paraſſe, ad texenda tibialia & ſimilia ſatis aptum; quem ſecutus eſt DN. *Reaumur*, Societatis Regiæ ſcientiarum Pariſienſis Membrum, teſtibus *Ephemeridib. dictæ Societatis, Anni* 1710. Utriusque præparationem aliaque huc pertinentia habet *Nicolaus Lemery au Dictionaire des Drogues ſimples pag.* 40. *verb. ſegq.*

Maniere de préparer la Soye des Araignées.

Après avoir fait ramaſſer douze ou treize onces de ces coques d'Araignées, Monſieur Bon les fit bien battre pendant quelque tems avec la main & avec un petit bâton, pour en faire ſortir toute la pouſſiere, on les lava enſuite parfaitement dans de l'eau tiede juſqu'à ce que l'eau en ſortit nette: on les mit enſuite tremper dans un grand pot avec de l'eau de ſavon, du ſalpêtre & un peu de gomme Arabique, on mit bouillir le tout à petit feu pendant deux ou trois heures, on relava enſuite toutes ces coques d'Araignées avec de l'eau tiede pour en bien ôter tout le ſavon, on les laiſſa ſecher, on les fit ramolir un peu entre les doigts pour les faire carder plus facilement par les cardeurs ordinaires de la ſoye, excepté qu'on fit pour cette ſoye d'Araignée des cardes beaucoup plus fines, on eut par ce moyen une ſoye d'un gris tres particulier; on peut la filer aiſément, & le fil qu'on en tire eſt plus fin & plus fort que celui de la ſoye ordinaire.

La difficulté ſe reduit donc à avoir un aſſez grand nombre de coques d'Araignées pour en faire des ouvrages conſiderables, M. Bon établit des preuves pour convaincre, que les Araignées fourniroient plus de ſoye que les vers à ſoye à cauſe de leur fecondité; car elles multiplient beaucoup plus que les papillons des vers à ſoye, & chaque Araignée pond ſix ou ſept cens œufs, au lieu qu'un ver à ſoye n'en fait qu'une centaine, encore en faut-il rabattre plus de la moitié, à cauſe que ce ver eſt ſujet à pluſieurs maladies, & il eſt ſi delicat qu'un rien l'empêche de faire ſa coque; au contraire, les œufs de l'Araignée éclоſent ſans aucun ſoin dans les mois d'Août & de Septembre, quinze ou ſeize jours après qu'ils ont été pondus, & celles qui les ont faits meurent quelque tems après. Pour les petites Araignées qui ſortent de ces œufs, elles vivent dix à onze mois ſans manger, & ſans diminuer ni groſſir, ſe tenant toûjours dans leur coque juſqu'à ce que la grande chaleur les oblige de ſortir & de chercher leur nourriture.

Si donc on pouvoit trouver le moyẽ de nourrir dans des chambres de petites Araignées, on auroit beaucoup plus de coques de cet inſecte que de celles des vers à ſoye, ayant toûjours vû, dit M. Bon, que de ſept ou huit cens petites Araignées il n'en mouroit preſque point dans une année, qu'au contraire de cent petits vers à ſoye, il n'y en avoit pas quarante qui fiſſent leurs coques.

On met les Araignées à jambes courtes dans des cornets de papier & dans des pots; on couvre ces pots d'un papier percé de trous d'épingle, auſſi-bien que les cornets, afin qu'elles ayent de l'air; on leur fait donner des mouches pour

leur nourriture, & l'on trouve quelque tems après qu'elles ont fait leurs coques, que treize onces de cette ſoye rendent presque quatre onces de ſoye nette.

On n'auroit pas grand' peine, pourſuit M. Bon, à trouver de ces coques d'Araignées, s'il étoit permis d'entrer dans toutes les maiſons où l'on en voit aux fenêtres, il eſt aiſe de conclurre qu'on en trouveroit aſſez dans tout le Royaume pour en faire de grands ouvrages, & que la nouvelle ſoye, que je propoſe, eſt moins rare & moins chere que n'étoit la ſoye ordinaire dans ſon commencement, d'autant mieux que les coques d'Araignées rendent à proportion de leur legereté, plus de ſoye que les autres : en voici la preuve, treize onces en donnent près de quatre onces de ſoye nette, il n'en faut que trois onces pour faire une paire de bas au plus grand homme, ceux que j'envoye (c'eſt toûjours M. Bon qui parle) ne peſent que deux onces & un quart ; & les mitaines environ trois quarts d'once, au lieu que les bas de ſoye ordinaire peſent ſept à huit onces.

Les bas de ſoye & les mitaines dont il eſt parlé, & que nous avons vus, touchez & examinez à Paris dans l'Academie Royale des Sciences, peu de tems après qu'ils eurent été travaillez par ordre de M. Bon à Montpellier, étoient forts & auſſi parfaits, que ceux qu'on auroit faits avec de la ſoye ordinaire, preſqu'auſſi beaux, polis & luſtrez, d'une couleur griſe agréable, aprochante du gris de ſouri ; cette coleur étoit naturelle à la ſoyé des Araignées, mais il ne faut pas douter qu'ayant été lavée avec de l'eau de ſavon, dans laquelle on avoit fait diſſoudre du ſalpêtre & un peu de gomme Arabique, elle n'eût aquis par-là plus de luſtre & un certain éclat. On la devida alors, on la fila & on la travailla comme la ſoye tirée des vers à ſoye.

Juſqu'ici j'ai parlé des obſervations de M. Bon. Monſieur de Reaumur de l'Academie Royale des Sciences de Paris, a auſſi travaillé ſur les Araignées, dont il avoit ramaſſé & nourri un très-grand nombre, il a auſſi fait une ſavante Diſſertation ſur ce ſujet, qu'on verra raportée dans les Memoires de l'Academie Royale des Sciences*; j'en ferai ſeulement ici l'extrait, afin que le Lecteur puiſſe mieux juger de la difference & de la juſteſſe des faits.

M. de Reaumur ſoûtient donc qu'il n'eſt pas poſſible de nourrir avec des mouches ſeules autant d'Araignées qu'il en faudroit pour fournir de ſoye aux Manufactures établies : de quelle adreſſe, dit-il, faudroit-il ſe ſervir pour prendre chaque jour une auſſi grande quantité de mouches, que celle qui ſeroit néceſſaire pour l'entretien de ce vil inſecte ? Toutes les mouches du Royaume ſuffiroient à peine pour nourrir aſſez d'Araignées qui puſſent faire une quantité de ſoye peu conſiderable.

* de l'Année 1710.

Le naturel vorace des Araignées montre aſſez que leur nourriture ne doit pas être tirée des plantes, qu'ainſi ni les feuilles, ni les fleurs, ni les fruits, ne doivent pas être propres a les nourrir. M. de Reaumur n'a pas laiſſé de tenter ces ſortes d'alimens pour n'avoir pas à ſe reprocher d'avoir negligé quelque choſe, & parce qu'il ſavoit qu'en matiere d'experience il arrive ſouvent ce qu'on ne croyoit pas devoir arriver ; mais tout ce qu'il a éprouvé en ce genre n'a point été une nourriture pour cet inſecte : il avoit pourtant bin crû que les mouches n'étoient pas le ſeul aliment qu'on pût donner aux Araignées ; car quoique celles qui font leur toile dans les angles des murs & dans les jardins en vivent, il avoit obſervé plus d'une fois qu'elles mangent également les autres inſectes, lors qu'ils s'embarraſſent dans leurs toiles ; les Araignées qui habitent des trous dans de vieux murs lui avoient encore mieux apris que tous les inſectes leur étoient propres ; car ayant ſouvent viſité de pareils trous, il y avoit trouvé des cadavres de divers inſectes, comme de cloportes, de chenilles, de papillons. Il ne ſembla donc plus à M. de Reaumur, s'agir que de trouver une eſpece d'inſecte dont on pût avoir commodément le nombre qu'on voudroit, les ſeuls vers de terre lui parurent avoir cet avantage : il y en a des quantitez prodigieuſes, les jardins & les champs en ſont remplis ; à la verité il n'avoit jamais trouvé de ces vers dans les trous des Araignées, ni dans leurs toiles ; mais ces inſectes rampans ſur la terre & ayant aſſez de force & de peſanteur, il étoit également impoſſible quils ſe fuſſent jettez dans ces filets & dans ces trous, & que les Araignées les y euſſent tranſportez. Il me parut donc, dit M. de Reaumur, qu'il n'y avoit point de nourriture dont je dûſſe me promettre davantage de réuſſite ; l'experience ne trompa pas mon attente, ayant renfermé dans des boëtes pluſieurs groſſes Araignées de diverſes eſpeces qui avoient paſſé l'hyver, car il y en a qui vivent pluſieurs années, je leur donnai des morceaux de vers & les conſervai en vie par ce moyen.

Je tentai enſuite, pourſuit M. de Reaumur, diverſes ſortes de viandes pour voir ſi elles ne ſeroient point également propres à les nourrir, mais je ne vis pas qu'elles s'apliquaſſent deſſus, peut-être parce que le naturel feroce des Araignées veut être excité par des animaux vivans.

J'imaginai cependant une autre nourriture qui ſupplée aparemment à cet avantage par le goût exquis que les Araignées y trouvent. Les jeunes Araignées qui ne font que d'abandoner leurs coques, la préferent à toute autre ; je ne l'employai qu'à cauſe du raport qu'elle me parût avoir avec la chair tendre & molle des inſectes que les Araignées ſuccent ; elle conſiſte

dans

dans cette ſubſtance qui ramollit les plumes des jeunes Oiſeaux, avant qu'elles ſoient parvenues à leur parfait acroiſſement : on a remarqué ſans doute que lorſqu'on a arraché de ces jeunes plumes, elles ſont ſanglantes par le bout; que le tuyau eſt mou alors; ceux qui ſe ſeront de plus donné la peine de preſſer ce tuyau, ou de le diſſequer, l'auront trouvé rempli d'une ſubſtance tendre & garnie d'un grand nombre de vaiſſeaux qui laiſſent échaper du ſang lorsqu'on le coupe. Aprés avoir arraché de ces plumes à des Pigeons jeunes & vieux, je les diviſois en petits morceaux de demi ligne, ou d'une ligne de longueur, je les donnois aux Araignées qui s'en accomodoient fort; les jeunes ſour tout que j'avois gardées dans leurs coques, & qui en étoient ſorties depuis peu, ſembloient les préferer à toute autre nourriture; j'en voyois quelquefois cinq à ſix aſſemblées ſur un même morceau de plume que chacune ſuçoit du côté où il avoit été coupé.

Juſqu'ici, pourſuit M. de Reaumur, tout paroît aller à merveille pour les Araignées, voici des nourritures ſimples dont il ſemble qu'il etoit ſeulement queſtion; peut-être en trouveroit-on d'autres auſſi commodes, même parmi les inſectes, pendant qu'on ſe ſerviroit de celles-là qui ne ſont pas plus difficiles à trouver que les feuilles de Meurier qu'on donne aux vers à ſoye : mais nous allons voir qu'il y aura beaucoup à décompter, lorſqu'il s'agira de lever aſſez d'Araignées pour fournir de ſoye les Manufactures.

D'abord que les jeunes Araignées abandonnent la ſoye qui les envelopoit, elles paroiſſent de bonne intelligence : elles travaillent de concert à une même toile, les unes étendent de nouveaux fils ſur ceux que les autres avoiẽt déja fournis, mais cette union ne dure pas long-tems; Mr. de Reaumur diſtribua en differentes boëtes quatre à cinq mille Araignées auxquelles il avoit vû abandonner leurs coques; ces boëtes avoient à peu pres la longueur & la largeur d'une carte à jouer : comme il avoit obſervé que ces petits animaux s'attachoient en verre qui couvroit ces boëtes, il leur avoit à chacune une ouverture à une ligne de diſtance de ce verre, par lequelle il faiſoit entrer une carte, qu'étoit a puyée ſur la gargeur de la boëte: cette carte bouchoit aſſez exactement l'overture pour empêcher les Araignées de s'échaper; & c'étoit ſur cette même carte qu'il mettoit la nourriture qu'il avoit trouvée leur être propre : il avoit eu la précaution de faire un grand nombre de trous a cette carte, afin que par ce moyen on pût donner à manger à beaucoup d'Araignées en très-peu de tems; on les voyoit les premiers jours chercher cette nourriture avec empreſſement, & pluſieurs s'attachoient au même morceau de plume; mais leur naturel feroce ſe declara bien-tôt, les plus groſſes prirent goût à manger les plus petites, & chaque fois, dit M. de Reaumur, que je les regardois, j'en voyois une petite qui étoit devenue la proye d'une un peu plus groſſe, & au bout de quelque tems à peine m'en reſta-t-il une ou deux dans chaque boëte. Les groſſes Araignées ſe battent quelquefois quand elles ſe rencontrent, mais elles ſe mangent beaucoup moins les unes les autres que les petites, ſoit parce qu'elles ont moins beſoin de nourriture, ou qu'étant plus peſantes elles ont moins de facilité à ſe remuer.

Aparemment que l'inclination qu'elles ont à ſe manger les unes les autres, eſt en partie la cauſe de ce qu'il y a ſi peu d'Araignées à proportion de ce qu'il devroit y en avoir, faiſant une quantité d'œufs ſi prodigieuſe.

Il ne ſembleroit donc reſter d'autre parti à prendre pour élever des Araignées que de les loger ſéparement; on pourroit, par exemple, avoir des boëtes diviſées en pluſieurs petits compartimens, qui formeroient pluſieurs cellules; mais de donner à manger à chacune de ces Araignées ſéparement, engageroit à des dépenſes peu proportiennées au profit qu'on en tireroit : on pourroit en venir-là ſi nous n'avions la ſoye des vers d'une maniere infiniment plus commode.

La neceſſité où l'on eſt de diſtribuer les Araignées dans les cellules, jette encore dans un autre embarras, qui ne diminue pas peu l'avantage qu'elles ont ſur les vers du côté de leur fecondité; car pour profiter de cet avantage, il faut pouvoir garder un grand nombre d'œufs qui ayent été fecondez par l'accouplement, & pour cela il faut mettre neceſſairement des Araignées enſemble; je ſai bien, pourſuit M. de Reaumur, qu'il eſt un tems où il ſe doit faire chez ces inſectes une douce fermentation, qui leur ôte leur ferocité naturelle, & qu'on pourroit alors les mettre enſemble ſans aucun riſque; mais comment connoître préciſement ce tems qui doit préceder de peu celui où elles ont envie de faire leurs œufs? Il ſeroit aiſé à trouver, ſi elles faiſoient toutes ces œufs à peu près dans les mêmes jours de l'année, mais il y a pluſieurs mois de difference entre le tems que les unes pondent, & celui où les autres pondent, & celui où les autres pondent à leur tour.

La fecondité des Araignées, comme M. Bon l'a obſervé, eſt prodigieuſe, mais après tout, dit M. de Reaumur, les vers ſont feconds de reſte quand on ſupoſeroit, quil's ne font qu'environ cent œufs, deſquels à peine quarante donnent des vers qui faſſent leurs coques, au lieu que les Araignées produiſent ſix à ſept cent œufs.

Quoique j'aye remarqué dans tous les vers que j'ai élevez, pour faire une exacte comparaiſon de leur ſoye avec celle des Araignées,

qu'ils ont toûjours donné au moins trois ou quatre cens œufs ; il eſt aiſé de voir, qu'on peut multiplier le nombre des vers autant qu'on voudra, ſi cela dependoit ſeulement de la quantité de leurs œufs, il n'en faut point d'autre preuve que la quantité de ſoye qu'ils fourniſſent aujourd'hui à l'Europe, où il n'y avoit autrefois aucuns vers.

Il ſemble donc juſqu'ici, pourſuit M. de Reaumur, que les vers l'emportent de beaucoup ſur les Araignées par la facilité qu'on a à les élever, & par conſéquent qu'on doit peu ſe promettre de la nouvelle ſoye, ſi elle n'a quelque autre avantage ſur l'ancienne ſoye, par ſa beauté ou par ſa force, ou par la quantité qu'on en peut tirer.

On pourrit avoir des ſoyes d'Araignées plus differentes par leurs couleurs, que ne l'eſt celle des vers, qui eſt toûjours aurore ou blanche, au lieu que les coques d'Araignées en donneroient de jaune, de blanche, de griſe, de bleu celeſte, & d'un beau brun caffé. Les Araignées qui donnent la ſoye de couleur de caffé ſont rares, on n'en trouve guére que dans quelques châps de genêts, où l'on trouve auſſi de leurs coques dont la ſoye eſt très forte & très belle. Elles ſont formées fort differemment de toutes les autres coques d'Araignées ; les œufs ſont renfermez dans la ſoye brune, qui eſt devidée aſſez lâchement au tour, comme dans toutes les autres coques : mais cette ſoye brune eſt enveloppée elle-même d'une autre coque de ſoye griſe, dont le tiſſu eſt très-ſerré, aſſez épais, & ſemblable à ce qui reſte ſur la coque d'un ver à ſoye lorſqu'on l'a devidée en partie.

Les Araignées font leurs œufs dans les coques où ſe trouve la ſoye qui les envelope, pluſieurs mois de l'année ; elles y travaillent non ſeulement au mois d'Août & de Septembre, comme M. Bon l'a remarqué ; mais il y en a qui font ces coques dès le mois de Mai, & d'autres les font dans les mois ſuivans ; ce ſont celles qui ont paſſé l'hyver qui pondent de ſi bonne heure : & M. Bon n'a ſans doute prétendu parler que de celles qui ſont écloſes au printems, car elles font leurs beaucoup plus tard que les précedentes.

Les deux ſortes de fils des Araignées ne different l'un de l'autre que par le plus, ou le moins de force ; & il eſt bon d'expliquer comment les Araignées font ces deux ſortes de fils, ſelon qu'il leur plait ; je ſupoſe, dit M. de Reaumur, qu'on ſait que les Araignées ont près de leur anus divers mamelons, qui ſont autant de filieres dans leſquelles ſe moule la liqueur qui doit devenir de la ſoye, lorſqu'elle ſe ſera ſechée apres être ſortie par ces filieres.

Les Araignées dont la ſoye eſt propre aux ouvrages & desquelles il s'agit ici, ont ſix de ces mamelons, dont quatre ſont très ſenſibles, mais les deux autres le ſont moins ; & on ne les diſtingue pas aiſément ſans le ſecours de la loupe ; ces deux petits mamelons ſont poſez chacun proche de la baſe des deux gros qui ſont les plus près de l'anus ; chacun de ces ſix mamelons, ou plûtôt de petites filieres inſenſibles, il en ſort ſept à huit d'un même mamelon : il eſt aiſé de comprendre comment les Araignées font des fils plus ou moins gros quand il leur plaît ; car non ſeulement lorſqu'avant de commencer à filer, elles appliquent contre quelque corps plus ou moins de ces ſix mamelons ſenſibles de leur anus, mais ſelon qu'elles les appliquent plus fortement ou une plus grande partie de chacun de ces mamelons, elles font des fils compoſez d'un plus grand nombre d'autres fils, & par conſéquent plus forts & plus gros.

Il doit y avoir environ dix-huit fois plus de fils tels qu'ils ſortent des filieres qui compoſent un des fils des coques, qu'il n'y en a dans ceux des toiles, ſi la quantité des fils qui compoſent les uns & les autres eſt proportionnée à leur force ; car ajant colé un poids de deux grains à un fil de toile, il l'a ordinairement ſoûtenu ſans rompre, & s'eſt rompu lorſque je lui en ai attaché un de trois grains, au lieu que les fils des coques ſoûtiennent environ trente-ſix grains, & ils ne ſe caſſent que lors qu'on les charge d'un plus grand poids.

Mais ſi les fils des coques d'Araignées ſont plus forts que les fils des toiles, ils ſont auſſi plus foibles que ceux des vers, quoique dans une moindre proportion ; la force des fils que je devidois de deſſus ces dernieres coques a été ordinairement juſqu'à ſoûtenir un poids de deux gros & demi ; ainſi la force d'un fil de coque de vers, environ comme un eſt à cinq ; c'eſt peut-être encore là un des endroits par lequel l'ancienne ſoye pourra paroître avoir quelque avantage ſur la nouvelle.

E *Serico* hoc *Aranearum* non minus ac ex vulgari ſerico Sal volatile pro Guttis Anglicis deſtillari poſſe nullus dubito.

ICHNOGRAPHIA STADII STUDIIque MEDICI.

STUDIOSUS MEDICINÆ (ciat vel addificat)

I. INSTITUTIONES seu PRIMA ARTIS FUNDAMENTA quorum

PRÆLIMINARIA docent

1. *EXISTENTIAM*, nobilitatem & dignitatem Artis, cum prærogativis omnibus, tam è Sacris, quam profanis, de quibus Vid. *Mantii* Herma & *Gorrissus* de Medicina contemta.
2. *ORIGINEM* & progressum, quatenus à Deo Adamo concreata, per Judæos in Ægyptum translata indeque ad Græcos, Latinos & alias gentes propagata est.
3. *ESSENTIAM* per definitionem è genere & differentia specifica constantem, quæ posterior à subjecto & fine petitur & eleganter expeditur in *Laurembergii* porticu Æsculapii.
4. *DIVISIONEM* in SECTAS, tam *ANTIQUAS*, quales sunt, *Empirica*, *Methodica*, *Dogmatica*, quam *MODERNAS* sc. *Dogmatico-Chymicam*, *Dogmatico-Mechanicam* & *Eclecticam*; quarum SCRIPTORES vid. in *Conringii* Introduct. ad Med. *Lindenio* renovato *Mercklini* & *Lipenii* Bibliothecis Medica Reali.

PARTES PRINCIPALES, quæ sunt σύνολα seu METHODUS CONSERVANDI sanitatem & ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΗ seu METHODUS MEDENDI à *Wales* & *Hoffmann.* trad.

PARTES MINUS PRINCIPALES
- Antecedentes: PHYSIOLOGIAM, quam novissime è *Bohnio*, *Bergero*, *Pitcarnio*, & aliis dedit *Dn. Teichmeierus* in El. Anthropolog.; PATHOLOGIAM solidè reformatam à *Baglivio*, *Stahlio* & quoad febres *Sydenhamio*.; SEMIOLOGIAM, in qua Diagnosin morborum *Sodocus Lommius*, Prognosin *Hippocrates*, utramq; *Fienus* & *Bell.*
- Consequentes: DÆTETICAM generaliter tradità à *Quercetano*, specialiter ab *Hippocr.* de victu in acut. & *Horstio* de tuenda San. Sa.; PHARMACEUTICAM exhaustà, ferè à *Schroedero*, *Junckio* & quoad Chymiam à *Barnero*; CHIRURGICAM ab *Hippocrate*, *Celso*, *Fabritio ab Aquapendente*, *Hildano*, van *Solingen* & *Heistero* traditam.

TRACTATIO in

PHYSIOLOGIA considerat *RES SECUNDUM NATURAM* 1. *Sanitatem* 2. *Causam Sanitatis* & 3. *Accidentia Sanitatis*, in *REBUS NATURALIBUS* 1. *Elementis*. 2. *Temperam.* 3. *Pa[rtes]*. 4. *Hum.* 5. *Spiritib.* 6. *Facultatibus.* 7. *Functionibus*, quæ vel vitales, vel anim. vel genitales sunt.

PATHOLOGIA tractat *RES PRÆTERNATURAM* 1. *Morbum* ejusque differentias, tam essentiales, quam accidentales. 2. *Causas morbificas*, quæ vel *internæ* & propinquiores, vel *externæ* & remotiores sunt. 3. *Symptomata* tam *vulgaria* sc. Actiones læsæ, Excreta & Retenta læsa, vel qualitates externas læsas, quam *urgentia* { 1. Dolorem nimium. 2. Vigil. nimias. 3. Evac. nimias.

SEMIOLOGIA tradit *SIGNA* *Diagnostica* { Certa / Conjecturalia, è pulsu, urina, lingua variisque circumstantiis haurienda. *Prognostica*, morbi eventum, tempus & modum indicantia.

HYGIEINE seu METHODO CONSERVANDI SANITATEM similia similibus conservat, pro diversitate ætatis, sexûs, vitæque statûs.

THERAPEUTICA seu METHODO MEDENDI { ORDINARIA morbum removet, secundum III. *Indicationes*, quarum 1. Causas externas. 2. Causam intern. material. 3. Causam formalem respic. / EXTRAORDINARIA ratione { Indicat. ordine inverso Symptomatibus urgentibus satisfacit. / Remediorum insolitorum *cura Sympathetica* & *Transplantatoria* utitur.

DIÆTETICA usum VI. *RERUM NONNATURALIUM* docet, sc. 1. Aeris. 2. Cibi & potus. 3. Motus & quietis. 4. Somni & Vigiliarum. 5. Excrerorum & retentorum. 6. Passionum anim.

PHARMACEUTICA de Medicamentorum Facultatibus, Præparationibus & Compositionibus, sive Galenicis, sive Chymicis eorumque Dosi legitima sollicita est.

CHIRURGIA morbos curat per { INSTRUMENTA ab *Hildano*, *Pareo*, *Fabritio* ab *Aquapendente*, *Cornelio van Solingen* & cumprimis *Scultetо* depicta. / OPERATIONES 1. Synthesin. 2. Diæresin. 3. Aphæresin & Exæresin. 4. Diorthosin. 5. Prosthesin.

II. MATERIAM MEDICAM tradentem Medicamenta

OFFICINALIA

EVACUANTIA
- UNIVERSALIA: *PURGANTIA*, tam *mineralia*, ut ☿. dulc. quam *vegetabilia*, ut rad. jalappæ, helleb. nigri, rhabarbari, fol. sennæ.
- PARTICULARIA: *DIAPHORETICA*, quæ vel { *Fixa*, ut terræ sigillatæ, pulv. bez. Anglicus, Pannon. ruber, antipleuriticus, ☽. diaphoret. antihect. Poterii. CC. sine △. / *Volatilia*, ut Sal volatile CC. Succini, Viper. Lumbricorum, Spiritus CC. ♎*. Tinctura bezoartica.
- *DIURETICA & LITHONTRIPTICA*, sive *mineralia*, ut acidulæ, nitrum, sive *vegetabilia* & *animalia*, ut talia fixa, Tinct. ♀. asselli, lumb. canthar.
- *LAXANTIA*: Magnesia alba, Cremor & Crystalli Tartari, Tartarus solubilis, Sal Ebeshamense, Aloë, Manna, Serum lactis.
- *VOMITORIA*, quæ aut *mineralia* sunt, ♁. alb. Vomit. Sal Vitrioli Vom. Infusiones ☽. ♀. emer. aut *Vegetabilia*, ut rad. Ipecacuanhæ.
- *SALIVATORIA*: Mercurius dulcis, Panacea ☽. Gallorum, Turbith minerale, Unguenta Mercurialia. Cinnabar. vulgaris.
- *STERNUTATORIA & PTARMICA*: Helleborus albus & niger, rad. Pyretri. Flores lil. convall. Pulv. Sternut. Comp. variorum, ♁lum.
- *EMMENAGOGA* { *aperientia*: Acidulæ, lim. ♂. in pollinem impalpabilem redact. ℞ aperitiva Clauderi, Tinct. ♂. sine acido, ℞ ☉ris. / *pellentia*: Borrax, Rad. rub. tinctorum, raph. tust. aristol. rot. Herb. pulegii, sabin. Flores calendul. croci, Spiritus talis ammon.

ALTERANTIA
- GENERALIA: *CALIDA* sale volatili utplurimum gaudentia, oleosa & omnia carminativa: Anisum, Fœniculum, Sem. Carui, Cumini, Fl. Chamomillæ.
- *FRIGIDA*, qualia sunt omnia *acida*, tam *vegetabilia*, ut berberes, ribes, pulpa citri, quam *mineralia*: ♁. Spir. min. acid. & præcipitantia.
- *EMOLLIENTIA & SUPPURANTIA*: Rad. lil. alb. alth. Herb. malv. pariet. Flores lil. convall. malv. arb. Sem. lini.
- *APERITIVA*, tam *Mineralia* ut omnia Martialia, quam *vegetabilia*, ut Tartarea, visceralia, hepatica & splenetica.
- *ADSTRINGENTIA & TRAUMATICA*: Crocus ♂. adstringens, Bolus Arm. Rad. tormentillæ, bistort. symph. maj. Herb. alchimill. & ocul. ♋.
- *ANODYNA*: ♎. ♁. anod. Cinnab. nat. & ☽. Semen & cap. papav. alb. Flor. pap. errat. opium, laud. opiat. hyosciamus.
- SPECIFICA: *CEPHALICA* { *Antidinica* & *Antepileptica*: Cinnab. nat. & ☽. Cubebæ. rad. & sem. Poeon. Viscus quernus. Stercus Pavon. Cran. hum. Castoreum. / *Antapoplectica*: Herb. & Flor. Paralys. Rosmar. Lavend. Spir. ♎. ammon. Ess. Castor. Aq. apoplect.
- *PECTORALIA* tam { *Incidentia*: Radix ari præp. Ir. Florent. Herb. aqua & Spir. hyssopi, Spir. gum. ammon. Species diaireos. / *Demulcentia*: ♎. & Flor. ♎. Liquirit. Flor. & Syr. pap. errat. Opiata. ♋. amygdal. dulc. lini destill.
- *CORDIALIA calida*, ut Vinum, ambrata & moschata, aut *Frigida*: ▽. rol. cord. succi veg. acidi: pulpa citri.
- *STOMACHICA*: Absinthium, Aromatica, Cydoniata: Pulveres, Species & Morsuli Stomachici.
- *HEPATICO-SPLENETICA*: Rad. Cichor. Chelidon. Herb. chamædr. vet. filicis, hepat. Stellar. Martialia & antiscorbutica.
- *NEPHRITICA*: è *Mineralibus* ♁. & acidul. lap. nephrit. è *Veget.* Rad. petroselin. pareir. brava. Fol. Acmel. Bacc. alkek. junip. Tereb. ex *Anim.* Lumbrici, Asselli.
- *HYSTERICA*: Cinnab. nat. & ☽. Rad. Angel. aristol. rot. Herb. mentb. Castoreum, Ess. Castor. Balsf. Embryon. Pulv. contra abortum &c.
- *ARTHRITICA*: Rad. Aristol. long. Decoct. lign. Vienn. Chamæpyt. Origanum, lumbric. terr. Formic, Castoreum, Terebinthina.

MAGISTRAL. seu RECEPTA quorum

REQUISITA sunt: 1. *BASIS*, sive simplex, sive duplex. 2. *ADJUVANTIA*. 3. *CORRIGENTIA* & 4. *CONSTITUENTIA*.

ORDO ET METHODUS PRÆSCRIBENDI, in qua sequens PROPOSITO observetur, ut in singulis

DOSIS variat. In genere *Pulveres alterantes* dantur à ℈j. ad ʒß. *Pilulæ* à ℈ß. ad ʒß. *Boli* à ℈j. ad ʒj. *Electuaria* ab ʒß. ad ℥ß. *Mixtura* cochleatim, *Clysteres* ab ℥iij. ad lib. j.

EMULSIONIBUS ad nucleorum ʒij. vel Seminum ʒj. sumatur aquæ dest. aut decocti alicujus ℥j. In *MIXTURIS* loco sem. (℞. sa[cch.]

BOLIS. ad ℈ß. pulverum vel specierum, ʒß. ad ʒj. extracti aut electuarii.

ELECTUARIIS ad quamvis ʒj. pulv. vel specierum confervæ ℥ß. c.s. q. syrupi appropriati.

MORSULIS & ROTULIS ad ʒj. Specierum Sacchari ℥ß. ad ℥j.

DECOCTIS & CLYSTERIBUS ad liquoris lib. j. Radicum ℥ij. Herb. man. j. Sem. ʒß. Miner. ℥ß.

EMPLASTRIS ad Pulv. ʒj. recip. ceræ ℥ij. ß. & ♋. ℥j.

III. PRAXIN MEDICINÆ

GENERALEM quoad MORBOS

INTERNOS
- I. INFANTIUM { *INTRA VTERVM*, quales sunt *morbi embryonum*: Nævi materni, motus fœtûs convulsivi; / *EXTRA VTERVM*, ubi in *lactentibus* aphthæ, vomitus, tormina, tussis, atrophia: in *dentientibus* fluxus alvi & epilepsia; in *gradientibus* { Lumbi. / Hernia. / Prolap. / Rhach.
- II. JUVENUM, quales sunt Anorexia, Bulimus, Pica, Nausea, Vomitus, Tabes, Gonorrhœa, Chlorosis.
- III. VIRORUM & MULIERUM: Febres, tam intermittentes, quam continuæ, inflammationes, hæmorrhagiæ, deliria, syncope, sterilitas, passio hysterica, abortus &c.
- IV. SENUM, sc. Apoplexia, Catarrhus Suffocativus, nephritis, stranguria, arthritis, pruritus, contractura, auditus difficilis, maralmus.

EXTERNOS seu CHIRURGICOS
1. *CAPITIS* sive in
   - *Toto*, ubi præter Acephalos caput obstipum (der Krumhals) occurrit.
   - *Pelle* in Calvitie, ophiasi, inconcinnâ pilorum excrescentia, plica Polonicâ, porrigine &c.
   - *Cute* & *pericranio* in contusione, striasi, vulneribus & ulceribus, v. g. Tinea, Favo &c.
   - *Facie* in Gutta rosacea, fistula malarum, affectibus oculorum, narium, labiorum & aurium.
   - *Ore* in Epulide, Parulide, Scorbuto, Inflammatione tonsillarum, laxatione uvulæ.
   - *Cranio* & *Cerebro* in Fracturis Cranii, Contrafissura, vulnetibus Meningum & Cerebri.
2. *THORACIS*, ubi præter vulnera Thoracis, Cartem costarum & Sterni, Tensio cordis & Vulnera pulmonum notentur.
3. *ABDOMINIS* { *Exteriores* in Abdominis Intumescentia, Vulneribus, Herniis, Tumoribus variis, Sarcocele, Hydrocele, Omphalocele &c. / *Interna* in Viscerum Læsionibus variis, abscessibus & scirrhosis excretionibus.
4. *ARTVVM*, in Luxationibus, fracturis, vulneribus, ulceribus, tumoribus, nodis &c.
5. *VASORVM* { *Sanguiferorum* in Aneurismate, Varicibus, Vulneribus &c. / *Lymphaticorum* in ruptura, vulneribus & inde oriundis hydrop. particularibus. / *Nervosorum* in puncturis & laxitate tendinum, stupore nervorum &c.

CLINICAM seu CASUALEM

CONSULTATORIAM in quâ observ.
- I. *HISTORIA* seu *RELATIO* casus quoad *circumstantias* { *Temporis* primi insultus æque ac progressus affectus. / *Ægri* ejusque, temperamenti, vitæ status & diætæ. / *Symptomatum*, tam vulgatium quam urgentium, / *Remediorum* præscriptorum aut adhibitorum.
- II. *RESOLUTIO*, in qua ostendatur { I. *Morbus*, cujus præsentia demonstretur tribus sequent. / II. *Subjectum* cum succincta descriptione Anatomica. / III. *Causa proxima*, tam *Formalis*, quam *Materialis*, in humoribus circulantibus utplurimum radicata. / IV. *Connexio Symptomatum* cum accurata illorum explicatione & ætiologia. / V. *Causa remota*, in rebus Diætæticis cumprimis inquirendæ. / VI. *Prognosis*, an ad salutem, an vero ad mortem vergat. / VII. *Curatio*, juxta tres indicationes, quarum 1. à causa remota 2. à materiali 3. à formali desumitur.

  I. *Morbus* { 1. *Concomitantibus* seu essentialiter inhærentibus. / 2. *Antecedentibus*. / 3. *Consequentibus* { Juvantibus. / Nocentibus.

RENUNCIATORIAM in { *THESI* è *Pauli Zachiæ* Quæstionibus Medico-Legalibus, *Welschii* Rationali Vuln. leth. judicio, *Ammann.* Irenico, *Bohnii* Tr. de Lethalit. Vuln. / *HIPOTHESI* ex *Ammann.* Medic. Critica, *Zittmanni* Medicina Forensi & Corpore Juris Medico-Legali, ab *Autore* hujus Tabulæ nuper edito. } addiscenda.

HISTORIÆ SIMPLICIUM REFORMATÆ

LIBER PRIMUS

DE

MINERALIBUS ET METALLIS.

CAPUT I.

DE

TERRA SIGILLATA, BOLO ARMENA, MARGA, ALIISQUE SIMILIBUS MEDICINALIBUS TERRIS.

§. 1.

TERRA SIGILLATA pinguis gravisque argilla est, quæ plerumque in rotundos orbiculos formata certis sigillis atque imaginibus notatur: saporis adstringentis, odoris terrei, & nunc rubicundi, nunc lutei, fusci, albi, vel alterius coloris; partim in Germaniâ, partim in aliis regionibus effossa ad nos fertur, à quibus vulgò cognomen obtinet.

§. 2.

Hujus sigillatæ terræ varia dantur genera, quorum novem vel decem à *Samuele Dale* in *Manud. ad Mater Med. p. 45.* recensita sunt: præter quæ tamen in *Wormii* aliorumque *Musæis* multo plura observantur, adeò quidem, ut Dn. *Rivinus*, Prof. Ord. Lipsiensis XIV. folia, figuris æneis incisa & peculiari *Tractatui de Terris Sigillatis* inserenda, iisdem repleverit. Ex omnibus in forò Medicò

TERRA LEMNIA

optima rarissimaque habetur, adeò ut auro æquiparata fuerit. In Insula Lemnò effoditur, & quoniam ista Ethnicorum Deæ Dianæ sacra erat, ejus olim idolum, nempe capræ figura, à Dianæ Sacerdotibus illi imprimebatur: hodie vero Turcarum Imperatoris sigillum, dimidia scil. luna, cum tribus stellis, imprimitur; quæ quùm à Magnò Sultano tantò in pretio habeatur, ut exportari imperio non liceat, nulla fere nisi per Magnatum Legatos, quibus interdum donatur, istius potiundæ datur potestas; vel intensè rubra est, vel etiam alba. Præter istam vero insuper aliæ Turcicis Arabicisque literis insignitæ terræ sigillatæ apportantur, quarum illæ TERRÆ SIGILLATÆ TURCICÆ, istæ vero TERRÆ SIGILLATÆ ARABICÆ vocantur, quæ vel ex flavo rubescentes, vel cæsiæ, aut albæ sunt. Imò è Terrâ sanctâ ab Jerosolymis quædam etiam proficiscuntur, plerumque albæ & TERRÆ HIEROSOLYMITANÆ vocatæ, quibus utplurimùm S. Crucis signum, sive PP. Jesuitarum symbolum I.H.S. impressum est, ut in Figura I. Tab. I. videre licet. Binas inter rariora mea habeo, quarum una crucifixi signo multisque crucibus insignita LAC MARIÆ vocatur, quæ ex specu prope Bethlehem, in quo sancta Maria cum Jesulo infante suo delituisse perhibetur, eruitur, & ab lactantibus fœminis ad lactis augmentum usurpatur. Sed vereor, ne multa interdum superstitio subsit: haud aliter ac in

TERRA SIGILLATA BRACHMANUM,

non tam in superiori aut inferiori superficie, quàm margine, ad instar monetarum Galli-

carum ac Anglicarum ſignata, quam, ut ex India Orientali obtinui, *Tom. II. Muſei Muſeorum Germanici pag.* 1. & 3. inſerui.

§. 3.

Poſt Turcicas terras ſigillatas non immeritò ſequitur

TERRA SIGILLATA MELITENSIS,

quæ ex Inſula Maltha, partim in magnis orbiculis, ſed tamen tenuibus, partim minoribus paſtillis, aut aliis figuris provenit, ut in Tab. cit. videre licet. Omnes inſtar cretæ albent, iisque utplurimùm S. Pauli imago, cum ſerpente impreſſa eſt, adverſus quem iſta quoque in hiſtoriis prædicatur, quemadmodum in *Wormii Muſeo pag.* 7. poteſt legi.

§. 4.

Quum verò modò dictæ terræ, ut & TERRA SAMIA, CHIA & CYMOLIA, quæ omnes albæ ac pingues, non raræ ſolùm, ſed etiam caræ ſint, iſtarum loco iis utimur, quæ apud nos in Germania reperiuntur, quarum duo genera, præ cæteris maxime nota, in omnibus ferè pharmacopoliis noſtris venalia ſunt, nempe

TERRA SIGILLATA STRIGONIENSIS,

lutea tribusve montibus inſignita, & ab *Johanne Montano*, iſtius Inventore, in peculiari Tractatu A. 1585. deſcripta: & Goldbergenſis terra ſigillata, ſive

TERRA SIGILLATA LIGNICENSIS,

quam aquila ſignat, quamque & rubram & albam, imo etiam luteam eſſe videmus. Binæ in Sileſia effodiuntur, primaque etiam AXUNGIA SOLIS, altera vero AXUNGIA LUNÆ vocatur, propterea, quod prior aureas, poſterior argenteas particulas ſuo fovere ſinu perhibetur.

§. 5.

Quemadmodum nunc etiam in Livoniâ, Bohemiâ, Hungariâ, aliisque regionibus, ejusmodi terræ ſigillatæ reperiundæ ad nos perferuntur: ita iſtis vel eò minus in Haſſiâ indigemus, quo propius viliusque non procul hinc circa Greiffenſteiniam & Laubacum reperiundæ ſigillatæ terræ haberi poſſunt, inter quas

TERRA SIGILLATA LAUBACENSIS

in exteris etiam locis valde innotuit, poſtquam à Seniore *Dno. D. Geilfuſio*, Sereniſſimi Principis Haſſo-Darmſtadini Archiatro, in peculiari tractatu Germanicô fuit deſcripta, quem Latinitati redditum in *Appendice I. hujus Tomi* exhibemus. In vicinia prope Laubacum, quod parvum oppidum eſt, ſub ditione Illuſtriſſ. Comitum Solmenſium, effoditur: colore partim obſcure lutea, partim alba, prætereaque tota pinguis, ac ſecundum reliquas qualitates peregrinæ & Turcicæ terræ ſigillatæ in omnibus ſimilis: id quod etiam de TERRA SIGILLATA GREIFFENSTEINENSI cenſendum eſt, quæ in aliqua martis minera in longis acutisque ſtriis jacet & omnes terræ ſigillatæ requiſita ad amuſſim implet.

§. 6.

Omnes autem terræ ſigillatæ approbantur, ſi (quod dicitur) bene trahunt, tenaciter linguæ adhærent, humidæque factæ multa in fruſta concidunt. Exoticarum optima Terra Lemnia habetur, quæ à *Galeno* tanti fuit habita, ut bis in Lemnum Inſulam dicatur profectus, quò veram incorruptamque acciperet. Inter vulgares terra ſigillata Strigenſis Goldbergenſi præfertur. In iſtarum tamen defectu eæ poſſunt uſurpari, quæ propius ac commodiſſime habentur, ſi modo cætera bonæ probatæque ſint, ut apud nos Laubacenſis & Greiffenſteinenſis. Norimbergæ vulgaris cæſia, quæ juxta oppidum Velden dictum, Norimbergenſis ditionis, effoditur, Sileſiæque apprime ſimilis eſt, ut *Marxius* in ſuo *Materialium Muſeo p.* 207. refert. In Gallia quoque prope Blois ejusmodi terra reperitur, quam *Charas*, ubi vera Lemnia non habetur, Theriacæ addere non dubitat, ut ex ejus libro, cui Titulus eſt: *Hiſtoire naturelle des animaux, des plantes & des mineraux, qui entrent dans la compoſition de la Theriaque*, h. e. *Hiſtoria naturalis animalium, plantarum & mineralium, quæ compoſitionem theriacæ ingrediuntur, pag.* 191. apparet.

§. 7.

Quod ad uſum terrarum ſigillatarum attinet, adſtringens ac bezoartica vis ab omnibus Medicis illis adſcribitur; ut propterea cumprimis in febribus petechialibus, aliisque ſimilibus contagioſis morbis, ſi quando diarrhœa ſimul juncta eſt, magnô cum uſu uſurpentur, atque ſic dictus pulvis pannonicus ruber tanto in pretio uſuque habeatur. Quo etiam ſine dubio Veteres reſpexerunt, quando terram ſigillatam Lemniam theriacæ voluerunt inſertam. Similiter utiles ſunt in ſanguinis fluxibus, ac hæmorrhagiis, quæ ſæpius in ejusmodi febribus petechialibus ſe videndas ſiſtunt, nec minus, certe majus periculum inducentes, quam memoratus alvi fluxus, adeò ut menſtrua mulierum purgatione tunc temporis incidente patientibus utplurimùm defungenda mors ſit, niſi omni vi morbo reſiſtamus, ut experientia aliquoties me docuit. Inter ſigillatas terras Germaniæ, Strigonienſis, propter ſolarem proprietatem, in iis præſertim morbis, qui cor ſanguinemque afficiunt, in uſum trahitur. Terra verò Lignicenſis potiſſimum in capitis artuum-

tuumque morbis, præcipuè etiam adverſus philtra, commendatur, quemadmodum *D. Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. p.* 831. ex aliis Practicis commemorat. Extrinſecus quoque terra ſigillata non ſine fructu in inveteratis ulceribus fiſtulisque, imo ipsò cancrô, adhiberi poſſe dicitur, id quod *Schwenckfeldius* in *Catalogo Foſſilium Sileſ. pag.* 395. pluribus deſcripſit. In Saxoniâ elegantes urceos, patinas, ac ſimilia utenſilia è terra ſigillata conficiunt, cujus rei iconem *Beslerus* in *Gazophylac. Rerum Nat. fol.* 14. repræſentat. Pharmacopolæ verò acidulam aquam inde deſtillant, ſpiritum terræ ſigillatæ vocatam, paulo majori doſi ab ℥ß ad ℥j in mixturis præſcribendam, quam ſcimus ſeniorem *D. Horſtium* in febribus contagioſis ſæpe cum fructu uſurpaſſe. Magiſterium, quod cum ſpiritibus acidis exinde conficiunt, nequicquam prodeſt, cum ſaturetur extra corpus; quemadmodum & crebra terrarum medicinalium ablutio à *Zwelferô* in *Animadv. in Diſp. Aug.* non ſine causâ rejicitur. Quamobrem optandum eſſet, ut omnium terrarum ſigillatarum, ſimulac effodiuntur, accipiendarum daretur poteſtas, priusquam aqua ablutæ in paſtillos, ut fieri ſolet, formarentur. De oleo, quod nonnulli exinde extorquere volunt, *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. p.* 133. poteſt evolvi.

§. 8.

Cum iſtis terris ſigillatis

BOLUS ARMENIÆ

ſaporis æque ac cæterarum qualitatum reſpectu magnam habet affinitatem, plerumque ex pallido-rubra, pinguis ac ponderoſa, idque nominis obtinet, quod olim ex Armeniâ perhibetur advecta. Hodie iſtâ non indigemus, quùm pluribus in locis Europæ ejusmodi terræ bolares in fodinis & præſertim Martis mineris reperiantur, quamobrem in eam veniunt opinionem, ut credant, Martis illam probe eſſe participem. In Galliâ juxta urbes Blois, Saumur, nec procul Pariſiis, bonæ notæ bolum effodiunt, quæ partim rubra eſſe dicitur, partim glauca, alia lutea, quâ aurifabri aliique artifices in ponendo auraturæ fundamento inaurando, loco Orientalis boli, utuntur, auctore *Pometo* in *Libr. V Hiſtoriæ Simplicium p.* 113. Sic ante triginta & quod excurrit annos, in Comitatu Leiningo-Hartenburgico, elegantem venam bolarem in fodinâ Martiali obſervavi. In noſtris Germaniæ pharmacopoliis plerumque habetur WURTENBERGICA, aut etiam TOCCAVIENSIS, Toccaviâ Tranſylvaniæ advecta. Ubicunque ergò reperiatur, perinde eſt, modò genuinas habeat qualitates, probataque appareat: id quod in eo conſiſtit, ut tenera lævisque ſit, (non arenoſa vel aſpera) ſplendida, in lingua fortiter attrahere, poſteaque, butyri ad inſtar, in ore liqueſcere obſervetur, quemadmodum *Schræderus* in *Pharmacop. ſua Medico-Chymica Lib. 3. c. 2.* docet. Quamobrem ſimulac effoſſa eſt, primùm in aqua ſolvitur & abluitur, deinde in quadrata fruſtula inſtar digiti formatur, à nonnullis Materialiſtis BROUILLAMINI vocata; quanquam antedictis *Schræderus* aliique Medici illotam Bolum, cum terra effoſſam, velint præferri. Aliâs in Medicina ubique ut terra ſigillata, qua cum (excepta bezoardicâ) easdem vires habet, uſurpatur, ſimiliaque prorſus præparata exinde conficiuntur. Extrinſecus defenſiva Chirurgis dicta emplaſtra ingreditur. Qui uberius informari cupit, *Joachimi Camerarii obſervationes de Bolo Armena* perluſtret.

§. 9.

Huc etiam pertinet

MARGA SAXATILIS,

quæ haud diſſimilis, eaque pinguis terra eſt, & ad modum priorum linguæ firmiter adhæret: mollior tamen eſt, & in ſaxis (unde lithomarga ipſi eſt nomen) in Bohemiæ montibus, aliisve Germaniæ locis invenitur. Colore inſignitur vel carneo rubro, vel intenſe albo, quæ magis vulgata notiorque eſt. *Sam. Dale* etiam luteæ & arenoſæ margæ meminit, qua in Batavia ruſtici locô ſimi ad meliorandos agros utuntur, vid. ejus *Pharmacol. pag.* 48. Aliâs vero alba margæ ſpecies etiam LAC LUNÆ, ab aliis AGARICUS MINERALIS vocatur, quoniam non ſolum colore utrinque reſpondet, ſed etiam inter ſaxa è vaporibus mineralibus, haut ſecus atque agaricus ex arboris corruptione, generatur, qua de re *D. Major* in peculiari *Tractatu Lat. de Marga* peringeniosè agit. Haud ita pridem quidam amicorum duas pinguis terræ ſpecies mihi transmittebat, quarum unam, obſcurè rubram, HEPAR LAPIDIS RUBRUM, alteram, ex glauco albeſcentem, HEPAR LAPIDIS ALBUM vocabat, quæ utræque nihil eſſe aliud quam marga videntur. Uſu Marga cum terra ſigillata valde convenit, adſtringentem refrigerantemque vim habet, acidum lentorem edulcat, coagulatumque ſanguinem reſolvit; cujus proinde uſus non alvi fluxibus ſolùm ac hæmorrhagiis, ſed etiam in ventriculi ardore conducit. In caſu ab altô, aut ſubluxatione, marga vel ſola, vel cum lapidibus cancrorum miſta, poteſt aſſumi. Ejus etiam uſus in doloribus nephriticis & adverſus obſtructionem ardoremque urinæ obtinet; porrò in oſſium fracturis intrinſecus & extrinſecus, & in epilepſia præſertim, margam albam ſ. Lac Lunæ, ut & ad lac augendum, lactantibus commendant, quô in caſu aliqui cryſtalli præparatæ poteſt addi. Extrinſecus ſiccat ſanatque marga inveterata juxta ac recentia ulcera, idque ſine ullo dolore ac morſu.

§. 10.

Quod ad vulgarem figulorum terram,

ARGILLAM

vocatam, attinet, nec apud Aromatarios in-

venitur, nec in Medicina uſurpatur, ut propterea pauca de iſtâ hic ſint memoranda, præterquam quod vulgo noti tubuli, hauriendo Nicotianæ fumo apti, exinde conficiantur, quorum dicti Anglici lævigati cenſentur optimi; quanquam non in Anglia, ſed Goudæ Batavorum magnâ in copiâ fingantur. Groſſis illos Materialiſtæ emunt, quorum quisque XII. dodecades continet, ubi totine adhuc, an valde contuſi ſint, reſpiciendum eſt.

§. II.

Meliori hic inſeritur jure terra Norwegica ſive

TERRA ANTISCORBUTICA,

cujus primum *Henricus Petræus*, olim Profeſſor Marburg. in *Diſſ. Harmon. de Scorbuto pag. 38*, & poſt eum *Olaus Wormius* in *Muſ. pag. 16.* fecêre mentionem. Rubra & terræ ſigillatæ haud diſſimilis terra eſt, quæ prope Bergas Norwegiæ reperiunda, pro certò adverſus ſcorbutum remedio habetur, ſine dubio, quod martialium adinſtar ſanguinis, ac præcipue ventriculi, acorem corrigere apta nata eſt, quamobrem etiam in malo hypochondriaco laudatur. Semidrachmam, vel totam, ad proliciendum ſudorem aſſumunt. Ejus nondum apud nos invaluit uſus, ut propterea *D. Hoffmannum in Clavi pag. 139.* non temerè ſubeat admiratio, quod iſta terra non etiam in alias regiones portetur venalis.

§. 12.

In cujus defectu hic loci aliam in iisdem affectibus commodè ſubſtituimus, quæ in Haſſiâ noſtrâ reperiunda Caſſellana Terra aurea, Terra martialis &

MINERA MARTIS SOLARIS

vocatur. Variis in locis ſui inveniendæ dat copiam, præcipue vero juxta Almerodam pagum, ubi Caſſellanorum officina vitriaria eſt, poſt Salfeldiam, prope Naumburgum, circa Streelam. Latet plerumque in luto ſ. argillâ, in fruſtis rotundis, inſtar ovi formata, unde à nonnullis Ovi Philoſophici nomen ipſi eſt impoſitum. Ex obſcuro glauca nitidis mineræ fruſtulis, inſtar antimonii, turget, ſaporemque habet vitriolaceum, ex quo facile appareret, quod quid peculiare ſub iſtâ lateat, in quod *Glauberus* (qui ferè omnium primus terræ hujus in *Furnis* ſuis *Philoſ.* fecit mentionem) accuratè inquiſivit, iſtamque multis in affectibus, à *Dn. D. Wolffio* in *Miſcellan. Acad. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 7. pag. 359.* ex propriâ experientiâ recenſitis, obſervavit utilem. Inprimis adverſus immodicum vomitum, proſtratum appetitum, malum hypochondriacum, lumbricos ſimilesque morbos, ad xx. vel xxx. grana ſumta, uſurpatur. Aliàs iſtius Tincturâ utuntur, quam TINCTURAM MARTIS SOLAREM vocatam ita conficiunt: Verno tempore, circa Walpurgis diem, libero mineram expone aëri, rore majali prius aſperſam, viſisque poſt aliquot dierum intervallum albis vel luteis floribus ſeu cryſtallis, rorem majalem affunde, ſive ſimplicem, ſive deſtillatum, vel etiam ſpiritum roris majalis, qui ejusmodi flores ſolvit: filtra per chartam, ita habebis elegantem, inſtar auri, flaventem Tincturam, in morbis chronicis, omnibusque iſtis morbis, in quibus acidulæ commendantur, per-utilem. In obſtructione menſium ſæpenumero vidi comprobatam. Non abjicienda ſemel uſurpata terra, quod inſtar magnetis univerſalem Mundi ſpiritum attrahens iterum atque ſæpius uſurpari poteſt, quâ de re *D. Balduinus* in *Auro Auræ* videatur. Si quando cruda deſtillatur minera, ſulphur inde prolicitur. Aliquid etiam habere auri perhibetur, quamobrem terra aurea nuncupatur.

§. 13.

Præter iſtam nonnulli TERRAM SOLAREM RUBRAM è mineris auri Hungariæ ſibi afferri curant, ex qua cum ☌ ☉ ſoluta Tincturam ☉ proliciunt, à *D. Michaëlis* in febribus petechialibus, ab hæmorrhagia, aut alvi fluxu comitatis, feliciter uſurpatam. Cruda etiam propinatur, ad modum ♂alium, de qua *Hoffmannus* in *Clav. Schr. p. 139.* conſulendus, apud quem plures aliæ medicinales terræ, nempe TERRA ILFANA Livonienſis, in febribus malignis morbisque infantum à lumbricis commendata, TERRA ADAMICA, Aceldema, & præterea aliæ leguntur.

§. 14.

Quoniam etiam ita dicta Japonica terra, ſive

TERRA CATECHU,

vulgò terris medicinalibus annumeratur, iſtam hic ſilentio penitus præterire nolui. Gummoſus vero fortiterque expreſſus ſuccus eſt, extrinſecus ex rubro nigricans, intrinſecus ex rubro fuſcus, ſaporis primum acerbi & adſtringentis, poſtmodum vero paulo dulcioris gratiorisque; ex Japonia advehitur, unde etiam Terra Japonica, & ab altero nomine Germanicè *Catſchau* ſive *Caſſu* nominatur; quanquam Pharmacopolæ plerumque moſcho & ambra præparatam terram Japonicam tantum Catechu ſive *Catſchau*, terram vero ipſam terram Japonicam vocent, quemadmodum *Dale* in ſua *Pharmacol. p. 349.* bene obſervat.

§. 15.

Enimvero rubrane terra ſit, ut extrinſecus apparet, primumque credi cœpta eſt, an potius compoſitum aliquod ex glycyrrhiza, acoro vero & areca, quod aliis videtur, de eo variant ſententiæ, quas in *Miſcellan. Acad. Germ. Dec. 1. A. 2. obſ. 128. pag. 209. & ſeqq.* à *Dn. D. Wedelio*

delio videbis memoratas: in quibus varia per experimenta diſcernendis quùm valdè operoſus fuerit *D. Hagendornius*, peculiarem eumque curioſum tractatum *de Terra Catechu* conſcripſit, in quo tamen Clariſſimi *Hermanni* ſententiæ valdè prope accedit, qui ſimplex hoc neutiquam terram, ſed purum potius valdeque fortiter compactum ſuccum eſſe exiſtimat, ex Arecæ fructu corticeque arboris cujusdam Indicæ, Catechu vocatæ, expreſſum, & in tantam duritiem coctum. Quam opinionem quoque *Helbigius* aliique Indiarum ſpectatores amplectuntur, ſiquidem hæc dicta terra Catechu ſatis idonea eſt quæ in aqua ſolvatur, omnisque filtrum tranſit, quod nulli datum terræ eſt. Interea tamen poſſibile eſt, quod alii præterea ſucci, nominatim acaciæ orientalis, quem *D. Cleyerus* in quadam *Epiſtola, ad D. Sebaſt. Schefferum* data, pro baſi habet, iſtam ingrediantur, qua de re in *Appendice* libri hujus in *Epiſtolis Indiæ Orientalis*, ſeu *Indiâ Literatâ* plura adhuc invenientur.

§. 16.

Duæ iſtius habentur ſpecies: una puriore legantiorque eſt, quæ ſimul ac linguæ admovetur quaſi liqueſcit, prætereaque extrinſecus ex obſcuro rubra, intrinſecus verò ſplendidè rubra, nitida minusque aduſta apparet, alteri ſemper præferenda, utpote multo duriori & impuriori. Quod diſcriminis inde potiſſimum dependet, quoniam plus electi arecæ ſucci ad priorem, quàm poſteriorem recipitur.

§. 17.

Vires eò ſpectant, ut vi adſtringente, quâ prædita eſt, in omni alvi fluxu, vomitu, hæmorrhagiis, catarrhis ſimilibusque valde bonum credatur eſſe remedium, de quò prædictus *Hagendornius* in ſuo libello verboſior conſulendus, ubi multa quoque alia habet præparata & compoſita, quæ inter MUSCERDA MOSCHATA ſ. Pharmacopolarum Caſſu maxime vulgata eſt, è terra Japonica moſcho & ambra, mediante tragacantho ſimilibusque in minimos trochiſcos, muſcerdis haud diſſimiles, formanda, qui quo minores ſunt, eo habentur meliores. Gratiam halitui conciliant, & præſertim cruentæ gingivæ ac vacillantibus dentibus proſunt.

CAPUT II.

DE

OCHRA, CRETA, ORLEANA, ALIISQUE SIMILIBUS TERRIS.

§. 1.

INter illas terras, quæ non æque ad medicinam, atque ad colores aliasve operationes adhibentur,

OCHRA

fere præcipua eſt, quæ nihil eſt aliud, quàm lutea, vel ex albo flavens argilla, ad modum aliarum terrarum ſaporem habens quadantenus adſtringentem. Primum partim è Gallia, partim ex Anglia advehebatur, quæ ultima à molito lapide provenire, proptereaque multo ſiccior eſſe perhibetur, quam Gallica: quæ ratio eſt, quamobrem illa ſine hac nec bene in uſum trahi, nec ſubigi oleis queat, auctore *Pometo* in *Gallico* ſuo *Materialium Muſeo art. 3. Lib. V. cap. IV. p. 113.* Hodie vero hinc & inde in Germania invenitur, nempe in Hungaria, circa Hildeſiam, in Haſſia, Alsfeldiam inter & Inbecum, locisque aliis.

§. 2.

Diſtinctæ iſtius habentur ſpecies, prout vel è terra effoſſæ, vel arte paratæ ſunt. Tria naturalis Ochræ genera Materialiſtæ oſtendunt, vulgarem nempe, mediam & electam, quam ullam tenuem eſſe oportet & lucidam. Ex iſtis forti reverberatorio igne Ochra rubra paratur, quemadmodum flavam quoque Ochram artificialem habemus, è ceruſſa Architectorum ſcriptoria uſtam, & vulgo OCHRAM PLUMBARIAM, *Bley-gelb*, vocatam. Alias noſtris adhuc incognitas ſpecies in *Wormii Muſeo* invenies.

§. 3.

Omnes iſtæ ſpecies coloribus inſerviunt, quibus etiam alutarii, ad imbuenda luteo colore coria, utuntur; quanquam apud nos TERRA CITRINA, à Norimbergenſibus cum rubra copiosè advecta, eum in finem plerumque uſurpetur. Marſupiorum verò artifices in Anglia chirothecas Anglicas pro fœminis ſola Ochra colore eleganter luteo inficiunt. In Medicina ejus uſus rarior eſt, niſi quod externè adverſus articulorum fungos uſurpetur.

§. 4.

Aliâs quoque TERRA TRIPOLITANA ſ. TRIPOLIS pro Ochra habetur, propterea à quibusdam

OCHRA ANGLICA

vocata, ut apud *Sam. Dale* in *Pharmacol. Part. 1. Sect. 2. pag. 47.* videre eſt; quanquam magis ex Italia venire, & circa Tripolim urbem, unde nomen obtinet, effodi dicitur, teſte *Marxio*

in ſuo *Materialium Muſeo pag. 208.* Mollis teneraque argilla eſt, quam nonnulli, ſed præter meritum, lapidem eſſe exiſtimant; alba luteaque invenitur, ipſamque eleganter puram & minime arenoſam eſſe oportet, ſi pro bona velit haberi. Lingua dignoſcimus, an nullam, inſtar cineris, aſperitatem habeat, ſed lanæ adinſtar mollis ſit, quæ omnium cenſetur optima.

§. 5.

Quod ad uſum attinet, Terra Tripolitana in Medicina habet nullum, præterquam quod Chymici & Pharmacopolæ iſtam interdum, ſed perrarò, loco argillæ ſalibus miſceant, ad impediendum iſtorum fluorem, quando ☿ acidi ſunt deſtillandi, id quod *Schræderus* & Pharmacopola *Vielheuerus*, in *deſcriptione exoticorum materialium pag. 58.* annotârunt. Fabri ærarii iſta mediante facta ex ære & orichalco vaſa polita nitidaque reddunt, quam etiam auri argentique artifices, lithotomi aliique ſuos in uſus trahunt. Præſertim verò prædicta terra à ſpecillorum ac teleſcopiorum artificibus valde quæritur, qui aptis munita manubriis vitra, primum in magnis parvisque ex orichalco factis patinis, probe contuſo ſmyrite, vel concava (*hohl*,) vel concavo-convexa (*hohl-bäuchicht*,) vel convexo-convexa (*auff beyden Seiten bäuchicht*) terunt, tum denique trita vitra ſ. lentes, pulverata ſubtiliter tripoli, ſuper corio cervino vel coactis lanis expoliunt. Quoniam vero hic labor diuturnus valdeque moleſtus eſt, Clariſſimus Gallorum Philoſophus, *Renatus Carteſius*, valdè artificioſam pro terendis vitris machinam excogitavit, in qua rota, cui vitra aptantur, in arcula ſmyrite vel ſimili materia repleta, perpetuo agitanda, ſemper iſta humectetur, ut ex icone, quæ in ipſius *Dioptrica Cap. X. p. 148.* reperitur, poteſt videri.

§. 6.

Huc aliquo modo flavens & ſulphureus Pictorum color, à Gallis JAUNE DE NAPLES dictus, poſſet referri, quoniam haud diſſimilis credita materia, vel friabiles lapilli ſunt, quos ignivomus mons Ætna dicitur ejicere, commemorante *Pometo l. c. pag. 93. l. 3.*

§. 7.

Porro TERRA VIRIDIS,

quæ aliàs quoque Viride Montanum, Chryſocolla, *Berg-grün*, *Stein-grün*, *Schieffer-grün* audit, hic erit inſpicienda, quæ plerumque in metallifodinis, in quibus æs, argentum & auri minera effoditur, ſe dat inveniendam. Tres apud Materialiſtas habentur iſtius ſpecies: optima creditur ex Hungaria advecta, à cujus colore, ex *Marxii* opinione, reliquæ mirum quam vehementer diſtant; licet *Pometus* in *Hiſt. de Drogues pag. 114. lib. V.* eam exiſtimet eſſe optimam, quæ prope Veronam in Italia invenitur, *la terre de Veron* propterea vocata. Iſtam decet eſſe lapidoſam, nec adeo multis terræ venis turgidam. Quo viridior, eo melior; ſaltem coloribus inſervit.

§. 8.

Huc etiam pertinet alba

CRETA,

cui Inſula Creta, hodie Candia dicta, ex qua principio effodiebatur, nomen indidit. Nunc verò ubique in Europa effoditur, adeò, ut in Gallia, præſertim in Campaniâ, tota oppida exinde exſtruantur, ubi ingentis maſſas molis ferris in quadrata fruſta diſcindunt, ad exſtruendas domos applicanda, quæ tamen infernè cum tempore friabilia fiunt, ac vetuſtate corrumpuntur. Ab Natura quaſi præparata cerufla eſt, quâcum viribus quoque conveniens omne vitioſum acidum corrigit; quamobrem internè in ardore ſtomachi, ſive ſodâ, uſurpatur, cui malo *Mynſichtus*, pulvere, quem inde confecit, ſpecierum diacretæ Mynſ. titulo in Officinis ſatis cognitô, voluit conſultum. Extrinſecus in eryſipelate aliisque partium inflammationibus utilis eſt, refrigerat ſiccatque omnia ulcera, ſatis quoque eſt apta, quæ excoriatis infantum inguinibus inſpergatur. Aliâs ſartoribus, multisque aliis mechanicis ad ſignandum accommodata eſt: cui fini etiam Creta nigra, SMECTIS, Craye de Briancon, cæteræque iſtius ſpecies inſerviunt, de quibus *Wormius* in *Muſeo pag. 4.* & ante dictus *Pometus pag. 106.* plura habent legenda.

§. 9.

Non minus fuſcæ Cretæ habetur ſpecies quædam,

CRETA UMBRIA,

Terra Umbria, (*Umber*) dicta, propterea quod ex quadam Italiæ regione, cui olim Umbriæ, nunc vero Ducatui Spoletano inditum nomen eſt, aſportabatur; quamvis etiam ex Ægypto & Oriente in diſtinctis venire fruſtis dicatur. Ea cenſetur optima, quæ in majoribus fruſtis allata, eleganter tenera, intimeque fuſci coloris eſt. Ad picturam inficiendasque chirothecas uſurpatur, aduſta prius, quam oleo inebrietur, ubi à vapore fumoque vehementer fœtente & nocivo nobis caveamus.

§. 10.

Magnam cum Terra Umbria affinitatem habet

TERRA COLONIENSIS,

iſta tamen obſcurius fuſca. Ipſam ſimiliter teneram, friabilem, mundamque, & quoad ejus fieri poteſt, nullô nec minimô miſtam ſqualore eſſe, decet: qua etiam pictura utitur.

§. 11.

Diverſas quoque Simpliciſtarum officinæ terras rubras habent, inter quas

TERRA RUBRA NORIMBERGENSIS

vulgo

vulgatiſſima viliſſimaque eſt. Prope Petzenſteinium, Norimbergenſe oppidum, ſimul cum lutea terra, multis ſub ſolô ulnis effoditur, in furnoque toſta, totis vehibus Norimbergam vendenda fertur, indeque viciſſim centenario pondere diſtrahitur. Bene ſicca ſit, minimeque arenoſa, quâ de re Norimbergenſis Materialiſta *Marxius pag.* 206. in *Simplicium Muſeo* conſulendus.

§. 12.

Ejusmodi rubrum colorem quoque ſuppeditat

RUBRICA FABRILIS,

multo durior, lapidique quam terræ fere ſimilior graviorque, obſcure rubra, & ſaporis adſtringentis. Quæ terra cum hæmatite fere convenit & iisdem in morbis, quibus hæmatites convenit, uſurpatur, v. g. in nimiâ hæmorrhagiâ internè & externè, in dyſenteriâ & ſimilibus, præſertim apud pauperes. Quod fabri lignarii aliique ad ſignandum iſta utantur, cui ignotum ſit, credo eſſe neminem. Præter vulgarem datur tenerior, quæ ſe diffindi, & inſtar ceruſſæ Architectorum ſcriptoriæ aſſerculis includi patitur, ex Anglia ad delineandum allata.

§. 13.

Præterea alius habetur color ruber, qui vulgo *Engliſch Braun-roth &*

TERRA ANGLICA RUBRA

vocatur, licet rectius Indica rubra vocari debeat, quod Perſiæ perhibetur eſſe terra, teſte *Pometo lib. cit. pag.* 115. Optima & pretioſiſſima eſt, quæ in parvis & intenſe rubris, mediæ duritiei, lapidibus conſiſtit; nullum fere in uſum alium trahitur, quam quod ſutores ſolearum marginem, maximè poſticam ſub calcaneo, in calceis fœminarum, rubro iſta mediante colore inficiant, ovi albumine prius ſubacta.

§. 14.

ÆRIS SQUAMA vulgò *Keſſel-braun*, utuntur fabri ærarii, quo novis ahenis vaſisque fuſcum colorem concilient.

§. 15.

Tandem tinctores etiam omnibus notam Orellanam ſeu

ORLEANAM

pigmentis terreis annumerant, quæ tamen nihil eſt aliud, quam fæcula cujusdam tincturæ, ex ſemine quodam exotico confectæ. Obſcuro & ex rubello-flavente colore, odoreque violaceo, & quadantenus adſtringente prædita ſapore eſt, & ex India occidentali partim in quadratis placentis, partim rotundis maſſis provenit.

§. 16.

Prædictum ſemen humilis cujusdam arboris eſt progenies, quam Barbari ACHIOTL & URUCU, Batavi autem ORELLANA vocant. Trunco, forma & magnitudine ad malum aurantiam prope accedit, cortice extrinſecus flavo, intrinſecus viridi induta, ramos habens aſperis viridibusque foliis, inſtar ulmi, ornatos. Ad modum hellebori nigri albos rubellosque flores emittit, qui interius flaventibus, ſuperius rubre acuminatis fibrillis pleni ſunt, ſub quibus aſperæ, nec tamen pungentes ſiliquæ, magnitudine virentis amygdali, apparent. Quæ ſiliquæ tandem ſponte hiant, parvaque grana ſive ſemina oſtendunt, acinis uvarum fere ſimilia, & eleganter rubra. Verno colliguntur tempore, poſtquam arbor per integrum annum viruit, quam Indi magni à ſe æſtimatam juxta domicilia ſua colunt, dum ex ejus cortice funes, cannabinis noſtratibus multo fortiores, convolvunt, ligno vero vehementer duro ad eliciendum ignem utuntur, quemadmodum *Hernandezius Lib.* 3. *Rerum Medic. Nov. Hiſpan. pag.* 74. omnia eleganter deſcripſit, ubi etiam arboris figuram communicat, quæ tamen multo pulchrior in *Plukeneti Phytograph. Tab. CCIX. Fig.* 4. apparet, quâcum noſtra in *Muſeo Germanico* propoſita figura multum convenit.

§. 17.

In iſtâ ipſa picturâ aliquô etiam modô oculis ſubjicitur, quâ ratione & modô componatur ac præparetur Orleana, cujus conficiendæ methodus hæc eſt: Nempe Americani, præſertim ii qui Inſulam Dominico inhabitant, prædicta grana, ſatis matura rubellumque pulverem circum ſe habentia, in aqua calida macerant, illaque tamdiu agitando in iſta percutiunt, quoad aqua omnem ex illis colorem extraxerit, quæ per inclinationem effuſa tamdiu ſeponitur, donec color fundum fæcis adinſtar, eodem prorſus modo, quemadmodum alias Indigo conficitur, petat, de quo in capite ſequenti agetur. Quam fæculam recte exſiccatam certis in mortariis in maſſam contundunt, ex iſtaque placentas ſive pilas, diverſæ magnitudinis, fingunt, ad nos in Europam mittendas. Alii contra exiſtimant grana prius in mortario contundi, quam aquæ immittantur, id quod ſuo relinqui loco volumus. Quod verò *Du Blegny* aliquo in loco exiſtimet Orleanam nihil eſſe aliud quam ſuccum, è granis expreſſum, incoctum exſiccatumque, jamdum ab ejus populari *Petro Pometo* in *Hiſt. Gen. ſimpl. Lib. IIX. pag.* 303. fuit rejectum. Quæ ratio eſt, quamobrem colorem iſtum ſuccis concretis annumerandum eſſe dubitem, quemadmodum à *Sam. Dale* in *Officina Simpl.* ſive Catalogo *Pharmacologiæ ſuæ* factum.

§. 18.

Cæterum duplicem Materialiſtæ & Pharmacopolæ Orleanam habent, humidam & ſiccam. Illa inſtar denſæ eſt maſſæ, colore aureo, multoque

toque vilior quam ſicca, cujus iterum diverſæ ſunt ſpecies, quod præter vulgarem, magnis quadratisque fruſtis, inſtar ſaponis, vel rotunda maſſa ad nos venientem, etiam rotulæ magnitudine thaleri Gallici exinde conficiuntur, quæ, quum per-elegantes ſint, etiam tanquam medicina interne poſſunt uſurpari; reliquæ contra, ſæpe male conſtitutæ & fere fœtentes, ad medicinam inutiles ſunt, commemorante ſupra dicto *Pometo l. c.*

§. 19.

Optima cenſetur, quæ radicem iridis Illyricæ redolens, probe ſicca & intenſe colorata eſt, qualis plerumque Cayannâ venit. Rancida, humida, mucoſaque & cellam redolens Orleana penitus abjicienda eſt, quippe quæ ne quidem ad probe tingendum, multo minus ad medendum poteſt adhiberi.

§. 20.

De virtutibus ejus ut aliquid commemoremus, refrigerantis & parum adſtringentis Orleana facultatis eſt, propterea que ab Americanis tanquam medicina, internè in calore febrium, inque dyſenteria: externè vero in tumoribus uſurpatur. Hinc eſt, quamobrem non refrigerantes ſolum julepos, ſed ejusmodi quoque cataplaſmata exinde conficiant, ut *Hernandezius l. c.* meminit. Ventriculum quoque confortat, & lac auget, præſertim ſi cum cacao, vel in chocolatæ, quam etiam ingreditur, potu ſumitur. Aliâs verò ad comparandum colorem, aurantiorum æmulum, plerumque adhibetur, dum non ſolum Mexicani regionum fines, in Geographicis ſuis mappis, iſta ipſa & radice curcumæ deſignant & diſtinguunt, (cui propterea *Scaliger* arbori regundorum finium cognomen addidit, teſte *Joh. Terrentio* in *Notis ad Hernand. pag. 75.*) ſed magna quoque quantitas annuatim in Germania à tinctoribus, ad lanas, tibialia ac lintea aureo imbuenda colore conſumitur. Hæc vero inficiendi, ut ipſe vidi, eſt methodus: Recipe Orleanæ ½ ℔, minutim contunde, pulverem inde in tria labra fortis, purique & clari lixivii, coque omnia in aheno, & ſi quid coctione fuerit conſumtum, lanas, tibialia, fila ſimplicia & duplicata injici & aliquamdiu macerari cura, deinde extrahe, & ſuſpende, quo ſiccentur, ſic colorem habebunt aurantiorum eleganter æmulum. Et quoniam Orleana ſummum petit lixivioque innatat, primum tinctum ſemper pulchrius eſt eo, quod ultimò immergitur. Tantum Orleanæ ad ℔. VI. minimum ſive lanæ ſive lintei ſufficit: plus quoque poteſt inſici, ſed quod ultimo tingitur, crinium quam aurantiorum colorem magis exprimit. Iſta quoque ceræ pallidiori in Gallia flavum dari colorem credunt, teſte *Pometo* in *libro antedicto loc. cit.* quemadmodum & eâ aureis ex ſericis aureisque filis conſtantibus telis, qui evanuit, priſtinus color aureus, poteſt reſtitui. Num verò rubra illa pezetta, quam Hiſpanicam lanam vocant, iſta inficiatur, quæ *Dale loc. cit.* eſt opinio, non induci poſſum ut credam, propterea quod Orleana non rubrum, ſed flavum inducit colorem, vividamque reddere faciem nequit.

CAPUT III.

DE

INDICO ET EJUS PRÆPARATIONE.

§. 1.

PRædictis terreis pigmentis non temerè notum iſtum cyaneum colorem, INDICUM dictum, annumeramus, quanquam, ſicut & Orleana, ad mineralia minime pertineat, quin potius ex herbis præparata fæcula, ſive terreum ſedimentum, vocari debeat. INDIGO igitur ſ. INDICUM induratus, ſiccatus, cyaneus color eſt, in magnis parvisque fruſtis, partim ex occidentali, partim etiam ex orientali India allatus, ibidemque ex certa aliqua herba extractus excoctusque, ut mox pluribus commemorabimus.

§. 2.

Ipſa herba ab Indis ANIL vocata, duos forte pedes alta, in utroque caulis latere craſſis, ſuperius ex obſcuro viridibus, inferius quaſi inargentatis, rotundis foliis exornata eſt, quæ integra non multo majora ſunt, quam auricularis unguis. Flos à piſi flore haud multum differens, coloris eſt rubelli, poſt quem longi, tenuesque & parum reflexi folliculi progerminant, in quibus exiguum ſemen, magnitudine ſemini lini, colore olivæ ſimile, invenitur, prout omnia in figura à *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag. 181.* propoſita, apparent.

§. 3.

Modum plantandæ herbæ deſcribit *P. du Tertre* in ſua *Antillarum Inſularum hiſtoriâ pag. 107.* in eoque conſiſtere dicitur: Electa primum cum probe mundata & ab filicibus vacua terra, tum humidâ tempeſtate, plantationem adjuvante, granula parvis, digitô factis, foraminulis, ſive ſcrobiculis, ſpatiô pedem longô ab ſe diſtantibus intruduntur, quæ deinde terra obruuntur. Si quando poſt inſequens tempeſtas

ſtas humida tellusque bona fuerit, quatuor vel quinque dierum ſpatiô progerminant, atque poſt tres menſes poſſunt abſcindi; quanquam interdum certum aliquod inſectum, iſti herbæ valde infeſtum, ejus reſectionem ante maturitatem ſuadeat, quod Americani obſervantes, herbam ſine morâ, una cum inſecto, reſcindere, junctimque in ahenum projicere perhibent.

§. 4.

Ex qua herba deinde Indicum in officinis Indicis ſequenti modo præparatur: Quævis officina, ſive *Indigoteria*, valde magnâ pelvi, binis doliis ſive vaſis ad macerandum dictis, (*les trempoires*) binisque aliis, quorum unum piſtrinum ſive cupam tuſoriam, (*la Batterie*) alterum repoſitorium ſive labrum quieſcens (*le Repoſoir*) vocant, prædita & inſtructa eſt. Quæ vaſa omnia tanquam in contignationes diſpoſita ſunt, ſemperque alterum altero eſt altius locatum. Plantæ deinde colliguntur, in diſtinctos pulvinos in vaſe macerationis ordine diſponuntur, pedibus trudendæ. Hinc ſtatim circulus imponitur, quô ordine locatæ maneant; tum aqua è magna pelvi tamdiu profluere permittitur, donec altitudinem impoſiti circuli attigerit. Quæ aqua, poſtquam aliquo modo incaluit, fermentare & tantum non ebullire incipit, quô ipsô è plantâ materiam extrahit, ex quâ Indicum (quod herbæ fæcula eſt) paratur. E vaſe macerationis poſtea aqua in labrum, quod cupam tuſoriam vocant, derivatur, in qua hexagonum lignum locatur, manubrio, quo hinc inde moveri poſſet, & ſex oblongè rotundis pyramidalibus ſitulis, iisdemque multis in locis perforatis, inſtructum. Iſta jam dicta aqua, dum in cupâ tuſoriâ ſimul movetur, inque altum tracta, crebrius per urnas ſitulas transmittitur, ſe depurgat tota, ex iſtaque tam vitioſi ac inſalubres vapores aſcendunt, ut ſæpe opifices ſoleant ſuffocare. Quæ ſatis diu ita contuſa denſa evadit materia, fæcibus vini haud diſſimilis, quam Indi linteis ſaccis exceptam ſuſpendunt, quò aqua poſſit defluere, ſolumque Indicum retineatur, quod poſtea parvis ciſtis conditum in fornicibus aſſervatur, id quod *Malletus* ex antedicto Scriptore *Libro VII. Coſmograph. ſuæ pag.* 177. deſcripſit. Quâ ratione autem ac methodô Indicum in India Orientali plantetur ac præparetur, in *Appendice hujus libri*, poſt *epiſtolas de rebus Indiæ Orientalis*, docebitur uberius.

§. 5.

Quùm verò Indicum vel ex ſolis herbæ foliis, vel ſimul è caulibus conficiatur ac præparetur, è diverſis quoque locis proveniat, in diſtinctas ſpecies diſtinguitur. Quod è ſolis foliis eſt factum, Galli l'INDE, è caulibus juxta ac foliis præparatum, l' INDIGO vocant. Germanis utræque ſpecies dicuntur Indigo (*Indig,*) & tantum fruſtis diſtinguuntur, dum prior ſpecies tenuibus, parvisque ac depreſſis fruſtis divenditur, indeque *fein Platt-Indig*, ſive (auctore *Marxio* in *Germanico Materialium Muſeo pag.* 106.) *Platto Xerquier*, ſecundum *Pometum* vero l' *Inde Serquiſſe* nuncupatur. Reliquæ omnes, craſſis fruſtis & maſſis advectæ, nomen plerumque à loco natali ſortiuntur, v.g. *Indigo Guatimalo*, (Guadimale ſ. Gontimal Indig,) *Doming-Indig*, Caribic & ſimiles.

§. 6.

Quæ iſtarum ſpecierum pro optima habenda? nunc quæritur. Apud nos tinctores plerumque Indigo Guatimalo, ſive *Gontimal-Indig*, credunt eſſe optimum, quibus fere Materialiſtæ quoque & Pharmacopolæ, ut *Marxius*, *Scburzius* & *Vielheurius* in ſuis materialium muſeis conſentiunt, ſine dubio, quod hæc Indici ſpecies in noſtris regionibus præ aliis divenditur. Enim verò, aliis in locis prudentiores tinctores id multò melius intelligunt, qui neutiquam, uti noſtrates, vilitatem reſpiciunt, ſed omnium cariſſimum conquirunt, quòd cum iſto duplo plus, quam cum Gontimalo aut alio quodam Indico poſſunt tingere; quamobrem non dubitat dicere, quod vilioris Indici uſu ſe pauperes reddant, ſicut haud ita pridem Aromatarius quidam Hamburgenſis mihi confeſſus eſt. Nunc verò ipſa ratio ſuadet Indicum *Platto Xerquies* dictum multo eſſe melius, quam Indigo Guatimalo, quòd hoc plus duplo carius eſt, quanquam ab eôdem locô ferantur. Quoniam porro prior ſpecies è ſolis foliis, poſterior vero è caulibus & foliis conficitur, facile colligere licet, plus in iſtâ, quam in hâc eſſe virium.

§. 7.

Nihilominus etiam prædictum optimum Indicum, ſive

PLATTO XERQUIES,

aliquam adhuc differentiam admittit, prout à primâ, ſecundâ ac tertiâ foliorum collectione factum eſt, quorum prima ſunt optima, propterea, quod juniora tenerioraque folia vividiorem nitidioremque colorem ſuppeditant. Plerumque in depreſſis mediocris craſſitiei fruſtis, iisdemque forte pollicem latis, & digitum cum dimidio longis, affertur, quod nec nimis durum, nec nimis friabile, intenſè coloratum & violaceum, ſimulque leve eſſe decet, & aquæ innatans, unde etiam à Gallis *l' Inde Flottante*, ſive Indicum natans, vocatur. Diffractum nullas maculas albas, ſed venas argentum æmulas oſtendat neceſſe eſt, ſuperque ungue tritum decet violaceum ſuum colorem mutare in rubicunde æneum, ac minimis recrementis & pulvere eſſe deſtitutum.

§. 8.

Iſti proxime accedit

INDIGO LAURO,

quod licet exiguis fruſtis afferatur, magnam tamen

men partem etiam è foliis præparatur, vel ſuperior Guatimalenſis flos eſt, propterea quoque majori cum priori venit pretio, ut è taxâ materialium receptâ (*Prix courant* dicta) apparet. Paulò obſcuriorem, quam Guatimalo, dat colorem, quando ad libram lanæ Indici ſumuntur unciæ duæ.

§. 9.

Inter reliquas è caulibus foliisque juxta confectas ſpecies, Indicum Guatimalenſe, ſeu

INDIGO GUATIMALO

meritò excellit, quod mediocriter durum, leve tamen & natans, ſuperque ungue æneum eſſe oportet; verbo: quo ſimilius eſt priori, eo cenſetur melius; id quod etiam de

INDIGO DOMINICO

obſervandum, cujus color non adeo vividus ac æneus eſt; & quoniam utræque ſpecies ſæpe adulterantur, & cum arena ac terra miſcentur, accenſione bonitas probatur, dum bonæ notæ Indicum ceræ adinſtar comburitur, relicto recremento. Caribica cæteræque ſpecies vix deſiderantur.

§. 10.

Ex ultima ſpecie, addito amylo cœruleo ac albo, cum aquâ gummoſa maſſam conficiunt, quæ in magnas tabulas diviſa

INDICUM VULGARE,

ab aliis etiam Indicum compreſſum, *Platt-Indig*, it. *Hütges Indig*, vocatur, ſignandis ovibus utile. Impoſtores tamen etiam pro verò venditant; quem dolum ex viridi cœruleus color, ac ejus in aqua ſolutio, qua amylum cœruleum præcipitatur, detegit.

§. 11.

Uſus Indici tinctoribus notus eſt, qui laneos linteosque pannos, tibialia ſimiliaque iſto, urina prius ſubacto ſive præparato, tingunt. Pictores, quique parietes dealbant, ex illo cum auripigmento colorem viridem componunt. Fallaces verò Pharmacopolæ falſo violarum ſyrupo, quem ex ſolo ſaccharo & iride Illyrica fabricant, iſto mediante dant colorem, cui negotio tamen Lacca Muſica, vulgo *Lacmus*, magis apta nata eſt.

CAPUT IV.

DE

SALE GEMMÆ ET COMMUNI.

§. 1.

SAL GEMMÆ (*Stein-Saltz*) valde durum, clarum ac pellucidum ſal eſt, acris ſalſique & aliquantum adſtringentis ſaporis; & quoniam ita è terra effoditur, vocatur etiam

SAL FOSSILE.

E Polonia minori utplurimum affertur, ubi tantam habere duritiem dicitur, ut etiam ad exſtruendas domos ac ædificia poſſit applicari, de quo *Cromerus Tract. de Polonia* poteſt videri. Non minus Calabria illud fovet, auctore *Bartholino* in *Cent. 1. Epiſt. 54. pag. 231.* Cujus Catalonia quoque valde ferax eſt, ubi varias exinde figuras, nempe crucem ſanctam, Papiſtarum torques, quorum globulis preces numerant, foliorum florumque ſimulacra fingunt, quemadmodum ejusmodi figuram amicorum quidam, aliquot ante annis cum Legato Haſſo-Darmſtadino, Domino *Perſio à Londorf*, tanquam Secretarius ex Hiſpania redux, mecum communicavit; quâ de re *Aldrovandus* in *Muſ. metall.* ſimilem figuram oculis ſubjecit. Quas imagines ſali gemmæ ſub terra, ubi multo molliot quam in libero aëre eſt, certis modulis dicuntur imprimere, quanquam interdum ſponte ſua in ſpeciem ſpineri, aliasque figuras progerminet, unde flores ☉ exiſtunt, de quibus *Aldrovandus loc. cit.* iterum conſulendus. Porrò memorabile eſt, iſtum ſub terra perhiberi multo leviorem, adeo, ut maſſa, quæ ab uno homine è fodina potuit efferri, poſt aliquot dies libero expoſita aëri vix à quatuor viris ferri aliò queat, id quod præcipue de Sale Gemmæ Polonico in *Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec. I. Anno 2. Obſerv. 78. pag. 153.* commemoratur. Notam meretur, quod in Hiſtoria quadam Poloniæ ſe legiſſe mihi retulit Dn. *Joh. Nic. Hertius*, Cancellario quondam Acad. Giſſ. quod Fodina quædam Salis Gemmæ, ab illapſo forte igne, accenſa, ob ſtrepitum & crepitum Salis extingui non potuerit: unde & Sulphurei quid continere videtur.

§. 2.

Diſtinctæ inveniuntur ſpecies, quarum alia ſemper alia eſt clarior: vel enim albus ſal eſt, vel cæſius, vel ruber, qualis in *Aldrovandi Muſeo* repræſentatur. Qui colores inde proveniunt, quando Sali Gemmæ ſub terra forte bolus aut aliæ impuritates permiſcentur, quæ Domini *Turneſortii* apud *Pometum* judicioſa eſt ratio, quippe qui quatuor iſtius ſpecies in Catalonia obſervavit, ut in ejus *Hiſt. Generale des Drogues P. 3. L. 2. c. 31. pag. 69.* poteſt legi. Interea apud Simpliciſtas nonniſi commune, clarum & pellucidum Sal Gemmæ habetur, quod optimum eſſe judicatur in magnis cryſtallinisque fruſtis

fruſtis allatum, quæ tamen facile diſſiliunt, ſeque in fruſtula quadrata dividunt, ſimiliter pellucida.

§. 3.

Ejus uſus noſtris in regionibus infectoribus quàm coquis notior eſt, quamvis alibi locorum contuſus, & ad modum ſalis noſtri communis, quocum easdem vires habet, ad condiendos cibos uſurpetur. In Medicina plerumque externè in clyſteribus adhibetur, quoniam fortius quam cõmunis ſtimulat, quam ob cauſam idem etiam Chymici ad ſolvenda metalla eligunt. Sunt qui balſamum inde componunt, quem à *Schrædero* minus rectè deſcriptum *Ettmüllerus* in *Commentario ſuo pag.* 901. additis neceſſariis corrigit. Cujus loco hodie Gallorum more ♃ ♁ com. utuntur, de quo mox pluribus erit agendum.

§. 4.

Huc pertinet

SAL INDUM,

cujus Veteres, *Plinius* ſcilicet, *lib.* 21. *cap.* 7. *& Matthiol. lib.* 8. *com. in Dioſc. c.* 88. faciunt mentionem; hodierno die apud Materialiſtas non habetur, id quod fere mirum eſt, quùm auctore Domino de Fuſtica apud *Pometum pag.* 70. *loc. cit.* certum aliquod in India regnum ſit, Dancal, ſive noſtra vernacula, *Saltz-Land*, h. e. regio ſalſifera dictum, quod tanta copia ſalem gemmæ annuatim profert, ut ſexcenti cameli iſto poſſint onerari. Ægyptus iſtum loco monetæ dicuntur uſurpare, quemadmodum etiam *Boccone*, doctus Italus, in epiſtolis ſuis Gallicis, *Recherches & Obſervations Naturelles* dictis, non ſine admiratione ejusmodi Ægyptiaci ſalis meminit, qui ſemper in forma parvæ pyramidis ſub terra inveniatur, quem propterea Salem pyramidalem Ægypti vocat, cujus delineationem capitis hujus initium in *Muſeõ Muſeorum Germanico* repreſentat, ipſum verò in naturâ meum qualecunque Muſeum exhibet. Num autem quid præcipui & plus quam ſal gemmæ vulgaris, cujus eſſe ſpecies videtur, poſſit efficere, loco ſuo volo relinqui, in cujus defectu vulgari notoque poſſumus uti.

§. 5.

Ab hoc Sale gemmæ, hactenus commemorato, ſecundum Doctorum quorundam opinionem, etiam

SAL COMMUNE,

ſive

das gemeine Kuchen-Saltz,

ſuam habere originem dicitur, cum nempe iſtud à fluviis ſubterraneis aquave pluviali ſolutum, vel in mare, quò omnes aquæ refluunt, vel in ſalinas perfertur, unde Sal marinum, *das Meer-Saltz*, & Fontanum, *das Brunnen-Saltz*, exiſtit.

§. 6.

MARINUM SALEM ſali gemmæ debere originem, Clariſſimus Anglorum Philoſophus, *Robertus Boyleus*, inde ſumit probandum, quod ſal marinus in fundo ripisque maris multo ſalſior, quam in medio ſit, id quod multis experimentis in peculiari *de ſalſedine maris tractatu S. II. c.* 1. demonſtrat; cui præterea accedit, quod acrimonia à ſale gemmæ haud multum diſtet, quam filtratio per poros terræ in ſale communi facit remittere; quæ ratio, quamobrem Chymica præparata rectius è ſale gemmæ componantur. Alias plerumque ex Hiſpania & Gallia provenit, quorum iſte habetur optimus. Quo autem modo ex aqua marina præparetur? (ſiquidem raro idque pauxillum ſponte ſua litori cryſtallorum forma accreſcit,) deſcribit *Monſ. l'Emery* in ſuo *Curſu Chymicõ*, ſeu *Cours de Chymie pag.* 345. ex eoque *Pometus* in *Gallico* ſuo *Muſeo part.* 3. *libr.* 2. *pag.* 70. Nempe Rupellæ, ſeu in oppido Rochellæ, locisque aliis certas ſalinas foveas, ipſo mari aliquantum profundiores, limoſoque fundo præditas, faciunt, quem ſciunt melius retinere aquam ſalinam, quam terram arenoſam. In iſtis ſalinis foveis per hyemem aquam marinam cuſtodiunt, quam durante ſolis calore per aptos canales faciunt profluere, quo ipſo purior redditur, poſteaque ſolis calore coagulatur. Qui puriorem deſiderat, ſalem ſolvit, iſtumque vel in exiles cryſtallos redigit, aut aquam prorſus evaporare ſinit, quod quo ſæpius repetitur, eo ſal fit candidior. Quamobrem duplicem ſalem marinum habemus, nempe nigrum craſſum, & album. Iſte Volaterranæ eleganter candidus, ille vero etiam alibi præparatur, quem tamen arti vitriariæ putant multo aptiorem albo, ut *Anthonius Neri* in *vitriariâ ſuâ arte* (*in ſeiner Glasmacher-Kunſt*) *p.* 4. refert.

§. 7.

Quemadmodum

SAL FONTANUM

è ſalinis proliciatur & præparetur, cuivis notum eſt, nec æque deſcribi poteſt, atque in officinis oculorum acie obſervari, quales Luneburgi, Halæ Saxonum, Nauhemii prope Fridbergam, Niddæ, Wiſſelsheimiæ Wetteraviæ, Türkheimiæ locisque aliis habentur, tanquam aurifodinæ æſtimandæ, ex quibus ſalinarum Dominis inſignis divitiarum fit acceſſio: quæ cauſa, quamobrem Rex Galliæ ex ſalis mercatura regium monopolium conſtituerit, annuatim multorum millionum afferens utilitatem. Qui certi aliquid de ſalis coctione legere deſiderat, ad manus ſumat *Beccheri Phyſicam ſubterraneam*, ubi *pag.* 92. bene informabitur.

§. 8.

Sal marinus fontanusque maximam partem in culinis ad aſpergendos cibos & condiendum uſurpatur, & aroma eſt optimum, ciborumque

balſamum, quò deficiente facile putredines morbique calidi oriuntur, quemadmodum ſæpe in caſtris, cinctisque obſidione locis contingit. In Medicina ſale decrepitato externè in ſaccu-lis calefacientibus fomentisque ad ſopiendum dolorem ventriculi & colicum, ſimilesque affe-ctus utimur. Internè uſurpamus ſpiritum ☉is, quem viridiuſcule flavum eſſe oportet, ſi bonus & ab omni phlegmate liber velit haberi. Quo-niam verò nimis acris eſt, ſpiritum vini recti-ficatum illi addunt, ad infringendam ejus aciditatem, quo deinde ☉ dulcis poſſit vocari. In proſtratô appetitu & ad ventriculi tonum nimis flaccidum confortandum valdè conducit & in curandis herniis quoque utilis eſt, ſecundum *P. de Cabriers* methodum uſurpatus, quam Gallo-rum Regis Ludovici XIV. juſſu typis evulgatam in *Polychreſtis meis exoticis* Diſputatio de Herniis legendam exhibet. Dentes quoque à nigro flavo-que tartaro purgat, & Circumforaneorum opti-mum arcanum eſt; caute verò iſto utamur, quo nec gingivam, nec dentium radices exedat & erodat, ſicque moleſtam odontalgiam pro-creet.

CAPUT V.

DE

ALUMINE.

§. 1.

ALUMEN acidus valdeque acerbus minera-lis ſal eſt, qui ab acido terreſtri ſpiritu, ab eo-que corroſis lapidibus, generatus, pro iſtorum dif-ferentia diverſas formas variosque colores ſorti-tur, quemadmodum *Jungius* in *Doxoſcopia ſua Phyſ. Part. 2. Sect. 206. XI.* non ſine fundamento ratiocinatur. Maximam partem ex Italia Angliaque affertur; quanquam etiam hodie in Germa-nia, Leodii, Salfeldiæ, Ziegenhainiæ Haſſorum & alibi magna ejus quantitas præparetur, ut *Viel-heurius* ipſe vidit, & in *deſcriptione exoticorum materialium p.* 20. teſtatur, ut propterea vel eò minus Indiæ occidentalis alumine opus habeamus, cu-jus *Hernandezius* in *Hiſtor. Nov. Hiſpan. pag.* 342. meminit.

§. 2.

Quemadmodum verò hodiernum & vulga-re alumen, ex certis lapidibus mineraque (ut mox oſtendetur) artificioſè fieri ſolitum, anti-quis ſcriptoribus incognitum fuit, utpote ejus-modi artis, quam noſtræ ætatis Doctores callent, in Chymiâ ignaris: ita contra naturales aluminis ſpecies hinc inde ab iſtis deſcriptæ, hodieque prorſus incognitæ ſunt, quùm etiam ſolertiſſimi Materialiſtæ ROTUNDUM, LIQUIDUM, ſive potius album, & nigrum alumen, quorum *Dio-ſcorides* & *Galenus* mentionem faciunt, ne quidem unquam viderint, ut *Pometus* in ſuo *Materialium Muſeo Part.* 3. *lib.* 2. *pag.* 80. nulla coactus neceſ-ſitate fatetur. Sunt tamen quidam curioſi naturæ ſpeculatores, qui iſtas ſpecies exquiſiverunt. Sic admodum doctus Italus *Bartholomæus Maranta*, non tres ſolum prædictas, ſed alumen etiam ſciſ-ſile in metallifodinis circa Neapolin invenit, quas *Aldrovandus* in *Muſeo metallico p.* 331. oculis curavit ſubjici; quibus Alumen Botryoides, cu-jus *Ferd. Imperatus in Hiſtor. Nat. l.* 13. *c.* 10. & 20. meminit, poſſet addi.

§. 3.

Has omnes doctoribus relinquimus: iſtarum ſaltem injicientes mentionem, quæ adhuc hodie apud Materialiſtas & Pharmacopolas reperiun-tur, quas inter

ALUMEN RUPEUM,

eſt notiſſimum, ab Italis quoque Alumen di Roc-ca, Germ. *Rotz-Alaun* dictum, quod ex certis lapi-dibus calcinatis elixiviatur; & quamvis nonnulli, interque eos *Sam. Dale*, quod modo diximus no-men tantum rubicundo & ex lapide rubro con-fecto alumini, quod ALUMEN ROMANUM Latinis vocatur, velint imponi, videre tamen ne-queo, quid obſtet, quo minus vulgare & Angli-cum eodem inſigniri nomine queat, cum æque ex certis lapidibus eodemque modo conficiatur, quem *P. Kircherus* in *Mundo ſubterraneo Tom.* 1. *cap. de Alum. pag.* 314. uberius deſcripſit, qui an-no milleſimo ſexcenteſimo nono & trigeſimo Tolfæ, ubi optimum alumen rupeum in Euro-pa invenitur, commoratus, aluminis præpara-tionem ipſe vidit, ita fieri ſolitam: Primum exci-ſi aluminoſi lapides in fornace calcaria calci-nantur: deinde acervatim in ampliora loca ve-cti, ad menſis fere ſpatium ſingulis diebus qua-ter aqua aſperguntur: hinc ahenis amplioribus inditis aqua ſuperfunditur, quâ perpetua agita-tione tamdiu coquuntur, donec acrimonia alu-minoſa fuerit extracta: poſtea clara aqua de fæ-cibus in vaſa querna derivatur, quo in iſtis in cry-ſtallos abeat, octogonas plerumque decagonas-que, ut è figura licet videre. Iſto modo non Roma-num ſolum alumen circa civitavecchiam, ſeu Pa-læopolin, in Italia, ſed Anglicum quoque in An-glia, noſtrumque Germanum Saalfeldiæ para-tur. Quod vero rubicundum Romanum ap-pareat, id cauſæ eſt, quoniam lapides, ex quibus extrahitur, rubent, qui proinde color non ex-trinſecus ſolum, ſed etiam intrinſecus in iſtis ap-

paret,

paret, quo ipso à rubro adulterino, & ad istius imitationem fabricato alumine, dignoscitur, quod nonnulli ex Anglico & vulgari conficere, ac rubefacere extrinsecus norunt, teste *Pometo Tr. Histoire Generale des Drogues Part. 3. Lib. 2. cap. 46. p. 87.*

§. 4.

Insignis, qui ex alumine resultat, usus infectoribus potissimum notus est, quo lanam pannosque macerant, ut colores eo melius assumant, unde alumen quasi dans lumen vocatur. Alii adulterinas margaritas aliaque ornamenta exinde conficiunt: quo etiam monetarii, alutarii, bibliopegi aliique artifices utuntur. In Medicina dysenteriam albam rubramque & similes hæmorrhagias sistit, quibus in casibus etiam externe, cum lacca in globulos redactum, conducit. Si quando gingivæ sanguinem stillant, cum nuce moschata contusa miscetur. Cui nonnulli alia salia fixa permiscent, istoque febres erraticas curant. Non minus ad adstringenda laxata congressu genitalia (Sophisticationem virginum vocant) usurpatur, de quo *D. Hoffmannus* & *Ettmüllerus* in *Comment. ad Schræderum* possunt videri. Chirurgi isto in externis ulceribus ad exedendum utuntur, præsertim alumine usto, è vulgari & in cochleari tamdiu liquefacto servato alumine, donec in calcem albam concidat, conficiendo: putridam ulcerum carnem exedit, istaque emundat. Præcipui quidam homines istum contusum sub alis plantisque gestant, quando alæ pedesque hircum olent, quocum vero caute agendum, ne suffla minata transpiratione insensibili & sudore majores creentur morbi. Alumen cum cerussa & aqua rosarum contusum, erysipelati & ophthalmiæ medetur.

§. 5.

Ex alumine vulgari quoque

ALUMEN SACCHARINUM

conficitur, quando istud cum aqua rosarum & albumine ovi ad debitam consistentiam coctum, in parvas pyramides, sacchari conis haud dissimiles, formatur, à qua forma ipsi inditum nomen est: fere nusquam usurpatur, præterquam quod Gynecæum illud ad infucandum adhibeat.

§. 6.

Quid vero sit, quamobrem cinis infectorius, *die Weid-Asche*, alumen catinum, & cinis fæcum, *die Trusen-Asche*, alumen fæcum vocatus fuerit, animo concipere nequeo, quum nec forma nec qualitatibus vel aliquam affinitatem, quin multo magis aliquid inimicitiarum foveant, quod vulgare alumen acidis, isti vero lixiviosis alcalicisque salibus annumerentur.

§. 7.

Multo minus ita dictum ALUMEN SCAJOLÆ ejusmodi salibus venit annumerandum, quod omni penitus sapore destituitur, in aqua etiam solvi nescit, quin potius lapidis scissilis videtur species, quod nominis inde habere creditur, quoniam in scajas sive squamas potest dividi, ut *Aldrovandus in Mus. Metall. p. 680.* loquitur, qua in re forte unicam cum alumine sciffili veterum affinitatem habet. Rectius alias lapis Schistus albus & pellucidus in *Wormii Museo pag. 57.* vocatur, qualis in Norvvegia in argenti fodinis invenitur. vid. loc. cit.

§. 8.

Longe alia

ALUMINIS PLUMOSI

(*Federvveiß*) (dicti)

ratio est, quod hucusque modo inexcusabili cum Amiantho, *dem Flachs-Stein*, confuderunt; & quamvis *Ettmüllerus* in *Commentario suo Schræd. pag. 909.* inter ista duo differentiam statuat, alumen plumosum tamen pro aluminis specie non vult haberi, sed ejus essentiam cum amiantho confert, id quod experientiæ est contrarium, quùm de minerâ aluminis plumosi frustum habeam, quod cum progerminante plumoso albo (*Feder-vveiß*) vere salsum, austerum & aluminosum saporem habens, in ore solvitur & diffluit. Quapropter in ea totus sum opinione, quod verè naturale alumen sit, nec concipere animo possum, quod in fila duci, &, ut ex amiantho solet, textum aliquod exinde confici queat; & si fingamus id fieri posse, in igne tamen non est incombustibile, ut *Aldrovandus* aliique jam pridem confessi sunt. Hinc credo, Materialistis pro vero alumine plumoso aliquam amianthi speciem fuisse oblatam & divenditam, quod confusioni, qua plumosum album & amianthum pro una re, vel minimum pro corporibus haud dissimilibus fuerunt habita, magnam hucusque occasionem præbuit, causaque extitit, quamobrem verum alumen plumosum adhuc investigatum cognitumque non fuerit. Quapropter pauca de ejus usu & utenti modo legenda inveniuntur, qui tamen cum vulgari alumine in multis conveniet, quoniam fere eodem prædita sapore sunt, qualem in talco, cum quo à prædicto *Ettmüllero* confertur, prorsus non observabis.

CAPUT VI.

DE

SALE PETRÆ ET BORRACE.

§. 1.

SAL PETRÆ (*Salpeter*) albus cryſtallinusque ſal eſt, ſaporis acris & amaricantis, vulgo etiam latinis NITRUM vocatur, quod tamen nomen ipſi prorſus non convenit, quum verum nitrum, cujus Veteres faciunt mentionem, prorſus alius & ab Sale Petræ noſtrate diſtinctus ſal ſit, cujus ne minimam quidem hodie micam poſſidemus, ut *Joachimus Jungius*, ſolertiſſimus ſuo tempore Naturæ Scrutator Hamburgenſis, in *Doxoſcopia Phyſ. Part. 2. Sect. 2. cap. 2.* è *Bellonio*, *Matthiolo* & aliis egregie demonſtravit: Qui propterea inter Halinitrum (*Salpeter*) Nitrumque verum ratione locorum æque, unde veniunt, atque ratione qualitatum, inſignem differentiam conſtituit. Illud apud nos ubique locorum è ſalſa pinguique terra coquitur, & ſaporem habet acidum: Iſtud vero ita in ſubſtantia in Ægypto effodiebatur, NATRUM ÆGYPTIACUM & ANATRUM propterea vocatum, & potius ſaporis erat lixivioſi, qualem ⊖ ia fixa vegetabilium habent, quique priori eſt contrarius, adeo ut loco ſaponis uſurpetur, & haud ita pridem Pariſiis loco cinerum clavellatorum divenditum fuerit, ut *Pometus* in ſuo *Materialium Muſeo pag. 73.* commemorat. Imo etiam è locis quibusdam S. Scripturæ v. g. *Proverb. cap. XXV. verſ. 20.* id poteſt colligi, ubi in Lingua Sacra, imò & verſione Anglica, nitrum tanquam ſal aceto contrarius inducitur, & à *Luthero* cretæ exponitur nomine, de quo alibi pluribus egimus. Num vero Nilo acceptus referendus ejus ortus ſit, quæ vulgaris eſt opinio, ſuo nunc loco relinquo; hoc ſaltem teſtari poſſum, quod, quum Clariſſimus Æthiopicus *Hiſtoriographus*, Dominus *Ludolfi*, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius, Francofurti aquam iſtam Niloticam, quam ex Ægypto ſibi afferri curaverat, mihi in vitro deguſtandam porrigeret, nequicquam falſi obſervare potuerim, quoniam guſtu aquæ dulci cõmuni erat ſimilis.

§. 2.

Quod verò ad noſtrum SALEM PETRÆ attinet, in Germaniâ ubique è communi terrâ, in obſoletis ovilibus, inveteratis muris & cellis inveniendâ, elixiviatur & coquitur, quæ ante à nitri coctoribus ita probatur: paulum inde conficiunt lixivii, quod in ſcutellâ ſuper candelâ evaporare & incoqui curant, quod ſi multum relinquit ſalis, minime crepitantis, ſique iſto combuſto nullum remanet ſedimentum, bona judicatur terra, nitrique dives: ex qua nitrum magnâ copiâ extracturi, in cupâ majori duobus fundis, qualem Saponarii habent, inſtructa, & tam ampla, ut tantum terræ, quantum duobus pabonibus vehitur, poſſit ingeri, cum aquâ communi forte debiliusque lixivium conficiunt, quod ad certam menſuram incoqui, deinde per fagineos vel abiegnos cineres transfluere curant, quò cinis lixivio pinguedinem demat, iſtudque accreſcendum ſtimulet. Quô factô lixivium deinde è cupa in ahenum ſenſim ſenſimque derivatur, & tamdiu coquitur, quoad nitri præparator obſervet, quod ſal rutro ſuo adhæreat, quem ſic in ſuprapoſitam corbulam, ex aſſerculis conſtantem, infundit, omne, quicquid in cupâ, conficiendo lixivio deſtinatâ, continetur, ſinit refrigerari, hinc limpidum defluere, inque profundis ahenis & alveis in terra defoſſis, accreſcere, in quibus tum inveniendi crudi Salis Petræ copia datur, quem iisdem in vaſis, repetitâ tum ſolutione tum coctione purificare & exaltare ipſi eſt integrum, ut in eleganti figurâ, iſta omnia aliquo modo repræſentata, uberius à *Lazaro Erckero in ſeinem Probier-Buch pag. 104. & ſeqq.* deſcribuntur. Pro diverſa ejus, eaque nunc majori nunc minori, purificatione, diverſæ exiſtunt ſpecies, quas *Pometus in Hiſtoire des Drogues Part. 3. L. 2. cap. 35. pag. 74.* præ aliis eleganter deſcripſit. Optimus cenſetur ruber, albus, in longis latisque cryſtallis, & verè ſiccus, omnique ſale communi (quem *den Schalck* vocant,) deſtitutus, id quod crepitu obſervatur. Si Sal Petræ incenſus totus comburitur, probatur eſſe bonus: ſin vero magnum ſedimentum relinquit, adulteratus eſt.

§. 3.

Hîc locorum etiam Sal Petræ naturalis habetur, qui inveteratis muris formicibusque adhæret:

APHRONITRUM

ſive Spumam nitri vocant, quo nomine ſæpius ſpuma, in coctione Salis Petræ remota, inſignitur, huc minime pertinens. Hoc Aphronitrum parvis exilibusque cryſtallis conſtat, inſtar florum concreſcentibus, unde etiam flos ⊖ nominatur, imò genuino nitro paulo propius accedit, quam vulgaris Sal Petræ, in quo nonnulli quid occulti quærunt.

§. 4.

Quod vires uſumque nitri attinet, annuatim non facilè deſcribenda ejus quantitas in pulverem pyrium inſumitur, de quô alibi eſt agendum. Nec exiguum eſt, quod ad aquam fortem resque alias Laboratores conſumunt, de quibus mox plura ſequentur. Neque ſpernendus ejus in Medicinâ uſus eſt, præſertim in morbis

bis calidis, in quibus nitrum non ſolum refrigerando reficit, & propterea ab Anglico Cancellario *Bacone de Verulamiô*, in *Hiſt. vit. & mortis pag.* 105. frigidum aroma vocatur: ſed ſanguinem quoque in fluore perpetuâque circulatione ſervando impedit, quò minus in coagulum abeat. Quamobrem in febribus continuis, Hungaricis, vulnerariis, Angina & Pleuritide ☉ depuratum, in potu ordinario ſolutum, nobile remedium eſt, modò ventriculi imbecillitas, dyſenteria, & acris ſeri præſentia ejus uſum non vetent. Flatus quoque diſſipat in melancholia flatulenta, ſive malô hypochondriaco, ob quam rationem ſpecies diaſpoliticon *Galeni* ingreditur. In immodicâ moleſtâque ſalacitate melius remedium datur nullum, ut *Timæus à Güldenklee* in Buccinatore *Lib.* 3. *conſil.* 52. *pag.* 197. expertus eſt. Non minus excandeſcentem, ab immodico ſpiritûs vini potu, ſanguinem refrigerat, experientia *D. Simonis Paulli*, in *Digreſſ. de Febr. Malign. pag.* 53. Tandem etiam calculum urinamque pellit.

§. 5.

Inter Præparata, quæ ex nitro conficiuntur, primùm ſe ſiſtit

LAPIS PRUNELLÆ,
ſive
Die präparirte Salpeter-Küchlein,

qui propterea id nominis obtinuit, quoniam in Angina ſ. Prunella creber iſtius eſt uſus: quanquam alii lixivio correctum nitrum cum *Keslero* præferant, quod in præparatione lapidis Prunellæ nitrum ſpiritu ſulphuris acido corrumpatur magis, quàm corrigatur. Ipſum eleganter album ſiccumque decet eſſe, & recens factum, præterea ex depurato non crudo nitro conſtare, quod ex albedine apparet. Quod verò cum alumine adulterari poſſit, prorſus falſum eſt, dum nitrum, ad modum ſacchari, neutiquam cum alumine ſe poteſt unire, ut *Pometus loc. cit. pag.* 76. teſtatur. Internè inſtar nitri uſurpatur, & externè in gargariſmis. Quando nitrum ſine ſulphure carbone candente incenditur, idque toties repetitur, donec non amplius ſtrideat,

NITRUM FIXUM

acquirimus, ex quo *Glauberus* liquorem ſuum Alkaheſt conficit, qui nobile eſt menſtruum. Species hujus ☽ fixi eſt Modernorum PANACEA SOLUTIVA, ſeu MAGNESIA ALBA, cujus deſcriptionem & uſum vid. in *Præf. diſpenſatorii* noſtri *domeſtici* Praxi Med. infallibili ſubjuncti: ſin vero crudum nitrum cum ſiccâ argillâ, ſive luto, è Retorta in amplius recipiens deſtillatur, rubicunda igneaque nebula aſcendit, quæ in limpidum & albeſcentem ſpiritum coagulatur,

SPIRITUM NITRI

vocatum, quem clarum inſtar aquæ eſſe oportet, ſemperque fumantem, ſi bonus velit haberi; quô ipſo etiam apparet, num ex aqua forti conſtet, qua ab impoſtoribus adulteratur. Aliâs valde corroſivus eſt, ut ſpiritus ☉is adinſtar cum ♒ vini ſit dulcificandus, qui tum denique urinam calculosque pellit, & flatus diſſipat, præſertim ſuper floribus chamomillæ Romanæ abſtractus, & *D. Michaelis Spiritus Anticolicus* vocatus. Quem ſpiritum in Thuringia Laboratores in magnâ copiâ conficiunt. Quando ad partem unam nitri partes duas ☉li ſumunt, deſtillatione aſcendit vulgò ſic vocata

AQUA FORTIS,
ſive
das Scheidwaſſer,

quæ tamen nihil eſt aliud, quam ſpiritus ☽, dum à ☉lo parum vel omnino nihil aſcendit, & ſpiritus ☽ tantum efficit, atque aqua fortis. Ad ſolutionem argenti & aliorum metallorum utilis eſt, quâ æris cælatores, aurifabri aliique utuntur. Huic ſi ♁X c. addimus, AQUAM REGIAM habemus, ſolvendo auro aptiſſimam. E capite mortuo aquæ fortis elixiviando ſalem acquirimus,

ARCANUM DUPLICATUM,

Nitrum ☉latum, Panacea Holſatica &c. dictum. Quoniam verò non ſemper habere licet cap. mort. *Daniel Ludovici* c. ſolut. ☉li conficere docet, ut ex ejus *Pharmacia Mod. ſeculo applic. pag.* 427. apparet. In febribus erraticicis, ſcorbuto, morbisque aliis nobile digeſtivum aliquid anodyni in ſe fovet, ob ſulphur ☉ anodynum admixtum.

§. 6.

Ceterum inveniuntur, qui

BORRACEM

Venetam pro nitri ſpecie agnoſcunt, ſine dubiô, quod nitrum lingua Arabica *Baurach*, (unde vocabulum borrax videtur derivari) vocatur. Albus pellucidusque ſal eſt, glaciem & alumen repræſentans, ſapore acri & lixivioſo præditus, qui maximam partem Venetiis affertur, ubi primùm fuit confectum. Ex Batavià quoque & Angliâ borracem advehunt, ſed viribus priori inferiorem. Batavi ex Inſula Ceilon iſtam afferre perhibentur, teſte *Marxio* in *Germanico ſuo Muterialium Muſeo pag.* 43.

§. 7.

Quid vero propriè borrax ſit, & nativane an compoſita res ſit? in eo docti Naturæ ſcrutatores nondum conveninnt. *D. Schrædero* arte elaboratus ſal videtur, qui Venetiis ex ♁X co, ☉, ♁ comm. & tartaro ♆n. præparetur. Aliis ex ☉ & ☐a videtur conſtare, ut in prædicti Auctoris *Pharmacopœiâ pag.* 208. legere licet: Cujus tamen Interpretes, *D. Hoffmannus* & *D. Ettmüllerus*, in eo ab iſto diſſentiunt, exiſtimantque, borracem nativam eſſe mineram, quæ in Indiâ reperiatur. *Pometus*

crudam

crudam borracem vocat, ſcribitque duas iſtius ex Indiâ afferri ſpecies, quarum una rubicundam pinguedinem circa ſe habeat, altera cæſia ſit, quam Veneti in aquâ ſolutam, ſuper funibus goſſipinis, aut aliis baculis, in cryſtallos faciant coagulari. *Jungius* contra in *Doxoſcopia ſua loc. cit.* cauſatur, album inſipidumque eſſe lapidem, in aqua ſolvi neſcium, qui calcinatione ſaporem, fagineorum cinerum æmulum, adipiſcatur, ſimilemque odorem emittat guſtatus. Quoquo modo autem ſe res habeat, id tamen eſt obſervandum, borracem craſſam eſſe oportere, albam, eleganter claram, & pellucidam. Id quoque obſervemus, ut ne alumine ſit permiſta, quod in igne non ita ebullit, inſtat borracis. §. 8.

Borrax aurifabris, ad ferruminandum aurum argentumque, (ubi præſertim in adunando auro, inſtar nitri, vireſcit) eſt in uſu crebriori. In optimæ notæ argentum agit ſola: ſi verò cuprum ſit permiſtum, fel vitri addunt, iſtaque tum manet alba. Metallorum quoque fuſionem adjuvat. In Medicina ad promovendum partum nobilis eſt, quò in caſu aliquoties ejus effectum felicem expertus ſum, inprimis quando in nimia uteri hæmorrhagiâ pellendus abortus eſt, de quò, volente Deo, in *Praxi mea infallibili* agetur pluribus.

CAPUT VII.

DE

VITRIOLO, ATRAMENTO VULGARI ET SINITICO.

§. 1.

VITRIOLUM (*das Kupffer-Waſſer*) nihil aliud eſt, quàm ſal metallicus, ex crudis & à ſpiritu ſulphuris exeſis metallis minerisque proveniens, & vel ſub terrâ, vel extra illam in pellucidos cryſtallos coagulatus, ſaporis acidi, auſteri & adſtringentis, variique coloris, prout ſulphur vel in ferrum, vel in cuprum deſtillat, quorum illud viridiuſculum, hoc cœruleum vitriolum ſuppeditat, quemadmodum ab *Angelo Sala* in peculiari *Tract. de Vitriolo*, & à *Minderero Diſp. de Chalcantho* copioſius eſt demonſtratum.

§. 2.

Hæ ſaliformes cryſtalli vel ab ipsâ Naturâ ita præparatæ inveniuntur, id quod tamen rarò contingit, aut ex peculiaribus mineris & metallis artificiosè confectæ ſunt. Modus operandi vulgaris in eo conſiſtit: Sumuntur iſti rei aptæ mineræ, (quæ plerumque marcaſitæ, quis vel pyritæ ſpecies ſunt) ſive integræ ſint, ſive contuſæ, eæque libero aëri tamdiu exponuntur, donec ſponte ſua in viridem vel cœruleam calcem concidant, aut aliquas cryſtallos emittant: quæ ſimul ac ſuſtinendo labori facta idonea eſt, debita aquæ ſuperfunditur quantitas, quò pars ſalſa extrahatur, hinc aquam evaporare, & in ligneis alveis ſive ciſtis in cryſtallos accreſcere curamus, eodem fere modò, quò alumen in Angliâ, & Sal Petræ hic locorum ſolent confici.

§. 3.

Num autem vitriolum ferro aut cupro ortum ſuum debeat? ſequenti experimento exploratur: Tere vitriolo cultri laminam, ſalivâ humectatam, quæ ſi nec roditur, nec rubeſcit, indicium eſt vitriolum, ad exemplum Romani Anglicique, Veneris mineræ originem ſuam referre acceptam: ſin vero ferrum rodit, rubigoque cultrum obducit, ortiale eſſe vitriolum judicatur, quale cœruleum Cyprium & Goslarienſe eſt, teſte *Pometo* in *Gallicâ ſuâ Materialium Hiſtoria Part. 3. lib. 1. cap. 57. pag. 36.*

§. 4.

Speciebus vitrioli plerumque regiones, ex quibus advehuntur, cognomen addunt, inter quas

VITRIOLUM ROMANUM

omnium rariſſimum eſt, & ferè etiam cariſſimum. Ex Italia id affertur, & in ſolius Romæ honorem hoc gerit nominis, cùm non iſtic, ſed in aliis Italiæ locis ſit confectum. In magnis aliâs fruſtis viridibusque cryſtallis eſt, quibus ab Anglicô, quocum ſæpe commutatur & adulteratur, quove multo minores & viridiuſculas cryſtallos habet, debet dignoſci. Ad pulverem ſympatheticum unguentumque armarium crebrò uſurpatur, quæ ambo ex calcinatô Solis calore vitriolo Romano conficiuntur, ut Anglus *Digby* in quibusdam peculiaribus ſcriptis oſtendit, quæ cum aliis in *Theatro Sympathetico* dicto reperiuntur: quamvis adhuc multa particularia in reliquis ipſius valde elegantibus manuſcriptis, quæ Mercatoris *Ockſii* hæredibus Francofurti pignori data ſunt, contineantur.

§. 5.

Aliud præterea vitriolum Piſâ ex Italia venit, nempe

VITRIOLUM PISANUM,

quod Romano colore fere ſimile eſt, præterquam quod viridius minusque ſit, juxtaque & vilius;

vilius; quamobrem ab infectoribus, pileonibus aliisque magis quæritur & consumitur.

§. 6.

Magna inter istud &

VITRIOLUM ANGLICUM

intercedit similitudo, quod ex lutea minera in Anglia præparatur: ac eleganter clarum & pellucide viride, vereque siccum esse decet: parva albaque frustula habens nequicquam prodest; similiter tinctoribus inservit, à quibus Suecico Saxonicoque ad tingendum habetur melius.

§. 7.

Inter vitriola cœrulea

VITRIOLUM CYPRIUM

optimum est carissimumque, cujus duo apud Materialistas habentur genera, unum in magnis frustis, Cyprium Vitriolum Societatis dictum, quoniam Indica Societas sive Collegium istud divendit; alterum incisum est, quod in parvis frustis, adamantum ad instar exacutis, venit. Utraque verè oportet esse cœrulea, præsertim confracta, quod extrinsecus facilime flava rubigine obducuntur, quam *Wormius* in *Musco pag.* 28. pro misy habet; facile tamen decidit, quando lingua istam humectamus & detergimus. Istud vitriolum vulgo à circumforaneis ad oculorum affectus commendatur, in quibus etiam, instar vitrioli albi, bene se gerit. Sunt, qui commemorant, talem exinde destillari posse spiritum, qui omnia vitra diffringat & penetret. Vulnera quoque sana præstat, & hæmorrhagiam sistit. In defectu vitrioli Romani pulvis sympatheticus ex illo potest confici.

§. 8.

Valdè cum isto

VITRIOLUM UNGARICUM

convenit, similiter cœruleo marinoque colore elegans: non minus VITRIOLUM SUECICUM, NORWAGICUM, & SCANICUM, de quibus *Wormius loco citato* est videndus.

§. 9.

Hic verò loci omnium usitatissimum est Saxonicum, sive

VITRIOLUM GOSLARIENSE,

quod ex cœruleo viride, clarum & pellucidum est, & Goslariæ copiosè in crystallos redigitur. Ex crystallis constet eleganter magnis, claris & pellucidis, minimorum recrementorum pauxillum habentibus, & quoad ejus fieri potest, siccis, si pro bono debeat haberi. Quò infectores & pileones apud nos præ aliis utuntur, utpote omnium vilissimo, plurimaque ex illo Chymici medicamenta præparant. In hæmorrhagiis locò Cyprii potest usurpari, quanquam ultimum priori isto in casu multo est melius.

§. 10.

Ex isto

VITRIOLUM ALBUM,

sive

Galitzel-Stein

conficitur, vulgò hucusque pro naturali vitriolo habitum. Verum teste *Pometo* in *libro supra citato pag.* 37. vitriolum album nihil est aliud, quam vulgare Goslariense, sed fortiter calcinatum, quod postea denuò in aqua solutum, coagulatum, & in magnas placentas, pondus XL. & L. librarum habentes, formatum, Materialistis & Aromatariis transmittitur. Hoc instar sacchari eleganter album esse decet, firmumque, & ab aëre liberum, à quo extrinsecus flavescit. Non equis solum, sed etiam hominibus, in affectibus oculorum usurpatur, quibus valde conducit, præsertim si duæ depurati sacchari partes parti uni vitrioli permiscentur. Chymici ex isto ita dictam GILLAM *Paracelsi* conficiunt, quando illud in aqua dissolvi & denuo coagulari curant. Emeticum est, ad instar salis vitrioli vomitivi.

§. 11.

E vulgari Goslariensi vitriolo nostrates quoque

ATRAMENTUM SCRIPTORIUM

conficiunt, sumendo ad partem unam bonarum Gallarum, dimidiam partem Gummi Arabici, partemque quartam Vitrioli, quæ omnia grossè contusa, octo cerevisiæ partibus infusa, per aliquot dies concutiunt. Quem pulverem atramentarium antiquus aliquis Medicus sequenti districho comprehendit:

Uncia sit Gallæ, semisque sit uncia Gummi,
Vitrioli pars quarta: his addas octo Falerni.

i. e.

Wilt du zum Schreiben dir ein gute Dinte machen,
So nimm zu acht Loth Bier, wie nöthig, diese Sachen:
Gallâpffel bey zwey Loth, ein Loth Arabici Gummi, thu noch darzu zwey Quint Vitrioli.

Plures descriptiones habet *Caneparius Tract. de Atramentis.* Quando verò peregrè nobis est exeundum,

ATRAMENTUM SINITICUM

(quod Pictores *Dusch* vocant)

vehementer usui est accomodatum, idq; Sinenses ex nigricante resinosa terra, vel secundum opinionem *Trigautii*, ex fuligine fumoq; olei olivarum præparant, & vel in oblongas & arctas, duos fere pollices longas, unumq; latas lamellas, vel in rotundos orbiculos formant, suisque characteribus insigniunt, ut ex figura *Mus. Germ.* apparet. Quo si scribere volunt, ejusmodi orbiculos saliva aut

aqua humectant, eoque parvos penicillos, quibus loco calami utuntur, inficiunt. Ad delineandum valde accommodatum est, de quo *Wormium* consule in *Musco pag.* 376. Quidam isto atramento in dysenteriâ & vulneribus utuntur, ut *Tavernierius* in *Tom. III. Itinerarii sui Germanici* commemorat: quod Batavi hodie æmulari dicuntur, sed multo minori pulchritudine ac bonitate. Id inter utrumque interest discriminis, quod Batavorum coloris sit ex cæsio nigricantis, & in depressis frustis consistat, Siniticum contra eleganter nitideque nigrum, in frustis digitum crassis, veniat, vid. *Pometus loc. cit. pag.* 96.

§. 12.

Ad reliqua præparata, è vitriolo confici solita, quod spectat, ejus phlegma, spiritus & oleum etiam apud Materialistas inveniuntur, quæ hic loci à Thuringis Laboratoribus (ut audiunt) abundantia emunt, & rursus divendunt. Aliâs ejusdem fere sunt essentiæ, prædictumque oleum nihil est aliud, quam ☵ concentratus, dum aquæ non innatat, sed in ista dissolvitur. Spiritus instar aquæ eleganter clarus acidulusque sit, necesse est, sique chartæ albæ aspersus supra ignem nigrescit, bonus est. Reficiendi refrigerandique causa in Medicina usurpatur, magna tamen dosi corpori vitæque nocivus existit, cujus rei memorabilem casum, qui haud ita pridem Cellæ obvenit, *Novellæ* nostræ *Medico-legales* communicabunt. Spiritus ☉li volatilis, & ☵ ☉li epilepticus sunt meliores, & à *D. Ettmüllero* in *Commentario Schræd.* Chymia aliisque libris, fusius describuntur. Caput mortuum istius spiritus, quæ punicei coloris terra est,

COLCOTHAR

nominatur, quod etiam in Medicina non parum commendatum & à multis loco chalcitis ad theriacam sumitur. Ex isto SAL VITRIOLI VOMITIVUM elixiviatur, sique calcinatur, TERRAM VITRIOLI DULCEM acquirimus, quæ loco LAPIDIS MEDICAMENTOSI & LAPIDIS MIRABILIS, qui similiter è vitriolo conficiuntur, in externis ulceribus utilis est.

§. 13.

Ut verò pauca adhuc de modo dicta CHALCITE commemoremus, plerumque pro vitriolo ab ipsa Natura per ignem subterraneum calcinato rubro habetur, & inprimis ad præparationem theriacæ quæritur; licet nonnulli, venenosam isti qualitatem adscribentes, istam ex theriacæ compositione malint excludam, siquidem rara etiam sit, multisque ignota. Si inveteraverit, MISY, MELANTERIA & SORY quoque vocatur, quamvis alii ista pro distinctis mineris velint haberi, de quo *Pometus loc. cit. pag.* 35. videatur. Vera Chalcitis ex eleganter purpureis frustis constat, iisdemque saporem ☉laceum habentibus, & facile in aqua solubilibus.

CAPUT IIX.

DE

CINERE INFECTORIO ET CLAVELLATO, AC SODA.

§. 1.

QUùm cinis infectorius, clavellatus ac soude sive soda, propter similitudinem, sæpe confundantur, alterumque pro altero possit haberi, magnum tamen inter tria ista corpora salsa intercedat discrimen, operæ erit pretium, ut de eo etiam in specie perspicueque agamus; quamobrem observandum est, quod ita dictus

CINIS INFECTORIUS

nihil sit aliud, quam fex vini calcinata, cui id inditum nominis sit, quoniam infectores isto crebrius utuntur, & eum in finem è Gallia locisque aliis magnis in doliis vasisque advehitur. Quem frustis lapidibusque adhuc elegantibus, ac recens confectum, ex viridi albescentem colorem, ac salso-amarum habere saporem oportet, si pro bono velit agnosci. Ex bona quoque siccaque vini fæce præparatus, neutiquam ab acetorum confectoribus emtus sit.

§. 2.

Quod ad ejus usum spectat, Infectorum cupis valde necessarius est, ex quo lixivium præparetur, quoque mediante Indicum interdum acuatur, quoniam colorem citius adhærere facit, & à maculis defendit. Isto etiam Saponarii utuntur, præsertim viridē saponem conficientes. In Medicina istum non desideramus, præterquam quod exinde sal, ex istoque oleum per deliq. possit componi, quæ ⊖ Tartar. & oleo ☿ per deliq. viribus respondent, quibus tamen aliquantum fortiora & corrosiviora sunt. Quæ causa est, quamobrem addita calce viva ita dictus LAPIS INFERNALIS, ad excitandas fontanellas, exinde possit componi, quem etiam Materialistæ interdum divendunt, de quo *Pometus* in *Materialium Musco Lib. VII. cap.* 71. *pag.* 255. potest videri.

§. 3.

Quod vero ad

CINE-

CINERES CLAVELLATOS

attinet, ex albescente & aliquantum cœruleo calcinato sale consistunt, qui primum ex affulis s. clavellis istorum doliorum ac vasorum, quibus cinis infectorius advehitur, conficiebatur, unde cineres clavellati dicti fuerunt, auctore *Jungio* in *Doxoscop. Phys. Part.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 12. §. 3. Et quoniam ejusmodi sal ex doliis, ustione in cineres redactis, elixiviatur, posteaque in capacioribus ahenis decoquitur, eidem nonnulli cineri ahenario *Kessel-Asche* cognomen indiderunt. Quum verò tanta affularum s. clavellarum haberi copia nequeat, quæ eam cinerum clavellatorum quantitatem, annuatim consumi solitam, suppeditet, solum postea quernum lignum, è quo constat, eum in usum cœpit sumi, quod apud nos cinerum clavellatorum mercatores magna copia cinefaciunt, ut salem inde elixivient, in amplis, istum in finem exstructis furnis, porro postea calcinandum, quales in incluto Hassorum cœnobio, seu Maniacodochio, cui Haina nomen est, videntur, ubi præparati magna copia cineres clavellati, in Germaniam, Bataviam locaque alia transportantur. E Polonia quoque Moscoviáque per Dantiscum, non spernenda ejus quantitas in Bataviam, Angliamque ac Galliam vehitur.

§. 4.

Modum & rationem, qua omnia fiant, præ ceteris *Merretus* & *Kunckelius* sub fine *annotationum in Neri artem vitriariam pag.* 347. describunt, & omnia in elegantibus figuris sistunt contemplanda. Si quando sufficiens cinerum è quercubus vel arboribus aliis adfuerit quantitas, in cupam supra notatam, quæ vel duplici eoque perforato fundo, vel condensato strato stramineo instructa sit, quali saponarii in præparatione lixivii utuntur, istam indi curant: Hinc compacte contusis cineribus tantum aquæ affunditur, quæ extra cineres emineat. Quæ si per noctem steterint, lixivium derivatur in subditum labrum, tanquam fortius seorsum asservandum. Tunc denuo aqua cineribus potest affundi, quo debilius inde lixivium eliciatur, loco aquæ simplicis recentibus cineribus postea affundendum. Quando nunc satis lixivii, tantumque, quantum desideratur, collectum fuit, in firmum ferreumque ac muro inclusum ahenum infunditur, (quod saltem tertiam partem decet esse plenum,) evaporare curatur, & quo perpetuo tantum de integro affluat, quantum evaporatione decedit, minor cupa supra ahenum ponitur, è cujus epistomio aqua culmum crassa, perpetuò in ahenum profluat, quoad omne lixivium evaporatione absumtum, tandem sal siccus evaserit. Quem refrigeratum ferreis cuneis ex aheno excutiunt, & quando ejusmodi salis obscure cæsii tantum fuit collectum, quantum operæ putatur esse pretium, in furnò huic negotio destinato ita calcinatur, ne liqueſcat, sed ex omni parte candeat. Ut vero sciatur, salem istum secundum omnes partes bonum esse purumque, unum maximorum frustorum depromunt, quod, ubi refrixerit, diffringunt. Quodsi frustum intrinsecus æque ac extrinsecus probe candeat, indicium est, verum bonumque esse salem; sin secus, diutius calcinandus, donec eleganter candescat, & partim à calore aliquantum cœruleus evadat, quippe quo alias cineres clavellati dignoscuntur.

§. 5.

Hic cinis clavellatus præcedenti cinere infectorio multo fortior est, quocum cetera eundem habet usum, & ab serici æque ac rerum viliorum infectoribus, Saponariis, ac Vitrariis seu vitrorum artificibus copiosè usurpatur & consumitur. Non minus in Chymiâ magnum usum præstat, ac plerumque intelligitur, quando salis alkali simpliciter fit mentio; Et quanquam ex omnibus herbis hâc ipsâ ratione sal ejusmodi lixiviosus potest elixiviari, plerumque tamen ab herba, cui ortum suum ferunt acceptum, nomen obtinent, ut ☉ Absinthii, Centaurii &c. Quamvis certum, quod omnibus aliis fixis urinosisque salibus cineres clavellati ac sal ♈ri (pro quò sæpenumero usurpantur) potiores putandi, ac multo melius viliusque possint haberi.

§. 6.

Interea bene est notandum genuinum proprieque ita dictum

SAL ALCALI

aliud quid esse, atque cinerem clavellatum, dum non ex querno, nec alio aliquo ligno, sed herba aliqua exotica marinâ, quam Veteres Kali geniculatum, hodierni herbarum periti Anthyllidam nominant, conficitur, & in officinis vitriariis vulgo

SOUDE,

latine SODA, Solicornia, Salsol, Alumen catinum, Germanis *Soer-Saltz*, *Schmaltz-Saltz*, *Aschen-Saltz*, vocatur, quemadmodum in *Merreti Annotationibus* in *Neri artem vitriariam pag.* 246. & *Schurzii Materialium Museo pag.* 89. potest videri. Aliâs ex albo cinereus sal est, in lapidibus diversæ magnitudinis, ac in Hispaniâ, ubi planta juxta mare crescit, non per elixiviationem, adinstar aliorum, sed per meram calcinationem præparatur, quanquam ad modum cinerum clavellatorum in aquâ possit dissolvi, ut *D. Jungius* in *Doxoscopia Phys. l. c.* commemorat. Attamen ex soude s. soda sal quoque potest elixiviari, cui quam sodæ rectius ☉ alkali imponitur nomen.

§. 7.

Modus istius præparandi est sequens: nempe abscinditur adultâ ætate planta, soleque exsiccata in acervum colligitur: deinde fasci-

culi ſucceſſive ſuper crate ferrea comburuntur, ut cinis in foveam decidat: poſtea operitur fovea, in qua ſi cinis aliquamdiu jacuerit, maſſa evadit, lapidem duritie æmulans, quam incolæ diffractam, ſub iſto nomine, varia in loca vehunt divendendam.

§. 8.

In Europâ quatuor iſtius inveniuntur ſpecies, nempe prima SOUDE d'ALICAN; aliquas itidem admittens differentias. Optima eleganter ſicca & tinniens, ex cœruleo cinerea, intrinſecus & extrinſecus multis foraminulis oculisque ornata ſit, odoris etiam, quando ſaliva aſpergitur, paludoſi expers. Adulterata eſt, quæ viridem cruſtam habet, lapidibusque eſt permiſta; quamobrem videndum, utne ſarcinæ incidantur, bonisque fruſtis exemtis intrudantur pejora. Pluris etiam æſtimatur, quæ ex fruſtis adinſtar filicum parvis conſtat, proptereaque CALLOTI vocatur, quam quæ ex fruſtis majoribus coagmentatur. Deinde SOUDE DE LA CARTAGENE, quæ paulum vilior, minusque cœrulea eſt, ac minora foraminula habet, majoribus vero ſarcinis venit. Tertia SOUDE DE BOURDE & quarta ſpecies SOUDE DE CHERBOURG humidæ ſunt, lapidoſæ, nec quicquam utiles; multo minus iſta, quam ſaponarii divendunt, crebra elixiviatione viribus prorſus privata, quâ ſuper re plura ſcribit *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues generale Lib. VI. cap.* 21. *pag.* 169. Alexandrina ſoda, cujus *Eichovius* in ſuis *itineribus pag.* 131. meminit, tanto locorum intervallo noſtras in regiones non venit, ſed à Venetis maximam partem conſumitur.

§. 9.

Iſta ſoda magna in copia in officinis vitriariis divenditur, qua ſine vere pellucidum eleganterque cryſtallinum vitrum fieri nequit, de quo *Kunckelius* in *Arte ſua vitrariâ* videatur, qui etiam experimentum in emtione obſervandum *pag.* 249. *cit. loc.* communicat. Qua in Gallia quoque lotrices, quæque apricatione lintea candefaciunt fœminæ, ad lixivia utuntur, quæ tamen à ſaponariis ſæpe circumventæ totum loturæ opus interturbant, calce emaceratæ ſodæ permiſta.

§. 10.

Huc etiam pertinet ita dicta

ROCHETTA,

&

Orientalis pulviſculus

Vitriariorum, qui nihil eſt aliud, quam orientalis ſoda, è Syria oriunda, & in cæſiis ſaccis advehi ſolita, Tripolitana melior, cyaneis ſaccis advecta. Integra fruſtra *Roquette* nominantur, contuſa pulviſculus orientalis, de quo *Pometus pag.* 171. & *Neri* in *arte vitriariâ* videantur.

CAPUT IX.

DE

FELLE VITRI ET VITRO VENETO.

§. 1.

VUlgo ita dictum

FEL VITRI

albidè-cæſius ſal eſt, ſapore nitro haud diſſimilis, qui ab aëre humido facile ſolvitur, ut liqueſcat. Ex officinis vitriariis venit, ubi materiæ ſive mineræ, è qua vitra parantur, pinguedinis ſive ſpumæ adinſtar innatat, ſub iſtaque facie deſpumatur; quæ cauſa eſt, quamobrem ab nonnullis AXUNGIA & SAL VITRI, à Gallis SUIN DE VERRE vocetur. Et quoniam ſalis hujus origo proprie ab ſoda vel aliis ☉ibus alkalibus eſt derivanda, quibuscum vehementer etiam convenit, alii etiam iſtum ſalem alkali, ☉ *anatron* &c. vocant. Plerumque in orbes funditur, unumque vas 200. libras optimæ vitri mineræ continens, forte 80. libras alkalici hujus ſalis ſuppeditat, ſicut *Merretus* in *Annotationibus ſuis ſuper Neri artem vitrificam pag.* 262. ſupputatione collegit.

§. 2.

Iſtius tres apud Materialiſtas inveniuntur ſpecies, primum Itala, quæ eleganter alba, eaque optima eſt. Deinde indigena, Norimbergæ fundi ſolita. Tandem Batavorum, omnium viliſſima, ut *Schurzius* in ſuo *Materialium Muſeo pag.* 35. *Marxius pag.* 95. & *Vielheurius* in *hiſtoria exoticorum materialium pag.* 29. unanimiter affirmant. Omnes vero ſicco in loco aſſervandæ ſunt, magnis nigrisque fruſtis, intrinſecus ac extrinſecus quaſi marmor repræſentantibus: Nigra contra humidaque fruſta abjicienda, teſte *Pometo* in *Hiſtoire des Drogues Lib. VI. cap.* 21. *pag.* 169.

§. 3.

Quod ad uſum hujus ſalis atttinet, Galliæ incolæ non ad condiendos ſolum cibos eò utuntur, ſed etiam tanquam medicina adverſus hydropem & calculum uſurpatur, auctore *Hoffmanno* in *Clav. Schræderiana pag.* 92. Externè dentibus depurgandis, omnis generis ſcabiei, externisque ulceribus curandis conducit, ut apud *Sam. Dale* in *Pharmacol.*

pag.

pag. 140. videre licet. Mulo-Medici quoque ad oculos equorum utuntur. In Chymia metallorum fluorem adjuvat, aurifabri vero ad ferruminationem, figuli ad porcellina aliaque vasa incrustanda adhibent.

§. 4.

Quoniam utilis ejusmodi sal à vitrorum materie despumatur, & alias quoque in Pharmacopoliis vitrum Venetum ad medendum asservatur, non inconsultum judicavi, pauca de ipso vitro commemorare, quod sequenti modo in officinis vitriariis conficitur. Primum vitriarii ante omnia ex purissima probeque depurgata alba arena sive silice cum soda, cinere clavellato, rochetta aut ejus sale misturam conficiunt, quanquam quilibet è cineribus plantarum præparatus sal isti intentioni satisfaciat, quod *Kunckelius* per experientiam didicit, omnium salium è plantis & terra nascentibus confectorum, eandem esse rationem, ut in Annotationibus super Librum primum *Anthon. Neri de arte vitrifica, pag.* 50. docet. Quæ res omnes (quælibet tamen seorsim) valde subtiliter contusæ, per subtile sive angustum cribrum concutiuntur, antequam calcinationem fusionemque subeant, dum, vitriariorum verbo, in angusto cribro aridoque ligno artis nitor consistit omnis, vid. *Neri cap. VIII. artis suæ vitrificæ pag.* 19. Hæc ita præparata arena, cum aliqua priorum salium in debita proportione mista, in massam funditur, quæ in Germaniæ officinis vitriariis mistura (*das Gemeng*) in Gallia ac Italia *Fritta*, ab Italorum vocabulo fritta, quod glaciare significat, solet vocari.

§. 5.

Istius misturæ in officinis vitriariis varias habent species, pro quarum bonitate vitrum vel pellucidum fit, vel obscurum, dum ad crystallinum confectæ ex optima arena Orientalique pulvere crystalli requiruntur. Deinde datur Fritta ordinaria, ex soda, vel cinere Orientalis seu levantici pulveris depurgata arena constans; tertio Fritta vulgaris, quæ ex varii generis cinere ac duriuscula arena præparata, in viride vitrum insumitur, ut in *Merreti Annotationibus pag.* 261. videmus.

§. 6.

Prout nunc intentio est vel eleganter crystallinum, aut saltem vulgare vitrum conficiendi, præmemoratarum aliqua misturarum sumitur, eaque in parvis catinis s. vasis (quorum aliquod singuli vitriarii seorsum habeant) in furno fusorio fundi permittitur, & quando satis excocta minera est, cavum opifex ferrum sive tubum in ejusmodi vas immittit, aliquantisper volvendum, tantumque sumit fusi vitri, quantum ad conficiendum vas satis est; fusum enim crudum vitrum sive metallum ferro adhæret, haud secus, atque tenax vel viscosus succus, aut paulo firmius, quam terebinthina. Adhærens autem tubo vitri forma rotunda est. Quem tenens opifex super marmore circumvolvit, quo se rectè uniat. Post flatum sensim in ferreum tubum immittit, quo facto vitrum ab halitu instar vesicæ intumet, ut in Figura Neriana, Lit. c. repræsentatur. Quoties vero Opifex spiritum inflat in ferrum, toties tubum ab ore continuo remotum, malæ applicat, ut ne ullam inspirando flammam attrahat. Tunc removet tubum, istumque circa caput agitat, vitrum elongat, refrigerat, istique formam imprimit. Tandem tradit illud vitriario, qui instrumentis suis perficit istud & format, furca tandem in furnum refrigeratorium sive superiorem furni partem, quo calore foveatur, nec à frigore rumpatur, reponendum, quæ omnia fusius locis supra dictis leguntur.

§. 7.

Quod nunc in specie ad

VITRUM VENETUM

attinet, secundum *Eichovii Itinerarium pag.* 183. in Murano modo prædicto conficitur, præterquam quod loco arenæ vel silicis, crystallus montana vel alii puriores lapides è Pado, optimaque soda (cujus Alexandria multum istuc vehitur) ad istud sumantur, quæ etiam non tam facile ab eo abscedit, propterea que causa esse creditur, quamobrem sponte sua in aere rimosum evadat. Num vero eam ob causam præ alio vitro peculiari aliqua virtute præditum sit, in medio volo relinqui. Interea notum est, quod vulgo tanquam specificum ad enecandum vermem umbilicalem, in pulverem redactum, cum melle permistum, infantum umbilico applicetur.

§. 8.

Tandem *Pometus* in *Appendice Historiæ Simplicium* commemorat, quod Parisiis quoque orbium fragmentorumque vitreorum mercaturam agant, istaque hinc inde colligant, ac denuo in officinas vitriarias sub nomine *Groesin* deportent divendenda, quò cum metallo liquata in nova vasa formentur. Apud nos in Germania Materialistæ fragmentorum vitreorum mercaturam despiciunt, istamque fenestrariis relinquunt, qui fracta vel abscissa frusta vitrea interdum colligunt, istaque mercatoribus, à quibus orbes emunt, dant in solutum; alias nec quicquam utilia, nisi quod murium foramina istis obturentur.

CAPUT X.

DE

SULPHURE VIVO, CITRINO ET CABALLINO.

§. 1.

SULPHUR terreſtris pinguisque reſina eſt, cum tantillô vitrioli permiſta, diverſi coloris, prout vel ex terrâ effoditur, vel arte præparatur; unde Sulphur in nativum & factitium diſtinguitur.

§. 2.

Nativum, aliâs quoque

SULPHUR VIVUM

nuncupatum, plerumque inſtar cæſiæ terræ apparet, quæ tamen ignem facile ſuſcipit, flammamque emittit cœruleam: Illud vero tenerum facileque friabile, intrinſecus & extrinſecus ſplendidum, multisque exiguis fruſtulis ac arena deſtitutum eſſe oportet. Ex quo & aliis præterea ſpeciebus, nempe ſandalo rubro, coriandro, nuciſta ſimilibusq; ſulphuratum, quo dolia vini imprægnantur, conficiunt. Quidam Pharmacopolæ nequam iſtud contuſum ſcammonio ſive diagrydio permiſcere perhibentur, ut *Pometus* in *Hiſtoire de Drogues P.* 3. *L.* 3. *pag.* 88. manifeſtat. Aliâs in Medicina raro præſcribitur, niſi optimum ſit purgatumque; quemadmodum ex India interdum Angliâque & Helvetiâ nativum ejusmodi ſulphur provenit, quod prorſus pellucidum ac viridè flavum eſt, inſtar ſuccini, cujus fruſtum aliquod mihi transmiſſum eſt, de quo *Wormius* in *Muſ. pag.* 27. *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 368. & inprimis *Wagnerus* in *Hiſtor. Nat. Helvet.* videantur. Sunt, qui iſtud SPIRITUM SULPHURIS COAGULATUM vocant, in eoque magnum ad curandam vulgarem vagamque arthriditem poſitum myſterium eſſe exiſtimant; haud ſecus atque clariſſimus *Burrhus*, modô chymicô ſulphuris coagulatum præparavit, quem albæ calci ſimilem hucusque ejus ſaltim Agnati Romæ divendunt. Ceterum nullum eſt dubium, quin hoc aliâs perrarum, ſicut & vulgare ſulphur vivum, iſtis ipſis præditum virtutibus ſit, quæ ſulphuri vulgari flavo mercatorum adſcribuntur.

§. 3.

Iſtud vero vulgare mercatorum Sulphur, ſive

SULPHUR CITRINUM

in ſulphurariis vel ex certis ſulphureis pyritæ ſpeciebus, (qui flavi ſplendidique ſunt & facile liquabiles,) vi ignis uritur, vel etiam ex ſulphureis aquis coquitur, quod tum in longam figuram, ſive magdaleones, fuſum refrigeratumque, divendendum aſſervatur, ut *Vielheurius* in *Deſcriptione Exoticorum Materialium pag.* 56. oſtendit. Multorum opinione ex ſulphure vivo præparatur, quam *Pometus l. c.* vel propterea deridendam exiſtimat, quod ſulphur vivum flavo mercatorum multo carius eſt. Maximam partem ex Islandiâ, Bohemiâ, Turciâ Goslariâque venit; quanquam Neapoli quoque præparetur. E Perſiâ multum ſulphuris in Indiam Orientalem venit, quod inde nonnunquam in Europam transportatur, commemorante *Schurzio* in ſuo *Materialium Muſeo pag.* 90.

§. 4.

Duæ iſtius inveniuntur ſpecies, vulgare primùm in longis magdaleonibus, qui eleganter flavi, leves, frangibilesque, intrinſecus ſplendidi & quaſi cryſtalliſati ſint, quique in manus ſumti, fragorem & tantum non percuſſionem edant, ſi boni ſelectique velint haberi, ut *Pometus* & *Vielheurius l. c.* docent. Deinde gilvum, & perpulchrum, quod in rotundis placentis ab nonnullis SULPHUR VIRGINEUM vocatur, quod iſto Italiæ fœminæ uti, iſtiusque fumo flavum capillis conciliare colorem perhibentur, ut *Wormius* in *Muſeo pag.* 28. meminit. Quamvis etiam ſulphur commune à lanificis tibialiumque textoribus, ad ſuffumigandam albam lanam, eandemque candidiorem reddendam, adhibeatur. Sulphur rubrum, cujus *Jungius* in *Doxoſcopia Part.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 13. meminit, ſuum à marte colorem nanciſcitur, dum pyrites, ſi quando in ferrea retorta pellitur, rubellum ſulphur, coloremque aureum ſuppeditat, quo pictores utuntur.

§. 5.

Relictæ poſt præparationem Sulphuris flavi feces, quæ vel per ſe vel admixtis ferri ſquamis, in certos urceos ſive formas transfunduntur, flavo ſulphure inducendæ, dant

SULPHUR CABALLINUM,

quod nominis vel propterea ipſi inditum eſt, quod iſto mediante equorum ſcabici medentur: quod integris fruſtis eſt emendum, vid. *Schurzius l. c.*

§. 6.

Communis flavi ſulphuris uſus eſt, ut intrinſecus thoracis ac pulmonum, extrinſecus cutis omniumque artuum balſamum audiat, dum acido ſuo ſpiritu omnem thoracis mucum reſolvere, pulmonum læſioni balſamico ſuo oleo mederi, atque ita tuſſim, aſthma & phthiſin tollere; hic vero alcalica ſua terra, erodens cutis acidum

dum enervando, ſcabiem, lepramque ac ſimilia vitia curare, aptum natum eſt. Sulphur quoque adrepentem peſtilentiam luemque contagioſam antevertit, tam accenſum, quam theriacæ miſtum quotidie aſſumtum, id quod *D. Gendronii* arcanum fuit apud *Dn. du Hamel de corp. affect. L. 2. pag.* 188. Si quis vero infectus morbo fuerit, potus ſulphurati inſigniter curam adjuvant, quod ex *Hippocr. Helm.* & *Cnæfelio* D. *Ettmüllerus in Schræd. Diluc. pag.* 928. oſtendit. Mercatores ſita lignaque ſulphurata inde conficiunt, quemadmodum & alii iſto utuntur mechanici.

§. 7.

Inter præparata, quæ ex communi ſulphure confecta, à Materialiſtis more adhuc ſolito, invitis licet Pharmacopolis, circumvehuntur, primum tenent locum

FLORES SULPHURIS,

qui è vulgari ſulphure in multa ſibi invicem impoſita vaſa ſublimantur, nihilque ſunt aliud, quam Chymico modo ſubtiliſatum pulveratumque ſulphur: in Batavia copioſius præparantur, parvis in placentis avehendi. Iſtos tamen etiam Maſſiliæ, Rodomagi, (vulgo Rouane) atque Pariſiis conficiunt, vid. *Pometus*. Circumforanei pro iſtis ſaltem ſubtiliter pulveratum, trajectumque per tenuem peplum ſulphur divendunt, quo non æſtimando pretio poſſit emi. Boni verique flores magis candidi & pallidi ſunt, quam flavi, leves rectèque teneri, ac boni odoris. Quibusdam in locis natura ſponte ſulphur ſublimat, ope ignis ſubterranei, unde SULPHUR SCISSILE, *Trieb-Schwefel* exiſtit, quod juxta Cracoviam æque in Polonia, atque in regno Neapolitano, juxta Puzzoli oppidum, ſe dat inveniendum, ut *Marxius* in ſuo *Materialium Muſeo pag.* 57. commemorat. Non minus ignivomi montes Ætna, Veſuvius &c. ejusmodi ſulphur ejiciunt. Quæ genera omnia easdem cum ſulphure communi vires habent.

§. 8.

E floribus ſulphuris, cum ſale tartari in aqua coctis, fit magiſterium, ſive vulgo dictum

LAC SULPHURIS,

aceto præcipitandum; quod tamen bonitate ipſis floribus longe poſtponendum, demtis ſulphuri per acetum viribus optimis, ut *Zwelfer in Mantiſſ. pag.* 401. demonſtravit; quoniam viribus ſulphuri paulum accedit, in pectoris affectibus uſurpatur.

§. 9.

Quemadmodum

SPIRITUS SULPHURIS PER CAMPANAM

præparetur, ex figura, quam *Dn. le Febure* in *Chymia, Tom. 2. pag.* 1176. habet, licet videre. Iſtum inſtar aquæ eleganter clarum gratique acotis eſſe oportet. Magna in copia in Thuringia confectum Laboratores efferunt, qui nonnunquam ☿ ℔ l. aquæ infundunt, divenduntque pro ☿ ſulphuris, monente *Pometo l. c.* Si tamdiu iſtum phlegmate liberare ſtudemus, donec flaveſcat, ita dictum ♁ ſulphuris acquiritur, quod tamen concentratus ſpiritus verius, quam oleum eſt.

§. 10.

Quando porrò ſulphur aut ejus flores in certis deſtillatis oleis ſolvitur, acquirimus

BALSAMUM SULPHURIS,

quod ab oleis cognomina ſumit mutua, ita ut confectum cum oleo aniſi, *Balſamum Sulphuris aniſatum*, cum ♁ Tereb. *Balſamum Sulphuris terebinthinatum* vocetur. Bina Schmalkaldiæ magna in copia compoſita alias in regiones cum deſcriptione mittuntur. Internis externisque ulceribus, vulneribus, ac putredini conducunt, aliqua tamen cum cautione uſurpanda.

§. 11.

Tandem etiam

PULVIS PYRIUS

ex ſulphure, cum ſale petræ carbonibusque miſto, componitur, cujus diſtinctæ habentur ſpecies, nempe grandior ac tenuior pulvis, quorum ille tormentorum magnitudine inſignium, ac ſcloporum graviorum, iſte ſcloporum leviorum, ac manuariorum equitum uſui eſt accommodatus. Apud nos Argentinenſis, eleganter granulatus, cenſetur optimus. Pulveris tamen probas ſubeat, oportet, quæ variæ ſunt, alibi deſcribendæ.

CAPUT XI.

DE

ASPHALTO, PETROLEO ET OLEO TERRÆ.

§. 1.

ASPHALTUM nigra, duraque ac ſicca reſina eſt, è Babyloniâ advecta: reperitur ac ſeſe ſuper lacus effundit in Judæa, ubi Sodoma & Gomorra creduntur extitiſſe, unde BITUMINIS JUDAICI venit nomine. Copioſius iſthîc collectum tantum in aëre excitare fœtorem perhibetur, qui volucres ſupervolantes

tes mortuos faciat decidere: quamobrem incolæ (qui haud diutino temporis ſpatio vitam metiuntur) neceſsitate adacti, reſinam iſtam piſcando colligunt, in litoreque exponunt, cujus teter odor ſine dubio cauſa exiſtit, quamobrem lacus nec piſces ullos, nec animalia alat, mareque mortuum vocetur. Iſta tamen reſina etiam alibi, ut in India occidentali & cumprimis in Hiſpaniâ novâ, dicitur inveniri, teſte *Hernandezio* in *ejus Deſcriptione pag.* 336.

§. 2.

Quoniam verò hæc reſina, ſi bona & genuina eſt, valde rara eſt caraque, bene videndum, ut ne cum Piſſaſphalto, aut Suecica pice nigra adulteretur, cui vehementer ſimilis eſt, præterquam quod durior ſit, nec tam tetre oleat: quanquam odoris non penitus expers ſit, quem etiam aliis terris lapidibusque communicat; quemadmodum doctiſſimus Italus *Boccone* lapidis cujusdam meminit, qui iſtius odorem teneat, quem propterea in ſuo Gallicè conſcripto *Scrutamine Naturæ pag.* 219. bitumen foſſile vocat. Verè genuinum purpureo-nigrum ſit, ac eleganter ſplendidum, *vid. loc. cit.* Eas vero res, quæ iſtô glutinantur, nulla re alia, præterquam imbuto menſtruô mulierum filo, diſſolvi poſſe, fabulæ haud diſſimile eſt.

§. 3.

Uſum aſphalti quod concernit, Orientales iſtô loco picis navalis utuntur, creduntque Babyloniæ turrim murosque exinde fuiſſe extructa. In Sina & Japonia verò incolæ lecticas, naves, domosque ac utenſilia iſto bitumine illinire, eaque è re magnam capere voluptatem dicuntur, ut *Marxius* in *ſuo Materialium Muſeo pag.* 22. ex aliis recenſet. In medicina balſamo apoplectico ac nonnullis unguentis dat nigrorem, quamvis Ebur uſtum iſti rei videatur aptius. *Plinius* aliquo in loco memorat accenſum bitumen fugare ſerpentes, cui propterea habenda fides eſt, quod multa animalia inſectaque vulgaris ſulphuris ferre odorem nequeant, ita ut apes eô occidantur & enecentur.

§. 4.

Præter iſtud aliud adhuc habetur bitumen, non adeò rarum, & hinc inde in Europâ ſub terra reperiundum. Miſtum habet odorem, partim picem vulgarem, partim bitumen judaicum redolentem, ac propterea

PISSASPHALTUM

vocatum; quæ cauſa eſt, quamobrem multi in eam opinionem venerint, ex aſphalto & pice communi arte eſſe compoſitum, prout *Plinius* primus exiſtimavit; quod tamen minus ita ſe habere *Dalechampius* in *Aldrovandi Muſ. Metall. pag.* 369. vel inde oſtendit, quod pix vulgaris cum bitumine non poteſt uniri. Veritati itaque convenientius eſt, nativum eſſe bitumen, quod id nominis ſuſtineat, quoniam, ut ſupra dictum, mixtum odorem habet, ac partim nigrum inſtar aſphalti, partim ex flavo-album eſt, inſtar picis, & quaſi miſtas venas oſtendit. Quod aſphalti adinſtar aquæ innatare, ac parum terræ arenæque continere decet, ſi bonum velit judicari. Haud ſecus atque prius uſurpatur, cui etiam ſæpius ſubſtituunt.

§. 5.

Quamdiu Piſſaſphaltum molle eſt ac fluidum,

MALTHA

nominatur, ac quibusdam in locis tam copiosè ſcaturit è terra, ut peregrinantes tantum non agglutinentur, nec ex votô poſſint progredi; vehementer fortem tetrumque odorem habet, *laſer* propterea à nonnullis dictum. Ante aliquot annos in Weſtphalia magna ejus quantitas è monte ſcaturiebat, quâ repletum vaſculum mihi obvenit, & ab aurigis loco axungiæ rotarum uſurpabatur. In Medicina ignota eſt, quanquam nullus dubitem, quin extrinſecus idem, quod petroleum, præſtet, cujus eſſe ſpecies videtur. *Pometus* in *Hiſtoriâ Simplicium Part.* 3. *Lib.* 3. *pag.* 94. recenſet, eſſe quosdam Circumforaneos, qui iſtud aliàs tenax molleque bitumen exſiccent, & loco aſphalti divendant. Quem tamen dolum prudentes Materialiſtæ & Pharmacopolæ ex forti tetroque odore, qualis in aſphalto non obſervatur, facile detegunt.

§. 6.

Optimum ratiſsimumque inter fluida bitumina eſt ita dicta

NAPHTHA,

quæ valdè ſubtile è mineralibus oleum eſt, & præ aliis id ſibi proprium habet, quod paulò remotam flammam quaſi attrahat, ſeque ipſa ſponte ſua accendat, quacum propterea cautè agendum eſt. Primùm etiam Babyloniâ venit, nunc verò quoque in Italia, præſertim in Ducatu Modenenſi reperitur, ubi è petra emanat, quò per certos ſubterraneos ductus fluit, indeque per æneos canales in ejusdem generis ahenum derivatur, ut *Pometus l. c. pag.* 96. commemoravit; quemadmodum hodieque circa Babyloniam ſive Baghdaad ex ejusmodi ſubterraneis rivis, mediantibus fontibus valde profundis excipitur, & quotidie fere ad centies mille libras exhauſta, ad alendam candelæ flammam uſurpatur, ut *Dn. D. Kempferus* in *Dec. Obſerv. exot.* §. 2. tanquam teſtis oculatus refert. Diverſi Naphtha coloris eſt, albi ſcilicet, quæ eſt optima, & Perſarum vernicem ingreditur: deinde rubri, flavi, viridis, tandemque nigri, quæ ultima ſpecies viliſsima eſt, ac plerumque petroleo permiſcetur. Prima optimaque petrara eſt, raròque in officinis videtur: viribus cum aſphalto ac petroleo convenit, quæ omnia eandem eſſentiam, & ſaltem diſtinctam conſiſtentiam habent, adeo, ut ſubtiliſſima ſpecies Bituminis Naphtha, mediæ ♎ Petræ & ♎ Terræ: craſſiſſima vero Aſphaltum

tum vocetur, quæ quaſi ſedimentum & remanentia eſt reliquarum, auctore *Wormio* in *Muſ. pag.* 30.

§. 7.

PETROLEUM

ſimili modo ſcaturit è montibus & petris, indeque in ſcaturigines fontesque fluit, quales non in Italiâ ſolum ac Sicilia, ſed in *Bavaria* quoque à *D. Welſchio* in *Hec.* 1. *pag.* 78. ac in Alſatia à membro quodam *Soc. Reg. Londin. Vol.* 1. *pag.* 101. fuerunt obſervati. Maxima ejus copia è Gallica provincia Languedoc, ubi prope pagum, cui Gabian nomen eſt, ſingulis cujusque hebdomadis lunæ diebus colligitur. Mediæ conſiſtentiæ eſt, validique odoris, ac coloris nigri, teſte *Pometo* in *Hiſtoire des Drogues l. c. pag.* 95. Ex quo diſcimus, quod noſtris in officinis verum petroleum vix habeamus, dum vulgare OLEUM PETRÆ RUBRUM de ſententia jam dicti auctoris plerumque non probum, ſed permiſtum: OLEUM PETRÆ ALBUM vero naphthæ ſpecies eſt, quoniam ſimiliter ignem attrahit, ceterisque qualitatibus cum iſta convenit.

§. 8.

Aliàs vulgare petroleum Circumforaneorum panacæa eſt, in omnibus internis externisque morbis credulæ ſimplicique plebi commendata, quòd viliſſimo pretio à Materialiſtis emtum, poſt mille titulis ornatum, maximò divendunt. Ingenui contra Medici ob calorem penetrantem iſtud internè inviti propinant, quamvis nonnulli X. vel XV. guttas in obſtructione menſium, & in odontalgia cum goſſypio applicatum, pro certò remediò habeant. Extrinſecus verò album æque bonum eſt atque oleum ſuccini, ac vulgare etiam in omnibus renum artuumque morbis, tremore ſcilicet, paralyſi, apoplexia ſimilibusque bonum eſt remedium. Membra quoque à pernionibus ſ. frigore hyberno tuta præſtat; extrinſecus illitum urinam calculumque pellit, præſertim oleo ſcorpionum admixto.

§. 9.

Ultimò nec

OLEUM TERRÆ

prætereundum eſt, à petroleo in eo diſtinctum, quod hoc è ſaxis, illud verò è terra ſcaturiat, indeque in rivos ſe effundat, præterea etiam gratum habeat odorem. Duplex eſt, rubrum ac nigrum. Prius in India Orientali inveniendum, à barbaris tanti æſtimatur, ut ſine periculo vitæ avehi nequeat; propterea Angli Batavique clam interdum aliquid ſubducunt, ut *Jacobus Bontius* in *Not. ad Garc. ab Ort. pag.* 22. ex iſtoque *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 388. refert. Nigrum PISSELÆON vocatur, & ex Indiâ Occidentali venit, vid. *Sam. Dale Mineral. pag.* 55.

§. 10.

Viribus cum petroleo convenit, ſed penetrantius eſt, ac in membrorum paralyſi mira præſtare, in vaga quoque arthritide non inutile eſſe perhibetur, teſte *Schrædero*. Tunc verò potiſſimùm ejus uſus probatur, quando omnis generis humores tendines nervosque obſident, iſtosque juſto laxiores reddiderunt: quo in caſu *Barbette* in *Anat. ſua Pract. pag.* 31. peculiare emplaſtrum habet, quod oleum terræ quoque ingreditur. Num verò genuinum verumque oleum terræ in officinis noſtris reperiatur, loco ſuo relictum volo.

CAPUT XII.

DE

SUCCINO, GAGATE ET ANTHRACIBUS.

§. 1.

SUCCINUM ſ. CARABE bene olens & in mari indurata reſina eſt, diverſi coloris: alias quoque *Agſtein* dicitur, & maximam partem è Boruſſia venit, ubi Rex monopolium, ex quo annui reditus valde magni ſunt, inde conſtituit, quod tamen certis plerumque legibus ac conditionibus elocatur utendum.

§. 2.

Quæ vero ſuccini ratio, & unde ejus origo ſit derivanda? diverſæ Doctorum ſunt ſententiæ. Multi exiſtimant, reſinam eſſe ex abietibus ac piceis in mare effuſam, & ab hujus aqua ſalſa coagulatam. De aliorum, & quidem plurimorum ſententia, bitumen eſſe creditur, in mare Baltico ita induratum. Interim binæ hæ ſententiæ conciliari poſſunt, dum bitumen etiam plerumque iis in locis reperitur, ubi multi abietes ſunt, à quibus ſuum quaſi nutrimentum nanciſcitur. Quamobrem *Boetius de Boot* in ſuo *de gemmis libro pag.* 323. duas, imò tres, ſuccini ſpecies ponit, quarum una à ſuccis arborum, altera à bitumine, tertia à pinguedine animalium facile miſcibili, proficiſcatur; qua de diſcrepantia *Gœbelius*, *Hartmannus*, & *Wigandus* in peculiaribus *de ſuccino* conſcriptis libris poſſunt legi.

Curioſa autem ſunt, quæ *Dn. Bartholomæus Craſſelius*, Verbi Divini Miniſter Dutſeldorpienſis,

pienſis, per Amicum mecum hac in re dividere non dubitavit, cujus verba ita ſe habent: De generatione & origine ſuccini diverſæ & ex parte ſibi invicem contrariæ conjecturæ & ſententiæ circumferuntur, tam inter eruditos, quàm plebejos; quapropter in itineribus meis, cumprimis iis in locis, ubi nobile hoc Dei donum majori in copia ab aquis marinis ejicitur & circa litora colligitur, multo cum labore & indagatione easdem examinavi, cum plurimis eruditis & curioſis Viris contuli & cumprimis ex hominibus rei nauticæ & maritimæ, ut & artis tornatoriæ è ſuccino peritis percontatus ſum: donec poſt omnes illas inquiſitiones & deliberationes illorum ſententia & derivatio tutior & credibilior apparuit, quæ ſuccinum è ſucco quodam lapideſcente concreſcere ſtatuunt, ita ut è certis venis aut ſcaturiginibus, ceu petroleum aut reſina petroſa, effluat & vel in fundo maris, vel rupe quadam marina erumpat, abhinc poſt effluxum ſuum in aqua marina ſalſa liquiditatem ſuam amittat & coaguletur, ita ut in vernaculâ jure & valdè propriè *Bornſtein* appelletur, cùm reverâ è tali fonte ſcaturiat. Unde hoc concludatur, inter alia ſequentia oſtendunt: quod ſcil. 1. tot heterogenea in eô reperiuntur, quæ illic ſe ingerere & inſinuare non potuiſſent, niſi ipſum ſuccinum primò fluidum fuiſſet eaque in ſe recepiſſet; quemadmodum plura notatu & admiratione digniſſima fragmenta ſeu fruſta non tantùm vidi, ſed & ob oculos ponere valeo, è quibus clarè eluceſcit heterogenea illic occurentia à ſuccino liquido adhuc & aquis innatante obvoluta & abhinc ſub ejus coagulatione illi incorporata fuiſſe. 2. Idem ſpecies & colores diverſi, quos poſt effluxum in Oceano nanciſcitur, demonſtrant. Hos enim eô, quo adhuc fluiditate quadam gaudet, tempore, illi affricari, pro certo aſſeritur, ita ut vi ſua magnetica, pro diverſitate fundi marini, ubi primas qs. radices agit, in hoc loco hanc, in alio aliam qualitatem ſecundariam aut colorem adſumat & abhinc retineat. Licet inventores & artifices hunc eidem per artificia ſingularia quadantenus demere & ad proprium ſplendorem, quo ſub effluxu gaudebat, redigere valeant. Adhæc 3. à quibusdam hominibus quandoque ſuccinum adhuc fluidum juxta maris litora repertum fuit, quod inſtar gummatis ſoluti aut ceræ liquidæ apparuit; id quod præcipuè ſequenti eoque certiſſimo exemplo demonſtrari poterit, dum Celeberrimus Mathematicus Dn. *Hevelius*, Dantiſcanus, aliquando in litore marino, Dantiſcum inter & Regiomontum ſito, ſuccinum ejusmodi liquidum & nondum penitus coagulatum inveniens & colligens detracto digitis annulo ſigillatorio, inſignibus ſuis profundè tanquam in ceram impreſſis, notavit & abhinc pro argumento plusquam ſyllogiſtico, ad convincendos alios, adhibuit. Inſignia enim, una cum literis nominis initialibus, adeò perfectè illi impreſſa & ſimul indurata erant, ut unusquisque, cui id oſtenderat, in admirationem qs. raptus ſententiæ huic ſubſcribere coactus fuerit. Hujus me unus è cognatis ejus & relictis, queis cum diu familiariter converſatus ſum, certiorem reddidit, ſimul conteſtando, fruſtum hoc ſuccini, inſignibus Hevelianis impreſſis conſpicuum, in Angliam transmiſſum fuiſſe, ubi maximæ raritatis inſtar, ad probandam genuinam ſuccini originem, conſervetur & curioſis ſubinde monſtretur.

Aliâs octo vel decem ſuccini colores dantur, quorum pretium admodum variat. Rariſſimus & ſimul pretioſiſſimus color unionibus reſpondet & in vernacula *die Koms-Farbe* (quem perlatum rectius dixeris) vocatur. Hoc gaudentia grana, fructum mediocrem groſſulariæ magnitudine æquantia & in monile filo mediante conjuncta (eine Schnur voll) LX. thaleris Imperialibus veneunt. Huic affinis & proximus eſt color citrinus, qui pariter haud inelegans eſt. Viliſſimum à poſteriori Germanicè *die Arſch-Farbe* ſ. h. nominant, qui obſcurè flavus & quodammodò fuſcus apparet. Hactenus laudatus *Craſſelius*.

§. 3.

Ceterum duas plerumque ſuccini ſpecies in officinis habemus, nempe ſuccinum album, & flavum, quorum utrorumque Materialiſtæ diverſa genera divendunt, nempe in totis ſelectisque fruſtis, in mediocribus ac elegantibus coralliis ſ. globulis, in fragmentis, raſura ad præparandum, præparatum, toſtum, & ſic porro. Enimvero albumne, an flavum & pellucidum magis æſtimandum, quæritur? communiter album putant eſſe optimum: Verùm *Ettmüllerus* ſuo *in Schrœderum Collegio pag.* 934. docet, album colorem ſuccino minus eſſe nativum, ſed à ſale marino proficiſci; prout *Schrœderus* jamdum oſtendit, quod flavum facile reddi poſſit album, ſi in aqua ſalſa coquatur, ut propterea in Medicina & alias quoque flavum & pellucidum albo præferendum ſit. Alii è contra aquâ ſalsâ vel marinâ ſuccinum flavum non fieri album, ſed magis pellucidum reddi dicunt, indeque ſuccinum album jam in ipsâ terra hunc colorem obtinere, ſicut magnum ejus fruſtum aliquot ante annos in Marchiâ è terrâ erutum fuiſſe *Dn. D. Spenerus* ad me ſcripſit. Quicquid ſit, hoc ſaltem obſervetur, ne adulteratum ſit, quod iſtud æmulatione ex gummi Arabico, cobaltho, & vitello ovi componere laborant. Qui dolus ex eo dignoſcitur, quod verum ſuccinum in magnis fruſtis veniat, & minutim inciſum ſtramen, haud ſecus atque magnes ferrum, attrahat, quod æmulatione ex gummi compoſitum neutiquam præſtat: ex parvis etiam, iis quidem rotundis, fruſtis conſtat, ut in *Pometi Hiſtoire des Drogues Part.* 3. *Lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 84. licet videre.

§. 4.

§. 4.

Plurimùm ceteroquin ſuccini in Auſtriam, Poloniam ac Venetias transvehitur divendendum, ubi magnò in pretiò habetur, præſertim in Lombardia, juxta Padum fluvium, ubi nulla ferè ſexûs muliebris perſona erit, quæ non unum aut plures funiculos, majoribus vel minoribus ſuccini granis indutos, collo gerat, quoniam ob pejoris notæ aquam catarrhis ſtrumisque valde obnoxiæ ſunt, quibus adverſari ſuccinum exiſtimant. Alia quoque ornamenta, v. g. cultrorum manubria, pocula ſimiliaque inde conficiunt, quæ pro ſuâ magnitudine emuntur; inprimis fruſta, quæ Naturæ luſu certas aliquas figuras exprimunt, pretioſa valdeque rara habentur, propterea niſi majori pretio non comparanda, de quo *Boëtius de Boot lib. cit. pag.* 333. videatur. In faciendâ Medicinâ ſuccinum, ratione ſalis ſui volatilis & olei balſamici, vi peculiari valet ad diſſolvendam demulcendamque acrem ſalſamque lympham, ac propterea ad catarrhos indeque oriundos affectus curandos, quales ſunt apoplexia univerſalis & hemiplegia, lethargus, vertigo, ſpaſmus & convulſio interna, in quibus non crudum ſolum in externis ſuffumigiis, ſed interne etiam iſtius præparata, nempe pilulæ de ſuccino Cratonis, ſuccinum præparatum, acidiuſculum ſal volatile, tinctura & oleum valde conferunt. Adſtringentem quoque vim exerit in diabete, diarrhœis, hæmoptoë, & profluvio ſeminis, in quibus ita dicti trochiſci de carabe multum utilitatis præſtant, præſertim, quod aliqua narcotica iſtos ingrediuntur. *Kerckringius* partus abortivos iſto mediante obduxit & condivit, ut per translucidum ſuccinum elegantèr videri potuerint.

§. 5.

SUCCINI NIGRI ſ. FOSSILIS hic quoque faciemus mentionem, quod plerumque

GAGATES, ſive *Bergwachs*

vocatur, nihilque aliud eſt, quam ex nigro ſplendens, valdeque durum bitumen, quod ita è terra effoſſum, & olim juxta fluvium iſtius nominis in Thracia fuit inventum, unde etiam LAPIS THRACIUS vocabatur. Hodiè in Germania, Suecia, Hiberniâ atque Galliâ invenitur, ac de ſententia quorundam pro ſpecie carbonum foſſilium habetur, quoniam multum ei bituminoſi ineſt, unde etiam inſtar picis urit, craſſumque fumum emittit. Elegantèr niger, ſplendens ac durus ſit neceſſe eſt, ſi bonus vult haberi. Pauperes iſto loco ſuccini utuntur. In Medicinâ adeò non uſurpatur, quanquam oleum exinde poſſit cogi, fere adeo bonum, atque ſuccini oleum. *Boëtius* iſto mediante oſtendere ſibi ſumit, Virgone an deflorata muliebris perſona ſit? quæ ſi aſſumto cum vino pulvere, urinam continet, cum nemine concubavit: ſin vero ſtuprum paſſa eſt, reddet urinam. Quod num infallibile ſit, propria experientia confirmare nequeo: relata ſaltem refero.

§. 6.

Aliud adhuc non diſſimile arenoſum bitumen habetur, quod

AMPELITIS (*Erd-Hartz.*)

ſive terrâ Ampelitis nominatur. Priori valdè ſimile eſt, præterquam quod non tam facile urat, nec adeo picem redoleat, multo etiam facilius in aſſulas ſe dividi patiatur. In aliquibus locis in vineis circa juniores vites diſpergitur, quoniam vermiculos, oculos exedentes, enecat. In Medicina iſtud ſimplex non adeò innotuit. Interim *Libavius* in *Tract. de Succino & Gagate* de hoc illoque pluribus poteſt legi.

§. 7.

ANTHRACES (*Stein-Kohlen*)

ultimò etiam huc referendi, qui duram ex bitumine lapideque ſciſſili ſubſtantiam habent, quæ nonnullorum opinione ſedimentum vel matrix olei petræ eſt, ope ignis ſubterranei, fuſione ab eo ſeparata & depulſa. Id quod inde ferè videtur probabile, quoniam ejusmodi oleum exinde poteſt cogi, vulgari petroleo in omnibus ſimile, iisdemque præditum virtutibus. Maximam partem ex Anglià proveniunt, quibus & coquunt & hypocauſta calefaciunt, aſt valdè noxium ac corrodentem fumum ſpirant, thoraci pulmonibusque vehementer infeſtum, qui procul dubio cauſa exiſtit, quamobrem, auctore clariſſimo Anglo *Williſio* certo aliquò loco, Londini tertia pars hominum ex phthiſi moriatur. Germani igitur per hyemem raro ibidem commorantur, præſertim qui imbecilli ſunt thorace. In Saxonia inferiori circa Hildeshemium quoque interdum inveniuntur, ut *Lachmundus* in Οἰκολογίᾳ *Hildesh.* teſtatur. Alias clauſtrariis fabrisque ferrariis ad conglutinandum ferrum conducunt, quoniam fortem calorem edunt, iſtumque diutius, quam carbones noſtrates vulgares, conſervant.

CAPUT XIII.

DE

COBALTHO, ARSENICO, AURIPIGMENTO ET RUSMATE.

§. 1.

COBALTHUM officinarum nihil eſt aliud, quam cæſius vel fuſcus pulvis, usque eò venenoſus & corroſivus, ut in nullâ charta poſſit contineri: & quoniam muſcas aliasque beſtiolas enecat, à plebe muſcarum & culicum

pulvis nominatur. E Saxonia venit, ubi in civitate metallicolarum Johann Georgen Stadt, h. e. Johannis Georgii oppido copiosè uſtum, in amylum cœruleum ſive ſmaltam inſumitur, vid. *Marxii Materialium Muſeum pag.* 77.

§. 2.

Minera, è quâ Cobalthum uritur, metallorum foſſoribus eodem venit nomine, & ab aliis quoque Zincum, ab antiquis Latinis CADMIA NATIVA, FOSSILIS & METALLICA nuncupatur. Cæſius albo ſabulo interſtinctus lapis eſt, argento rudi cinereo, (vulgò *Gülden Ertz*) haud diſſimilis, à Thuringis Mercatoribus ſæpe advectus, & ad necandas muſcas divendi ſolitus. Effoditur Cuprimontii, haud procul Goslariâ, vid. *Frid. Hoffmannus* in *Clavi Schræd. pag.* 328. Aliis videtur eſſe marcaſita, ac minerale argenti particeps, quoniam interdum aliquid argenti inde cogitur, in aqua fortì ſolvitur, calcemque cœruleam ſuppeditat, ut *Dn. D. Bohnius* in *collegio experim. Phyſ.* colligit; quapropter *Schmuckius* in *Secretis ſuis Chym.* mercurium, tandemque argentum exinde proliceré ſtudet: qui tamen proceſſus à *D. Ettmüllero* pro falſo habetur, quod cobalthum ob volatilitatem pauxillum relinquit, ut in ejus *Comment. in Schræderum pag.* 894. licet videre: ubi etiam proceſſum, quâ ratione cobalthum è minera ſua uratur, ita deſcribit: Sumitur ſupradicta cobalthi minera pulveriſata, quam loram iterato terunt. Poſt calcinatur in furno pulvis, quo arſenicum, cujus etiam minera audit, fumo evolet; quod poſt calcinationem remanet de integro contunditur, cobalthum nominandum. Ejus uſus eſt, ut ad ſmaltam ſive colorem cœruleum ſumatur, ac vulgò cum lacte permiſtum muſcis edendum exponatur, quæ ſimul ac quid ſuxere, moriuntur. In Medicina nequicquam prodeſt, quanquam nonnulli remedium adverſus epilepſiam inde componere ſibi ſumant, quo tamen neutiquam indigemus, tutioribus medicamentis inſtructi.

§. 3.

Quod verò ſupra memoratum & à cobaltho ſub forma fumi abſcedens

ARSENICUM

attinet, in NATIVUM & FACTITIUM diſtinguitur, quorum illud ita in metallifodinis reperitur, iſtud vero certa arte ſublimatur. Cujusque in materialium muſeis tres habentur ſpecies, nempe arſenicum album, flavum & rubrum, de quibus nunc in ſpecie agendum.

§. 4.

Arſenicum album plerumque murium gliriumque virus audit, & in albis habetur fruſtis, iis quidem extrinſecus obſcurè albis, inſtar calcis, intrinſecus vero vitri albi adinſtar apparentibus, ſimul acri ac exedente ſapore prædictis, quæ vel ab igne ſubterraneo naturaliter è cobaltho ita ſublimantur, prout interdum, ſed perrarò, ex fodinis æris eruuntur, vel arte ita præparantur. Nativum perrarum eſt; omne contra quod in officinis ac materialium muſeis invenitur arſenicum album, factitium eſt, adeo, ut eam in opinionem *Schræderus* venerit, non dari nativum, quo ipſo tamen à vero diſceſſit.

§. 5.

Unde verò & qua ratione præparetur, multis, præſertim extraneis adhuc ignotum eſt, id quod Galliæ Aromatarius *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues Part.* 3. *Lib.* 2. *cap.* 27. *pag.* 67. ingenuè confitetur. Quidam exiſtimant, ex auripigmento cum ſale communi ſublimari, quod etiam *Sam. Dale* in ſua *Mineralog. pag.* 53. ſtatuit. Hic vero proverbium obtinet: verte & fiet calceus, quoniam auripigmentum ex arſenico, nec verò hoc ex illo conſtat, quod *Pometus* ex pretio potuiſſet judicare, quod arſenicum quàm auripigmentum multo vilius eſt: mirorque *Dn. D. Hoffmannum* in *Clavi Schræd.* idipſum quoque ſtatuiſſe, qui cæteroquin notitiam mineralium ac metallorum ſcriptis ſuis vehementer auxit. Quamobrem *Kunckelius*, inclytus Saxonum Chymicus, temperare ſibi diutius non potuit, quin veram præparandi arſenici rationem detegeret, quando in elegantibus ſuis *annotationibus* in *Neri artem vitrariam pag.* 59. oſtendit, iſtum fumum, qui ſub primâ cobalthi calcinatione evolaverat adhæſeratque, de novò in peculiari furnò, è catinis eſſe ſublimandum, ubi demum arſenicum ferreis ac operculo tectis canalibus adhæret, de quibus verum arſenicum in ejusmodi craſſis fruſtis, qualia apud Materialiſtas habentur, decutitur, quæ quo majora, eo cenſentur meliora.

§. 6.

Iſtud arſenicum unum venenorum periculoſiſſimorum eſt, quod quantitate perexiguâ ad enecandum hominem valet, propterea que ſemper pro lethifero habetur, ut in *Pandectis* noſtris *Medico legalibus Part.* 2. videre eſt. Quamobrem in omnibus fere Medicinalibus legibus Germaniæ cautum eſt, ut ne indiſcriminatim vendatur, & ut emtores teſtimonium à magiſtratu habeant, aut perſonæ ſuæ relinquant certitudinem, adeò, ut ob iſtam rationem, vi regii edicti in Gallia, ſolus Pharmacopola vel ipſe Materialiſta ejusmodi venena (quæ ſemper incluſa ſervanda) non verò famuli & diſcipuli divendere teneantur, ut *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues Part.* 3. *Lib.* 1. *pag.* 18. commemorat. Plurimam iſtius partem infectores ac ruſtici conſumunt, ad glires muresque enecandos, quod tamen non ſemper adeò tutum aut conſultum eſt, dum ejusmodi beſtiolæ iſtud per vomitum in frugum acervos exſpuere, & hoc modò magnum inferre periculum poſſunt. Chymicis quoque in uſu eſt, qui iſto mediante cuprum, tanquam argentum, dealbare ſolent. Sunt, qui arſenicum, tanquam medicinam, internè adverſus

aſthma

asthma & phthisin usurpare sibi sumunt; verùm quàm periculosè, quàm inutiliter, docet *Ettmüllerus loc. cit. pag.* 926. Pessimo etiam consilio loco antifebrilis à Medico quodam Saxonico Magnatibus datum fuisse, alibi ostendimus. Nec obstat Circumforaneos illud impune devorare: cùm ante ejus assumtionem prius Lac aut Oleum copiosum deglutire & mox Vomitorio ad illud ocyus rejiciendum uti soleant, ut stupidæ plebeculæ fucum faciant; quamvis illud morte subinde luant. Quidam tempore pestifero amuletum inde conficiunt, quod venenum attrahat; verum nec hoc adeò tutum consultumque esse, Medicus Gallus, *Guibertus*, multis rationibus ostendit, creditque, ex intelligentia vitiosa & ignorantia Arabicæ linguæ, in quâ per vocabulum Sandarach (quo Græci arsenicum rubrum indigitant) cinamomum significetur, ortam opinionem esse, ut in ejus *Medico Charitat. disc. de Peste pag.* 561. legere licet. Quapropter loco arsenici rubri ita dictus Magnes Arsenicalis *A. Sala*, & aliquod inde compositum emplastrum in bubonibus pestilentialibus debet usurpari, quæ utraque in *Zvvelferi* & *Moysis Charas* scriptis describuntur. De Butyro Arsenicali, Regulo ☌ & similibus videatur *Ettmüllerus l. c.*

§. 7.

Flavum arsenicum nihil aliud est, quàm

AURIPIGMENTUM,

similiter vel ex Saxonicis metallifodinis erutum, vel arte præparatum, prout vel ab Natura sub terra è cobaltho & sulphure, aut ex priori arsenico cum sulphure flavo artificiosè sublimatur, quorum prius quoque REALGAR, & ab Italis RISIGALLO vocatum fuit. Varium est, ac nonnunquam perpulchrum, purum, flavumque ac splendens instar auri invenitur, quod si magnis in frustis & friabile est, habetur pro optimo. Plerumque ex Austriâ, Viennâ & Venetiis venit, ut *Marxius* in suo *Materialium Musco pag.* 30. meminit. Interdum durum est, lapidosum ac arenosum, rubris vel viridibus lineis interstinctum, id quod rejiciendum, auctore *Pometo loc. cit. pag.* 66. Quamobrem Materialistæ plerumque duo genera, commune & purum, utraque verò vel integra vel pulverisata circumvehunt. A pictoribus ac parietum incrustatoribus in flavum viridemque colorem insumitur, quorum ultimus ex Indico & auripigmento constat. In Galliâ, teste *Pometo*, ligneos pectines isto mediante flavos tingunt, quò buxei appareant. Pro Medicina Mulo-Medici utuntur, quidam etiam Medicorum psilothron medicamentum inde præparant, similiter periculosum, essetque oprandum, ut illius mineræ, quam Turcæ istum in finem usurpant, & ab iis

RUSMA

vocatur, nobis daretur copia, quæ in Galatia inventa, ferri scoriis perhibetur haud dissimilis, de quo sæpè memoratus *Pometus Lib. cit. pag.* 65. legendus.

§. 8.

Rubrum adhuc arsenicum,

SANDARACHA

Græcis Medicis dictum, restat, quod nominis Arabes interdum cinamomo, plerumque vero gummi juniperi imposuerunt. Quapropter *Simon Paulli* in *Quadripartito Botanico pag.* 53. fideliter hortatur, ut ad evitandum quemcunque errorem periculosum, in pharmacopolis id nomen soli arsenico rubro relinquatur, gummi juniperi vero simpliciter gummi juniperinum vocetur. Mineralis autem sandaracha in obscurè flavis rubellisque frustis, iis quidem actribus & corrosivis, affertur; quæ vel ita in terra inveniuntur, vel ex arsenico, aut aliqua alia minera, cobaltho haud dissimili, *Kupffernickel* dicta, cum sulphure vulgari sublimantur; quapropter arsenicum rubrum etiam sulphur rubrum, sulphur igneum, & rubrum auripigmentum vocatur, vid. *Ettmüllerus loc. cit. pag.* 925. Alii existimant id ex arsenico flavo, diutius in igne detento, generari, quod tamen sæpe laudato *Pometo*, omni opera id probanti, non successit. Ejus usus pictoribus notus est, quibus ad præparandum certum aliquem colorem conducit.

CAPUT XIV.

DE

SAFFRA, SMALTA, MAGNESIA ET PE-RIGUEUR.

§. 1.

SAFFRA, ZAFFERA, sive secundum Metallicolas *Zoffoer*, subcœruleus mineralis lapis est, quò vitro & vulgo vocatis murrhinis seu porcellanis vasis cœruleus color conciliatur; quem propterea Batavi valde conquirunt, quò istum porro in Galliam, Angliam, locosque alios mittant divendendum. Ab sapphiro, cœrulea gemma, ob coloris similitudinem id nominis obtinet.

§. 2.

Qualis hæc saffra lapis sit, & unde proveniat, scire Extranei magno studio cupiunt, ut ex *Anthonii*

thonii Neri Itali arte vitraria, & ex appositis annotationibus doctissimi Angli *D. Merreti pag.* 265. videmus, ubi etiam *Cardani, Cæsalpini, Aldrovandi* & *Ferd. Imperati* opiniones recensentur, qui tamen omnes rem minime tetigerunt. Multo minus sæpius allegato *Pometo* est assentiendum, Saffram Indiæ Orientalis esse mineram, Suratô advectam, existimanti, ut ex Ejus *Hist. Simpl. Part.* 3. *Libr.* 2. *pag.* 65. apparet. Omnium minimè veritati accedit *Sam. Dale*, cui in *Mineralogia pag.* 70. saffra flos esse videtur sublimatus. Qui omnes ut è somniô quasi excitentur, *Kunckelius*, clarissimus iste Germaniæ Laborator, in *arte vitraria exper. pag.* 57. nullo absterreri se tædio passus est ab re ista fideliter clareque describendâ. Schneebergæ sc. Misniæ oppido mineralis quidam lapis è terra eruitur, cobalthum Metallurgis dictus, quoniam nequicquam laudabilis metalli suppeditat, præterquam quod centenarium pondus sæpius det semunciam, plerumque verô nihil contineat. Istud cobalthum primum in furnum huic rei accommodatum, (cujus delineatio illic sub lit. B. apparet,) abjicitur, qui pistorum furno similis & ita exstructus est, ut lignum vel flammans ignis super cobaltho se unire possit. Simulac nunc ignescere incipit, albus fumus inde prodit, qui in ædificio ligneo, ei rei aptato, cui ubique adhæret, exceptus, porrò in arsenicum præparatur, ut alibi fuit ostensum: relictum, ad fumandum ineptum, & tostum cobalthum, in accommodata molâ trusatili teritur, tunc denuò calcinatur iterumque teritur minutissimè, per angustum cribrum (quod de loco suspensum fluctuat, & alias satis munitum est, ne pulvis exeat) trajectum, asservatur. Cobalthi farinæ partem unam, cum duabus aut pluribus partibus subtiliter tritorum silicum (quos Metallurgi *Guartz* vocant) permiscent, mista humectant, vasisque intrudunt, quæ massa tam dure firmiterque insidet, ut lapis videatur, adeo, ut, postquam diu fuit impacta, ferreis cuneis sit discutienda. Arena in Misniâ propterea saltem additur, ut ne in aliis regionibus smaltam cœruleam æmulando conficiant.

§. 3.

Hæc ita præparata materia Batavis aliisque nationibus transmittitur, ZAFFERA vocata, cujus duæ apud Materialistas inveniuntur species, integra nempe, & in pulverem redacta, quarum illa optima, hæc vulgaris habetur, sine dubiô, quoniam majori arenæ copiâ vitiatur, propterea que redditur gravior, quam integra, ut *Pometus l. c.* conqueritur. Utraque eleganter cœrulea fit, & quoniam pulverata alia ratione probari nequit, Materialistæ prius opificibus istam probandam tradere coguntur, quam illam emant, vid. *l. c.*

§. 4.

Usum Zafferæ statim initio commemoravimus, quod scilicet in officinis vitrariis, ubi magna ejus copia consumitur, ad conciliandum vitris cœruleum colorem usurpetur. Batavi isto mediante porcellina vasa pingunt, quorum multa etiam Hanoviæ conficiuntur & ubique venduntur locorum.

§. 5.

De colore cœruleo supra memoratô ut pauca adhuc dicamus, à pictoribus

SMALTA,

& à lotricibus Cœruleum (*die Blæhe*) dicitur; cujus præparatio non minus extraneis ignota est. Supradictus *D. Merretus* in *annotat. suis pag.* 294. scribit, ex relatione Vitriarii, qui istius præparationi ipse adfuerit, sibi constare, quod ex zaffera & cineribus saponariorum, iteratâ calcinatione, componatur. *Pometo* videtur esse vitrificatio, ex saffra, arena, soude d'alican & cinere clavellato constans, ut ex ejus *Histoire des Drogues Part.* 1. *Lib.* 5. *pag.* 170. apparet. Sed uterque à veritate alieni sunt, dum smalta non ex saffra, sed hujus matre, tosto sive calcinato cobaltho præparatur, quod admista certa arenæ & cineris clavellati parte in obscurum & cyaneum vitrum funditur, valde subtiliter pulverandum, certaque in mola inter duos valde duros lapides in farinam terendum, quo deinde lavetur, ac in distinctas species, quarum una altera semper melior sit, dividatur ac ponatur. Hujus insignis mercatura est, Misniæ Saxoniæque multum profutura; quamobrem Præfectis, seu, ut audiunt, Factoribus rudis cobalthi venditio seriò prohibita est, ut ne cœruleum alibi componere discant, magno redituum regionis detrimento. Ceterum qui purum cobalthum desiderat, (cujus una pars plus, quam tres aut quatuor zafferæ, præstat) ex Misnia magnô pretiô redimendum petat necesse est. vid. *Kunckelius l. c.*

§. 6.

Hæc smalta, quando primùm in vitrum redigitur, utplurimum regulum deponit, quem operarii pastam, *die Speise*, vocant, qui iterum cœruleum vitrum, & fortasse smaltam dat viliissimam. Vulgaris in sortis vel mista vocatur, præter quam media habetur & electa, ea quidem valdè tenera verèque cœrulea; quanquam Batavi aliquam optimarum habeant, eamque pallidam, sed valde puram & Ultramarino fere similem, unde etiam Galli eandem *Ultramarin commun*, ou *d'Hollande* vocant. vid. *Pometus pag.* 170.

§. 7.

Smaltæ usus omnibus fœminis notus est, quâ alba lintea subcœrulea reddunt, & amyli alborem alterant. Pictoribus quoque ac parietum

rietum dealbatoribus in usu est; certo porro colori, quo oves signantur, miscetur, & in tabulis venditur, vulgaris Indici titulo, de quo legatur caput de Indico.

§. 8.

Quoniam nonnulli hactenus descriptam Zafferam cum

MAGNESIA

confundunt, hæcque cum priori eundem fere usum in arte vitraria præstat, paucis illius faciemus mentionem. Nihil est aliud, quam nigricans minera, & io haud dissimilis, sed magis friabilis, exiguisqae lineis donata. E Pedemontio in diversæ magnitudinis frustis venit, & quidem duplicis conditionis, quarum una cæsia valdeque rara, altera nigricans instar magnetis, unde etiam nomen obtinet, observatur; quæ tunc bonitatis meretur laudem, quando eleganter splendens teneraque est, ac parum lapidosi continet, de quo vid. *Pometus cit. loc. pag.* 64.

§. 9.

Magnesiæ usus depurgando vitro dicatus est, cui viridem cœruleumque colorem detergit, ut summo jure sapo depurgandi vitri vocetur. Quando enim vel tantillum magnesiæ fuso vitro miscetur, ab omni peregrino colore istud liberat, vitrumque præstat clarum; sin vero nimis multum sumitur magnesiæ, vitrum purpuram induit, de quo *Merreti annotationes* in *Libr. I. Artis vitrariæ Nerianæ pag.* 208. merentur legi.

§. 10.

In Misniæ mineris crescit quoque magnesia, quæ idem illud est, quod vitrarii fuscum lapidem (*Braunstein*) vocant, ac similiter vitri sapo est. Alia quoque è Bohemia venit. Utræque valde æquo habentur pretio, ac Pedemontanæ virtute non sunt deteriores, ut propterea Germani Pedemontana possint carere, uti *Kunckelius* in *Notis suis in Artem vitrariam Neri pag.* 55. fusius ostendit. MAGNESIA ALBA, è lixivio nitri paranda, huc non spectat, de quâ alibi.

§. 11.

Tandem in Galliâ aliud adhuc haud dissimile minerale habetur,

PERIGUEUR

dictum, quod ex nigrô gravique lapide constans se non facile pulverisari patitur; ex Delphinatu Angliâque venit, & à figulis atque gemmariis usurpatur, ut *Pometus* istum *l. c.* describit.

CAPUT XV.

DE

GEMMIS.

§. 1.

GEMMÆ vehementer duri ac partim pellucidi, partim opaci, sed tamen eleganter tincti lapides sunt, quorum illi ex clarâ aquâ, hi vero simul ex terrestribus vel metallicis corpusculis, à spiritu lapidifico generantur, quemadmodum Anglorum decus, *Boyleus*, in suo *de Gemmarum origine* specimine, accurate demonstravit. Utrique maximam partem ex Orientali & Occidentali India veniunt, ut & Bohemia aliisque regionibus, è quibus priores semper meliores carioresque sunt, sicut de istorum dignotione ac pretio *Boëtius de Boot* (qui ad indagandam hanc materiam olim omnium Cæsarum Regumque aulas & thesauros perlustravit) in *Tract.* suo *de Gemmis*, & *Kunckelius* in *Epistola de natura, distinctione & bonitate Gemmarum*, merentur laudari. Quemadmodum verò rudes Orientales Gemmæ effodiantur ac vendantur, in *Appendice* libri post *Indiam nostram literatam* docebitur.

§. 2.

Commodè in genuinas & spurias dividuntur, quarum ultimæ vel natura ita crescunt, utpote fluores metallici, in metalli-fodinis reperiundi, à veris (quibus alias diaphaneitate & colore sæpe usque eo similes sunt, ut etiam prudentissimi in iisdem distinguendis possint errare) in eo facile distinguuntur, quod in igne fluant: Vel per artem è crystallo & vitro componuntur, qua de re supra allegatus *Kunckelius* præ ceteris accurate agit.

§. 3.

In usu verarum gemmarum, præter ceteros, *Helmontius Tract: in verbis, Verbis & lapidibus magna latet vis*, multum ponit fiduciæ; verum si secundum veritatis lucem expendamus omnia, plurima superstitioni videntur innixa, id quod non solum *D. Ammanus* in suo *de Mat. Med. libello*, sed etiam junior Dominus *Spenerus*, olim Professor Halensis, in *disp. inaug. de usibus Gemmarum superstitiosis*, publice demonstravit. Sed Mundus vult decipi, qui nullam fere medicinam pro efficaci habet, quæ non auro gemmisque superbiat; quanquam pro istis sæpe lapides cancrorum conchæque deglutiantur, siquidem minimi saltèm lapides & fragmenta gemmarum ad medicinam sumun-

ſumuntur, electis ad ornamenta ſummè elegantibus.

§. 4.

Quamvis quinque ſaltem ita dicti lapides pretioſi, Granatus, Hyacinthus, Sapphirus, Carneolus & Smaragdus in Pharmacopoliis plerumque uſitati ſint; conſultum tamen judicavimus, ceterorum quoque paucis facere mentionem, inter quos

ADAMAS

durisſimus, ponderoſisſimus ac clarisſimus eſt, cujus immane pretium partim apud ſupra dictum *Boëtium* reperitur, partim etiam inde colligitur, quod anno 1697. d. 17. Febr. Venetiis in *novellis ordinariis* ſequentibus verbis ſcribebatur: Adamas, quem Armenianus hic lo„ci 36000. ducatis vendidit, ab artificibus noſtris „politus, ferè dimidium imperialem latus eſt; „& quoniam talis in omnibus Europæ aulis non „habetur, iſte adamantum monarcha (qui „80. Karat pondus habet) 200000. ducatis æſti„matur: Id quod tamen de vere Orientalibus ſaltem eſt intelligendum. In Bohemia quoque multi, ſed viliores adamantes, aliique lapides pretioſi inveniuntur: quamobrem Itali, Galli ac Judæi iſtuc concedunt, quo iſtos conquirant, quoniam bubulci ſæpe lapide vaccam petunt, ipſa vaccâ cariorem, ut *Balbinus* in *Hiſtor. Nat. Bohemiæ Lib. I. cap.* 29. commemorat. Num verò in Medicina aliquem uſum præſtet, Medici in utramque partem diſputant. Nonnulli nocivum, ſi non venenoſum, eſſe credunt, qui inteſtina lædat, ac dyſenteriæ exiſtat cauſa, interne aſſumtus, auctore *Sennerto in Paralip. pag.* 130. Alii contra, inter quos *Wormius* eſt *in Muſeo pag.* 103. pulveriſatum adamantem iſto in morbo pro medicina habent. Quos *Ettmüllerus* inter ſe componit, verè lævigatum minutiſſimeque pulvetiſatum adamantem utilem, aſperum verò ejus pulverem nocivum exiſtimans, ut in *Comment. ad Schræd. pag.* 787. videndum. Iſto tamen commodè carere poſſumus, quod lapides cancrorum idem illud, imo plus præſtant. E quibus innoteſcit, fabulam eſſe, quod adamas non diffringi aut contundi, ſed ſaltem in ſanguine hircino emolliri poſſit.

§. 5.

Multa quoque de

CARBUNCULO,

quem nocte ſplendore, rubellosque radios emittere perhibent, dicuntur. Enimvero nec quisquam ejusmodi lapidem vidiſſe ſe profitetur, ut *Boëtius de Boot l. c.* ingenue notavit. Quamobrem nonnulli vel Rubinum, vel Granatum, alii vero quascunque rutilantes gemmas ita vocant. Adverſus carbunculos peſtilentiales commendatur, circa iſtos diſpergendus.

§. 6.

Sequitur itaque

RUBINUS,

lapis pellucidus, coloris eleganter coccinei, eoque melior, quo eſt rubicundior. Aliquid vero flavi repræſentans, granatus vel hyacinthus eſſe judicatur. Ex Inſula Zeilon venit, pro cujus magnitudine majus etiam eſt pretium; ego ſanè certam ſummæ conditionis ſtirpisque Perſonam novi, Rubinum nudè firmatum (*freygefaſt*) albi vel groſſi magnitudine, in fronte gerentem, pro quo alia ſimilis ſtirpis Perſona quinquagies mille imperiales obtulit. In morbis ſive febribus venenatis pro confortante medicina habetur, ingrediturque electuarium de gemmis, in ejusmodi morbis utile judicatum.

§. 7.

GRANATUS

ſimiliter pellucidus, & inſtar ſucci pomi granati rubens lapis eſt; majores granat, ex Oriente & Æthiopia, minores, ſed durriores & elegantiores, è Bohemiâ veniunt, imò & Friburgi inveniuntur. Quinque medicinalibus gemmis annumerantur, & pro confortante remedio, quod triſtitiam ab homine arceat, habentur. Sunt, qui tincturam exinde præparant, in dyſenteria laudatam. Magiſterium nequicquam profutura calx eſt.

§. 8.

Ruborem aliquantum clariorem habet

HYACINTHUS,

diaphanus, colore ex aureo rubens lapis, ignisque flammam imitans; quanquam quidam coccinei ſint coloris, quos Galli Hyacinthes les Belles vocant, ac pro optimis habent. In India ac Æthiopia reperitur, quamvis etiam in Bohemiâ creſcat, colore vitro ☿ii haud diſſimilis. Internè externeque contra peſtilentiam aliosque morbos contagioſos commendatur, quapropter etiam confortans electuarium, confectio de Hyacintho vocatum, admiſtis ſimul aliis pretioſis ſimplicibus, exinde componitur, quod ex flavedine rubens recensque, ac legitimæ eſſe conſiſtentiæ oportet, ſi pro bono vult æſtimari. Et quoniam magno cum dolo ſæpe præparatur, id demus operæ, quo ab ingenuis Materialiſtis ac Pharmacopolis, neutiquam vero à Circumforaneis ematur, melle, bolo ac metallo iſtud imitantibus, ut *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Part.* 3. *Lib.* 4. *pag.* 99. manifeſtat. Habetur cum moſcho & ambra confectio completa, ac ſine iſtis incompleta, quoniam fœminæ priorem non ſemper poſſunt perferre.

§. 9.

Porrò ad rubentes lapides pertinet

AMETHYSTUS,

quæ diaphana eſt, & colorem florum perſicorum repræſentat: cui ex India Arabiaque venienti, Bohemica neutiquam ſimilis eſt. Præter uſus ſuperſtitioſos ad arcendam ebrietatem ac melancholiam adhibetur, cæteroquin Medicina nullum

lum ejus uſum agnoſcit, & ni magnis è fruſtis conſtet, non magni penditur, juxta Gemmariorum & Judæorum proverbium: *Amethiſt, laſt den Mann vvie er iſt.*

§. 10.

Rubentes gemmas ſequitur cœrulea, nempe

SAPPHIRUS,

pellucidus, cœruleus viſuque jucundus lapis, inſigni, eaque adamanti valdè prope accedente duritie; unde eſt, quamobrem albidæ ſapphiri pro adamantibus habeantur ac vendantur. Optimæ ex Oriente, viliores è Bohemia Sileſiaque veniunt, imò & in Haſſiâ noſtrâ reperiuntur, prout plures in *Muſeo meo* ſervo; in curandis carbunculis peſtilentialibus uſurpantur, in circulum circa iſtos ductæ: quo etiam modo in ophthalmia & defendendis à variolis morbillisque oculis uſurpantur, de quo *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 789. videndus.

§. 11.

SMARAGDUS

contra pellucidus viridisque lapis eſt, qui rutilantibus & ſplendidis radiis, frigore in ore perpetuò durante, gravitate ac duritie dignoſcitur. Scythicus ſemper pro optimo habitus eſt, quanquam Bohemico ſit minor; iſtum quoque arte imitari ſtudent. Inſtar rerum quarumcunque viridium oculos recreare, pavoribus ac epilepſiæ mederi dicitur, quamobrem lapides ad pavores infantum exinde conficiuntur. Alii in dyſenteria quoque aliisque morbis commendant, de quo *Boetius l. c.*

§. 12.

Omnes priorum colores

OPALUS

continet, rubini ad inſtar ſubtilem igneamque flammam evibrans, ſimulque eleganter purpureo marinoque colore, in modum amethyſti ac ſmaragdi, interſtinctus, propterea que à nonnullis lapidum pretioſorum habitus pulcherrimus, ac per artem præparari neſcius. Indiæ Hungariæque ſoboles eſt; in lypothymia ac melancholia laudatur, ſed raro uſurpatur.

§. 13.

TOPASIUS

ſimilem in modum varios permiſtos colores habet, quæ pellucidus lapis eſt, colore pallide viridi, eam de ſe excitans opinionem, quaſi admiſtum aliquem flavum colorem habeat. Quando verò ex flavo viridis eſt, chryſopraſius vocatur. In Arabia inveniuntur, ſummeque elegantes dimidio adamantis pretio veneunt, ac nonnullis adverſus melancholiam & faſcinum laudantur.

§. 14.

Nonnunquam cum

CHRYSOLITHO

confunditur, quod nominis Veteres topaſio impoſuerunt, hodiè verò chryſolithus longè alius, clarus nempe ac pellucidus lapis eſt, aureò colore tanquam ſplendore ſolis ſuperbiens, prætereaque valdè durus. In Æthiopiâ invenitur melior, cum reliquis viribus conveniens.

§. 15.

Inter opacos & aliquantulum pellucidos lapides

JASPIS

valdè celebris eſt, hinc inde rubellis viridibusque maculis inſignitus; in hæmorrhagiâ timendoque abortu laudatur: quanquam alia iſtius ſpecies, dicta

LAPIS NEPHRITICUS,

crebriori in uſu ſit, qui ex cœruleo viridis & inſtar talci vel pinguedinis tactu pinguis lapis eſt. Ex Indiâ allatus id gerit nominis, quoniam pro certo remedio contra dolores nephriticos divenditur, quos etiam ſaltem extrinſecùs applicatus, ſi bonus eſt rectusque, certo curare perhibetur; id quod haud ità pridem *Dn. Peterſen*, celebris Materialiſta, Francofurti expertus eſt, apud quem valdè magnum rarumque lapidem Nephriticum, prætereaque alios quamplurimos ejusmodi lapides politos impolitosque vidi. De collò ſuſpenſus, aut loco armillæ applicatus, vel femori alligatus, continuo ſedare dolores dicitur, vid. *Wormius in Muſeo*, & *Caſp. Bartholinus* in peculiari *Tract. de lapide Nephrit.* Probè tamen videndum, ut ne vitiatus ſit, dum quidam impoſtores viride marmor, MALAQUITTE vocatum, pro iſto divendunt. Internam quoque medicinam, nempe liquorem & magiſt. nephriticum ingreditur, de quo *Hoffmannus* in *Clavi Schræd. pag.* 154. videatur.

§. 16.

E gemmis prorſus opacis ac ſaltem tinctis TURCOIS, CARNEOLUS, SARDA ſ. SARDUS adhuc reſtant, quorum prior lucide cœruleum colorem habet, & externe contra caſum, poſterior carneum, & contra quascunque hæmorrhagias commendatur: quanquam hodie maxima pars ad conficienda ſigilla uſurpetur.

§. 17.

Unus adhuc opacorum minusque pellucidorum lapidum meretur commemorari, nempe Gallorum lapis ocularis, juxta Gratianopolim reperiundus, propterea que

LA PIERRE PRETIEUSE DE GRENOBLE

vocatus. Parvus valdeque lævis ac depreſſus lapillus eſt, figura ac colore lenti haud diſſimilis, qui, ut apud nos perlæ, iſthic oculis ingeritur, ſi forte ex improviſo pulviſculus vel feſtuca inciderit. Aliquot ejusmodi lapillos ab amico communicatos Muſeum noſtrum aſſervat.

CAPUT XVI.

DE

CRYSTALLO, LAPIDE SPECULARI ET GLACIE MARIÆ.

§. 1.

CRYSTALLUS candidè clarus, pellucidus, nec adeò durus lapis eſt, inſtar glaciei (unde in lingua Græca nomen habet) apparens. Hinc & inde in Europa, in Alpibus, Bohemiâ, Hungariâ, plurimisque locis aliis reperitur, ac ſine dubio è clara aqua lapidifica generatur, quod in medio nonnunquam aquæ guttam exhibet, ut *Dn. D. Bohnius* in *Collegio Phyſico Experimentali*, Lipſiæ habito, teſtatur.

§. 2.

Equidem omnes pellucidæ mollioresque gemmæ id commune nomen habent, quatuor tamen præcipuæ ſpecies hucusque fuerunt obſervatæ, nempe 1. prorſus clara cryſtallus, glaciei ſimilis, CRYSTALLUS MONTANA vocata. 2. Hexagona, *Iris* dicta, quoniam iridis adinſtar diſtinctos colores repræſentat, oculis viſuique obtenta, haud ſecus atque vitra triangularia, priſmata Opticis nominata. 3. Flaveſcens, & 4. ſemirotunda, quæ ſubtus depreſſa, ſuperius fornicata, propterea que ut vitrum cauſticum uſurpanda, ob duritiem, qua ceteras antecellit, pro optima cryſtallo habetur, PSEUDO-ADAMAS vocata, quod *Boëtius Lib. de Lap. pag.* 179. ex iſtoque *Wormius in Muſ. pag.* 100. fuſius demonſtrat; præter quos ea de re etiam *Eraſmus Bartholinus* in peculiari, quem iſta ſuper re ſcripſit libro poteſt conſuli.

§. 3.

Quod ad ejus attinet uſum, non multa ſolum vaſa pretioſa, ut ſcutellæ, vitra, falſæ gemmæ ſimiliaque exinde conficiuntur, ſed in Medicina aliquo etiam in uſu eſt, quæ refrigerantem adſtringentemque ei virtutem adſcribit. Quamobrem non tantem in febribus continuis integra cryſtallus ſub lingua ad ſedandam ſitim, & in manu adverſus calorem continetur, ſed in dyſenteria quoque ceterisque alvi ac uteri fluxibus pulverata prodeſſe, ac lactantibus lac augere perhibetur. Porro tanquam alexipharmacum commendatur adverſus ☿-ν, quanquam ei ſoli non habenda fides ſit, ſed alia oleoſa, lac ſimiliaque ſint jungenda. Quoniam vero maxima ejus vis in eo ſita eſt, ut acidos humores ſtomachi ac inteſtinorum temperet abſorbeatque, in pulverem trita meo judicio melior eſt quam cetera inde præparata ſalia, magiſteria, olea, tincturæ, quæ apud *Schræderum* ejusque interpretes *D. Hoffmannum* ac *D. Ettmüllerum* reperies.

§. 4.

A Cryſtallo colore ac diaphaneitate ita dictum vitrum Moſcoviticum & glacies Mariæ non multum differunt, quæ bina à plurimis Phyſicis confuſa pro eadem re habentur, primo tamen intuitu valde diverſa apparentia, quoniam glacies Mariæ in multas laminas facilime dividitur, tactuque talcum imitatur, quæ utraque in vitro Moſcovitico, ſive lapide ſpeculari, non obſervabis. De utrisque igitur agemus in ſpecie.

§. 5.

LAPIS SPECULARIS

albus, extrinſecus craſſus & inæqualis, intrinſecus coloribus interſtinctus ac ſplendidus lapis eſt, qui luci obtentus paulum perlucet, copioſe è Moſcoviâ venit, unde etiam *Ryſchglas*, quaſi Ruſſorum vitrum, vocatur; quamvis in Hiſpania quoque & alibi reperiatur. In Medicina nullum præcipuum uſum habet, niſi quod ex eodem calcinato pulvis ad dealbandam fœminarum faciem poſſit præparari.

§. 6.

GLACIES MARIÆ

contra depreſſus, ſimulque albus, & inſtar glaciei pellucidus lapis eſt, in multas tenues bracteas & folia diviſibilis, quæ loco vitri ad feneſtras poſſunt uſurpari, ut in quibusdam templis videntur. Recepta ſuperſtitio eſt, Divam Matrem ejusmodi vitrum habuiſſe, ut propterea Mariæ vitrum vocetur: & quoniam luna aliæque res in hoc lapide ſe repræſentant, SELENITES quoque olim dicebatur, indeque vulgaris, ſed falſa profecta crediur ſuſpicio, quod pro lunæ motu accreſcat decreſcatque. Plerumque in oblonga & quadrangulari creſcit figura, tanquam rhombus, ut ex ejus delineatione in *Muſeo Muſ. German.* apparet, ubi ſimul Achates ſelenites ſiſtitur.

§. 7.

Quorundam opinione Alumen Scajolæ nihil eſſe aliud videtur, quam glacies Mariæ: Inter quæ tamen id intercedit diſcriminis, quod licet utraque in tenues lamellas facile dividatur, prius tamen multo durius ſit poſteriori, nec adeo pellucidum, antequam diviſum fuerit. Præterea ſolo tactu notatur diſcrimen, dum glacies Mariæ multo tenerior, & fere inſtar talci deprehenditur, quæ cauſa eſt, quamobrem à multis pro glacie Mariæ veneat.

§. 8.

§. 8.

De ejus qualitatibus id notandum, quod in Medicinâ internè in difficili partu, & expellendo fœtu mortuo usurpetur, quem in finem cum borrace, myrrha similibusque præscribitur; ob quam vim vehementer pelleatem fluxum mulierum menstruum maturare aptum natum. Externè similiter ad infucandam faciei cutem adhibetur. E lamellis Moniales varia ornamenta componunt, ac plerumque imaginibus insternunt, rebusque sanctis. Certum quendam curiosum mihique notum amicum magnum speculum causticum exinde præparare voluisse scio, dum cavum confecti è gypso orbis latus ejusmodi glacie volut replere. Quod opus num perfectum sit, de eo hucusque non sum certior factus. Ad minimum credendum est, ejusmodi speculum pari radios Solares vehementia reflectere posse, quam metallicum aliquod speculum causticum.

CAPUT XVII.

DE

MAGNETE, HÆMATITE ET SMIRIDE.

§. 1.

MAGNES ex nigro cæsius, durus, nec tamen adeo gravis lapis est, vulgari loquendi modo ferrum ad se trahens, ac constanter polos respiciens. Copiosè in Joachimi valle, ac Schneebergæ Misniæ, circa ferri fodinas, reperitur, quamobrem etiam Græcorum lingua SIDERITIS vocatur; quanquam in Galliâ in cacumine turris magnes quoque repertus fuerit, de quo *Dn. Vallemontius* curiosum tractatum conscripsit, vid. *Pometus in Hist. Simpl. P.* 3. *l.* 2. *pag.* 6.

§. 2.

Differentia hujus lapidis partim ab Regionibus, è quibus venit, desumitur, quem tamen etiam color distinguit, dum optimus ex Æthiopia advectus, niger, sed perrarus est. Chinæ Bengalæque Indiæ Orientalis erutus, hepatici sive cervini coloris: Arabicus rubellus: vulgaris Sueciæ, Daniæ, Germaniæque fœtus colore ferreus est; albus etiam dicitur inveniri, ab Italis CALAMITA BIANCA dictus. Non minus effectus viresque non spernendam differentiam constituunt, quorum respectu vulgaris ferrum trahit, simulque ad stellam polarem se vertit: altera species solum stellam polarem respicit, ferrum contra respuit, istaque in S. Georgii monte in Bohemia effoditur, ut ex *Balbini Hist. Boh. Lib.* 1. *pag.* 82. apparet: tertia species trahit alium magnetem: quibus nounulli quartam speciem addunt, quæ tantum abest ut ferrum trahat, uti potius istud ab se arceat, quæ THEAMEDES, Germanice Bleser vocatur, cujus nominis auctor existit *Boëtius de Boot, Tr. de Lap. ac Gemm. Lib.* 2. *cap.* 249. *pag.* 441.

§. 3.

Vires magnetis non in magnitudine ac quantitate consistunt, sed certis in venis, quoniam interdum minor reperitur magnes, qui ad rem sustinendam majorem plus valet, quam magnus, id quod in isto magnetico globo, qui Londini in Collegio Greshamensi ostenditur, licet videre, quem ferunt rem non adeò ponderosam sustinere, licet LX. libras pondere suo æquet, acusque novem pedes distantes moveat, ut Dn. Lipsienses in *Actis A.* 82. *Mens. Febr.* ex *Grewio* bene observarunt. Quamobrem etiam pretium ipse sibi lapis non magnitudine, sed qualitate constituit, prout magnes 20. lb. trahens nuper in Batavia 1000. florenis emtus est, ut celebris Mechanicus Leidensis *Dn. Muschenbræckius* ad Nos perscripsit. Unde vero admirandæ magnetis virtutes oriantur, hodie adhuc Physici inquirunt, qua de re *Gilbertus* peculiarem *Tractatum* edidit, quæ tamen subtilitates cathedræ magis, quam Materialium Museo accommodatæ sunt. Hoc saltem ad ejus conservationem scitu necessarium est, quò crudum magnetem semper in limatura martis custodiamus, incluso & armato verò suum semper pondus linquamus, nî velimus istum brevi emori. Purus quoque & à pinguedine aliisque sordibus vacuus servandus, alias si non corrumpitur, saltem in trahendo, quo ante pollebat, obtunditur; id vero etiam ab allii succo fieri, quæ vulgaris est opinio, à *Borello* in *Hist. & Obs. cent.* 2. *obs.* 88. pro fabula habetur. Doctus quidam, cui *Fortio Ringelbergio* nomen est, in *Experim. suis pag.* 609. scribit, amissas magneti redire vires, si sanguini arietis imponatur, id quod periclitari meretur. Hoc certum est, quod ad augendas vires multum conferat, si inclusi magnetis pondus exiguo quotidie additamento augeatur.

§. 4.

Usus magnetis major est, quam ut scribi possit, si saltem vulgarem nauticamque pyxidem contemplemur, istam omnium navigationum quasi animam, & communionem superioris inferiorisque partis Orbis terrarum. Quæ artis periti curiosique Physici admiratione stupore; dignissima experimenta cum isto faciant, in *P. Kircheri*, viri hominum sermone celebratissimi, hujusque successoris *P. Schotti* scriptis potest videri; è quibus doctus quidam Gallus in

peculiari libro, *Traite de l'Aiman*, multa in elegantibus figuris ob oculos posuit. In Medicina, æque atque hæmatites, astringentem exsiccantemque vim habet, externè verò tantum usurpatur, quod internè sumtus periculosus ac venenosus à nonnullis habetur, teste *Wormio in Mus. pag.* 63. Qui vero Doctorum ac Chirurgorum pulveratum Emplastra, magnetica dicta, faciunt ingredi, quibus ferreæ cuspides, devorati cultri similiaque è corpore extrahantur, vehementer aberrant, quoniam contusus ceraque oblinitus magnes ad trahendum ferrum neutiquam valet. Quamobrem si quid apud famosos cultrivoros effectum fuit, integrum usurpatum magnetem fuisse, necesse est. Quæ cum albo magnete, plerumque vitiato, instituantur superstitiones, hic transeant, vid. *Wormius l. c.*

§. 5.

Explicatum hactenus magnetem summa cognatione attingit

LAPIS HÆMATITES,

similiter non solum in ferri fodinis reperiundus, sed interdum etiam ferrum attrahens, ut *B. D. Bauschius*, Primus Curiosorum Germaniæ Præses, in peculiari *libro de Lap. Hæmat.* notavit, cujus contenta in *Histor. mea liter. Acad. Leopold. cont.* 11. paucis recensui. Alias fulvus, durusque ac ponderosus lapis est, è longis striis quasi coagmentatus: circa Hildesiam in Joachimi valle locisque aliis Germaniæ reperitur. Optimus Compostellis, Hispaniæ oppidò, venit; quem in pulchris striisque exornatis frustis saturate rubrum esse oportet. Istum quoque ars imitatur, ut in *Miscellan. Acad. Germ. Cur. Dec.* 1. videre licet.

§. 6.

Præter rectum verumque lapidem hæmatiten, dantur quoque spurii, istius loco oblati, quos inter

SCHISTUS

est præcipuus, hæmatiten vehementer æquans, nisi quod in eo ab isto distinguatur, quod hæmatites plerumque in obtusis frustis, schistus contra acutus instar cunei appareat. Ille inæquales habens strias, in frusta inæqualia dividitur: hic discedit in æquales lamellas, æqualibusque striis apparet divisus, lapis scissilis propterea dictus, non quod facile dissindatur, sed quia secundum strias apparet dissilus.

§. 7.

Alia insuper species apud Materialistas reperitur, quam

FUSCUM LAPIDEM (*Braunstein*)

vocant, qui non adeò durus est, atque priores; ad tingenda fictilia figulis nonnullis in locis est in usu, de quo videatur *Boëtius Tract. de Lapidibus pag.* 390. Num verò hic lapis ejusdem naturæ sit cum fusco illo lapide, cujus supra in vitrificatione fecimus mentionem, certo affirmare nequeo.

§. 8.

In Medicina omnes hæmatitæ adstringentem constipantemque vim habent, præsertim in hæmorrhágiis ac fluxibus alvi sanguineis, tam internè in subtilem pulverem redacti, & cum nuce moschata, vel ejusdem oleo propinati, quam externè, sive pulvis vulneribus inspergatur, sive solus lapis teneatur manibus, quod in nimia hæmorrhagia narium quidem proficit; videndum tamen, ne cuspidibus lapidum lædamur, quippe periculosa vulnera inducentibus, ut *Pometus* in suo *Material. Musco Part.* 3. *L.* 2. *pag.* 62. admonet. Ex hæmatite quoque cum sale ammoniaco flores rubri sublimantur, Aroma Philosophorum nonnullis vocati, ex quibus cum spiritu vini R lap. hæmat. præparatur, ad hæmoptoën, phthisin, mictum cruentum, hæmorrhagiam narium similesque morbos valde laudata. Aurifabris hæmatites ad inaurandum in usu est.

§. 9.

Non prætereundus Smiris est, quem supra laudatus *Boëtius c. l.* pro specie hæmatitæ, alii vero pro lapidosa marcasita habent. Latinis autem

SMIRIS

vocatur valdè durus ferreique coloris lapis, partim ex Hispaniâ, partim ex Suecia, Angliaque advectus. Prior hinc & inde auri venis superbit, quod etiam exinde prolici posse existimant, quamobrem ab Hispaniarum Rege serio prohibitum est, ut ne Regno evehatur. Suecicus è cupri mineris veniens, paulum rubet & auri venis destitutus facile dignoscitur, si pro Hispanico offertur vendendus. Ultimus vulgaris usitatusque est, qui in Anglia certis in molis in pulverem redactus, vel totus apud Materialistas invenitur.

§. 10.

Quod ad ejus attinet usum, Hispanicus Smiris, ab Alchymistis magni æstimatus, ad præparandum aurum ac lapidem Philosophorum insumitur, quamobrem etiam auro æquiparátur, nec tamen facile ejus datur copia. Vulgaris in integris adhuc iisdemque politis frustis consistens, à vitriariis ad incidenda vitra usurpatur, quæ adamantis adinstar rimis signat. Isto quoque mediante in marmore aliisque lapidibus fiunt figuræ. Renovatoribus, hoplopœis machæropœisque smiritis pulvis in usu est, quo cataphractas, loricas, gladios, cultros, metallica vitra caustica, resque similes expoliant. In Medicina nullum præcipuum usum habet, præterquam quod pulvis à nonnullis pulveri dentifricio permisceatur.

CA-

CAPUT XVIII.

DE

LAPIDE AMIANTHO, TALCO ET OLEO TALCI.

§. 1.

LAPIS AMIANTHUS ſ. ASBESTUS fibroſus, obſcure viridiuſculus ſciſſilisque lapis eſt, qui inſtar pennarum ſe diſcerpi patitur, *Federweis* propterea nonnullis dictus, & in igne uſtione non conſumitur. ſed candidior fit puriorque; maximam partem ex India Turciaque venit, & quanquam etiam in Italia aliquid dicatur inveniri, nimis tamen breve eſt frangibileque, ex quo, ut ex rubro amiantho (*Stein-flachs*), fila duci nequeunt, teſte *Boëtio Tract. de Lap. pag.* 383. multo minus alumen plumoſum pro ſpecie hujus lapidis habendum, ab igne æque ac certis menſtruis deſtruendum, quibus utrisque amianthus reſiſtit, cutem etiam pungens, quod tamen illud non præſtat, ut alibi oſtendimus.

§. 2.

Hic ille lapis eſt, ex quo Veteres Romani INCOMBUSTIBILE ſ. LINTEUM confecerunt, in quo Regum aliorumque magnatum corpora, quo genuini cineres acquirerentur, comburebantur. Is ſiquidem ita præparari poteſt, ut exinde fila ducantur, & tanquam ex noſtrate lino texantur lintea, quæ tantum abeſt ut igne conſumantur, ut potius candidiora fiant & ab omni ſorde depurgentur, id quod alibi in figura oſtenditur. Qui vero præparandi modus ſit, hodie perpaucis innotuit, & pro magno arcano habetur, adeò quidem, ut licet Illuſtris *Dn. Lanii*, Eques Neoſolanus, alicui hujus artis gnaro 2000. Imperiales obtulerit, eandem tamen aliis concredere noluerit. Et quanquam *Joh. Baptiſta Porta Lib. IV. cap.* 35. & *Wormius in Muſeo pag.* 55. modum & rationem ducendi ex amiantho fili deſcripſerint, ille tamen difficulter intelligitur, hic vero inſufficiens eſt. Ipſa tamen res certa eſt, dum ejusmodi filum oſtendere poſſum, ac B. *D. Ettmullerus* in *Comment. Schræd. pag.* 797. recenſet, quod Mediolani in *Muſeo Septaliano* marſupium ex eo confectum, ab ipſoque poſſeſſore textum viderit: inſuper teſtans, quod inditi marſupio nummi, ignique impoſiti, liquefacti fuerint, ipſo marſupio manente illæſo. Non minus CHARTA INCOMBUSTIBILIS inde paratur, quam magna copiâ, haud procul à Neoſolo, è ſodina ſibi propria parari curat Eques Ungaricus ſupra laudatus, *Dn. Lanii:* cujus plures philyras Orphanotropheo Hallenſi inſeruit Filius Ejus Generoſiſſimus, à quo & fruſtum per alium obtinui. Similiter olim ellychnia pro candelis perpetuis exinde fuerunt compoſita. Num vero ex certis quibusdam herbis ejusmodi ellychnia linteaque incombuſtilia præparari poſſint, affirmante *Pometo* in *Mater. Muſeo Part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 48. *pag.* 81. inquirere hic prætereo. Magis credibile eſt, quod *Vielheuerius* in *Deſcriptione exoticorum materialium pag.* 21. de Dn. Kiſtio narrat, qui ellychnium excogitaverit ex tenuibus filis, è puriſſimo ſed peculiari modo liquato auro ductis: cui oleum ex ☉, naphtha, nec adeo ignota planta præparatum ſuperfuderit, quod quidem multum præſtitit, ſed ſpatio quatuor hebdomadum culmum latum in vaſe fuit imminutum.

§. 3.

Ejus uſus quoque in Medicina obtinet, dum interne ad fluorem album mulierum cum vino aut ejus ſpiritu commendatur. Externè in paralyſi & aridura partium loco urticarum poteſt adhiberi, quoniam ſimiliter pungit uritque, ac propterea à petulantibus, tanquam pruriens vexansque pulvis Circumforaneorum, aliorum induſiis inſpergitur. In officinis habetur Linimentum de amiantho contra tineam, à *Boëtio* miraculoſum *loc. cit.* dictum, & à *D. Schrœdero Lib.* 2. *cap. ult. pag.* 306. deſcriptum. Aliud quoque unguentum in *Aldrovandi Muſeo metallico pag.* 646. habetur, quo inunctæ manus ad tangendum ſine noxa ignem dicuntur muniri, quod *Ettmullerus* in *Commentario Schræd. p.* 797. ex iſto tranſcripſit.

§. 4.

Non multo alia TALCI ratio eſt, quod ſimiliter ex viridiuſculo ſplendidus ac ſciſſilis lapis eſt, extrinſecus tactu pinguedinem imitans, quanquam prorſus ſiccus & gravis ſit, & inſtar amianthi igni vehementer reſiſtat. Plurimam partem è Venetiis, tanquam ſolo natali, venit, quanquam etiam in Anglia Germaniaque ejus multum inveniatur. *Pometus* quoque in *Hiſt. des Drogues Part.* 3. *lib.* 4. *c.* 14. *pag.* 108. rubri talci meminit, quod è Moſcovia Perſiaque advectum, in magna ac pellucida folia poſſit dividi, à Monialibus imaginibus & Agnis Dei inſternenda, quod tamen potius pro lapide ſelenite habendum, ut *Wormius* in *Muſ. pag.* 57. conjicit.

§. 5.

Interim à vero non abhorret, diverſa repe-

riri genera, quoniam jam ſuo tempore *Paracelſus Tract. de Min.* quatuor recenſuit, rubrum, album, flavumque ac nigrum. Apud Materialiſtas plerumque duplex invenitur, Talcum aureum & argenteum. Optimum ex viridiuſculo album eſt, in magnis fruſtis, & læve, quod diffractum inſtar argenti ſplendet, inque folia diviſum clarum eſt ac pellucidum.

§. 6.

Ratione qualitatum talcum ſaltem ad dealbandam faciem externe judicatur utile, ac fœminæ præſertim adeo decantatum talci oleum deſiderant, quod quaſi angelicam reddere faciem, & ad unam guttam naſo inſtillatum, claritatem & ſplendorem conciliare perhibent. Quamobrem nullum eſt dubium, quin multæ iſtud decies auro carius emturæ ſint, modo verum poſſit haberi. Quæſtio igitur inter doctos & Laboratores orta eſt, num etiam adeo deſideratum

OLEUM TALCI

præparari exinde queat, nec ne? Plurimi id eſſe impoſſibile exiſtimant, quoniam talcum nec contundi, nec igne vel menſtruis aquoſis poteſt reſolvi, ut *Ettmullerus l. c. pag.* 810. oſtendit. Alii contrariam amplectentes ſententiam omni opera in id incumbunt; quem in finem magnum apud *Schræderum* aliosque ſcriptores invenies deſcriptionum acervum, balatu quam lana tumidiorum, & ſi quod inde eliciatur oleum, aliarum potius, quæ adduntur, rerum, quam talci fœtus erit, aut alia quædam fraus ſubeſt; quemadmodum clariſſimus atque ingenuus *Zwelferus* de *Tackenio*, ſimiliter celeberrimo, ingenioſum dolum recenſet in *Reſut. Tacken. Part.* 1. *c.* 1. *pag.* 33. qui ita dictam terram foliatam ſri diu pro talco vendidit, ejusque liquorem pro oleo talci; quum vero prædictus Zwelferus, continuis laboribus modo dictam terram foliatam ſimiliter inventam, Tackenio oſtendiſſet, negare hic dolum non poterat, dicens Zwelfero: ſi ſcis, bene, taecbis. Si hæc in viridi fiunt ligno, quid continget arido? Si fallere docti amant, quid facient indocti, circumforanei, laboratores & impoſtores? Summa, Mundus vult decipi.

CAPUT XIX.

DE

LAPIDE VARIOLATO ET BONONIENSI.

§. 1.

LAPIS VARIOLATUS (*Pockenſtein*) obſcurè viridis valdeque durus lapis eſt, in uno latere paulum elatas clareque virides maculas hacens, infantum variolis haud diſſimiles, quales etiam in altero latere & intrinſecus paululum, ſed non adeo elatæ, apparent, unde in Europâ nomen obtinuit. Primum à PP. Jeſuitis ex India allatus eſt, ubi proprie

GAMAICU

nominatur, ſub quo nomine fruſtum, nucis caſtaneæ magnitudine, mihi dono datum eſt, in quô deſcripta facies & qualitates ſe accurate repræſentant. Rarus alias carusque habetur, ut *Pometus* in *appendice de l'Hiſtoire des Drogues pag.* 15. teſtatur, cui hic lapis non temerè ſilicis videtur ſpecies. In Scotia quoque reperitur, teſte *Sibbaldo* in *Hiſt. Scot. Nat. Lib.* 4. *Part.* 2. *pag.* 149.

§. 2.

Quemadmodum verò duplices in infantibus obſervantur variolæ, diſtinctæ & confluentes, ſicut *Sydenhamius* præ ceteris Medicis in ſuo *Tract. de morbis acutis* eruditè docuit: ita iſtam quoque differentiam cum admiratione in iſtis ipſis lapidibus videmus, in quibus maculæ partim etiam confluunt, ut in prima figura *Muſei Germanici* apparet: partim ab ſe invicem diſtinctæ ſunt, teſte figura ſecunda. Ratione coloris quoque diſcrimen eſt, dum nonnulli lapides virides, quidam flavi, alii alio tincti colore eſſe perhibentur, ut *Ulyſſes Aldrovandus* in *Muſeo metallico Lib. IV. cap. LXVII. pag.* 883. teſtatur.

§. 3.

Quod ad uſum iſtius attinet, Paſtores in India lapidem jumentis dicuntur appendere quò à puſtulis, quibus expoſita ſunt, defendantur: quamobrem etiam contra variolas infantum proficere perhibetur, adeò, ut de collo ſuſpenſus, & ad ſcrobiculum cordis protentus, aerem venenoſam materiam continuo è corpore evocet, infantesque à periculo tutos præſtet. Quod licet quadantenus ſuperſtitioſum videatur, ſupra memoratus tamen *Ulyſſes Aldrovandus l. c.* id vero eſſe conveniens exiſtimat, quoniam Arabes, propter ſignaturam externam, lentes hoc in morbo non ſine fructu commendarunt, quæ his in lapidibus clarius apparet. Et quoniam plerumque Medici, imminentibus variolis, oculos infantum ab iſtis auro aliisque rebus curant defendendos, conſultius exiſtimat, ut hunc lapidem, ſi ejus datur copia, terendo circa oculos ducamus, aut ejus infuſum, cum aqua aliqua deſtillata factum, circa oculos applicemus. Porro hic lapis infantes à foveis & cicatricibus præſtare tutos creditur, ut in Gallica deſcriptione, quæ cum fruſto ſupra memorato mihi transmiſſa eſt, recenſetur, cujus verba ita ſonant:

L'USA-

L'USAGE DU GAMAICU.

Faitez tiedir de l' eau & trempez le dite pierre dans l' eau tiede. Alors frottez tout le viſage de l' enfans, ou grande Perſonne, & perſonne ne ſera gaſté de la dite maladie. Mais il faut trois fois le jour frotter la perſonne. Des autres font boüillir de l' orge & tremper la pierre dans la dite decoction.

Quæ ita reddemus Latinè: Uſus lapidis variolati: Tepida fit aqua, eique imponitur lapis. Illa poſtmodum tota infantum, aut etiam adultorum hominum facies lavatur, ſic nec illius peribit nitor. Iſta vero frictio ſive lotio ter quotidie fiat. Alii decoctum hordei præparant, cui imponunt lapidem.

§. 4.

Præter hunc alius adhuc habetur exoticus ſilex, qui in collibus & montibus circa Bononiam in Italia inventus

LAPIS BONONIENSIS

vocatur: gravis, cæſiusque ac ſplendidus lapis eſt, figura lapidi nephritico haud multum diſſimilis, qui præter ceteros hoc proprium habet, quod certo modo calcinatus, ac in ſole aut juxta ignem poſitus, poſtmodum noctu niteat, ſplendoremque de ſe emittat; quamobrem etiam à P. Kirchero PHOSPHORUS, ab aliis vero SPONGIA SOLIS & LUNÆ vocatur, cujus iconem habent *Miſcell. Acad. Nat. cur. Dec. II. A. VII. pag.* 3.

§. 5.

Iſtius fere quinque habentur ſpecies, una inſtar glaciei Mariæ dividi ſe in cortices lamellasque patitur: alii lapides albeſcentes ſplendidasque ſtrias habent, ut antimonium: aſpera alii cruſta muniuntur: tandem nonnulli nigri ſunt & friabiles, quemadmodum à *Wormio in Muſeo pag.* 46. recenſentur, & à curioſo Comite *Ferdinando Marſigli*, in Italico *Tract. Del Foſforo Minerale*, in elegantibus figuris ob oculos ponuntur.

§. 6.

Modum quô calcinandus & ad lucendum præparandus eſt, bini jam laudati Auctores l. c. deſcribunt, & *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 19. Nempe hic lapis vel totus, ſi purus eſt bonusque, in fornace accommodata calcinatur, aut in pulverem redactus ab impuritatibus depurgatus, ac cum albumine ovi vel oleo lini denuo conglobatus. Qui ſi primâ calcinatione externam lucem non aſſumit, iſtamque in tenebris non emittit, calcinatio iteranda, quoad aptus factus fuerit; quod ex granulis, extrinſecus inſtar roris ſe præſentantibus, ac ſolis radios præcipue excipientibus, eſt colligendum. Rectè præparatus pyxidi, adverſus ſolem vel ignem collocandæ, noctuque in obſcuro angulo ponendæ, inditus, inſtar carbonum candentium ſplendidus apparebit, in cujus cauſam locis ſupra citatis pluribus etiam inquiritur.

§. 7.

In Medicina caſum crinium promovere perhibetur, ſi modo locus iſto fricetur; id quod etiam lixivium, ex calcinato lapide præparatum, ferunt præſtare. Pulvis quoque ac lixivium memoratum vomitum excitant, ut l. c. videndum, de quo *Licetus* in *Tractatu peculiari* legendus.

CAPUT XX.

DE LAPIDE JUDAICO, LYNCURIO ET FULMINARI.

§. 1.

AD iſtos lapides, quibus Natura certam conſtantemque figuram ac faciem dedit, pertinet quoque judaicus lyncisque lapis.

LAPIS JUDAICUS

in officinis vocatur, quoniam primum ex Judæa venit; hodie vero etiam in Sileſia, circa Hildeſiam & alibi invenitur. Oblongè rotundus lapis eſt, olivam imitans, multis iisque ſecundum longitudinem deſcendentibus lineis ſtriisque circumcirca ornatus, æqualem diſtantiam habentibus, aeſi circulo eſſent diſpoſitæ. Cæſius, nonnunquam rubellus, apparet, nec præcipuam habet duritiem, in fruſta diviſus, intrinſecus ex albo cæſius ſplendidusque apparet, inſtar ſilicis, cujus eſſe ſpecies perhibetur. Quanquam *Samuel Dale* in ſua *Mineralog. pag.* 90. in eam veniat opinionem, eſſe fortaſſe lapidefactos radios erinacei marini, cui hic lapis extrinſecus non ſit diſſimilis.

§. 2.

Hic verò ſciendum eſt, lapidem judaicum non ſemper eandem habere longitudinem ac magnitudinem, ſed præter vulgarem dari quoque longum & minus latum, quem nonnulli marem, alterum contra fœminam vocant. Illum putant magis renum calculo expellendo, hunc calculo veſicæ conducere, ut *Boëtius de Boot de Lap. pag.* 409. exiſtimat; ſiquidem uſus hujus lapidis præſertim ureteribus proficit: quamobrem non ſolum pulveratus candoque ſaccharo miſtus,

miſtus, tenellis infantibus contra calculum & obſtructionem urinæ cum fructu exhibetur, teſte *Hoffmanno* in *Comment. Schræd. pag.* 180. ſed liquorem quoque nephriticum *D. Michaelis* notiſſimum, ejusque magiſterium nephriticum ingreditur.

§. 3.

Huic plerumque

LYNCURIUS, ſeu

LAPIS LYNCIS (*Luchſenſtein*) ſociatur, cui à lyncibus nomen eſt inditum, quoniam ex iſtorum urina generari olim exiſtimarunt. Qui error inde fortaſſe ortus eſt, quia nonnulli ſ. v. felium urinam redolent. Rectius vero ob figuram BELEMNITES (*Schoſſtein, Alpſchos*) vocatur, quoniam longiuſculus, teres, non latus, & tanquam ſagitta acuminatus eſt, ut ex figura apparet. Ceterum varii eſt coloris, albus, flavus, niger, nunc totus, nunc dimidius pellucidus, & plerumque linea aliqua quaſi diſtinctus, ubi facile ſe findi patitur, qui ultimus, ſi parvus eſt, habetur pro optimo; partim tanquam argento, partim auro videtur obductus, de quo ſupra citatus *Boëtius loc. cit. pag.* 478. fuſius agit. Multis in locis Germaniæ, præſertim circa Hildeſiam, Regiomontium Boruſſiæ, in Helvetia, circa Pariſios, inque Sicilia reperitur, ut *Boccone* in *Recherches & obſ. natur.* teſtatur.

§. 4.

Vires ejus in pellendo calculo atque lotio eædem ſunt, atque prioris, quas tamen *Ammannus de Mat. Med.* ſumit exſibilandas, dubitans, num reverâ lithontriptica dentur medicamenta? quam controverſiam cathedræ nunc relinquimus. Majori jure iſtam in dubium vocare vim poſſemus, qua incubum terroresque nocturnos putant fugare, propter quam *Alpſchos* vocatur, niſi quis putet, iſtum ſuſpenſum ſolo attactu, homines à nimio profundoque ſomno exciere, aut tutos præſtare. Ceterum *Hoffmannus* in *Clavi Schræder. p.* 182. illum contra icterum, febres erraticas & pleuritidem commendat, ad ſemidrachmam aſſumtum.

§. 5.

Prædicto Lyncis lapidi externa figura & exacutione fere ſimilis eſt

LAPIS FULMINARIS, ſ.

CERAUNIA,

niger, durus valdeque gravis lapis, qui plerumque eo in loco, ubi ejus æquilibrium eſt, foramen habet, & vel acuminatus eſt, vel infra, inſtar ſecuris exacutus, unde ſæpius ſecuris fulminaris (*Donner-axt*) vocatur, quoniam non vulgus modo, verum etiam doctiſſimi viri ſibi perſuadent, ac defendere præſumunt, in nubibus iſtum generari lapidem, ac ſub forti fulmine eminus præcipitari in terram. Inde eſt, quamobrem multi iis in locis, quæ emiſſo fulmine percuſſa ſunt, multas ulnas profunde terram effodiant, ſpe inveniendi lapidis fulminaris illecti. Certum equidem eſt, agricolas ſæpe ejusmodi lapides, aratrô è terra erutos, invenire: num vero in aëre generati, fulmineque demiſſi fuerint, de eo nec apud Veteres Phyſicos, nec in ipſa Natura ſufficientes invenimus ac convincentes rationes. Inter illos notiſſimus Arabum Medicus ac Phiſophus *Avicenna* primus hanc ſententiam protulit, qui permultas ſuperſtitioſas fabuloſasque res docens ita ſimpliciter non eſt defendendus. Natura longè aliud oſtendit, dum omnes fulmen concomitantes effectus multo ſubtiliorem ortus ſui materiam oculis ſubjiciunt, qui neutiquam à tam craſſo magnoque lapide poſſunt provenire. Neminem latet, quam admirandas, perplexas ac ſubtiles rimas & lineas fulmen arbori, quam tangit, imprimat, quam ſerpentino motu lineis ſubtilibus diſcurrat, vix videndis: quam gladium in vagina faciat liquari, iſta illæſa & quæ ſunt alia quam plura, quæ à tam craſſo magnoque provenire lapide impoſſibile eſt. Neque vero multo convenientius eſt, dictos lapides fulminares ad modum aliorum in terra generatos, luſu Naturæ iſtam ſortiri formam, cum obſtent foramina artificio illic tornata; & ut ut dudum cogitaverim, annon antiquiſſimis temporibus Pagani ſecuribus hiſce, è lapidibus paratis, in ſacrificiis & idololatriis uſi ſint, ſicut non tantum in ſacris hujus rei veſtigia occurrunt, ſed & idem de antiquiſſimis Septentrionis incolis nuper ſe audiſſe teſtatus mihi eſt *Dn. D Spenerus, Conſil. & Arch. Reg. Pruſſiæ.* attamen certiorem illorum originem ex Hiſtoricis antiquiſſimis, occaſione urnarum ſepulchralium & in iis cuneorum fulminarium, prope Vicum Haſſiæ Maden, in agro ſterili, ante aliquot annos inventorum, eruit *Dn. J. H. Schminckius*, Hiſt. Civ. Prof. Marburgenſis, qui non ſine cauſa illos pro armis habuit paganorum & cumprimis Veterum Cattorum, cum 1.) illic fuerint inventi, ubi, ſecundum alios, Catti olim Saxones fuderunt. 2.) *Tacitus* teſtetur Germanos antiquiſſimos, in crematione mortuorum, ſua cuique arma adjeciſſe urnis. 3.) In Muſeo Regio Hafnienſi inter alios ejusmodi lapides unus inſtar cunei formatus conſpiciatur, in cujus foramine manubrium ligneum, X. pollices longum, habetur. Vid. *Diſſert.* ejus *de Urnis Sepulchralibus & armis lapideis Veterum Cattorum*, Marburgi A. 1714. habita, ubi ſimul omnia figuris æneis illuſtrantur.

§. 6.

Differentia iſtorum lapidum vel à materia, è quâ conſtant, deſumitur, cum etiam in India Orientali metallici lapides ceraunii inveniantur, quorum Dn. *Rumphius* in India literata, in *Appendice hujus Muſei* annexa, ac in *Miſcell. Cur. German.* aliquô in locô meminit, id

quod

quod eo magis credendum, quoniam in Germania quoque ſimiles interdum reperiuntur, ut *Crügerus* in *Miſcell. Germ. Cur. Dec.* 3. *A.*8. demonſtravit mihique ſimilis heic Giſſæ repertus obtigit: vel etiam ab externa figura petitur, ſecundum quam nonnulli cuneum, alii ſecurim, vomerem alii, quidem malleum, fulminantes malleis Straalhämmer dicti, tandem alii tudem repræſentant, qui omnes usque eo duri ſunt, ut etiam limari nequeant.

§. 7.

Omnes iſti lapides plebi materia exiſtunt, quâ magnas in hominibus & pecoribus tentent ſuperſtitiones. Illos à tonitru fulmineque præſtare tutos creditur, ſive in veſtibus geſtatus, ſive domi aſſervatus. His lac amiſſum revocare perhibetur, ſi ubera iſto fricantur, & quod præterea eſt ſuperſtitionum, quas me tædet adducere. In Medicina verò hic lapis non prorſus abjiciendus eſt, quando pulveratus ad ſemidrachmam aſſumitur, quo *D. Michaël*, famigeratiſſimus Practicus Lipſienſis, ſuo tempore icterum curavit; quæ vis contento ſulphuri venit adſcribenda, quo æque ac omnes pyritæ, quorum eſſe ſpecies videtur, refertus eſt, de quo *D. Ettmüllerus* in *Comment. ad Schrœderum pag.* 802. legatur. Hinc & *Arnkielius* Veteres ideo lapides hoſce reliquiis adpoſuiſſe putat, quod ut remedio contra varia pericula in vita & morte iis uſi fuerint, vel quod omnes populi ſeptentrionales lapides maximi fecerint, ob ignem quem continent, quò nihil magis ſacrum apud illos habebatur, *vid.* ſupra *cit. diſp. de urnis* §. 25.

CAPUT XXI.

DE

MARMORE, ALABASTRO, OPHITE, COERULEO MONTANO, ET LAPIDE LAZULI.

§. 1.

MARMOR durus lævisque lapis eſt, diverſi coloris, pro cujus diverſitate diſtinctis inſignitur nominibus, dum albus ac mollior alabaſtrites, niger lapis lydius, ruber porphyrites, viridis malakit, viridibus maculis notatus ophites nominatur. Hinc inde in Europâ effoditur, ac in magnâ copiâ in Comitatu Idſteinenſi ac Wisbadenſi, imò & prope Wezlariam in viciniâ reperitur, unde in Bataviam & aliorſum transvehitur.

§. 2.

Quod ad album marmor attinet, diſtinctæ iſtius inveniuntur ſpecies, quarum nonnullæ duræ, ut

LAPIS PARIUS,

ab antiquo artifice, qui primus Veneris formam ei inſculpſit, ita nominatus: aliæ valdè teneræ mollesque ſunt, ut

ALABASTRUM,

ex quo non ſolùm varia utenſilia tornantur, ſed etiam aliqua medicamenta v. g. notum Unguentum Alabaſtrinum, præparantur; calcinatum vulgo dictum

GYPSUM

ſuppeditat, ut in *Wormii Muſeo pag.* 64. & ex iſto apud *Dale pag.* 87. poteſt videri. Alii ipſum quoque vilius alabaſtrum SPATUM ſive GYPSUM vocant, ut apud *Agricolam* & *Chriſtophorum Entzelium* in *Corpore Jur. Metall. pag.* 55. legimus. Comes *Marſigli* in *Epiſt. del Foſſerò Minerale* inſuper diverſos gypſi lapides recenſuit. Gypſum præſertim fingendis ſimulacris, quibus Principum aliorumque Magnatum conclavia exornantur, inſervit, & à vulgô quoque internè contra dyſenteriam ceterosque alvi fluxus cum fructu ſumitur, dum acidum vitioſum temperat, exſiccat, & adſtringit, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 797. teſtatur. Sanguinis ſputo quoque proficit, nimiisque ſudoribus ac aliis malis, auctore ſupra laudato *Marſigli l. c.*

§. 3.

Ad nigrum marmor pertinet notiſſimus

LAPIS LYDIUS,

propterea ita vocatus, quod primum ex Lydia fuit advectus: iſtius eſt uſus, ut argentum aurumque contra acum probatoriam probemus. Præter quem alium adhuc ferrei coloris & duritiei lapidem, marmori congenerem habent, in longiuſculis fruſtis baculisque creſcentem, qui

BASALTES

nominatur, cujus figura in *Boëtii de Boot Tr. de Lapid. pag.* 497. apparet. Itali loco noſtratis lapidis Lydii, viridi marmore, VERDELLO dicto, utuntur, de quo *Wormius* in *Muſeo pag.* 43. poteſt conſuli.

§. 4.

Rubrum Marmor ſ.

PORPHYRITES

valde durus lapis eſt, cui tritu nequicquam aut perexiguum decedit; quamobrem ad mortaria lapidesque tritui aptos, ſuper quibus pictores ſuos colores, & pharmacopolæ præpa-

rata minutiſime terunt, uſurpatur, ex quo in Italia multæ pretioſæ ſtatuæ oſtenduntur, vid. *Boëtius de Boot, l. c. pag.* 506.

§. 5.

Ad viride marmor ſpectat
MALACHITES, MOLOCHITES, LAPIS PAVONIUS ſ. MALAQUITTE,
cujus *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues Part.* 3. *L.* 3. *pag.* 100. & *ſeq.* 104. meminit, apud Materialiſtas in diverſis ſpeciebus reperiundi. Quanquam ſint, qui hunc lapidem pro jaſpidis ſpecie velint haberi. Ex obſcuro viridis eſt, ut malva, unde nomen habet, & ſecundum venas, quibus ornatus eſt, diſtinguitur. Contra fulmen, ſtomachi ulcus, partum difficilem, ſpaſmum & epilepſiam commendatur, pretioque achaten æquat, vid. *Boëtium pag.* 265. *Ettmüller. c. l. pag.* 807.

§. 6.

Inter marmora coloribus varia, & ab Natura picta,
LAPIDES FLORENTINI
ferè elegantiſſimi ſunt, quibus Natura permultas ingenioſas figuras, utpote arbores, domos, urbesq; ac ſimilia impreſſit, ut ex figuris principio capitis in *Muſeo Germanico* appoſitis, apparet. Ejusmodi lapides etiam in monte Sinai dicuntur reperiri, ut *Wormius* in *Muſ. p.* 44. nos informat: ad diverſas easque pulchras tabulas, ciſtas, camerasque uſurpantur. Iſti tamen minerales lapides, qui in diverſis fodinis Germaniæ reperiuntur, & vel figuram certarum plantarum, ut in Thuringiæ provincia, Schwartzwald dicta, vel piſcium ut Islebici, repræſentant, curioſiores ſunt, de quibus agemus alibi.

§. 7.

Huc etiam pertinet
OPHITES, (*Serpentinſtein*) rectius MARMOR ZEIBLICIUM dicendus,
à maculis, iſtis ſimilibus, quæ in cute ſerpentum apparent, ita nominatus. Viridiuſculus eſt, ſimilis coloris maculis, ſed paulum obſcurioribus exornatus, in Miſniaque copioſè inveniendus, ubi urceos, lagenas, pocula, ſcutellas, lapides contra terrorem, aliaque exinde conficiunt, quæ inde cum ſequenti deſcriptione varia in loca tranſportant divendenda:

Vera Relatio de virtute & qualitate nobilis Ophitæ.

Ejus qualitas ac virtus in eo ſita eſt, ut calefaciat abſumatque humores, reſolvat ac demulceat dolores ventris omniumque articulorum. Quam iſtius virtutem doctiſſimi clariſſimique Naturæ Scrutatores deſcribunt, *Plinius Lib.* 36. *cap.* 7. *Galenus Lib.* 9. *cap.* 7. *Dioſcorid. Lib.* 5. *c.* 119. Iſte Ophites nec ullum venenoſum vermiculum patitur, ut adeoque in lapicidinis ne quidem unquam venenoſum aliquod animalculum vel inſectum repertum vel viſum fuerit. Jam memorandis quoque affectibus proficit: Primum colicæ atque uteri ſuffocationi. 2. Dolori lateris punctorio. 3. Torminibus ventris. 4. Torpentem frigidumque ſtomachum calefacit. 5. Inductum à malo potu crudisque cibis vitium corrigit. 6. Dolorem calculi tenſivum mitigat. 7. Podagricos arthriticosque lenit dolores. In ejusmodi affectibus ægri ex Ophite bibant, iſtumque calefactum thoraci, lateri, abdomini & ubicunque dolor eſt, imponant. Num verò iſta ex peculiari propriáque virtute, vel non potius calore externo præſtet, prudentibus judicandum, unicuique autem ſuas laudandas merces relinquo. Facti exinde lapides ad tormina (*Grimmen-ſtein*) ſunt optimi, in cardialgia, colicis uterique doloribus & morbis ſimilibus perutiles.

§. 8.

Quò verò variegatos lapides ſimul abſolvamus, hoc in capite etiam de lapide Armenio & lapide Lazuli agemus, præſertim cum *Ettmüllerus l. c. pag.* 797. iſtos marmoris eſſe ſpecies exiſtimet.

LAPIS ARMENIUS,
quod ipſi nominis, unde primum venit, impoſuit, hodie in Tirolenſi Comitatu locisque aliis invenitur. Ex viridi cœruleus lapis eſt, (quamobrem etiam Germanicè *Berg-blau*, Gallicè *Verdazur* vocatur,) plumbeum globulum magnus, hinc inde exiguis ſplendidisque arenæ granulis, tanquam adamantibus interſtinctus, ut à *Pometo loc. cit. pag.* 102. deſcribitur. Sæpius juxta Chryſocollam creſcere *Boëtius pag.* 293. obſervat, qui fruſtum habet, in quo bini lapides ſimul creverunt. Vis ejus purgans eſt, & ab Arabibus contra melancholiam, maniam & epilepſiam laudatur, unde in multis officinis habentur Pilulæ de Lapide Armeno. *Ettmüllerus* contra iſtud remedium non immerito ſuſpectum habet *loc. cit.* præſertim cum in ejusmodi morbis alia eaque multo meliora habeamus. Magis igitur picturæ conducit, dum ex iſto in farinam trito, lotoque & ab omni arena depurgato
COERULEUM MONTANUM
Berg-blau,
præparatur: cujus quatuor inveniuntur ſpecies apud Materialiſtas, quarum ſemper una altera elegantior eſt. Optimam, quæ primum aufertur, colore decet eſſe ſaturatam, elegantem, vereque ſiccam. Cum reliquis Chryſocolla ſæpe adulteratur, quem tamen dolum vel ſolus tactus ſtatim detegit, ut *Pometus l. c.* oſtendit.

§. 9.

Cum iſto
LAPIS LAZULI (*der Laſurſtein*)
magnam habet ſimilitudinem & cognationem, qui cœruleus quoque, ſed multo durior pluribusque aureis maculis ſtriisque ornatus lapis eſt,

eſt, in auri cuprique fodinis reperiundus. Partim ex Germaniæ fodinis provenit, unde in duas, ſpecies Orientalem & Occidentalem dividitur. Prior colorem ſuum etiam in ignis tortura retinet, unde fixus audit: poſterior vero in igne ſibi non conſtat, depoſito cœruleo colore, viridem acquirit, non fixus propterea dictus, vid. *Boëtius de Boot pag.* 275. & *Ettmüll. in Comment. Schræd. pag.* 805. Ceterum graviſſimus, colore Indicum vere imitans, pro optimo habetur, præſertim intrinſecus & extrinſecus ita coloratus, ſiquidem extrinſecus iſti ſæpe oleo obſcurus color conciliatur. Multi iſtum putant eſſe meliorem, qui multis elegantibus venis aureis ſuperbit; enimvero *Pometus* in *libro ſuo pag.* 101. oſtendit, hunc minus eſſe optimum, quoniam multo minus ſuppeditare ultramarini, quam vere cœruleum, venisque deſtitutum, obſervarunt. Iſti enim colori plurimum inſervit, hodie in Medicina raro deſideratus, præterquam quod confectioni alkermes admiſceatur, ac ceterum tanquam lapis Armenius uſurpetur.

§. 10.

Quod ad modò memoratum

ULTRAMARINUM

attinet, elegans & propter valde laborioſam præparationem vehementer carus cœruleus color eſt, qui è lapide Lazuli præparatus itaque nominatus eſſe dicitur, quoniam primum vel ultra mare in Cypro Inſula, aut Anglia reperiebatur, vel magis cœruleus quam mare apparet. Nihil aliud eſt, quam tenerrimus pulviſculus, qui è calcinato Orientali lapide Lazuli præparari dicitur, certo emplaſtro deſpumando & ab hoc poſteà iterum abluendo, quod *Boëtius de Boot loc. cit. pag.* 280. & *ſeqq.* fuſius deſcripſit. Diſtincta ejus habentur genera, quoniam, quod prius ſeparatur, ſemper melius eſt, quam ſequentes pulveres; quamobrem in emtione probe obſervetur, quo colore ſaturatum, benè tritum ac præparatum accipiamus, id quod ex eo facile judicatur, ſi paulum dentibus ſubditur guſtandum, arenæ num aliquid, an nihil ſubſit? Num vero ſine vitio ſit, igne, ut ſupra dictum, probatur, in quo bonus colorem retinet. Ad colores oleo præparandos picturamque Miniatoriam, quam vocant, uſurpatur. Notam meretur, quod *Dn. D. Kæmpferus* Ultramarinum fæculam quandam, è flore Aöbanna, in *Amænit. Exot. Faſc. V. p.* 890. deſcripto & depicto, paratam teſtetur, ita ut petala cum furfure oryzæ mixta humectentur, maſſa paulò poſt expreſſæ chartæ pura & humectata exſiccetur, quod toties iteretur, usque dum ipſa charta pro colore valeat. *vid. cit. loc.* Cùm verò longè cariſſimum ſit hoc Ultramarinum, hinc illi ſubſtitui poterit COERULEUM BEROLINENSE nuper inventum, quod ſeqq. deſcribunt *Miſcellanea Berolinenſia pag.* 377:

NOTITIA COERULEI BEROLINENSIS NUPER INVENTI.

Pictores, qui coloribus ſuis oleum admiſcent, paucos illorum habent, quibus cœrulea exprimant: eosque tales, ut jure commodiores deſiderent. Ex vulgaribus enim alius mixturam cum oleo non reſpuit quidem, ſed non diu in opere durat, ſubviridis, ſubpallidus, ferrugineus, aut planè ſordidus fit: Alius conſtans quidem & ſatis pulcher, ſed arenoſus eſt, & hoc vitium, quoad ſubtiliorem artificis laborem eſt incommodus, & ſi vel anni ſpatium in eo terendo conſumeretur, non tolli poteſt. Optimus omnium, quem vulgo Ultramarinum ſive Azurinum vocant, qui ex lapide Lazuli conficitur, non modo pretio ſuo multos deterret, ſed & aliorum colorum mixturam non libenter admittit; & hinc tantum in eminentiis pulchritudinem ſuam monſtrare poteſt: ad umbras inutilis eſt. Hoc juſtum artificum deſiderium cœruleus color, qui ante aliquot annos hic Berolini inventus eſt, & nunc, poſt varia variorum accuratiſſima examina, audacter in ſcenam prodit, ſi non explere, certè lenire poteſt. Nihil enim harum incommoditatum habet: in oleo ſplendorem ſuum potiſſimum oſtendit. Ubique vero, in aqua, in oleo, & aliis liquoribus, quibus pingi poteſt, tam durabilis reperitur, quam qui maxime. Aqua illa fortis, ut à Chymicis appellatur, quæ omnia arrodit aut diſſolvit, eum adeò non mutat, multo minus exſtinguit, ut potius lucidiorem reddat. Et ut quædam cœrulei coloris genera in encauſtica pictura (*Schmeltz Werck, émail,*) adhiberi poſſunt, & igne, ut ita dicam, ſicco non delentur: ſic novus hic color igni humido (quod nomen aquæ illi forti & omnia deſtruenti meritò dari poteſt) fortius reſiſtit, quem vix alius ex omnibus colorum generibus perferre poteſt. Hinc multo minus leviores & communiores pictorum explorationes timet, ut: ſuccum ex malis citreis expreſſum &c. Non mutatur in loci, aut aëris, ſive tempeſtatis mutatione. Vivit in calce viva, ejusque album, ut gemma aurum, diſtinguit. Sicut ex materia ſubtiliſſima concrevit, ita & in pulverem ſubtiliſſimum conteri poteſt. Et quod prima vice non ſatis comminutum eſt, ſecunda ac tertia perficitur, ita tamen, ut ſingulis vicibus, ſiccus factus, aqua pura rurſus irrigetur. Quem verò laborem ab iis tantum exigere ſolet, qui eo in minima illa pictura, quam miniaturam vocant, commodius uti volunt. Ceteri pictores vel cultello, quibus colores in tabella miſcent, facili negotio eum comminuere poſſunt. Propter hanc ſubtilitatem loca, quibus penicillo illinitur, mirifice tegit, & præ aliis coloribus extendi poteſt. Præterea non modo ignobilioribus ſui generibus coloribus ſuperinduci, & extantiora illuminare; ſed & rugas, ſinus, & profundiora picturæ loca adumbrare poteſt. Hinc duplicis

generis est: Alterum obscurius & ad exprimendam umbram accommodatius: alterum lucidius, non ceruſſa aut alio albo mixtum, sed statim in primo artis partu hoc habitu comparens. Ita ut obscurius hujus coloris genus ex lucidiori factum, & quasi contractum, sive, ut quidam loquuntur, concentratum sit. Pictores minorum gentium, qui hunc colorem communi miscendi consuetudine metiuntur, lucidius genus ejus raro desiderant, obscurius modo quærunt, & illi album admiscentes, lucem per gradus addunt. Quibus vero oculi eruditiores sunt, statim vident, colori, qui ex obscuro suo per admistionem albi ad clariórem gradum ascendit, non tantum luminis & venustatis ineſſe, ac illi, quem natura dilutiorem protulit. Cæterum innocuus est, nihil hic arsenici est, nihil sanitati contrarium, sed potius medicina. Sine periculo ea, quæ ex saccharo fiunt, hoc colore pingi, & comedi possunt. Tirones pictorum securius penicilla, quibus eum tabulæ illinunt, per labia trahere possunt: quod aliis coloribus pingentes non sine vitæ periculo facerent. Pretium denique, quo parabilis est, vix decimam partem cariſſimi Ultramarini attingit; & copia ejus, quæ Berolini, apud Regiæ Societatis Scientiarum Bibliopolam habeti potest, tanta est, quantum vel prodiga artificum manus ad opera sua exornanda desiderare potest.

§. II.

Ex Germanico, Occidentali ac non fixo lapide Lazuli, simili modo alium adhuc colorem haud dissimilem præparant,

ASUR-BLAU s. ASSURUM

vulgò dictum, qui tamen non persistit, sed instar cœrulei montani cum tempore viresçit. Cum priore sæpius à pictoribus permiscetur. vid. *Boëtius loc. cit.*

§. 12.

Alius præterea ejusmodi color habetur, vulgo

ASSURUM CINEREUM (*Esch-blau*)

vocatus, ex certo etiam lapide præparatus, cujus *Schurzius* in *Materialium Musco pag.* 71. & *Pometus loc. cit. pag.* 103. faciunt mentionem. Quem decet esse elegantet tenerum, colore saturatum, vereque siccum, qui similiter picturæ conducit.

CAPUT XXII.

DE

LAPIDE CALAMINARI, OSTEOCOLLA, PUMICE ET LAPIDE SPONGIÆ.

§. I.

INter foraminosos ac porosos lapides primò faciemus mentionem

LAPIDIS CALAMINARIS,

qui mineralis lapis est, coloris ex albo flavescentis vel rubelli, saporisque terrestris; rectius CADMIA NATIVA METALLI EXPERS, ad differentiam cadmiæ metallicæ sive cobalthi, vocatur, quoniam vocabulum calaminaris nullius in puro Latio est auctoritatis, ut *D. Stahlius* è *Cæsalpino in Disput. de Metallurg. pag.* 72. monuit.

§. 2.

Duæ aliàs apud Materialistas inveniuntur species, quarum una albidè cæsia, cæsio bolo haud dissimilis, sed durior: altera vero rubella aut flavescens & albis venis consperſa est, cui subgravia, rotunda ac dura granula instar piperis adhærent. Hinc inde in Germania invenitur, quanquam optimus Aquisgrano & Colonia Agrippina ad nos veniat, splendore plumbeo destitutus; quum è contrario Goslaria vel è Westphalia allatus ejusmodi colorem plumbeum præ se ferat, ut *Marxius* in suo *Material. Musco pag.* 77. observavit. Aliàs quoque in ustrinis aliqua cadmia invenitur, in quibus multum spauteri plumbique funditur, à quo ejusmodi materia adhæret, quæ, quoniam cadmiæ videtur similis, non solum cadmia factitia & lapis calaminaris factitius nominatur, sed etiam cupri in orichalcum mutationem adjuvat. *vid. l. c.*

§. 3.

Ob vim exsiccantem, adstringentem ac vulnerariam, in tenuissimum pollinem redactus præparatusque lapis calaminaris, non solum pulveres exsiccantes ingreditur, qui tenellis infantibus, si quando excoriati sunt, ac adultis quoque à longa equitatione interrigine affectis, inspergunturs, sed antiqua quoq; ulcera vulneraque sanat, quamobrem non modo notum unguentum è lapide calaminari, aceto vini & oleo olivarum, sed emplastra quoque nonnulla v. g. Emplastrum è lap. calamin. exinde componuntur, ut apud *Schræderum* ac *Zvvelferum* potest videri. Id vero meretur notari, ex usu solius lapidis calaminaris vulnerum cicatrices rubescere, istas contra, ut reliqua cutis, albescere, si cum oleo vel pinguedine mistus applicetur, id quod *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 801. observavit. Cetetum permultum in orichalcum insumitur, de quo agetur alibi.

§. 4.

§. 4.

Quemadmodum jam memoratus lapis extrinsecus præstantem sanandi vim habet, ita isti

OSTEOCOLLA (*Beinbruch*)

internè parum cedit, albus vel cinereus ac mollis lapis, figura ossi, unde nomen habet, similis. In Thuringia, Silesia, Hassia, præsertim in Darmstadino agro, in via montana, ad Heidelbergam Spiramque usque, in Wetteravia quoq; circa Butisbacum ac Fridbergam magnâ in copiâ invenitur, ubi in cavis viis quasi acervatim ex altis limosisque clivis profluit, & in lapidem concrescit, ut sæpius ipse vidi: hac tamen cum distinctione, ut in arenosis locis porosa magis & cava, in argillosis verò solida minusque cava, radicibus Zingiberis haud dissimilis sit, cujus intuitu à plebejis quoque ZINGIBER SYLVESTRE, *vvilde Ingvver-Zehen* vocatur, referente *Wolfarthio* in *Inventis Hanoicis p.* 24. Quamobrem *Wormius* in *Mus. pag.* 53. non sine causa existimat, speciem esse margæ, è terra profluentis, & in lapidem induratæ.

§. 5.

Hic lapis valdè miram sanantemque vim habet, in ossis, costæ partisque similis fractura, adeo, ut Clarissimus *Tackenius* aliquando *D. Ettmüllero* narraverit, se Venetiis nautam, qui antenna excidens duas costas fregerat, hoc uno lapide curasse. *Hildanus* in *Chir. Obs. c.* 1. *obs.* 91. existimat, istum ab juniore homine copiosè assumtum hoc inferre incommodi, quod callus in fracturæ partium extremitatibus in nimis crassam deformemque molem accrescat. Alii, inter quos est *Timæus à Güldenklee*, ipsum quoque in albo fluxu mulierum commendant. In febribus erraticis similibusque 3i. vel etiam semidrachma datur pro dosi. Quidam nostræ provinciæ rusticus pecoribus ingerit, contra luxationem, fracturam ossium, aliaque vitia.

§. 6.

Inter porosos simulque leves lapides

PUMEX (*Bymstein*)

valdè vulgaris est, qui spongiosus, perforatus, & quasi à Natura calcinatus est lapis; quamobrem vel ab ignivomis montibus Ætna ac Vesuvio ejicitur, ut *Boccone aux Recherches Nat. pag.* 54. commemorat: aut iis in locis, ubi thermæ sunt, utpote circa Confluentiam, haud procul thermis Embsensibus, generatur, dum ignis subterraneus istum calcinat, levemque urit, ut, inundatione modoque alio in mare latus, natans pellatur, in litusque, ubi etiam invenitur, ejiciatur, à quo salsum saporem assumit, qualis etiam sæpius in isto deprehenditur.

§. 7.

Duplex habetur in Materialium Musеis, vulgaris nempe, isque cinereus, & albus Venetus, intrinsecus splendens, multoque priori tenerior. Bini diversæ figuræ sunt, rotundi vel depressi, parvi vel magni, quorum magni iidemque leves judicantur optimi, præsertim à Membranariis, sive membranarum Præparatoribus, qui magnam istius copiam consumunt. Stannarii contra parvos quærunt, in pulverem sibi necessario redigendos; & quoniam alutarii ac coriarii deglubitam, balneatores vivam cutem isto fricare solent, nullus fere lapis aut simplex est, quod tanta in copia divendatur, atque pumex, ut *Pometus* in *Hist. des Drogues Part.* 3. *Lib.* 4. *pag.* 108. confitetur.

§. 8.

In Medicina pumex contra strumas, decrescente luna, interne usurpatur. Heluones istum ad arcendam ebrietatem assumunt, quod tamen ridiculum est & superstitiosum. Maximam partem externe pulveres dentifricios ingreditur, ustus primum, hinc in lacte vel vino aliquoties extinctus: in quem finem pharmacopolia pumicem ustum asservant. Non minus sine ejusmodi præparationibus vel solus, vel cum coralliis similibusque in pulverem redigi, & ad detergendum dentium calculum corrigendumque acidum potest usurpari.

§. 9.

Similis lapis, isque levis, in spongiis invenitur,

LAPIS SPONGIÆ

propterea dictus, porosus est ac friabilis, amygdalum repræsentans, & vel cinereus, vel albus; similiter interne contra strumas ac calculum usurpatur, quem propterea nonnulli CYSTEOLITHUM vocant, ut apud *Boëtium de Boot Tr. de Lapid. ac Gemm. pag.* 408. licet videre; hinc liquores nephriticos ingreditur. Sunt etiam, qui ad abigendos lumbricos infantum istum præscribunt, teste *Pomete l. c. Part.* 1. *Lib. V. pag.* 165.

§. 10.

Hâc occasione non possum quin in gratiam docti curiosique Lectoris lapidem apud nos adhuc ignotum, sed tamen perutilem, describam, qui non minus lapidis spongiæ species, inque India Occidentali in aliquibus sinus Mexicani locis dicitur inveniri; per quem quum aqua communis quasi filtrari, & ab omni impuritate liberari possit, in Gallia atque alibi

FILTRUM

& LAPIS MEXICANUS nominatur, cujus naturam & usum ex sequenti descriptione Lector intelliget, quam *Dn. Schatzius*, eruditus ac curiosus Advocatus, cujus in ista quoque fit mentio, Argentorato Gallicè mecum communicavit, quaque de re peculiari *Disp. de Filtro Lapide* commentatus sum; istam vero descriptionem in gratiam eorum, qui Gallicæ linguæ ignari sunt, reddemus Latine:

MEMOIRE

Sur le filtre, ou Pierre de Mexique, curieuſe & extraordinaire pour ſa groſſeur.

IL croit naturellement dans quelques endroits du Golfe de Mexique une eſpece de Champignon medicinal, a environ cent braſſes de profondeur ſous l'eau, ſur la roche vive, lequel ſe petrifie par luy-meſme à l'air, dont les Eſpagnols d'Amerique transportent à grands frais les plus groſſes pieces juſqu'a la mer du Sud, d'où ils les embarquent pour le Japois, ou ces ſortes de pierres, ſur tout lors qu'elles ſont groſſes, ſont tres eſtimées & ſe vendent au poid de l'or, parce qu'ils eſtiment, que l'impreſſion de ce Champignon petrifié ſert a la longue vie.

Les Japonois le font creuſer en forme des pots, ou des mortiers, pour pouvoir contenir les liqueurs & particulierement l'eau pour boire, dont ils ſont grands amateurs.

L'eau commune ſe filtre & paſſe au travers de cette pierre poreuſe & quelque claire qu'elle paroiſſe, lors qu'on la met dans ce filtre, elle y depoſe toujours une quantité de faiſſes imperceptibles, au point qu'elle devient ſenſiblement plus legere & par conſequent plus pure, meilleure & plus propre à la ſanté, puisque l'eau, n'eſtant de ſoy qu'un air condensé, de meſme que l'air etant une eau rarifiée, il eſt de bons ſens de conclure, que la bonne eau, qu'on boit à l'ordinaire, fait le même effet, que le bon air, qu'on reſpire.

C'eſt pour cela, que ces Inſulaires, (qui ne ſçavent ce que c'eſt que gravelle, ny maux des reins dans leur pays & qui preferent leur ſanté a tous les autres biens de la vie) principalement les Princes, les Mandarins & les autres Gens de qualité ont dant leurs maiſons des armoires ou bufets, faits expres, dans lequels ils tiennent enfermez ces filtres ſur treſpieds propres, ou paſſe continuellement l'eau pour leur uſage perſonnel, dont ils ne confient la clef à perſonne, pas meſme à leurs femmes, ny à leurs enfants. Ils diſent vulgairement, que c'eſt leur treſor. Ce qu'il y a de certain, eſt que cette eau, ainſi depurée, conſerve ſans la glace beaucoup plus long temps ſa fraicheur naturelle & quelle ne ſe corrompt plus quelque long temps, qu'on la puiſſe garder.

Il eſt à remarquer que les Grands Seigneurs Eſpagnols ne reviennent presque ſans rapporter avec eux en Europe, ou pour leurs uſages particuliers, ou pour donner a leurs amis (qui eſt ſelon eux un preſent magnifique,) quelquunes de ces pierres de Mexique, dont le plus groſſes ne contiennent guere, que cinq ou ſix pintes d'eau, tout au plus, parce qu'en effet les plus grandes pieces ſont, comme il eſt marqué cy-deſſus, pour

HISTORIA

Filtri, Lapidis Mexicani, magnitudine curioſi ac rariſſimi.

IN aliquibus ſinus Mexicani locis, centum circiter ulnas ſub aqua, Natura duce, aliqua rupibus accreſcit ſpecies fungi, medicinæ non inepti, qui ſponte ſuâ in aëre induratur & lapideſcit: cujus maxima fruſta ab Hiſpanis, non ſine magnis impenſis, ex Americâ ad mare meridionale tranſportantur, inde in Japoniam navibus onerariis avehenda, ubi hæc lapidum, præſertim majorum craſſiorumque, ſpecies plurimi æſtimata, pari cum auro venditur pretio, quoniam in ea ſunt opinione, iſtis in lapides converſis fungis vim prologandæ vitæ eſſe impreſſam.

Japonenſes iſtis ollæ aut mortarii conciliant formam, recipiendis variis liquoribus, inprimis aquæ bibendæ accommodatam, cujus deſiderio tenentur quam qui maxime.

Filtrata & tranſiens per poros hujus lapidis aqua communis, quanquam filtro infuſa fuerit limpidiſſima, ſemper aliquam fæcum imperceptarum quantitatem deponit, ac tandem ſenſuum judicio levior, & quod ſequitur, multò purior, melior, multoque ad tuendam valetudinem aptior redditur. Quoniam enim aqua in ſe nihil eſt aliud, quam condenſatus aër, quemadmodum aër rarefacta diſperſaque aqua eſt, hinc bene concludere licet, bonam, quam quotidie bibimus, aquam eosdem præſtare effectus, atque bonum aërem, reſpirando admiſſum.

Quæ cauſa eſt, quamobrem incolæ hujus inſulæ (qui nec de calculo, nec alio quocunque renum vitio quicquam ſciunt, ac ſuam quoque valetudinem ceteris fortunæ bonis longe præferunt) præcipuè Principes, Mandarini, ac quicunque Magnates peculiaria, cique rei ſolum accommodata ſcrinia ac repoſitoria domi ſuæ habeant exſtructa, quibus hæc filtra aptis tripodibus impoſita cuſtodiant, quo aqua, quam uſurpant, per iſta perpetuo coletur; illorum vero claves ne ſuis quidem Conjugibus ac liberis committunt, nedum aliis. Vulgatus iſtorum ſermo eſt, hæc optimum ſuum eſſe theſaurum. Hoc certum eſt, aquam iſtam colando ita depurgatam, multo diutius ſine glacie, vegetam ac naturaliter frigidam, ſine corruptione per longum temporis ſpatium poſſe conſervari.

Id notabile eſt, Magnates Hiſpaniæ ferè nunquam revertere in Europam, quin aliquos lapides Mexicanos, vel ſuum in uſum, vel amicis condonandos (quos pro magnifico habent dono) ſecum ferant domum, quorum majores ad ſummum ultra V. vel VI. aquæ quartarios non recipiunt, quum omnium maximi, ut jam ſupra memoratum eſt, in Japoniam Chinamque tranſpor-

pour le commerce du Japon & de la Chine, qui leur eſt tres avantageux, par le grand profit, qu'ils font ſur ces pierres, lors qu'elles ſont fort groſſes.

A Cadix, à Seville & à Madrit il y a des Seigneurs, qui ont chez Soy deux ou trois de ces filtres proprement agencées l'un ſur l'autre : Mais ils conviennent tous, qu'une ſeule de ces plus groſſes pierres de Mexique ſeroit de beaucoup preferable en ſa qualité naturelle, en ce, quelle fait ſenſiblement un tout autre effet pour la ſanté; ce qui ſe peut aiſement verifier par le moyen du Peſeliqueurs.

Une perſonne, qui vouloit ſe menager de la faveur aupres de Feu Monſieur de Louvois *(qui aymoit paſſionnement la bonne eau,) ayant cru, ne pouvoir rien preſenter à ce Miniſtre, qui luy fut plus conſiderable, ny puſt mieux convenir à un Surintendant General des Baſtiments du Roy, qu'une pierre ainſi pretieuſe pour la ſanté, a fait la depenſe d'en faire achepter une d'une groſſeur enorme en ce genre, puis qu'elle contient environ quatre ſeaux; mais comme ce Miniſtre s'eſt trouvé mort à arrivée de cette pierre, la perſonne la voudroit bien faire paſſer à quelque Grand Seigneur d'Allemagne, qui eut aſſez de ſoin de ſa ſanté, pour en faire la depence; pour cela elle offre de la faire venir à Strasbourg, pour la mettre à* Monſ. Schaz, *ſon particulier Amy, lequel en pourra diſpoſer ainſi, qu'il jugera à propos, ſoit pour la preſenter à quelque Prince, ou pour en faire tel autre uſage, qu'il luy plaira, étant certain, qu'il n'en eſt pas encor venue en Europe de la groſſeur de celle, dont il s'agit & par conſequent de plus conſiderable & ſi pretieuſe.*

Le Pere de Martel, *Jeſuite, fameux Auteur, a fait imprimer à Blois une Diſſertation ſur la qualité de cette pierre de Mexique & ſur les vertus, qu'il dit avoir ſoigneuſement examinées ſur une de mediocre grandeur, qu'il avoit recouvrée.*

transportentur mutuo commercio, quod eo magis augetur, & ad lucrum convertitur, quo lapides craſſiores ſunt & majores.

In Portu Gadetanô, Seviliæ Madritique ſunt Magnates, qui duo vel tria ejusmodi filtra poſſident, ſe mutuo exacte excipientia. Interea in eo cuncti conveniunt, vel unum Mexicanorum lapidum, eumque craſſiorem, exiſtimatione præ aliis omnibus eminere, quoniam qualitatibus natura præditus melioribus plus ſenſuum judicio valet ad tuendam valetudinem; cujus veritas mediante hydrometro facile poſſet demonſtrari.

Certa quædam perſona, quæ in *Domini de Louvois* (quem ſciebat bonæ notæ aqua vehementer delectari) favorem ac benevolentiam ſe inſinuare vel maxime optabat, ſibique perſuadebat, nec quicquam huic Miniſtro poſſe offerri, quod aut melius conſideratum ſit, aut dignitati Ædilis Regii Generalis magis conveniat, quam ejusmodi pretioſum, ſanitatique conſervandæ utiliſſimum lapidem, magnas impenſas inſumſit, quo lapidem perrara iſto in genere magnitudine enormem ſibi compararet: quatuor enim circiter ſitularum capax erat. Quoniam vero hic Miniſter ante lapidis adventum vita exceſſerat, facile patiebatur prædicta perſona, ut ad Magnatem Germaniæ iſtius veniret commodum, qui in curam valetudinis multa conferre impendia non dubitaret. Iſtum igitur Argentoratum *Dn. Schazio*, amico ſuo intimo, transmitti curavit, quocum ſuo arbitrio, ut conſultum viſum fuerit, ageret, illumque vel Principi cuidam offerret ſubmiſſe, aut in alium converteret uſum. Simul quoque fidem fecit amico, nec ullum unquam tantæ magnitudinis lapidem veniſſe in Europam, iſtumque conſequenter præcipue eſſe conſiderandum ac pretioſiſſimum.

Ceterum Jeſuita quidam famaque conſpicuus auctor, *P. de Martel*, peculiarem Diſſertationem de qualitate & virtutibus lapidis Mexicani, quas in mediocris magnitudinis lapide, qualis haberi potuit, examinaverat, Bloiſii curavit imprimi.

CAPUT XXIII.

DE HYSTEROLITHO, AETITE, ET LAPIDE BUFONINO.

§. 1.

INter alia naturalia corpora, quæ in Haſsiâ noſtrâ tantùm inveniuntur, paucis adhuc notus HYSTEROLITHUS non eſt nullius momenti, niger, nonnunquam etiam albus & quaſi æruginoſus lapis, magnitudine nucis juglandis, in unô latere fornicatus, in alterô externa mulierum genitalia repræſentans, à *Cardanô* Hyſteropetra ſ. Lapis Hyſtericus propterea vocatus; & quoniam interdum in priori figura etiam membrum virile apparet, (quemadmodum *Wormius* in *Muſ. pag.* 84. in lapidibus à *Dn. Horſtio* ſibi transmiſſis oſtendit,) non immeritò quoque pro DIPHYE poteſt haberi, cujus *Plinius Lib.* 37. *c.* 10. meminit. Circa arcem Haſſo-Darmſtadinam Braubacenſem & caſtellum Ehrenbreitſtein, Confluentiamque reperitur, ut *Geſnerus* aliquô in locô commemorat.

§. 2.

De iſtius uſu pauca adhuc habentur apud Scriptores, præterquam quod prædictus *Horſtius*, olim Archiater Haſſo-Darmſtadinus, è figura externa colligat, in affectibus uteri, præſertim ejus ſuffocatione, non minus in impotentia virili & ſterilitate fœminarum à faſcinô eſſe utilem, haud ſecus ac olim ethnici Priapum loco amuleti geſtarunt. Imo exiſtimat quoque, lapidem iſtum de manibus ſuſpenſum, Veneris in utroque ſexu excitare appetitum, de quo vid. *Worm. c. l. pag.* 84.

§. 3.

Qui lapis, aut ejus potius antitypus, ſi quam forte virtutem exeruit, æquum eſt, ut alium inſuper optimis fœminis offeràmus lapidem, quo labores partus faciliores præſtent:

LAPIS AETITES

eſt, cui iſtam virtutem vulgò adſcribunt. Is vero fuſcus vel cinereus lapis eſt, extrinſecus ſcaber, plerumque oblongè rotundus, ac diverſæ magnitudinis, intrinſecus concavus, alium adhuc lapidem in ſe continens, qui percuſſus ſonitum edit, propterea que à nonnullis *der Klapper-Stein*, lapis crepans, vocatus. Hinc inde in agris, montibus ac fluminibus, ubi etiam creſcit, invenitur, neutiquam vero in aquilarum nidis, quæ vulgi fuit opinio, id nominis iſti imponentis, quod aquila iſtius ope facilius parere creditur.

§. 4.

Lapidis hujus multæ & diverſæ inveniuntur ſpecies, dum quidam valde magni, alii mediocres, minores alii, ut Orientalis: nonnulli albi, quidam purpurei, alii cinerei, ſcabri quidam & arenoſi ſunt. Præcipua vero differentia ab rebus contentis petitur, quorum intuitu aëtites eſt triplex: primo qui alium lapidem, Callimum dictum, continet, cui præ aliis nomen aëtites convenit. Deinde qui loco lapidis arenam vel terram habet reconditam, GEODES dicitur. Qui tertio in ventre ſuo fert aquam, HYDROTITES nominatur, de quo vid. *Boëtius de Boot Tract. de Gemm. & Lapid. pag.* 380. & ſeqq. Præter iſtos *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 796. aliûs quoque meminit, qui odorem violarum ſpirans, LAPIS VIOLACEUS nuncupetur, quamvis hoc nomine alius mihi oblatus ſit, qui ad aëtiten non ſpectat.

§. 5.

Uſus ejus in eo vulgò conſiſtere perhibetur, quod brachio gravidæ alligatus abortum præcaveat, femori contra applicatus promoveat partum, iſtumque tam fortiter attrahat, ut, niſi ſtatim removeatur, uterum deſcendere faciat & expelli. Quùm verò hoc ultimum omnibus anatomes gnaris, ac iis, qui unquam viderunt, quam firmiter uterus ligamentis ſuis adhæreat, prorſus videatur impoſſibile, tota res hinc redditur ſuſpecta, ut alii fere omnia habeant ſuperſtitioſa, ut *Sam. Dale* ex *Ammanno pag.* 89. *Mineralog.* oſtendit; niſi forte ſolo attactu & preſſione aliquid contribuere poſſe putetur. Multo minus credendum, iſtum ſub orbe poſitum impedire, ut ne ullum cum cibis venenum aſſumatur. Omnium maxime vero à veritate abhorret, iſtum pani miſtum detegere fures, quos illum non deglutire poſſe ferunt, quemadmodum de aëtitico pane Græcorumque ſuperſtitionibus *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 172. fuſe egit. Conſultius eſt, ut in pulverem redactus lapis interne æque ac externe contra epilepſiam uſurpetur: quo etiam modo partum promovere & lac augere aptior eſt. Sic quoque contenta terra febribus peſtilentialibus proficit, haud ſecus atque terra ſigillata, eique etiam dyſenteriæ conducit, quam febris contagioſa comitatur, de quibus aliisque præterea virtutibus hujus lapidis B. *D. Bauſchius*, Præſes olim Curioſorum Germaniæ, in peculiari *Tract. de Lap. Hæmat. & Aetite* verboſius egit, cujus contenta in Gallico diario (*journal des Scavans*) *Anno* 1666. *Eph. XXXVI.* & in *Hiſtoria* noſtra *Liter. S. R. I. Acad. Nat. Curioſ.* reperiuntur.

§. 6.

Quæ porrò ſuperſtitioſæ opiniones de

BATRACHITE, ſ.
LAPIDE BUFONINO

foveantur, quemadmodum nempe vel in cerebro bufonum ſenilium generetur, vel ſuper Regem bufonum ab aliis exſputus, poſteà vero ab illo, rubro panno impoſito, rejiciatur, cuivis notum eſt, quæ omnia ex antiquis Phyſicis pereleganter præ cæteris *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 646. recenſet; id verò falſum & ſine ratione dici, *Boëtius l. c. pag.* 301. oſtendit, qui ipſe bufonem coccino impoſuit, nihilque minus invenit quam ejusmodi lapidem; quamobrem cum hodiernis Phyſicis exiſtimat, hoſce lapides, ad modum gemmarum, provenire è terra, ac inſtar fungorum aliis lapidibus rupibusque accreſcere, ut *Wormius* in *Muſ. Lib. 2. c.* 18. *pag.* 107. ſcribit: quanquam *Merretus* clariſſimus Anglus in *Act. Soc. Angl. Vol. I. pag.* 301. velit defendere, iſtos nihil eſſe aliud, quam dentes molares lupi marini, vide ſis verba ipſius in *Sam. Dale Zoolog. pag.* 513.

§. 7.

Duplex iſtius ſpecies habetur, una rotunda, oblonge rotunda ſive ovalis alia. Utrique lapides ex flavo ſpadicei ſunt coloris, inſtar coloris crinium, ſuperius fornicati & læves, inferius vel quadantenus cavi, aut depreſſi, ut ex figuris licet videre. Gemmarum adinſtar auro annuloque includuntur, & prout in amatorem incidunt, diverſo emuntur pretio, dum in ſe ſpectati non adeo cari ſunt. vid. *cit. Boëtius.*

§. 8.

§. 8.

Respectu qualitarum præsertim ad apum vesparumque ictum commendantur lapilli, quo in casu omnem inflammationem dicuntur præcavere, vel externe saltem admoti, id quod fortasse etiam culter aut aliud quoddam durum similiter præstabit. Istos vero sudare & quasi lacrymari nimis appropinquante veneno, & superstitiosum est, & falsæ de istorum ortu opinioni innititur. Alii ad dolores nephriticos ac hydropem commendant, qua de re legendus est *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 772.

CAPUT XXIV.

DE GLOSSOPETRIS ALIISQUE FIGURATIS LAPIDIBUS.

§. 1.

GLOSSOPETRÆ (*Natter-Zünglein*) tricuspidales, exacuti, cinericei lapides sunt, superius læves, inferius aspera basi muniti, plurimam partem in Melita Insula reperiundi, propterea que à doctis Linguæ Melitenses (sive *Maltheſiſche Otter-Zungen*,) à Germanis *Stein Zungen*) vocati, picarum tamen quam viperarum linguis similiores, quoniam notum, viperas serpentesque non, ut illæ, laras ac simplices, sed valde exacutas divisasque habere linguas. Similes quoque alibi in Germania, circa Luneburgum, Hildesiamque, in Hungaria & Helvetia inveniuntur, ut non solum *Lachmundus in* Οφιολογραφία *Hildesheimensi*, sed etiam *Reiskius* in peculiari *Tract. de Glossopetr. Luneburg. Geierus de Glossopetris Alzeiensibus* & *Misc. Germ. Cur. Dec. II. A. VIII. p.* 303. testantur.

§. 2.

Utraque statim initio receptam adhuc opinionem valdè reddunt suspectam, cui isti sunt addicti, qui dictas Melitenses linguas pro veris in lapidesque versis viperarum linguis habent, id quod isti miraculo, quum Paulus Apostolus inhærentem manui suæ viperam, sine ulla noxa, rejecisset, adscribi simulque credi volunt, omnibus tum viperis in hac insula ademtum venenum esse, quasi lapides evaserint, quemadmodum non incolæ solum Italicis Gallicisque schedulis ac descriptionibus, (quas Dn. *Niederstettius* in *veteri sua novaque Melita*, ex istoque *Reiskius Dissert. de Glossopetris Luneburg.* repetit) sed nonnulli etiam celeberrimi Theologi, ut *Cornelius à Lapide* in *Comm. ad Acta*, *Sam. Bochartus* in *Hieroz.* aliisque fere existimant. Sed quum S. Scriptura de eo nihil testetur, nec consequentia hæc valeat: Paulus viperam de manu sua rejecit, ergò viperas omnes execratus est, ergo in lapides fuerunt versæ &c. ut *Dn. D. Major* in *Historia Artificialium ac Naturalium Musæorum in Africa orùque Europæ Cap. IX.* ostendit, non adeò facile istis conjecturis habenda est fides.

§. 3.

Aliorum, *Gesneri sc. Boëtii, Königii* in *regno animali* &c. opinio est, istas glossopetras, unicornu fossilis ad instar, lusu naturæ è pingui bolarique terra generari & vel linguarum, vel oculorum serpentum prodire forma, similem vim alexipharmacam cum terra sigillata Melitensi habentes. Imo sunt nonnulli, qui hosce lapides cum lapide fulminari confundunt, existimantes, tandem aliquando posterioris adipisci formam, teste *Boëtio de Boot* in *Tract. de Lapid. pag.* 341. Id quod non temerè videtur affirmari, quum ejusmodi Glossopetræ, tanquam alii quicunque lapides, sæpe suæ matrici & terræ firmiter sint impactæ, quas non solum *Thom. Bartholinus* in Melitea Insula ita se invenisse *Centur. IV. suæ Histor.* testatur, sed quoque *D. Major loco supra cit.* depingit. Cui tamen opinioni adversatur, quod glossopetræ igne probatæ, instar aliorum ossium, prius in carbonem mutentur, quam in calcem vel cinerem concidant: omnes contra lapides, ne quidem unquam in carbones, sed statim in calcem abeant, ut *Fabius Columna* in *Libr. suo de Purpurâ*, & supra laudatus *D. Major* in *Comment. in prædictum librum* observant.

§. 4.

Quæ causa est, quamobrem alii curiosi doctissimique Physici, sc. *Andr. Cæsalpinus Lib. I. de Metall. c.* 44. *Fabius Columna* in *Appendice libri sui de Purpura*, *Steno* in *Anat. piscis carch.* aliique multas ob causas existiment, istas ita dictas linguas nihil esse aliud, quam certos & in lapides mutatos dentes, ab aliquo pisce vel cane marino, Carcharia vocato, ortos, & vel tempore diluvii, aut alia quacunque auxiliante inundatione in continentem delatos. Primò enim statim intuitu hujus piscis, cujus os quadringentis fere dentibus septum est, ut à clarissimo ac curioso Siciliæ nobili, *Boccone, aux Recherches & Observ. Naturelles pag.* 314. repræsentatur, magna inter ejus dentes & glossopetras observatur similitudo, adeo, ut *Wormius* in *Mus. pag.* 67. id quidem negare nolit, sed tamen propterea priorem opinionem non abjiciat, aliquas glossopetras è terra, nonnullas ab ejusmodi dentibus deducens. Et quam-

vis huic opinioni quædam contravenire difficultates videantur, iſtas tamen omnes prædictus *Columna* & ſecundum illum *Dn. Bocconius l. c.* removit, & ejusmodi rationibus refutavit, quibus *Dn. Reiskius* in *Appendice Diſſert. de Gloſſopetris Luneb.* omni etiam adhibitâ diligentia non potuit ſatisfacere.

§. 5.

Qui lapides licet non adeò cari ſint, ſed teſte *Boëtio pag.* 342. *l. c.* æquo comparentur pretio, id tamen demus operæ, ut ſinceri accipiantur. Melitenſes, iidemque cinerei, optimi ſunt, ut *Joh. Frid. Abela*, à *Dn. D. Hoffmanno* in *Clavi Schræd. pag.* 131. citatus, docet. Iſtos quoque læves decet eſſe & friabiles, neutiquam duros, quo, tanquam Ebur uſtum, dentibus poſſint conteri. Cetera bonitatis indicia jam ſupra memoravimus.

§. 6.

Iſtorum uſus viresque innoteſcunt ex ſupra dictis Italicis Gallicisque ſchedulis, quas emtoribus communicandas ſæpe memoratus *Wormius in Muſ. pag.* 7. Latinè reddidit, ut ſequitur:

Vires lapidis S. Pauli, linguarum, item oculorum ſerpentum pretioſorum, qui in Inſula Melita reperiuntur:

Terra quæ S. Pauli vocatur, in Inſula Melita reperta, in ipſa ſpecu D. Pauli, colore albo eſt, exque ea fiunt imagines, tabellæ, vaſa &c.

Linguæ coloris ſunt fuſci, oculi ſerpentum lutei, atque per totam Inſulam inveniuntur ea, qua venduntur, forma.

Miræ ſunt virtutes tam terræ, quam linguarum & oculorum, dum omni veneno reſiſtunt, à morſibus venenatis non ſolum defendunt, ſed etiam curant, aliisque morbis medentur.

Uſus hic eſt: annulis includuntur oculi dicti, ita ut geſtantis tangant carnem, & inſtar aliarum gemmarum digitis ſint ornamento.

Linguas collo aut brachiis appendunt.

Parum dictæ terræ vino aut aquæ miſcent, ut bibatur.

Linguas & oculos itidem aquæ aut vino infundunt, ut ebibatur liquor.

Vaſis ex hac terra fabricatis ſi vinum vel aqua infundatur, ac, ubi vim eorum abſorpſerunt, ebibantur, multis affectibus medebuntur.

Sed ante omnia attendendum, ut dictæ linguæ & oculi ſint veri, ex Melita per fide dignos tranſportati, ne fraus aliqua contingat.

§. 7.

Ultimò in curioſorum Muſeis alii adhuc perrari mireque figurati lapides inveniuntur, ad quos pertinent

CORNUA AMMONIS, ſ. *Ammons Hörnlein*,
CONCHITES, ſ. *Schnecken ſtein*,
STALACTITES, *Rogen-ſtein*,
ENCARDIA, *Hertz-ſtein*,
ASTROITES, *Stern-ſtein*,
LAPIDES SABULOSI, *Pſaltziſche Sand-Pfeiffen*,

de quibus ultimis *Thom. Eraſtus* curioſam ſcripſit epiſtolam. Quoniam vero iſti pluresque alii nec à Materialiſtis venduntur, nec Medicinæ in uſu ſunt, in iisdem non commorabimur, in *Tom. II. Muſ. Muſ.* fuſius, Deo volente, pertractandis. Interea curioſus lector aliquam informationem hauriet ex *Aldrovandi Muſeo Metallico* & *Boetii Tract. de Gemmis & Lapidibus*, in ſpecie ii, qui in Bavaria ac Helvetia reperiuntur, à *D. Welſchio in Hecatoſt. Obſerv. D. Wagnero* & *D. Scheuchzero in Hiſtor. Helvet. Naturali*: Miſnici ab *Joh. Kentmanno in Nomenclatura rerum foſſil. in Miſnia*: Saxoniæ inferioris à *Frid. Lachmundo* in ἐρυκτογραφία *Hildesheimenſi*: Sileſii à *Caſp. Schvvenckfeldio in Catal. Foſſil. Sileſiæ*: Bohemici à *P. Balbino in Hiſt. Bohem.* in Scotia reperiundi à *Sibbaldo Hiſt. Nat. Scotiæ* deſcribuntur. Horum tamen lapidum æſtimationem ſola curioſitas metitur, dum eæ virtutes & qualitates, quæ à *Gaffarello* in *curioſitatibus inauditis cap. 5. pag.* 138, iſtis adſcribuntur, maximam partem ſuperſtitioſæ ſunt, ut Regius Præpoſitus Flensburgenſis *Michaëlis*, in *Notis* ſuis *in Gaffarellinas curioſitates*, ingenuè confitetur. *J. C. Vaninus*, antequam in Atheiſmi incidit phantaſma, non ſine cauſa quoque ſcripſit, vel unicum pulicem plus habere virtutis, quam omnes pretioſos lapides cum raris quibus inſigniuntur figuris, vid. ejus *Amphitheatri æternæ providentiæ Divino-Magicæ Exercit. VI. pag.* 46. multo minus Hebraicis characteribus, dictisque Figuris Talismanicis inſignitis lapidibus adſcribendum efficaciæ eſt, in quibus certus quidam isque magnus amicus tantam poſuit fiduciam, ut, iſtis ſe quaſi immortalem reddere non dubitaret: quæ tamen opinio usque eo eum fefellit, ut, licet fere omnibus membris impoſuerit lapides, nihilominus vita excedere, iſtosque magno pretio emtos, (quibus poſt mortem liberi in domo dicuntur luſiſſe,) aliaque plura curioſa lætis relinquere hæredibus neceſſe habuerit.

CAPUT XXV.

DE

AURO COMMUNI ET FOLIATO.

§. 1.

AUrum nobilitate omnia antecellit metalla, in ſe omnium puriſſimum, maxime durabile, ſolidiſſimum, graviſſimumque: plerumque flavum habet colorem, quanquam interdum quoque album reperiatur, facile pro argento à quocunque habendum, niſi gravitate, ductilitate aliisve qualitatibus auri propriis dignoſceretur. Tale in Bohemia circa Pragam reperitur, quod doctus quidam Jeſuita, *Balbinus*, in *Hiſtoria Bohemiæ Part. 1. cap. 14. pag. 40.* deſcripſit; quemadmodum etiam Chymica arte auro communi flavus color adimi poteſt, illique de integro reddi.

§. 2.

Aurum autem vel vere purum & apyron invenitur, quale non ſolum in Guinea & alibi è terra interdum effoditur, ſed copioſe etiam in auriferis fluviis: Tago, Pactolo, Rhenoque ſub arena invenitur, quod eum in finem conſtituti auri lotores quærunt, ac mediante mercurio ſciunt eruere; qua de re vid. *Münſterus* in *Coſmographia*, *Georgius Agricola de Re Metallic. Erckerus in Libr. de arte probatoria pag. 101.* præſertim *Marquardus Freherus P. 2. Originum Palatinarum cap. 17.* & *J. F. Spicilegium Antiquit. Palatinarum cis Rhenum:* Vel in mineris adhuc latet, quæ plerumque cæſiæ aut cineraceæ exiſtunt, ut *Agricola Libr. V. de Re Metallic. pag. 26.* teſtatur, & quales à *Beslero* in *Gazophylacio fol. 1.* delineatæ ſunt. Nonnunquam etiam alterius ſunt coloris, prout multum vel parum alterius cujusdam metalli, argenti, cuprique ac ſimilis eſt admixtum, à quibus mercuriali amalgamatione, aqua forti, cæmentatione artiſque modis aliis ſeparatur, ut ex *Agricola*, *Caſalpini* aliorumque ſcriptis apparet.

§. 3.

Aurum vere purum minusque vitiatum eſſe, vel lapide Lydio experimur, aut igne, & libra aquaria. Primus probandi modus aurifabris in uſu eſt, qui aurum ſuper lapide Lydio ad acus probatorias examinant, quarum præparatio in *Erckeri arte probatoria pag. 123.* docetur. Tantum vero aurifabri non ſumunt operæ, ſed fruſtulum à ducato, coronato, florenoque Rhenano abſcindunt, ac ferruminatione quodque cupreo clavo adjungunt, ad cujus tenorem aurum ſolent probare. Altero utuntur monetarii, qui aurum vel per ſaturnum in catino, vel per ♁ depurgant, vel etiam per quartationem ſolent examinare, de quibus *Ettmüllerus* in *Colleg. Chym.* & *Comment. in Schræd.* nec non *Borrichius* & *Erkerus in libris de arte probatoria* fuſius agunt. Tertium vero per libram aquariam experimentum valde curioſum eſt, quod ab Archimede inventum in eo conſiſtit: duo ſumuntur auri fruſta ſ. duæ monetæ aureæ, extra aquam idem pondus habentes, quibus in communibus lancibus, vel cum vitreo hydrometro, ſalinarum Factoribus uſitato, ſub aqua libratis, minus adulteratum fruſtum notabiliter præponderabit alterum, viliora metalla continens.

§. 4.

Verè purum minusque vitiatum inprimis auri textores & bractearii quærunt, quorum illi ex tertia grani parte, mediantibus, formis ſuis, filum ducunt 134. pedum longitudine: iſti vero ex auri uncia 1600. folia, quorum quodque 37. lineas quadratas contineat, cudere norunt, unde

AURUM FOLIATUM

quod Materialiſtæ quoque ac Pharmacopolæ divendunt, proficiſcitur; à bracteariis inter membranas & inteſtina bovina, *Baudruche* Gallis vocata, latis malleis cuſum, partim in majoribus, partim minoribus libellis venditur; unum Materialiſtæ AURUM FOLIATUM IN LIBRIS, alterum AURUM FOLIATUM IN LIBELLIS vocant, quale Sinenſes in multo minoribus & ſericis papyraceis libellis habent. Duas cujusque pharmacopolia habent ſpecies, AURUM ſc. FOLIATUM FINUM, & AURUM FOLIATUM MISTUM, Zwiſch-Gold, quod in alterô latere albeſcens vix dimidiam caritatis alterutrius partem attingit, quoniam minus purum aurum eſt. Interea bractearii finum quoque in diſtinctas ſortes dividunt, quatum tres vel quatuor habent: prima, eaque optima, politoribus inſervit, qua ad gladios Damaſcenos utuntur: ſecunda ceteris hoplopœis eſt in uſu, ad cataphractas aliaque arma inauranda: tertia bibliopegi libros inaurant: quartam Chymici & Pharmacopolæ medicamentis miſcent, ut *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues Part. III. Lib. I. cap. 3. p. 3.* commemorat.

§. 5.

Ex deciduis parvis auri foliati fruſtulis

AURUM IN MUSCULIS (*Muſchel-Gold*)

præparatur, quando cum melle virgineo minutim tritum in parvas conchas diſtribuitur, quod aqua gummoſa humectatum, vel ad inaurandam ſcripturam, vel ad picturam, poteſt uſurpari, de quo vid. *Thom. Garzoni Theatrum omnium artium & opificiorum pag. 1051.*

§. 6.

Præterea in Materialium Muſeis habetur quoque

AURUM MUSICUM

quod præter nomen nequicquam cum auro commune habens, non tam ex isto metallo, quam ex stanno, bismutho, sulphure flavo similibusque præparatum, uti *Kunckelius* in *Appendice secundæ partis artis vitrariæ pag.* 95. descripsit. Ad vitrum aliasque res illuminandas, picturas, ad chartam quoque Turcicam multasque res aliâs usurpatur.

§. 7.

Similiter nulla re, præterquam solo colore, cum auro convenit

AURUM SOPHISTICUM,

ex viridis æris libra dimidia, tutiæ unciis quatuor, borracis & ☉ unciis duabus, & drachmis duabus ☿♎ cum oleo olivarum impastatis, in fervente crucibulo, forti auxiliante igne, fundi solitum, quemadmodum *A. C. V. H.* in *Arte Chymica Naturæ Æmulâ fol.* 17. descripsit.

§. 8.

Quod ad qualitatem usumque auri attinet, ad vacuam crumenam verius panacæa est, quam varios corporis humani affectus, meaque sententia utilius aurum ex medicamentis, quam medicina ex auro comparatur. Et quamvis hucusque aurum foliatum non compositis solum permistum, sed ad pilulas quoque aliasque res inaurandas usurpatum fuerit, non tamen æque ægrotantis cor, ac divitum magnatumque superstitio inde roboratur, quum in hodiernum usque diem Medici non conveniant, num aurum foliatum in corpore nostro recludi, & ad vim aliquam exercendam trahi queat, qua de controversia *D. Hoffmannus* in *Clavi Schræder. p.* 200. præter ceteros videatur. Multo minus in auro potabili, tincturis auri, panacæis solaribus similibusque multum ponendum fiduciæ est, quorum effectus menstruo quam auro adscribes rectius. Inter omnia verò præparata quid præcipui habet

AURUM FULMINANS,

quod ex auro ♀ solutô per salem Tartar. ♃⊡. sive ☉☽ præcipitatur, & præter vim fulminantem, ab auri sulphure nitroque aquæ Regiæ dependentem, à flatibus oriunda tormina & epilepsiam infantum discutit, partim etiam alvum movet, partim sudorem pellit, de quo *Schræderus* aliique legantur.

CAPUT XXVI.

DE

ARGENTO MINERISQUE ARGENTEIS.

§. 1.

AUro Argentum ductilitate ac pulchritudine proximè succedit, pondere licet ac colore cum isto minime conferendum, quum non flavum, sed albescens appareat. In omnibus ferè regionibus, præsertim etiam in Germaniâ, in Saxoniâ & alibi è fodinis eruitur, in majori vero copiâ ab Hispanis cum classe argentifera è Peru, & à Batavis ex aliis quoque Orbis terrarum partibus, Orientali æque ac Occidentali India affertur.

§. 2.

Argentum autem vel purum & apyron in argentifodinis deprehenditur, sive in forma capillorum argenteorum, fruticum & arbusculârum appareat, sive in magnis frustis, qualia olim Annæbergæ tanta inventa sunt magnitudine, ut Dux Albertus aliquo loco mensæ usus fuerit, ut *Münsterus in Cosmogr. Lib. I. c.* 9. perhibet. Vel etiam ex argenti mineris, postquam à Præfectis Docimasticis (*Wardeyne*) κατ' ἀξιγυρον (*auff Silber*) probatæ sunt, & cum pondere centenario (quod in capsulis secum vehunt) istarum quantitas fuit explorata, fusione prolicitur, quæ propterea discretæ in operasque redactæ funduntur, modôque diversô separantur, ut apud *Agricolam*, *Erckerum* aliosque videmus, à quibus etiam quædam minerarum argenti species, in specie dicta argentum rude plumbei coloris, *Glas-Ertz*, & argentum rude rubrum, *roth gülden Ertz*, describuntur, quarum illa multum sulphuris, hæc verò aliquid arsenici continet; quemadmodum ex commistione magnetis arsenicalis & lunæ vera minera argenti rubra, ex sulphure & luna vero naturalis minera vitrea per artem potest præparari, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræder. pag.* 832. demonstravit.

§. 3.

Quùm verò fusum è mineris argentum plerumque alia adhuc metalla, inprimis cuprum, contineat, (id quod ope acus probatoriæ in lapide Lydio sistitur videndum) propterea que ad medicinam operasque alias sit ineptum, in catinô per ♄num sunt separanda, quem scimus omnia alia metalla devorare, aurum vero & argentum intacta relinquere: hocque

CUPELLATUM ARGENTUM

vocatum, ad trahenda fila, argentum foliatum, similiaque opera usurpatur, imprimis si post cupellationem ☉ ulterius depuretur, tamdiu fusionem cum ☉ continuando, donec hoc prorsus album & non amplius tinctum appareat.

§. 4.

ARGENTUM FOLIATUM

eôdem prorsus modô atque aurum foliatum

præ-

præparatur, dum bractea argentea, igni sæpe indita, inter duo coria, in ejusmodi tenuia folia cuditur, in libellis postmodum divendenda; & quoniam hîc quoque multum scobis decidit, cum gummi ista teritur & impastatur, unde

ARGENTUM IN MUSCULIS,
(*Muschel-Silber,*)

scripturæ picturæque idoneum, oritur.

§. 5.

Vulgò ita dicto ARGENTO MUSICO nulla cum hoc metallo intercedit amicitia, quum ex stanno, bismutho & mercurio conficiatur, cujus descriptionem juxta ac usum, quem pictoribus præstat, videsis in *Joh. Kunckelii Arte vitraria*, inprimis in *Appendice Libr. 2. Part. 2. pag. 96.*

§. 6.

Ceterum ex cupellato beneque depurgato argento præstantia quædam efficaciaque medicamenta componuntur, inter quæ

CRYSTALLI LUNARES

non postremum tenent locum, ex soluto in ♄☉ vel ▽, postmodum facta abstractione ad debitam consistentiam redacto argento, exsurgentes, ex quibus aliquoties calcinatis, solutis, ac denuo coagulatis Clarissimus *Robertus à Boyle* Pilulas suas Lunares confecit, quas in *Appendice Tract. de Utilitate Philos. Experim. pag.* 361. ex istoque *Du Hamel Lib. de Affect. Corp. pag.* 395. descripsit. Ad purgandos hydropicos egregiè præstant, quod etiam crystallorum gr. ij. cum micâ panis, aut alio quocunque assumta, aquas p. n. fortissime evacuant, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 833. testatur.

§. 7.

Simili ferè modò notissimum istud corrosivum, Gallis *La Pierre infernale*, aliâs

LAPIS INFERNALIS

dici soliitum, ex argento præparatur, quando sc. solutum in ♄☉, inque crystallos redactum argentum in igne tamdiu liquari permittitur, donec in crucibulo instar olei fluat, quod deinde in calefactum ac intrinsecus illitum sebo conum fusorium infunditur, quo in isto materia instar lapidis indurescat. Bonus esse probatur, quando flavò & quasi ferreò præditus est colore, nec digitos nec chartam adurit, quando siccus est, nec facile in aëre fluens concidit, è contrariò verò adurit, simul atque vel parumper humectatur. Qui viridiusculus est, chartamque, cui involvitur, viridi maculâ inquinatam relinquit, meretur rejici, quoniam ex permistò argentò vel cuprò præparatus, qui facile aëri liberiori expositus fluit. Sunt, qui istum ex argento in fila ducto & è texturis argenteis exusto conficiunt, qui tamen non adeò durabilis est, quam qui ex argentò cupellato præparatur. Parva frusta, fortè digitum longa, quæ statim sicca fiunt solidaque, habentur optima. Nigrum colorem requirit *Pometus* in *Hist. Simpl. Part.* 3. *L. I. cap.* 10. *pag.* 7. Ceterum quantitate pisi cuti impositus, ad parandos fonticulos perutilis est; non minus putrem ac luxuriantem carnem in vulneribus exedit; ubi tamen cavendum, ut ne pars sana tangatur, hoeque modo ægrotanti non necessarii dolores excitentur. Variæ quoque isto mediante figuræ marmori sive scribendo, sive pingendo possunt imprimi, ita ad interiora profundè penetrantes, ut extrinsecus apparent.

§. 8.

Ultimò etiam habetur

TINCTURA LUNÆ,

cœrulea plerumque vel viridiuscula, qui tamen color vel spiritui solventi sive menstruo, utpote ♄☉ ☓, vel aliis adhuc permistis metallis, præsertim cupro, venit adscribendus, quo si prædita colore est, pro genuina minime habeatur, quum vere depurgatum, & ab omnibus aliis metallis intime liberatum argentum nullam tinctura, sed solutionem limpidam, instar aquæ suppeditet, ut *D. D. Bohnius* in *Dissert. Chymico-Phys. XIV. §. 34.* ostendit. In epilepsia, apoplexia universali & particulari, ceterisque capitis morbis ad XV. vel XVI. guttas usurpatur.

§. 9.

Additamenti locô, & ad delectandos curiosorum animos, paucis adhuc erit commemoranda

ARBOR PHILOSOPHICA,

ex argento quoque modô sequenti præparanda:

℞. Lunæ cupellatæ ʒß.
▽ ʒj.

Solve, posteaque ℞. ▽ ʒij. ☿ viv. ʒj.
Solve similiter, quô factô binæ solutiones misceantur, & adde ☿ viv. ʒiij.
▽ fontan. ʒviß.

quæ omnia vitro oblongo indita, reponantur in locum moderatæ temperiei, sic arbusecula accrescet, de qua certô aliquô additamento etiam aurea poma possunt suspendi, id quod visu perjucundum est. *Dn. Peikenkampius*, qui aliquot ante annos decessit, valdè curiosus Philosophus Experimentalis, *Marburgi Cattorum* integrum ista super re *Tractatum*, typis dignissimum, conscripsit: olim vero *Fabricius Bartholetus*, doctus Italus, in *Encyclopæd. Medica* perrara, istius etiam meminit: tandem verò *Dn. Kirchmayerus* integrum *de ista Tractatum* edidit,

CAPUT XXVII.

DE

CUPRO, ORICHALCO, VIRIDI ÆRIS ET SIMILIBUS.

§. 1.

INter metalla ignobiliora CUPRUM maximè ductile eſt, in igne diu candet, antequam in fluorem redigatur, ac poſt aurum argentumque valde ſe extendi & malleari patitur. In Europa, præſertim vero in Sueciâ Daniâque, copioſe invenitur, non minus in Germaniâ, ac inprimis in Haſſia noſtra prope Kleebergam, Braubacum & Franckenbergam non ſpernenda ejus effoditur quantitas.

§. 2.

Parum hujus metalli purum apyronque ınvenitur, niſi quod in quibusdam fodinis aliquid ejusdem eruatur, ſed plerumque ſaltem in parvis guttulis, vel foliis, mineræ adhærentibus, ut *Agricola Lib. VIII. de Foſſil. p.* 603. & *Wormius in Muſ. pag.* 125. teſtantur. Utplurimum è propriis ſuis mineris eruitur, in ductiles & facile liquabiles (qualis eſt æs rude *Kupffer-Glas-Ertz*) & duriores ſive difficulter fuſiles cupri mineras diſtinguendis. Binæ virides plerumque vel etiam cœruleas maculas & venas habent, excepto nigro ſciſſili lapide, qui in montibus Mansfeldenſibus & circa Islebiam inveniendus, flavas aureasque maculas, & à Natura eleganter impreſſas halecum aliorumve piſcium figuras repræſentat, cujus adumbratio in *Ulyſſ. Aldrovandi Muſ. Metall.* & quam maximè *Scheuchzeri Querela Piſcium* ſiſtitur videnda. Unde verò hæ piſcium imagines oriantur, & quæ vera iſtarum ſit origo? æque adhuc diſquiritur atque plantarum figura in ſciſſilibus iſtis lapidibus, qui in S. Andreæ valle, in Fodinis herbariis recens exſtructis Saxo-Gothanis, in Thuringiæ ſylvâ, & Præfecturâ Schwartzwald, reperiuntur, in quibus filix, polypodium, equiſetum ac ſimilia verè & aſſabre ſunt delineata, id quod in Anonymi interceptis literis *Part. 2. Faſcic. V. pag.* 431. & antea laudati *Dn. Scheuchzeri Herbario diluviano* ſiſtitur videndum. Num verò Dn. *Frider. Haynius* in *Muſeo Subterraneo*, quod dicitur meditari, iſtum expediturus ſit nodum, quemadmodum *Dn. D. Grimmius* in *Hiſtoricis ac Medicinalibus ſuis Relationibus cap. IV.* & *Dn. Kirchmayerus* in *Tract. de Arb. Philoſophica Ramoque Aureo Virgin. c.* 1. §. 3. de ipſo ſperant, dies docebit.

§. 3.

Quamprimùm iſtæ mineræ è terrâ eruuntur, antequam fuſione cuprum exinde præparetur, ab omnibus ſordibus depurgandæ, & ab ſuperfluo fœtenteque ſulphure toſtione liberandæ ſunt: quô factô funduntur, & cuprum formis infunditur. Hoc deinde iterum liquatum aliis in arena factis formis infunditur, in placentas & adhuc inæquales craſſas laminas redigendum. Quo verò reddatur malleabile, tertium liquatur, in alias placentas formandum, quæ XV. circiter digitos in diametro, & tres in craſſitie habent. Sub quibus fuſionibus Regulus in fundum ſecedit, è quô ſæpe auri quid lucrantur, ut è Mechanicorum, huic negotio deſtinatorum, ore hauſi. Ex iſtis vel integris, vel in quatuor partes diſſectis, in molis ærariis (cujusmodi duas Haſſiæ oppidum Alsfeldia habet) laminæ cupreæ cuduntur, ex quibus Ahenarii pedibus ſuis, pelle ovina munitis, ahena formant: Ærarii autem multa inſuper vaſa utenſiliaque inde componunt.

§. 4.

Aliâs cuprum à nonnullis in nigrum, rubrum flavumque dividitur. Duæ priores ſpecies haud aliter ab ſe invicem diſtinctæ ſunt, quàm quod nigrum rubro ſit impurius: alias utraque ductilia ſunt, & mallei ferunt verbera, quorum habitâ râtione vel *Æs Caldarium*, vel *Orichalcum* dicitur.

§. 5.

ÆS CALDARIUM (*Glocken-Speis*) nihil eſt aliud quam metallorum miſtura, in quâ cuprum & ſtannum primas tenent, ſive à Natura in terra ita miſceatur, ſive arte præparetur. Galli *la Bronce* vocant, ex iſtoque non ſolùm, ut noſtrates, campanas mortariaque componunt, ſed ſtatuas quoque ac monumenta fundunt, utpote Regios equos & ſimilia. Pariſiis *les Sols marqués* exinde cuduntur. Inde etiam oritur, quod

DIPHRYGES

vocant, quo nomine fex quaſi & recrementum æris caldarii venit. Olim pro medicina uſurpabatur, hodiè fere obſolevit, nullusque iſti in officinis relictus locus eſt. Quando clara aqua liquato æri caldario affunditur, ferreaque lamina canalibus quos tranſit, inſternitur, à fumo parva, rubellaque ac ſplendida accreſcunt granula,

FLORES ÆRIS

dicta, quorum *Hippocrates* aliique antiqui Medici ſæpe fecere mentionem. Si quando verò plus ſtanni permiſcetur cupro, nempe 12. circiter vel 25. libræ libris centum, miſtura ſimpliciter

METALLUM

vocatur, ex quô gladiorum manubria, cochlearia

learia similiaque componunt, ob elegantiam argenti faciem præ se ferentia.

§. 6.

Quod ad

ORICHALCUM (*Messing*)

attinet, quæritur, num naturaliter etiam in terra inveniatur? Clarissimus Jesuita *Kircherus* in *Mundo subterraneo pag.* 218. nonnunquam istud reperiri existimat, cujus possibilitatem nemo forte negabit; interim tamen certum est rarissimè id contingere, istudque plerumque artificiosa cupri lapidisque calaminaris mistione constitui, quando nempe cum quatuor partibus veteris cupri una pars dicti lapidis funditur, modo haud dissimili, atque ex sex partibus cupri, unaque Zinethi (*Zinck*) vulgo dictum flavum cuprum, s. *Principiis metallum*, Printz-Metall, conficitur, cujus *D. Stahlius in Disput. de Metallurgia pag.* 73. meminit. Ex illo postmodum ita vocatum

CLINCANT (*Rausch-Gold*)

præparatur, quando nempe orichalcum in folia instar papyri cuditur, ac ita compingitur, quo in crassiori charta avehatur. Si quando vero tenuius cusum, in subtiliora tenuioraque foliola, auri foliati ad instar, redigitur, in libellos distribuenda, aurea metalli folia (*Metall-Gold-Blatter*) exinde resultant, *Or d' Allemagne* Gallis vocata, quoniam metallum Augustæ Vindelicorum magna copia præparatur, propterea que à nonnullis Augustana dicitur, ut *Pometus* in *Histoire des Drogues p.* 29. commemorat. Quod inter malleandum decidit, in pulverem teritur, vel ita vendendum, vel in vilius aurum in musculis redigendum: pictoribus, rebusque aliis superinducendis conducit. Ex Orichalco quoque PURPURINA à Venetis præparatur, ad inauranda carpenta olim usurpatum. Similiter AVANTURINA Gemmariorum & Vitriariorum ex Orichalco constat, de quo *vid.* prædictum *Pometum loc. cit.* Non minus filum aureum dictum, fila s. fides instrumentorum, cavum laminatumque aurum & similia, ex Orichalco, dicuntur, quemadmodum ex ipso cupro cupreum filum trahitur, quæ iis, qui auro nere, acuque pingere solent, sunt in usu.

§. 7.

Sub præparatione fusioneque Orichalci quadrangulis ferreis perticis, crucibulum operientibus, ac forcipibus operariorum levis albidusque pulvis adhæresci t, qui nihil est aliud quam officinarum

POMPHOLIX, (*vveisser Galmey,*)

alias quoque NIHIL ALBUM vocatus, quod *Schræderus* ejusque Interpretes *Hoffmannus* & *Ettmüllerus* pro tutia genuinâ veterum s. cadmia capnite habent, quæ causa est, quamobrém ista duo simplicia sæpe confundantur. Hodie inter istud medicamentum tutiamque officinarum multum est discriminis, dum hæc nihil aliud est, quam cadmia factitia, à metallo & ære caldario proveniens: illud vero Orichalci progenies. Ceterum Pompholix eleganter alba sit, levis, pura teneraque, qualis è Batavia venit, ubi præparatur purissima. In cancro aliisque ulceribus externis, variis quoque oculorum affectibus utilis est. Fusor quidam ærarius Gallico Materialistæ *M. Pometo* narravit, istam à se tanquam medicamentum antefebrifugum peti, ac cum vino assumi: quum vero valde violenta istius operatio sit, non immerito monet, ut in ejus usu simus cauti. *vid.* ejus *Histor. Simplicium Lib. III. Part. I. cap.* 49. *pag.* 29.

§. 8.

Aliud adhuc & priori valdè simile simplex habetur,

SPODIUM GRÆCORUM (*Grauer-Nicht*)

vocatum, ab isto in eo saltem distinctum, quod antecedens superius, hoc vero propter gravitatem suam fundo crucibuli dicatur adhærere; pro varietate colorum in cinereum, flavum, nigrum & viride dividitur ab *Agricola*, ut in *Dn. D. Hoffmanni Clav. Schræd. pag.* 331. licet videre. Cum priori easdem habet vires.

§. 9.

TUTIA ALEXANDRINA OFFICINARUM

nulla ratione ab Orichalco ducit originem, quæ nonnullorum est opinio, sed à metallo æreque caldario, dum istorum durante fluxu ac fusione, ut priora ab orichalco, vapor s. fumus supra ligneo axi, quem eum in finem fusores ærarii crucibulo insternunt, adhæret, istumque corticis ad instar circumdat, intrinsecus lævis, extrinsecus asperi ad instar chagrinæ, vel segreini corii apparentis, id quod in omnibus tutiæ frustis videtur. Alias quoque CADMIA FACTITIA dicitur, & prout extrinsecus vel uvæ, vel conchæ, aut alii cuidam rei similis est, CADMIA BOTRITIS, OSTRACITIS, vel PLACITIS nominatur, quarum prima optimaque in medio, altera inferius, tertia in suprema fornacis parte perhibetur colligi. Cæterum ea tutia habetur optima, quæ ex elegantibus crassisque crustis constat, quæ intrinsecus pallide flavescit, extrinsecus murino colore præditis granulis ornatur, nec facile friabilis est, nec multis exiguis frustulis, multo minus aliis sordibus est interstincta. Quæ Aurelia venit, celeberrima est. In externis saltem ulceribus, præsertim oculorum morbis usurpatur, quo in casu tamen ipsam decet esse optime præparatam.

§. 10.

Inter ista vero, quæ ex ipso cupro præparantur, primo

ÆS USTUM

commemorandum, ope sulphuris ita præparandum

randum: nempe ex cupri parvis fruſtulis ſulphureque (cui tantillum ſalis marini addendum) in pyramide fit ſtratum ſuper ſtratum, forti carbonum igni imponendum, combuſto omni ſulphure, eximitur cuprum, quod extrinſecus cæſium inſtar ferri, intrinſecus vero rubicunde ſplendens, totumque friabile apparebit. Si probatum bonumque velit haberi, mediocris opottet eſſe craſſitiei, & præter colorem modo dictum, rubrum apparere inſtar cinnabaris, ſi fruſtum fruſto affricatur: quod tamen non adeo obſervatur, niſi addatur aliquid ſalis. Quod hucusque Batavorum arcanum fuit, qui longo temporis ſpatio melius æs uſtum vendiderunt, quam Galli. Ad mundanda vulnera externe laudatur; nonnulli iſtud nonies igneſcere, totiesque in oleo lini curant extingui, quod poſtea pulveratum putridam ulcerum carnem creditur exedere. Hoc ita præparatum æs uſtum etiam *Creci* ♀ venit nomine.

§. 11.

Deinde etiam

VIRIDE ÆRIS (*der Grünſpahn*)

ſ. ÆRUGO ſuum à cupro habet ortum, ſive à Natura in terra generetur, ſive certis artis legibus præparetur. Ærugo naturalis per quidem rara eſt, nonnunquam tamen in cupri mineris invenitur, eſtque viridiuſcula marcaſita, iis ſcoriis haud diſſimilis, quæ ſimiliter in cupri ſodinis ſe dant inveniendas. Ærugo autem factitia ex metallicis maſſis è cœruleo viridibus conſtat, quæ è Gallia & ſpeciatim è Monte Peſſulano locisque aliis, in veſicis ac cutibus advectæ, vel ſub forma pulveris craſſioris, vel in placentis, XXV. circiter librarum pondere, divenduntur. Periculoſa & aromatariis ſæpe nociva merx eſt, quam non humidam ſolum & cum aliis rebus permiſtam, ſed cutes quoque, quibus involvitur, eodem atque æruginem pretio emere neceſſe habent, nam tertiæ fere partis faciunt naufragium, dum placenta, quæ humida mollisque XXV. librarum pondus habuit, & XX. circiter albis conſtitit, ſicca levisque facta, XXVIII. albis eſt æſtimanda. Conſultius igitur foret, ſi optima ſiccaque curetur advehenda, licet pluris emenda ſit.

§. 12.

De ejus præparatione diverſæ Doctorum ſunt opiniones, ſicut iſtam ob rem olim magna *Tackenium* inter & *Zvvelferum* lis viguit. Ille cum *Boyleo* exiſtimabat, è cupri laminis & vinaceis fieri S.S.S. harumque ſalſas partes erodere cuprum, rodendoque in ejusmodi transmutare ſubſtantiam: quamobrem ♏ æruginis ipſi nihil eſſe aliud videbatur, quam acetum deſt. fortiſſimum. Iſte contra defendere non dubitavit, iſti S.S.S. aliquid aceti, ☉, imo & ☽ ac ☽ ſuperaddi, iſtumque ♏ ⊕ plus habere reconditum, qua de controverſia lege, ſis, *Zvvelf. Apolog. contra Tackenium pag.* 203. E contrario *Pometus*, oculatus æruginis præparatæ teſtis, affirmat, non acetum, ſed optimum Provinciæ Languedoci vinum ſumi, ſimulque narrat, iſtius præparationem difficilem eſſe valdeque intricatam, cujus deſcriptionem editione ſecunda *de l'Hiſtiore des Drogues Part.* 3. *Lib.* 1 *cap.* 52. *p.* 31. promiſit communicandam.

§. 13.

Bona probaque habetur dura, ſicca, verèque viridis, paucis albis maculis fruſtisque notata. A nobis (verba ſunt Norimbergenſis Materialiſtæ, *Joh. Jac. Marxii, in Mater. Muſeo Germanico pag.* 31.) ſæpe quidem probata, nunquam ingenua inventa eſt. Magna ejus copia ab infectoribus, pellionibus pileonibusque, fabris & pictoribus inſumitur, nonnunquam etiam in Chymia ac Medicina ejus obtinet uſus, quoniam ♏ ⊕, ♏ aſthmat. *D. Mich.* Ens ♀ *Helmontii* aliaque exinde præparantur, de quibus *Ettmüllerus*, *Boyleus* aliique pluribus agunt. Quamobrem vero

CRYSTALLI ÆRIS (*Grünſpahn-Blumen*)

à fabris ac pictoribus ærugo deſtillata vocentur, non video, dum nulla deſtillatione, ſed vulgari modo à Pharmacopolis cryſtalliſantur, quando nempe ærugo in ✕ ſoluta filtratur, & abſtractione in cella in cryſtallos accreſcit. Interea illæ cryſtalli, quæ ex Batavia & Lugduno veniunt, multum elegantiores ſunt, quod eo modo, ut ſaccharum candum, certis baculis accreſcunt, iſtique etiam, excepto colore, prorſus ſimiles apparent. Cryſtallos magnas, clarasque ac pellucidas, bene exſiccatas ac nullo ligno decet eſſe permiſtas. Alii cuprum in ♏ ☽ ſolvi, evaporare ac in cryſtallos ire curant, unde nihil aliud quam ☿. ♀ exiſtit. Priores cryſtalli à pictoribus ad picturam Miniatoriam, & in Medicina ad ulcera, à putrida carne defendenda, uſurpantur.

§. 14.

Num VIRIDE MONTANUM,

(*Berg-grün*, *Stein-grün*, *Schieffer-grün*)

Chryſocolla alias vocatum, huc quoque referri debeat, & quæ nonnullorum eſt opinio, ex cupro componatur, incertum eſt. Plurimi Materialiſtarum pro naturali lapidoſaque terra habent, unde etiam ab aliis TERRA VIRIDIS vocatur. Viridiuſculus, ex parvis, arenæ ſimilibus granulis conſtans pulvis eſt, in Hungariæ montibus, à Presburgo usque in Poloniam protenſis, reperiundus. Pretioſa merx eſt, cujus diſtinctæ ſortes: fina, media & vulgaris habentur. Optimum viride montanum ſiccum ſit, eleganter viride & granulatum, quo naturale ab artificioſo, ex ærugine & ceruſſa facto, poteſt diſtingui. In pictura ad colorem herbidum uſurpatur.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

DE STANNO ANGLICO, FOLIATO ET SIMILIBUS.

§. 1.

STANNUM molle, facilè fusile, & album metallum, præter copiosas sulphureas partes, aliquid etiam in se continere ☿ii videtur, dum instar Mercurii vermes aliaque insecta enecat, ac pelles quoque à tineis blattisque defendit. Maximam partem ex Angliâ advehitur, quanquam etiam in Germaniâ locisque aliis, sed minori bonitate, quantitateque reperiatur.

§. 2.

In fodinis duplex invenitur, vel perfectum sive apyron, vel in ☿is mineris. Illud in canalibus aquarum, quibus arenæ adinstar adhæret, reperitur, quod *Boyleus* in *Transf. Phil. Angl.* 29. ☿ granulatum vocat: vel in integris frustis & & massis, cujus *Matthesius Sarept. conc.* 9. meminit, & ex figurâ *Besleri in Gazophylac.* apparet. Hoc vel ex albis metallicis fluoribus fusione præparatur, vel ex lapidibus Jovialibus, quos mineras ☿is (*Zvvitter und Zinngraupen*) vocant, prolicitur, de quibus *Agricola, Matthesius*, & *Corpus Juris Metallicum pag.* 25. possunt legi.

§. 3.

Omni alii stanno bonitate præfertur Anglicum, cujus tamen iterum diversa habentur genera, inter quæ purum putum, ut ex stanni fodinis fertur, à Gallis *l'etain plane*, sive stannum planum, vocatum æstimatur optimum. Post illud stannum tinniens ponendum, cui tamen bismuthum, zinethum (*Zinck*,) cuprum ac similia sunt permista, sonum isti conciliantia. Tandem vulgare viliusque stannum restat, cui aliquid plumbi permiscetur, de quo *Pometus* in *Histor. Simpl.* videndus; ubi etiam explorandæ bonitatis experimenta habentur, inter quæ vulgarius est, ut diversa stanni genera in tot distinctos redigantur globos, quorum leviſſimus optimum stannum detegat. Stannarii dentibus probant, aliquemne fragorem edat, an nullum. Germaniæ stannum plerumque ex eo dicitur constare, quod ad superinducendas bracteas est ineptum. v. *l. c.*

§. 4.

Ex primis optimisque speciebus
STANNUM FOLIATUM, s.
STANNIOLUM,

cuditur, in parvis capsulis vendendum, quarum quævis Grossum, sive duodecim foliorum dodecades, continet. Non album solum habetur, sed etiam coloratum, *stannum foliatum coloratum* dictum: quod vel rubri, vel flavi, nigrique aut alterius est coloris. Optimum stanniolum est, quod compressa, glabra beneque convoluta habet folia. Ad faces cereas in Promotionibus Doctorum, insignia funerum illustrium, exornanda ædificia & tecta, resque alias usurpatur.

§. 5.

Huc etiam pertinent
CINERES ☿, s. JOVIS,

qui nihil aliud sunt, quam cinereus ex calcinato stanno constans pulvis, quo Porcellanarii figuli, atque vitrorum Samiatores ad poliendum utuntur. Inprimis ad metallica vitra caustica depurganda poliendaque sunt idonei. Diutius calcinati, donec albescant, in pulverem abeunt, quem nonnulli Cerussam ☿, alii Bezoardicum ☿ale vocant: qui tamen nihil aliud est, quam Gallorum *Blanc d'Espagne*, sive Hispanicum Album, quo ad dealbandam faciem abutuntur.

§. 6.

Quod metallum cum subtili arena & Soude d'Alican ustione in vitrum redactum, diversisque metallis tinctum, varium opus encaustum, Gallis

EMAIL,
German. *Schmeltz-Glas*, *Schmeltzwerck*,

suppeditat, nonnullis Materialistis temere SMECTIS vocatum, quod in parvis variisque characteribus notatis placentis Venetiis Bataviaque venit, quas inter album reliquorum colorarorum quasi mater est, & non solum à Porcellanariis, sed à Gemmatiis quoque & Aurifabris, qui omnium optime id probare norunt, ad incrustationes & opera encausta (*zum veramuliren*) emitur. Cœruleum vitrum encaustum cupro & vitriolo cyprio tingitur: Carneum per *Periguer*: Flavum limaturæ pulvere coloratur. Viridi acuum limatura & orichalco dant colorem. Allis alia colorem inducunt metalla, qua de re vid. *Pometus loc. cit. pag.* 27. & *Kunckelius in Arte vitr. P.* 2. *Lib.* 2. *pag.* 93.

§. 7.

Inter medicamenta ex Jove præparata
ANTIHECTICUM POTERII

est usitatissimum, quod vel ex Regulo ♃ Joviali cum tribus nitri partibus detonando, vel ex nudo ♃ & stanno Anglico, igne in scorias redigendis, postmodum similiter cum ☉ flagratione strepituque calcinandis, præparatur, de quo vid. *Dan. Ludovici* in *Pharm. Mod. Sec. applicanda pag.* 355. Non in hectica solum, sed in aliis quoque febribus ardentibus, variolis similibusque usurpatur.

§. 8.

Quidam ſtannum cum♃ ☉☿ vel ☉ ſublimant, quo ſaltem

FLORES ♃

acquirunt, ex quibus poſtmodum

MAGISTERIUM ♃

præcipitant, ad colorem mendacem uſurpandum; cui intentioni ultimo etiam

SAL JOVIS

famulatur, ex ipſo ſtanno, ante ad ſummum gradum calcinato, ope acerrimi aceti deſtillati extractus, qui eleganter albus, ſiccus, levis & in parvis aculeis exiſtens, cenſetur ingenuus. Pomata aliaque unguenta ingreditur, & ad impetiginem eſt utilis.

CAPUT XXIX.

DE

MINERIS SATURNI, PLUMBAGINE ET PLUMBO VULGARI, MINIO, CERUSSA, LITHARGYRIO ET SIMILIBUS.

§. 1.

PLUMBUM omnium metallorum molliſſimum eſt, & maxime fuſile, ſecundum aurum quoque graviſſimum. Quas proprietates multitudini partium ♃ialium, quibus præ cæteris præditum eſt, refert acceptas. Hinc inde purum putum ſ. apyron æque ac ſuis in mineris invenitur; illud vel durum eſſe ſolet, ut plumbum Polonicum, vel paulo mollius, ut Germanicum.

§. 2.

Non minus etiam plumbi mineræ in molliores durioresque diſtinguuntur. Illæ colore iterum diſtinctæ ſunt, cujus reſpectu in albam, rubram flavamque dividuntur, quarum ultimam nonnulli *Bley-Schwrif* vocant. Optima iſtarum eſt ſplendens minera, Latinis Galena & lapis plumbarius, Germanis autem *Glantz-Ertz* dicta, qua figuli ad incruſtanda fictilia utuntur, ab antiquis Latinis GALENA, & PLUMBUM MINERALE, à Gallis ALQUIFOUX nominatur. Valde ponderoſa minera eſt, quæ teri ſe facile, difficulter vero ſe fundi patitur. In diverſæ magnitudinis fruſtis illam è fodinis eruunt, quæ partim pura putaque, partim etiam ſabulo lapidibusque ſunt permiſta, quæque diffracta antimonii adinſtar ſplendent, ac colore etiam ſunt pallide nigra. Non quidem tanto periculo vendenda merx eſt, in ejus tamen venditione Materialiſtæ hac ſe cautione muniunt, ut omnia fruſta à figulis diffringi, poſteaque ſchedulam, animi iſtis contenti teſtem, ſibi dari curent, quo omnem vocandi in jus occaſionem præcidant, quam figuli alias facile arriperent, ſi forte ejusmodi invenirent fruſta permiſta, quæ fictilia, incruſtandaque vaſa poſſent corrumpere. Cæterum fruſta majora, eaque ponderoſa & tactu pinguia quaſi teneraque deprehenſa, ſquamas etiam pulchre ſplendentes habentia, quæve ſimilitudine biſmuthum fere exprimunt, cenſentur optima. Quæ contra fruſta multum ſabuli lapidoſique continent, ac multa duraque plumbi minera ſunt permiſta, nec quicquam proſunt. Dura vero & ſabuloſa plumbi minera plerumque non adeo gravis eſt, atque priores, ſed multo durior, diffracta quoque murina apparet, & valde dure granulata. Bonitate igitur longe inferior eſt reliquis, quam figuli inſtar incendii vitant, tanquam rem operis ſuis nocivam.

§. 3.

His plumbi mineris etiam annumeranda venit

PLUMBAGO (*Waſſer-Bley*)

vocata, & CERUSSA NIGRA, ab Exteris CRAYON & POTELOT: nihil aliud eſt, quam lapis Molybdites, à *Cæſalpino* optime deſcriptus. Veteres PLUMBUM MARINUM nominarunt, quod ex fundo maris putarunt erui. Enimvero quotidiana experientia teſtatur aliud, dum hinc inde in fodinis reperiunda rectius pro plumbi habetur minera, quam exteri, præſertim Itali, crudam à Germanis emunt, nobisque iterum divendunt in ceruſſam delineantem aptatam. Utraque duplex eſt, fina & vulgaris. Fina ſ. electa levis, nigra & quaſi inargentata, ſplendens, compreſſa, non granulata, in mediocribus fruſtis, ſed tamen longa, tenera, facileque ſciſſilis, ac propterea nec dura neque nimis mollis ſit; iſta enim plumbago, ex qua longiſſimus ſtylus delineans poteſt ſcindi, omnium maximi æſtimatur, ejusque pretium pro mercatoris intenditur beneplacito, quoniam ab architecturæ militaris civilisque magiſtris ac pictoribus valde quæritur: plerumque ex Anglia venit. Vulgarem contra Batavi in alias regiones transmittunt, quam Norimbergenſes omni ſtudio per artem imitantur, quanquam, ingenue conſitente Norimbergenſium Materialiſta *Marxio pag.* 78. *Mater. Muſei*, fundamentum iſtos adhuc deſtituat, & ſaltem ad terendas pulchras tabulas uſurpetur. Ahenarii terendo antiqua ferramenta expoliunt, quo pro novis poſſint diven-

divendi; quem tamen dolum digiti facile detegunt, qui illorum attactu tinguntur; vel etiam aqua super illa fluere permittitur, quæ plumbaginem continuo detergit, dum nihil fere hoc metallo citius aquam recipit. Optima est, quæ in integris adhuc frustis consistit, nec ullas scorias, nec lapides, nec alias quascunque sordes continet, quando diffringitur. Ceterum nulla refert, durane an tenera sit, granaque crassa habeat an parva. Ejus etiam pulvis habetur, qui tamen ab indigenis honestisque hominibus emendus, aliarum quippe admistione rerum facile adulterandus. In Medicina, ut reliqua Saturnina, in externis saltem manantibus ulceribus, erysipelate & gangræna usurpatur, de quo vid. *Hoffmannus in Clav. Schræd. pag.* 243.

§. 4.

Ex his supra descriptis plumbi mineris, præsertim prioribus, ipsum plumbum fusione præparatur, quod vel repetita despumatione, vel sapone aliaque pinguedine depurgatum, certis formis infunditur, in plumbi massas & canalibus aptum plumbum diversæ magnitudinis gravitatis redigendum, quod tunc pluris æstimatur, quando scissile, eleganter album ac splendens est. Spuma vero, ab illis, qui plumbum præparant ac depurgant, vel sclopetorum globulos aliaque exinde conficiunt, Materialistis transmissa, sub nomine cinerum Saturni, vel spumæ plumbi figulis divenditur.

§. 5.

Supra dicta plumbi minera *Glantz* pulverata, fortique igne calcinata, primum evadit OCHRA PLUMBARIA FACTITIA, s. *Bley-gelb*, qui pictorum color est; deinde vero continuata ustione exsurgit

MINIUM (*Menning.*)

quod alii hucusque ex ipso plumbo peculiari methodo putarunt confectum, quum tamen exiguum & facile ferendum pretium aliud potuisset docere, id quod potius fidem facit, minium non æque ex fuso plumbo, quam ejus minera esse exustum, præsertim quum plumbum etiam in fortissimo igne non æque rubescat, ac plumbi minera, ut *Pometus* in *Hist. Simplic. Gen. Part.* 1. *cap.* 71. *pag.* 43. pluribus ostendit. Nullo in loco Germaniæ pulchrius teneriusque quam Norimbergæ præparatur, ac duæ tantum in S. Romano Imperio perhibentur esse officinæ, ut *Marxius* in *Mat. Museo pag.* 130. memorat. Equidem in Anglia quoque copiosè præparatur, in Galliam aliasque Regiones avehendum, sed valde crassum est. Optimum Minium colore est saturatum, & quoad ejus fieri potest, purum, maximam partem pulveratum. Probe etiam attendendum, ne lotum sit, id quod ex albescente colore, minoribusque massis apparet. Sortes igitur accuratè dignoscendæ ac distinguendæ sunt, quarum finam Materialistæ habent, mediocrem ac interdum vilissimam. Omnes à pictoribus figulisque ad incrustationem rubram usurpantur. In Medicinâ verò aliquot unguenta & emplastra exinde præparantur, inprimis Emplastrum de Minio & magni habitum emplastrum Norimbergense, ex Minio, oleo rosarum & camphora constans.

§. 6.

Ex ipso plumbo primum fit pulvis plumbi, non vulgari officinarum modo præparandus, in quibus plumbum minutim limatum mortario inditur minutissime contundendum: quin potius in fictili aut ferreo vase solvi & liquari, istique minutim contusos carbones misceri, ac postmodum denuo ablui curandum. Hoc modo vel centenarium plumbi pondus citius in pulverem redigitur, quam una uncia in mortario. Non adeo in usu est, præterquam quod figulorum incrustationi conducat. vid. *Pometus l. c.*

§. 7.

Facilius vero plumbum ustum pulveratur, qui pulvis

PLUMBUM USTUM

in officinis dicitur. Quem in finem tenues plumbi laminas sumunt, ex quibus cum sulphure communi in olla faciunt S. S. S. quod exustum puniceus evadit pulvis, sæpe abluendus probeque siccandus. Exsiccantia unguenta & emplastra interdum ingreditur.

§. 8.

Deinde etiam

PLUMBUM FOLIATUM ALBUM

(*Schiefer-weis*)

ex fuso plumbo præparatur, quod scilicet in tenuia cuditur folia, ita deinde, ut ne unum alterum attingat, convolvenda, ac in olla, in qua bonum acetum sit, parvis baculis imponenda, quæ tandem cum repleta ac bene operta olla, in fimi acervo condita, triginta dierum spatio custodiuntur, quo elapso tempore olla eximitur, in qua ab aceto ita exesum corrosumque apparebit plumbum, ut prorsus sit friabile, totumque albescat. Simul ac exempta hoc modo præparata folia sunt, in frusta discerpuntur in aëre siccanda. Ista decet esse eleganter tenera, externe interneque candida, ac frustis constare selectis: dedecet contra nigris segmentis, præsertim quibuscunque exiguis sordibus, defœdari. Usus vero pictoribus ac parietum dealbatoribus, qui cum oleo vel aqua ex ejusmodi plumbo faciunt colorem, præcipue notus est.

§. 9.

Quod modo jam dicto præparatum plumbum foliatum s. scissile, si vel in mortario, vel aptata mola contusum, cum aqua in massam, & certis in formis in parvas placentas vel conos redactum, exsiccatur,

CERUSSA sive *Bleyweiß*

dicitur. Plerumque quidem in cœrulea chartâ

rò è Batavia Angliaque venit, optima tamen ingenuaque Venetiis fertur, Veneta propterea vocata, dum Veneti fere primi fuerunt iſtius mercaturæ auctores. Interea tamen, quoniam hæc ultima ob inſigne pretium perrara eſt, nec facile habetur, Materialiſtæ communiter Batavorum ceruſſam divendunt, quam pictores æque fere amant atque Venetorum, licet cum oleo vel aqua ſubacta albedinis non adeo tenax ſit, quoniam permultum cretæ continet. E contrario Veneta ceruſſa, alterius cujuscunque rei prorſus expers, colorem ſuppeditat durantem. Qui igitur aliquod ex ceruſſa medicamentum, ut ſaccharum ♄ aut ſimile præparaturi ſunt, nullam, præterquam Venetam, ſumant, aut loco præparatæ ceruſſæ crudam molaque tritam, eamque à conſcientioſis & nobis notis hominibus emtam, quum & iſta multifariam poſſit adulterari. Batavi ſaltem id, quod è ceruſſa in fruſta diffringenda ſub pulveris farinæque facie decidit, ad conficiendam ſuam ceruſſam recipiunt, quod cum non ſufficiat aut valeat ad eam præparandam quantitatem, quæ hinc inde conſumitur, aliquam cretæ albeſcentis ſpeciem iſti perhibentur miſcere. Anglica vilior æſtimatur, quoniam plus admiſtum cretæ eſt, id quod *Pometi*, Gallici Materialiſtæ, de utraque judicium eſt, in *Hiſtoire des Drogues Part.* 3. *Lib.* 1. *cap.* 73. *pag.* 45. Bonæ eſſe notæ judicatur, quando intenſe alba, tenera, dura tamen vereque ſicca nec ſciſſilis eſt; quæ enim facile diſcedit, aut aliis inquinata ſordibus eſt, abjiciatur, quoniam non ſufficienter exſiccata fuit, antequam convaſaretur. Nunc in Gallia quoque ac Norimbergæ præparatur, teſte *Marxio in Mater. Muſ. pag.* 78. Cæterum non pictoribus ſolùm ac parietum dealbatoribus, ſed Medicis quoque, Pharmacopolis ac Chirurgis ad varia exſiccantia ſanantiaque unguenta & emplaſtra v. g. ungu. camph. alb. empl. album coctum, de ranis c. & ſine ♀ &c. valde conducit atque uſitata eſt.

§. 10.

Ex hac ceruſſa exiſtit

SANDIX,

qui ruber pulvis nihilque aliud eſt, quam calcinata ceruſſa, & colore uſuque cum minio valde convenit; quæ fortaſſe cauſa eſt, quamobrem quidam exiſtimaverint minium per calcinationem è ceruſſa præparari, qui tamen à verò multum abſunt, dum ceruſſa è Batavia, minium verò ex Anglia venit, hocque illa ſemper eſt vilius; quamobrem etiam ſandix rari uſus eſt, quia minium, minoris emendum, idem præſtat, quod ab illo ſperatur.

§. 11.

Quando verò ceruſſa minus fortiter in igne calcinatur, ſed blande ſaltem torretur, aliqui alii ab illa proficiſcuntur colores, vulgò

MASSICOTS ſ. MASTICHOTS

vocati, ut *Pometus l. c.* narrat; quanquam *Kunckelius Part.* 2. *Artû vitriariæ pag.* 53. alias deſcriptiones è cineribus ♃, Soda ſimilibusque conſtantes, in lucem ediderit. Batavi tres vel quatuor fere ſortes transmittunt, vulgarem, mediam & finam, easque colore diſtinctas, prout parum vel multum ignis ſuſtinuerunt. Si quando ceruſſa vel ſtanni calx parumper ſaltem in igne relinquitur, aliquantum flaveſcit, albumque Maſſicot vocatur: quæ diutius in iſto relicta, vere flava, flavumque Maſſicot evadit: Sin augetur ignis gradus, aureum acquirit colorem, unde etiam nomen obtinet. Hac methodo quarta Maſſicoti ſpecies poſſet haberi, ſi ceruſſa tamdiu in igne torqueretur, donec rubeſcat, qui tamen color nihil eſſet aliud, quam ſupradictus ſandix, ſive vulgare vermillon. Cæterum omnes Maſſicotos colores oportet eſſe graves, ex tenero tamen pulvere conſtantes, colore ſaturatos, prout ſpecies aut ſors requirit; picturæ famulantur.

§. 12.

Ultimò ex Saturno quoque originem habet

LITHARGYRIUM, (*Silberglette,*)

quod nihil aliud eſt, quam plumbum in ſcorias calcinatum, ex ſimilibus fruſtis foliisque, inſtar plumbi ſciſſilis albi, conſtans, iisdemque rubellis & friabilibus. Vel à natura præparatum è terra eruitur, quod tamen perrarum & fere ignotum eſt: vel igne præparatur, quando aurum aut argentum plumbo ſolet depurgari. Dantiſco, è Sueciaque & Dania venit, & fortaſſe etiam in Germania conficitur; unde *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues Part.* 3. *Lib.* 1. *cap.* 77. *pag.* 47. colligit Lithargyrium, à Materialiſtis vendi ſolitum, potius à plumbo in depuratione cupri uſitato oriri, quùm aurifabri generatum in purificatione auri argentique lithargyrium raro aut nunquam divendant, ſed de integro fuſione in plumbum redigant, quo poſthac denuo in ejusmodi laboribus utuntur, atque hac etiam ratione illud, quod fortè ex auro argentoque relictum fuit, recuperant. Quamobrem duæ iſtæ ſpecies LITHARGYRIUM AUREUM & ARGENTEUM non eam denominationis ſuſtinent rationem, quaſi hoc in purificatione argenti, illud in purificando auro fuerit uſurpatum, quæ multorum adhuc opinio fuit, ſed quoniam prius flavum, poſterius albeſcens apparet: qui colores ab igne proficiſcuntur, dum iſtud ipſum lithargyrium, quod primum albeſcens eſt, aut pallide flaveſcit, diuturniore fortioreque ignis examine aureum redditur, aut rubellum. Inde eſt, quamobrem alii iſtud ex ſolo plumbo ſciant præparare, quocum easdem habet qualitates. Optimum colore ſaturatum eſt, ac Dantiſcanum Anglico plerumque habetur melius. Parva tenuiaque fruſta craſſioribus ſunt meliora, quod magis calcinata vivaciorem habent colorem, faciliusque ſolvi ſe patiuntur. Alias multis rebus, non Medicorum ſolum exſiccantibus ac refrigerantibus unguentis emplaſtrisque, ſed figulo-

figulorum quoque incruſtationi, pictorumque vernici conducit, & ab infectoribus, pellionibus ſimilibusque uſurpatur. Quando vero œnopolæ iſtud ad edulcorandum vinum acidum adhibent, valde pernicioſus eſt abuſus, quoniam aliquid corroſivi ac virulenti fovet, quemadmodum non ſolum *Samuel Stockhuſius* in *Tract. de Lithargyrii fumo noxio*, hujusque *Appendice de Cato montano, von der Berg-Katz*, egregiè oſtendit, ſed etiam paucos ante annos flebilis experientia in Ducatu Würtenbergenſi comprobavit, in quem edulcorata lithargyrio vina arthriticam colicam aliosque periculoſos morbos induxerunt, ut in diverſis tum in lucem editis Germanicis ſcriptis, in ſpecie autem in *Diſſert.* noſtra *de Novellarum publicarum uſu in rebus Phyſico-Medicis*, ac in *Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec.* 3. *Ann.* 4. *Obſ.* 30. *pag.* 77. *ſeqq.* pluribus poteſt legi.

§. 13.

Quod tandem ad alia è Saturno Chymicè præparata medicamenta attinet, (quorum aliqua nonnunquam etiam Materialiſtæ divendunt,) SACCHARUM SATURNI maxime notum eſt, quod vel ex minio, vel ex plumbo ſciſſili & ceruſſa per repetitam ſolutionem coagulationemque cum aceto deſtillato præparatur. Num verò falſæ iſtæ cryſtalli à ſaturno, an ab aceto oriantur, de eo contentionis ſerra inter Doctores reciprocatur, ut apud *Hoffmannum in Clav. Schræd. pag.* 245. fuſius legitur. Optimum vere dulce, eleganter album, leveque ac in minoribus cryſtallis eſt, aquam plantaginis prorſus albam reddentibus. Interne externeque egregie refrigerat. Materialiſtæ & cryſtalliſatum habent & pulveratum, quod ultimum vilius eſt. In cella vel ſponte ſua, vel etiam in oleo terebinthinæ ſolutum, evadit BALSAMUM SATURNI, calida ulcera vulneraque tuto ſanans. In aquæ & aceti vini deſtillati partibus æqualibus ſolutum, loco lactis virginis & ad curandos faciei varos poteſt uſurpari, ſi iſtius ſolutionis aliquot guttæ inſtillantur aquæ, lavandæ faciei deſtinatæ. Ex illo quoque MAGISTERIUM SATURNI poteſt præcipitari, quando ♄ per deliq. inſtillatur, id quod eundem præſtat effectum. Notandum tamen, iſtud magiſterium, licet albo præditum colore ſit, inſtar aliorum metallicæ proſapiæ pulverum alborum, cutem non albam, ſed nigram reddere, ſiccumque propterea non eſſe uſurpandum. De reliquis vid. *Schrœderum* atque *Ettmüllerum*.

CAPUT XXX.

DE FERRO, CHALYBE, LAMINA ET MEDICAMENTIS MARTIALIBUS.

§. 1.

FERRUM valdè durum, crudumque ac difficulter liquabile metallum eſt, quod tamen tractari ſe patitur. In diverſis regionibus præſertim verò in Suecia & Germania copioſe invenitur, & non ſolum è minera excoquitur, ſed ſua etiam ſponte nonnunquam in terra fluit, atque è ferri fodinis purum vel granulorum excoctorum forma, vel inſtar maſſæ aut integrorum fruſtorum eruitur, cujus mihi transmiſſa particula eſt. In Norvegia præſertim purum ejusmodi ſpyrumque ferrum ſæpe dicitur inveniri, ut *Wormius* in *Muſeo ſuo pag.* 123. narrat. Imo teſte *Rulando* in *Lex. Alchym. pag.* 266. ejusmodi ferrea grana in nonnullis Styriæ fluviis inveniuntur.

§. 2.

Maximam partem verò è lapidibus & effoſſis ferri minetis excoquitur, qui plerumque fuſci ſunt, ferrumque æruginoſum repræſentant; quanquam optimus ac perdives ferri lapis etiam cœruleus ſit, puroque ferro prope accedat, vid. *Erckerus in Arte probatoria pag.* 83. Utraque in fluvio ab adhærentibus ſordibus purgantur, deinde in uſtrinis, in fornacibus accommodatis, ſub quibus ignis, mediantibus duobus ſollibus ab rotâ molari agitatis, ſufflatur, funduntur, donec fuſio inſtar liquefacti plumbi appareat: tum verò ſcoriæ deſpumantur, ſufflaminatisque ſollibus fornax infra ferreâ perticâ perfunditur: hinc fuſum ferrum, ignei fluminis adinſtar, in ſubtus facta longa foramina formasque fuſorias è foramine profluit, hocque modo in vulgò ſic dictas

MAGDALEONES,

Germ. *Gæſen*,

formatur, plerumque 6. vel 7. pedes longas, unumque vel dimidium craſſas. Si verò globos pro tormentis majoribus, fornaces, mortaria, pondera, ferraque teſſelata quaſi & cælata pro coquendis cruſtulis ac ſtriblitis fundere animus eſt, peculiares aptæque rebus formæ in arenâ aut ferrò fiunt, in quas fuſum fluere ferrum, aut majoribus cochlearibus ingeri curatur. Ubi ſciendum, eò elegantiora purioraque fieri fundenda vaſa, quò diutius ferrum in fluxu ſervatur; quando enim pro magdaleonibus rebusque aliis craſſioribus ſaltem XII horarum ſpatio in igne relinquitur, pro tenerioribus, quò elegantiora fiant vaſa, XV. vel XVIII. horas in fluxu ſit, neceſſe eſt.

§. 3.

Tales magdaleones poſtmodùm in molas ferrarias ſ. malleatorias (vulgò die Eiſen-Hämmer) vehuntur, ubi in uſtrinâ ſufflato à magnis ſollibus (ab aquâ agitatis) igne, porrò excoquuntur, quæ crebriori motu tractabiliores factæ, poſtmodum ſuper magna incude, mediante magno, ab aqua ſimiliter agitato, malleo in

PERTICAS FERREAS, *Eiſen-ſtäb* dictas, cuduntur, quô ipsô labore omnis terrea impuritas decidit, ipſum adeô ferrum limæ cæterisque laboribus aptatur. Si autem dentalia, vomeres ac lupulariorum perticas, quibus foramina in terram tunduntur, ſtatim deſideraveris, fabricæ miniſtri aderunt, iſtis rebus conficiendis apti.

§. 4.

Ex ejusmodi ferreis perticis poſtmodum ferreæ virgæ, atque ex his

FERREA FILA (*ciſerner Drath*)

à filorum ductoribus, in officinis ductoriis, componuntur, dum illæ primùm per majora foramina, deinde per minora ſunt trahendæ, prout filum vel craſſius, vel tenuius deſideratur, quod poſtea in magnos circulos convolutum divenditur.

§. 5.

Non minus è perticis ferreis ſæpius igneſcendis, variæ laminæ cuduntur, in magnis duplicatisque, aut minoribus ſimplicibusque bracteis conſiſtentes, ex quibus poſtea minoribus malleis tenues ſtannoque obductæ lamellæ, in Germaniâ (ubi inſignis illarum mercatura viget,) præſertim bonæ habendæ, cuduntur, à Laternariis uſurpandæ. In Galliâ confectæ lamellæ, quod facile rubiginem contrahunt, minoris æſtimantur, quam Germanorum.

§. 6.

CHALYBS

quoque multô melior in Germaniâ, quam alibi præparatur, ut etiam Galli novaculas, lancettas aliaque inſtrumenta Chirurgica è Germaniæ chalybe, eô præſertim, quem *l'acier de carne* vocant, conficere ſoleant: à quô etiam Damaſceni gladii oriuntur. Nullo autem alio modo quam crebriori ferri ignitione, ejusdemque in peculiaribus herbarum volatilium ſuccis extinctione ac refrigeratione præparatur; quamobrem etiam fabri ferrum ignitum equorum ungulis crebrius admovent, quô iſtarum recondito ſale volatili illius duritiem intendant. Alibi in Brabantia terram ſpecialem ad id negotium adhibere dicuntur, cujus portio mihi oblata fuit. Lugduni Batavorum machæropœum fuiſſe ſcio, quem dicebant indurandi artem à Carteſiô didiciſſe, propterea vulgo Carteſianum Cultrarium vocatum; bonæ quidem notæ novaculas aliaque inſtrumenta componebat, ſed magnô pretiô emenda. Teſte tamen *Rulando* in *Lex.* in Metania juxta montem Fuſtelberg naturalis è terra chalybs eruitur, quem *Paracelſus* ♂ marem, ferrum contra ♂ fœminam vocat.

§. 7.

Inter medicamenta à ferrô & chalybe oriunda,

LIMATURA ♂ (*Feil-Staub*)

primò memoranda, quæ omnium optimè ab iis opificibus, qui chalybem tractant, præſertim acuum confectoribus habenda, cujus bonitas hôc experimentô probatur: quæ candelæ admota ad medium usque ſaltem igneſcit, candelamque extinguit, pro inutili, tanquam ferrum habeat permiſtum, habetur, ut *Pometus* in *Hiſtoire general des Drogues Part.* 3. *Lib.* 1. *cap.* 17. *pag.* 10. oſtendit. Subtiliſſimè pulverata & in pollinem qs. impalpabilem redacta omnibus inde præparatis anteponenda eſt.

§. 8.

Ex hâc limatura ♂ autem facile præparatur

CROCUS ♂ APERITIVUS CUM SULPHURE,

quando æqualis pars ſulphuris addita igne bene deflagrare permittitur. Quem alii quoque ita præparant: Sumunt chalybis fruſtum, in officinâ bene ignitum, cui ſulphuris magdaleones admovent, unde chalybs inſtar butyri liqueſcit, inque ſuppoſitam aquam decidit, quem △ reverberii tamdiu faciunt igneſcere, donec ruber pulvis evadat. Alii limaturam auræ roriferæ exponunt, vel aqua pluviali humectant, quo rubigine conſumatur, crocusque ♂ aperitivus acquiratur; quod tamen multum requirit temporis.

§. 9.

CROCUS ♂ ADSTRIGENS

ſola ♂ calcinatione præparatur, & in officinis ferrariis, quibus magnâ copiâ adhæreſcit, gratis poteſt haberi. Chalybi quoque ac ferramentis, quæ fœminæ noſtrates ad complananda lintea ſæpe igneſcere curant, vulgò Biegel-eiſen dictis, obſervatur adhærere.

§. 10.

E Tincturis Eſſentiisque ♂ialibus hodie valde uſitata eſt

TINCTURA ♂ CUM SUCCO POMORUM,

tunc demum vera habenda, quando primò limatura ♂ cum ſucco pomorum Borsdorffianorum in loco calido infunditur, donec omnia inſtar atramenti nigreſcant: deinde ſuccus coctione in extractum redigitur, quod cum ſpiritu vini vel ℞ cochleariæ ſolutum Tinctura ſ. Eſſentia evadit. Cætera ♂ialia nempe ☉. ♂, ſanguinem ♂ ſ. ℞ cum terra foliata ♀ri, martem diaphoreticum ac ſimilia vide apud *Schræderum*, ejusque interpretes *Hoffmannum*, *Ettmüllerum*, & alios.

§. 11.

§. 11.

Usus & ialium in morbis chronicis, vulgò ab obstructione hepatis ac lienis deductis, hydrope, ictero, melancholia ventosa, puerorum, virginum ac mulierum cachexia, &c. valde comprobatus est, quamvis certus quidam Anglus, *Gedeon Harveus*, Libro *de Arte curandi morbos expectatione Cap. V.* ista vehementer exagitaverit, quem alii Doctissimi Medici ipsaque experientia sufficienter refutant.

CAPUT XXXI.

DE

FLORE FERRI.

§. 1.

FLOS FERRI (*die Eisen-Blum*) apud paucos adhuc Materialistas & Pharmacopolas reperitur, sed in quorundam saltem curiosorum Musеis sistitur videndus; quanquam optandum esset, ut nobis redderetur notior, quem speramus diversis in morbis medicinam fore præstantem. Nihil aliud est, quam mineralis, nivei & nonnunquam argentei coloris lapis, in fodinis è quibusdam mineris, præsertim ferri lapidibus in altum excrescens, & vel teneros ramusculos, coralliorum fruticem, decerptas crystallos, vel alias figuras repræsentans, quemadmodum à *Beslero* in *Gazophylacio fol.* 8. & à *Cæsareæ Curiosorum Societate* in *Miscell. Acad. Nat. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 6. *pag.* 297. depingitur.

§. 2.

Iste prædictus flos inprimis in Styriâ, superiori Austriæ finitima, crescit, & quidem juxta pagum, propter ubertatem ferrariorum, Ferri Mineram dictum, in cujus fodinis hic ferri flos copiosè invenitur, indeque curiosis transmittitur, qui eo est jucundior meliorque, quo magis albescit & pellucidus est: opacus contra aliisque mineralibus rebus permistus, est ingratus visui.

§. 3.

Quâ verò ratione generetur ac progerminet, & ex qua materiâ constet, de eo discrepant auctores. Loci incolæ testantur ferri florem è peculiari aquâ, è terra ac parietibus ferrariarum exstillante, atque continuo lapidescente generari. Unde verò aqua istam vim habeat, ab aliis rem accuratius introspicientibus postmodum manifestatum est, qui animadverterunt, omnes ferri venas isto in tractu à duro lapide calcario tegi, qui aquam pluvialem niveamque, se quasi restinguentem ac recludentem, absorbeat, istique tantam acrimoniam communicet, quo postmodum ad penetrandos ferri lapides valeat, è quibus deinde à terræ vaporibus vique aëris elastica protruditur, in ejusmodi florem figuranda. Et quoniam ista aqua per angustos terræ porulos prius quasi percolata est, flos inde resultat crystalli gemmarumque ad instar pellucidus, non tamen adeo durus, sed ut lapis calcarius, nonnunquam friabilis ac molliculus.

§. 4.

Ex quibus apparet, ferri floris originem prædicto calcario, quam ferri mineræ, verius adscribi, præsertim quum clarissimum supra laudatæ *Societatis Naturæ Curiosorum* membrum, *D. Oehmbius*, multis experimentis, in memorata aqua lapidescente æque atque in ipso ferri flore institutis, omnia ea observaverit, quæ clarissimus Gothanus Archiater *D. Ludovici*, per varia experimenta Chymica, è calce deduxit, in *Miscell. Acad. Nat. Cur. Dec.* 1. *Ann. VI. & VII. obs.* 244. descripta. Interim haud diffitendum est, aliquid quoque ferri in isto esse reconditum, id quod mediante magnete facile ostenditur, ipsiusque vi adstringente confirmatur.

§. 5.

Nec tamen propterea est, quamobrem internum ferri floris usum detestemur, quum notum sit, ipsum quoque calcis vivæ decoctum à Clarissimo *Willisio* aliisque in desperatis morbis interne feliciter fuisse usurpatum: ob quam causam etiam *Hæserus* in *Hercule Med. Lib.* 3. *cap.* 5. *pag.* 169. ferri florem in omnibus hæmorrhagiis, præsertim vero in dysenteria internè usurpandum, vehementer commendavit. Imo celeberrimus Augustanorum Medicus *Dn. D Welschius* in *Obs. Phys. Med. Hecat.* 1. *obs.* 37. testatur, quoties semidrachmam aut scrupulos duos pulverati aut etiam calcinati ferri floris in dysenteria dederit, curam semper felicem habuisse eventum.

§. 6.

Multò tutior externus ejus est usus, in omnis generis scabie, malignis ulceribus, aliisque læsionibus cutis, quod valdè exsiccantem sanantemque vim habet, ac propterea in omnibus istis casibus, in quibus alias aqua calcis vivæ commendatur, potest præscribi. Nec dubito, quin propter colorem eleganter albescentem gratum fœminis colorem fucatum suppeditet, quum flos ferri multum elegantior & fere etiam tenerior sit, quam Magisterium Marcasitæ, ad dealbandam faciem alias decantatum.

CAPUT

CAPUT XXXII.

DE

MARCASITA, BISMUTHO ET ZINCKO.

§. 1.

MARCASITA nihil eſt aliud, quam immaturum, mercuriale & valde fuſile metallum, diverſi quidem coloris, utplurimum tâmen flavi. Ab aliis vulgo *Bismuthum* vocatur, quod tamen nominis à quibusdam ſaltem maccaſitæ è ſtanni fodinis erutæ imponitur, ut ex *Pometi Hiſtoire des Drogues Part.*3. *Lib.*1. *cap.*6. *&* 25. apparet.

§. 2.

Quemadmodum quodvis metallum propriam habet marcaſitam, ita facile conjicere licet varia iſtius dari genera, idque eo magis, quoniam quodvis fere ignotum metallum pro marcaſita vult haberi. Apud Materialiſtas nonnunquam varia invenitur, cæſia, nigra, flava, vel in rotundis, quadrangulis ac depreſſis fruſtis. Plerumque duas vel tres ſpecies habent: 1. MARCASITAM AUREAM (*Gold-Kies,*) ex parvis, rotundis, valde ponderoſis, nec facile friabilibus globulis conſtantem: 2. MARCASITAM ARGENTEAM, ſimili fere modó figuratam, ſed tamen minus tinctam, & 3. ex ♀ minera provenientem, ex magnis globis, inſtar pilæ, plerumque tamen inæqualibus, nonnunquam etiam oblongis fruſtis conſtantem. Quæ ultima marcaſita valde quidem dura eſt, facile tamen humido in loco poſita dilabitur, ab eaque humiditate, qua penetratur, ſolvitur in vitriolum

§. 3.

Præterea alia adhuc ♀æ marcaſitæ habetur ſpecies, Latinis

PYRITES,

Gallis MONDIQUE vocata. Panderoſus cæſiusque lapis eſt, flavis ac ſplendentibus maculis venisque ornatus, ex quo ſimiliter vitriolum præparatur.

§. 4.

Omnium notiſſima eſt

Jovis marcaſita, ſive

BISMUTHUM,

quod alias quoque *ſtannum cinereum*, à Gallis *L'étain de glace*, Germanis *Wismuth*, & κατ' ἐξοχὴν præ aliis marcaſita in officinis vocatur, quod cæteris omnibus pulchritudine bonitateque præſtat. Num verò ita naturàliter in jovis mineris inveniatur, prædicto Gallico Materialiſtæ *Pometo l. c.* valde videtur dubium, quod omnes ac ſinguli Materialiſtæ, quibuscum vel per literas, vel coram ea de re communicavit, confitentur, Bismuthum, ut hodieque ſolet divendi, artificioſam eſſe miſturam ex ſtanno, tartaro ac ſale petræ. Angli aliquid ♀ris dicuntur addere, unde aliquantum rubrius aut flavius evadit, quod propterea prædictus Auctor pro Regulo Jovis vult haberi. Alii contra affirmant bismuthum in terra generari, atque è minera ſua vel vento ſufflato igne certis in patinis liquari, ut *Erckerus* in *Arte probat. Part.*4. *pag.*74. in figura æneâ oſtendit, atque *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 895. confirmat. Liquati igitur figura eam in opinionem deduxiſſe *Pometum* videtur, ut Regulum eſſe exiſtimaverit. Cæterum fruſtis eleganter magnis, albeſcentibus ac facile fragilibus conſtet, Reguloque ♃ii ſit ſimilimum.

§. 5.

Quod ad uſum marcaſitarum attinet, à Chymicis præſertim & Alchymiſtis quæruntur, inprimis verò aurea, quæ auri quaſi ſemen eſt, ut cæteræ marcaſitæ reliquorum metallorum: unde pro certo latentis metalli ſigno habentur. Communis marcaſita ſive bismuthum crebrius quoque á ſtannariis loco Reguli ♃ii uſurpatur, & in Medicina quædam externa medicamenta, ut coſmeticum ad dealbandem faciem, exinde præparantur, quod nihil aliud eſt, quam

MAGISTERIUM MARCASITÆ,

quod nonnulli etiam *Blanc de Perles* & *Blanc d' Eſpagne* vocant. Modus parandi hic eſt: Solvunt biſmuthum in ☌ ⊖ rectificato, præcipitantque poſtea aqua fluviali, non fontana, quæ ſolutionem reddit turbidam. Alii ſolutionem ♃♀ per deliq. præcipitant, indeque accipiunt COSMETICUM CLUVII, ad delendas quascunque faciei maculas, iſtamque dealbandam utile. Utrumque ita uſurpatur, ut pro pinguioribus perſonis cum aqua fabarum, pro macilentis cum oleo jaſmini vel pomada ſubigatur. Qui crines ſuppoſititios conſuunt, rubris crinibus iſto mediante colorem album vel cœruleum conciliant, in pluviâ tamen non durantem. Magna igitur copia non præparandum magiſterium, quod veteraſcens facile flaveſcit. Qui vero emunt, venditores quærant ingenuos notosque, quia ingens ſubeſſe fraus poteſt. Nonnulli ex

FLORIBUS MARCASITÆ

è calcinato, & cum ſale armoniaco ſublimato biſmutho præparatis, componunt. Qui flores aqua ſoluti, & cum ☌ ⊖ ☓ vel ♃♀ per deliq. præcipitati, ſimiliter album pulverem & magiſterium ſuppeditant, inſtar prioris uſurpandum.

§. 6.

§. 6.

Ultimo adhuc reſtat

ZINCUM ſeu ZINETUM,

alias quoque *Spauter* dictum, in quadrangulis craſſisque placentis, in quas depurgatum formatur, advectum. Copioſe circa Goslariam, unde vitriolum venit, invenitur, mineræque ſaturni ſpecies eſt, ſed multò durior, candidior, ſplendidiorque quam vulgaris. Quidam (inter quos *M. Charas* eſt) exiſtimant, zincum è plumbô & arſenicô cum ſale petræ ac tartaro præparari. Enimvero *Pometus*, ejus popularis, publice ejus impoſſibilitatem oſtendit, idque naturale ſed imperfectum eſſe metallum. Optimum eleganter album eſt, ac fruſtis conſtat magnis, non facile fragilibus. Quò diutius in igne fluit, eo pulchrius fit, quod ex minoribus ſtellulis in iſto videndis apparet, quando denuo fuſum in minora fruſtula formatur.

§. 7.

Hujus metalli magna copia ab ſtannariis inſumitur, poſtquam ſtannum iſto mediante, quàm limaturâ acuum, melius à ſordibus depurgari obſervarunt. Quidam exiſtimant, ad augendum ſtanni pondus iſtud addi: quod tamen minus ita eſſe exinde apparet, dum centenario ſtanni ponderi vix libram unam zinci addunt. Mirum verò adeo zincum purgare ſtannum, atque ſaturnus aurum, argentumque ac cuprum ſolet. Ærariis quoque conducit ac ferruminationi, præſertim bonum, quum pejoris notæ zincum totam ferruminationem impediat. Cupro aureum colorem conciliat, præſertim ſi aliquid curcumæ additur; cuprum quoque, haud ſecus atque arſenicum, cogit, ſi album cuprum eſt præparandum: aut ſicut lapis calaminaris cuprum in orichalcum mutat, ac vitriolum Hungaricum ferrum in cuprum tingit, quod *Pometus* ex *Act. Soc. Regiæ Londin. l. c.* bene obſervavit. De Præparatis ejus v. g. floribus zinci, vid. *Ettmüllerus l. c. pag.* 896.

CAPUT XXXIII.

DE

ANTIMONIO EJUSQUE PRÆPARATIS.

§. 1.

ANTIMONIUM, ut apud Materialiſtas invenitur, durum, ponderoſum ac fragile metallum eſt, inſtar plumbi nigricans, longis ac ſplendentibus ſtriis, rubellisque (ſi optimum eſt,) punctulis ornatum. Vulgò, ſed temerè, Antimonium crudum vocatur, quod neutiquam crudum è fodinis, ſed in maſſis & ita fuſis placentis, è minera ϑii ignis ope coactis, advehitur. Maximam partem è Gallia Germaniaque venit, poſtquam Hungaricum, quod optimum eſt, deſiit haberi.

§. 2.

Illa minera varia in forma reperitur, & plerumque ex nigris & aliquantum ſplendentibus mineralibus conſtat lapidibus; vel certæ arenæ aliisque lapidibus accreſcit, nonnunquam etiam pellucidos fluvios ſupra ſe habet metallicasque cryſtallos, ut *Ulyſſes Aldrovandus* in *Muſeo Metallico pag.* 188. in figuris oſtendit. Et quamvis *Plinius Lib.* 33. *cap.* 6. hanc mineram in marem ac fœminam dividat, ac poſteriorem credat eſſe optimam, *Pometus* tamen iſti differentiæ parum tribuit, tanquam à ſe nunquam viſæ, licet multum ϑii per vitam tractaverit, ut ejus *Hiſtoire generale des Drogues Part.* 3. *Lib.* 2. *pag.* 54. teſtatur. Id ſaltem obſervetur, ut gravis, dives, puraque ſit à ſabulo, quam etiam *Marxius* in *Material. Muſeo pag.* 27. putat eſſe optimam. Maximè verò eminet Hungarica, quæ auri dives, hodieque perrara eſt; habetur etiam in Germania ϑii minera, non contemnenda.

§. 3.

Ex ejusmodi mineris commune antimonii vitrum ita præparatur: Duo ſumuntur vaſa fictilia, quorum unum terræ infodi, ferreaque lamina, cochlearis deſpumantis adinſtar perforata, curatur operiri, cui deinde alterum, contuſa ϑii minera adimpletum, inverſum, ut pars inferior ſit ſuperius, imponitur, cincto utroque vaſe forti igne ſtillat antimonium in vas inferius, ibidemque in ejusmodi placentas conosque, ut affertur, concreſcit: interjecta vero lamina impedit, quo minus aliquid ſabuli aut lapidoſi tranſeat.

§. 4.

Uſus antimonii, vulgò crudi vocati, varius eſt, dum non ſolum in officinis fuſoriis, quò alia metalla ad puriorem fluxum rediguntur, adhibetur, ſed ad typos quoque Typographorum fundendos valde utile eſt. Non minus in veterinaria medicina, præſertim pro equis, pabulo miſtum uſurpatur, quo proleto ſudore morbo leventur, ut in *Actis Soc. Reg. Londin.* commemoratur. Num verò etiam hominibus propinari poſſit ac liceat, de eo magnum ſemper inter Doctores fuit diſſidium. Certum eſt ante ſeculum XII. internè non fuiſſe uſurpatum. Poſtquam vero *Baſilius Valentini* (Monachus creditus) exploratas

ejus virtutes in *curru triumphali* ☿ii adeò commendavit, usque eo innotuit, ut quidam Medici exinde pharmacopolium contra quoscunque morbos componere ſibi ſumant. In Gallia, præſertim Pariſiis, adverſis mirisque agitatum fatis eſt, ubi anno 1566. Parlamentum ☿ii uſum publicè prohibuit, Medicumque, cui *Beſnier* nomen fuit, anno 1609. Facultate excluſit, quod ſpreto interdicto iſtud uſurpaverat, donec anno 1637. re judicata reſciſſa, ſolis Medicis ☿alium uſus conceſſus fuit. Hodiè non multa ſolum præparata ſunt in uſu, ſed crudum etiam ☿ium ad decocta lignorum nonnunquam præſcribitur; quod etiam quidam in ſubſtantia ad aliquot grana, adverſus epilepſiam, pruritum cutis, lucmque ☽eam præſcribunt, ubi tamen majori cautione opus eſt.

§. 5.

Inter præparata ☿alia, quorum plurima quoque in Materialium Muſeis habentur, primum ſe ſiſtit

VITRUM ANTIMONII,

quod nihil aliud eſt, quam calcinatum & à venenoſo ſulphure liberatum antimonium. Nonnunquam è terrâ eruitur, ab ipſa natura præparatum, mihique ipſi minera ☿ ad manus eſt, in quâ vitrum ☿ii purpureum apparet. Quùm verò iſtud perrarum ſit, artificioſa fortique calcinatione ſub magno camino præparatur, ubi à venenoſo fumô ſibi diligenter caveant. Plerumque è Batavia venit, ubi magno iſtud apparatu præparant, vulgarisque opinio eſt, commune vitrum à Batavis fuſo miſceri ☿io, quo nigror ☿ii mutetur. Commune fuſcum eſt, in craſſis & tenuibus fruſtis: præter quod Chymici quoque purpureum, flavum aliterque coloratum ſciunt componere. In emtione eligantur depreſſa, ex rubro clara & pellucida fruſta, quibus nihil aut parum nigri, cæſii parvique interjectum ſegmenti eſt. Vomitus ſedesque promovet, noctu vino infuſum. Pocula quoque purgantia exinde conficiuntur, idque vel fuſione, aut quando craſſe contuſum recenti reſinæ inſpergitur, qua facti eum in finem lignei calices obducuntur. Belli tempore venenoſi inde globuli dicuntur confici, quorum unum, in Galli cujusdam ſclopeto inventum, in ratioribus meis cuſtodio.

§. 6.

Sunt, qui contuſum antimonium in Sole, mediante metallico, aut etiam vulgari, vitro cauſtico lentè calcinandum ſumunt, quô ipsô non venenoſum ſolum ſulphur ſeparatur, ſed per concentratos etiam unitosque ſolis radios quid præterea ipſi additur, ut ex pondere aucto colligendum. Hoc igitur modo ☿ figitur, ut magis diaphoreticum ac confortativum medicamentum evadat, quam emeticum, de quo *le Febure* in *Tract. de la Chymie Tom. 2. p. 996. & ſeqq.* fuſius agens, totam operationem in eleganti figura repræſentat. Quantum verò *Barth oletus* arcanum exinde faciat, apud *Ettmüllerum* in *Comm. Schræd. ad h. l.* poteſt videri.

§. 7.

Quando porro ☿ cum tartaro ac nitro calcinatum inque fluxum redactum, in calicem fuſorium, ſevo illitum, funditur, isque malleo tamdiu pulſatur, donec gravis metallica pars ſubſideat,

REGULUS ☿ COMMUNIS

acquiritur, rectè benequè præparatus judicandus, ſi ex eleganter ſplendentibus fruſtis, inſtar biſmuthi, conſtat. Sin verò in iſto elegantiam deſideraveris, de integrô cum nitro fundendus eſt, ac depurgandus. Vomitus ſedesque indiſcriminatim ciet, vino per noctem infuſus. Calices quoque exinde poſſunt confici, quibus per noctem infuſum vini vitrum, maneque potum, purgat. Alii in fabrica ferraria argenteos globulos, angulosque ac ſimilia exinde componunt, vino per noctem infundenda; non minus pilulas perpetuas habent ex iſto factas. Angli olim ſtanno permiſcuerunt, cujus loco nunc temporis biſmutho utuntur. Quando nitri loco ſal culinaris cum tartaro ſumitur, REGULUS ☿ii MEDICINALIS inde reſultat, cujus veram deſcriptionem in *Vigani Medulla Chym. pag.* 20. invenies. Sin vero limatura, aut clavi ungulares ☉ & ☿io adduntur, REGULUS MARTIS STELLATUS prodit, qui eò elegantiorem ſtellæ ſplendorem acquirit, quo diutius in igne detinetur, iſtoque mediante ſplendentes ☿ii ſtriæ magis protruduntur ad marginem. Quemadmodum cum aliis metallis reguli ſint præparandi, in *Schrædero ejusque Interpretibus* invenies.

§. 8.

Iſtis regulis in pyramide ſive calice fuſorio inſident ſcoriæ, ex quibus

SULPHUR AURATUM ANTIMONII

præcipitatur, ſi quando ſcoriæ in aqua bullitæ, aceto præcipitantur, ubi poſt vehementem fœtorem pulvis ruber ſubſidet, ratione coloris *ſulphur antimonii auratum* vocatus, eoque melior habendus, quò crebrius eſt præcipitatus. Sudorem pellit, & quando ad ſummum evehitur, epilepſiæ, à grano uno ad tria, medetur, de quo vid. *Ettmüllerum* in *Valetudinar. infantili Tit. de Epil.* Ex ſcoriis quoque TINCTURA ☿ii præparatur.

§. 9.

Quando verò cum æquali nitri quantitate permiſtum ☿ium ſtatim inflammatur, ac detonatur,

HEPAR ANTIMONII

acquirimus, ſive pulverem colori hepatis haud diſſimilem, qui ſæpius aquâ tepidâ ablutus, à nitroque liberatus, & ita edulcoratus, inſtar croci flaveſcit, propterea que

CROCUS METALLORUM

vocatur. Ex cujus infuſione vina emetica, Aqua

Bene-

benedicta Rulandi, Tartarus emet. M. similiaque Medicis haud ignota emetica præparantur, de quibus vid. *Ludovici Pharm. Mod. Sec.* applicanda, *Tit. de Vomit. Min.* Ad semiunciam equis infunditur, basisque est Pulveris Imperialis dicti, pro equis, de quo *Soleyselius* agit in *Tract. le Parfait Mareschal*, sive *de cura equorum.*

§. 10.

Tres nitri partes pulvere ♃ii mistæ, & vel semel, vel successive detonatæ, provenire faciunt

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM,

medicamentum sudoriferum præstantissimum, eo melius adhuc habendum, si loco antimonii vulgaris Regulus recipitur; tunc vero vocatur CERUSSA ♃ii. Utrumque bene edulcoretur, tum verò ex aqua ad edulcorandum usurpata ☉ ♃atum habemus gratis, id quod etiam in præparatione croci metallorum est observandum.

§. 11.

Quando ♃ium sine additamento è cucurbita vel olla in superimpositum alembicum sublimatur,

FLORES ANTIMONII

acquiruntur, quibus histriones ad ciendos vomitus non sine summo vitæ periculo utuntur, novique empiricum, qui istis mediantibus epilepsiam perfectè curat, multis etiam mortem accelerat. Ordinariè ad gr. iij. datur.

§. 12.

Tandem ♃ium cum ☿io sublimatum primum BUTYRUM ANTIMONII præmittit, ad excitandos fonticulos utile: deinde

CINNABARIM ANTIMONII

sistit, in eleganter magnis rubrisque (minime nigrescentibus) frustis, ac splendentibus striis exornatis: illam vero aliquoties decet sublimari. Elegans medicamentum est diaphoreticum & nervinum. Aliquid etiam mercurii sublimati hac operatione acquiritur, de quo alibi dictum fuit. Butyrum ♃ii, in aqua solutum, præcipitatione evadit MERCURIUS VITÆ; affuso autem ☉, eoque ab se abstracto, dimittit BEZOARDICUM MINERALE adeò desideratum, vel dimidia saltem dosi æque bonum ac ♃ium diaphoreticum. Remanens aqua evaporata dat ☉l. Philosophicum. Quæ præparata in Pharmacopolarum taxis tam magni æstimata sunt, ut unus Imperialis in emtionem ♃ii insumtus ferè centum Imperiales lucretur, ut *Dan. Ludovici* Tract. *de Moderatione Taxarum* factâ supputatione ostendit.

CAPUT XXXIV.

DE

MERCURIO ET CINNABARI.

§. 1.

ARGENTUM VIVUM valde ponderosus, fluidus ac volatilis metallicus succus est, instar nitentis argentei fluvii apparens, unde Græcè Hydrargyrum, ob inconstantiam vero in igne Mercurius vocatur. Hodie maximam partem ex Austria & Hungaria per Bataviam venit, in utribus coriaceis, ex pellibus ovillis constantibus, iisque ligneis vasis munitis, ita ut relictum spatium scobe aut stramine, minutim inciso, impleatur. Prorsus igitur à verô alienum est, quod nonnulli existimant, argentum vivum, quò commodius alias in regiones vehatur, ferè omne in cinnabarim mutari, atque ex hac postmodum resuscitari, ac fusione pristinam recuperare faciem. Siquidem 1000. ℔. argenti vivi totidemque præparatæ cinnabaris fere citius aliorsum vehuntur, quam 50. ℔. cinnabaris crudæ, ac Batavi ☿ facilius coagulare, quam in cinnabarim mutare poterunt, si, ut est Natura, non posset transportari.

§. 2.

Mercurius vel ita purus ac fluidus in fodinis invenitur, ☿ VIRGINEUS dictus, purissimusque habitus; quanquam is quoque Mercurius, qui è cinnabari artificiali, aut aliis præparatis Chymicis resuscitatur, ☿ RESUSCITATUS vocatus, bonitate isti proxime accedat: Vel etiam è propriis suis mineris eruitur, utplurimum rubescentibus, qualem ego possideo, aut aliquantum cæsiis, striis splendentibus præditis, ♂io haud dissimilibus. Talis in duabus saltem totius Europæ regionibus, Hispaniâ nempe ac Hungaria dicitur inveniri. In Hispaniâ quidem optimum argentum vivum eruitur, quod argentum perhibetur inaurare, magni propterea ab Alchymistis æstimatum: sed valdè rarum est & difficulter habendum, quoniam Regis mandato cautum est, ut ne alia in regna vehatur, præterquàm in Indiam, ubi ad separationem ac purgationem auri argentique usurpatur. Quamobrem ferè omne ex Hungaria & Transilvaniâ venit, ubi in Histriâ, quæ quinque milliaribus abest Labaco, in confinio Venetorum, adeò dives habetur minera, cujus quatuor pondera centenaria tria centenaria ☿ii ac cinnabaris suppeditant, ut *Marxius* in *Mater. Museo pag.* 28. commemorat. Hujus fodinæ reditus, ad sacram Cæsaream Majestatem pertinentes, annuatim ad aliquot milliones accrescunt, & quoniam Ba-

tavi illam conductam poſſident, ſibique monopolium conſtituerunt, pretium iſtius ſentimus auctum.

§. 3.

Inter ſigna quibus ☿iales venæ deteguntur, præcipuè craſſus vapor obſervandus eſt, in Aprili Majoque menſibus, ſummo mane, brevi ſuper terram ſpatio videndus, ac propter gravitatem ſuam neutiquam altum petens. Iſtis in locis tum inquirunt montani, vaporibus maxime Aquiloni obviam euntibus, multumque circa ſe habentibus aquæ. Effoſſam mineram magnis ferreis retortis indunt, indeque ☿ium in alia, aqua repleta, excipientia deſtillant, aut in duas ſibi impoſitas ollas per deſcenſum. Exceptus ☿ius per corium cogitur, hac ratione à ſordibus ſuis depurgandus.

§. 4.

Hoc modo præparatum ☿ium pulchrum, album, purum, rectèque vivum ac inſtar aquæ limpidæ fluidum eſſe oportet. Qui verò in ſcutella cuprea inſtar plumbi & opacus apparet, & quaſi pinguis eſſet, trahitur, aut manibus adhæret, in iisque in rotundos globulos formatur, abjiciendus eſt, quoniam vel dolo, vel ſponte cum plumbo miſtus, ſpeculariis, aurifabris aliisque, qui iſtum ad inaurandum ſimiliaque maxime adhibent, magnum poteſt afferre damnum. Ejus bonitas deſtillatione, aut evaporatione in cochleari argenteo ſuper igne detento probatur; ſi illic omnis aſcendit, hicque flaveſcentem relinquit maculam, habetur bonus: ſin vero poſt deſtillationem ſedimentum, poſt evaporationem nigram maculam relinquit, adulteratus eſt. Nonnulli ☿ii bonitatem pondere explorant, quo ſecundum aurum omnia alia metalla antecedit, adeo, ut ferrum 50. ℔ pondere, iſti ☿ii quantitati, ex Batavia advehi ſolitæ, & forte 160. vel 125. libras pendenti, impoſitum, non ſubſidat, ſed tanquam lignum aquæ innatet. Quorundam Mathematicorum ſupputatione pes ☿ii quadratus pendet 947. ℔. pes contra aquæ ſaltem 62. ℔. id quod æneo cavoque cubo, quo Philoſophi Experimentales in pendenda aqua utuntur, unicuique perſpicue poteſt demonſtrari. Eruditi qui uberius ea in re volunt informari, clariſſimi Batavi Philoſophi *Burch. de Volder Diſput. de Aëris Gravitate pag. 55. & ſeqq.* evolvant, ſub cujus finem proportionem ☿ii, & aquæ gravitatis invenient.

§. 5.

Præter uſum modò memoratum, quem ☿ius ſpecularii, aurifabris aliisque præſtat, multum quoque utilitatis affert medicinam facientibus, dum non multa ſolùm præparata, infra pluribus memoranda, exinde conficiunt, ſed crudum quoque ☿ium internè æque ac externè adverſus quosdam valde pertinaces morbos uſurpant, nullis fere aliis mediis levandos. Quanquam inter auctores non conveniat, frigidæne an calidæ naturæ ☿ius ſit, quorum tamen prius vero ſimilius eſt, quod ☿ius etiam extrinſecus adeo refrigerat, ut manus in iſto per horæ quadrantem teneri nequeat. Interne quidem magna in quantitate ſæpe in paſſione iliaca ſ. miſerere mei aſſumitur, ut etiam *D. Erbenius*, olim Regis Poloniæ Archiater & Medicus Caſtrenſis, poſtea Phyſicus Spirenſis, aliquando 3. libras propinaverit, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd.* commemorat. Æger vero in hypocauſto hinc inde volvendus eſt, quo ☿ deſcendat & egeratur, detentus enim varii mali exiſtit occaſio. Cum ſaccharo vulgari quoque in mortario ligneo tamdiu teritur, donec ſaccharum nigreſcat: aut aqua communis vel hyperici affunditur, ſine ☿io infantibus ad enecandos lumbricos propinanda, quibus æque atque omnibus ejusmodi beſtiolis, utpote pediculis, tam communibus quam iis, qui loca ſecreta crinita amant, cimicibus &c. exiſtit venenum; cujus etiam in unguento pediculorum maxima vis eſt. Externè crudus ☿ius in Luis Gallicæ cura per ſalivationem uſurpatur, cum pinguedine porcina ſubactus, inque loco calido artubus tritu applicandus, quam methodum à clariſſimo Anglorum Practico *D. Sydenhamio*, in peculiari *epiſtola de Cur. Luis Venereæ*, præ ceteris breviter, ingenuè & perſpicue deſcriptam, ipſe Argentorati in Noſocomio bene feliciterque vidi eveniſſe. Similiter omni ſcabiei conducit, ſed in minori quantitate, & in cingulum ex panno molitorum albo teritur, CINGULUM MERCURIALE vocatum, circa corpus geſtandum. Utrobique tamen magna cautione opus eſt, de qua lege ſis *Hoffmannum* in *Clavi Schræd. pag. 263.* Naturæ ſcrutatores iſtum quoque Barometris indunt, ad aëris gravitatem tempeſtatemque bonam vel malam explorandam, quæ Anonymus Gallico *Tract.* & in *Diſput. de Barometris Dn. Profeſſ. Hambergerus* eleganter deſcripta depinxit.

§. 6.

Quæ vires omnes etiam ☿io ex cinnabari reſuſcitato veniunt adſcribendæ; & quoniam multo purior meliorque eſt communi, à Chymicis ad præparationem ☿alis panaceæ, κρυσταλλου resque alias præfertur. Cinnabaris autem duplex eſt, nativa & factitia.

CINNABARIS NATIVA

ſpecies mercurialis mineræ eſt, ex rubro, ponderoſo ac ſplendente lapide conſtans, quem ipſa quaſi Natura è mercurialibus ſulphureisque vaporibus, per ignem ſubterraneum ſublimatis, & cum ſemine lapidifico unitis, generavit. Copioſe in Hiſpania invenitur, diverſisque Galliæ & Germaniæ locis, ut Alzejæ in Palatinatu, Marburgi Cattorum, in Hungaria & alibi, ubi tempore hyberno nix rubeſcit. Prout plus minusque lapidoſi durique ac indigeſti circa ſe habet, melior habetur vel deterior; quamobrem apud Materialiſtas diverſa invenitur, vel lapidoſa, vel pura in granis, quæ ultima ita per ſe tundi

di terique potest, cum prior multâ purgatione indigeat.

§. 7.

Optima est genuina Hispanica nativa, colore saturata, ac eleganter splendens, lapidumque expers. In cujus defectu alia pura, inprimis Hungarica, quæ auri habet naturam, potest usurpari.

§. 8.

Ex ista quibusdam in locis, mediantibus duabus ollis, mercurium solent per descensum destillare. Num etiam internè tutò possit usurpari, de eô nonnulli, ut *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 291. dubitant, quod tamen dubium alii jamdum solverunt, ipsaque Praxis testatur, in convulsionibus aliisque nervosi generis morbis, artuum uterique doloribus istius non contemnendum esse usum, præsertim bene lotæ ac depurgatæ. Istam verò per crebriorem sublimationem præsumere depurgandam, rem esse magis noxiam quam utilem, *Schulzius* in *Triga Cinnabar.* pulchrè ostendit. Id saltem demus operæ, ut ne in formulis salia isti permisceamus, quæ mercurium latentem acuendo, quasi ☿♎ efficiunt, id quod atrocia tormina aliaque incommoda inducere aptum natum est. Externè nonnunquam unguenta & emplastra ingreditur. Quæ verò alias ex ista præparentur medicamenta, & in quibus hæc conveniant morbis, *Clauderus* in suo *Invento Cinnab.* ex eoque *Tillingius in Scrutin. Cinnab. min.* fusius ostendit.

§. 9.

CINNABARIS FACTITIA

per artem ex mercurio & sulphure conficitur, quando nempe duæ partes ☿ii bene depurgati cum una parte pulchri, compacti flavique sulphuris, in ollâ incrustatâ leniter fusi, incorporantur, & gradatim sublimantur: vel quando ☿ aqua forti ante solutus, cum sulphure misceatur, postea aqua destillando abstrahitur, & quod reliquum est sublimatur, qui duo modi à *Lazaro Erckero* in *Arte probat. Lib. IV. pag.* 93. describuntur. Plerumque sublimando una vice è Mistura XXV. lib. accipiunt, quo facto tantundem de integro, donec vas sit adimpletum. Quæ causa est, quamobrem placentæ, sive frusta, quibus cinnabaris factitia è Batavia advehitur, sibi sint contigua, ac postmodum ter ac quater pondus centenarium habeant, ut *Pometus* in *Hist. Simpl. Gen. Part.* 3. *Lib.* 1. *c.* 28. *pag.* 17. observavit. Rubore eleganter saturatâ ttriisque jucundis ornata sit.

§. 10.

Post totam cinnabarim à Batavis, ut dictum, magnis frustis advectam, venit etiam contusa, & vel cum ☐, vel ♎ vini præparata, Gallis

VERMILLON

dicta, cujus Batavi duas constituunt sortes, rubram & pallidam. Quod discriminis à meliori ac pejori tritu vel pulverisatione cinnabaris dependet. Quo enim melius conteritur, eo pallidior meliorque est, præsertim iis, qui ceram sigillatoriam s. Hispanicam istâ mediante tingunt. Alias præparata cinnabaris pro optima habetur, quæ vete subtilis siccaque, non terrea, quam Batavi præter ceteros præparare norunt, peculiari methodo instructi, aut certa aliqua re addita, quoniam istorum Vermillon cito exsiccatur, è contrario cruda cinnabaris, contusa & humectata valde sero ac difficulter se siccari patitur.

§. 11.

Cinnabaris factitia, sive tota sit, sive præparata, præsertim Pictoribus iisque conducit, qui ceræ Hispanicæ, oblatis similibusque ista mediante dant colorem. Fœminæ interdum ad genas tingendas utuntur, quod tamen cosmeticum ratione ☿ii valde periculosum est, turiusque usurpabunt *Vermillon d'Espagne*, ex Safrano s. Croco Orientali compositum. In Medicina cinnabaris factitiæ usus internus est nullus, præterquam quod pilulas pro equis exindè conficiant. Externè ad suffiendum in cura salivatoria usurpatur. Chymici cum limatura ♂ & calce ☿ium exinde resuscitant, quem decet esse eleganter album & fluidum.

§. 12.

Inter reliqua præparata ☿ alia, à Materialistis vendi solita, primum se sistit

MERCURIUS SUBLIMATUS,

ex mercurio, aqua forti aliisque salsis corporibus, nempe ⊕, ☉ comm. & similibus acuato, ac sublimato, præparatus. Utplurimum è Batavia Venetiisque venit, ubi officinæ eum in finem exstructæ sunt, ipseque magna in copia præparatur. Ex Smirna quoque sublimatum afferunt, sed minime laudandum. Omnium vero tutissimum, ut ☿♎atum ipsi præparemus, quoniam Exterorum fabrica sæpe adulteratur arsenico; modis igitur sequentibus istum probemus: nempe pauxillum ♁☿ per deliq affunditur, aut☉ ♀ri teritur, quo facto si flavescit, certum est indicium ex ☿io confectum & bonum esse: sin contra nigrescit, necquicquam prodesse indicatur. *Alexius Pedemontanus* in *Secret. Part.* 3. *pag.* 21. hoc habet experimentum: affunde ☿♎ carbonibus candentibus, si bonus est, flammam suscipiet cœruleam, sin vero flamma aliter fuerit colorata, non est de optimo. Summa, elegantes crystalli, quæ non solum claræ, sed etiam niveæ, splendentes, non graves, nec compressæ sunt, istum commendant: Ponderosus, multaque frusta specularia habens, est rejiciendus. Isto Aurifabri, Fabri Ferrarii ac Chirurgi saltem externè utuntur. Interne non sine vitæ periculo assumitur, utpote maxime nocivis fortissimisque venenis adscribendus: quanquam nebulones ad promovendam salivationem eô utantur, sæpeque hominibus mortis horam accelerent, id quod haud ita pridem Giessæ contigit.

§. 13.

Ex hoc ſublimato ita dictus

☿ DULCIS

iterata ſublimatione ☿♎ cum mercurio communi præparatur, qui rotundis ſuis globulis ſublimati aculeos abſcondit, iſtorumque nocendi vim invertit. Ter minimum ſublimatus ſit, niſi malas, mercurioque ſublimato ſimiles, operationes iſto velimus induci, cujus rei exempla in *Pandectis noſtris Medico-Legalibus* inveniuntur. Ex eleganter albis, ſplendentibus, parvis, durisque cryſtallis conſtet, in lingua inſipidis, poſt contuſionem aliquantum flaventibus. Quod ſi verò poſt olei ☿ affuſionem flaveſcet, minus rectè præparatus eſt. Præſtans remedium eſt in lue ♀ea, ſcabie, lumbricis infantum, morbisque aliis, ſive interne, ſive externe uſurpetur. Ex mercurio reſuſcitato præparatus, octiesque ſublimatus evadit

PANACEA MERCURIALIS,

cujus in cura Luis Gallicæ uſum Gallica deſcriptio, Pariſiis impreſſa, docet, quam in *Polychreſtis* noſtris *Exoticis* invenies communicatam.

§. 14.

Tandem nec

MERCURIUS PRÆCIPITATUS

in Materialium Muſeis ignotus eſt, & quidem primo albus, ex ☿ii ſolutione cum ♎ ⊙ cum ☾ culinari communi præcipitandus, edulcorandus poſtea & exſiccandus. Quando vero menſtruum ſine præcipitatione curamus evapora-re, ſecundo rubrum ☿ accipimus, ſive mercurium ♕ rubrum, qui uſitatiſſimus eſt, & ex Batavia, ubi optime præparatur, in alias transportatur regiones. Quemadmodum probari debeat, *Schurzius* in *Mater. Muſeo pag. 60.* verbis docet ſequentibus: Si prunis impoſitus devoratur & conſumitur, bonus eſt: quod vero remanet, ipſi eſt ſuperadditum. *Pometus* auro affricat, quo albo facto, ♕ cenſet eſſe bonum: illo autem nigrore obducto, minio putat permiſtum. Chirurgis in cura ulcerum externorum, quæ à putrida carne liberat, valde uſitatus eſt. Interne autem non uſurpatur, niſi ante ſæpius & ad minimum ſexies cum optimo ſpiritu vini deflagret, unde

ARCANUM CORALLINUM

exſurgit, interne quoque à nonnullis dari ſolitum. Similiter etiam tertio ☿♕ LUTEUS, ſive

TURBITH MINERALE

ad promovendam ſalivationem ſæpe internè datur, ex reſuſcitato & in ♁⊕ ſoluto mercurio, cum aqua tepida præcipitari, inſtar aliorum ablui & exſiccari ſolitum. Vehemens vomitorium eſt purgansque, in luis ♀eæ cura valde uſitatum, ut *Sartorii* Morbi Gallici Medicus, Linguâ Germanicâ editus, pluribus docet. Alii quoque ♕ conciliari poſſunt colores, quando mercurius cum variis metallis ſolvitur ac præcipitatur: quæ & reliqua quoque mercurialia præparata apud *Schræderum* ejusque Interpretes, *Ettmüllerum*, *Hoffmannum* aliosque Chymicos, videantur.

CAPUT XXXV.

DE ACIDULIS FONTIBUSQUE MEDICINALIBUS.

§. 1.

ACIDULÆ (*Sauer Brunnen, Sauer-Waſſer*) eleganter claræ limpidæque minerales aquæ ſunt, diverſi contenti & ſaporis, plerumque tamen aciduli, in locis maxime à nobis diverſis æque, atque in Germania, interne externeque, adverſus varios morbos, cum fructu uſurpandæ.

§. 2.

Quùm vero acidularum virtutes maximam partem à contentis mineralibus dependeant, & hæc ipſa valde diverſa ſint, hinc magnum quoque inter illas intercedit diſcrimen, dum illæ quæ de marte ac vitriolo participant, multum aperiunt, & in morbis chronicis ſunt profuturæ: quæ nitro divites, calculo proficiunt dolorique nephritico: ſulphure impregnatæ pectoris quoque ſaluti proſpiciunt. Id quod non ii ſolum, qui de acidulis in genere ſcripſerunt, ut *Theodorus Tabernæmontanus* in *Theſauro aquatico*, *Rulandus* in *Hydriatice* &c. ſed alii quoque, qui de iſtis in ſpecie egerunt, quorum permulti ſunt, jam pridem demonſtrarunt. Ubi tamen obſervandum, ſpiritum mundi univerſalem multum quoque conferre, & in FONTIBUS SOTERIIS (*Geſund- und Heil-Brunnen*) admirandas ſæpe exerere vires, ab his illisve mineralibus neutiquam dependentes, ut *Dn. D. Tackius*, olim Archiater Haſſo-Darmſtadinus, in *Deſcriptione Fontis Soterii inter Griesheimiam & Godelaviam exorti*, pereleganter oſtendit. Quemadmodum enim ſpiritus mundi inviſibilis eſt, ita mineralia in acidulis contenta non facile poſſunt oculis ſubjici, quoniam nimis volatilia, & quaſi interna mineralium eſſentia ſunt, variis tamen experimentis indaganda, de quibus

bus *vid. Diethericus* in *Descript. Acidul. Schwalbac.* & *Henricus ab Heer de Fontibus Spadan.*

§. 3.

Utendi modus à permultis Medicis descriptus est, novique quotidie, plerumque tamen exscripti, libelli, quibus quicunque peregrinis se commendare intendit, in lucem prodeunt. Quæ omnia principaliter in tribus consistunt, (ut in *Tractatulo* meo *de vero usu acidularum superioris & inferioris Hassiæ*, jamdum ante V. lustra ostendi,) quos scilicet nos 1. ante curam, 2. in acidularum usu, 3. absoluta cura præstare debeamus. Quod ad primum attinet, ante curam summe necessarium est, ut in diuturnis morbis ex ingenuo doctoque Medico quæramus, num isti fontium usu levari possint aut saltem imminui? quæ in specie acidulæ morbis proficiant, quum, ut jam supra dictum, multum intersit discriminis, nec omnes singulis conveniant. Certum namque est, acidulas Schwalbacenses phthisi laborantibus, aut saltem ad istam inclinantibus, esse exitiales, ac statim initio excitare sputum cruentum, quibus Selterenses contra conducunt magis quam nocent. Plebi quoque Wildungensi non ignotum est, Fontem Urbicum dictum phthisicis nec quicquam afferre damni; è contrario Vallis Fontem, horæ spatio ab oppido disjunctum, acidulis Schwalbacensibus sapore, aliisque qualitatibus necquicquam cedentem, istis haberi pernicioſum, quam differentiam ipse ibidem observavi. Non minus certum est, certis ex causis fœminas non semper fontem perferre Schwalbacensem, bene verò Dönnessteinensem, majore licet quantitate bibendum. Hic etiam in obstructionibus viscerum primas tenet, Schwalbacensis contra in morbis scorbuticis, arthritide vaga & paralysi primatum sibi vindicat: cui tamen in phlogosibus Selterensis longe præferendus. Id porro meretur considerari, num Patiens ad perferendam absolvendamque curam valeat? Quando enim pulmones, hepar, cæteraque viscera male sunt constituta, manum de tabula, manum à vitro abstineant, consultiusque foret ægris, si loco acidularum cum plantarum aut betulæ succis curam annuatim instituerent, qua olim Cæsareus Generalis, Comes Starembergius, cujus custodiæ Philipsburgum erat traditum, magno cum fructu utebatur. Qui vero medice bibere acidulas sibi proponit, corpus ante præparet purgetque: à fortionibus tamen purgantibus omni cura sibi caveat, nihil aliud præstantibus, quam ut spiritus vitales, jamdum imbecilles, magis prosternant, tonumque ventriculi usque eo destruant, quo ad perferendam aquam reddatur ineptus. Nihil jam dicam, quod auctoribus *Helmontio*, *Holterhofio* aliisque, qui *de longa sanaque vita* scripserunt, humanam vitam abbrevient, & ab *Gehema* in peculiari Tract. crudelibus medicinalibus mortis mediis annumerentur. Ego sanè potionibus sennatis multum tribuo, quæ, teste experientia, eos quoque laxant, qui fortissimis purgantibus non possunt moveri. Quem in finem etiam ▽ Laxativa Viennensis in officinis bene constitutis semper habetur præparata: quibus omnibus tamen nostris temporibus Panacea solutiva, Magnesia alba vulgò dicta, palmam eripere videtur, de qua vid. *Epist.* nostram *ad DN. Leibnizium de Magnesia alba.*

§. 4.

Ad rem ipsam hinc progrediendum, duranteque cura tempus, quantitas, modusque bibendæ aquæ bene attendantur. Optimum tempus est in tribus æstivis mensibus, Junio, Julio, atque Augusto, quibus fontes præsertim viribus imprægnantur, ac minerales æque tempestates, atque prædictus spiritus mundi universalis, occultusque vitæ cibus in istis copiosius concentrati sunt: quanquam tempore necessitatis circa Maji finem principiumque Septembris prudenti Medico dispensare sit integrum. In ceteris mensibus Batavorum obtinet rhythmus: *Mensibus in quibus R. non debes bibere Water.* Deinde ratione quantitatis suum quisque ventriculum consulat, tantumque principio bibat, quantum iste sine incommodo & inflatione perferre aptus natus est. Una aut duabus mensuræ quadrantibus plerumque fit initium, &, pro diversitate fontium ac personarum, ad unam, duas aut tres mensuras ascenditur, quam etiam descensûs faciunt regulam. Et quoniam aqua sua sæpe frigiditate stomacho nocet, hodiernorum Medicorum methodo vel tepida bibenda est, vel morsuli citrati & stomachales, confectio cumini, fœniculi, anisi, calamus aromaticus conditus similiaque usurpentur, aut etiam ▽ carmin. ▽ physog. zedoariæ &c. sumantur. Tertiò aqua non una vice ingurgitetur omnis, sed sensim sensimque, interposita motione, quæ curæ quasi anima est, Naturamque adjuvat, quo non aquam solum per omnes corporis venas distribuere, sed facta etiam operatione iterum eliminare queat: quemadmodum prima plerumque hebdomade per alvum, secunda per urinam, tertia per sudorem operationem exerit, quod tamen non apud omnes observatur. Istius igitur operatio semper respicienda, quoque tendit, adjuvanda est. Quodsi tardum esse alvum contingat, cremor ♃ri, ♀ solubilis, aut etiam folia sennæ acidulis possunt infundi, aut Francofurtenses, Moguntinorum Jesuitarum, vel *D. Becceheri* pilulæ in usum vocari. A crebriori tamen istorum usu, nulla urgente necessitate, præsertim fortioribus purgantibus, abstineamus, istud iterum invertentibus, quod forte aquæ potus correxit: quod *Sydenhamius* etiam in martialium usu vult observari. Longe majori usu verò aquæ addunturea, quæ istam ad vias urinarias cutisque excernicula

dedu-

deducant, v. g. ℞ ☿, ☁ ⊖ ☓. Divitibus commendatur ℞ ☉ *Baſ. Valentini*. Tandem omnium Medicorum querela eſt, è centum hominibus vix eſſe decem, qui Diætæ vere ſint ſtudioſi, cujus tamen vel maxima habenda cura eſt, ſi curam bene feliciterque nobis velimus evenire. Baccho igitur neutiquam litandum: heluationem inauratam exiſtima pilulam, quæ amarorem ſuum occulte gerat, mox vero, cum maxime ſecuri ſumus, pernicioſe noceat.

§. 5.

Quæ diæta etiam tertiò poſt abſolutam curam tres fere menſes eſt continuanda, quo longo poſt tempore inſequens aquæ operatio promoveatur. Quod tandem ad varia ſymptomata, aquæ potatoribus obvenire ſolita, attinet, de iis auctores alii, qui de acidulis modoque utendi ſcripſerunt, *Theodorus Tabernæmontanus, Rochas, Langius, Rhumelius, Camerarius, Horſtius, Geilfuſius, Mogius, Wolffius, Ellenbergerus, Tilemannus, Ramlovius, Melchior, Gladbachius, Henſing*, aliique plures poſſunt conſuli.

§. 6.

Tandem cum non in cujusque poſitum facultate ſit, ut fontium ſcaturiginem adeat, aquæ etiam aliorſum transvectæ, curaque qua poſſunt maxima clauſæ, virtutibus multam partem orbentur, alii propterea

ACIDULAS ARTIFICIALES

præparant, eumque in finem probatam aliquam Tincturam martis, ℞ ♂ ☉, aut ſimilia eodem prorſus modo utenda, commendant, de quo *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 778. poteſt conſuli.

CAPUT XXXVI.

DE

THERMIS.

§. 1.

THERMÆ ex minerali aquâ, naturaliter vel tepida vel calida, conſtant, & quoniam varios ſuccos minerales particulasque ſecum ferunt, variis corporis humani affectibus proficiunt. Non in Germania ſolum, ut Aquisgrani, Embſæ, Wisbadæ &c. ſed etiam in Hungaria, nempe Budæ, in Turciâ, Angliâ & alibi copioſe inveniuntur.

§. 2.

Quæ verò caloris aquarum cauſa ſit, quæritur? qua de re inter Doctores non convenit. Multi calorem igni ſubterraneo ferunt acceptum, cui tamen ſententiæ alii contradicunt, quod ſine aëris acceſſu non facile vel ignis vel flamma ſubſiſtit. Quamobrem alii thermarum calorem à ſubterranea mineralium effervescentia motioneque putant derivandum, quæ vel à diverſis contrariisque ſuccis metallicis, & quando acidum terreſtre ſulphur metalla arrodit, exoritur, ut *Helmontius de Febr. cap.* 9. §. 25. exiſtimat, vel quando calciformis marcaſita in aquâ ſolvitur, & calcis communis ad inſtar ebullit, qualem Doctiſſimus Anglus *Edmundus Meara* circa Angliæ thermas reperit, ut ex ejus epiſtola ad D. Brugam data, in *Childraji Hiſtor. ſingul. Natur. Angl.* apparet. Ut adeoque mirandum haud ſit, quod ſæpe in medio frigidi fluvii calidæ ſcaturiginæ deprehendantur, quales juxta thermas Embſenſes in Lano fluvio obſervant, quoniam in quibusdam ſaltem locis effervescentia exoritur. Non minus alia mineralia, utpote alumen, nitrum, ſulphur, vitriolum, ſal, mars ſimiliaque ſubtili modo rationeque ſuum conferunt, auctore *Horſtio* in *Deſcriptione Thermarum Embſenſium pag.* 1.

§. 3.

Ex quibus nunc facile colligendum, ob varia iſta diverſa ingredientia multum quoque inter thermas intereſſe diſcriminis, non modo à minori fortiorique calore, ſed præſertim etiam à prædictis mineralibus petendi, quorum quædam in his, quædam in aliis thermis dominantur. Quoniam igitur v. g. in thermis Carolinis præter calcis ſulphurisque venam aliquid quoque martis continetur, ut *Langius de Thermis Carol. cap.* 3. confirmat: aliæ verò, nempe Teplicenſes, Embſenſes & Wisbadenſes, etiam de alumine ac nitro participant, ut *D. Geilfuſius* certis quibusdam experimentis in *Dilucida Deſcriptione Therm. Wisbad. pag.* 9. demonſtravit: hinc eſſe aliter nequit, quin diverſos quoque effectus exerant. Cæterum ſulphur in omnibus fere dominatur, cujus reſpectu reſolvente, purificante ſananteque, attrahente & calefaciente virtute pollent, humidisque ac melancholicis calidis naturis ſunt utiliores.

§. 4.

Omnibus affectibus & exanthematis cutis, ſcabiei, lepræ ſimilibusque medentur: refrigeratos trementesque artus roborant, unaque paralyſi ac contracturæ, maxime à colica exortæ, ac huic quoque ipſi opem ferunt non contemnendam; dolores nephriticos, ſcorbuticos artuumque communes, arthritidem & podagram nondum inveteratam nec nimis radicatam, demulcent, aliàs enim plus inferre poſſunt damni, nodosque adaugere. Quædam vi ſimul vehementer adſtringente pollentes

uteri

uteri alvique procidentiam inveteratam, & ab aliis medicamentis curari neſciam, tollunt, id quod paucos ante annos Archiater Haſſo-Darmſtadinus, *Dn. D. Hertius*, in ſummæ conditionis perſona, è Norvegia adveniente, obſervavit, quæ, poſtquam contra alvi prolapſum omnia, quæcunque excogitari poſſunt, remedia fruſtra uſurpaverat, thermis Embſenſibus fuit reſtituta. Ubi valdè memorabile eſt, quod, cum prædicta perſona prima vice uteretur balneo, ab aqua inteſtinum rectum ſpithamæ longitudine fuerit extractum, ejus vero continuato uſu ſenſim retractum, tandemque ſuo fere loco detentum, ut poſtmodum ſenſibiliter curata & ab iſto affectu liberata abierit.

§. 5.

Modus utendarum thermarum in harum illatumque deſcriptione, à prudentibus experientiſſimisque Medicis *Horſtio*, *Geilfuſio*, *Langio*, *Melchiore* aliisque fuſius deſcribitur, qui in eo conveniunt omnes, ante curam corpus leniter purgantibus, reſolventibus ac diaphoreticis eſſe præparandum, quo thermæ deinde operationem ſuam melius exerant, nec febris ulla, ſcabie, aut ſimile quid inſequatur. Quæ ratio eſt, quamobrem thermæ poſt acidularum uſum longe melius, quam aliâs, operentur, ut *Ettmüllerus in Comment. Schræd. pag.* 780. docet. Corpore ita præparato, ægroque quiete refocillato, per horæ quadrantem prima vice, & pro differentia aquarum, utendum balneo, poſtmodum, ſecundum modum utendi balnei præſcriptum, diutius inſidendum, tandem brevius. Embſæ, Wisbadæque hic plerumque ordo obſervatur, ut teneriores perſonæ paucioribus & diebus & horis abſolvere curam jubeantur, fortioribus contra plures dies concedantur, & inſidendi tempus magis protractum.

TENERIORES PERSONÆ.		FORTIORES PERSONÆ.	
Dies.	Hora.	Dies.	Hora.
1.	¼.	1.	½.
2.	½.	2.	¾.
3.	¾.	3.	1.
4.	1.	4.	1½.
5.	1.	5.	2.
6. 7. 8. ad 15. incluſ.	1.	6. 7. 8. ad 20. incluſ.	1½.
17.	¼.	21. 22.	1.
18.	½.	23.	¾.
19.	¾.	24.	½.
20.	½.	25. 26.	½.
21.	¼.		

Simulac vero thermis egreſſus æger eſt, forte ſemihoram in lecto quieſcat, ſudorem, modo perferri poteſt, exſpectet, ac poſt horam ad prandium accedat, ciboque utatur ἐυχύμῳ: hinc niſi elapſis tribus ad minimum horis non ingrediatur balneum, jejuno ſemper ſtomacho utendum, nec ante decedendum, quam ſerena tempeſtas faveat, de quibus, omnibusque ſimul ſymptomatibus prudenter depellendis, prædicti Auctores pluribus conſulantur.

§. 6.

Internus quoque thermarum conceditur uſus, quæ modo haud diſſimili, atque acidulæ, adverſus prædictos multosque alios morbos bibuntur, prout hodie præſertim Embſenſis fonticulus, *das Embſer Brüngen*, notus eſt clarusque, ſub balnei quoque uſu utplurimum bibi ſolitus. A menſuræ quadrante bibendi faciunt initium, aſcendunt ad menſuram, aut etiam plus minusque bibunt, prout vel natura videtur perferre, aut morbus requirere, de qua re ſupra laudatæ deſcriptiones poſſunt evolvi.

§. 7.

In thermarum naturalium defectu ex variis mineralibus compoſitæ

THERMÆ ARTIFICIALES

cum fructu poſſunt uſurpari, quarum aliquas deſcriptiones in *Fuchſii*, *Capivaccii*, *D. Michaëlis* aliorumque celeberrimorum Practicorum Scriptis videmus communicatas, quas *D. Joh. Horatius Molitor in Tract. ſuo de Thermis artificialibus VII. Mineralium Planetarum cap. 1. p. 1.* collegit, ſuisque auxit. Iſtæ tamen mihi omnium maxime placent, quæ è paucis, ſufficientibus tamen, conſtant ingredientibus qualia Medicus Cæſareus, *D. Paulus Sorbaitius*, in *Operibus Med. pag.* 312. recenſet, dum ſulphuris vivi vivæque calcis ana libram unam in aquæ ℔ octo ebullire, altero die præparari ex aqua calida balneum, hocque priori lixivio refrigerari, ac iſti deinde inſidere ægrum jubet. Quod balneum quam vile etiam appareat, prædictus *D. Sorbaitius* diu in ſecretis habuit, atque in pluribus articulorum morbis, calculi uterique doloribus, paralyſi aliisque ſymptomatis, quibus alias thermæ naturales proficiunt, feliciter uſurpavit. Pro cujusque vero voluntate appropriatæ morbis herbæ poſſunt addi, quo balneum fiat magis accommodatum.

CAPUT XXXVII.

DE

PILIS AC SPONGIIS MARINIS.

§. 1.

PILÆ MARINÆ (*Meer-Ballen*) ex flavo fuſcæ, rotundæ vel oblongæ, prorſus tamen hirſutæ aſperæque pilæ ſunt, utplurimum è mari mediterraneo Venetiis diverſa magnitudine advehendæ; quanquam etiam in Oceano,

imo & in ſtagnis inveniantur, *Wormio* propterea in *Muſeo pag.* 139. pilæ ſtagnales vocatæ.

§. 2.

Quæ nunc vera iſtarum pilarum habitudo, quæque fiendi ratio ſit, hodierno adhuc die ignotum eſt. *Marxius*, Materialiſta Norimbergenſis, in ſuo *Mater. Muſeo pag.* 162. exiſtimat iſtas nihil eſſe aliud, quam marinam ſpumam, multis canis marini pilis, arena conchisque ac ſimilibus permiſtam, ab incolis in pilarem formam redactam. Enimvero quum id minimum certum ſit, has ita formatas pilas in mari inveniri, ab ejusque fluctibus ad litus appelli, rem quandam naturalem eſſe docti exiſtimant, quamvis nondum conſtet, quæ ejus propria ſit ratio. *Tabernæmontanus* aliique ſpongiam eſſe credunt, quacum tamen nullam habet ſimilitudinem. Aliis Hippopotami videntur eſſe excrementa: ſed nec hæc opinio apud alios aditum invenit, quum nullum ſit dubium, quin animal iſtud ſaltem in Nilo inveniatur, ut ſuo loco docebimus, pilæ contra marinæ in omni fere mari habeantur. Nonnulli igitur accrementum eſſe exiſtimant, perpetua fluctuatione ac verberatione fluctuum è junco, pilis ſimilibusque ita compactum, & in ejusmodi rotundas pilas formatum, haud ſecus atque pileones manibus pedibusque cogunt lanas. Verum & hæc opinio ſuis involvitur difficultatibus, quod pilarum materia ſemper eadem eſt, rotundaque forma ab inæquali maris agitatione non videtur ita ſimpliciter poſſe derivari. Quamobrem Dn. *D. Faber*, Medicus Würtenbergicus, & Acad. Nat. Curioſ. Collega, vero ſimilimum eſſe exiſtimat, iſtas in ventriculo certi cujusdam piſcis aut alterius animalis marini generari, quod forteſſe juncum aliasque plantas minutim mandat, ex quibus poſtea hæ pilæ, inſtar pilarum cervi aut damarum, in ventriculo coagulentur, & ab ſucco gaſtrico conglutinentur. Poſt diligentem enim pilarum inquiſitionem reperit, omnes iſtas ex ejusmodi fibris, fortaſſe arundinis aut junci partibus, eſſe compactas, atque intrinſecus continere arenam, exiguas conchas, ſimiliaque ſimul deglutita, id quod in peculiari *Tract. de Pila Marinæ Anatome* pereleganter ac curioſe deſcripſit, quem etiam in *Appendice Miſcell. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Ann. X. pag.* 197. *ſeqq.* videmus annexum.

§. 3.

Quamvis, ut ſupra memoravimus, pilæ marinæ non eandem figuram aut formam habeant, dum quædam prorſus rotundæ, aliæ paulum depreſſæ, aliæ quoque oblongæ ſunt; id tamen diſcriminis parum habet momenti, modo ceterum vere leves ac ſiccæ ſint.

§. 4.

Hodiè non adeò æſtimantur, iſtarumque uſus fere obſolevit; iſtis tamen vis calefaciens in *Appendice Schræderi*, ab aliis vero exſiccans adſcribitur, unde ad ſtrumas aliosque cutis affectus dicuntur proficere. *Galenus* illis vim firmandi capillos adſcribit, teſtaturque *L. I. cap. 2. de compoſ. Med.* ſcire ſe arborum amputatorem, cui ex arbore præcipitato fere omnia oſſa fuerint confracta, cuique hoc remedio ſanitas fuerit reſtituta; id quod iisdem verbis *Wormius in Muſ. pag.* 139. de ſe pronunciat.

§. 5.

Quo verò diſcrimen inter pilas ac ſpongias marinas melius appareat, unicuique innoteſcit, quod

SPONGIÆ MARINÆ (*Bad-Schwämme*) ex mollibus, poroſisque ac levibus fruſtis conſtent, iisdemque vel flavis, vel albeſcentibus, ac peculiaris ſaporis odorisque expertibus. Quæ forma accreſcunt rupibus, in Mediterraneo aliisque maribus, ac Venetiis ad nos veniunt.

§. 6.

Diſtinctæ iſtarum apud Materialiſtas habentur ſortes, nempe permagnæ, mediocriter magnæ, mediæ, parvæ, minores, minimæ, ut *Schurzius* in *Mater. Muſeo pag.* 100. diſtinxit. Alii, utpote *Pometus*, in finas & vulgares dividunt. Illæ eleganter flavæ, læves, teneræque ac mediocriter magnæ ſint, parva propiusque diſſeminata foraminula, ac paucos lapillos habeant, vid. ejus *Hiſtoire des Drogues pag.* 165. & *Marxii Material. Muſ. pag.* 193. De ultimis magnæ ad balneandum lavandumque uſurpantur, parva autem fruſtula calcinantur ac uſtione rediguntur in pulverem.

§. 7.

Finæ in Medicina quoque ac Chirurgia habent uſum, ſed ſaltem externum, cum adeo ſolvi in ventriculo nequeunt, ut potius intumeſcant, vel ἄνω vel κάτω iterum ejiciendæ, ut propterea à *Samuele Dale in Part. II. Mat. Med. pag.* 109. rebus venenatis annumeratæ fuerint. Externè ſanguinem ſiſtunt, ſuasque Chirurgi turundas inde conficiunt, quibus anguſta vulnera dilatent; quamobrem etiam in fruſta inciſa, albaque cera macerata ſpongia, apud quosdam Materialiſtas, haberi poteſt præparata. In officinis quoque ſpongiæ calcinatæ habentur, non ineptæ, quæ pulveres dentifricios ingrediantur; qua de re *Aebigenus* Fragmenta *de uſu Spongiæ* pluribus legantur.

§. 8.

De LAPIDE SPONGIÆ, ſive lapide in ſpongiis reperiundo, jamdum alibi ſufficienter egimus, ut nobis hic nunc liceat eſſe otioſis.

CAPUT

CAPUT XXXVIII.

DE

CORALLIIS ET CORALLINA.

§. 1.

CORALLIA lapidei durique fureuli sunt, diversi coloris, qui in fundo maris, instar parvarum arbuscularum, sæpe pedis altitudine excrescunt. Num vero tanta sint magnitudine, ut cerasi nostratis, tantaque altitudine, ut furculi extra mare emineant, quemadmodum *Vielheurius Descriptione Material. Exoticorum pag.* 28. P. *Kircherum* imitans existimat, fabulæ quam veritati est similius. Maximam partem è mari Mediterraneo proveniunt, quanquam in India quoque Orientali circa Bantam, præsertim alba nigraque dicantur erui, de quibus in *Appendice hujus libri*, post Indiam literatam, accurata descriptio dabitur legenda. Imo teste *Balbino* in *Historiæ Bohemiæ Lib. I. cap.* 29. *pag.* 77. in Bohemia, infra collem Scheberle, aliquo in fluvio inveniuntur corallia, colore cæteris non cedentia, ut adeoque corallia non in mari solum, sed in fluviis quoque crescant.

§. 2.

Nunc quæstio exoritur, num corallia vegetabilibus sint annumeranda, & an sub aqua, quæ vulgaris est opinio, prorsus mollia sint, extra mare autem indurescant? qua de controversia *D. Hoffmannus* in *Clavi Schræd. pag.* 158. *& seqq.* fusius agit, atque cum clarissimo *Boyleo* ad minimum non impossibile existimat corallia sub aqua esse mollia. Verum ex propria experientia utrumque negat curiosus Italus *Bocconius*, qui Siciliam habens patriam coralliorum piscaturæ sive collectioni circa Messinam ipse adfuit, atque aux *Recherches & observations Naturelles Ep.* 1. *&* 2. ingenuè confessus est, se corallia sub aqua æque duras inveniisse, atque extra illam, exceptis superioribus extremitatibus rotundis, in quibus albus humor, instar succi esulæ, animadvertatur. Et quamvis hæc istud, acidiusculum & adstringentem habens saporem, & in corallia, quo cadit, accrescens, à quibusdam, utpote *Gassendo* in *vita Peireskii* coralliorum semen, & prædictæ rotundæ extremitates in certas cellulas divisæ, Flores Coralliorum dicantur, pro vegetabilibus tamen non vult haberi, quod radicibus foliisque destituuntur, quibus, ad modum plantarum, possint nutriri. Extrinsecus quidem mucosa cuticula (quæ communi errori, quo corallia sub aqua mollia fuerunt habita, occasionem præbuit) apparent circundata, ista tamen pro naturali cuticula, qualis plantarum est, minime habenda, sed pro impuritate maris, coralliis adhærescente, de qua re clarissimus *Swammerdamius* in *Epistola ad supra laudatum Bocconem c. l. pag.* 177. pereleganter agit. Quod vero *Plinius* de rubris baccis commemorat, à vero prorsus esse alienum, *Wormius* in *Museo pag.* 231. demonstravit.

§. 3.

Coralliorum piscatus s. collectio à principio Aprilis ad finem usque Julii peragitur, quem in finem sæpe 200. levis vecturæ naves requiruntur, magnis velis instructæ, quo navibus piraticis Turcarumque triremibus subducere se fuga possint. Quò vero corallia, quæ in profundis hiatibus rupibusque in profundo maris accrescunt, possint erui, piscatores duo ligna asciata decussatim uniunt, inditoque istorum medio magno plumbi frusto, lignorum promovent descensum: tum cannabim alligant, aut longum linum, istudque instar villorum digitum crassorum faciunt dependere: ligna vero, decussatim juncta, duobus longis funibus proræ puppique alligant, atque ita circa rupes circumvehunt. Simul ac nunc linum vel cannabis coralliorum frutici appropinquat, isti se obvolvit, istumque trahit secum. Quando nunc levandum lignum est, XV. vel XX. in auxilium vocantur naves, quæ istud coralliis eruant: sub quo labore multa decutiuntur, ac in mare decidunt, id quod *Tavernierus in suo Itinerario*, ex eoque *Pometus pag.* 163. & *Marxius in Mater. Mus. pag.* 82. describunt. In Barbaria vero tam experti ac temerarii dicuntur esse urinatores, qui corallia manibus avellunt, oculis specillorum vitris munitis, quo sub aqua etiam possint videre, ut *Malletus in Cosmograph. sua Part.* 1. *pag.* 159. ostendit, & figura aliqua demonstrat.

§. 4.

Cæterum corallia respectu coloris in rubra & alba distinguuntur. Ad illas quoque referuntur pallidiores, instar rosarum; quo tamen magis rubent, eo habentur meliores. Sunt, qui tertiam addunt speciem, nempe corallia nigra, quæ tamen aliud quid esse videntur, dum multo tenaciora & instar cornu apparent, longeque ac erecte crescunt, ut loco baculi possint usurpari; cujusmodi frustum nuper à *Dn. Vito*, qui istud ex India orientali attulerat, mihi condonatum fuit. Hæc species aliàs vocatur Antipathes, quam alibi in figura delineavi. *Pometus* tamen in figura etiam vere nigram exprimit, à me nunquam visam. Interea de utrisque certo nos informat *Dn. Rumphii* Descriptio Calbaharii, in *appendice hujus operis* communicanda. Priorum Materialistæ diversas habent sortes, prout ex coralliorum furculis aliquantum elegantibus, vel mediocribus, vel etiam fragmentis constant, quæ furculis

multo viliora ſunt, quanquam easdem vires habeant. Pondus autem quo corallia Genuæ & alibi magnis acervis venduntur, XV. libris centenarium noſtrum ordinarium excedit, nempe CXV. Genuenſes coralliorum libræ faciunt C. libras Norimbergenſes. Similiter Antwerpiæ, Brugis & Montibus coralliorum pondus 5. libris majus eſt Centenario Colonienſi, ut *Schurzius in Mater. Muſ. pag.* 25. commemorat. Magna rariora carioraque habentur, à Japonenſibus magni æſtimata. vid *Franc. Calceolarius in Muſ. Sect.* 1. *pag.* 3.

§. 5.

Quod ad iſtorum virtutes attinet, vim edulcandi habent, qua omne corporis acidum temperant inque ſaporem dulcem vertunt, atque ita omnem effervescentiam in inteſtinis ac ſanguine impediunt: paulum etiam adſtringunt conſtipantque in dyſenteria, hæmorrhagiis ac ſimilibus. Quæ cauſa eſt, quamobrem in per-multis corporis affectibus uſurpentur, ut *Ganſius* in peculiari *Tract. de Coralliis* fuſius oſtendit, cujus compendium Hiſtoria noſtra literaria in *Append. Miſcell. Acad. Nat. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 2. exhibet. Nonnulli etiam contra faſcinum, morbosque inde ortos commendant, Clariſſimorum Scriptorum *Zoroaſtri, Metrodori, Orphei, Alberti Magni, Paracelſi, Libavii* aliorumque auctoritate, ac quotidiana quoque experientia muniti. Sic ſupra laudatus *Ganſius* certum aliquem ſcit Medicum, qui plures ejusmodi morbos ſequenti formula, in qua rubra albaque corallia primas tenent, perhibetur curaſſe:

℞. Corall. rubr.
alb.
Dent. hom. demort. ā. ʒj.
Herb. & ſem. anthirrin. ʒij.

M. F. Pulvis, quo tacta affectaque faſcino membra tamdiu fumigentur, donec morbus iſta deſtituat. Quod vero corallia à tonitru fulminisque ictu, ac aliis quoque tempeſtatibus tutos nos præſtent, pediculos arceant, ac peregrinantes ab illis defendant, mera ſuperſtitio eſt. Non minus à vero videtur abeſſe, iſta collo aut brachiis geſtata incitare fœminas ad voluptatem Veneriſque cupidinem. Quo non timendo periculo torques armillæque ex iſtis conſtantes tuto poſſunt geſtari, ſi modo ab iis homines ſibi caveant coralliis, quæ in mari microcoſmico inveniuntur, ad quæ Veteres, qui primi hujus opinionis extitere auctores, forte reſpexerunt. Aliàs optimum eſt, ſi in ſubtilem pulverem trita uſurpantur, quoniam è coralliorum nuda ſolutio, magiſterium nullius calx efficaciæ, aliæque præparationes viribus orbatæ ſunt, inprimis adeo decantata coralliorum Tinctura, cujus plus quam 300. deſcriptiones certa quædam perſona numerat, quarum plurimæ, ſpiritibus acidis innixæ, vim coralliorum enervant ac deſtruunt, ut *D. Ettmüllerus* in peculiari *Diſputat. de Tinctura Corall.* & in *Comment. Schræd.* docet; conf. quoque *Hoffmannus in Clavi.*

§. 6.

Huc etiam pertinet

CORALLINA (ſ. *Corallen-Moos,*)

quæ modo haud multum diſſimili, atque corallia ſub mari, marinis rupibus, conchis ipſisque coralliis, muſci ad inſtar, adhæret & accreſcit, unde etiam muſcus marinus vocatur. Ex tenuibus, capillaribus, & ex multis exiguis ſibi invicem adhærentibus ſquamulis quaſi compoſitis bacillis conſtat, qui nonnunquam candidi, interdum rubicundi, ſæpius herbacei apparent. Ejus propterea diverſæ habentur ſpecies, è quibus illa, quæ à *C. Bauhino in Pin. pag.* 364. Muſcus coralloides ſquamulis loricatis vocatur, pro medicina eligitur. Iſtam eleganter viridem eſſe oportet, multis exiguis fruſtis multoque pulverulento deſtitutam, bona ſi vult haberi, auctore *Pometo* in *Mater. Muſeo pag.* 165. Melior habetur, quæ coralliis increvit, atque in iſtius defectu, quæ à rupibus eſt detracta, vid. *Hoffmannus* in *Clavi Schræd. pag.* 452. Alius quoque ex Italia Galliaque venit è Mari Mediterraneo.

§. 7.

Ejus effectus in eo conſiſtit, ut adſtringat, ac peculiari virtute necandi interaneorum lumbricos, præſertim infantum, polleat, adeo, ut *D. Ettmüllerus* in *Comment. Schræder. pag.* 553. edit. noviſſ. corallinam notiſſimo cinæ ſemini putet eſſe præferendam, recentem maxime, nec vetuſtate corruptam. Scrupulus unus, ſemidrachma, drachmaque integra datur pro doſi.

§. 8.

Omnes iſtæ marinæ arbuſculæ, ut ſupra memoravimus, vel rupibus accreſcunt, aut ita dictis

CORALLIORUM PETRIS,

de quibus cupidus lector in *Appendice hujus Operis*, poſt Indiam Literatam, fuſius informabitur, ubi de ipſis quoque coralliis aliisque plantis marinis agemus pluribus.

HISTO-

HISTORIÆ SIMPLICIUM REFORMATÆ

LIBER SECUNDUS,

DE

SEMINIBUS, RADICIBUS, HERBIS, FLORIBUS, ARBORIBUSQUE AC FRUCTIBUS.

SECTIO PRIMA

DE

SEMINIBUS MEDICINALIBUS.

CAPUT I.

DE

ABEL-MOSCHO.

§. 1.

ABEL-MOSCI semina (*Bieſam-Körner,*) parva, ex fuſco cæſia & extrinſecus aſpera grana ſunt, parvorum inſtar renum formata, odore quaſi ex moſcho & ambra miſto, quamobrem hoc ſemen etiam Gallis *l'Ambrette* vocatur.

§. 2.

Planta, quæ fragrantia hæc grana profert, in India Orientali, Ægypto, America, in Antillis Inſulis Inſulaque Martini, quæ optima grana progenerat, invenitur. Species alceæ eſt, ac propterea etiam à Botanicis Alcea Indica villoſa, ab aliis vero Althæa Ægyptiaca vocata. Recta in altum excreſcit, foliaque lata, magna ac viridia habet, inſtar panni holoſerici tangenda. Campanæ in modum iſtius formati flores ſunt, iidemque lutei, ſub quibus triquetri, extrinſecus fuſci, & intrinſecus albi latent folliculi, digitum longi, in quibus ſemina continentur, quæ omnia perpulchrè in *Parte 2. Horti Malab. Fig.* 38. repræſentantur.

§. 3.

Quoniam verò tractu temporis granorum diſperit odor, bene videndum, ut ne vetuſtatè corrupta carioſaque accipiamus; recens potius inquirendum ſemen, quod tamen rectè exſiccatum ſit, perfecta etiam craſſaque grana bene adhuc olentia habeat.

§. 4.

Quod ad uſum iſtorum granorum attinet, non adeò frequenter in Medicina præſcribuntur, utpote de quorum virtutibus ac qualitatibus parum vel nihil legimus apud auctores; præterquam quod *Ettmüllerus* pauciſſimis in *Comment. Schræd.* commemorat infuſum ſpiritui vini ſemen moſchi illi conciliare odorem: Interea monet *Pometus in Hiſtor. Simpl. pag.* 29. ut, niſi rectè tractare grana ſciamus, aliis illa rebus ne permiſceamus, quoniam moſchi conciliaturi odorem omnia facile corrumpimus. Cæterum Itali ad fumigandas res iſto ſeminè utuntur, quod etiam funiculo colligitur, & ad torques, quibus ſecundum numerum granorum Deo precationem Dominicam admetiuntur, collaria armillasque à ſummæ conditionis fœminis, boni odoris gratiâ, adeo deſiderata, præparatum à Circumforaneis Italisque hinc inde divenditur.

CAPUT II.

DE

AMOMO ET ROSA HIEROCHUNTINA.

§. 1.

SI quod eſt materialium, in quod Medici Naturæque ſcrutatores inquirunt, & de quo diverſas fovent ſententias, veterum AMOMUM eſt, ſpecies ſeminis aromatici, theriacam ingredientis. *Maroneus* integrum de illo *Tractatum* conſcripſit, è quo *Samuel Daleus*, *Anglus*, XII. opiniones in *Pharmac. ſua pag.* 327. recenſet. Quâ in re etiam Pharmacopolæ incerti ſunt, id nominis nunc granis Paradiſi, nunc magnis cardamomis, nunc majoribus rotundisque granis, à caſſia caryophillata exorientibus, Piper de Jamaica & Amomum Plinii vocatis, imponentes. Hinc eſt, quamobrem alii, loco amomi veri, vel calamum aromaticum, vel caryophyllos ad theriacam uſurpaverint, ut apud *Schræderum*, *Schurtzium*, *Vielheurium* aliosque licet videre. *Charaſius* contra, Pharmacopola Gallus, in *Tract. de Theriacæ ingredientibus pag.* 180. omni rem carere difficultate exiſtimat, ſua judicandi fiducia fretus, quod amomum verum à ſuis adhuc uvis dependens ſibi oblatum ſit, atque apud alios quoque Materialiſtas prudentes Galliæ magna in copia habeatur. Amomum igitur Racemoſum pro vero amomo *Dioſcoridis* habet. Cujus ſententiæ etiam *Pometus in Mater. Muſ. pag.* 39. accedit, qui propterea ejus figuras communicavit. Amomum ex purpureis & tantum non quadrangulis ſeminalibus granis conſtat, tam arcte in globum coactis, ut aliquot rotunda capitula forment, quæ rotundo & albeſcente folliculo cincta uvæ granis ſimilia ſunt. Iſta capitula ac folliculi, inſtar uvarum, racematim de uno pendent petiolo, cui tanquam piper firmiter quaſi agglutinantur. Ex India vehuntur in Bataviam, inde in Europam transvehenda.

§. 2.

In coemtione in id omni cura incumbamus, ut, quoad ejus fieri poteſt, Amomum recens adhuc non inveteratum viribusque exinanitum accipiamus, quod rotundos, luteolos, graves, granisque bene repletos folliculos habeat, magnum perfectumque ſemen, idque acre & aromaticum cardamomo haud diſſimile, continentes. Leves contra, hiantes ac nigris granis repleti folliculi ſ. uvæ abjiciantur.

§. 3.

Hæc grana electa ad theriacam ſumuntur, quamobrem apertis folliculis, nigra rugoſaque abjicienda: gravia, vivaciora ſaporeque aromatico prædicta eligenda, & quo tenues cuticulæ, quibus diſterminantur, ſeparati poſſint, manibus teruntur, & ſuper charta bene ventilantur.

§. 4.

Quod vero ad

ROSAM HIERICHUNTINAM,

(*Roſe von Jericho*,)

ubi hoc aroma de quorundam ſententia perhibetur creſcere, attinet, ab otioſo indoctoque Monacho id ipſi inditum nominis eſt, dum, ut *Bellonius* aliquo in loco oſtendit, non circa Hierichontem, ſed in deſertis Arabiæ, in ripis maris rubri ex arena creſcit. In Italia quoque Roſa Sanctæ Mariæ, Roſa Hierici, plerumque autem Roſa Hierichuntina vocatur.

§. 5.

Fruticulus eſt fere palmam latus, multos invicem implicatos habens ligneos ramuſculos, parvis, oblongis minimeque latis foliis ornatus, gerens in medio rotunda grana loco fructus, ipſaque utplurimum rotunda roſa eſt, antequam ſe aperit, quod in aqua contingit calida.

§. 6.

De iſtius virtutibus *Joh. Sturmius*, Prof. Lovanienſis, integrum *Tractatum* conſcripſit, ſed multis ſuperſtitionibus refertum. Vulgus, qua ducitur ſimplicitate, putat, iſtam in nocte natali Chriſti hiare, etiamſi ſiccissima ſit. Sed fabula eſt; ſi enim hiat, ab hyemis id proficiſcitur humiditate, id quod in aliis quoque contingere poteſt noctibus, ut *Wormius in Muſ. pag.* 153. experientia edoctus oſtendit. vid. *Dn. Nebelius* in *Not. ad Amm. Charact. Plantar. pag.* 546. Cætetæ virtutes in ſchedula, quam circumforanei diſtribuunt, ita deſcribuntur:

VIRTUTES ROSÆ DE HIERICHO.

1. Si quando Roſa vitro aqua fontana repleto cum tota radice imponitur, dimidiæ vel integræ horæ ſpatio hiat ſeque dilatat: quæ exemta, paucis poſt horis, ad priſtinam formam redit & clauditur. Quem effectum quotidie præſtat, quamcunque etiam attigerit ætatem.

2. Orientales fœminæ in Judæa totaque Aſia Roſa iſta potui aut aquæ infuſa, in partu difficili utuntur, quod infuſum potum multum ferre opis creditur.

3. Parturientis capiti aut ventri cum tota radice applicata, aut iſtius ipſius manu detenta, aut, ut ſupra dictum, vitro aqua impleto indita, ſi brevi hiat, ſignum eſſe volunt enixûs; ſin vero non aperitur, illam non eniti, vitæque intendi periculum perhibent.

CAPUT III.

DE

SEMINE AMMEOS CRETICI.

§. 1.

SEMEN AMMEOS fere ab omnibus scriptoribus tanquam per-parvum, rotundum ac striatum semen describitur, arenæ haud dissimile, unde etiam isti nomen inditum est: multo itaque minus esse creditur quam semen petroselini. Enimverò, si, quod in officinis ac Materialium Museis habetur, accuratius inspicimus, ab ista descriptione prorsus abest, quoniam longiusculum, cuminoque fere haud dissimile, ac propterea non adeo parvum est; quam ob causam etiam in Æthiopia reperiundum Ammeos semen Cuminum Æthiopicum vocatur. Non temere igitur Clarissimus *Ettmüllerus* in *Comment. Schrad. pag.* 512. dubitat, num verum ingenuumque Ammeos semen hodie apud nos inveniatur, cui *Hermannus*, *Dalecus* aliique assentiuntur.

§. 2.

Intereà in eo conveniunt ferè omnes, ipsam plantam in modum fœniculi, anethi aliarumque umbelliferarum crescere, ac post albos parvosque flosculos proferre semen. In diversis regionibus diversæ habentur species, diversæque in hortis Procerum aluntur, utpote Vulgaris, Alexandrina & Cretica, quarum posteriores ad usum servantur; in istarum autem defectu sunt qui vulgare cuminum suadent utendum, præsertim quum istud semen in Ægypto, ut apud nos cuminum, panis massæ permiscetur, id quod ex *Marxii Materialium Mus. Vielheurius* in *Descriptione Material. Exoticor. pag.* 72. annotavit.

§. 3.

Seminis bonitas ex acri & aromatico sapore fortique odore, qui partim origanum, partim thymum refert, colligitur, quique præ cæteris in Cretico potest observari. Istud similiter maturum ac perfectum, recens purumque esse oportet. vid. *Charas. l. c. pag.* 228.

§. 4.

Ejus virtutes ususque ex eo facile intelliguntur, quod theriacam ingreditur, atque seminibus calidis minoribus Amomi, Apii, Dauci annumeratur. Calidæ enim siccæque est naturæ, flatusque colicos, uteri renum aliosque dolores dissipat. Quidam in curando fluore albo mulierum, tollendaque sterilitate multum in isto ponunt spei: quo in affectu ipse quoque *D. Freytagius* in *Aurora Med. cap.* 49. *pag.* 846. cum vino vel jusculo carnis, ad drachmam altero semper die sumendum, commendat, & quidem ea conditione, ut tunc maritus cum uxore concumbere non desideret: *Simon Paulli* vero clysterem uterinum ex isto semine aliisque ingredientibus simul vult usurpari, in *Quadripartito pag.* 195. descriptum.

CAPUT IV.

DE

SEMINE DAUCI CRETICI.

§. 1.

SEMEN DAUCI CRETICI oblongum, acuminatum & incanum semen est, hispido cortice cinctum, boni saporis odorisque fortis. Ex Insula Candia Venetiis in Germaniam vehitur, & quamvis etiam in Alpibus, in Helvetia & alibi reperiatur, qualitatibus tamen virtutibusque Cretico non accedit, multo minus hortensis ac pratensis daucus, ubique apud nos in copia inveniendus; solus igitur Creticus ad theriacam sumitur.

§. 2.

Planta inter rupes, in locis lapidosis, unius atque dimidii pedis altitudine, è radice digitum crassa, excrescit. Ratione foliorum fœniculo aliquantum similis est, & in summitatibus caulium distinctas, albisque floseulis exornatas umbellas gerit, sub quibus ipsum semen instar cumini progerminat, ut ex *Pometi* figura apparet, foliis Botanicorum, inprimis *Paullini* descriptioni non prorsus simili, propterea *Plukenetus* eam sumsit emendandam.

§. 3.

Ratione usus ac virtutis magnam cum cumino & angelica habet affinitatem, ut *D. Ettmüllerus* in *Comment. Schrad. pag.* 562. docet. Vi enim, qua pollet, valde calefaciente flatus dissipat, uteri doloribus medetur, calculumque pellit & urinam; unde *Helmontius* senior in *Tract. de calculo cap.* 1. §. 19. *cap.* 7. §. 14. & *Charleton*, Medicus Anglus, *Libr. de Spiritu lapidifico pag.* 177. multum in isto ponunt fiduciæ. Quamobrem Angli hodierno adhuc die certam cum illo faciunt cerevisiam contra calculum; quemadmodum similem ex cochlearia ad scorbutum, ex radice Chinæ adversus luem & eam, ex corti-

cibus

cibus citri contra colicam præparant, qua de re *D. Ettmüllerus* pluribus consulatur. Clarissimus Daniæ Botanicus, *D. Simon Paulli*, semen istud contra assumtum venenum quoque commendat, alii adversus aranearum ictum: quæ fortasse causa est, quamobrem veteres istud theriacæ voluerint insertum.

§. 4.

Quoniam vero semen ante sæpius veterascit, quam ex Candia per Italiam ad nos vehatur, id dandum est operæ, ut emendum recens adhuc sit, perfectum ac virtutibus integrum, ab omni etiam pulvere & corticibus bene depurgatum. Quod si bonæ notæ haberi nequit semen, Daucus Italicus istius loco sumendus, ut *Schræderus in Pharmacop. Medico-Chymicâ* jam suo tempore consulit.

§. 5.

His similibusque plantis umbelliferis nota hodie

VISNAGA

aliquantum similis est, quam speciem Gingidii pronunciat *Ammannus* in *Char. Plant. Nov. pag.* 615. Folia habet fœniculacea, semenque longiusculum striatum, longis caulibus & cuspidibus innixum. Ex Turcia venit, quanquam Parisiis quoque in horto Regio atque alibi planta alatur. Istic cuspides loco dentiscalpii usurpantur, bonumque in ore saporem relinquunt; istos vero magnos luteosque esse oportet & prorsus integros, v. *Pometus* in *Histoire des Drogues p.* 188.

CAPUT V.

DE

SEMINE SESELEOS MASSILIENSIS.

§. 1.

SEMEN SESELEOS MASSILIENSIS longiusculum, planum & angulosum est, quod in Gallia, præsertim in Provincia Languedoc circa Massiliam istumque tractum, sponte in copia crescit, ac fœniculo sylvestri videtur haud dissimile. Quam ob causam ejus etiam planta pro specie fœniculi habetur, quam Latini fœniculum tortuosum vocant, quoniam caules quasi intorti crescunt. Alias ubique juxta vias inque locis incultis, in campis planis æque ac in montibus invenitur; in æstate floret, floresque albos ac parvos profert, adinstar cæterarum umbelliferarum, cum semine simul umbellam formantes, ut ex figura, quam Gallicus Materialista *Pometus* habet, apparet.

§. 2.

Equidem plures alibi istius plantæ deprehenduntur species, utpote Cretica, Æthiopica & Pratensis, quod *D. Hoffmannus* in *Clavi Schræd.* fusius exponit. Nulla tamen præterquam Massiliensis est in usu, & quidem ejus solum semen materialibus annumeratur; quanquam, teste *Charasio*, radix & folia non minus valde aromatica sint, atque semen ipsum. Quodsi vero Creticum bonum & æquo etiam pretio posset haberi, Gallico si non præferendum, saltem æquiparandum, quoniam omnes ex Candia advectæ plantæ, ob regionis indolem, aliis sunt efficaciores, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 663. testatur.

§. 3.

Id interea dandum est operæ, ut semen maturum bona siccaque tempestate colligatur, & ad emendum oblatum, perfectum viridiusculo pallidum, acris & aromatici saporis sit. Pallidum contra abjiciendum, quod nimis diu cauli insedit viribusque destitutum est, sicut parvum, leve & imperfectum ad maturitatem nondum pervenit, ut prædictus *Charasius* in *Hist. des Simples qui entrent la composition de la Theriaque pag.* 219. docet.

§. 4.

Ad theriacam potissimum usurpatur, & iisdem fere qualitatibus pollet, atque petroselinum Macedonicum; præterea vero in omnibus quoque pectoris affectibus perutile est, ac pro specifica antidoto adversus cicutam habetur, id quod ex *Schræderi* Pharmacopœia Anglus Medicus *Samuel Daleus* in *Pharmacologia sua pag.* 182. bene observavit.

CAPUT VI.

DE

SEMINE PETROSELINI MACEDONICI.

§. 1.

SEMEN PETROSELINI MACEDONICI secundum formam externam Ammeos semini haud dissimile, petroselini vulgaris semine longius est, sed tamen tenuius, parvum, striatum & villosum, coloris obscure viridis, saporis

acris

acris & aromatici, odorisque fragrantis. A Macedoniæ Regno id nominis obtinet, ubi copiosè progerminat, & unde in Europam vehitur; solum quippe semen apud nos in medicinam insumitur.

§. 2.

Ipsa planta apio nostrati similis est, pro quo istam *Samuel Dalecu* vult haberi in *Pharmacol. pag.* 198. quam etiam cum reliquis nostri temporis Botanicis plantis umbelliferis annumerat, quoniam instar fœniculi florem ac semen in umbellæ modum profert. Auctore *Marxio* in Gallia locis umbrosis humidisque viri altitudine perhibetur excrescere, vid. Ejus *Mater. Mus. pag.* 152. Ipsi interea Galli, utpote *Pometus*, *Charasius* aliique istud ignorant, quin potius auctores nobis existunt, ut ejusmodi semen ex solo natali curemus advehendum, cujus consilii nullam haberent rationem, si in Gallia posset haberi. Nostras igitur apium pro vero Petroselino Macedonico vix habendum, eique neutiquam substituendum est.

§. 3.

Multo minus semen petroselini vulgaris illi volunt æquiparari, quod aliàs Clarissimus Daniæ Medicus, *Simon Paulli*, in *Quadripartito Botanico pag.* 428. & *Dan. Ludovici in Pharm. Moderno Sec. appl. pag.* 408. intendunt, dum Macedonicum vi diaphoretica & alexipharmaca vulgari multum præstare id quod non doctissimus solum *Ettmüllerus Oper. Tom. I. pag.* 626. confirmat, sed odor etiam saporque ac cæteræ qualitates clare ostendunt. Quamobrem *Myses Charasius*, Pharmacopola Parisiensis, in certo aliquo *Tractatu*, quem *de ingredientibus theriacæ* conscripsit, *pag.* 161. conscientiosis honorisque cupidis Materialistis ac Pharmacopolis hoc impertitur consilii, facere se melius, si tantum in unciam unam seminis Petroselini Macedonici insumerent, quanto alias libra vulgaris potest comparari.

§. 4.

Nec quodcunque istius nominis semen indiscriminatim ad theriacam sumendum, sed, ut cum reliquis ingredientibus solet fieri, optimum eligendum. A Materialistis igitur non inveteratum emamus, sed recens, viribus pollens, aromaticum odoreque bonum; pulverulentum super charta ventilando depurgandum.

§. 5.

Præcipuus vulgatissimusque ejus est usus, ut ad Theriacam, Antidotum Matthioli ac quorundam Medicorum Tincturam Bezoard. fumatur, quod ei vim adscribunt alexipharmacam; quanquam ipse *Galenus Lib. I. de Antidot. cap.* 30. *pag.* 304. semen istud non tam ob prædictam virtutem, quam quod ventriculum roboret ac hydropicis ferat opem, commendet, quoniam petroselini vulgaris adinstar urinam fortiter ciet, vid. *Schraderus* in *Pharm. Med. Chymica pag.* 119. Cæterum etiam credendum, enervatam viri potentiam isto posse excitari, ac Batavorum hic quoque valere proverbium:

Peterselj helfft the Man tho Paerdt,
Ende the Vrouven onder the Aerdt.

CAPUT VII.

DE

ANISO.

§. 1.

ANISUM oblonge rotundum, parvum & striatum semen est, coloris viridiusculè flavi, saporis dulcis & aromatici, odorisque grati. Bambergæ in Franconia copiosè colitur, in multa Germaniæ loca transvehendum. Aliqua etiam ejus species ex Italia Venetiis alias in regiones transportatur, multa minora tamen grana habens, quam anisum Germanicum, de quo videatur *Schurzius in Mater. Museo pag.* 82.

§. 2.

Planta, ad umbelliferas referenda, ut fœniculum, cuminum, angelica similesque floret, quibuscum ratione qualitatum & operationum multum etiam convenit. Rotunde divisa folia habet, quæ eo sunt tenuiora, quo altius crescunt. Ipsa planta usum in Medicina habet nullum, utpote quæ solo semine est contenta.

§. 3.

In ejus collectione emtioneque ad id attendamus animum, ut cineraceum sit, non inveteratum, vere siccatum, non humidum, quod facile nigrescit & corrumpitur. Magna crassaque grana acri & aromatico, dulci tamen & non amaro sapore prædita, habens, pro optimo habetur, nec ulteriori præparatione indiget, præterquam quod à caulibus aliisque quisquiliis ventilando bene depurgetur, quibus alias Venetum ac Melitense anisum defœdatum est. Quam vero pernicioså anisi præparatio sit, quando torretur ante, quam ad theriacam sumitur, *Charasius* suo jam tempore *Libr. de Theriacæ Ingredientibus pag.* 207. clare ostendit, dum inutili ista ridiculaque præparatione optimæ volatilesque particulæ evolant, reliquæ verò temere comburuntur.

§. 4.

Hoc autem semen sive per se relinquatur, sive saccharo obducatur, propter plurimas oleo-

ſas particulas vi vehementer calefaciente pollet, proptereaque quatuor ſeminibus calidis majoribus annumeratur. Omnia capitis, thoracis atque abdominis membra confortat & calefacit, flatus diſſipat, infantes à torminibus defendit, iſtaque demulcet, ſive à lactantibus (quibus lac ſimul auget) crebrò ſumatur, aut tenellis infantibus lapidibus cancrorum permiſtum, cum pulte aut lacte ingeratur. Id verò memorabile eſt aniſi pulverem, ſcrupuli pondere, infantum ciere alvum, ob eam procul dubio rationem, quod flatus ac convulſivas inteſtinorum extenſiones demulcet.

§. 5.

Ejusdem etiam efficaciæ eſt oleum aniſi deſtillatum; quanquam inficias eundum non ſit, ſemen ipſum decoctum multo citius diſſipare flatus, quam oleum artis legibus præparatum. Quo ipſo cum celeberrimo Batavorum Medico *D. Heurnio Simon Paulli* in *Quadripartito Botanico pag.* 103. demonſtravit, ſimplicia multò efficaciora certioraque eſſe in medendo, quam neſcio quæ Pharmacopolarum conſarcinata compoſita. Quum Numen Divinum plantas aliasque creaturas creavit, omne, quodcunque intuebatur, bonum erat: miſeri vero homines, in melius res creatas transferre ſibi ſumentes, miſerabiles ſpiritus, eſſentias, tincturas ſimiliaque creatoris mixturis præferunt; quæ cauſa eſt, quamobrem plures adhuc inſanabiles morbi numerentur, de quibus *Seidelius* integrum *Tract.* conſcripſit, ut in præfatione hujus operis jamdum memoravimus. In viam verò redeuntes, oleum aniſi non prorſus abjiciendum, ſed digno æſtimandum pretio eſſe exiſtimamus, quippe quod omnino præſtans penetransque album oleum ſit, quod parvo frigore congelatum, exiguo calore iterum tenue fit & fluidum; guttatim purgantibus ad evitanda tormina permiſcetur. Smalkaldiæ in Thuringia balſamum ſulphuris aniſatum, in officinis vero ☋☉☽ aniſatum exinde præparari, ob præclaras in anhelatione & aſthmate virtutes, ante eruptionem morbillorum ſæpe infeſtante, ſpiritum pectoralem vocatum, conſtat. Laudatus Galliæ Pharmacopola *Charaſius* in *Pharmacopol. Regio* oſtendit, viridiuſculum quoque oleum ex aniſo poſſe exprimi, fere adeo bonum, atque deſtillatum, à nonnullis Quinta Eſſentia aniſi habitum. Utrumque oleum multis in caſibus etiam externe à Medicis æque atque iis, qui corio, ſacculis ſimilibusque rebus gratum odorem conciliant, uſurpatur; quemadmodum *B. D. Ettmüllerus* certum aliquod artificium manifeſtavit, quod chirothecis aut corpori inunctum bonum largitur odorem. Ejus compoſitio hæc eſt: ℞. Zibethi, Moſch. aa. gr. j. ſolve & miſce cum oleo aniſi, uſurpetur, ut dictum; vid. Ejus *Comment. in Schræd. pag.* 515.

§. 6.

Cæterùm paucos ante annos certum aliquod ſemen ex India cœpit afferri, ſapore ac virtute aniſo fere ſimile, proptereaque ANISUM STELLATUM (*Stern-Anis*) dictum, quod ſimul externa forma ſtellam repræſentat, dum ex 6. 7. aut etiam pluribus radiis conſtat, iisdemque omnibus ex eodem centro ortis, qui hiantes tot proferunt grana, quot ſunt radii. Extrinſecus coloris eſt ex flavo fuſci, intrinſecus ſplendet, ſemenque continet oblongum ac ſplendens, inſtar ſeminis lini, quo tamen quater majus eſt. Saporem habet ex aniſo fœniculoque mixtum, odoremque valde bonum, & à quibusdam fœniculum Sinenſe, Zinghi, Badian, à *D. Leonhardo Urſino* Aniſum Canadenſe vocatur. Ex Philippinis Siberisque Inſulis venit, ut *Barthol. Belli* in *Deſcriptione Aniſi ſtellati* oſtendit.

§. 7.

Planta in Sina ac Tartaria creſcit, quæ cum nullum cum aniſo habeat ſimilitudinem, à *Simone Paulli pag.* 102. ejus ſemen pro aniſo neutiquam habetur; quanquam jam pridem ſub hoc nomine à *Cluſio* in *Hiſtor. variorum plantarum cap.* 25. fuerit deſcriptum, hodieque ita vendatur. Multo minus pro fœniculi haberi poteſt ſpecie, quod umbella deſtituitur, diverſumque profert ſemen, de quo *Nebelius* in *Not. ad Amman. Char. Plant. pag.* 284. pluribus legatur. Peculiaris itaque nec adeò nota planta eſt, & ab ſolo ſapore id ſortitur nominis.

§. 8.

Quod ad virtutes ejus attinet, *Franciſcus Redi* in *Exper. Nat. ad P. Kircherum ſcriptis pag.* 172. non plures quidem vires quam vulgari fœniculo & aniſo iſti vult adſcribi; à quo tamen *Pometus* multum diſſentit, quando in *Appendice Material. pag.* 10. libram unam aniſi Sinenſis libris X. vulgaris cenſet præferendam. Hinc *Hermannus* quoque clariſſimus ob ſaporem odoremque gratiſſimum prius præſtare poſteriori exiſtimat, licet qualitatibus reliquis conveniant, & ex utroque æqualiter deſtillari oleum queat. Maxima vis in radiis ſive angulis externoque cortice conſiſtit; nucleus Seminis ſapore fere deſtituitur. Chinenſes iſto fructu penes Coffe Theæque potum ac poſt paſtum utuntur, quo anhelitus ſibi concilient ſuavitatem. Iſtud quoque cum radice Ninzin calidæ aquæ infundunt, quam in modum Theæ bibunt, ad ſe confortandum, ſiquidem ſemen iſtud ventriculum ceteraque viſcera valde calefacere ac roborare, vique ſua balſamica defendere ab renum calculo hunc-que pellere perhibetur. Hodie ſpiritum vini aniſatum inde præparant, ANIS ARAK Batavis dictum, qui certum fructus hujus pondus, Picol vocatum, 120. libras continens in Batavia 20. vel 30. Imperialibus divendunt.

CAPUT

CAPUT VIII.

DE SEMINE CARUI.

§. 1.

SEMEN CARUI parvum, oblongum, ſtriatum, quadantenus falcatum ac fuſcum ſemen eſt, ſaporis acris & aromatici, odorisque fragrantis. Ubique in Germania creſcit, unde multa librarum millia in marina aliaque loca transmittuntur: præſertim Norimbergenſes magna iſtud copia curant avehendum, ut *Marxius* in ſuo *Mater. Muſeo pag.* 46. commemorat.

§. 2.

In pratis, unde etiam nomen habet, planta copiosè creſcit, cujus folia profunde diſſecta ſ. laciniata, caules, quos emittit, angulares & pedem alti ſunt, è quorum faſtigio albi flores in modum umbellarum prodeunt, ſemen iſtud, Junio Julioque menſibus matureſcens, proferentes; quod craſſiuſculum, recens, viridiuſculum, ſaporisque aromatici eſſe oportet, ſi pro bono debet haberi.

§. 3.

Ejus virtutes *Hieronymus Tragus* in *Herbario ſuo pag.* 169. hiſce verbis commendat: Hoc carvum nunc ubique & jam uſitatum, ſuaque æſtimatione dignius eſt, quam aliqua Arabiæ radix. *Helmontius* iſtud, ſecundum fœniculum & cuminum ſativum, pauperum vocat ſolatium, quibus multis in morbis opem ferat. Inprimis ventriculum, caput & memoriam confortat: colicam flatulentam diſſipat, uterique & abdominis demulcet dolores, præſertim à cereviſia fæculenta maleque cocta, acido vino ſimilibusque ortos, quibus in caſibus ſemen contuſum & ad ſemidrachmam datum citam præſtat opem, vid. *Ettmülleri Comment. Schræd. pag.* 535. Non minus ſuppreſſam urinam promovet, doloresque ſedat nephriticos, maxime colicæ, ut plerumque fieri ſolet, junctos.

§. 4.

Diverſis autem modis ſemen internè & externè uſurpatur, dum vel integrum cum maſſa panis, caſeis aliisque cibis apud nos ſubigitur, & ità etiam cum ſaccharo obducitur, quo ſæpius acidularum potatores utuntur: vel aqua & oleum inde deſtillantur, quod ultimum ad aliquot guttas ſumtum in prædictis morbis, præſertim colica, certum & indubitatum affert levamen. Externè clyſteribus addunt; cum pane ſubactum coctumque, & ita calide abdomini impoſitum, colicam ſedare, vaporem vero auditum reſtituere perhibent, autore *D. Simone Paulli in Herbario pag.* 40.

CAPUT IX.

DE SEMINE CUMINI.

§. 1.

SEMEN CYMINI ſ. CUMINI bis fere habet magnitudinem ſeminis carui & ex flavo ſpadiceum eſt, oblongum & ſtriatum, ſaporis acris & aromatici, odoris fortis & adverſi. In Apulia copioſe creſcit, in planta fœniculo haud diſſimili, & ex Italia in Germaniam fertur. Colitur quoque in Negroponto, quod tamen nec tam magnum, nec tam purum eſt, atque prius. Duæ præterea in Maltha Inſula perhibentur ſpecies inveniri, quarum una acrem cinamomi, altera dulcem aniſi referat ſaporem, ut *Schurzius* & *Marxius* in ſuis *Material. Muſeis* ſibi perſuadent. Imo *Samuel Dalecus* in *Pharmacol. pag.* 178. atque *Pometus* in *Hiſtoria Materialium pag.* 11. non dubitant affirmare prædictum cumini ſemen etiam in Maltha coli, ibidemque, ut apud nos fructus, totis in campis ſeri.

§. 2.

Ratione virtutum cum ſemine carui, fœniculi & aniſi conſpirat, dum ipſum ſemen pariter atque oleum ejus deſtillatum ad flatus in colica, tympanite ſimilibusque morbis potenter diſſipandos, vi etiam aromatica ad nervos viſceraque roboranda aptum natum eſt. Interea tamen in uteri affectibus cuminum caruo longe præfertur, utpote quod menſes lochiaque poſt partum magis promovet, ad nothos etiam parturientium dolores, in cereviſia coctum potumque, valet ſedandos, vid. *Ettmüllerus in Comment. Schræder. pag.* 557. In eò autem ab aniſo diſcedit, quod illud lactis generationi proſpiciat, hoc contra internè externeque uſurpatum lac imminuat, in ablactatione infantum propterea commendandum. Propter vim iſtam penetrantem & calefacientem equis etiam bobusque utiliter

ingeritur, ſi quando forte intumeſcunt aut inflantur: & quoniam columbarum captatores cumino eſcæ permiſto vehementer retinere ſ. attrahere columbas perhibentur, aliquibus in locis ejus venditio mercatoribus interdicta eſt, quemadmodum *Pometus l. c.* memorat.

§. 3.

In emtione ſeminis videndum, ut ne cariosum ſit: id quod ex eo facile cognoſcitur, quando inter digitos detentum ſublatumque in altum grana oſtendit ſibi invicem adhærentia. Optimum cuminum craſſum eſt, viridiuſcule flavens, durum, fortis ac fere fœtentis odoris, purum, nec pulvere permiſtum.

CAPUT X.

DE

SEMINE NIGELLÆ.

§. 1.

SEMEN NIGELLÆ nigrum, anguloſum rugoſumque ſemen eſt, ſaporis acris, odorisque valde fortis. Alias quoque nigrum & Romanum coriandrum vocatur, partim ob fortem odorem, partim quod ex Italia primum venit, prout hodie adhuc nonnulli Italum indigenæ Bambergenſi ac Norimbergenſi volunt præferri, ut ex *Pometo Material. Muſeo pag.* 42. apparet.

§. 2.

Planta Botanicis Melanthium audit & altitudine duorum forte pedum excreſcit, tenuibus inciſisque viridibus foliis, floribus magnis cœruleis, vel etiam pallentibus, iisdemque vel ſimplo foliorum ordine conſtantibus, vel aggregatis & plenis, ornata, ut ex figura apparet. Iſtis magnus, in quinque capſulas diſtinctus, totidemque apicibus corniculatis præditus ſuccedit folliculus, ſemina continens non lutea vel cineracea, ut *Pometus* ſcribit, ſed ſtatim nigra: quæ etiam inditi nominis eſt ratio.

§. 3.

Semen eligatur recens, craſſe granulatum beneque maturum, fortis & quaſi aromatici odoris. Id etiam obſervandum, ut ne loco coriandri nigri ſemen Nigellaſtri offeratur vendendum, prioribus qualitatibus deſtitutum, inque uſum medicum non adhiberi ſolitum, id quod *Simon Paulli* adverſus *D. Schræderum* in *Quadrip. Botanico fol.* 391. aſſeruit. Conf. etiam *Hoffmannus in Clavi Schræd. pag.* 514.

§. 4.

Vis ejus calefaciens eſt, exſiccans ac reſolvens, qua ſanguinis aliorumque humorum circulum promovere, proptereaque interne menſes ac lochia ciere aptum natum eſt: id quod non ſolum *Foreſtus in Obſerv. L. XXVIII. obſ.* 4. in hominibus, ſed vulgus etiam in vaccis, quibus poſt vitulorum enixum coriandrum eundem ob finem ingerunt, confirmant. Quidam etiam ſemen iſtud ad lac mulierum augendum enecandosque lumbricos valere exiſtimant. Externè verò quotidie in affectibus catarrhalibus & coryza nodulis inditum, à probatiſſimis Medicis feliciter uſurpatur; vide, ſis *Hartmannum, Tabernæmontanum, Ettmüllerum*, & alios. Externè quoque quartanam aliasque febres dicitur curare.

§. 5.

Num vero aliquid virulenti malignique ſecum ferat, quæ quorundam eſt opinio, de eo *Hermannus* non immeritò dubitat in *MSS. ſuis*, quum ab aliis potius tanquam antidotum commendetur. Cujus opinionis ea fortaſſe eſt origo, quod recens ſemen os afficit, & quaſi inflammat, à quo adultiori facto non eſt quamobrem timeamus; ut adeoque correctione cum aceto, quod iſtud potius viribus caſtrat, non indigeat. Aqua & oleum, quæ exinde poſſunt deſtillari, raro præſcribuntur, ac propterea non in omnibus habentur officinis.

CAPUT XI.

DE

SEMINE FOENICULI.

§. 1.

FOENICULUM notiſſimum, oblongum & ſtriatum ſemen eſt, in altero latere paulum depreſſum, ſaporis dulcis & aliquantum acris, odorisque fragrantis. Ad ſemina IV. calida majora pertinet, viribusque ac qualitatibus cum aniſo plurimum convenit.

§. 2.

In omnibus Germaniæ locis fœniculum in hortis colitur; quod vero in Italia, circa Florentiam,

tiam, & in Gallia in provincia Languedoco copiose seritur, multo gratiorem ac prorsus aromaticum habet saporem, propterea que præ aliis à Gallico Pharmacopolâ *Moyse Charasio* ad theriacam sumitur, ut in ejus *Tractatu de Theriacæ Ingredientibus pag.* 209. legitur: in cujus defectu nostras etiam bonum est.

§. 3.

Quod ad usum fœniculi attinet, non semen solum, sed ipsa quoque planta cum radice multifariam ad medendum usurpatur, utpote quæ, cum aqua vel vino cocta, potum lactantibus suppeditat, ad lac valde augendum istique balsamicum saporem communicandum, præstantem, eamque ob causam ab *Amato Lusitano*, *Hartmanno*, *Ettmüllero* aliisque præclarissimis Medicis valde commendatum: quod decoctum urinam quoque & catamenia suppressa dicitur promovere. Cæterum aqua ex isto destillatur, quæ debilem visum exacuit, oculorum quoque unguem similesque affectus dissolvit. Id quod insidens floribus sive umbellæ ros similiter præstat, præsertim si aliquid sacchari cavo fœniculi cauli inditur, in istoque per noctem relinquitur, donec ab rore & fœniculi humiditate in tenuem aquam fuerit solutum. Hoc tanquam præcipuum aliquod ophthalmicum *Bartholetus* commendat, vulgoque credunt, istum ophthalmicum fœniculi usum à serpentibus esse detectum, de quo *D. Strobelbergerus* in peculiari *Tract. de Fœniculo* potest evolvi.

§. 4.

Quàm vero præstans seminis hujus vis calefaciens sit, balsamica & carminativa, unicuique notum est, ob quam etiam stomachica medicamenta crebro ingreditur. Nec sine fructu in torminibus ventris præscribunt, dum non flatus solum dissipat, sed convulsivas quoque intestinorum contractiones demulcet, propterea que purgantibus miscendum, & contra artuum tremorem, à ☿ vivi usu vel tractatione ortum, à *Dn. D. Hoffmanno* in *Notis ad Schrœderum p.* 476. commendatur. Inprimis in omnibus pectoris affectibus nobile remedium est, pituitam pulmones incrustantem resolvendo, anhelosis & asthmaticis fert opem: tussim præsertim gravidarum sistit, quibus fœniculum vel eo magis commendandum, quo magis credibile est, ab istius esu infantum oculos in utero fieri clariores, de quo *Ettmüllerus in Comment. Schrœd.* agit uberius.

§. 5.

Quæ omnia etiam oleum fœniculi destillátum præstat, si aliquot ejus guttæ cum sacchâro permistæ sumuntur. In istius destillatione aqua habetur gratis, ad aquas ophthalmicas sæpius præscribi solita. Nonnulli saccharo condiunt flores, quos pro concilianda anhelitus odorisque gratia divendunt; sicut cum olivis quoque cucumeribus similibusque condiuntur. Dulciarii & confecturarum magistri saccharo obducunt semen, quod pro quantitate majore minoreque incrustantis sacchari in sortes distinctas, distinctis numeris signandas, dividunt. Adinstar confectionis cumini ab acidularum potatoribus usurpatur.

§. 6.

Quæ præparationes omnes recens, crasse granulatum, oblongum ac viridiusculum requirunt semen, quod boni ac saccharati sit saporis, ab omnibus apicibus sordibusque bene depurgatum.

§. 7.

Præter fœniculum vulgare habetur etiam

FOENICULUM MARINUM,

cujus delineatio in *Musc. German.* juxta vulgare, sistitur contemplanda. Crithmum à Doctoribus vocatur, quod in rupibus maris & alibi, unde nomen recepit, libenter crescit. Quæ planta quanquam raro in officinis usurpetur, & ad solum syrupum nephro-catharcticum requiratur, conditi tamen aceto flores multis in locis, præsertim in Gallia, à Magnatibus inter cœnam, loco capparum, adhibentur, ex Hispania advecti, quos Galli *Fenoüil marin* vocant. Galli istos una cum cucumeribus aceto condiunt, quibus saporem conciliant vehementer gratum.

§. 8.

Vires fœniculi marini in promovenda urina similiter celebres sunt, atque vulgaris. Non minus ictero dicitur proficere, de quo *D. Simon Paulli* in *Quadripart. Botan. pag.* 278. pluribus legendus.

CAPUT XII.

DE

SEMINE CORIANDRI.

§. 1.

SEMEN CORIANDRI rotundum, obscure flavum & striatum est, cujus interior medulla sub tenui cortice in duas partes dividitur. Saporem habet subdulcem, acrem tamen & aromaticum, odoremque, si non nimis recens est, fragrantem. Græcis scriptoribus Κόριον dicitur, quoniam recens adhuc cimicem redolet, de quo lege, sis, *Scapulam* in *Lex. Græco-Latin. pag.* 849.

§. 2.

Planta quæ ſemen iſtud profert, in hortis creſcit, ac primum foliis fœniculo, ultimo autem floribus chamomillæ ſimilis eſt, atque chamomillam vulgarem valde forti adverſoque odore imitatur, florem umbellatum album, purpureo colore interſtinctum, gerit, cui folliculi ſemen continentes ſuccedunt. Et quanquam ſimilis aliqua planta ſponte creſcat, coriandrum ſylveſtre vocata, prioris tamen ſolum ſemen in officinis uſurpatum quæritur. Venetiis & Magdeburgo magna in copia transfertur: ultimum tamen priori minus eſt, ut *Schurzius* in *Material. Muſeo* oſtendit.

§. 3.

Recens collectum non ſtatim conſarcinandum aut includendum, ſed in ſolario prius diſpergendum eſt exſiccandumque, quum verendum ſit, ne, ſi pauxillum non recte exſiccatum fuerit, reliquum omne humidum recipiat, ac prorſus corrumpatur. Deinde à gliribus muribusque bene defendendum ſemen, quippe cujus deſiderio vel maxime tenentur, quod utrumque *Pometus* in *Hiſtor. Material. pag.* 18. bene obſervat, ſimulque docet, quodnam præ alio eligendum ſit, recens ſcilicet, perfectum, craſſe granulatum & ab omnibus quisquiliis depurgatum.

§. 4.

Cæterum in officinis plerumque tamdiu in aceto maceratur, donec crepat, quo ipſo virus extrahi exiſtimant, quoniam multorum opinione mali quid capitique nocivi creditur fovere; quam ſuperfluam præcautionem non quidem nocere, ac propterea permitti poſſe *Simon Paulli l. c. pag.* 277. exiſtimat, quum tamen ipſe aliique clariſſimi Medici vim coriandri virulentam negent, præterquam quod ob ſuperfluam humiditatem recens adhuc planta odorem habeat adverſum, exſiccatione tamen ſponte evanidum, acerum etiam nobile hoc ac balſamicum ſemen viribus caſtret, jam pridem in officinis clariſſimus *Zvvelferus* in *Animadverſionibus ſuis in Diſpenſatorium Auguſt. pag.* 410. jure in Pharmacopolas animadvertit: quem etiam ab aliis defendit *Hoffmannus* in *Clavi Schræd. pag.* 433. ubi hac de controverſia invenies plura.

§. 5.

Multifarius coriandri uſus eſt, dum in œconomia cereviſiæ, pani ac lucanicis valde gratum conciliat ſaporem, in Medicina vero ſtomachum ac caput confortat, ac propterea vel ſaccharo obductum ſub confecturis, vel in trageis ſtomachalibus utiliter uſurpatur, ut *Schræderus pag.* 50. docet. Quidam confectionem purgantem inde conficiunt, cujus deſcriptionem invenies in *Ettmülleri Commentar. in Schræderum pag.* 553.

CAPUT XIII.

DE

CARDAMOMO.

§. 1.

CARDAMOMUM in officinis duplex eſt, majus & minus.

CARDAMOMUM MAJUS

ex anguloſis, parvis incanisque granis conſtat, aromatico & odore & ſapore, ſed cardomomo minore debilioribus præditis. Perraro in officinis habentur, quæ iſtorum loco grana Paradiſi offerunt, ut capite præcedente memoravimus. Ex Indiæ Orientalis locis Cananor, Java Inſulaque Ceilon veniunt.

§. 2

Planta Indis vocari *Enazal* perhibetur, quod Clariſſimus *Hermannus* in *Codeg. MSC.* recenſet. Quo autem modo creſcat, inter Scriptores Indiæ non convenit. *Garcias ab Orta* ſcribit grana iſta, piſorum adinſtar, ſeri ſimilique modo creſcere: alii plantam inſtar ocymi apparere in agris referunt. *Jacobus Bontius* pluresque alii, ex externa facie, ſpeciem eſſe arundinis exiſtimant, qua de re *Hoffmannus* ex illius *Commentario* ſeu *Clavi Schræderiana pag.* 429. agit fuſius. Omnes tamen confitentur grana iſta in triquetris ſiliquis contineri, ter longioribus, quam cardamomi minoris ſunt capſulæ, unde etiam majora dicuntur. Grana Paradiſi autem, ob craſſiſſimas ſiliquas, vocantur maxima.

§. 3.

CARDAMOMUM MINUS,

ſive cardamomi minoris grana plerumque in parvis, triquetris & aliquantum oblongis ſiliquis ex India per Bataviam ad nos veniunt, quæ extrinſecus incanæ ſunt, ſtriatæ, & exiguo aliquo petiolo præditæ. Sacco inditæ baculo rotundo tamdiu verberantur, donec ſiliquæ aperiantur & decidant, quibus ventilando ſeparatis grana per cribrum depurgantur, ut *Schurzius* in *Material. Muſeo pag.* 85. oſtendit. Quæ grana ita depurata parva, anguloſa & cæſia ſunt, acris & aromatici ſaporis, odorisque fragrantioris, quadantenus camphoram imitantis.

§. 4.

Planta, ex qua depromuntur, valde adhuc ignota eſt, præterquam quod *Pometus* à ſe præpoſitam figuram, quam tamen pro vera non vult vendi-

venditari, communicaverit: tempus certiora docebit; nobis interea fructus, quem quoad ejus fieri potest, recentem, perfectum, gravem minime carioſum eſſe oportet, ſatisfaciat.

§. 5.

Iſtud ſemen vulgo intelligitur, quando ſine additione cardamomi fit mentio, præſertim quum prior ſpecies perrara ſit, nec facile habeatur: idque cauſæ eſt, quamobrem minus in Medicina & alibi fere ſolum uſurpatur, quum utrumque iisdem viribus polleat, præterquam quod minus paulò fortius ſit ac penetrantius. Sicut cetera aromata, vim habent calefacientem, magis tamen temperatam; dum enim omnia fere aromata maſticata os faucesque vehementer afficiunt, & tantum non inflammant, à cardamomi granis id non eſt metuendum incommodi. Ventriculum confortant, inteſtinorum flatus reſolvunt, ideoque colicæ uterique morbis proficiunt. Non minus in vertigine aliisque capitis morbis ortis, & ad confortandam memoriam ſe commendant, de quibus *Ettmüllerus* in *Schrædero Dilucidato pag.* 532. pluribus eſt legendus.

CAPUT XIV.

DE

GRANIS PARADISI.

§. 1.

GRANA PARADISI triquetra & parva ſunt, extrinſecus ex rubro fuſca, intrinſecus prorſus alba, ſaporis acris & fervidi & tantum non piperati. A quibusdam cardamomum maximum vocantur, quæ ſine dubio erroris cauſa extitit, quod pro cardamomo majori, quod proprie media ſpecies eſt, habeantur, inter quæ tamen multum intereſt diſcriminis. Interea tamen Gallicus Myropola *Moyſes Charas* in *Tract. de Theriacæ Ingredientibus pag.* 215. affirmare non dubitat, ejusmodi fructum cardamomo eſſe annumerandum, habitoque ad magnos folliculos reſpectu, in quibus creſcit, pro maximo cardamomo poſſe haberi.

§. 2.

Planta, ex qua grana Paradiſi progerminant, vocatur Malaguetta, unde Galli ipſum quoque fructum Maniguette ſ. Melligette nominant. Folia habet eleganter viridia, folliculosque profert mediocriter magnos, jucunde rubros craſſosque, ac figura ficus repræſentantes. In iſtis continentur grana, vel propter pulchritudinem, aut odorem valde gratum, quem recentia ſpargunt, grana Paradiſi vocata. Exteri vero Melaquette nominant, quoniam ex Melega, Africæ oppido, primum dicuntur veniſſe; quanquam hodie è diverſis locis S. Malo ad Nos perferantur; quorundam opinione in Gallia quoque inveniri planta dicitur, de qua tamen Gallicus Materialiſta *Dn. Pometus* prorſus tacet.

§. 3.

Grana Paradiſi qualitatibus ſuis piperi valde prope accedunt, præterquam quod aliquantum debiliora nec adeo fervida ſint. In omni paralyſi ad confortandos nervos commendata, raro alias in Medicina uſurpantur. Aromatarii circumvagi lucroque inhiantes Pharmacopolæ contuſo piperi miſcent, tanquam multo viliora, dum libra una piperis XV. vel XIIX. albis, libra vero granorum Paradiſi VI. albis nunc poteſt emi, ut adeoque Oeconomiæ conſultum ſit, ſi aromata emantur integra.

CAPUT XV.

DE

SEMINE SAXIFRAGIÆ.

§. 1.

SEMEN SAXIFRAGIÆ ex rotundis ac rubicundis nodulis conſtat, exiguum piſum magnis, è radice plantæ excreſcentibus, proinde reaque à *Schrædero* radicibus annumeratis. Seminis tamen apud Materialiſtas & in officinis huc usque ſibi vindicarunt nomen, quoniam in rubris corticibus exigua navique ſimilia concava granula reperiuntur, quæ iſtis fortaſſe ſeminis compararunt nomen.

§. 2.

Quamvis permultæ plantæ ſaxifragiæ veniant nomine, quæ vel inter ſaxa excreſcunt, vel renum ac veſicæ calculum imminuere ac propellere perhibentur; vulgo tamen ſaxifragia

gia alba foliis rotundis intelligitur, cujus in officinis aqua proſtat crebriusque præſcribitur. In pratis illa copioſe creſcit.

§. 3.

Ipſum ſeminis nomen vires uſumque indicat: quoniam enim renum ac veſicæ calculos, juxta plantam delineatos, imminuere, iſtosque una cum materia pituitoſa, renes obſidente, educere, ac per urinam, quam promovet, ejicere perhibetur, id ſibi inditum nominis eſt; quem in finem etiam aqua ex planta deſtillata quotidie præſcribitur. Enimvero *Ettmüllerus* parum in iſtis ponit fiduciæ, quin potius utrumque parum iſtis in affectibus præſtare exiſtimat, haud ſecus atque cætera lithontriptica medicamenta ſpem de ſe concitatam non tuentur, adeo, ut doctiſſimi Medici in utramque partem diſputent, num in toto terrarum orbe medicamenta calculum atterentia, Lithontriptica iſtis vocata, reperiantur?

§. 4.

Quando tamen ſemen conquirendum inque officinis aſſervandum eſt, id detur operæ, quo recens accipiatur, aliquam in lingua relinquens acrimoniam, de quo vid. *Pometus* in *Hiſtoria Simpl. pag.* 10. qui tamen veram plantam nec delineatione nec deſcriptione ſubjecit oculis.

CAPUT XVI.

DE

SEMINE AGNI CASTI.

§. 1.

SEMEN AGNI CASTI ex rotundis granulis conſtat, piper fere imitantibus, ſed tamen minoribus, ultra medium cinereo capitello, inſtar glandium, inſidentibus, iſtis vero per ſe obſcure fuſcis, acris & aliquantum adſtringentis ſaporis. Ex Italia maximam partem feruntur, quanquam planta quoque in quibusdam Germaniæ hortis colatur.

§. 2.

Frutex ſ. arbuſcula, in qua hoc reperitur ſemen, juxta aquas & in hortis creſcere amat; tenues tenacesque ac macilentos ſurculos habet atque folia inſtar ſalicis, unde etiam vitex nominatur. Et quoniam referunt pias quasdam Virgines Athenienſes, in perpetua caſtitate vivere volentes, ſuper foliis hujus arbuſculæ dormiviſſe, eamque ob cauſam etiam Monachos in monaſteriis illam ipſam alere, Agnus Caſtus huc usque vocari meruit: hæcque fortaſſe cauſa fuit, quamobrem ſemen iſtud poſtea in ſeminis profluvio aliisque morbis venereis fuerit uſurpatum. Alias duplicis ſpeciei eſt, quarum una diviſa, integra alia habet folia.

§. 3.

Quod qui emere ſemen volunt, id dent operæ, quo recens craſſeque granulatum, ex calidis regionibus Italia Siciliaque advectum, accipiant, quum in frigidis regionibus difficulter maturitatis debitæque virtutis adipiſcatur gradum.

§. 4.

Tantum abeſt ut Medici easdem iſti qualitates uno ore adſcribant, uti potius longe diverſiſſimas eidem tribuant operationes. *Sebræderus* menſes ciere exiſtimat, cui virtuti *D. Hoffmannus*, Ejus interpres, vim augendi lac ſuperaddit, plurimi vero iſtud ad imminuendum virile ſemen & compeſcendam ejus ebullitionem valere perhibent. Quæſtio igitur inter doctos exorta eſt, calidane an frigida natura ſemen iſtud polleat? Quam facile acris & aromaticus ſapor, piperi aliquo modo ſimilis, decidit: unde etiam piper Monachorum fuit vocatum. Quemadmodum enim omnes herbæ ac ſemina acri prædita ſapore calidæ putantur eſſe natura, ita idem hoc de ſemine erit judicium: ut adeoque ad excitandum impotentiam virilem, augendamque Veneris cupidinem aptum eſſe judicari poſſit, cujus rei certum aliquod exemplum habet *D. Simon Paulli in Quadripart. Botan. pag.* 189. Quando igitur contrarium operari, caſtitatemque ſartam tectam ſervare creditur, fieri id alio modo nequit, quam nimis exſiccare humiditatem, qua de re *l. c.* pluribus agitur.

CAPUT XVII.

DE

SEMINE THLASPIOS.

§. 1.

SEMEN THLASPIOS parvum, oblonge rotundum, ex nigro fuſcum eſt, quod ore detentum manſumque, præter lentorem, acrem ſaporem inſtar ſeminis naſturtii relinquit. Primum rubellum apparet, quod emturis obſervandum

vandum eſt, qui recens, rubicundum, acre, beneque depurgatum eligant, iſtudque non apud nundinatores olitorios quærant, illius loco ſæpe naſturtii, aut aliud ſemen, aut minimum inveteratum divendentibus. Ob quam cauſam alia quoque ſemina de fidelibus ingenuisque hominibus potius, quam de circumforaneis & erronibus ſunt emenda.

§. 2.

Planta, de qua ſemen iſtud colligitur, Thlaſpi vocantur, quo nomine fere omnes plantæ, quæ ſemen in parvis perulis generant, inſigniuntur, teſte *Ettmüllero in Comment. Schræd. pag.* 673. Ubique & in omnibus regionibus creſcit, imo in locis quoque incultis, &, ut *Moyſes Charaſius* in *Tract. de Theriaca Ingredientibus pag.* 123. obſervavit, plerumque in margine incilium, pedis forte altitudine & folia habet oblonga, inferius lata, ſuperius acuminata. In multos ramuſculos ſe dividit, qui primum parvos albeſcentes floſculos, deinde vero multas perulas ferunt, quarum quælibet bina ſeminum granula continet, principio ex flavo rubentia, deinde fuſca; inveterata autem, ex opaco fuſca apparentia, fere ſola ad medicinam utilia, quum planta ad tingendum quam medendum magis uſurpetur, ut *Ettmüllerus l. c.* teſtatur: quanquam ſint, qui acetariis illam addant.

§. 3.

Quùm vero variæ iſtius plantæ ſint ſpecies, non temere quæritur, de qua potiſſimum colligendum ſit ſemen, maxime ad theriacam ſumendum? Quibus exoticæ res, quam indigenæ, magis placent, Creticam eligunt. Enimverò, quia planta iſta exotica multis nihilo melius quam cani gramen proficit, ut *D. Sim. Paulli* aliqua ab *Adriano Spigelio* deſcripta hiſtoria in *Quadripart. Botan. pag.* 503. demonſtravit, in eo ferè hodie omnes Doctores conveniunt, ſemen indigenum eſſe præferendum, utpote quod cum *Dioſcoridis* deſcriptione prorſus conveniat, vid. *loc. cit.*

§. 4.

Ejus virtutes in ſubtili ac volatili ſale conſiſtunt, quo calefacit & exſiccat. Interne contra malum iſchiadicum valde commendatur, atque ob vim, qua pollet, diureticam, calculum atterere, ſanguinemque coagulatum reſolvere creditur, ut *Pometus* in *Materialium Hiſtor. pag.* 7. commemorat. Memorabile verò eſt, eandem etiam ob cauſam dyſenteriæ ac hydropi mederi, id quod ſupra laudatus *D. Simon Paulli*, ex eoque *D. Hoffmannus in Clavi Schræd. pag.* 559. teſtantur. Menſes quoque ciere perhibetur, adeo, ut *Schræderus* in *Pharmac. Galeno-Chym. pag.* 160. ſcribat, iſtud quoque ad enecandum in utero fœtum valere, propterea quæ gravidis neutiquam eſſe uſurpandum. Externe ejus etiam uſum in ulceribus manantibus commendant, quæ dicitur exſiccare; nares educenda omni humiditate expurgat, ut cætera ptarmica plantæque acres, radix pyrethri ſimiliaque ſolent.

CAPUT XVIII.

DE

SEMINE STAPHIDISAGRIÆ.

§. 1.

SEMEN STAPHISAGRIÆ ex aſperis & ex nigro cæſiis granis conſtat, inſtar corii granulati Indorum, Segrein dicti, apparentibus, iisdemque prope triangularibus, ſaporis acris & urentis, odoris nauſeoſi. Ex Italia Galliaque in Germaniam transportatur; quanquam herba apud nos quoque à nonnullis hortorum cultoribus interdum alatur.

§. 2.

Ipſa ſtaphiſagria herba, pedicularis aliàs vocata, in litoribus maris frequenter creſcit. Magna viridiaque habet folia, profunde diviſa, & quaſi inciſa, foliorum adinſtar vitigineorum ſylveſtrium. Florem è peculiari ſtilo profert cæruleum, quo deciduo virides ſiliquæ prodeunt, grana ita accurate compreſſa continentes, ut, quemadmodum ab ſe invicem diſtincta ſint, vix ſummo ſtudio poſſit animadverti. Iſta vero intrinſecus alba, extrinſecus ex fuſco cæſia plenaque punctulis ſunt, ut inferius in figurâ *Pom.* apparet.

§. 3.

Quod ſemen recens, quoad ejus fieri poteſt, comparandum, & quidem bene maturum craſſeque granulatum, à ſordibus etiam probe depurgatum; quæ omnia ſuperiores qualitates quoque comprobant.

§. 4.

Quod etſi olim etiam intern, etanquam laxans ſive evacuans medicamentum, uſurpatum fuerit, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 668. teſtatur; hodie tamen propter nimiam acrimoniam iſte obſolevit uſus, adeo, ut quidam permitti nolint ſaltem ut ore teneatur, cum aliàs ejusmodi grana in aceto ebulliantur, iſtorumque decoctum ore poſſit teneri, quo educenda multa pituita dentium dolorem leniat, ut *Sim. Paulli, Schræderus, Daleus* aliique teſtantur. Iſta igitur grana nunc

saltem ad enecandos infantum pediculos usurpantur, quando scilicet matres semen vel cum lixivio coquunt, istoque decocto lavari capita curant, vel pulveratum cum butyro recenti non salito in formam linimenti redigunt, capitibus inungendi, quo applicito pediculi vel in fugam se recipiunt, vel remorantes enecantur. Et hoc causæ est, quamobrem grana ista basin constituant unguenti pediculorum notissimi. Alii pulvere in antiquis ulceribus utuntur, quæ mundificare & à putrida carne defendere creditur.

CAPUT XIX.

DE SEMINE SANTONICI.

§. 1.

SEMEN SANTONICI, aliâs quoque Semen contra vermes, sive simpliciter semen contra, vocatum, parvum, oblongum & ex flavo viridiusculum, amarumque & acre semen est, fortis odoris, quod apud Materialistas & in officinis usque eo commune ac vendibile est, ut clarissimus *Pometus in Histoire des Drogues* istud primo posuerit loco. Alii Sementinam, vel etiam Semen Cinæ, seu Sinæ vocant, ea ducti opinione, quasi ex Sina Regno extremisque Indiæ locis tantum veniat, ut *Christophorus Vielheurius*, Pharmacopola, in *Descriptione Exotic. Material. pag.* 151. loquitur. Cui tamen inclutus doctusque Magnarius *Herbertus de Jager* minime assentitur, fictum id esse existimans, quod semen istud multo habetur propius, vid. *Miscell. Acad. Nat. Cur. Dec. II. A. III. Obs. 1. pag.* 206. An verò eadem vocabuli Santonici s. seminis sancti ratio sit, & num istud non æque à Terra Sancta, ubi *Rauvvolffius* aliique id se vidisse existimant, atque à Xantonge Galliæ regione, ubi in copia crescere dicitur, Xantonicum vocari debeat? quæ *Hoffmanni* in *Clavi Schræd. in voc. Santon. p.* 541. & *Elsholzii in Misc. A. N. C. D. I. Ann.* 6. 7. *Obs.* 227. *p.* 169. opinio est, ego quidem dubito, quoniam supra laudatus Gallicus Materialista, omni etiam adhibito studio, necquicquam de eo rescire potuit, sed ingenue confitetur, omne semen contra vermes, quod divendant, ex Persia, ubi in sylvis crescit, Moscoviaque ad se deportari, dum Persæ istud in solemnibus peregrinationibus religiosis, quibus negotiatores se associant, Aleppum, Alexandriam Smirnamque ferunt, inde porro in Bataviam Angliamque ac Galliam transvehendum; ut propterea discrimen, quod Celeberrimus Medicus *D. Ettmüllerus in Oper. Tom. I. pag.* 653. inter Alexandrinum ac Gallicum constituit, mihi valde videatur dubium, siquidem *Joh. Jacobus Marxius* in suo *Mater. Museo pag.* 54. solius Alexandrini facit mentionem.

§. 2.

Majorem difficultatem facit planta, quæ semen istud profert. Antiquissimus omnium Botanicus *Dioscorides* suo tempore pro specie absinthii habuit, cui etiam *D. Febrius* in *Tract. de Absinthio pag.* 14. istam annumerat, & quoniam ex istius aliorumque experientia nostris in regionibus satum semen contra vermes nullam absinthii speciem, sed aliam quandam herbam progeneræ, in eam venit opinionem, nos hodie vero veterum Alexandrino semine contra vermes destitui, atque aliud, & saltem Gallicum, de sententia *Ettmülleri l. c.* nobis divendi. Quæ causa est, quamobrem florens per Germaniam Cæsarea Societas Naturæ Curiosorum è re fore existimaverit, ut per Germanum Medicum, in India degentem, *Dn. D. Cleyerum* veram istius plantæ rationem inquireret, qui tamen nihil certi explorare potuit, datis licet eam ob rem ad supradictum *Dn. Jagerum* literis, quoniam hic virentem adhuc florentemque plantam non recte inspexit: interim tamen existimat eam ipsam esse herbam, ab *Rauvvolfio* circa Bethlehemum repertam, posteaque ab hoc in *Orientali Itinerario Part.* 3. *cap.* 22. typis publice delineatam, à prædicto quoque *Marxio* pro genuina habitam. Hodierni contra, iidemque præcipui Botanici, utpote *Hermannus*, *Daleus* & alii, cum *Dn. Jagero*, speciem esse abrotani existimant, ut ex *commercio literario Indiæ Orientalis Num.* 3. elucescit. Et istius quidem duæ habentur species, quas *epistola IX. Indiæ literatæ* describit.

§. 3.

Qua ratione semen à Persis colligatur, *Tavernierius* in *Itinerario* suo *pag.* 384. describit. Quoniam se. facile decidit, manibus etiam colligendum impurum redditur, cochleari istud colligunt, quod in caulibus relinquitur, duabus vannis excipiunt, istudque in pratis discurrentes ex una manu in alteram rejiciunt, postmodum ulterius depurgandum.

§. 4.

Quoniam vero genuinum semen contra vermes sæpe aliis haud dissimilibus amaris seminibus, inprimis semine abrotani ac tanaceti, adulteratur, id quod sæpe laudatus *Pometus* bene monuit, id detur curæ, ut probe depurgatum, crasse granulatum, oblongum, viridiusculum ac recens, boni etiam fortisque odoris eligatur. Falsum enim, sive quod substituitur, multo levius est magisque flavet, ac minutim inciso stramini

mini quam semini apparet similius. Pharmacopolæ igitur pro officii sui conscientia optimum semper selectumque sibi comparant, deterius autem ac obsoletum, quod Materialistæ plerumque vilius, quam recens, divendunt, quo saltem emtores inveniant, circumforaneis relinquunt emendum, plebi istud fraude nefanda divendentibus.

§. 5.

Usus ejus adeo vulgatus est, ut de eo quid commemorare fere supervacaneum sit, propterea enim id ipsi inditum est nominis, quod apud nos infantibus ad enecandos lumbricos cum successu exhibetur, ut etiam *D. Ludovici*, Archiater olim Saxo-Gothanus, in egregio suo *Tract. de Pharmac. Mod. Sec. applicanda* (in quo potissimum minus necessaria exoticaque medicamenta vult abrogari) Santonico primas concedat, aceto aliisque macerationibus non exhausto. Persæ Batavique & Angli saccharo obductum, instar anisi, trageis addunt, quod stomachum confortare putredinique resistere credunt. Animum igitur subit admiratio, quod doctissimus alias Gallus, *Dn. Rochasius, in Tract. de Rebus Min. & Metall.* eam in opinionem venerit, Santonici usu tantum abesse ut interficiantur lumbrici, uri potius generentur, quod ex semine isto putrefacto aliquod insectum observarit exoriri. Simili enim modo ex quacunque herba, ac ipso quoque absinthio, vermes possunt generari, quod tamen, uno omnium ore, cujuscunque generis vermibus videmus adversari. Fortasse Circumforaneorum dolus, quem *Theod. Tabernamontanus* in *Herbario suo* detexit, eo adduxit prædictum *Rochasium*, quippe quos scimus expurgatos inque pulverem redactos lumbricos infantibus propinare, quo ex istis insignis vermium copia brevi generetur, aliis deinde medicamentis cum plebis admiratione, educenda, siquidem vermium putrefactionem generationem esse novorum non impossibile est.

§. 6.

Ad quod præcavendum damnum summè necessarium est, ut semen santonici non per se, verum stimulantibus, rhabarbaro, spec. diaturb. c. rhab. similibusque permistum demus, quo, simul ac enecati sunt, educantur. Quo neglecto timendum est, ne ex istorum putrefactione fœtens halitus, febris verminosa similiaque mala in infantibus excitentur, id quod sæpe sum expertus. Additione quoque aliorum pulverum ingratus seminis sapor minuitur, atque propterea non adeo necessarium est, ut cum saccharo condiatur, morsulis ac placentulis saccharatis addatur, aut alio quocunque modo occultatur; id quod similiter, si apud teneriores infantes necessarium est, additis laxantibus potest obtineri.

CAPUT XX.

DE SEMINE FLORECAULIS.

§. 1.

QUoniam SEMEN FLORECAULIS (*Blumenkohl-Saamen*) nullibi fere præterquam in Cypro Insula maturitatis attingit gradum, propterea que ab hortulanis aliisque apud Materialistas quæri solet, silentio istud nolumus præteriri, quanquam usum in medicina habeat ne quidem ullum. Parvum rotundum semen est, brassicæ semini haud dissimile, sed paulo minus, nec adeo fuscum, sed cæsium. Per Massiliam in Galliam, indeque in Germaniam vehitur. Istius culturam in Italia quoque Genuenses instituunt, quod tamen ad Cyprium non accedit, quippe quo multo est vilius.

§. 2.

Id verò videndum, ut recens, non suppositium, & veræ etiam speciei sit. Quem in finem Materialistæ attestatum ab iis locis, unde mittitur, & à mercatoribus, de quibus emunt, sibi ostendi curant, quo certiores fiant genuinum, recens ac ejus esse anni. Hoc ipso enim apud hortulanos aliosque suam tuentur fidem, quos nonnullis in locis, utpote in Galliâ, indemnes præstare, & non solum pretium, sed omnes etiam tumtus à tempore emtionis ad tempus usque germinationis in se recipere tenentur, ut Materialista Parisiensis, *Dn. Pometus*, in *Histoire Generale des Drogues pag.* 17. confitetur. Ne igitur decipiamur, apud Materialistas potius semen, majori licet pretio, emamus, quam de circuitoribus.

§. 3.

Ipsa planta, Brassica Cypria & Flore-Caulis, ab Italis Caulifiori dicta, hanc requirit culturam: Semen tempore verno, quando sol capricornum ingreditur, luna existente plena, in aream fimo plenam seritur, planta deinde satis magna, iterum in prædicto capricorno, in pinguem terram translocatur: post autumnum integri caules perfectos flores in hortis non adepti, in cellis arenæ vel terræ immittuntur, ubi media etiam hyeme perfecti flores progerminant.

§. 4.

Usus istius coquis notus est, qui florecaulem probe lotum, & ad modum brassicæ vulgaris cum aqua calida maceratum, cum jusculo

carnis aut gallinæ, aromate, saleque ac butyro præparate, & vel per se, vel junioribus gallinis ac columbis instratum offerre edendum norunt. Artocreatibus quoque & embammatis, variis esculentis refertis, addunt, tanquam cibum ægrotis æque ac sanis pergratum.

§. 5.

Cæterum *Hermannus in MSC.* Brassicæ cujusdam seminis, ad medicinam non inepti, meminit, quod Latini *semen oleris atri* vocant. Rotundum nigricansque semen est, acris & amari saporis, cujus plantam Brassicam fimbriatam nominant. In doloribus nephriticis & scorbuticis peculiare habetur remedium, cum aqua cichorei in emulsionem redactum. In ejus defectu napi semen substituitur.

CAPUT XXI.

DE

SEMINE FOENUGRÆCI.

§. 1.

SEMEN FOENUGRÆCI agricolis, propter equos, notus desideratusque fructus est, parva, flaventia, angulosa, & supra quasi intorta habens granula. In Gallia æque ac in Germania inter Bambergam Norimbergamque copiose colitur, & utrobique pondere centenario in Bataviam aliasque regiones vehitur divendenda, ut *Pometus* in *Histoire des Drogues pag.* 20. & *Marxius* in *Mater. Museo Germanico pag.* 93. testantur. Ut *Benzo* in *descriptione itineris Indici* auctor est, in Peru Insula tanta in copia crescit, ut incolæ exinde vinum, vel spiritum fortasse, s. aquam vitæ conficiant.

§. 2.

Planta dupla habet folia, instar trifolii, oblonga tamen & aliquantum incisa, parvis albisque floribus deciduis, longas curteque acuminatas profert siliquas, corniculo haud dissimiles, unde Græcis Bucera vel Ægoceras, Germanis vero *Bockshorn* vocatur.

§. 3.

Semen magnum, durum vereque siccatum esse oportet, colore flavescens, si adhuc recens est; quod contra rubescit aut fuscum apparet, inveteratum est & inutile. Fortem fereque adversum habet odorem, ad enervandas lassasque reddendas bestias, juxta equos, qui semen istud cum pabulo suo comederunt, locatas aut ductas, aptum natum; quamobrem agricolæ sociis suis non permittunt, ut equis Fœnugræcum inge-rant devorandum.

§. 4.

Usus ejus inprimis externus est, præterquam quod mangones equorum & agricolæ istud equis dent devorandum, quo eo fortiores pinguioresque ac visu gratiores fiant; quod tamen alii, experientia edocti, denegant, quod minus bonum suppeditat nutrimentum. In topicis verò medicamentis ipsum semen æque ac ejus farina s. pulvis emollientibus ac resolventibus epithematis cum fructu additur. Clysteres quoque non raro ingreditur, quod flatus dissipat omnemque duritiem emollit, in clysteribus autem pro fœminis omittendum, quippe cujus odore dolores uterinos excitatos fuisse *Simon Paulli* in *Quadrip. Botan. pag.* 306. observavit.

§. 5.

Ceterum cum aquâ vulgari, aut destillatâ, mucilago ex isto extrahitur, quam supra laudatus *D. Simon Paulli* ad oculorum catarrhos satis commendare nescit, quippe qua etiam fugillationem oculi, ab epilepsia profectam, curaverit felicissime, quo in affectu istud *Schræderus* quoque ejusque Commentatores, *D. Hoffmannus*, *D. Ettmüllerus*, aliique commendant.

CAPUT XXII.

DE

SEMINE MEDICÆ ET SCORPIOIDE.

§. 1.

PRæter SEMEN TRIFOLII vulgaris, cujus mercaturam quidam faciunt magnam sibique perutilem, duo apud Materialistas interdum quæruntur trifolii semina, apud nos adhuc ignota, quorum unum Medica, alterum Scorpioides vocatur. Eandem fere figuram habent, & ab hortulanis plerumque una seruntur, quamquam istorum plantæ similitudinem & communionem inter se habeant nullam.

§. 2.

Trifolium cochleoides (*Schnecken-klee*) vocatur, quoniam folia trifolium, siliquæ cochleam repræsentant: aliás Latine Medica dicitur, quoniam Græci Dario, Persarum Regi, bellum inten-

intendentes, ſemenque ex Media in Græciam ferentes, id ipſi à ſolo natali impoſuere nomen. Galli *Lucerne* vocant, atque in Provincia Languedoc Normandiaque magna colunt copia, modo haud diſſimili, atque penes nos trifolium colitur, quod herbam annuatim quinquies vel ſexies demetunt, iſtaque equos, mulos & jumenta, (quippe cujus veſcendi deſiderio vel maxime teneri dicuntur,) alunt atque ſaginant, teſte Gallico Materialiſta *Pometo* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 21. Folia trifoliata habet, purpureosque flores, malvæ floribus haud diſſimiles.

§. 3.

Semen in cochleariformibus ſiliquis, in Medica Anglica præſertim perjucunde figuratis, generatur inſtar falcatæ lunæ, parvum tamen pallideque flavens, ſi recens adhuc exiſtit: inveteratum contra rubeſcit, & aliquantum fuſcum eſt; ſapor ipſi aeris ineſt, remiſſior tamen quam naſturtio. In bonam terram, quæ etiam irrigari poteſt, ſerendum; herba enim tunc pinguis fit, ſæpiusque poteſt demeti, quoniam magnam & fere ulnam longam radicem habet, qua copioſius nutrimentum attrahat, quæ quoniam per hyemem remanet, ipſa quoque planta ſemel culta diutius durat, modo terra interdum ſtercoretur & aqua perfundatur. Raro maturitatis attingit gradum, ſiquidem herba cauleque induratis pecora non veſcuntur. Idque cauſæ eſt, quod ſemen eo & carius, & à Materialiſtis ſit emendum; cui tamen rei facile inveniri poſſet conſilium, ſi ſemen peculiari loco vel terræ mandatum, ad maturitatem pervenire permittatur.

§. 4.

Supra jamdum commemoravimus, nec herbam nec ſemen aliquem in Medicina habere uſum, ſed tantum ad ſaginanda pecora valere. Ubi tamen id dandum eſt curæ, ut ne nimium iſtis concedatur devorandum, herbæ inprimis adhuc virentis minimeque exſiccatæ, quod inteſtina poſſunt diſrumpi, idque eo magis, quo majori iſtius tenentur deſiderio.

§. 5.

Altera planta, nonnullis hortulanis *Raupen-Klee* dicta, proprie non eſt trifolium, quippe quæ non triplex, ſed ſimplum habet folium, ad modum fere ſpinachiæ junioris anguſtum & oblongum. Flos ejus, haud ſecus atque geniſtæ, flavet, quo deciduo nigras cæſiasque, incurvatas, crinitas, vel aculeatas profert erucas, unde Botanicis Scorpioides (*Raupen-Kraut*) vocatur. In iſtis continetur ſemen, ſemini Medicæ haud diſſimile, paulo tamen minus, & eodem etiam modo ſeritur, atque à Proceribus curioſis tanquam rara planta ad delectationem in hortis colitur, quam in conviviis pulmentis vel permiſcent, quo convivas, veras ac naturales inſtratas erucas eſſe exiſtimantes, exhilarent. Cæterum uſum habent nullum. Ejus figuram tradit *Theod. Tabernæmontanus Part. 2. herbarii p.* 575.

CAPUT XXIII.

DE

SEMINE MAGALEPPÆ.

§. 1.

SEMEN MAGALEPPÆ exigui fructus granum eſt, nucleo ceraſi haud diſſimile, è viridi ac pertenui cortice eruendum, quod maximam partem ex Anglia, Gallia, è Germania quoque advectum, à Materialiſtis divenditur.

§. 2.

Qui fructus è frutice progeneratur, quem nonnulli phillyream, alii ſpeciem ceraſi petreæ eſſe exiſtimant. Magna, ampla & ſuperius exacuminata habet folia inſtar ceraſi vulgaris, ita ut inter duo folia ſemper fructus è caule progerminet, ut ex figurâ *Pometi* apparet.

§. 3.

Iſta vero grana adhuc recentia craſſaque ſint, & ab exteriore cortice probe depurgata, ſaporis etiam fragrantis, alias enim uſum præſtant nullum.

§. 4.

Uſus ejus iis maxime notus eſt, qui gratum rebus odorem conciliantes Magaleppæ ſemen ad pretioſum fragrantemque ſaponem Florentiæ, alias nimis care emendum, uſurpant, ſive iſtud in aqua vulgari vel roſarum macerent, indeque fragrantem aquam, quacum ſaponem lavent, deſtillatione proliciant, ut *Dn. Pometus* in *Material. Hiſtor. pag.* 24. narrat, ſive iſtius pulverem cum ſapone permiſceant, ut ex ſequenti eaque vera prædicti ſaponis odoriferi deſcriptione, quam doctus quidam Italus Patavinus, *Bonelli* dictus, *Dn. D. Schellhaſio*, Cameræ Imperialis Wetzflarienſis quondam Archiatro Jurato, in epiſtola Italica transmiſit, quamve cum Lectore Curioſo benevole communicamus, dare innoteſcit.

Saponetto Odorifero.

SI pigli lissivio, fatto con due parti di calce viva & una di cenere di quercia, con acqua sufficiente, lib. XX. grasso ò sevo vaccino liquefatto e colato per panno lib. X. si metta a bollire detto lissivio in vaso di rame capace, e bollendo si aggiunge tutte le lib. X. de sevo, e si và dimenando con un bastone ronde, continuandole sin tanto, che mettendone un poco sopra un matmo resti in forma rappresa e ben conglutinata. Si ripone in vasi di terra vetriati, ampli e larghi, (ove si cuoce la carne in casa di Signori) e si mette al Sole per tutta l'està, voltandole spesso, & ogni volta, che diverra asciutto bene e duro, si aggiunge tante acqua commune, che torni liquido: e cosi si và ripetendo per un'anno, acciò si separi la mala qualita nauseosa del sevo e resti ben purgato.

Dopo, che sara di nuovo asciutto bene e duro, si aggunge altra quantità sufficiente d'acqua stillata di fiori di Triboli, seu Trifoglio odoroso, e si liquefacci come prima, e si vadi dimenando al Sole del secondo anno, e dopo fatto un' altra volta duro al Sole, si aggiunge altra quantità d'acqua di fiori di mortella, e si facci liquido come prima, e resti al Sole, semper dimenandolo, e quando sarà indurito, si aggiunge altra quantita d'acqua di rose, di quelle di centofoglie solutive, che in Toscana chiamano incarnate & in Napoli Damascene. Asciutto che sara e che odori bene, e che non si senta piu quel sito cattivo del sevo, ma odori bene dell'acque sudette, allora se aggiunga quattro oncie di un certo seme, che usano profumieri, rotondetto, conforme questo, che viene incluso, chiamato MACALEPO. Questo sia ben pistato con un poco d'Ireos Florentino, acciò più facilmente si polverizzi, e non venghi oliginoso, e si mescoli bene nel sapone. Dopo facciſi tre in quattro libre a Acqua d'Angeli, nella quali si strempino ℥iv di Muschio perfettissimo, e ℥iij Zibetto ottimo, in questo modo: Si mettino il Muschio e Zibetto in un mortajo piccolino di bronzo netto, e con esse circa un'oncia di zucchero bianco asciutto, e si spolverizzino assieme, e poi si meschino con la detta Acqua d'Angeli dentro un vaso ò di rame, à forma di cucurbita alta con bocca strettra, ò di terra invetriato & il mortajo se lavi con detta acqua, e si meschi nell'istesso vaso, quale si cuopre bene la bocca e si mette in calore moderato, per cinque ò sei hore, che sia in modo, che non bolla, acciò la parte suave non suapori, e questa compositione cosi calda si deve meschiare in tutta la quantita del sapone, quale deve stare unito in un solo vaso vetriato di terra, e ben coperto si lasci stare ad sole per molti giorni, e si vadi da quando in quando dimenando, e sera fatto. Poi si lasci cosi, e quando piu si riposa, tanto piu si fermenta e perfezziona nella fraganza.

Sapo Odoratus.

REcipe lixivii ex partibus duabus calcis vivæ & parte una cineris querni, cum aquæ quantitate sufficiente, facti lib. XX. sevi vaccini liquati & per pannum colati ℔ X. fac lixivium in vase majori incalescere, cui calefacto & bullienti adde sevi libras decem, hinc ligno rotundo tamdiu agita perpetuo, donec istius misturæ tantillum lapidi aut marmori instillatum coëat, & quasi conglutinatum appareat. Repone in vasis terreis, magnis amplisque (in quibus in Magnatum domibus caro solet coqui) iisque porro intrinsecus vitreatis, ac per totam æstatem expone Soli, sapiusque agita: quoties induratur ac coit, tantum affunde aquæ, donec de integro liquescat, quoctum integri spatio anni continuandum sive repetendum, quo sevum malum ac nauseosum saporem amittat, probeque depurgetur.

Si de novo duritiem ascisci, iterum, quantum necesse videbitur, aquæ destillatæ trifolii odorati adde, eaque ipsi, ut ante, mollitiem redde, ac secundo anno repone sub Sole. Quo facto, simul atque ad duritiem redit, tantundem aquæ destillatæ florum myrti adde, quo massa, ut ante, molleſcat: expone Soli, sapiusque move & agita, si quando denuo ad duritiem inclinat aut congelascit, tantum aquæ rosarum, ex centifoliis Italis incarnatis, Neapolitanis Damascenis vocatis, destillatæ affunde. Si quando probe coiverit, beneque oleat, ut nec ullus sevi animadverti odor queat, sed prædictas aquas odore prodat, certi cujusdam seminis, quod, qui rebus gratum odorem conciliant, MAGALEP vocant, & ut inclusum ostendit, rotundum est, uncias octo adde, quod cum pauco pulvere ireos Florentinæ, quo facilius in pulverem redigatur, nec oleosum fiat, terendum, atque sic probè permiscendum saponi est. Quô factô, recipe Aquæ angel. libras tres vel quatuor, Moschi optimi ℈iv. Zibethi optimi ℈iij. modo sequenti miscenda: cum moscho zibethum parvo ac eleganti mortario, ex orichalco facto, inditur, quæ simul cum uncia una circiter durî albique sacchari in pulverem contusa, cum aqua angelicæ in ejusmodi vase miscentur, quod ad modum altæ cucurbitæ formatum, ac supra angusto orificio ex terra, incrustatione vitrum referente, præditum sit, ipsum quoque mortarium ista ipsa aqua abluendum, istaque vasi priori infundendum; quod deinde bene obturatum quinque vel sex horas in calore moderato ponatur, modo ne ebulliat, parsque optima ac suavissima evolet. Tandem calida adhuc compositio cum tota quantitate saponis miscetur, aliique vasi terreo ac incrustato inditur, beneque defensa & operta multos dies Soli exponitur, nonnunquam commovetur, tuncque res confecta est. Quæ massa asservanda quo diutius stare ac fermentare permittitur, eo magis exaltatur fragrantia.

Aver-

Avertimento.

La bonta de liſſivio ſi conozze, che ſi vuovo freſco reſti coverto dal liſſivio, ma non al mezzo, ò al fondo, ma alla parte di ſopra, e vadi natando.

Hortatio.

Ex eô cognoſcitur lixivii bonitas, quando recens ovum injectum à lixivio quidem tegitur, nec tamen vel in medio vel in fundo volvitur, ſed ſuperius agitetur & quaſi natat.

CAPUT XXIV.

DE

ORYZA.

§. 1.

SEMEN ORYZÆ notiſſimus fructus eſt, in India Orientali, Tartariâ totaque Europa, in una tamen regione copioſius quam in alia, reperiundus. In Germania potiſſimum in Helvetiâ & Franconiâ, circa Bambergam aliaque loca colitur. In Italiâ, præſertim in tractu Mediolanenſi ac Pedemontano, provenit, quo ibidem equi loco avenæ veſcuntur. Gallia oryzæ ſterilis eſt, quod terra nimis ſicca eſt, quum oryza contra humidum requirat ſolum, propterea que apud nos in locis udis largius creſcat.

§. 2.

Culmus, ex quô progeneratur oryza, ulnam longus eſt, nodulis articulisque interſtinctus: folia ut porrum habet, ac in ſummitate rubris floribus, adinſtar milii, ſuperbit, quibus ſuccedunt oblongi folliculi, parvis ſacculis haud diſſimiles, ac oryzam continentes. Quæ planta id peculiare habet, quod, ſimul ac floreſcit, grana progeneret.

§. 3.

Optimam & maximè durabilem oryzam pulchram, depurgatam, recentem, craſſam, albamque ac puram eſſe oportet, nullo etiam odore rancido ingratam. Quæ ex rubro flaveſcit, & ex parvis granis conſtat, indigna mercatore merx eſt, propterea que ſemper minoris venditur. Italica & inprimis Pedemontana quam Hiſpanica candidior eſt pulchriorque: poſterior enim rubeſcit, atque ſapore deprehenditur ingrata.

§. 4.

Oryza alimento quam medicinæ convenientior, multisque in locis extraneis homines ea fere ſola vitam ſuſtentant, utpote in Turcia ac Tartaria, ubi etiam Principum Legatis, ac ipſo Turcarum Imperatori, nunc albo, nunc flavo, mox fuſco, & quidem cum vel ſine ſaccharo cocta colore, aut conſiſtentia nunc ſpiſſiori nunc tenuiori elixa, atque adeo quadruplici aut quintuplici modo una vice præparata, offertur edenda, ut *Schvveiggerus* in *Itinerario Conſtantinop. pag.* 148. commemorat. Apud nos vel cum bono carnis juſculo in jus coquitur, vel cum lacte dulci in pultem. Quæ utraque diarrhœa aut dyſenteria laborantibus valde conducunt; multum etiam opis ferunt infantibus, ſi acus, annulos, globulosque ac ſimilia deglutierunt, quippe quæ oryza quaſi involvuntur, ſine noxa per alvum iterum excernenda.

§. 5.

Quidam deſtillatione aquam exinde volunt prolici, quam tamen, ut cetera deſtillata nutrientia, viribus deſtitutam eſſe, *Zvvelferus* jam pridem oſtendit. Nec ſpiritus in Oriente ex iſta deſtillari ſolitus noſtrati vulgari frumenti ſpiritui præferendus; ut taceam ſpiritus ejusmodi præparationem apud nos fore nimis pretioſam.

§. 6.

Præter oryzam quidam Materialiſtæ etiam milium, diverſas hordei perlati ſpecies, ſemen Mannæ (Schvvaden) ac ſimilia divendunt. Quoniam vero priora hic loci nimis nota ſunt, propterea que iſtorum deſcriptio minus videtur neceſſaria, ſaltem de poſteriori venit commemorandum, quod parvum ſit, gramini, Manna dicto, & à *Th. Tabernæmontano pag.* 544. *Lib. I.* delineato, increſcat, atque in Polonia oppidisque marinis inveniatur. In folliculis primum nigreſcit, excorticatum vero evadit elegantet album. Uſu cum milio atque oryza convenit, ſanitati tamen eſt magis accommodatum, quod aliquantum refrigerat.

CAPUT XXV.

DE

AMYLO, OBLATIS ET VERMICELLIS.

§. 1.

QUid AMYDUM ſ. AMYLUM ſit, omnibus lotricibus vetulisque notum eſt. Qui vero ejus præparandi modus ſit, & quod optimum habendum? pluribus credo non adeo eſſe notum. Ejus igitur paucis faciemus mentionem,

tionem, quæve ex isto in officinis præparentur, commemorabimus.

§. 2.

Amylum ex certo quodam fructu, Germanis *Amelkorn*, Botanicis Frumentum Amyleum & Far candidum vocato, primum præparabatur, quod partim cum zea, partim cum tritico convenit. Quum vero istud non ubique colatur, amylum hodie ex zea quoque & bonæ notæ tritico sequenti modo conficitur: Dictorum modo fructuum optima perfectissimaque sumuntur grana, quibus probe lotis aqua fluvialis pura affunditur, qua quotidie defusa abjectaque, affunditur recens: quo quinque aut sex dies continuato si mollis redditus fructus fuerit, ultima aqua in vas mundatum curatur derivari, ac per pannum exprimi, quod relinquitur; quo vero medulla omnis exprimatur, de ultima aqua semper aliquid affunditur, omneque postea relinquitur subsidere: quæ vero superius insidet aqua, sensim defunditur, & quod remanet exsiccatur sub Sole, idque exsiccatum & in integris massis asservatum bonum evadit amylum.

§. 3.

Quæ merx olim copiose in Misnia ac Thüringia, unde hodieque adhuc fertur, præparabatur, inde in Bataviam, Galliam aliaque loco transvehenda. Nunc ejus præparationem extranei quoque suscipiunt, optimumque hodie Parisiis præparatur amylum, ut *Pometus* in *Histor. Material. pag.* 19. testatur. Non minus etiam Norimbergæ eleganter præparatur, cujus tres habentur sortes, pro diversitate gravitatis ac fructuum, ex quibus constat, auctore *Marxio* in *Mater. Museo pag.* 17. Optimum censetur, quod ex magnis, levibus tamen, prorsusque albis massis constat, iisque probe exsiccatis, crispis & sapore minus acidis, post divisionem non rancidis, sed intrinsecus æque ac extrinsecus eleganter albis. Frusta porro tenera sint, non nimis dura; quod ultimum contingit, quando farina non sub Sole, sed super fornace, ubi incana fit, exsiccatur.

§. 4.

Quod ad usum ejus attinet, non variæ solum, eæque confortantes & in fluxibus alvi utiles, pultes exinde præparantur, sed isto quoque dulciarii multis modis ad confectiones viliores inflatumque saccharum utuntur, cujus præparationem *Theod. Tabernæmontani Herbarium pag.* 638. exhibet, ubi etiam de Amyli interno externoque usu multis agitur. Nunc duorum saltem præparatorum, vermicellorum sc. & oblatarum, ad obsignandas epistolas usurpandarum, faciemus mentionem.

§. 5.

VERMICELLI aut ex amylo, aut farinæ primitiis, cum aqua depsendis, & per siphonem multis foraminulis perforatum transjiciendis, præparantur, variis cibis circumponendi. Ab Italis plerumque afferuntur, qui tamen æque facile in Germania possent confici.

§. 6.

HOSTIÆ & OBLATÆ similiter ex amylo præparantur, quando ex isto cum aqua tenuis fit massa, eaque vel ita alba in cupreis Hostiarum formis, aut minio vel cinnabari prius rubra facta, vel cum atramento tectorio è fuligine tedæ denigrata, in oblatarum aut crustulorum formis coquitur, postmodum magno, mediocri, aut parvo, rotundo cavoque ferro separanda, & in oblatas, obsignandis epistolis aptas, formanda. Quæ sane fœnerationis plena merx est, novique amicum, qui ex ergastulo nautico Turcarum liberatus, pauperrimusque in Hassiam veniens, oblatarum mercatura magnas sibi divitias comparavit.

Epilogus.

TAntum de istis seminibus, quæ Materialistæ nostri maximam partem ab extraneis advehi emique curant. Præterea multa quoque indigena habent, quorum herbæ, cultura, viresque ac usus quum in herbariis describantur, ac vulgo innotescant, uberiorem commentationem putamus esse supervacaneam. Interim tamen ipsa semina brevibus ordine alphabetico recensebimus:

SEMEN *Acetosæ* parvum, triangulare ac puniceum semen est.

- - *Althææ* semicirculare est, coloris ex flavo fusci, saporis viscosi, odoris vero expers.
- - *Anethi* compressum, tenue ac membranaceum semen est, tribus sulcis s. striis notatum, saporis acris & aromatici, odorisque somnum conciliantis.
- - *Angelicæ* album est latumque, ac similiter forti & sapore & odore pollet.
- - *Apii* exiguum est ac striatum, petroselini semini haud dissimile, saporis subacris & calefacientis, fragrantisque odoris.
- - *Aquilegiæ* parvum & oblongè rotundum, sed tamen quadantenus angulare, nigrescens ac splendens semen est, ingratô sapore rancidum oleum æmulans, inodorum.
- - *Artischocki*, seu *Cardui esculenti*, majusculum est, fere instar pineæ apparens, longiusculum cæsiumque ac maculosum; Polonicum habetur optimum.
- - *Asparagi* ex fulvis baccis, pisum magnis, constat, quæ sub exteriore cortice tres parvos, eosque nigros ac valde duros, nucleos, acri sapore præditos, intrinsecus insidentes continent.

Semen

SEMEN *Atriplicis* ex tenuibus & membranaceis laminis conſtat, in quibus compreſſum ſemen, notabili ſapore odoreque deſtitutum, continetur.

- - *Bardanæ* oblongum & quadantenus rotundum fuſcum ſemen eſt, nigris ſtriis interſtinctum, & ſapore paulum amaro præditum.
- - *Baſiliconis* parvum, nigrum ac rubris granulis permiſtum ſemen eſt, ſaporis mucilaginoſi.
- - *Bruſci* ex magnis granis conſtat, jujubis non adeo diſſimilibus, quæ ſub cortice exteriore arido duos albos, firmiter compactos, nucleos continent, quorum quivis altero latere depreſſus magnitudine piſum æquat.
- - *Cannabis* parvum, rotundumque ac cineraceum eſt, ſaporis ſubdulcis.
- - *Cardui benedicti* ex oblonge rotundis, ſtriatis, ſcopulaque hiſpida exornatis granulis, iis quidem ſapore amaris, conſtat.
- - *Cardui Mariæ* ſunt oblonga & aliquantum compreſſa fuſca grana, paulo majora quam cardui benedicti ſemen, ſaporis amari.
- - *Chærefolii* longum, nigrum, tenue & acuminatum ſemen eſt, ſaporis ſubacris.
- - *Ciceris albi* alba ac rotunda grana ſunt, piſo paulo majora, ſed non adeo rotunda, cæterorum leguminum habentia ſaporem.
- - *Ciceris rubri* ſunt grana ex fuſco rubentia, albis minora, ſed magis anguloſa.
- - *Cichorei* parvum nigrumque & oblongum, endiviæ haud diſſimile, quod cortice contentum nigrum eſt & album.
- - *Citrulli* nigrum planumque eſt, ut cucurbitæ ſemen, ſed aliquanto criſpum, & in margine linea elatiori notatum, plerumque ex India per Italia ferri ſolitum. Recens, non amarum, nec oleoſum ſit.
- - *Coccognidii* ſunt fuſca, aut ex nigro cæſia rotunda grana, pipere nigro paulo majora, valde acris urentisque ſaporis.
- - *Cucumeris* oblongum, planumque ac album eſt, notabili ſapore odoreque deſtitutum.
- - *Cucurbitæ* magni ſunt, oblongi & plani albi nuclei, cum ſemine citrulli valde convenientes, facileque rancescunt; ſemper igitur recentes ſumantur, locoque calido aſſerventur, vid. Marxius pag. 48.
- - *Cydoniorum* nuclei ſunt fulvo colore pomorum nucleos imitantes, ſapore valde mucilaginoſo præditi. Optimi, ex Gallia advecti, eleganter rubent: qui vero nigrore ſituque notantur, nec quicquam proſunt.

SEMEN *Dauci* vulgaris compreſſum ſemen eſt, ſemine dauci Cretici paulo minus, in margine villoſum, odoris fragrantis, ſapore non tam aromaticum atque exoticum.

- - *Ebuli* ex rubro nigræ baccæ ſunt, baccis ſambuci ſimiles, aliás etiam Grana Actes vocatæ, ex quibus nota Tinctura granorum actes præparatur.
- - *Endiviæ*, ut cichorii ſemen, aliquantum albeſcit ac nigreſcit.
- - *Erucæ* conſtat ex perparvis, rotundis ac flaventibus granulis, ſapore vehementer acri præditis.
- - *Fraxini* ex longis, planis & ad modum linguæ acuminatis laminis ſ. foliis conſtat, in quibus ex flavo fuſcum & fere ſimiliter ita formatum, ſed multo minus ſemen latet, ſubacri & amaro ſapore præditum.
- - *Fumariæ* parvum, rotundum ac viridiuſculum eſt, ſapore amarum.
- - *Geniſtæ* ex parvis, aliquantum planis, & inſtar corculi formatis granulis conſtat, ſaporis principio ſubdulcis, ultimo amari.
- - *Graminis* Mannæ perexiguum & album ſemen eſt, de aliqua graminis ſpecie collectum, & ex urbibus marinis ad nos allatum, ex quo juſcula pultesque fiunt.
- - *Hyoſcyami* albi ex flavo fuſcum parvum planumque ac criſpum ſemen eſt, forma minimos fere renes æmulans, oleoſi & ſubamari ſaporis.
- - *Hyperici* parvum eſt, ex opaco fuſcum, oblongum & inſtar cylindri formatum, ſaporis amari, & odoris reſinoſi.
- - *Hyſſopi* exiguum nigrumque ſemen eſt, in capſulis generatum.
- - *Lactucæ* parvum, oblongum & depreſſum album ſemen eſt, utrinque acuminatum, ſaporis aquei.
- - *Lapathi* acuti fuſcum & triangulare ſemen eſt, ſaporis adſtringentis.
- - *Lavendulæ* ſ. ſpicænardi rotundum, exiguum ac nigrum ſemen eſt, odoris fragrantis, quo ipſo per tritum obſervato, num recens ſit, dignoſcitur.
- - *Leviſtici* oblongum planumque ac ſtriatum eſt, anethi ſemini non adeo diſſimile, ſed iſtius longitudinem bis æquans, ſaporis acris & aromatici, odoris fragrantis.
- - *Lini* oblongum, planum, læve ac lucidum ſemen eſt, ſaporis oleoſi, odoris expers.
- - *Lupinorum* magna albaque grana ſunt, inſtar ciceris, ſed non tam anguloſa, adeoque magis rotunda & utrinque convexa, ut tamen quilibet venter paulum depreſſus ſit.

SEMEN *Majoranæ* parvum, ex rubro fuſcum & fragrans ſemen eſt, ſapore aromaticum.

- - *Malvæ* ex incanis, rotundis ac margine crenato notatis placentulis ſ. caſeolis conſtat, in quibus fuſcum ſemen, inſtar althææ ſeminis, at multo minus, ſe ſiſtit videndum.
- - *Melonum* ad ſemen cucumeris accedit, craſſius tamen eſt ac pulpoſius, quod nec inveteratum ſit, nec rancidum.
- - *Milii Solis* exiguum, rotundum valdeque glabrum ſemen eſt, quod ſplendide album & paulo minus eſt, quam cannabis ſemen.
- - *Napi* ſ. *Buniadis* parvum, rotundum & ex rubro nigrum eſt, ſaporis acriter amari.
- - *Naſturtii* parvum, oblonge rotundum, & ex flavo fuſcum ſemen eſt, ſaporis acris juxta atque valde viſcoſi, odoris fortis.
- - *Orobi* ſunt grana ſpadicea & aliquantum rotunda, piſum ſapore imitantia.
- - *Papaveris albi* minutum valdeque album ſemen eſt, ſaporis ſubdulcis, oleoſi & odoris acrioris.
- - *Nigri* cum priore convenit, præterquam quod cineraceum ſit.
- - *Perfoliatæ* ex nigro fuſcum & oblongum ſemen eſt, in uno latere convexum, in altero aliquanto planum & crena notatum, ſaporis ſubacris.
- - *Petroſelini* vulgaris parvum, oblonge rotundum, ac paululum compreſſum ſtriatum ſemen eſt, ſaporis acris & aromatici.
- - *Plantaginis* minutiſſimum ſemen eſt, longiuſculum, fulvum ac puliciforme, ſaporis viſcoſi, ut ſemen Pſyllii.
- - *Pæoniæ* ſunt nigra, rotunda ac ſplendentia grana, intrinſecus album habentia nucleum.
- - *Portulacæ* exiguum eſt & nigrum.
- - *Pſyllii* oblongum, fuſcum & puliciforme ſemen eſt, ſaporis primum valde mucilaginoſi, poſtmodum vero ſubacris & nauſeoſi.

SEMEN *Roſarum* minutulum & ex rubro fuſcum ſive purpureum eſt.

- - *Ruſci* conſtat baccis ex rubello fuſcis ac rotundis, ſemine aſparagi paulo majoribus, ſaporis ſubdulcis.
- - *Rutæ* parvum, nigrum, ac recurvum & quaſi ſemilunatum ſemen eſt, ſaporis acriter amari, odoris gravis.
- - *Scariolæ* lactucæ ſemini haud diſſimile eſt, præterquam quod maximam partem nigrum, paucoque albo interſtinctum ſit, quum lactucæ ſemen prorſus appareat album. Aliàs quoque endiviæ ſemen vocatur.
- - *Seſami* (Canarien-Saat) parvum oblonge rotundum ſemen eſt, aliqua ſtria notatum, ſaporis mucilaginoſi & allium æmulantis. Duplex datur, longum & rotundum, quorum prius ſaltem avibus datur, vid. Schurzius pag. 84. Plerumque ex Alexandria Venetiis ad nos venit, vid. Marxius pag. 174.
- - *Sinapi* minutum, rotundum ac fuſcum ſemen eſt, ſapore cum ſinapi albo convenit.
- - *Sophiæ Chirurgorum* minutulum, flavum & oblonge rotundum eſt, ſaporis mucilaginoſi & ſubacris, ad naſturtium accedentis.
- - *Sumach* ſunt baccæ parvæ, ex rubro fuſcæ, extrinſecus piloſæ paulum, intrinſecus fuſcum, compreſſumque nucleum, ſuperius rotundum, inferius convexum continentes.
- - *Thymi* minutulum, ex opaco fuſcum ac rotundum ſemen eſt, ſaporis mucilaginoſi.
- - *Trifolii* pallide flavum eſt & oblonge rotundum, extrinſecus prorſus glabrum, ſaporis ſubadſtringentis.
- - *Violarum* parvum, album ac rotundum ſemen eſt, inſtar milii, uno in loco quadantenus acuminatum.
- - *Urticæ* obſcure fuſcum, ſplendensque, ac planum ſemen eſt, ſaporis ſubacris.

FINIS LIBRI SECUNDI, SECTIONIS PRIMÆ,
DE SEMINIBUS.

LIBRI

LIBRI SECUNDI
SECTIO II.
DE
VARIIS RADICIBUS.
CAPUT I.
DE
IPECACUANHA.

§. 1.

IPECACUANHA parvi digiti longitudinem adæquans radix est, extrinsecus fusca, & quasi geniculatim flexuosa, quæ paucos ante annos innotuit, & contra dysenteriam in Galliâ crebrius adhibetur. In Occidentali India, præsertim Brasilia, (unde à Lusitanis Batavisque in Europam transfertur) Ipecacuanha, Hypoacanna & Cagosanna: ab Hispa-Bexugillo, Beguquello, Beculo Beloculo: Lusitanis Cipo de cameras: Gallis Becouquille, ou Mine d'or, quod circa auri mineras dicitur inveniri, nominatur. Ejus collectio injungitur iis, qui ad metalla sunt damnati, quorum tamen solertissimum ultra XII. libras integri anni spatio non colligere posse perhibent; id quod causæ est, quamobrem pretium istius tantoperè accrescat, unaque libra in Batavia XXX. florenis veneat, tantoque pretio non posset comparari, nisi commutatione mercium istius accipiendæ ab Indis daretur copia.

§. 2.

Quod ad radicis hujus plantam attinet, à Clarissimo Botanico, *D. Hermanno*, repentibus annumeratur, & ab *Rajo in Hist. Plant. Tom.* 1. *Lib.* 13. *cap.* 17. *p.* 669. Herba Paris Brasiliana vocarur. *Pometus* contra in *Histor. Material.* ex qua figura *Musei Musæorum Germ.* est desumta, istam partim repentem, partim erectam esse existimat, oblonge acuminatis foliis, parietariæ haud dissimilibus, præditam, quæ flores albicantes flaventesque baccas, maturitate fulvas evadentes, proferat. In quo autem Indiæ loco proveniat, inter mercatores & scriptores Indiæ non convenit. *Grenerius*, Parisiensis negotiator, in *Animadvers. in Helvetii Descriptionem* ipecacuanham ex Peru advehi existimat: *Piso* contra, *Marggravius* aliique istam in quodam Brasiliæ tractu, Rio de Genecyro dicto, inveniri affirmant. *Pometus* tandem fuscam albamque e Brasilia, flavam vero e Peruvia ad nos putat transferri. Interim possibile est, istam ipsam plantam utraque in provincia reperiri, aut radicem ex una in alteram transportari divendendam, quemadmodum Clariss. Dn. *Leibnizius* in *Epistola de Novo Remed. Antidysent. ad Curiosos Germaniæ* exarata, utramque vult componere opinionem.

§. 3.

Cæterum diversæ dantur hujus radicis species, quemadmodum *Piso* suo jam tempore in *Hist. Nat. & Med. Brasiliæ Lib.* 4. *cap.* 53. *pag.* 131. duplicem asseruit, nigram scilicet atque albam. Illa communior est, ad nos transferri solita: ista vero, à Lusitanis Ipecacuanha Blanca, h. e. alba, vocata, multo est rarior, & Europæis non adeò usitata, Been album sive Dictamum album colore dicitur repræsentare. Istis supra memoratus *Pometus* in *Appendice Hist. Mater.* tertiam addit, flavam nempe, in cacumine montium auriferorum inveniri creditam, eamque optimam æque ac rarissimam.

§. 4.

In emtione usuque radicis id demus operæ, ut læves fibræ separatæ sint, eaque saltem pars eligatur, quæ aspera est multisque annulis notata: fibræ enim omni virtute destitutæ sunt, pondus contra pretiumque adaugent. Radicem non inveteratam, sed tenacem, compactam, pulposamque ac resinosam esse oportet; quamobrem ea censetur optima, quæ crasso cortice est circumdata; si rubra est, præter acrem amarumque saporem, masticata quid mucilaginosi relinquit, per cujus medium fibra quædam, crassitie fili duplicati, traducta sive extensa est, isto ipso prædita sapore.

§. 5.

Quod ad ejus vires usumque attinet, ἄνω & per vomitum quidem educere humores solet, ita tamen, ut adstringentem simul virtutem relinquat, & per poros cutis etiam vitiosum expellat: quæ omnia à particulis salinis vol. & sulphureis oriuntur, quas in analysi ipecacuanhæ albæ & nigræ, sed inæquali proportione invenit *Dn. Boulduc*, in *Hist. Acad. Scient. Reg. Parisiensis A.* 1699. *p.* 287. Unde præsertim in dysenteriâ cruentâ albaque, etiam summe maligna & contagiosa, egregiam fert opem, quippe qua ultimo bello, in exercitu Gallico, ab inclyto Medico Batavo, *D. Helvetio*, in nosocomiis Parisiensibus maxima pars

militum fuit conſervata; quanquam ei, inventionem remedii hujus ſibi vindicaturo, mercator quidam Pariſienſis magnam intenderit litem, Parlamenti ſententia tandem finitam, qua de re in *Polychreſtis Exoticis*, & præſertim in *Diſſ. de Ipecacuanha c.* 1. §. 2. fuſius egimus. Dn. *D. Hermannus*, olim Profeſſ. Botan. Lugdunenſis, iſtam radicem in febribus intermittentibus quoque perutilem obſervavit, ut in *Collegio de Mat. Med. Mſc.* teſtatur, egoque ipſe aliis in morbis, in quibus emeticum videtur neceſſarium, iſtam vel ſolam, vel aliis medicamentis miſtam, ſoleo uſurpare, quoniam valde leniter operatur, hominesque poſt uſum illius ex voto fiunt quieti, id quod ſuo jam tempore *Piſo* obſervavit.

§. 6.

Ante verò quam Ipecacuanha dyſentericis detur, bene judicandum, num ventriculus, inteſtina cæteraque viſcera inflammata, aut aliqua vel putredine vel gangræna ſint corrupta, id quod cadaveroſus horrendusque fœtor manifeſtat. Iis enim in caſibus medicamentum hoc locum invenit nullum, ut *D. Helvetius* bene obſervavit: qui tamen in eo videtur aberaſſe, quando aſſumta radice vi vomitum vult cohiberi, quippe quem promoveri quam inhiberi melius eſt. Nec quem nauſea, anxietas ſimiliaque ſtatim inſequentia incommoda, terrore perfundant, iſtis enim emanentibus, nullaque nec vomitione nec dejectione alvi inſequentibus, ægri plerumque perclitatur vita, ſiquidem omnis jam ſenſus in inteſtinis evanuit, teſte *D. D. Hermanno loc. cit.*

§. 7.

Pulvis radicis mane ad ſcrupulum unum, aut perſonis robuſtioribus ad ſemidrachmam, cum aqua tormentillæ, aut cereviſia calida, propinatur, quo facto ſi ceſſare dyſenteria nolit, ſemel vel bis iteranda medicina, ſicque certo deſinet morbus. Si potionis arriſerit forma, drachmæ duæ vino rubro infuſæ ſtare per noctem in loco calido permittuntur, maneque datur ægro colatura. Alii in clyſteribus quoque utuntur.

§. 8.

Tandem bene notandum, ante & poſt medicamenti uſum Diætæ ſtudium vel maxime eſſe neceſſarium, cibosque facilis digeſtionis eſſe ſumendos, dum multi militum, quod diætæ nullam habuere curam, ſumpta licet ipecacuanha, abiere ad plures, quemadmodum Clariſſimus *Obrechtus* Argentoratenſis, brevi ante mortem, magno cuidam viro profeſſus eſt, beneque admonuit. Plura videantur in egregiâ *Diſſ.* Celeberrimi *Wedelii de ipecacuanhâ*, qui radicem hanc dignam cenſet, quæ in omnes Europæ Officinas Pharmaceuticas recipiatur.

CAPUT II.

DE

RHABARBARO ET RHAPONTICO.

§. 1.

RHABARBARUM, in omnibus linguis ita vocatum, prægrandia, oblonga & tuberoſa radix eſt, nonnihil fungoſa, ſimul tamen ponderoſa, extrinſecus flava, intrinſecus vero nucem moſchatam repræſentans, ſaporis acriter amari & nauſeabundi, adſtringentem amatorem poſt ſe relinquentis, odoris acris & fere aromatici. In magnis fruſtis, in medio perforatis, ac de funiculo ſuſpenſis, è China Venetias, indeque in alias regiones defertur.

§. 2.

Quò autem notior in officinis radix eſt, eo obſcurior incertiorque eſt planta, cujus pars exiſtit, dum ad hodiernum usque diem nulla certa indubiaque ejus figura ac deſcriptio habetur, quum, quod alii rhabarbarum volunt haberi, aliis dicatur rhaponticum. Id quod inde fortaſſe provenit, quod nullus unquam prudens Medicus plantam in loco natali vidit, ſed hoc in puncto omnia à peregrinantium ac mercatorum dependent relationibus, qui plerumque ſuum in commodum, quam in perſcrutandam naturam ſunt intentiores. In eo tamen omnes prudentiores Botanici conſpirant, plantam iſtam lapathi eſſe ſpeciem, quod *Neuhoſius* in *Itinerario ad Chinam* confirmat. *Moriſonius*, celebris Anglus, Lapathum per excellentiam vocat in *Horto Bleſ. pag.* 340. Econtra *Muntingius* Lapathum Chinenſe longifolium. Vulgò magna habere folia perhibetur, inferius anguſta, ſuperius latiora, margine lanuginoſo prædita, flores magnitudine violarum, radicem brachium craſſam, & aliquot ſpithamas longam, parvis etiam fibris exornatam, de quo *D. Hoffmannus* in *Clavi Schræder. pag.* 615. fuſius agit.

§. 3.

Optimum colligendi tempus eſt veris initium, antequam viridia folia erumpunt, ſuccusque in radice quaſi concentratus eſt; conſtat enim, radicem æſtate effoſſam, rubris carneisque ſtriis, quæ in bono rhabarbaro ſe videndas ſiſtunt, deſtitui, multoque etiam eſſe leviorem. Effoſſa reſectione fibrarum depurgatur, inque magna fruſta dividitur, ſuper aſſere in loco umbroſo per quatriduum, ter vel quater quotidie vertenda, ne ſuccus effluat, ſed quaſi accreſcat, ut *Wormius*, *Hoffmannus aliique loc. cit.* ſcribunt.

Cæterum

Cæterum in milio, vel semine lini, omnium optime asservatur.

§. 4.

Genuini rhabarbari diversæ habentur species apud Materialistas, quæ vel à regionibus, ubi proveniunt, vocantur, vel ætate distinguntur. Sic habetur Sinensis s. Orientalis, quæ est optima, Turcica, & Moscovitica, ab una quidem planta profectæ, viribus tamen multum distinctæ, auctore *Wormio l. c.* *Pometus* quoque Americanæ meminit in *Histoire des Drogues pag.* 52. quæ tamen nihil aliud est, præterquam rhabarbarum Monachorum, de quo *Hernandezius pag.* 217. agit. Moscovitica olim fuit incognita, parvique hodie æstimata, propterea Levanticæ miscetur. Ratione ætatis quidam Materialistæ rhabarbarum in electum, medium & commune distinguunt, parvis sæpe frustis existens, ac propterea ab ingenuis Pharmacopolis rejiciendum, quippe qui electum emere tenentur.

§. 5.

In quo autem istæ species omnes distinguantur, quæve in emtione rhabarbari facienda experimenta sint, multi eaque in re experti Materialistæ: *Marxius*, *Schurzius*, *Pometus* & alii bene jamdum monuerunt. Moscoviæ rhabarbarum Orientali s. Levantico permistum facile dignoscitur, quippe quod non tam eleganter rubris flavisque striis notatur, sed plerumque ex nigris, ponderosis inconditisque frustis, constat, in paucas partes dividitur, ac friabile est. Quod pro bono ut divendi possit, flavo extrinsecus colore inficiunt, qui digitis adhærens subditum dolum facile detegit. Verè Levanticum (loquar cum Aromatariis) electumque rhabarbarum, carneo: contra viridi, flavo aut eleganti quodam crinium colore, aut diverso alio exornatum, mediocris decet esse ponderis. Nimis ponderosum multum habet ligni: leve parum prodest; adeoque ex solo pondere, etiamsi non diffringatur, potest dignosci, præsertim quum Materialistæ non semper ejus diffringendi dent facultatem, quod æque facile atque alii possunt decipi. Quidam igitur in loco contuso, aut ubi funiculus trajectus est, acum vel cultrum intrudunt, quo explorent, num tenax & recens adhuc sit? inveteratum enim sæpius, ut Moscoviticum, extrinsecus colore incrustatur. Quodsi vero vel unicum ad minimum frustum diffringi permittatur, bonitatis notæ erunt sequentes: optimum est, quod vere siccum, mediocriter ponderosum, inque frusta divisum striis, una aurea, altera crocea, tertia alba notatur. Ore sumtum ac masticatum amarum appareat & adstringens, bene quoque oleat, chartæque illitum croceum colorem imprimat: inveterarum contra & cariosum abjiciatur. Illius pretium si non duplicetur, emtio erit satis fortunata. Alteratum jam excoctum est, optimaque virtutum destiturum, ac propterea leve; quanquam sint, qui eidem genuinum pondus de integrò reddere queant. Colore immaturo croco vel ochræ haud dissimile est, nullasque nec albas nec flavas habet strias, oreque masticatum colorem dat ingratum, ex nigro flavum.

§. 6.

Quod ad vires usumque rhabarbari attinet, fusius de iis & ferè per omnes morbos agit *D. Tillingius*, Professor Rintelensis, in *Rhabarbarologia Curiosa*. Ejus præcipua vis est, quod bilem & alios quoque vitiosos humores leniter purgando expellat, & quando omnia fere purgantia medicamenta quid secum nocivi ducunt, secundum aloën solum rhabarbarum nec quicquam habere virulenti perhibent. Præterea vim quoque adstringentem continet absconditam, cujus respecta in dysenteriæ initio hucusque fuit usurpatum, præsertim tostum, *rhabarbarum tostum* propterea vocatum. Istius loco *Pometus* in *Histoire des Drogues pag.* 51. nigram rhabarbari partem, circa foramina, per quæ funiculi trajiciuntur, reperiundam, in diarrhœâ ac dysenteria potius commendat, quam aliàs tanquam inutilem habitam abjiciunt. Porro bilem nimis crassam oleosamque alterat & corrigit, anima hepatis propterea vocatum, atque in *ictero* similibusque morbis tantopere commendatum. Istud quoque *Paracelsus*, licet vis purgans ab eo ablata sit, calculo mederi existimat, ipseque *D. Ettmüllerus* certam novit personam, quæ sumta singulis hebdomadibus rhabarbari drachma præstitit, quo minus imposterum tam magni calculi ab se rejicerentur, vid. *Comment. in Schrad. pag.* 752. Qui effectus etiam ab eductione vitiosorum humorum iterata, quam & alia laxantia, aloe similiaque præstare apta nata sunt, potuit proficisci. Lumbricos quoque enecat simulque expellit.

§. 7.

Quot ex ista radice præparentur inque officinis extent medicamenta, utpote Syrupi, Trochisc. Pil. Extr. &c. *D. Schraderus* in *Pharmacop. Medico-Clym.* describit. Hodiè Tinctura, Anima Rhabarbari dicta, atque Syrupus de Cichor. cum Rhab. adhuc sunt in usu, hic in specie ad expellendum meconium recens natorum, quos ab omni terrore atque epilepsia defendit. Tincturam *Dn. D. Wedelius* in *Misc. Acad. Nat. Cur.* in *App. & ad Ann.* 4. 5. describit. Plerumque Rhabarbarum cum foliis Sennæ in aqua aut jusculo prunorum, ac frixi acuato, per noctem macerarur, maneque bibitur calide: qua ratione ii etiam, qui fortissimis aliàs purgantibus vix moventur, certissime laxantur, id quod sæpe sum expertus. Quam vero præter omnem rationem emplastris addatur, *Ludovici* ostendit *in Pharmac. pag.* 143.

§. 8.

Quoniam autem verum Levanticumque rhabarbarum nonnunquam nimis carum est, quidam

RHABARBARUM MONACHORUM

in usum trahunt, quod longa crassaque radix

eſt, fibroſa, inſtar angelicæ, ſed ponderoſior ac compactior, extrinſecus nigra inſtar Segreinii Corii apparens, intrinſecus flava, nullis tamen nec rubris nec albis ſtriis notata. Aliâs quoque Radix Patientum (*Patienten Kraut-Wurtzel*) vocatur, vid. *Sam. Daleus* in *Manud. ad Mat. Med. pag.* 131.

§. 9.

Planta lapathi ſpecies eſt, ac propterea Botanicis Lapathum hortenſe latifolium dicitur, magna longaque & acuta habet folia. Sunt qui plantam iſtam Patientiam vocant, quæ quidem non in omnibus, in quibusdam tamen Germaniæ hortis provenit; quanquam in India Occidentali magna in copia inveniatur, teſte *Hernandezio* in *Hiſt. Plantar. Mexican. pag.* 217. Quid verò cauſæ ſit, quamobrem Monachorum vocetur rhabarbarum, diverſæ Aa. ſunt opiniones. Quidam exiſtimant, quum multis ante annis Turcis invehendi in portum Maſſilienſem daretur copia, ab iſtis ſemen rubri Alexandrini rhabarbari Gallicis Monachis eſſe condonatum, ex quo poſtea hoc Monachorum rhabarbarum provenerit. Quam tamen relationem ſupra laudatus *Hernandezius* non temere fabuloſam credit; vero igitur ſimilius eſt, id nominis ab iis profectum eſſe Monachis, qui in *Meſuem* commentati ſunt, inque defectu veri rhabarbari hac radice utebantur, quæ *Ettmülleri* in *Comment. Schræd. pag. m.* 752. opinio eſt.

§. 10.

Viribus hæc radix cum Levantico ſ. Orientali rhabarbaro convenit: ſimiliter enim lente purgat, vique ſua adſtringente, quam relinquit, ventriculum ceteraque viſcera, ipſum quoque hepar iners, confortat. Iſtam igitur *Hernandezius* vero rhabarbaro non ſolum viribus comparat, ſed ipſe quoque Clariſſimus *Dan. Ludovici loc. cit.* nullus dubitat, quin idem prorſus iſta mediante poſſit præſtari, libere inſuper confitens, ſe vix unciam veri cariſſimique rhabarbari unquam præſcripſiſſe, nihilo tamen minus ægros ſuos curaſſe feliciter. Interea uno omnes ore admonent, rhabarbarum Monachorum dupla eſſe doſi ſumendum; quæ cauſa eſt, quamobrem ferè ſolum in decoctis infuſisque ſumatur, quum aliquot pulveris drachmæ, pro doſi ſumendæ, & horrorem & nauſeam excitent.

§. 11.

RHAPONTICO

tanta cum rhabarbaro intercedit ſimilitudo, ut quidam exiſtiment, ab una utramque radicem provenire planta, atque diſcrimen ab utroque ſaltem loco ſoloque dependere, in quo colatur, ut *Paulus Hermannus* in *MSC. de Mat. Med.* ipſe opinatur. Alii diverſas eſſe plantas credunt: quanquam in iſtis deſcribendis magnæ adhuc ſuperſint difficultates.

§. 12.

Quibus ut occurramus, ſcire intereſt, duplex apud Materialiſtas inveniri Rhaponticum, Vulgare & Thracicum, ſive Rhaponticum verum Thracicum vocatum, quoniam in quodam Thraciæ monte creſcit, de quo *Proſper Alpinus* proprium Tractatum conſcripſit, cujus etiam planta, quæ in *Muſ. Germ.* figura locum tenet medium, vero rhabarbaro adeo eſt æqualis, ut *Tournefortius* iſtam pro Levantico rhabarbaro habuerit, teſte *Pometo l. c. pag.* 52. Unde fortaſſe eſt, quod verum ingenuumque Thracicum rhaponticum raro in officinis inveniatur: quod ſi maxime deſideratur, citius inter veri rhabarbari inveniesfruſta, quibus ob ſummam, quæ utramque radicem intercedit, ſimilitudinem permiſtum divenditur. Quemadmodum verò diſtingui debeant? præter cæteros *Pometus c. l.* perſpicuè oſtendit: Levanticum rhabarbarum, inquiens, plerumque in magnis & late rotundis venire fruſtis, ſtriis obliquis intrinſecus notatis, Thracicum contra rhaponticum ex longis fruſtis conſtare, quæ intrinſecus longas rubrasque habent ſtrias. Prætereà ex ſapore melius deſumitur diſcrimen, dum verum rhabarbarum nullam in ore viſcoſitatem relinquit, quam tamen rhaponticum habet comitem. Cæterum colore extrinſecus flavum, intrinſecus variegatum eſt.

§. 13.

Rhaponticum vulgare oblonga radix eſt, extrinſecus fuſca, intrinſecus flavens, ſaporis amari & adſtringentis. Ex Sabaudia atque Italia, Lituania ſimiliter Ruſſiaque ad nos transfertur, diuque durabilis eſt, modo ſicco aſſervetur loco. Planta Botanicis Rhaponticum folio helenii incano audit, & quoniam flos deciduus pappum piloſamque ſcopulam relinquit, ab hodiernis Botanicis cyanis annumeratur, de quo vid. *Ammanni Charact. Plantarum Nov. p.* 544.

§. 14.

Cæteroquin binæ ſpecies viribus multum conveniunt, quatum reſpectu plus adſtringunt, quam rhabarbarum, propterea que olim non in hæmorrhagiis ſolum, ſed in vulneribus quoque caſibusque ab alto, ad reſolvendos grumos ſanguinis, interne externeque fuerunt uſurpatæ. Hodie raro & fere nunquam adhibentur, præterquam quod rhaponticum verum theriacam ingrediatur, ac propterea fuſius à *Moyſe Charaſio* pertractetur in *Gallico Tract. de Theriaca Ingredientibus.*

CAPUT

CAPUT III.

DE

MECHOACANNA.

§. 1.

MECHOACANNA magna levisque radix est, rotundis, multisque circulis exornatis orbiculis, ex India occidentali allata, iisdemque primum interne externeque prorsus albicantibus, cum tempore vero cinereis factis. Aliâs quoque Indica Bryonia & Gallice *Rhamindique* vocatur, quod hujus ad instar lente purgat. Per nonnullos Monachos, ab Hispaniarum Rege, ædificandi in Provincia cœnobii ergo, in novam Hispanicam missos, innotuit, postquam istorum Pater Provincialis à quodam Indiæ Medico feliciter ista curatus fuit: quam radicem deinde ab regione, in qua crescit, Mechoacannam vocarunt, ut Auctores Gallicæ Oeconomiæ, cujus titulus: *La Maison Rustique*, in peculiari *hac de radice discursu pag.* 129. fusius commemorant.

§. 2.

Quæ radix licet valde prope ad bryoniam accedat, planta interim nulla bryoniæ est species, sed convolvulus, quam non memorati solum auctores in celeberrimis hortis sæpe viderunt, sed *Hernandezius* etiam ita depingit in *Thesauro Rerum Med. Nov. Hisp. pag.* 164. *Ammannus* in *Charact. Plant. ex Pisonis Hist. Brasiliana* convolvulum Americanum, Jeticu dictum, nominat. Folia profert figuram cordis habentia, parvasque baccas.

§. 3.

Schræderus duplam esse commemorat, quarum una ex Mechoaca Insula, altera ex continenti Nicaragua proveniat, quam posteriorem perhibet longe præstantiorem. Ejus etiam pulvis nonnunquam ex America in Hispaniam fertur, qui tamen vi purgante longe inferior ipsa radice est, ut in prædicto libro *la Maison Rustique Lib. 2. fol.* 129. monetur.

§. 4.

Optima est, quæ interne externeque albicat, & ex elegantibus, magnis vereque exsiccatis orbiculis constat, qui quo sunt graviores magisque gummosi, eo censentur meliores. Saporis fere omnis expers sit: quo ipso facile dignoscitur, num radice bryoniæ sit adulterata, sapore amaro lapidosoque præditâ, cum mechoacanna contra tenera linguæ appareat, & sapore destituta. Hæc ultima plures etiam propioresque habet circulos, quam illa; carioſa facile dignoscitur ac vitatur. Milio addita asservatur melius.

§. 5.

Qua pollet virtute, omnes serosos ac pituitosos humores valde leniter ex intestinis totoque corpore educit, quamobrem olim radix purgans vocabatur. Magno pridem emebatur pretio, quod tamen hodie valde imminutum, ut *Marxius* in *Mater. Museo pag.* 116. commemorat. Cujus sine ullo dubio causa est, quod jalappa postea innotuit, ista multo fortior ac minore quantitate assumi solita. Hinc est, quamobrem mechoacanna fere non amplius hodie præscribatur, nisi quod fœminis, calcis aut cretæ desiderio captis, velimus imponi, id quod *Dn. D. Febrio* feliciter succesſit, vid. ejus *Tract. de Absinthio pag.* 98. Ad laxandos infantes usus ejus est crebrior, quod pulvis insipidus & instar farinæ est, propterea que pultibus aliisque cibis potest permisceri. Tenellis infantibus X. ad XX. grana, natu majoribus ʒj, adultis ʒij præscribuntur.

§. 6.

In officinis Extractum exinde præparatur, ab *Schrædero* aliisque cum spiritu vini extrahendum, ac supputante Pharmacola *Vielheuerio* ex libra una radicis uncia ʒj l. iß. potest haberi extracti. Enimvero *Etmullerus* in *Comment. Schræd. pag.* 750. ostendit, præparatum cum spiritu vini Extractum nequicquam prodesse, quum mechoacanna gummosa aqueo debeat resolvi menstruo, ut apud Auctorem modò laudatum fusius potest videri, qui præterea alia exinde præparanda medicamenta annotavit.

CAPUT IV.

DE

JALAPPA.

§. 1.

JALAPPA, GIALAPA s. JALAPIUM oblonga, crassa ac resinosa radix est, quæ orbiculatim incisa ad nos fertur. Mechoacannæ non adeò dissimilis est, quâ tamen nigrior est graviorque, sapore acuto ac nauseoso prædita

dita. Ex India Occidentali, præsertim Insula Madera, ubi copiose crescit, in Europam transfertur, crebrius ad medendum usurpanda.

§. 2.

De planta ad hodiernum usque diem diversæ sunt sententiæ. Quum primum innotuit, quod non adeo diu factum, exotica bryoniæ credebatur species, siquidem sæpius etiam mechoacanna nigra vocata, pro specie mechoacannæ habetur, quippe quam alias quoque Americanam bryoniam volunt haberi. Alii ad solanum referunt, quod Gallicus Botanicus, Dn. *Tournefort*, Solanum Mexicanum, magnô flore, semine rugoso, jalapium existimatum vocat, flori mirabili Peruviano affine, unde etiam *Ettmüllerus* hanc radicem deducit in *Comment. Schræd. pag.* 748. *Plukenetus*, Anglus, convolvulum vocat Americanum, sub jalappæ nomine receptum, cujus figuram sistit videndam in Tab. XXV. N. 1. quæ cum *Hernandezii* figura, quam in *Thesauro Rerum Med. Nov. Hisp. pag.* 164. Mechoacannam fœminam vocat, aliquam habere affinitatem optimaque esse videtur. *Pometus* aliam habet delineationem, ex utraque quasi constantem, sed tamen flori mirabili convenientem, cujus radix apud nos culta similiter, sed lenius purgat, quam jalapa Americana. *vid. Ettmüll. c. l.*

§. 3.

Bonitas radicis exinde potissimum dignoscitur, quando prunæ aut candelæ admota statim accenditur, præsertim maxima frusta, quæ manibus non facile infringi, malleo tamen mox comminui possunt, quæque extrinsecus nigricant, intrinsecus verò splendentia ac resinosa apparent, saporis quoque acuti ac nauseosi sunt, merentur eligi. Id quoque videndum, ut ne aliæ radices, utpote bryonia similesque permistæ sint. Præterea in integris frustis, non pulverata, quæ plerumque inveterata corruptaque est, ematur.

§. 4.

Usus radicis unicuique notus est, dum nulla fere præscribitur purgatio in pulvere, quam non jalapa tanquam basis ingrediatur. Serum simulque bilem, pituitam, aliosque vitiosos humores expurgat, quemadmodum usum ejus *D. Paullini* fere per omnes morbos deduxit in peculiari *libello de Jalapa*. In decernenda dosi ætas cum personæ, tum radicis venit respicienda. Infantibus pro numero annorum numerantur grana, adultis vero XX. grana præscribuntur, si recens adhuc & resinosa radix fuerit: inveterata ad semidrachmam & ultra datur, quoniam resina cum tempore enervatur. Extrinsecus applicata serum è naso prolicit, de quo *vid. Paullini l. c.*

§. 5.

Variis modis usurpatur, plerumque verò in pulverem redigitur, qui eo est melior & cum paucioribus doloribus operatur, quo est subtilior. Plerumque tamen propria sua resina, s. magisterio, cum spiritu vini rectif. extracto, & vel cum aqua præcipitato, vel per abstractionem spiritus vini præparato, acuitur. Ex albo eleganter flavescit ac splendet; quando instar colophonis apparet, nec quicquam prodest, multumque continet extracti, quod ex residuo adhuc potest educi. Supputante *Vielheuerio* in *Descriptione exotic. Mater.* ex libra una jalappæ ʒiß l. ʒij resinæ potest haberi. Grana X. istius resinæ in spiritus vini vel ♃ carmin. soluta, gratam purgationem suppeditant, quæ pro lubitu edulcoranda, tenerioribus virginibus Uratislaviæ, Halæ, Lipsiæ &c. crebriori esse in usu perhibetur, ut *D. Major* in *obs. Anat. de Calcul. Sperling.* testatur. Nec tamen statim jusculum sumendum, quippe quo resina præcipitatur, atque consequenter tormina excitat. *Boyleus* cum tragacantho pilulas exinde conficit, nullo labore assumendas, vid. Ejus *Tract. de Utilit. Philos. Experim.* Multi quoque misturis, sed nullo insequente effectu, addunt, nisi aliquis addatur spiritus: quemadmodum nec ipsa radix infusis commode additur, quod resinosa nisi spiritu solvi nesciant, ut Chymicis notum est.

CAPUT V.

DE

TURPETHO.

§. 1.

TURPETHUM VEGETABILE pars est exterior oblongæ cujusdam, crassæ ac resinosæ radicis, extrinsecus cinerea, intrinsecus albescens, saporis subacris & nauseosi. Vegetabile appellatur, quo à turpetho minerali, à Chymicis ex ☿io præparari solito, distinguatur.

§. 2.

Cujus plantæ radix sit, inter auctores non non convenit, quorum diversas opiniones *Hernandezius de Rebus Med. Nov. Hisp. pag.* 178. ex istoque *Frid. Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 636. fusius recenset. Quam tamen controversiam *D. Paulus Hermannus*, olim Prof. & Inspector Horti Medici Lugdunensis, qui antea

antea plantam in India Orientali ipſe viderat, decidit, atque in *Catalog. Horti Lugd. pag.* 78. oſtendit, eſſe convolvulum Indicum, quem alatum maximum folio Ibiſci vocat, quoniam in Orientali Occidentalique India creſcit, foliaque, ibiſco ſimilia, alas repræſentant, ut è figura apparet. Naſcitur in locis udoſis prope mare, floremque carneum & lævem habet, inſtar convolvuli: quo evanido in folliculis ſuis quatuor nigra profert grana, ſecundum dimidium rotunda, ac magnitudine piper æquantia.

§. 3.

Materialiſtæ duplex vendendum exponunt turpethum, finum ſc. & medium, vel etiam cineraceum, ut in *Dn. Banſæ Catalogo Simplicium* poteſt videri. Prius iſta radix eſt, quam ſupra deſcripſimus. Alterum nihil aliud eſt, quam thapſi radix, ex Sicilia advecta, & ab impoſtoribus turpetho permiſceri ſolita, vid. *Schurzii Mater. Muſ. pag.* 77.

§. 4.

Quemadmodum verò detegenda fraus ſit, atque utræque radices ab ſe invicem diſtinguantur, *Pometus* oſtendit *in Hiſt. des Drogues Lib.* 1. *pag.* 59. Genuinum turpethum extrinſecus ex rubro cinereum, intrinſecus vero cæſium, ponderoſum ac tenax eſt, ut non facile poſſit diffringi. Thapſi radix contra eſt levis, rugoſa, & externe coloris argentei, tam acris ardentisque ſaporis, ut, recens præſertim, veſicas in ore excitet. Quò verò turpethum verum electum acquiratur, videndum, num ex bene diffiſſo cor ligneum exemtum ſit. Caries iſtud reddit inidoneum; quæ autem prorſus reſinoſa eſt, commendatur: quæ ſaltem in extremitatibus reſinoſa apparet, vel ſecundum iſtam partem reſinæ immerſa eſt, vel ab Indis toſta, toſtioneque reſinoſum in extremitates actum, quam præſertim albeſcentem, levemque ac friabilem redditam, tanquam inutilem, rejiciunt. Mediocria etiam fruſta quam maxima ſunt meliora.

§. 5.

Quibus pollet viribus, pituitam aliosque vitioſos humores ex inteſtinis, thorace & partibus aliis potenter expurgat, adeo, ut Medicis in proverbium abierit: quicquid Agaricus non attingit, Turpethum promovet, & quod Turpethum negligit, Colocynthis attingit. Lumbricos quoque potenter enecat, ut poſt Mercurium nihil fortius exturbare vermiculos credant, quam inde præparatæ ſpecies diaturbith cum rhabarbaro, ut apud *D. Ettmullerum* in *Comment. Schræd. p.* 755. fuſius legimus.

§. 6.

Sunt qui etiam Extractum ſ. Reſinam cum ſpiritu vini exinde conficiunt, ſed pauca quantitate, dum ex integra libra vix una uncia prolicitur. Quæ vero alia ex iſta radice præparentur compoſita, apud *Schræderum* in *Pharmacop. Med. Chym. pag.* 256. commemorantur.

CAPUT VI.

DE

HELLEBORO NIGRO.

§. 1.

RADIX HELLEBORI NIGRI ex multis, tenuibus, fibroſis & ex uno capite propendentibus radicibus, externè nigris, & internè albicantibus conſtat, ſaporis amari, acris, atque pungitivi, odoris ingrati ac nauſeoſi. Purgantium eſt antiquiſſimum, *Hippocrati* aliisque veteribus Medicis valde uſitatum. Aliâs *Chriſtwurtz* vocatur, quoniam circa diem Chriſti natalem ſolet floreſcere. Veratrum quoque nominant, à vertendo, quod intellectum depravatum iterum vertit ac reſtituit.

§. 2.

Diverſæ plantæ habentur ſpecies, quæ non ſolum in Herbariis, ſed etiam in *Ettmulleri Commento Schræd.* poſſunt videri. Vera, unde Materialiſtarum radix hellebori provenit, habet elegantes roſas, primum albas, & tandem pallide rubras, ac inciſa folia. In Helveticis ac Tirolenſibus montibus creſcit, copioſius vero in Stiriâ, Helleborus niger Stiriacus propterea vocatus.

§. 3.

Materialiſtæ vel ita nudam divendunt, vel in ſaculis Norimbergâ advectis, ubi 144. radices, ſive duodecim dodecades, in unum faſciculum compactæ, ſacculo induntur, ut *Schurzius* in *Mater. Muſeo pag.* 74. commemorat. Minores etiam radices à majoribus diſtingunt, utpote melioribus, præſertim ſi ſimul oblongæ, probe exſiccatæ ac depurgatæ ſunt, quo diutius poſſint aſſervari. Id quoque bene cavendum, ut ne iſtarum loco radices aconiti, eodem plerumque loco creſcentes, ac helleboro haud diſſimiles, colligantur, atque ſic pro medicina venenum ægris offeratur, qua de re *Hildanus* in *Præfat. Oper.* poteſt legi.

§. 4.

Quæ radix ad educendum è corpore humorem acidum & melancholicum, à quo ita dicti lienis affectus, melancholia, mania ſimiles-

milesque proficiſcuntur, valere creditur. In omnibus quoque capitis morbis, ſcabie & aliis affectibus cutaneis convenit. Vel vinis purgantibus in ſacculis infunditur, vel extractum inde præparatur, cum aliis rebus in pilulas redigengum, de quo *Schræderus* Ejusque *Commentatores*, *D. Hoffmannus*, *Ettmüllerus* & alii agunt uberius. A fabris ad curanda equorum ulcera maligna uſurpatur; quemadmodum etiam

HELLEBORUS ALBUS

equis ſcabioſisque ovibus, quam hominibus, eſt convenientior; quanquam nonnulli Medicorum iſto quoque in Mania, ad excitandum fortiorem vomitum, interne utantur; quem in finem clariſſimus olim Saxonum Medicus *D. Michaëlis* exinde eſſentiam præparavit. Cautus minimum ejus ſit uſus, quum ad excitandam hypercatharſin vel maxime valeat. Quid *Dn. D. Ettmüllero* contigerit, cum quidam officinæ famulus loco præſcripti hellebori nigri album ſumeret, in ejus *Comment. Schræd. pag.* 745. poteſt videri. Externè pulverem ptarmicum ingreditur.

§. 5.

Optimus habetur helleborus albus, qui craſſis conſtat radicibus, multis albisque fibris ſtipatis, qui extrinſecus flavet, intrinſecus albicat, ſimulque acris eſt & amarus, odoris etiam nauſeoſi.

CAPUT VII.

DE

RADICE THYMELÆÆ ET PAREIRA BRAVA.

§. 1.

RADIX THYMELÆÆ lignea fibroſaque radix eſt, diverſæ magnitudinis, extrinſecus rubeſcens, intrinſecus alba; guſtu primum dulcis eſt, deinde vero actimoniam in lingua poſt ſe relinquit, inſtar ignis urentem, præſertim recens effoſſa. Raro in officinis habetur tota, ſed ſaltem exterior cortex, prout cum radice eſulæ ſimiliter contingit; quæ cauſa eſt, quamobrem ſub nomine corticum Mezerei corticibus annumeretur.

§. 2.

Ex iſta radice fruticulus progerminat, eleganter viridibus ſplendidisque foliis, lauri foliis haud diſſimilibus, ornatus, Laureola etiam propterea vocatus. Rubentes profert floſculos, ex quibus apes mel veneni æmulum exſugunt, & poſt illos baccas, virides primum, deinde rubentes, quas officinæ Granum Gnidium, & ſem. coccognidii nominant. Apud nos quoque in ſylvis hortisque creſcit: optimæ tamen radices ex Italia, Piſa, Roma atque Neapoli veniunt, teſte *Marxio in Mater. Muſ. pag.* 49.

§. 3.

Utraque, radix nempe atque ſemen, iisdem prædita viribus, promovent potenter atque expurgant aquas hydropicorum; quem in finem quoque Pilulæ de Mezereo in officinis præparatæ proſtant, in quarum tamen, ut & radicis ac ipſorum granorum uſu, ſumma adhibenda cura eſt, quippe quod bona correctione indigeant, certamque requirant doſin: de quibus vid. *D. Ettmüllerus* in *Comment. Schræd.* *D. Hoffmannus* ab iſtorum prorſus vult abſtineri uſu, in *Clav. Schræd. pag.* 624. Radix externè oculorum catarrhis valde proficit, ſi quando auri perforatæ fruſtum inditur, quo vitioſi humores emanent.

§. 4.

Huic radici Thymelææ fere ſimilis aliqua radix haud ita pridem ex India cœpit afferri, Luſitanis

PAREIRA BRAVA

vocata, quod vitem ſylveſtrem notat, quoniam ex iſta radice ejusmodi vitis, muris arboribusque adhærens, progerminare dicitur, ut *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag.* 69. ex aliorum relatione recenſet. *Hermannus* herbam ſimul atque radicem BOTNAM vocat, iſtamque in *MSC. de Mat. Med.* ſcribit eſſe radicem longam, pollicem craſſam, paulum intortam & quaſi tornatam, extrinſecus nigram, multisque elatis annulis nodulisque ornatam, intrinſecus cineraceam ſive griſeam & circulis interſtinctam, ſaporis acris & dulcis, fere inſtar liquiritiæ. In Braſilia creſcit, ac libra tribus circiter florenis conſtat.

§. 5.

Viribus multum cum glycyrrhiza convenit, tutos à calculo præſtat, iſtumq; potenter propellit; quam ob cauſam in Luſitania etiam in omnibus fere officinis habetur, multoque dicitur uſitatior, quam Ipecacuanha. Ab ſemidrachma ad totam, pulverata, mane cum vino ſumitur ab jejunis. Alii aquæ calidæ infundunt, quam, extractis viribus, ad modum Theæ vel Coffe bibunt. Vid. *Dn. D. Lochneri* Schediaſma *de Pareira bravâ*, in fine hujus Tomi adjecta.

CAPUT VIII.

DE RADICE CYCLAMINIS ET HERMODACTYLIS.

§. 1.

RADIX CYCLAMINIS crassa, rotunda & valde pulposa radix est, extrinsecus nigricans, intrinsecus alba, saporis acris, & quando adhuc recens est, vere pungitivi, urentisque, sed inodora. In præcipuis Germaniæ hortis propter flores colitur; aliàs vero sine cultura in altis montibus crescit.

§. 2.

Planta à Græcis & in officinis
ARTHANITA
vocatur, quæ lata ac rotunda habet folia, subtus aliquantum purpurea. Septembri floret, floresque profert gratos, bene olentes & purpureos, quorum foliola recurva sunt, & intrinsecus quasi conglutinata, quæ omnia ex Botanicorum figura optime apparent.

§. 3.

Radix, quæ sola in usu est, ratione virium cum radice asari valde convenit, cui etiam planta haud multum est dissimilis. Quamobrem vehementioribus purgantibus annumeratur, ut etiam internè suibus, unde nomen obtinet, quam hominibus sit convenientior; hinc plerumque externè ad promovendum sanguinem menstruum fœtumque mortuum usurpatur, quem in finem in officinis UNGUENTUM de ARTHANITA inde præparatur, quod etiam externe alvum dejicit, atque cum aloë, felle bubulo similibusque permistum vermes infantum ejicit, saltem abdomini inunctum. Alii emplastrum spleneticum exinde conficiunt, quod duritiem aliosque similes scirrhos perhibent dissolvere, vid. *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 557. Alias quoque succus radicis ad ulcera & purulentas aures natiumque obstructiones usurpatur, in cujus defectu decoctum radicis substituitur, quod etiam sæpius ad prædictum Unguentum de Arthanita sumitur, ut *Sim. Paulli* in *Quadripartito Botan. pag.* 527. testatur. De utroque oleo, quod *Petræus* & *D. Hoffmannus* ex planta proliciunt, supra laudatus *Ettmüllerus l. c.* pluribus potest consuli.

§. 4.

Quoniam verò, ut supra memoratum, radix ista non facile internè usurpatur, istius in locum hermodactylos licet surrogare. Qui
HERMODACTYLI
sunt radices oblongè rotundæ, latæ & quasi compressæ, cordis referentes figuram, extrinsecus ex rubello albidæ, intrinsecus vero protsus albæ, saporis dulcescentis & acris, odoris nullius. Ex Syria, Smirna & Aleppo ad nos veniunt. Et quanquam *Schurzius* in *Mater. Musæ pag.* 20. existimet istas quoque in sylvis circa Norimbergam atque alibi crescere, ei tamen *Marxius*, similiter Materialista Norimbergensis, intercedit, in *Mater. Musæ p.* 102. adeo ut istam opinionem imprudentia non carere pronunciet.

§. 5.

Quæ vera Hermodactylorum origo sit, & quid proprie sint, hodierno adhuc die inquirunt eruditi. Gallicus Materialista *Pometus* in *Histor. des Dregues pag.* 210. omnibus contradicere Botanicis non dubitat, & quando uno omnes ore Hermodactylos certas esse radices existimant, iste contra fructus exoticæ cujusdam arboris esse affirmat: quanquam, quæ florum ac foliorum habitudo sit, ne quidem experiri unquam potuerit, qua in re ipsi ego fidem habeo. Aliis apparent radices, qui tamen iterum inter se discrepant. Multi colchici esse radicem credunt, alii cyclaminis. Quemadmodum vero quilibet ex ipso intuitu statim judicare potest, binas has opiniones à verò esse alienas: ita *Ammanni* sententia mihi videtur vero similima, qui in *Char. Plantar. Nov. pag.* 420. cum aliis existimat, veros hermodactylos nihil esse aliud, quam radicem ireos exoticæ, iris tuberosa folio anguloso, flore obscure viridi *Syvertii* vocatæ, quæ in *Horto Oxoniensi p.* 348. describitur, ab *Eman. Syvertio* in *Florilegio* depingitur, atque *Museo Muscorum Germanico* in principio capitis cum in finem à nobis præposita est, quo appareat, quemadmodum hermodactyli è radicis medio desumti sint, ac propterea supra infraque appareant defracti.

§. 6.

Optimi magni sunt, perfecti, crassique ac ponderosi, extrinsecus rubelli, intrinsecus albi, recentes, sed tamen, quoad ejus fieri potest, bene exsiccati. Intrinsecus farinam contineant nullam, & quoniam facile fiunt carioси, Materialistæ & Pharmacopolæ sibi caveant, ne magnam istorum copiam coëmant.

§. 7.

Virtutes istorum sunt purgantes, quibus tenacem pituitam & acres humores ex artubus educunt, ab Antecessoribus propterea Anima articulorum vocati. Inde est, quamobrem contra arthritidem, chiragram & podagram à *Schrædero* ejusque Commentatoribus *Ettmüllero*, *Hoffmanno*, ac *Dalco* quoque aliisque fuerint commendati, quibus in affectibus à Veteribus quoque Pilulæ de Hermodact. fuerunt usurpatæ.

Non minus *Paracelſi* pulverem antiarthriticum, à *D. Hartmanno* in *Praxi Chym. cap.* 230. §. 17. deſcriptum, ingrediuntur. Porrò ad Electuarium Marocoſtinum Minder. ſumuntur. Cæterum pilulæ ad fontanellas exinde conſtant, quas clariſſimus quidam Comitatus Oldenburgenſis Medicus ex Turpetho, Agarico, Iva arth. Hermodact. atque cera præparat, quasque ſcimus multis in locis crebrius uſurpari, teſte *Vielheurio* in *Deſcriptione Mater. Exot. pag.* 114. ubi iſtarum quoque habetur deſcriptio.

CAPUT IX.

DE

RADICE SINENSIUM NINSING, SIVE GIN-SEM.

§. 1.

NINSING eſt radix longiuſcula, craſſitie auricularis digiti, inſtar radicis petroſelini, aut paſtinacæ, qua tamen minor eſt, apparens, plerumque duobus, ſæpius etiam pluribus prædita ramis, intrinſecus extrinſecusque pallide lutea, & in cortice exteriore exiguis nigris ſtriis, circulisque ac venis ornata, atque haud ſecus ac Mandragora quaſi in pedes diviſa, intrinſecus vero reſinoſo circulo notata. Saporem habet aliquantum acrem, dulcem tamen, eundemque cum amarore haud ingrato permiſtum, ut liquiritia, odorem quoque pergratum. Ab Japonenſibus Niſi, à Barbaris Canna, ab Sinenſibus Ninſing aut melius Gin-Sem (quæ vox ultima hominis exprimit ſimilitudinem, interprete *D. Menzelio* in *Miſc. Acad. Germ. Cur. Dec. II. A. V. pag.* 74. ex *Piſonis Mantiſſa Spagyrica*) vocatur, propterea quod iſta radix nonnunquam quaſi brachia habet pedesque tanquam homo. Tantum vero abeſt, ut ejusmodi radix in plebis verſetur manibus, ut potius in ipſa etiam China à præcipuis perſonis, propter raritatem, perhibeatur cuſtodiri; id quod *Dn. Rumphius* ex India Orientali, in *Epiſtola* quadam *ad* prædictum *D. Menzelium* commemorat, loco modo memorato *pag.* 74. legenda.

§. 2.

Hæc radix copioſè invenitur in extrema Septentrionali parte Sinæ, in Provincia Leautung & in Inſula Corea; & quanquam etiam in Japonia in hortis urbis Miaco (quò è Corea translata eſt) dicatur creſcere, Coreanam tamen quam Japonicam multo cenſent meliorem, à priori in eò diſtinguendam, quod extrinſecus in cortice nullis circulis ac lineis notata, intrinſecus alba duraque ſit, nec tam penetrantem ſaporem virtutemque habeat, ut Coreana. Quæ verò herbæ ejusdem nominis ratio ſit, diverſæ auctorum ſunt ſententiæ. *Wormio* eryſimi videbatur ſpecies, quoniam radices forma ac ſapore conveniunt: quanquam in *Muſeo ſuo pag.* 157. ſe nunquam vidiſſe folia ipſe conteſtetur. *P. Martin. Martini* radicis ſimilitudine in eam ſimiliter ducebatur opinionem, ut plantam iſtam eſſe mandragoram exiſtimaret, faceretque, uti *Kircherus*, *Blumentroſtius* aliique ſibi haberent fidem. Verum nec iſti planta unquam contemplanda obvenit, ut ex *Atlante* Ejus *Sinico* apparet. *D. Hermannus*, clariſſimus quondam Profeſſor Botan. Lugdunenſis, in *Collegio Mat. Med.* Siſarum Montanum eſſe putat, propterea quod ex ſemine è Japonia allato ſimilem plantam obſervavit progenerari: quamvis confiteatur, radicem viribus eſſe inferiorem radice Ninſing, id quod regionis vult adſcribi naturæ. Interea certum eſt, figuram in Japonenſium Sinenſiumque herbariis repertam, & à *Dn. D. Menzelio Miſc. Cur. Dec. 2. A. V. Obſ. XXXIX.* inſertam, cum Siſaro Montano magnam habere ſimilitudinem; unde & *Dn. Kæmpferus* (qui eandem in Japonia excoluit) vocat Siſarum montanum Coræenſe, radice non tuberoſa: addens plantam hanc recens natam radiculam unicam & ſimplicem, paſtinacæ ſimilem, infernè nonnunquam bifurcatam (unde nomen *Ninſin*, i. e. homini ſimilis) trudere, quæ majori in pretio habetur: Provectiorem autem plantam radicem unam atque alteram ſibi aſſociare, ut Siſarum noſtrat. Utriusque figuram vid. in ejusdem *Amœnitat. Exot. Faſc. V. p.* 820. Ubi etiam *D. Rumphius* plantam iſtam, quemadmodum ſibi à cive Chinenſi fuit communicata, ita deſcribit: exiguam eſſe plantam, in anguſto caule utrinque folia blitiformia proferentem, eaque digitum lata, per quorum medium rectilinea vena tranſeat, in utrumque latus exiguas fibrillas diſpergens, id quod etiam ex figura, quam ex Anglico Botanico, *Dn. Plukeneto*, *Tab. Cl. n.* 7. primùm in *Muſ. Muſ. Germanicò* mutuam ſumſimus, apparet, ab juniore *Dn. Breynio* in *Diſput. de Rad. Niſi* præ aliis æſtimata: quanquam iſtius figura magis acuminata habeat folia, ut illic videre eſt.

§. 3.

Collectio radicis, quæ valde curioſa & memorabilis eſt, à ſupra laudato *Dn. Rumphio l. c.* deſcribitur. Quoniam radix Novembri Decembrique ac Januario, tanquam menſibus hyema-

hyemalibus, quibus planta diſperiit, eſt effodienda, incolæ tempore nocturnò id dant operæ, quò ſuper terra ſplendorem obſervent, utpote ab radice è terra paulum prominente, emiſſum, & vel ab rore, vel propriâ radicis humiditate, vel ab Sole, ut Phoſphoro accidit, provenientem. Iſti ſplendori calcem vel cinerem inſpergunt, alteroque mane, ubi iſtud ſignum inveniunt, radices majores effodiunt, minores de integrò tegunt terrâ. Effoſſas Dominis ſuis afferunt, qui elegantiſſimas hominemque figurâ repræſentantes pro ſe aſſervare, reliquas vero amicis ſuis condonare, nullas exteris ſolent divendere. Quamobrem omnes, quæcunque in Europam transportantur, clam & effodiuntur & divenduntur. Quæ potiſſima cauſa eſt, quamobrem in Batavià tam rara caraque habeatur, adeò, ut clariſſimus Materialiſta *Pometus* Amſtelodami unciam unam XXV. libris Gall. redemerit, illamq; apud unicum ſaltem Materialiſtam invenire potuerit, ut in *Appendice* ſuæ *Hiſtoriæ p.* 5. commemorat. Hodie uncia XX. florenis Hollandicis conſtat, quæ olim L. Imperialibus erat emenda, ut *Dn. D. Spenerus* Amſtelodamò haud ita pridem ad me ſcripſit. Imo in ipſa Japonia optimæ radicis unum Catti (i.e. quinque quadrantes libræ Belgicæ) Teilis ſive Joachimis plus minus centum vendi Autor eſt *Kämpferus l. c.*

§. 4.

Quod ad virtutes ejus attinet, à Sinenſibus pro vera Panacæa habetur, quoniam non modò figura externa homini ſimilis eſt, ſed peculiarem etiam cum iſtius ſanguine ac ſpiritibus vitalibus habere communionem dicitur, ut *Hermannus* in ſuo *Mſc.* loquitur. Hinc eſt, quamobrem à *Piſone in Mantiſſ. Arom.* calidum innatum temperato ſuo calore usque eo confortare ac conſervare dicatur, ut *P. Martini* in *Atlante Sinico* exiſtimet, prorſus viribus deſtitutos & jam animam agentes tamdiu iſta mediante poſſe conſervari, donec tempus alia uſurpandi remedia naneiſcantur. Pro peculiari igitur confortante in lipothymia ſimilibusque habita, ab Sinenſibus ac Japonenſibus æque atque quibusdam Europæ Magnatibus ad comparandas peculiares vires uſurpatur, ab iis inprimis, qui in Veneris uſu volunt videri heroës. Medici præſertim in colicâ convulſivâ, indeque ſæpe oriunda contractura, in vertigine, debilitate memoriæ aliisque capitis morbis valde commendant, & tum etiam, quando parturientes, magno exantlato labore, viribus prorſus exhauſtæ ſunt: ſpiritus enim vitales continuo demulcet, propterea que à *D. Blumentroſtio* quietem ſomnumque conciliantibus medicamentis in *Miſc. Acad. Germ. Cur. Ann. VIII. Dec. II. pag.* 487. annumeratur.

§. 5.

Utendi modus ferè cum Thea convenit, dum radix, minutim inciſa, in aqua calida maceratur, quæ deinde mane bibitur jejune. Iis etiam vaſis utuntur, quæ alias ad potandam Theam ſunt accommodata, quæque *P. Martini* per Balneum Mariæ (quod ſubire deberet,) voluit intellecta, ut ſupra laudatus *Dn. Rumphius l. c. Dn. D. Menzelio*, verborum ſenſum exploranti, explicuit. Interea bene obſervandum, radicem Niſi diutius, quam folia Théæ, in aqua eſſe macerandam, eandemque iterum exſiccari poſſe, & altera vice uſurpari. Alii radicem cum juſculo nidorum hirundinum Indicarum, vel cum oryza cocta aſſumunt. Si quando verò à Medicis præſcribitur, alia plerumque morbo accommodata remedia adduntur, quoniam ob pretium valde magnum magnam præſcribere doſin non eſt integrum, quæ pro diverſitate ætatis eſt varianda, ut ex *Journal de Siam Pometus l. c. pag.* 4. oſtendit. Indi plerumque drachmam j. vel ij. ad duos cyathos aquæ, ebullitione ad dimidium conſumendæ, addunt.

§. 6.

Non minus pulveriſata vel per ſe propinatur, vel cum electuario permiſcetur. Paucos ante annos Senator quidam Lugdunenſis, periculoſis convulſionibus infeſtatus, iſtius ad grana XX. aſſumtæ uſu levatus, & quum redeuntibus convulſionibus ſexta quaque hora medicamentum aſſumeret, idque de conſilio *Dn. D. Deckeri*, inclyti Practici Lugdunenſis, prorſus curatus eſt. Is inſuper Tincturam, Extractumque cum ſpiritu vini exinde præparat, vid. Ejusdem *Exercit. Pract. pag.* 669. 670. atque prædicta ſub iſtius Præſidio Anno 1700. Lugduni Batavorum ab *Joh. Phil. Breynio* habita *Diſputatio de Rad. Ginſeng ſ. Niſi p.* 9. *& ſeqq.* Notetur tamen, Extractum cautè eſſe uſurpandum, quùm auctore *Dn. D. Cleyero* in *Epiſt. ad D. Schefferum*, quidam ex iſtius ad ſtimulandam ejus uſu deceſſerit.

CAPUT X.

DE

SERPENTARIA VIRGINIANA.

§. 1.

SERPENTARIA VIRGINIANA tenuis fibroſaque radix eſt, cujus fibræ uno de fruticce propendent omnes, atque extrinſecus ex cæſio fuſcæ, intrinſecus autem flavæ apparent, ſaporis acris, odoris boni & aromatici. Alias quoque Viperina Virginiana audit, quoniam contra quoscunque ſerpentum morſus, præſertim con-

tra certum quendam sonantem serpentem, in Virginiana Boicininga dictum, utpote viperarum speciem, probatum est remedium, ut propterea ab aliis contrayerva Virginiana vocetur.

§. 2.

Planta, unde proficiscitur, à quibusdam Dipramni, vel etiam pulegii, habetur species, cui *Pometi figura* in ipsius *Histor. general. des Drogues Lib. 2. cap. 3. pag. 49.* videnda, prope accedit. Enimvero hunc curiosum alias Materialistam, ut in quibusdam aliis, ita hic nimium habuisse fidei videtur qualibuscunque relationibus, dum doctus quidam Anglus, *Leonhardus Plukenetus*; in pereleganti pretiosaque sua *Phytographia*, veram ac genuinam plantam in tribus distinctis speciebus multa aliter proponit, quæ tamen omnes Aristolochiæ sunt affines, propterea que Aristolochiæ s. Pistolochiæ Virginianæ in Ejusdem *Tab. XV. LXXVIII. & CXLVIII.* vocatæ. Cui sententiæ clarissimus Batavorum Botanicus *P. Hermannus* in *Parad. Bot. pag. 219.* atque *Sam. Dale us* in *Pharmacol. pag. 260.* accedit. In Jamaica crescit, repentibusque herbis annumeratur & ante XL. fere annos innotuit; quanquam radix paucis ante annis apud nos in usum venerit, quam quidam Materialistæ ex ignorantia pro Ipecacuanha divenderunt ante, quam hæc ultima recte innotuit.

§. 3.

Quando conceditur electio, eligatur ea, quæ crassas perfectasque habet fibras, nec inveterata aut cariosa est, sed sapore pollet acriter pungitivo & paulum amaro, odore vero aromatico, Valerianæ, vel etiam vincetoxico simili, at multo gratiore. Id quoque detur operæ, ut ne aliæ permistæ impuritates sint, quod radix jamdum cara est, libraque quinque vel sex florenis constat Hollandicis.

§. 4.

Ob vires medicamentis alexipharmacis annumeratur, hodieque in omnibus febribus valde usitata est; in intermittentibus quidem cum China Chinæ, in continuis & petechialibus cum radice contrayervæ cibusque volatilibus præscribitur, certumque in variolis morbillisque fortiter expellendis, ut ipse vidi, remedium est. In scorbuto quoque, apoplexiâ ac paralysi, cum aliis medicamentis permista, usus istius non est contemnendus. Inprimis ad serpentum canumque rabidorum morsus vehementer commendatur, indeque oriundam hydrophobiam dicitur impedire. Pro dosi X. vel XX. grana cum absinthite propinantur. Alii ʒj. l. ij vino infundunt, quod extractis viribus, in morbis prædictis, dant bibendum. Non minus oleum exinde potest destillari, quod tamen hucusque ignotum, ac fortasse nimis foret pretiosum.

CAPUT XI.

DE

CONTRAYERVA.

§. 1.

CONTRAYERVA oblonga, nodosa multisque fibrillis circumdata radix est, extrinsecus albescens, saporis adstringentis & aromatici. Alias quoque à *Fr. Drackeo*, Gallo, qui primus istam in Europam portavit, Drackena, ab aliis cyperus longus inodorus vocatur, quoniam aliquam cum radice cyperi longi habere similitudinem videtur. De utrisque tamen ultimis nominibus multum disputant docti, ut apud *Hoffmannum* in *Clav. Schræd. pag. 450.* & *Wormium* in *Musf. pag. 154.* licet videre. Ex Peru per Bataviam in Germaniam locaque alia fertur.

§. 2.

Planta primum Caryophyllatæ videbatur species, vid. *Sim. Paulli in Quadrip. Botan. pag. 41.* alii radicibus cyperi annumerabant, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd.* Nonnullis videtur species Anthoræ Ind. vid. *Ammanni charact. Pl. pag. 348.* Enimvero *Franciscus Hernandezius*, qui omnes fere Indiæ Occidentalis plantas magna industria descripsit, in pretioso suo *Thesauro Rerum Med. Novæ Hisp. pag. 301.* ostendit, multo diversam esse plantam, Granadillæ haud dissimilem, quam *P. Hermannus* Clematitem Peruanam vocat. Folia habet ad instar solearum ferrearum, caulesque aliis rebus adhærens ascendit, ut ex Figura, quam *Pometi* delineatio quinta, verosimiliore, clare apparet.

§. 3.

Optima censetur radix recens adhuc, ponderosa crassaque, multis fibris cincta, saporeque prædita acri & aromatico. Si fortasse talis haberi nequit, aut alii, quod plantæ folia putant esse venenata, ab istius abhorrent usu, vel zedoariæ substitui radix potest, fere iisdem prædita virtutibus, auctore *Ludovici in Pharmac. pag. 253.* vel radix vincetoxici, copiose apud nos reperiunda.

§. 4.

Præsertim omni veneno, unde nomen obtinet, adversatur. *Wormius* tamen *l. c.* ☿ sublimatum, utpote prorsus corrosivum, excipit; contra cætera æque atque philtra ʒß. l. j. pulveris assumitur, expectaturque sudor. Non minus in omnibus morbis contagiosis, febribus petechialibus,

libus, peſtilentia ac ſimilibus uſurpatur, propterea que notiſſimam ingreditur tincturam bezoardicam. Sunt, qui cum China Chinæ permiſtam in febribus erraticis, Ipecacuanhæ autem additam in dyſenteria contagioſa præſcribunt. Et quoniam porro adverſus pleuritidem, artuum dolorē, omnesque morbos alios, in quibus ſudore opus eſt, ab *Joh. Terrentio* in *Not. ad Hernandez. l.c.* valdè commendatur, digna judicata radix eſt, quæ non ſolum notiſſimum hodie Pulverem Bezoard. Anglicum ingrediatur, ſed ex qua etiam inaurati globuli, LAPIDES CONTRAYERVÆ dicti, præparentur, quorum in *Pharmacopœia Bateana pag.* 86. hæc traditur compoſitio:

℞. Magiſt. CC. corall. alb. rubr. Margarit. ſuccin. alb. ocul. ℔. ā. ʒij. Rad. contrayer. ʒß. Apic. nigr. chel. ℔. ʒij. pulv. & commiſt. adde Gelatin. vip. q. ſ. f. Globuli ſol. ☉. obducendi & ſiccandi. Addunt alii Ambr. ʒiß.

Pulveris ſemiſcrupulum & ſemidrachmam in ∇ fumariæ vel carduiben. magno cum fructu exhibent in omnibus morbis contagioſis, variolis, morbillis ac ſimilibus.

CAPUT XII.

DE

RADICE SARSAPARILLÆ.

§. 1.

SARSAPARILLA è multis longis & vitigenis radicibus conſtat, craſſitie calamum æquantibus, omnibusque ex uno nodo pendentibus, iis quidem extrinſecus plicis rugisque notatis, ac colore pallidè fuſco præditis, intrinſecus vero albicantibus. Nullum præcipuè memorabilem ſaporem aut odorem habet; ex America per Hiſpaniam ad nos transfertur.

§. 2.

Planta Smilacis Aſperæ Peruvianæ ſpecies eſt & folia habet longa lataque ac ſuperius acuminata, floſculos ſtellatos albos, baccasque rubras & acidulas: fibris ſuis arboribus ac muris adhæreſcit, in Indiâ Occidentali creſcit, & quidem in locis humidis, ſimilisque in Italia invenitur, cujus radix fere iisdem pollet viribus.

§. 3.

Diverſæ apud Materialiſtas inveniuntur ſpecies, dum præter Hiſpanicam aliqua etiam è Batavia in parvis ſcatulis affertur, in utraque extremitate inciſa, ſed à prudentioribus parvi æſtimata. Aliam quoque è Gallia in longis capſulis afferunt, extrinſecus rubellam, quæ tanquam paulo melior ad Hiſpanicam valde prope accedit. Pro ratione ætatis quoque ſortes conſtituunt, iſtamque in finam, mediocrem & vulgarem diſtinguunt, quarum ſemper optima, utut carior, eligenda, ſi aliquid iſtius præſtare uſu velimus.

§. 4.

Hiſpanica habetur optima, quæ longas habet fibras, extrinſecus ex cæſio fuſca, intrinſecus alba, duabus rubellis ſtriis notata eſt, ac facile finditur, in pulverem tamen findendo non ſolubilis, quod alias cariei ſignum eſt. Ebullita aquæ rubrum colorem conciliat. Non humida ſit: craſſitiem contra mediocrem calami ſcriptorii habeat, quum nimis tenuis nec quicquam profit. Multo minus falſa Sarſaparilla uſurpanda, quam nonnulli, ſed temere, Sarſaparillam Moſcoviticam vocant, quæ Marignano potius venit; conſultius etiam eſt, ut diſſoluta, quam in faſciculis ligata, ematur, quoniam in his plerumq; multæ quisquiliæ & impuritates continentur, ut *Marxius* in *Mater. Muſ. pag.* 175. admonuit.

§. 5.

Vires hujus radicis penetrantes ſunt & ſubtiles, ac propterea *D. Simoni Paulli* non temerè videtur abſonum, quando *Hernandezius* eidem frigidam adſcribit naturam. Non ſudorem ſolum promovet, ſed alvum quoque ciet, quod præter *Fallopium* apud nullum fere auctorem legimus, ſed à me quoque fuit obſervatum. Quæ radix propterea nobile adverſus corpulentiam nimiam remedium eſt. Inprimis omnia periculoſa & inveterata ulcera ſanat, imo ipſum quoque incipientem occultumque cancrum, propterea à nonnullis radix ſalubris vocata. In Lue Venerea multo certius eſt quam lignum Guajacum, quemadmodum *Fallopius* in *Libr. de Morbo Gallico pag.* 723. ingenuè confitetur, exemplisque confirmat, relicta poſt lignorum decocta, ulcera, rhagades ani, tumores, ac ſimilia, hujus radicis uſu prorſus ſuiſſe curata. Ipſe quoque certum aliquem valdeque expertum novi Chirurgum, (qui ſimul Principali cuidam domui à cameræ ſervitio eſt,) qui peculiarem curandæ Luis Gallicæ, ab aliis non debellandæ, habere medicinam gloriabatur, quam tanquam ſecretum nullo volebat pretio manifeſtari. Quum verò certæ cuidam, eique illuſtri perſonæ, communibus aſſiſteremus conſiliiis, ſolam ſarſaparillam ipſius eſſe medicinam obſervavi, ejusque arcanum conſiſtere in coctione, quam tamen etiam expiſcatus ſum, partim *Fallopius* quoque *l.c.* clarius vero *Cardanus* in *Tr. de Rad. Chinæ p. m.* 1619. exhibet. Cæterum optima ſemper eligatur ſarſaparilla, viliore enim parum præſtabimus.

CAPUT

CAPUT XIII.

DE

RADICE CHINÆ.

§. 1.

RADIX CHINÆ crassa, tuberosa, glabraque ac lignosa radix est, colore extrinsecus è flavo fusco, intrinsecus ex albedine rubescente, sapore odoreque nullo; quanquam recens glutinosum & actrem exerat saporem. Ex India Orientalii, Persiâ, & præsertim China, unde etiam nomen obtinet, venit, partimque cruda, ut è terra eruitur, partim ab exteriore cortice liberata affertur.

§. 2.

Respectu plantæ, unde oritur, una cum sarsaparilla ad idem refertur genus, quæ utraque propterea easdem habent vires; similiter enim smilacis species est, quæ à *Dn. D. Hermanno* aliisque Botanicis Smilax aspera Chinensis, LAMPATAM dicta, vocatur, vid. *Sam. Dalei Pharmacol. pag.* 293. inprimis *Epist.* 3. *Indiæ Literatæ* in *Appendice hujus Libri*, ubi planta ejusque usus perelegantèr describuntur. Sic etiam Mexicana Chinæ radix, ex India Occidentali allata, ab *Hernandezio* æque atque *Plukeneto* pro specie Smilacis asperæ habita, ab illo *Lib.* 6. *cap.* 55. *pag.* 212. *Thes. Rer. Med. Nov. Hisp.* ab hoc autem *Tab. CX. n.* 4. descripta depictaque est. Consentit *D. Kämpferus Amæn. Exot. Fasc. V. p.* 781. cui smilax spinosa fructu rubicundo, radice virtuosa, *Chinæ* dicta, audit: cujus iconem elegantem tradit, ubi folia rotundiora sunt, quàm *Hernandezii*. Non minus veteres Indiæ scriptores, utpote *Garcias ab Horto*, *Acosta*, *Monardes* aliique istius jamdum fecere mentionem. Ista planta in hortis partim colitur, partim sponte in campis crescit, atque hujus saltem radix in Europam transportari, hortensis vero, tanquam optima, ab Sinensibus dicitur retineri.

§. 3.

Ita Chinæ radix Indiæ cum Orientalis tum Occidentalis est progenies: præter quod discrimen Materialistæ radicem porro in finam, mediocrem & vulgarem distinguunt, quarum hæc plerumqne vetustate ac teredine consumta & nequicquam prodest, media parum præstat, prima vero est optima. Atque hæc dignoscitur, quando ponderosa resinosaque est, nec facile potest discindi, quæ intrinsecus non adeo rubra apparet, ut Mexicana & sylvestris, sed rubella ex modica albedine. Id quoque attendatur, ut nec carioſa, nec foraminula obturata ac incrustata sint, quam pulchram artem Rationarius *Georgius Nicolaus Schurzius*, in recens exstructo *Mater. Museo Germanico*, tanquam peculiare artificium, typis evulgare nullus erubuit, *pag.* 73. ita scribens: China carioſa, minutim incisa, " contundatur: tum Gummi Tragacantho in- " ficiatur crassitie glutinis lapidarii: deinde China " carioſa aqua mergatur, gummi foraminibus " ingesto, China iterum fiat ineidendo æqualis, " denique umbra teratur, saponeque Veneto in- " ungatur. Sed quis, amabo, hoc te docuit? an hoc officiorum putas convenire conscientiæ? Conscientioſus sane atque ingenuus Materialista ejusmodi atque similibus dolis, à *D. Ludovico ab Hornick* & in *Pandect. Medico-Legalibus Part. I. Sect. VI. cas.* 6. maximam partem detectis, nunquam dabit operam, ac propterea fortunæ suæ erit certior.

§. 4.

Usus radicis Chinæ primum Anno 1535. Carolo V. dicitur innotuisse, postmodum à plurimis Medicis in peculiaribus Tractatibus, *Cardano* inprimis *Tr. de Rad. Chinæ*, atque *Vesalio* in quadam *epistola* descriptus. Proliciendo sudore valde exsiccat, curat hydropem, ulcera maligna, scabiem, Luemque Veneream, qua in parte Sarsaparillæ prope accedit, nisi quod magis sit temperata. Emaciatis quoque phthisicisque medicina est, morbo ab acribus ac vitiosis humoribus proveniente: quo in casu cum passulis minoribus utiliter coquitur, ut apud *D. Ettmüllerum* in *Comm. Schrœd. de Rad. Chinæ* videre est. Non minus omnibus artuum doloribus, podagræ & similibus conducit. Decoctum exinde præparatur, ut cum sarsaparilla fieri solet, ejusque ℥j. ad ℥iij. sumunt ad Libr. XV. aquæ, primum vero quatuor & viginti horas dant macerationi, postmodum in vase clauso tamdiu coquunt, donec tertia pars ebullitione fuerit consumta, quæ *Cardani l. c.* præparatio est. *Schræderus* unciam unam novem aquæ libris impertire virtutem sufficientem existimat, in *Pharm. Med. Chym. Lib. IV. p.* 44.

CAPUT

CAPUT XIV.

DE

RADICE PULSATILLÆ.

§. 1.

INter alia præstantia medicamenta, copiosè apud nos reperiunda, sed negligi, aut prorsus non indagari solita, RADIX PULSATILLÆ (*Küchen-Schell-Wurtzel*,) usque eo ignota est, ut Circumforaneo quodam illam aliquando hic loci pro Orvietanâ sua desiderante Pharmacopolæ ne quidem istius nomen scirent, utpote ultra *Augustanum* & *Schræderum* non sapientes. Ejus igitur hic faciendam duxi mentionem, siquidem magnitudo æque atque figura externa singulare quid in ista latere indicant, dum pedem longitudine fere æquat, instar radicis cardopatii incisa, saporis subdulcis juxta ac subacris est, ut adeoque vere medicinalem præ se ferat saporem.

§. 2.

Hæc radix primò vere parva, asperaque & incisa folia profert, quæ grandiora facta, tanquam fœniculum, sed paulo latius, se dispergunt. Inter ista caulis spithamæ longitudine ascendit, ex quo Martio mense elegantes purpurei flores (ex unoquoque caule unus) progerminant, in medio flaventibus fibris ornati. Qui flores Majo mense hirsuti globuli, erinaceo similes, evadunt, in quibus semen est reconditum, quo mediante se multiplicat, locaque inculta & sicca occupat, ut in sylva Francofurtana ad Mœnum videmus.

§. 3.

Vires Pulsatilla cum ranunculis habet communes, (istis propterea à nonnullis annumerari solita,) dum ita calefacit uritque, ut continuo vesicas excitet. Quam ob causam planta saltem externe in malo ischiatico, podagra, chiragra & similibus, ad instar aliorum vesicatoriorum, ad complanandos quoque inæquales ungues, verrucas maculasque cutis explendas usurpatur. Qua acrimonia, sed paulum mitiori, flores quoque pollent, quibus aliàs in Palatinatu Ova Paschalia colore eleganter viridi inficiuntur, quanquam flores longe diversum habeant colorem.

§. 4.

Enimverò radicis longe alia ratio est, utpote tanta calefaciendi vi destitutæ, ac propterea multo temperatioris: quanquam cæterum calefacientem, exsiccantemque, imo bezoardicam ac diaphoreticam vim habeat. Quamobrem interne prorsus tuto ac utiliter adversus pestilentiam omneque venenum usurpatur, & à clarissimo *Theodoro Tabernæmontano* ad Electuarium de ovo sumitur, vid. Ejus *Herbarium magnum pag.* 28. *Part.* 1. Alii Orvietanæ addunt, quanquam in quatuor descriptionibus, cùm à *Thoma Bartholino*, tum aliis seniori *Simoni Paulli* communicatis, hujusque *Quadrip. Botanico pag.* 124. *& seq.* insertis, non reperiatur.

§. 5.

Cui vero alia sub forma assumere radicem volupe est, is vel semidrachmam in una parte vini & una parte aceti, grassante pestilentia, assumat, sudoremque exspectet: vel radicem vino infundat, ac infuso utatur ad præservandum: vel recentem radicem, cum saccharo contusam, redigat in conservam, magnitudine castaneæ sumendam. Sunt, qui ex planta aquam destillant, contra febrem quartanam usurpandam, quam curare atque facile insequentem hydropem impedire dicitur. Spiritus etiam abstractitius mea sententia exinde potest præparari, in scorbuto aliisque sanguinis impuritatibus non spernendi usus.

CAPUT XV.

DE

RADICE CARDOPATII.

§. 1.

RADIX CARDOPATII (*Eber-Wurtzel*) pollicem crassa & longa radix est, extrinsecus fusca longisque rhagadibus plena, intrinsecus alba, odoris fortis, saporis pergrati, sed subacris. Aliàs quoque Carlina audit, quoniam olim Carolo Magno ab Angelo dicitur ostensa, quo ista mediante exercitum suum à pestilentia defenderet. Ex Helvetia sylvaque Hercynia affertur.

§. 2.

Planta cardui species est, qui chamæleon albus dicitur, magna, profundè & fluctuatim incisa folia habens, aculeis instructa, quæ super terra dispersa circulum formant. E medio foliorum magnus & forte 5. digitos latus flos

exſurgit, ſine caule radici firmiter inſidens, quæ planta propterea à Botanicis chamæleon acantos, magno flore, C. B. vocatur, & quoniam flos albeſcit, vulgaris cardopatii radix, quam in officinis habemus, carlina alba dicitur. Præter illam & carlina nigra habetur, altum caulem cœruleumque florem proferens, chamæleon niger flore cœruleo dicta.

§. 3.

Optima habetur recens, perfecta, beneque exſiccata, ſaporis dulcis, odoris etiam boni & aromatici. Bene quoque obſervandum, ut ne aliis permiſta radicibus ſit: qui dolus, radice exiſtente cara, non adeo rarus eſt.

§. 4.

Ratione virium inter nigram albamque non adeò notabile diſcrimen eſt, præterquam quod nigra ad dimidium usque plerumque hiet, & quaſi diffiſſa ſit, nec æque ponderoſa, atque alba. Binæ adverſus contagioſos ac peſtilentiales morbos commendantur, ſudorem proliciunt, urinam promovent ſanguinemque menſtruum, lumbricos etiam enecant. Porrò hæc radix ſtomachum confortat, flatus torminaque diſſipat. Num vero magnetica ſimul & attrahente virtute polleat, ita, ut vel maſticata, vel de collo hominis aut alterius cujusdam animalis ſuſpenſa, aliis in vicinia poſitis vires adimat, iſtasque alteri communicet, quæ *Paracelſi, Helmontii, Tenzelii, Staricii* aliorumque eſt opinio, ſuo jam loco relinquo. Interea *Dn. D. Ettmüllerus* poteſt conſuli, priorum Scriptorum ſententiam paucis referens in *Comment. Schræd. pag.* 530. Si qui fortaſſe exinde fuerunt debilitati, odori id potius adſcribendum, quem non potuerunt perferre. Qui radicem mandunt, virtute ejus aromatica, ſpiritus animales exſuſcitante, refici ſe ſentiunt. Aliâs Helvetiæ montiumque Pyrenæorum incolæ, non radice ſolum, quæ copioſe iſtic habetur, ſed flore quoque in cibis utuntur, quippe qui cinaram ſapore æmulatur, eodemque modo poteſt præparari.

CAPUT XVI.

DE

RADICE MEU.

§. 1.

RADIX MEU longa radix eſt, ſupernè acervum tenuium fibrillarum, ad inſtar barbæ ſibi implicitarum, oſtendens, extrinſecus fuſca, ad modum macularum ferri, intrinſecus albicans apparens, ſapore radici angelicæ haud diſſimilis, ſed non adeo acri, odore penetranti, qui leviſtici odore paulo eſt gratior. Ab Alpibus Pyrenæisque montibus ſimiliter affertur, & Germanis *Bär-Wurtzel* audit, quoniam fibræ urſorum pilis ſimiles apparent, vel quoniam in uteri aſcenſu uſurpatur, unde etiam *Mutter-Wurtz* & *Hertz-Wurtz* vocatur.

§. 2.

Planta ad anethum vel fœniculum valde prope accedit, propterea quæ etiam anethum urſinum, ſ. *Bæren-Dill & Bæren-Fenchel*, à Botanicis vero Meum foliis anethi vocatur, quod Myrrhis eſt, auctore *Ammanno* in *Char. Plant. pag.* 475. Caulem protrudit pedis altitudine, qui exigua inciſa folia, floremque umbellatum profert, ut anethum, quem ſequitur ſemen, fœniculo paulo craſſius. Interdum in noſtris quoque viridariis colitur.

§. 3.

In uſum medicum præter radicem cedit nihil, ante plantæ eruptionem effodiendam, bene lavandam & exſiccandam. Quo craſſior quove perfectior eſt, eo eſt melior, modo recens adhuc ſit, ſapore acri & aromatico pollens.

§. 4.

Viribus cum radicibus angelicæ & leviſtici convenit, ventriculum cæteraque viſcera, inprimis etiam uterum, calefacit: ac propterea non ſolum adverſus ructus, à debili ventriculo exortos, probatum eſt remedium, ſed omnes etiam ventris dolores ac tormina, præſertim inſignes hyſtericas paſſiones, ſedat, adeo, ut hyſtericæ detenta ſaltem ſub lingua radice, aut manſa, levari ſe atrociſſimis uteri doloribus ſentiant, auctore *Trago* in *Herbario ſuo Tom. I. cap.* 148. *pag.* 165. Præterea etiam diaphoretica ac bezoardica virtute pollet, ob quam Theriacæ ingreditur compoſitionem. Calculum etiam urinamque dicitur promovere: unde jam olim ſpeciebus Lithontript. Nicol. addita, & à Meſue Diacroco fuit permiſta, quoniam pulmones ab omni adhærente pituita creditur liberare, de quo vid. *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 503.

CAPUT

CAPUT XVII.

DE

COSTO ARABICO.

§. 1.

COSTUS ARABICUS longa craſſaque radix eſt, buxei coloris, ſaporis acris, ſubamari & aromatici, odoris fragrantis, ad iridem Florentinam accedentis. Cava & incurvata ex Syria, Arabia aliisque regionibus orientalibus in Europam fertur, ad Theriacam ſumenda.

§. 2.

Planta valde adhuc ignota eſt, ut propterea *Theod. Tabernæmontanus* ſolam radicem ſine frutice exhibeat. Figuram *Pometus* in *Hiſtoria Simplicium l. 2. c. 8.* proponit, quæ ratione ſurculorum ac foliorum magnam cum H. Chriſtophoriana habet convenientiam, quippe cujus radicem nonnulli coſtum nigrum vocant, vid. prædicti *Theod. Tabernæmont. P. 2. Herbarii p. 483.* Ut adeoque non conſtet, num pro vero frutice haberi debeat, à quo prior coſtus proficiſcatur?

§. 3.

Cæterum triplex habetur coſtus, 1. Arabicus, 2. Dulcis, 3. Amarus, qui tamen omnes ab uno vegetabili proveniunt: ut adeoque inter Arabicum ac Dulcem nihil prorſus interſit diſcriminis, ut Dominus *Commelinus*, Horti Medici Amſtelodamenſis Inſpector, in *Comment. ad Tom. XI. Horti Malab.* oſtendit. Imo de ſententia Scriptorum Indicorum, utpote *Garciæ ab Horto, Acoſtæ, Bontii, Cluſii* aliorumque, nec coſtus amarus à prioribus diſtinguendus, quoniam Arabicus, recens dulcis, vetuſtate amaritudinem contrahit. Prioribus duobus raris apud nos exiſtentibus, *Charaſius* tertium ad Theriacam ſumit, quippe in quo debitas qualitates deprehendit omnes, vid. Ejus *Hiſtoria*, Gallice ſcripta, *de Theriacæ Ingredientibus pag. 125.* Fuerunt quidam, qui canellam albam pro vero coſto Arabico voluerunt haberi, quem coſtum corticoſum ſ. ventricoſum vocant, ut in *Wormii Muſ. pag. 166.* videre eſt. Enimvero nullam coſti eſſe ſpeciem, ſed ex ignorantia ab Hamburgenſibus & Lipſienſibus Materialiſtis ita vocatam, *Paulus Hermanni* in *Collegio Mſc.* oſtendit, quæ propterea in Theriacæ compoſitione minime ſubſtituenda.

§. 4.

Ex ſupra dictis quisque facile conjiciet, coſtum eo meliorem eſſe habendum, quo eſt recentior. Denſa quoque compactaque ſit, fragrans & aromatica. Si quando ſapor ex dulcedine amaritieque quaſi temperatus eſt, iis qualitatibus convenit propius, quas *Dioſcorides* deſcribit, de qua re vid. *Samuel. Dalei Pharmacol. pag. 330.*

§. 5.

Ex ſapore facile æſtimantur virtutes. Calefacit, exſiccat, aperitque & diſſolvit, inque ventriculi, hepatis, uteri renumque morbis uſurpatur. *vid. l. c.*

§. 6.

Quæ exinde præparentur compoſita, utpote oleum coſtinum, pilulæ, elect. &c. una cum iſtorum uſu, apud *Schræderum* hujusque Interpretes, *D. Frid. Hoffmannum* in *Clav. Pharmacol. pag. 498.* & *D. Ettmüllerum* in *Comment. Schræd. pag. 554. Part. II. Op.* poſſunt videri.

CAPUT XVIII.

DE

RADICE DORONICI ET ANTHORA.

§. 1.

RADIX DORONICI oblonga, rotundaque & geniculata radix eſt, extrinſecus flavens, intrinſecus candicans, ſaporis ſubdulcis & paulum adſtringentis, exiguum amarorem aromaticum viſcoſumque relinquentis. Ab externis fibris depurgata ex Italia, Pedemontio, & Helvetia affertur, & in Galliam, Germaniam locaque alia vehitur divendenda.

§. 2.

Planta Doronicum Romanum (*Schwindel-Kraut*) vocata, in Alpibus creſcit, rotunda, lataque folia, ac flores ſtellatos flaventes proferens. Circa herbæ hujus radicem, ſub terra ſcorpionis caudam repræſentantem, ſemper aliquot argenti vivi globuli, perlarum ad inſtar, dicuntur reperiri, ipſeque expreſſus ſuccus, nocte aëri expoſitus, partim evadere Mercurius creditur, tempeſtate inprimis ſerena exiſtente: Id quod tanquam valde memorabile à *Marxio* in *Mater. Muſ. pag. 85.* annotatur, jam vero ſuo loco relinquitur.

§. 3.

In emtione id detur operæ, ut ne gypſo

aliisque rebus alba reddita, inveterata & corrupta, aut carioſa ſit. Maxima fruſta optima ſunt, intrinſecus eleganter albicantia, ſaporeque ſubacri aromatico prædita.

§. 4.

In conſtituendis radicis hujus virtutibus auctores vehementer inter ſe diſcrepant, quoniam experientia comprobatum eſt, canes aliasque beſtias ex iſtius eſu ſibi maturaſſe mortem. Quæ cauſa eſt, quamobrem *Simon Paulli* in *Quadrip. Botanico pag.* 84. ex notiſſimis compoſitionibus, ſpeciebus diambr. diamoſch. elect. de gemm. velit excluſam. Aliis contra bezoardicum videtur remedium: quam controverſiam *D. Wormius in Muſ. pag.* 145. fuſius exponit. Iſtam vero *D. Hoffmannus* in *Clavi Schræd. pag.* 468. ita ſumit decidendam, facile fieri poſſe, ut quæ mortifera beſtiis radix ſit, homini exiſtat ſalutaris, quum inſignis naturarum ſit differentia. Porrò tanquam peculiare medicamentum contra vertiginem commendatur; hinc funambulis peculiaris exinde conſtans pulvis in uſu eſſe perhibetur, quem *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 563. deſcribit. Hinc eſt, quamobrem Ægagropilæ, ex hac radice in rupicapris generatæ, ſimiliter contra vertiginem laudentur, de quibus *Welſchius* peculiarem *Tract.* conſcripſit, nos vero agemus alibi.

§. 5.

Alia inſuper in Alpibus creſcit radix alexipharmaca,

ANTHORA (*Gifft-heil*)

vocata: duabus partibus rapunculo ſimilis eſt, oblonge rotunda, extrinſecus fuſca, aliquot fibrillis prædita, intrinſecus alba, amari & acris ſaporis, odoris nauſeoſi.

§. 6.

Planta Napello haud diſſimilis eſt, cui etiam tanquam Alexipharmacum adverſatur. Inprimis alii cuidam venenatæ plantæ, THORA dictæ, contraria eſt, cujus ſucco ſagittæ, quibus lupi, vulpes & ſimiles beſtiæ petuntur, inficiuntur. *Schræderus* anthoram contra quoscunque morſus venenoſos commendat, cui tamen *Samuel Dale* in *Pharmacol. pag.* 252. non adeò magnam habet fidem.

CAPUT XIX.

DE

RADICE GLYCYRRHIZÆ.

§. 1.

RADIX LIQUIRITIÆ ſ. GLYCYRRHIZÆ valdè longa, vitiginea ſ. farmentoſa radix eſt, digitum craſſa, intrinſecus flava, ſaporem habens dulcem. In Candia & in Germania circa Bambergam magna in copia colitur, alias in regiones vehenda. In magnos plerumque circulos ſ. coronas intorquetur, quo etiam modo tutius, quam inciſione in faſciculos redacta, emitur, quoniam in his multum quisquiliarum reconditur, ut *Marxius* in *Material. Muſ. pag.* 98. benè obſervavit. *Wormius* in *Muſeo* ſuo & Braſilianæ liquiritiæ mentionem facit; cum verò de planta nil certi referre poſſit & hic illa tranſeat. Fortè Pareira brava eſt, quæ liquiritiæ ſaporem habet, ut ſuo loco eſt oſtenſum.

§. 2.

Noſtra liquiritia à frutice quodam provenit, è rotundis lignoſisque virgis duas vel tres ulnas altis, iisdemque ex opaco viridibus viſcoſisque foliis ornatis, conſtante. Flores, lentium, viciæque floribus fere ſimiles, ruſſei ſunt, Julioque menſe florent, quibus breviores & longiuſculæ ſiliquæ ſuccedunt, in quibus tria vel quatuor, lentes æmulantia, reperiuntur. Vage terram perreptat, ubi ſemel coli cœpit, ſimumque nec vaccinum nec equinum poteſt perferre, ut *Theod. Tabernæmontanus Libro 2. de Herbis c. XXXIV.* docet; ubi duæ ſpecies delineatæ ſunt, echinata & ſiliquoſa, quarum prior Veteribus, poſterior hodieque eſt uſitata, *vid. Simon Paulli Quadrip. Botan. pag.* 324.

§. 3.

Si quando emitur liquiritia, detur opera, quo conquiratur denſa & lævis, craſſitie digiti, extrinſecus ex rubello fuſca, intrinſecus verò coloris aurei, ſaporis verè dulcis & gratioris, quæve facile poſſit diſcindi. Interea bene cuſtodiatur, ne corrumpatur, facile ſiquidem incenditur quaſi & uredinem ſuſcipit, quæ uno in loco ſuſcepta mox totam radicem corrumpit: Id quod facile contingit, quando tempeſtate pluvioſa aut tonitruoſa vehitur, atque in cellis aſſervatur. Quamobrem *Pometus* in *Hiſt. des Drogues L.* 1. *c.* 35. *pag.* 90. nemini ſuadet, ut hujus radicis mercaturam faciat, niſi omnia optime intelligat, quum in iſta conſervanda ac divendenda magna impendenda cura ſit. In emtione ſiccæ radicis videndum, ut ne abjecta radix ſit, plerumque nigra apparens & corrupta. Optima eleganter lutea vereque ſicca eſt, quæ duos fere annos poteſt conſervari.

§. 4.

Uſus radicis unicuique notus eſt, dum in omni-

omnibus pectoris affectibus, tussi, anhelitu ac similibus universale est remedium, istiusque dulcedo omnibus lienosis ac scorbuticis, ob occultum acidum saccharata minime perferentibus, innocua est, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 577. bene admonet. Ob vim suam balsamicam ad renum quoque calculum proficit, & vel cum lapidibus ℈ assumi, vel cum terebinthina Veneta in pilulas potest redigi, teste *Simone Paulli l. c.* Veterinarii pulveris hujus ʒiij. l. iv. cum æquali sulphuris aut florum sulphuris parte pabulo permiscent, qua dosi per octo dies quotidie bis repetita equos anhelosos curant. Assumtus etiam pulvis præstare dicitur, ut aliquot dies non observetur anhelitus, id quod mangonibus equorum est observandum.

§. 5.

Ex hac radice

SUCCUS LIQUIRITIÆ

præparatur, quando vel radix coquitur, aut saltem aliquamdiu in aqua maceratur, succus exprimitur, super fornace, vel sub Sole, exhalandus. Partim ex Hispaniâ & Candiâ Venetiis, partim ex districtu Bambergensi in regiones alias transportatur; ut adeoque exotico non indigeamus, quod Bambergæ tanta in copia præparatur, ut inde tantum Bambergensis succi Norimberga Venetias feratur, quantum istius Candia Venetias venit, ubi istum in magnas placentas ℔ j. pondere redigunt: Bambergensis contra in parvis rotundis orbiculis venit, aliquot tamen unciarum pondere.

§. 6.

Optimus extrinsecus verè niger, intrisecus autem ex nigrore vere splendens sit, facile etiam frangibilis, saporeque gratus. Qui mollis est & rubescit, necquicquam prodest, maxime si intrinsecus fibrosus & arenosus est, atque empyreuma sapore prodit. In iisdem cum ipsa liquiritia usurpatur affectibus: majoris tamen securitatis gratia à quibusdam in aqua hyssopi solvitur, quo omnes impuritates secedant, de quo videatur *Ettmüllerus l. c.*

§. 7.

Tandem ex pulvere liquiritiæ, saccharo, amylo, ac pulvere iridis Florentinæ permisto LIQUIRITIAM COCTAM præparant, in prioribus affectibus similiter utilem, ac sæpe floribus sulphuris additam; quamvis alii Extractum liquiritiæ ejusmodi saccharatis non temere velint præferri.

CAPUT XX.

DE

IRIDE FLORENTINA.

§. 1.

RADIX IRIDIS FLORENTINÆ oblonga, nodosa paulumque compressa radix est, forte digitum crassa, colore alba, sapore acris, odore violas Martias æmulante, fragrans. Ex Italia, Rhodo Insula, Cypro, Dalmatiaque & aliunde advehitur.

§. 2.

Planta iridis sylvestris species est, in Italia sponte crescentis. Longa, viridia & gladiolos æmulantia folia, floremque album habet. Regio, in qua reperitur, distincta isti cognomina indidit, hinc Italorum, circa Florentiam reperiunda, Florentina, Vandalorum Illyrica vocatur, quanquam una ubique & planta & radix sit.

§. 3.

Quùm verò plantæ fere omnes in caldioribus regionibus provenientes, semper habeantur optimæ, hinc iris quoque Florentina, præsertim è Dalmatia advecta, Illyricæ, Venetiis ad nos venienti, hinc Venetæ dictæ, longe præfertur, maxime frustis majoribus, iis quidem crassis densisque ad nos advecta, eaque bene exsiccata, nec tamen friabilis. Tenuis contra rugisque notata, macilenta & mollis ac fere inodora, indigna emtore merx est. Quo candidior puriorque est, eo censetur melior. Hæc enim nulla ulteriori præparatione indiget, quoniam jamdum in Italia excorticata & depurgata est. Quæ si aliquibus in locis rubescit aut pallet, cultro facile abradetur corruptum.

§. 4.

Usus ejus præcipuè in omnibus pectoris affectibus, à tenaci pituita oriundis, valde est decantatus, quippe quem resolvit, & ad faciliorem ejectionem idoneum præstat. Id quod in tenellorum infantum tussi, torminibus aliisque affectibus cum emolumento fit eo majori, quoniam pulvis, ad aliquot grana datus, interdum etiam leviſſimum vomitum excitat. Cum sulphure subtiliter pulverata, ac liquiritia cocta mistus, pulverem pectoralem constituit nobilem, multis in morbis utiliter usurpandum. Externè radix pulverem de Cypro dictum, crinibus inspergi solitum, ingreditur, & ad res alios grato odore imbuendas usurpatur. Quamobrem non solum iis, qui fumigando rebus fragrantiam conciliant, sed infectoribus quoque in usu est, quo infestum oleorum odorem è pannis deleant. Ad minimam etiam confectionem sumitur, quam Galli *Nompareille* vocant.

§. 5.

In officinis quoque Extractum exinde præparatur, & quidem ex libra una radicis ʒiij possunt haberi extracti: id quod Pharmacopola *Vielheurius* in *Descriptione Exot. Mater. pag.* 115. observavit. In Italia quoque radix habetur condita, apud nos inusitata adhuc & incognita. Species dia-ireos contra in Medicina in usu sunt crebriori, quarum præparationem habent dispensatoria.

§. 6.

Quidam Materialistæ Iridem Florentinam cum Iride Nostrate confundunt, ut ex *Schurzii* & *Pometi Mater. Musæi* apparet, quorum posterior in *Appendice* libri sui, alias elegantis, palinodiam canit, istumque insignem errorem, qualis revera est, agnoscit, quum flores ostendant, quod

IRIS NOSTRAS

ab iride Florentina distincta sit, quod hæc albos, illa vero cæruleos, aut interstinctos aliis coloribus, flores profert. Radices etiam iridis Nostratis tam fragrantem odorem neutiquam habent, & recentes saltem usurpantur: iris contra Florentina in usu est exsiccata.

§. 7.

Radix ireos nostratis propter succum à Medicis expetitur, aquas hydropicorum fortiter pellentem, cujus aliquot cochlearia cum vino Hispanico permiscent ac propinant. Ex isto etiam pulverem farinaceum præcipitant, fæculam ireos dictum, paucæ efficaciæ. Nec syrupus multum prodest, quod coctione vis purgans exhalat. Externè ad Empl. diachylon sumitur. Non minus ex floribus cæruleis pictores pretiosum colorem s. Laccam extrahunt, Gallis VERD d' IRIS vocatum, & ad Miniaturam, seu picturam subtiliorem usurpari soli-

tum, cujus præparationem habet *Gallicus libellus de Miniatura* conscriptus: cæterum cum Carmino aliisque laccis convenit. Oleum Irinum similiter ex hac radice, non vero ex iride Florentina, præparatur. Vid. *Dispens. Augusti Zwelf. pag.* 319. In obstructione narium, coryza & similibus conducit, teste *Ettmüllero* in *Comment. Schræd. pag.* 588.

§. 8.

Huc etiam pertinet iris lutea, cujus radix vulgo

ACORUS ADULTERINUS

vocatur. Forte digitum crassa & oblonga radix est, extrinsecus fusca & intrinsecus rubra. In rotundos orbiculos discinditur & ita asservatur, saporemque habet adstringentem & amarum.

§. 9.

Hæc iris lutea in locis paludosis fossisque crescit, Iris lutea palustris propterea, ab aliis Pseudo-Iris, vocata: Quam nec *Ettmüllerus* pro vera iride vult haberi, sed gladiolum luteum vocari, quod explicari & prolixum foret & minus necessarium.

§. 10.

Hanc radicem quidam adversus dysenteriam valde commendant, quemadmodum ex ipso conjicere sapore licet in ista, cæterisque alvi fluxibus, non fore inutilem. Num vero in certis constellationibus signisve cœli collecta externe tanquam amuletum suspensa idem in prædictis morbis præstet, quod *Paracelsi* aliorumque somnium est, nunc non sumo inquirendum. Hodie recens inventa radix antidysenterica Ipecacuanha magis probata est, quæ nec Medicum nec ægrotum facile destituet, ut supra fusius docuimus.

CAPUT XXI.

DE

CALAMO AROMATICO VULGARI ET FRAGRANTE.

§. 1.

CALAMUS AROMATICUS VULGARIS oblonga, aliquantum depressa radix est, quæ in exteriore cortice in genicula divisa, & ex cæsio rubella, intrinsecus vero alba & spongiosa est, saporis acris & amari, odoris aromatici. Rectius RADIX ACORI vocatur, quod verus non est veterum calamus, quippe qui nobis fere ignota junci species est. Ille vero apud nos ubique crescit: quanquam multa millia librarum è Bohemia, Poloniaque & Thuringia tam vitidis & excorticati, quam exsiccati afferantur, quem Norimbergæ & alibi saccharo condiunt, iterum divendendum; imo album excorticatum aliorsum quoque transmittunt, de quo vid. *Marxius pag.* 54.

§. 2.

Hæc radix in locis paludosis crebrius crescens, longa viridiaque folia, instar iridis, & post hæc nigras holosericas clavas emittit, longum piper æmulantes; tres fere transversos digitos longa est.

§. 3.

Optima radix censetur, quæ recens adhuc est, perfecta, tenax, & à fibris probe depurgata. Coloris sit recentis, odoris fragrantis & aromatici,

tici, saporis acris & amari, nec tamen nauseosi; providam etiam asservationem requirit, cum facile reddatur cariosa: id quod *Moyses Charasius* in *Histor. Ingredientium Theriacalium pag.* 183. docet.

§. 4.

Ejus vires plebi etiam innotescunt, dum non ipsa solum radix, sed Calamus quoque Conditus, Extractum, Elect. Diacorum, &c. dest. aliaque præparata stomachum egregiè confortant, de quibus *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd.* sub hoc titulo agit fusius. Qui fumigando odorem rebus conciliant, ad ornamenta sua quoque utuntur.

§. 5.

Quod autem ad verum calamum aromaticum attinet, magna quidem olim inter doctos mota lis est, à nostrate num differat calamo, necne? radixne, an arundo sit? qua de re nunc soliciti non erimus: interea *Wormius* in *Mus. pag.* 144. & *Frid. Hoffmannus in Clav. Schræd. pag.* 426. possunt legi. Hodierni iidemque præcipui Botanici & Materialistæ, *Hermannus*, *Charasius*, *Pometus* aliique in eo conveniunt, non esse radicem, sed tenues inque genicula distinctos cauliculos, extrinsecus albicantes, levem spongiosamque in se medullam continentes, convolutis arancæ telis haud dissimilem, acris cum grata amaritie permisti saporis, odorisque egregiè aromatici. Valde quidem rarus est, interdum tamen in Batavia & alibi apud curiosos Materialistas invenitur; quemadmodum etiam *Theod. Tabernæmontanus Libro I. de Herbis cap.* 40. *p.* 598. commemorat, istum se Metis apud Caroli V. Phatmacopolam aulicum vidisse, *Pometusque* etiam testatur, calamum istum nonnunquam Massilia parvis in cistis venire, ab eò in figurâ delineatis.

§. 6.

Hæc planta in Ægypto Syriaque crescit, quam *Alpinus* in *Exot.* suis Cassabel Darrira vocat, quamve *Ettmüllerus* speciem Gladioli esse existimat; quanquam *Dn. Herbertus de Jager* in *Epist.* 3. *Indiæ Literatæ* dubitat, num vera hæc planta sit, quam potius *l. c.* credit esse arundinem. Longum erectumque habet caulem, crassitie calami scriptorii, duobus semper ex adverso positis foliis ornatum, superius in parvos ramusculos divisum; semen profert exiguum & nigrum.

§. 7.

Optimus censetur, qui crassos recentesque caules habet, & à parvis surculis s. stolonibus probe est depurgatus. Melior etiam est, qui extrinsecus est rubicundus, & intrinsecus albam medullam habet, quæ si inveterascit, flava evadit & farinacea, haud secus acsi vermibus esset arrosa. vid. *Pometus* in *Histoire des Drogues Lib. I. cap.* 37. *pag.* 92.

§. 8.

Usus ejus est, ut Theriacam ingrediatur: quanquam in istius defectu vulgaris possit substitui, quocum viribus convenit.

CAPUT XXII.

DE

ZINGIBERE.

§. 1.

ZINGIBER valdè notum aroma est, ex nodosa ramosaque & aliquantum compressa radice constans, zedoariæ radici haud dissimili, sed ramosiori, pluribusque fibris intertexta. Extrinsecus cæsium vel albicans est, intrinsecus verò luteum & fuscum, saporis acris aromatici & urentis, odoris fragrantis. Olim ex India Orientali, præsertim Malabar, Bengala, Sina &c. à Persis asserebatur; postquam verò in Antillis Insulis & S. Dominicô in America etiam coli cœpit, maxima ejus copia inde in Europam venit, vide *Ximenem* & *Sanssonem d'Abeville* in *Descr. Amer. pag.* 169.

§. 2.

Planta variè à doctis describitur ac delineatur. A nonnullis tanquam arundinis species describitur, Americanis Chilli vocata, ut *Hernandezius* in *Descript. rerum Novæ Hispaniæ pag.* 169. commemorat; cujus ad figuram Dni *Pometi* delineatio accedit, quam quidam Botanici Arundinem humilem clavatam radice acri vocant, alii verò cum zedoaria peculiari classi inserunt. *Hermannus* contra *Morisonii* amplectitur sententiam, existimatque esse iridem latifoliam flore albo. Utrique fortasse à verò non sunt alieni, dum vulgare cinereum zingiber à priori, album vero à posteriori videtur provenire, id quod tamen tanquam certum non sumo defendendum.

§. 3.

In effodienda radice Indi partem superiorem, ut apud nos in effosione raphani solent, decerpunt, istam terræ iterum condunt, quæ sequenti anno novum zingiber evadat. Alteram partem sub Sole exsiccant, & in luto asservant, ne humiditatem suam naturalem deperdat, nec cariosa fiat, id quod zingiberi persacile accidit. Interdum etiam super fornace exsiccant, unde zingiber nimis siccum durumque evadit, quale nonnunquam invenitur.

§. 4.

§. 4.

Materialiſtæ diverſas habent ſpecies, ſeu (ut loquuntur) ſortes, vel ab regione, unde veniunt, vocatas, ut Braſilienſem, Bengalenſem, & Sinenſem, quarum ultima habetur optima, auctore *Vielheuerio pag.* 566. Alii ſpecies iſtas vocant Puli, Portoriche, Domingo, ut ex *Schurzii Mater. Muſeo pag.* 112. apparet. Vel etiam zingiber ratione coloris album, nigrum aut rubrum vocatur; ſiquidem olim zingiber ad meliorem conſervationem creta partim album, partim rubrum reddebatur, quod tum magni faciebant, quemadmodum prædictus *Schurzius l. c.* colores quoque deſcribit. Poſtquam vero nigrum hodie æſtimari zingiber cœpit, rubro tinctum colore atque intrinſecus valde albicans in deſuetudinem abiit, quod illud elegantiſſimam flaviſſimamque farinam ſuppeditat, nec tam facile carioſum redditur.

§. 5.

Optimum zingiber eſt, quod recens ſiccatum eſt perfectumque, nec facile frangitur: quod extrinſecus ex rubello cæſium, intrinſecus reſinoſum apparet, ſaporemque acrem habet ac mordentem. Album fibroſumque Angliæ zingiber non multum prodeſt, ac plerumque cariei citius eſt obnoxium, quæ verò iſtud circumſtant fibræ, difficulter pulverantur, ut *Pometus pag.* 61. oſtendit. Aliquot tamen annos durat, in ſicco loco aſſervatum. Pulvis zingiberis multo minus prodeſt, utpote arena repletus: in cujus, ut in omnium pulveratorum materialium emtione, magna circumſpectione opus eſt, ut *Schurzius loco cit.* benè monuit.

§. 6.

Virtutes zingiberis in eo potiſſimum poſitæ ſunt, ut frigidum ſtomachum inteſtinaque valdè calefaciendo digeſtionem promoveat, omnes cruditates abſumat, & in omnibus quoque capitis morbis, ex ventriculo obortis, utpote vertigine, gravitate capitis, & quando nebulæ obverſari oculis videntur, multum opis præſtat, quemadmodum zingiber externè quoque in oculorum morbis utile eſt, ut apud *D. Ettmüllerum* in *Comment. Schræd. pag.* 173. videre eſt.

§. 7.

In ejusmodi affectibus Zingiber in India conditū egregiè conducit, quod in Bengala Chinaque omnium optimè præparatur, ubi recentes maximasque radices cum melle vel ſaccharo condiunt, excorticatas primum & in aceto maceratas, ut *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 570. oſtendit. Optimum cenſetur minus fibroſum, molle, magnis & aurei coloris fruſtis conſtans, ſaporis grati, nec adeo acris, cujusque brodium album eſt beneque coctum. Aliam inſuper ſortem habent, in Germania præparatam, cum priori non conferendam, nec tamen prorſus abjiciendam. Reliqua compoſita vid. in *Schræderi Pharmacop. pag.* 173. *& ſeqq.*

CAPUT XXIII.

DE

ZEDOARIA ROTUNDA ET LONGA.

§. 1.

ZEDOARIA nodoſa & quadantenus compreſſa radix eſt, extrinſecus ex albo cinerea, intrinſecus magis fuſca, ſaporis acris, ſubamari & aromatici, odoris fragrantis. Ex India Orientali, præſertim Bengala & Malabar, ubi ſine cultura creſcit, in Europam fertur.

§. 2.

De planta diverſæ auctorum ſunt opiniones. De ſententia Norimbergenſis Materialiſtæ *Georgii Nicolai Schurzii* Sandanici abſinthii creditur progenies, quæ in Ceilon Inſula copioſe inveniatur, vid. Ejus *Mater. Muſeum pag.* 78. Alii vegetabilium peritiores plantam zingiberi ſimilem creſcere ſcribunt, ejusque aliquam ſpeciem zingiber latifolium ſylveſtre vocant, teſte *Paulo Hermanno in Cat. Hort. Lugd.* qui etiam in *Colleg. Mſc.* veram plantam zedoariam Chinenſem vocat. Hæc ex una radice duplicem caulem protrudit, quorum unus præ foliis, alter præ floribus eminet, bini eidem cannæ oblongæ, ut cannæ Indicæ germina, ſed minores increſcunt, deciduis quinque foliis ſemen diverſæ figuræ in anguloſo folliculo ſuppeditantes. Hinc eſt, quamobrem Botanici hanc radicem nec radici cyperi, nec cannis annumerent, ſed ad peculiarem claſſem, ſub qua zingiber quoque, curcuma, galanga ſimilesque continentur, referant, hodierna methodo pentapetalam coniferam tricapſularem vocatam.

§. 3.

Quanquam in officinis unius ſaltem generis zedoaria eademque longa utplurimum reperitur, ab eruditis tamen diſtinctæ iſtius notantur ſpecies, de quibus *D. Samuel Gotthilff Manitius* in peculiari valdeque ingenioſo *Tract. de Ætatibus Zedoariæ* omnium optimè agit. Communiſſimæ ſunt 1. Zedoaria longa. 2. Zedoaria rotunda. 3. Zedoaria tuberoſa: quas tamen prædictus auctor non aliter vult diſtingui, quam diſtinctas unius radicis partes, quippe quod pars rotunda ſuperior abſciſſa, zedoaria rotunda, reliquum longum

longum fruſtum, cui prior inſedit, zedoaria longa vocetur, in quo etiam *Pometus pag.* 62. cum iſto conſentit. Alii 4. Arabum zerumbeth addunt, quæ tamen de ſententia *Schrœderi. Manitii & Pometi* nihil aliud eſt quam zedoaria rotunda, atque interdum in orbiculis, ritu jalappæ, affertur; quamvis *Hoffmannus in Clavi Schræd. pag.* 569. iſti opinioni intercedat. Geidwar Avicennæ vero alia ſpecies eſt, in ipſaque India perrara. Tandem ſupra laudatus *Dn. Manitius* apud *D. Hermanni* & *D. Ruyſchen* aliquam ejus ſpeciem vidit, camphoram odore referentem, propterea que zedoariam Ceylanicam camphoram redolentem vocatam.

§. 4.

Zedoariam verò probè duram, ponderoſam, ſiccam, minusque carioſam eſſe oportet, in- & extrinſecus cineream, tenacem, nec friabilem, ſaporis ardentis & aromatici. Quo pauciores habet fibras, eo eſt intrinſecus delicatior. Interea non eſt conſultum, ut Materialiſtæ & Pharmacopolæ magnam iſtius copiam coëmant, quoniam non adeò copiosè conſumitur, facile verò evadit carioſa.

§. 5.

Vires ejus calefacientes ſunt & exſiccantes: ratione amaroris ſtomacho, ob partes vero volatiles & oleoſas reſerando utero proficit, vimque habet alexipharmacam. Quam ob cauſam in febribus intermittentibus continuisque contagioſis (in quibus *Manitius* elegantem tincturam bezoardicam ex iſta præparat) in appetitu proſtrato, colica, intemperie uteri frigida, & obſtructione menſium, in refrigeratione partium nervoſarum ſimilibusque uſurpatur.

§. 6.

Præparatum exinde Extractum cum ☿ dulci uſurpatum, lumbricos infantum enecat. *Manitio* quoque teſte Indi maſſam exinde conficiunt, panem zedoariæ dictam, in impotentia virili maxime commendatam. Quæ verò aliæ ab iſta proficiſcantur compoſitiones, cum modo utendi, partim in *Schrœdero*, partim ejus interprete *Ettmüllero* poſſunt legi.

CAPUT XXIV.

DE GALANGA MAJORE ET MINORE.

§. 1.

QUanquam in officinis noſtris plerumque una GALANGÆ ſpecies inveniatur, Materialiſtæ tamen duas iſtius divendunt ſpecies, Galangam ſcil. Majorem & Galangam Minorem: quæ utræque ex India Orientali, Syriaque & Alexandria feruntur in Europam.

§. 2.

GALANGA MAJOR

tuberoſa radix eſt, unum duosve pollices craſſa, nodoſa, extrinſecus fuſca, & circularibus zonis quaſi in genicula diſtincta, intrinſecus pallens, ſaporis acris, aromatici & ſubamari, odoris fragrantis. Ex Java & Malabara affertur, ubi ſponcaneo proventu luxuriat, foliaque ad modum iridis emittit, ut ex figurâ Muſei Germanici, à D. *Frid. Hoffmanno* in *Clav. Schræd. pag.* 478. deſcripta, apparet.

§. 3.

GALANGA MINOR

à frutice, *Paulo Hermanno* in *Colleg. Mſc.* Ragonti dicto, provenit, cujus folia Myrthum ſimilitudine repræſentant, Hæc radix externa facie ad priorem accedit, præterquam quod minor, foris intusque rubeſcens, ſaporisque acrioris & urentis ſit. In China ſponte progerminat.

§. 4.

Utræque ponderoſæ, fragrantes, ſaporeque acres ſint, neutiquam carioſæ, nec ſub fractione emittentes pulverem; & quoniam Galanga minor plerumque præſcribitur, ac propterea majori ſæpe permiſcetur, fraus æque facile ex ſapore quam colore dignoſcitur, dum minor multo acrius linguam pungit, & quaſi uſtionem poſt ſe relinquit, rubella etiam apparet, quod utrumque in Galanga majore non invenitur. Porro fruſta Minoris, ut ad nos portari ſolent, raro auriculari digito majora ſunt, aliis craſſitiem pollicis habentibus.

§. 5.

Utriusque radicis vires cum zedoariæ calamique aromatici virtutibus conveniunt, ob ſal volatile oleumque aromaticum vi calefaciendi pollent, ac propterea ab Indis loco zingiberis recentis in acetariis, locoque capparum in embammatis uſurpantur, quæ ſecundum *Bontii* relationem Alhar vocant. Inprimis in omnibus affectibus ſtomachi conducunt, appetitum acuunt, cruditates incidunt, quæ per conſenſum aliâs caput petentes vertiginem excitant, viſumque obtundunt, quo in caſu ſpecies diagalangæ remedium ſunt non contemnendum. Quam ob cauſam *Paracelſus* Radicem Galangæ ventriculum externum vocat, quoniam in externis quoque fotibus confortare ſtomachum perhibetur. Alias vero hæ radices ad conficiendum acetum uſurpari dicuntur à mercatoribus, teſte *Pometo* in *Hiſt. Simpl. Gen. pag.* 65. *Lib.* 2.

CAPUT XXV.

DE

CYPERO LONGO ET ROTUNDO.

§. 1.

QUoniam binæ CYPERI RADICES à quibusdam galangæ ſylveſtres vocantur, illas his merito ſubjungimus. CYPERUS LONGUS è longis, tenuibus, nodoſisque & in genicula diviſis nigricantibus radicibus conſtat, ſaporis grati, ſed ſubacris & aromatici, odoris fragrantis. Una cum rotundo ex Italia, præſertim Verona, venit, quanquam in Aſia Indiaque Orientali inveniatur melior.

§. 2.

Plantæ aquaticæ canniformis progenies eſt, quæ gladiolorum audit ſpecies, atque in foſſis paludoſis & juxta rivos, ut calamus ſimilesque acres aromaticæ & volatiles radices, creſcit, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 560. annotavit.

§. 3.

CYPERUS ROTUNDUS è multis craſſis que nodis compacta radix eſt, quæ terra modo effoſſa ſphærulas precatorias repræſentat. In Materialium Muſeis nodi ſeparati ſunt, qui quod parvas pixides æmulantur, radix à Græcis κύπειρος vocatur, vid. *Wormius in Muſ. pag.* 154. Foris fuſca, intus cinerea eſt, ſaporeque pollet aromatico & ſubadſtringente, odore fragrante. Batavia Angliaque ex Syria & Ægypto affertur, ubi ſimiliter jùxta fluvios naſcitur, atque triangulares & duros caules emittit, qui è foliorum medio progerminantes, rubeſcentes junceos flores ferunt, ut ex figura apparet.

§. 4.

Fruſta utriusque cyperi longa, ponderoſa, duraque & perfecta eademque mucoſi odoris expertia, nec carioſa, qualia facile evadunt, habentur optima; ne vero decipiamur, monente *Pometo* in *Hiſt. Simpl. pag.* 66. non ſuperiores ſaltem manipuli contemplandi ſunt, ſed etiam quæ ex imo ſacci deſumuntur fruſta examinanda: id quod in aliarum rerum emtione quoque obſervandum. In ſcatulis probe aſſervanda, ut ne odorem deperdant.

§. 5.

Viribus rotundus quam longus temperatior eſt, cujus propterea in Medicina uſus eſt crebrior. Longus contra ad conciliandam Romanis chirotecis ſuaveolentiam uſurpatur. Bini ventriculum confortant, inteſtinorum flatus diſcutiunt, in vino cocti & poti, colicam ſedant, urinam & menſtrua cient, proptereaque à *Schrædero* ad impediendum hydropem incipientem commendantur. Vertigini quoque medicina ſunt, & à *Palmario Tr. de morb. contag. p.* 485. alexipharmacis annumerantur. Ore manſi dentes firmant, ac ſpiritui gratiam largiuntur, vid. *Hermannus* in *Coll. Mſc. de Mat. Med.* & ex eo *Dale pag.* 355.

CAPUT XXVI.

DE

RADICE CURCUMÆ.

§. 1.

CURCUMA oblongè rotunda & nodoſa radix eſt, Zingiberis referens faciem, intus florisque crocea, ſaporis ſubacris & amaricantis, odoris haut ingrati. Partim ab Arabibus, Perſisque ac Turcis per Babyloniam, partim ab Indiæ Orientalis Societate ex India affertur: unde etiam Cyperus Indicus & Crocus Indicus audit. Aliàs quoque in officinis Terra Merita vocatur, quod nominis forte propterea ei impoſitum eſt, quoniam pulverata flavæ terræ ſeu ochræ non apparet diſſimilis.

§. 2.

Planta Indis vocatur Cacha ſ. Kua, crocum ſignificans. Eleganter ampla virentiaque habet folia, in caule è regione creſcentia, floremque profert ſpicæ haud diſſimilem, ut omnium optimè ex figura, quam *D. Hermannus* in *Catalogo Horti Lugdun.* communicat, in *Horto Malabarico* autem in naturali magnitudine ſiſtitur, apparet.

§. 3.

Quidam, utpote *Samuel Dale*, duas iſtius recenſent ſpecies, longam & rotundam, ut in ejus *Pharmacologia p.* 324. legitur. Enimverò quùm nuſquam fere, aut certe paucis in locis binæ reperiantur, eadem fortaſſe ac Zedoariæ ratio eſt, ita ut longa atque rotunda diverſæ ejusdem radicis partes ſint, ut ſuo loco commemoravimus. Ad minimum clariſſimus Materialiſta Gallus, *Pometus*, duas ſpecies non vult admittere, inſignique iſtos duci errore exiſtimat, qui rubram curcumam, qualis non datur, inquirunt, præterquam quod vulgaris flavaque curcuma temporis decurſu & inveteratione evadat punicea, quæ trita pulverem rubicun-

rubicundiorem relinquat, quam recens, ut ex ejus *Hiſtoria Generali Simplicium Lib. 2. c. 12. pag.* 66. apparet.

§. 4.

Optima eſt recens, reſinoſa, in magnis ponderoſisque fruſtis allata, nec facile friabilis. Carie defœdata, multoque pulvere oppleta, ad faciendam medicinam nequicquam prodeſt, quamvis ab infectoribus non prorſus abjiciatur.

§. 5.

Curcumæ uſus in ictero creberrimus eſt, radix anti-icterica propterea vocata. Quo in affectu eo magis meretur commendari, quoniam etiam icterum calculoſum, doloremque lumborum, à parvis calculis in veſica fellea reſtitantibus, profectum tollit, ipſosque lapillos promovet, cujus rei valde memorabile exemplum habet *D. Frid. Hoffmannus pag.* 463. *Clav. Schræd.* Porrò in hydrope, lienis affectibus aliisque obſtructionibus chronicis fert opem, præſertim quando ſpecies diacurcumæ cum pulveribus chalybeatis, ♃ diaph. ♂ali & ſimilibus miſcentur. In India curcumam loco croci adhibent, iſtaque oryzæ, piſcium carnisque juſculis & cibis aliis colorem conciliant. Noſtris in regionibus tingendis variis mercibus inſervit, utpote qua non ſolumpannifices, ſed marſupiarii etiam, quique fumigando odoris gratiam conciliant, fuſores æramentarii, & confectores globulorum, qui globulos ligneos filo aureo neto obducendos, iſta illinunt, ne lignum tranſpareat.

CAPUT XXVII.

DE

BEEN ALBO ET RUBRO.

§. 1.

IStis medicamentis exoticis, quæ, quod plantæ adhuc ignotæ ſunt, varias inter doctos excitarunt opiniones, binæ BEEN RADICES quoque annumerantur. De quibus quidem veteres Arabici Scriptores multis egerunt verbis, hodie vero vix meretur operæ pretium, ſi de iſtis adeo velimus eſſe ſoliciti, quod fere in deſuetudinem abierunt, ab nemine uſurpandæ. Quoniam tamen apud Materialiſtas & Pharmacopolas adhuc inveniuntur, paucis iſtarum trademus deſcriptionem.

§. 2.

Quod igitur ad BEEN ALBUM attinet, magnitudine ad veram pyrethri radicem valde prope accedit, foris ſubcinereum eſt, intus magis album: primum nullo fere pollere odore videtur, tandem vero amarorem relinquit non contemnendum. Olim ex Syria Americaque dicitur allatum: quanquam noſtri ævi Botanici *Hermannus, Ammannus* aliique exiſtiment Lychnidis ſylveſtris ſ. papaveris ſpumei eſſe radicem, cujus *Theod. Tabernæmontanus p.* 12. *L.* 2. meliorem tradit delineationem, atque in *Pometi* figura deprehenditur.

§. 3.

Majores radices, minus carioſæ, ſed tenaces & adhuc recentes, cenſentur optimæ, ſapore inprimis prædicto pollentes. Fruſta oblonga ſunt, teſte figura allegata.

§. 4.

BEEN RUBRUM contra in orbiculis, ad modum Jalappæ, ex iisdem regionibus apportatur; extrinſecus fuſcum eſt, intus ſubrubrum, ſaporem habens terreum & ſubadſtringentem. Integra modo è terra effoſſa radix magnum raphanum perhibetur repræſentare, quæ emittendis longis & amplis foliis Limonium imitatur, cujus etiam dicitur ſpecies.

§. 5.

Optimæ ſunt radices colore ſaturatæ, bene ſiccatæ, ſed tamen adhuc recentes, ſapore adſtringente & ſubaromatico præditæ: facile evadunt carioſæ.

§. 6.

Quod ad qualitates attinet, Been albo vis cordialis & alexipharmaca adſcribitur. Rubrum vero in omnibus alvi fluxibus, præſertim in Dyſenteria, omnibus etiam hæmorrhagiis, & fluore albo mulierum uſurparunt veteres, de quibus *Avicenna* pluribus poteſt legi. Hodie perrarò in Medicorum formulis invenies, quum alia ſuppetant medicamenta, quorum ut notitia melior eſt, ita vis certior.

CAPUT XXVIII.

DE

RADICE PYRETHRI.

§. 1.

RADIX PYRETHRI longa craſſaque radix eſt, extrinſecus ferruginea, intus candida, ſaporis admodum fervidi, & quaſi inſtar ignis urentis, unde etiam denominationis dependet ratio. Aliás quoque radix ſalivatoria vocatur, quoniam ore manſa ſalivam copioſe prolicit.

§. 2.

Duplex habetur apud Materialiſtas, primum vera, è Regno Tunis per Italiam advecta, Italica propterea dicta: deinde Germanica, quod in Bohemia & Germania circa Magdeburgum perhibetur creſcere. Illa digitalem habet craſſitudinem, hæc contra dimidiam craſſitudinem vix adæquat, ſupraque ſimul abſciſſis exiguis fibris, quaſi barbam, vel ſcopulam ſetaceam habet, inſtar radicis Meu, atque crebrius in noſtris officinis, quam vera Italica invenitur.

§. 3.

Planta utriusque radicis chàmomillæ haud multum diſſimilis eſt: quanquam flores valde diverſi ſint, quod prioris flores fere primulam veris, vel potius chryſanthemum imitantur, poſterior vero umbellifera ſit. Quæ etiam ratio eſt, quamobrem illa, pyrethrum flore bellidis vocata, ab *Ammanno* in *Char. Plant.* chryſanthemis annumeretur: hæc verò pyrethrum umbelliferum vocetur, vid. *l. c. pag.* 534.

§. 4.

Optima pyrethri radix eſt, quæ recentes adhuc, perfectas, craſſasque & bene ſiccatas radices habet, non facile friabilis eſt, quæve præterea colore ſaporeque talis eſt, qualis ſupra fuit deſcripta.

§. 5.

Binæ radices admodum calidæ ſunt, natura ſubtili ac penetrante præditæ, tenuior tamen fere acrior eſt quam craſſa ſeu Italica. Ob acredinem rarò internè uſurpantur, niſi quod nonnulli medicamentis venereis addant. Externè vero radix in paralyſi linguæ egregie prodeſt. In aphoniâ igitur ab apoplexia profecta valde utiliter manditur, vel ſub lingua detinetur. Dentium dolori quoque medetur, proliciendaque ſaliva acres vitioſos humores potenter educit. Non minus clyſteribus acrioribus & excitantibus additur, in lethargo, epilepſia, ſuffocatione uterina, & apoplexia applicari ſolitis, quales *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd.* in hiſtoria pyrethri deſcripſit.

§. 6.

Habetur præterea pyrethrum ſylveſtre, cujus planta, PTARMICA vocata, ubique in pratis noſtris luxuriat, ſed in officinis non eſt uſitata: quanquam viribus vero pyrethro accedat, in hujusque defectu poſſet uſurpari.

CAPUT XXIX.

DE

ARISTOLOCHIA ROTUNDA.

§. 1.

ARISTOLOCHIÆ ROTUNDÆ tres apud Materialiſtas habentur ſpecies, quarum prior ac præcipua ARISTOLOCHIA ROTUNDA VERA vocatur. Craſſa, rotunda, nodoſaque & rugoſa radix eſt, foris cæſia, intus flava, ſaporis vehementer amari, & odoris ſubaromatici. Ex Italia altisque Helvetiæ montibus affertur, ubi planta multis tenacibus flexibilibusque caulibus, ulnæ altitudine concavis fiſtulis exornata, creſcit, partim ſuper terra agitatis. Folia hederam imitantur, ſed tamen minora ſunt. Flores ex nigro fuſci ſunt, iidemque longi, ut pilei acuminati: fructus pyrum forma repræſentat, in quo ſemen cordis habens figuram reconditur, quod tunc ſe fiſtit videndum, quando fructus maturitate ſponte hiat.

§. 2.

Cujus quum non ſemper detur facultas, ejus loco ſæpe ARISTOLOCHIA ROTUNDA VULGARIS uſurpatur, quæ nihil eſt aliud, quam Radix fumariæ bulboſæ, cujus planta fumariæ eſt ſpecies, quam foliis floribusque exprimit. Atque hæc apud nos copioſè reperitur, intus forisque cæſia eſt, prorſus cava, arena etiam terraque referta, vere & auctumno, quibus temporibus effoditur, eluenda. Amaritie cum priore convenit.

§. 3.

Præterea alia adhuc habetur ſpecies, ARISTOLOCHIA FABACEA dicta, quoniam

niam fabæ accedit magnitudine, infra etiam supraque depressa apparet. Non minus fumariæ bulbosæ progenies est, & à priori in eo distinguitur, quod tanta cavitate destituitur. Raro officinis in usu est, quanquam iisdem fere qualitatibus polleat.

§. 4.

Quod ad delectum aristolochiæ rotundæ attinet, optima censetur ponderosa, dura, firmaque & nodosa, intus vere lutea. Quo magis est amara, eo censetur melior. Omnes vero probe siccatæ sint.

§. 5.

Viribus quidem omnes inter se conveniunt, inter quas tamen Italica eminet. Calefaciunt discutiuntque impactum thoraci, ac præsertim utero, sanguinem, menses lochiaque cient, unde etiam hæc radix Aristolochia qs. ἀρίστη τοῖς λοχείοις vocatur. Quamobrem quotidie in obstructione mensium aliisque mulierum affectibus, ad vina medicata & medicamenta alia non sine successu sumitur. Fœtum quoque mortuum & molas ejicit. Externè pessis potest addi, & acrioribus clysteribus, apoplecticis & epilepticis præscribi solitis, quibus in casibus opem præstat non contemnendam.

CAPUT XXX.

DE

ARISTOLOCHIA LONGA.

§. 1.

QUanquam ARISTOLOCHIA ROTUNDA à quamplurimis etiam *Osterlucey* vocetur, id tamen nominis quidam, utpote *Daleus* in *Pharmacol. pag.* 259. & *Marxius* in *Mater. Museo pag.* 25. inprimis aristolochiæ longæ volunt tribui. Hæc verò oblonga, solida & rugosa radix est, foris ex cæsio fusca, intrinsecus subflava, saporis amari & acris, odoris non prorsus ingrati. Similiter Italia istam ad nos transmittit, quamvis planta nostratium quoque cultura crescat.

§. 2.

Planta aristolochiæ rotundæ veræ s. Italicæ non adeo dissimilis est, præterquam quod folia non tam rotunda, flores vero ex viridi flaveant, quibus fructus instar pyrorum minorum succedunt. Duæ præterea inveniuntur plantæ, quarum radices similiter aristolochiæ longæ annumerantur, una ARISTOLOCHIA CLEMATITIS, altera ARISTOLOCHIA TENUIS s. PISTOLOCHIA vocata. Binæ angustas tenuesque habent radices, minùs tamen usuales, præsertim quod Serpentaria Virginiana hodie innotuit, aliqua Pistolochiæ species, majori fortasse jure usuque ad theriacam sumenda, quam aristolochia tenuis, ab *Charasio* electa, ut in ejus *Tract. de Theriac. Ingred. pag.* 232. videre est.

§. 3.

Si quando compacta radix est, dura, minime carioſa, existimatur bona. Quò crassior perfectiorque est, eo est melior; rugosa contra, quod fere nihil quam merus cortex est, nec quicquam prodest, de quo *Jacobus Sylvius Lib. I. de delectu Medic.* videatur.

§. 4.

Præter radicem aristolochiæ longæ ejus etiam folia Medicinæ inserviunt. Utraque vim sanandi habent, ac propterea non in externis solum, sed internis quoque affectibus & ulceribus usurpantur. In externis radices valde probatas expertasque deprehendit antiquus Practicus *Simon Paulli*, quippe quarum ope valde inveterata pedum ulcera prorsus curavit, ut ex *Quadrip. Botan. pag.* 22. apparet. In læsionibus internis *Hoffmannus* in *Clavi Schræd. pag.* 414. peculiarem curam tradit, in phthisi pulmonumque exulceratione valde convenientem, ex cujus præscriptione quotidie infusum aristolochiæ bibitur, in ejusque dosi, ut in acidularum usu solet, nunc ascendimus, tunc descendimus. Ejus etiam decoctum in scabie celebre est. De nova Podagræ cura *Episcopi Monasterienſis* per aristolochiam longam instituenda, vid. *Praxin* nostram *Infallib.* Cap. de arthritid. Quin & partum lochiaque ciere perhibetur, adeo, ut *Valleriola Lib. I. obs.* 1. *pag.* 8. istam aristolochiæ rotundæ longe præferat. Cujus opinionis hæc fortasse ratio est, quoniam vi sua sanante læsiones partium genitalium, non adeò infrequentes, simul sanat. Radicem aristolochiæ tenuis theriacam ingredi, jam supra memoravimus.

CAPUT XXXI.

DE

RADICE ANCHUSÆ.

§. 1.

RADIX ANCHUSÆ, rothe Ochſen-Zung-Wurtzel (Gallis Orcanette dicta) longa, ſolida lignoſaque radix eſt, foris ſanguinea, intus alba, ſaporis amari & adſtringentis, odoris nullius. ALCANNA quoque audit, quod loco quorundam pretioſorum foliorum, olim ex India Orientali hoc ſub nomine allatorum, ad tingendum uſurpatur. In Gallia circa Montem Peſſulanum copioſe creſcit, quanquam ex Italia advehatur optima.

§. 2.

Planta apud Germanos *rothe Ochſen-Zung* vocatur, in locis etiam ſiccis creſcit, & præſertim circa Moguntiam ejus invenitur copia. Folia veræ bugloſſæ habet, nullos vero cœruleos flores; interea radix noſtrâs ad inficiendum fere inepta eſt, tantamque rubedinem non exerit, atque exotica, ut *Marxius* in *Mater. Muſ. Germanico pag.* 13. oſtendit.

§. 3.

Optima eſt recens & tenax, ſed tamen probe ſiccata, extrinſecus vere ſanguinea, intus autem candida, quæque vel ſicca vel humectata trita, in ungue aut manu colorem eleganter rubrum relinquit. Quoniam vero tinctura ſaltem in exteriore cortice poſita eſt, parvas tenuesque radices majoribus præferunt.

§. 4.

Ad uſum radicis quod attinet, iſtum in Medicina ſcimus non adeo receptum, quamvis interne adverſus dyſenteriam, diarrhœam, & hæmorrhagias non ſit inutilis. Externè autem cum oleo communi vel petræ extrahitur, quo recentia vulnera curant. Maximam partem in officinis ad alia medicamenta tingendamque aquam vitæ uſurpatur; quemadmodum etiam unguentum rubrum potabile ingreditur. Externe hoc colore ad infucandam faciem abutuntur, atque de ſententia *Simonis Paulli* Charta Hiſpanica exinde præparari non temere judicatur, vid. *Quadripartitum Botan. pag.* 198. Cæterum qui in cera lineamenta fingunt, iſtam valde conquirunt, quippe qua ceræ ruborem conciliant, quemadmodum infectores panno, pictores ligno rebusque aliis.

§. 5.

Pometus, Gallicus iſte Materialiſta, alius inſuper anchuſæ mentionem injicit, per Conſtantinopolin advectæ, quæ

ORCANETTA ORIENTALIS

vocatur. Craſſa & quaſi ex plurimis foliis, tabaci ritu, compacta rubra radix eſt, quæ quidem raro in uſu eſt, multo tamen vulgari cenſetur melior, quippe quam elegantiorem melioremque ſuppeditare rubedinem perhibent, vid. *Hiſtoire generale des Drogues Lib. I. pag.* 84.

§. 6.

Alia adhuc ſylveſtris anchuſæ ſpecies invenitur, quam *Matthiolus* in Herbario, & poſt eum *Theod. Tabernæmontanus*

ONOSMA

vocat; multa aſpera, ſed tamen mollia, folia habet, inſtar bugloſſi, quatuor transverſos digitos longa, unumque lata, ſuper terra in circum diſperſa; nullum nec caulem nec florem profert. Radix longa juxta atque tenuis ſuccum ſanguineum emittit, in exteriori ſaltem cortice contentum. Quam radicem civium filiæ ſuum in uſum vertere norunt, utpote quam per noctem aquæ roſarum vel ſpiritui frumenti indunt, maneque infuſo ſe lavant, quippe cujus uſu claræ roſeæque apparent, id quod haud ita pridem aliqua ex illis mihi confeſſa eſt. Figuram ejus in D. *Jacobi Theodori Tabernæmontani Libr. 2. de Herbis pag.* 551. invenies.

CAPUT XXXII.

DE

RADICE RUBIÆ TINCTORUM, GRAPPA ET COLORE RUBRO TINCTORUM.

§. 1.

RADIX RUBIÆ TINCTORUM tenuis, longa & ſuccoſa radix eſt, aliquibus geniculis interſtincta, foris intusque rubra, inodora, ſaporis primum ſubdulcis, tandem amari & ſubacerbi.

§. 2.

Ipſa planta, à Botanicis plantarum baccifera-rum ſtellatarum catalogo inſerta, in Flandria Selandiaque copioſe colitur: quamobrem Batavi magnam utilemque radicis, quam propter colorem tinctorum rubrum & GRAPPAM, quam vocant,

vocant, in farinam redigunt, mercaturam faciunt, quam olim à Bohemis poſſeſſam, celebre triginta annorum bellum inde in Sileſiam tranſtulit, auctore Doctiſſimo Jeſuita *Balbino* in *Hiſtor. Bohem Lib. I. cap.* 45. Certum namque eſt hanc radicem in Sileſia, circa Uratislaviam, copioſè creſcere, tanta vero cura, atque in Selandia, non coli; quæ etiam ratio eſt, quamobrem Sileſia Grappa bonitate Selandicæ ſit poſthabenda, qua de re *Appendix Pharmacop. Schræderi* poteſt legi.

§. 3.

Quanquam verò hac radix maximam partem ad inficiendos pannos uſurpetur, unde etiam nomen obtinet, ſæpius tamen in Medicina quoque ejus obvenit uſus, quam ſcimus quinque radicibus aperientibus annumeratam. Hepar, ſplenem renesque ac uterum expurgat, ictero ſplenecticisque morbis medetur, pituitam & inprimis ſanguinem menſtruum prolicit, ſanguinis grumos reſolvit, à lapſu & contuſionibus exortos. Quam ob cauſam pulvis radicis in ſubluxatione vertebrarum dorſi commendatur, de quo *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. p.* 645. videatur. Sunt etiam, qui vino gratiam coloris conciliant. De inſigni & nocivo ejus abuſu in pellendis menſtruis & chloroſi caſum notabilem vid. in *Novellis* noſtris *Medico Legalibus*.

§. 4.

GRAPPA in Selandia & Flandria præparatur, optimæque ejus ſortes annuatim circa Pentecoſtes feſtum diem, in nundinis Kaumarck dictis, ſecundum pondus centenarium, venduntur, in pilis inſignibus 900. ℔. pendentibus, ſingulis peculiari ſigno, loci, ubi præparatur, teſte notatis, ut *Georg. Nic. Schurzius* & *Marxius* in *Mater. Muſ. pag.* 90. docent. Iſtius igitur non ſpernenda copia ſingulis annis in Germaniam, Galliam locaque alia vehitur.

§. 5.

Id verò meretur notari, duplicem apud quosdam Materialiſtas inveniri Grappam, unamque ſimpliciter colorem rubrum tinctorum, alteram autem proprie Grappam vocari, atque à plurimis confundi.

PINGUENTUM RUBRUM TINCTORUM, vulgo *Färber-Röthe*,

è tota radice, prout effoditur, præparatur, propterea que à Gallis vocatur Garance non robé.

GRAPPA

contra non ex tota radice conficitur, quum primùm exterior cortex internusque ligneus nucleus abjiciantur, quod deinde reliquum eſt, in mola in groſſiorem pulverem redigitur, aliorſum transvehendum. Quam Grappam ſolam Galli Grappe, vel etiam Garance robbé vocant, teſte *Pometo* in *Mater. Muſeo Lib. I. pag.* 85.

§. 6.

Hæc ergò poſterior genuina & optima Grappa eſt, præſertim Brabantica & poſt illam Selandica. Primum colorem ex eleganti flavo ſaturatè rubrum, bonumque ſaporem habet, temporis vero ſucceſſu, & quando inveteraſcit, rubor magis opacus fit. In ſaccis, ſicca tamen probeque compacta, aſſervatur.

§. 7.

Quod ad uſum attinet, binæ iisdem in Medicina viribus pollent, atque radix ipſa. Utplurimum tamen ab infectoribus petuntur, qui libram duodecim albis emunt. Interea radicis nomine eo nos deduci non ſinamus, ut colorem rubrum ex Grappa putemus expectandum, quum ſaltem colorem ex opaco flavum reddat, quando ſcilicet in aqua coquitur, tuncque lanam, pannum, tibialia ſimiliaque (alumine prius ſaleque tartari macerata) in iſta bullire, aliquoties refrigerari iterumque immergi curamus. Quando verò ruber deſideratur color, res infectæ vel lixivio immergantur, vel lignum Braſilienſe, aut Fernambucum addatur, tunc color exſurgit eleganter ruber, ut *libelli de arte infectoriâ* docent, quibus tamen non ſemper habenda fides.

CAPUT XXXIII.

DE

MANDRAGORA EJUSQUE CORTICE.

§. 1.

UTplurimum in officinis & Materialium Muſeis ſolus MANDRAGORÆ CORTEX habetur, cujus potior uſus eſt. Cæſius, rotundus craſſusque cortex eſt, intus pallidus, ſaporis amari odorisque viroſi. E Galliâ atque Italia advehitur, interdum etiam radix in orbiculos inciſa, inſtar jalappæ, iſti permiſta eſt, quæ tamen rarius quam cortex uſurpatur, cujus quippe media pars, cor radicis dicta, parum habet virium.

§. 2.

Duo Mandragoræ genera ſunt, mas & fœmina. Mas magna laraque folia habet, inſtar betæ, ſed tenera, pallide virentia, glabra, multis venulis interſtincta, ſine caule ſuper terra ſe diſpergentia. Flores pallidè flaventes profert, quibus mediocriter magna crocea poma, cum albo

albo latoque ſemine, fortiter olentia ſuccedunt, Dudaim quibusdam habita, quorum Geneſ. XXX. fit mentio. Enimverò clariſſimus *Ludolfus* in *Hiſt. Æthiopica* certius quid oſtendit. Fœmina anguſtiora minoraque folia & poma habet, brachii craſſitie, partem hominis inferiorem cum duobus pedibus ſæpe referentem. In Gallia circa Montem Peſſulanum, inque Italiæ montibus Pyrenæis copioſe creſcit.

§. 3.

Cortex mandragoræ ſemper recens ematur, quoad ejus fieri poteſt, & quidem optimus, foris ex rubello cæſius, tenuique cortice, eoque criſpulo, corium granularum, Indorum Segrein dictum, referente, inſtructus, intus vero ex cinereo albus, qualem *Pometus* in *Hiſt. Generale des Drogues Lib. IV. Cap. 7. pag.* 135. præ aliis eligit. *Marxius* contra vere album beneque ſiccatum ſuadet eligendum, ut in ejus *Mater. Muſeo pag.* 120. videre eſt.

§. 4.

Uſus ejus eſt, quod olim cortex vino indi aut cum illo coqui ſueverit, quo ob vim ſuam narcoticam ſomniferamque iis daretur, quibus vel brachium, vel pes debuit reſecari, ut ne dolorem ſentirent. Quod cum periculo non careat, hodie non amplius uſurpatur, vid. *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 600. Ejus ſaltem oleum, de quo vid. *Schræderus*, hodie in uſu eſt, quod duros tumores emollire atque ad maturitatem deducere aptum natum eſt. Dolorem quoque lenit, & extrinſecus illitum ſomnum conciliat; quam ob cauſam etiam folia Unguen guentum Populeonis ingrediuntur: quibus tamen in *Notis Diſpenſ. Auguſtani* radices Hyoſcyami ſubſtituuntur, maxime ubi mandragora deficit. *Pometus* contra *l. c.* conſcientioſis Pharmacopolis diſſuaſor exiſtit, quippe de cujus ſententia prædictum Unguentum ſingulis annis recens Monte Peſſulano ad ſe perferri curent, quod ultra annum vim ſuam refrigerandi non retinere perhibent, ut *Bauderon* in *Pharmacop. pag.* 136. oſtendit. Enimvero Materialiſtarum tueri voluiſſe commodum videtur; facilius enim officinæ iſto unguento prorſus carent, quam ut tanto locorum intervallo, haud ſecus atque confectionem alkermes, advehi curent, præſertim cum fere centum medicamenta ſupperant, à quibus eundem ſperare habeamus effectum. Quæ alias Circuitores ejusdemque farinæ homines alii, ſuperſtitioſa faſcinaque ex radice faciant, utpote ex qua æque atque ex bryonia ſpiritus familiares (vulgò *Heintzel-Männcher*) efformant, ſatis innoteſcit: iſta vero partim à *Deuſingio* in peculiari *Diſcurſu de Mandragora*, partim in *Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec. I. A. I. Obſ.* 48. *pag.* 123. videbis deſcripta. Quæ ſuperſtitio ab Ethnicis videtur profecta, quorum CIRCE hanc ipſam plantam habuiſſe in uſu perhibetur, cui propterea CIRCÆÆ inditum nomen eſt, ut *D. Hoffmannus* in *Clavi Schræd. pag.* 499. commemorat. Paucos ante annos videndi ejusmodi effigi laris (*Heintzel-Männleins*) copiam mihi dedit *Dn. Peikenkampius*, Phyſicus Marburgenſis, valdè curioſus, quem vir quidam ſuſpectus, cui pecuniam dicebatur attuliſſe, in Dicaſterio reliquerat, ingenuo autem *Dn. Peikenkampio* necquicquam erogabat, quod cum paupere diabolo fœdus inierat nullum.

CAPUT XXXIV.

DE SCILLA.

§. 1.

SCILLA, (*Meer-* ſeu *Maus-Zwibel*,) exotica magnaque cepa eſt, craſſitie pugni, ſaporis valde acris & amari, ſed tamen viſcoſi, odoris nullius. Ex Hiſpania advehitur, ubi juxta mare inque locis vicinis, unde nomen obtinuit, creſcere perhibetur.

§. 2.

Duæ tresve iſtius dantur ſpecies, alba nempe & rubra, quæ ejusdem ſunt magnitudinis, & alia inſuper major, PANCRATIUM dicta. Poſterior lata quidem folia profert, nullum vero nec florem nec ſemen. Priores decore longum, rotundum glabrumque caulem, pulchris ex albo flaventibus floribus utrinque exornatum, emittunt, quibus exſiccatis deciduisque poſt paucos dies lata craſſaque folia ſuccedunt, petiolis deſtituta, haud ſecus atque in liliis albis apparet.

§. 3.

Optimæ ſunt recentes, ponderoſæ, duræ, beneque concretæ, in lateribus non contuſæ, nec putredine affectæ, ad quam dicuntur proclives, bene monente *Pometo* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 179. Siccæ quoque ſint, ac caute ſtramine operiantur, ut ne una alteram atterat, alias enim excreſcunt, viresque diſpereunt, teſte *Marxio* in *Mater. Muſ. p.* 176.

§. 4.

Scilla vehementer calidæ exſiccantisque naturæ eſt, tantæque acrimoniæ, ut manibus ſe crudam recentemque tractare volentibus veſiculas inurat. Quæ cauſa eſt, quamobrem recens à quibusdam viroſa habeatur, propterea-que in fruſta inciſa & in aere ſiccanda putetur, quo aliquid acrimoniæ deperdat ante, quam trahatur in uſum. Pharmacopolæ etiam ſcillam maſſa panis inveſtitam, in furno inſtar panis

nis coquunt: maſſam deinde cultro ligneo removent; ſcillam vero in laminas diſſectam exſiccant, ut non ſolùm Pharmacopola *Vielheuerius* in *Deſcript. Exot. Mater. pag.* 145. commemorat, ſed *Diſpenſatorium* quoque *Auguſtanum* jubet. Enimvero, quoniam hac ratione ſal ejus volatilis, in quo vires potiſſimum reſident, avolat, ſcillaque magis deſtruitur quam melioratur, iſtam correctionem non *Zwelferus* ſolùm rejicit in *Pharm. Reg. pag.* 146. ſed alii quoque præclariſſimi Medici, *Hoffmannus* & *Ettmüller.* in *Comment. Schræd. pag.* 547. 659. Cæterum vi valde diſcutiendi reſolvendique pollet, tenacem impactamque pituitam, præcordiorum anguſtiam & trahendi ſpiritus difficultatem inducentem, è thorace ejicit; quibus in affectibus adeò decantatum OXYMEL SCILLITICUM & LOCH de SCILLA multum levaminis afferunt, nec non ACETUM SCILLITICUM, quod etiam pituitam in ventriculo & inteſtinis ſtabulantem reſolvit educitque, à Pythagora, iſtius inventore, pro panacea atque ejusmodi medicamento, quod ad prologandam vitam faciat, habitum, ut in *Theod. Tabernæmontani Lib. II. de Plantis pag.* 342. legimus. Imo jam dictus Pythagoras hanc de ſcilla foviſſe opinionem perhibetur, ſuſpenſam ſuper januam ſcillam arcere à domo medicamentum nocivum. Præparati exinde trochiſci theriacam ingrediuntur. Ad quædam externa quoque medicamenta ſumitur, utpote Emplaſtrum de alth. & diachyl. magnum.

Epilogus.

TAntum de rarioribus & maximam partem exoticis radicibus, apud ſolos Materialiſtas reperiundis, & ad emendum conquirendis. Quum verò in officinis multæ quoque radices indigenæ habeantur & iſtarum deſcriptio ſ. delineatio uberior hic loci videatur nimis prolixa, brevem ſaltem ſuccinctamque illarum faciemus mentionem, quas ſcimus in omnibus herbariis reperiri, radicumque collectoribus ac hortulanis innoteſcere; iſtas E. ordine alphabetico perſequemur:

RADIX *Althææ* oblonga, ad albedinem raſa & inciſa radix eſt, ſapore mucilaginoſo.

- - - *Angelicæ* fuſca, acris & ſubamara radix eſt, odore fragrans, in Alſatia, Brisgovia ac Lotharingia luxurians. Recentem abſinthium à carie tutam præſtat, vid. Schurzius in Mater. Muſ. pag. 71.

- - - *Apii* pollicis craſſitiem habens, ſuperius capite, inferius fibris parvis numeroſis exornata. Helvetiorum barbam refert. Plerumque in tenues lamellas inciſa in officinis aſſervatur. Saporis eſt ſubacris.

RADIX *Aronis* alba rotundaque radix eſt, dimidiam hermodactylorum habens magnitudinem, ſaporemque vehementer acrem: quam in ſcatulis oportet aſſervari.

- - - *Aſari* parva, fibroſa & implicata eſt, ſapore nauſeabundo & acri, odoris fragrantis, nardini.

- - - *Aſparagi* longa albaque ac fibroſa radix eſt, ex uno capite progerminans, ſaporis ſubdulcis & viſcoſi. In faſciculos collecta, loco ſicco, in ſuperioribus ædium partibus, ubi tranſitus aëris liber eſt, exponitur. Iſtius quidem Germania quoque ferax eſt, maximam tamen partem ex Hiſpania Galliaque venit.

- - - *Aſphodeli* ex flavis corticibus vel fruſtis cepæ cognominis conſtat, ſaporeque eſt mucilaginoſo.

- - - *Barbæ caprinæ* craſſa eſt, foris nigricans, intus rubra, numeroſis fibris cincta, odore fragrans.

- - - *Bardanæ* oblonga craſſaque radix eſt, extrinſecus nigra, intrinſecus albida, ſaporis ſubdulcis juxta ac ſubacris, odoris non adeo notabilis.

- - - *Biſtortæ* oblonga eſt, pollicem craſſa, foris nigricans ſ. ex fuſco nigra, intus pallide rubra, ſaporis adſtringentis.

- - - *Borraginis* longa, ſuperius recta, inferius fibroſa radix eſt, extrinſecus fuſca, intus alba, ſapore ſubdulci.

- - - *Bruſci* perexigua tenax radix eſt, integris faſciculis, foris intusque ex albo cinerea, quam in ſuperioribus domuum partibus oportet aſſervari.

- - - *Bryoniæ* permagna craſſaque, intrinſecus forisque albicans radix eſt, multis circulis exornata, ſaporis acriter amari, odoris nauſeabundi. In fruſta lamellasque inciſa aſſervatur.

- - - *Bugloſſæ* cum radice borraginis cùm externa facie, tum viribus convenit, quanquam paulo craſſiores habeat fibras.

- - - *Caryophyllatæ* valde fragrans eſt, ſuperius capite, è quo multæ fibræ prodeunt, inſtructa; ſaporem habet ſubacrem, atque caryophyllos aromaticos, unde nomen accepit, redolet.

- - - *Cervicariæ* longa, alba nodoſaque radix eſt, paucis fibris prædita, ſapore grata & dulcis.

- - - *Chelidonii* ex flavo fuſca, ſuperius craſſa, inferius tenuis & amara eſt.

- - - *Cichorii* craſſa, longaque ac numeroſis ſurculis circumdata radix eſt, foris fuſca, intus alba, ſubacri & adſtringente ſapore prædita.

RADIX *Conſolidæ* majoris longa digitumque craſſa ſurculoſa radix eſt, extrinſecus nigra, intus alba, ſaporis ſubdulcis & viſcidi.

- - - *Cucumeris Aſinini* alba & acris radix eſt, quæ ob latitudinem in lamellas inciſa exſiccatur, atque ita Materialiſtis offertur vendenda. Libentius calidis in regionibus creſcit, præſertim in Italia; nihilo vero minus etiam in Germania colitur.
- - - *Cynogloſſæ* longa radix eſt, digiti habens craſſitiem ſaporemque adſtringentem.
- - - *Dictamni albi* ex corticibus radicum conſtat in officinis, canaliculoſis prorſusque albis, ſaporis ſubamari.
- - - *Ebuli* longa radix eſt, ſaporis amari, ſubacris & nauſeoſi.
- - - *Enulæ* non ſpernendæ craſſitiei radix eſt, fuſcaque & fragrans, ſubamara & acris. In lamellas inciſa exſiccatur & de funiculo ſuſpenditur. In locis udoſis ac pratis libentius creſcit, vereque aromatica radix eſt, adeo, ut ſint, qui ſalem volatilem, camphoræ haud diſſimilem, exinde deſtillent.
- - - *Eryngii* ex flavo fuſca eſt, ſaporis ſubacris ac primum amari, poſtea dulcis.
- - - *Eſulæ* duplex eſt, minor & major, quarum hæc pollicem craſſa, acris ac nauſeoſi eſt ſaporis: illa minor licet, vires tamen habet easdem. In Thuringia effodiuntur, exſciſſoque interiore nucleo, quod remanet, ſiccatur & divenditur.
- - - *Farfaræ* parva tenuisque radix eſt, acri viſcidoque ſapore prædita.
- - - *Filicis* ex nigro fuſca ſolidaque radix, craſſitie mediocris, ſaporem habens adſtringentem, & quando recens eſt, viſcidum.
- - - *Filipendulæ* nodoſa radix eſt, foris fuſca, intus ex rubro flavens, ſaporis adſtringentis. Tubera de longis tenuibusque fibris pendent, unde Latini id ei indiderunt nominis.
- - - *Fœniculi* longa nec adeo craſſa alba radix eſt, odorem dulcem ſaporemque viſcoſum & ſubaromaticum exerens.
- - - *Gentianæ* longa craſſaque & glabra eſt, extrinſecus lucide fuſca, intrinſecus flava, ſaporis vehementer amari.
- - - -- *albæ* peucedanum Italicum eſt, prorſus inuſitatum.
- - - *Graminis* longa tenuisque eſt, geniculata, ſaporis ſubacris.
- - - *Hyoſcyami* craſſa, foris intusque flavescens radix eſt, ſapore valde amaro & acri prædita.

RADIX *Hirundinariæ* parva, numeroſis albis fibris cincta tuberoſa radix eſt, ſubdulcis & ſubacris ſaporis, odoris fragrantis.

- - - *Imperatoriæ* non ſpernendæ craſſitiei & aſpera radix eſt, foris obſcure fuſca, intus alba, ſaporis acris & valde aromatici, odoris fragrantis. Plerumque ex Helvetia, præſertim Valeſia, in faſciculis venit, teſte Schurzio in Mater Muſ. pag. 73.
- - - *Lapathi* acuti recta & fuſca radix eſt, ſaporis adſtringentis.
- - - *Leviſtici* longa radix eſt, pollicis craſſitie, in craſſas fibras diviſa, foris fuſca, intus pallida, ſapore acri & aromatico, odore fragrante: carici facile obnoxia.
- - - *Liliorum alborum* ex ſquamoſis cepis conſtat, ſaporem habentibus mucilaginoſum. Ubique in hortis colitur.
- - - *Malvæ* longa, albaque & viſcoſa eſt.
- - - *Morſus Diaboli* fibroſa radix eſt, ſuperius craſſiuſculo capite ſ. tubere prædita, infra retuſo apparente, haud ſecus ac ſi quid demorſum ſit, quæ denominationis ratio eſt.
- - - *Nymphææ* craſſa ſpongioſaque radix eſt, ſapore adſtringente acerboque prædita.
- - - *Ononidis* longa ramoſaque ac lignoſa eſt, principio ſubamara, deinde vero ſubdulcis.
- - - *Petaſitis* valde reſinoſa radix eſt, quæ propterea ſaporem aromaticum & ſubamarum habet, odorem etiam fragrantem. Juxta rivos litoraque felicius creſcit.
- - - *Pentaphylli* longè protenta radix, extrinſecus cinnamomi referens rubedinem, intus pallida, in fruſta inciſa ſtellata apparet. Plerumque vero nucleus eximitur, ſolusque cortex craſſus, qui in canales coit, in officinis reperitur, ſapore primum adſtringente, poſtmodum aliquantum penetrante conſpicuus.
- - - *Peucedani* longa craſſaque eſt radix, intus foriſque alba, odoris reſinoſi, ſaporis acris, ſubamari & viſcoſi.
- - - *Phu Pontici* fibroſa, ſuperius capitata radix eſt, foris lucide fuſca, intus pallida, ſaporis aromatici & ſubacris odoris fragrantis. A catis defendenda eſt, quos ſcimus ſuper iſtam ſe volvere.
- - - *Pimpinellæ* longa eſt, calami ſcriptorii habens craſſitiem, ſaporemque acrem.
- - - *Pæoniæ* mediocriter craſſa manumque longa radix eſt, extrinſecus fuſca, quæ raſa foris intusque alba apparet, ſaporem ſubdulcem habet, ſed ſimul ſubacrem, modiceque adſtringentem.

RADIX

RADIX *Polypodii* aſpera & longa eſt, craſſitie auricularis digiti, ſaporis valde dulcis, & tamen ſubacris. Fuſca poſt exſiccationem: infracta intus flava, foris non nigra apparens, habetur bona.

- - - *Rhodia* tuberoſa friabilis radix eſt, extrinſecus fuſca, intus alba, roſas, unde nomen habet, redolens, ad modum ligni rhodini, quocum tamen non confundenda.

- - - *Satyrii* ex oblonge rotundis tuberibus conſtat, ſapore ſubdulcibus, ſudorem redolentibus.

- - - *Saxifragiæ* longa radix eſt, craſſitie auricularis, ſaporis acris.

- - - *Scabioſæ* morſui diaboli externa facie ſimilis apparet, niſi quod magis fuſca ſit.

- - - *Scorzoneræ* digitalis craſſitiei radix eſt, exteriore cortice ex rubro albicans, intus prorſus alba apparens, ſapore dulci pollent. Circa Jenam creſcit.

RADIX *Scrophulariæ* craſſa, inæqualis & verrucoſa radix eſt, extrinſecus ex opaco fuſca, intus pallida, ſapore acri, amaro & ſubadſtringente.

- - - *Sigilli Salomonis* non ſpernendæ craſſitiei & longa radix eſt, foris intusque albicans, ſaporis ſubdulcis & ſubacidiuſculi.

- - - *Tormentillæ* brevis ac tuberoſa radix extrinſecus ex opaco fuſca, intrinſecus ſubrubra eſt, ſapore adſtringente.

- - - *Victorialis* duplex eſt, rotunda & longa. Binæ è Tyrolenſibus & Salisburgenſibus montibus veniunt, a Circuitoribus in ſuperſtitiriones non unas trahendæ: à Medicis autem perraro uſurpantur. Viribus cum allio conveniunt.

- - - *Urticæ* valde longa & geniculata radix eſt, ſtramen referens, ſapore ſubacri prædita.

LIBRI SECUNDI
SECTIO III.
DE
PLANTIS FLORIBUSQUE EXOTICIS.

CAPUT I.
DE
FOLIIS ACMELLÆ.

§. 1.

FOLIA ACMELLÆ tenera & crenata folia ſunt, magnitudine figuráque urticæ mortuæ non multum diſſimilia, paucis abhinc annis, ſcilicet 1690. ab Indicâ Mercatorum Societate primùm ex India Orientali in Bataviam transportari cœpta, in Germaniâ non adeò nota; quanquam dubitandum haud ſit, quin propter celebres, quibus pollent, virtutes, apud nos quoque in uſum veniant. Saporem paulò ſubtilem & calefacientem habent, nec tamen acrem.

§. 2.

Acmella planta potiſſimùm in Ceylan Inſula creſcit, & à Botanicis Chryſanthemum bidens, ſ. Bidens Zeylanicum vocatur. Ex albâ fibroſaque radice caulem propè quadrangularem progenerat, pedis fortè altitudine, multosque ramuſculos, oblongis, acuminatisque & crenatis foliis ſtipatos, ut ex utraque figurâ apparet, quarum unam *Dn. D. Spenerus* in *Epiſtola de muribus marinis* typis vulgata & *Amſtelodamô* Anno 1700. ad me transmiſſa mecum communicavit, quippe qui primus fuit, qui de ejusmodi foliis publicè ſcriberet: cujus figura licet ab aliis arroſa fuerit correctaque, facile tamen venit excuſanda, quoniam principio non quæcunque rerum exoticarum minutiſſima experiri integrum eſt, nosque aliorum relationibus ſæpe oportet eſſe contentos. Altera figura haud diu poſt, iſtô ipsô annô, ab juniore *Dn. Breynio*, (quippe quam à *D. Ruyſchiô* Amſtelodami acceperat,) in peculiari Lugduni habita *Diſputatione* adumbrata, & à Dn. *Lipſienſibus Actis Eruditorum Anno 1701. Menſ. Jan. pag. 31.* inſerta eſt, in qua figuræ minores ſub Lit. A. ſolum floſculum, Lit. B. annexa ſquamulam & Lit. C. ſemen repræſentant.

§. 3.

Quoad ejus fieri poteſt, recentia minusque inveterata conquirantur folia, quod iſtorum vires maximam partem in ſubtilibus volatilibusque particulis conſtant, quibus urinam, etiam valde ſuppreſſam, potenter cient, atque adeò iis, qui longo annorum ſpatio calculô renum ſimilibusque morbis fuerunt affecti, multum ferunt

opis, ſiquidem à præcipuis Inſulæ Ceilon hominibus pro peculiari remedio adverſus renum atque veſicæ calculum, ſuppreſſionem urinæ ſimilesque affectus, habentur: quam etiam ob cauſam ſanguinem promovere menſtruum perhibentur.

§. 4.

Quæ acmellæ folia ut figura vulgari theæ haud multum diſſimilia ſunt, atque ſimiliter in pyxidibus ex bractea confectis aſſervantur: ita ratione virium uſusque medicinali theæ, ab aliquibus *Thee-Boeye* dictæ, valde prope accedunt, quippe ab Indis ſimili modo aquæ calidæ infundi ſolita, quod deinde infuſum, extractis viribus, calidè uſurpant.

§. 5.

Præterea ex iſtis foliis ſpiritus quidam deſtillatur, ſi quando liquor Arack affunditur, iterum abſtrahendus. Hunc verò ſpiritum Indi vel ex oryza, ſecundum *Pometum* in *Appendice Mater. Muſ.* vel ſecundum relationem aliorum, ex ſaccharo & vino palmarum deſtillant. Meo autem judicio vel ſpiritus vini, vel alius quidam accommodatus ſpiritus foliis poſſet affundi, qui ad iſtorum proliciendum ſpiritum valeat, quippe quem rectè præparatum ad XII. vel XV. guttas ſumtum, fortiter promovere urinam ſupra memoratus *D. Spenerus* ſuo exemplo comprobat.

§. 6.

Id tamen demus operæ, ut ne majores fabulisque ſimiliores iſtis virtutes adſcribamus. Folia cum ſilice manſa hunc prorſus emollire friabilemque reddere quorundam ſomnium eſt. Prædictus ſiquidem *Dn. Breynius* ingenuè confitetur, ſe hujus rei experimentum facturum ſua in opinione fuiſſe deceptum. Cæterum rariorum quarundam curationum mentionem facit, à clariſſimo *Dn. D. Dekkero* in nephritide, ſuppreſſione urinæ & ſimilibus obſervatarum, ſub cujus præſidio memoratam per-elegantem *Diſputationem de Radice Ginſem*, & *Chryſanthemo Bidente Zeylanico*, Acmella dicto, habuit, quæ hac de re agit pluribus.

CAPUT II.

DE

THEA VULGARI ET CÆSAREA.


§. 1.


THeæ folia usque eò hodie nota ſunt, ut fuſius iſta deſcribere fere ſupervacaneum videatur. Quò verò & iſti debitum jus præſtemus, ſciendum, Theam, ut Europæis obtingit, ex nigris ſeu obſcurè viridibus convolutis foliolis conſtare, ſaporis ſubamari, aromatici & leviter adſtringentis, fragrantisque ac recens fœnum imitantis odoris. Ex India Orientali in magnis metallicis capſulis & vaſis (quæ ex calino, certo aliquo metallo, bonitate ſtanno viliori, plumbo verò multum præferendo, componuntur, atque, ne vis ulla avolet, circumcirca Indica papyro muniuntur) pondere centenario, vel integro, vel dimidio, aut parte ſaltem quarta iſtius, ab Societate Mercatorum in Bataviam Angliamque transportatur, apud nos vero in pyxidibus è lamina confectis pondere ſemilibræ aut quartæ libræ partis divenditur.

§. 2.

Vix innotuerant folia, & cupido inceſſit naturæ curioſorum Botanicorumque animos inveſtigandæ originis. Qui primum de iſta commentati ſunt, utpote *Bontius*, *Varenius*, *Olearius*, *Mandelslo*, aliique, plantam eſſe exiſtimabant. Enimverò, quum quidam PP. Jeſuitæ *Trigautius*, *Rhodius*, *Martini* &c. tanquam Miſſionarii in Chinam Japoniamque venirent, non plantam, ſed parvam arbuſculam ſ. fruticem eſſe obſervarunt, id quod foliorum quoque tenacitas poterat indicare. In quo tamen Doctores non conquieſcebant, ſed inquirebant ulterius, num ejusmodi frutex etiam in Europa & fortaſſe Germaniâ ipſa reperiatur, ut theam, tum temporis nimis adhuc caram, ex India ſibi afferri non neceſſe haberent. Quamobrem clariſſimus Daniæ Medicus, *D. Simon Paulli*, eam in cogitationem venit, ut exiſtimaret ejusmodi arbuſculam nihil eſſe aliud, quam chamæleagnum, Germanis *Poſt* dictum: quam ſententiam in peculiari *Tractatu, de Abuſu Tabaci & Herb. Thée*, fuſius deductam, Facultati Medicæ Pariſienſi transmiſit dijudicandam. Cui haud multo poſt per filium ſuum *Dn. Joannem Joachimum Paulli*, tum in Indiam Orientalem proficiſcentem, in naturam veramque rationem inquirenti, *Dn. Lic. Cleyerus*, Proto-Medicus in Neo-Batavia, Vir in referendo verè ingenuus amicusque noſter integer, rogatus reſpondit, aliquam quidem inter Theæ & Chamæleagni folia, ratione externæ figuræ, eſſe ſimilitudinem, nimis tamen magnum inter utraque intercedere diſcrimen, ut ex præpoſita in *Muſ. Germanicô* figura (quam laudatus *Dn. Cleyerus* in Japan de virente frutice deſumi curavit, quamve etiam *Acta Med. Hafnienſia Vol. IV. pag.* 2. exhibent) videre licet, ſimul etiam referens, qua ratione is colatur, theæque folia colligantur. Qui in China Japoniaque habitant, factæ in terra foveæ 40. vel 50. ſemina ſeu baccas imponunt, foveamque terra obrutam tegunt ſtramine. Ex iſtis 6. 8. 10. vel 14. frutices progerminant, quos una omnes ſinunt creſcere,




T
I P
2
P
I
X
W
V
5
2
i
L
4
5
B
C
A
C
C
D
T



ad Lib. 2 Sect. 3. Cap. 2

Thea Iaponensis

No. 1

No. 2.



Fig. II

CACAO.



creſcere, quod ſibi vicini eſſe amant. Quos triennium creſcere ac quieſcere permittunt, priusquam Thée folia decerpant, quo tempore elapſo, menſe Aprili recens progerminantia folia, à veteribus non deciduis factis, propterea que flaventibus, facile diſtinguenda, cœlo ſereno colligunt, è quibus tenuia anguſtaque, ante tres ſaltem aut quatuor dies emiſſa, æſtimantur optima; quanquam & lata pingui in ſolo, iſto temporis ſpatio, poſſint creſcere.

§. 3.

Valdè verò memorabile eſt, Theæ recenti narcoticam, ſtupefaciendi, inebrandique ineſſe virtutem, à nullo Scriptorum, quantum recordor, obſervatam. Interea quidam paucis ante annis ex India Orientali redux factus, iſtarumque rerum expertiſſimus vir, *Dn. D. Kempfferus*, Weſtphalus, (qui longo tempore apud *Dn. Cleyerum* in India commoratus fuit, iſtiusque nomine ante ſedecim annos epiſtolam aliquam in duplo, cum rebus quibusdam curioſis, ad me tranſcripſit, quæ tamen naufragio intercidit) iſtius rei coram me certiorem fecit, ex ipſaque partim præparatione, quæ toſtione peragitur, partim virtute, qua ad modum cæterorum opiatorum, parva doſi ſumtorum, ſomnum impedit, facile colligi poteſt & affirmari. Quâ virtute quo liberentur recentia folia, atque ad uſum quotidianum præparentur, indita capaciori ferreo vel cupreo cacabo folia manu ſuper igne volvunt & agitant, donec ſuccus paulum effluat. Deinde alia ſuper ſcamno volutando in globulos redigunt, ſimiliter, ut priora, aliquoties torrenda & volvenda: pro minori enim vel majori præparatione viliora ſunt ac cariora; id quod ſupra laudatus *Dn. D. Kempfferus* non ſolum præſens mihi retulit, ſed *Dn. Cleyerus* quoque in *Epiſtola ad D. Simonem Paulli* exarata, *Actisque Hafnienſibus l. c.* inſerta, commemorat.

§. 4.

Aliâs variæ Theæ ſpecies ſunt, foliorum tum magnitudine, tum colore diſtinguendæ. Optima eleganter viridis eſt, grati & ſaporis & odoris, qualis plerumque Japonenſis eſſe ſolet, non rarior ſolum ac melior, ſed carior quoque. Ea fortaſſe eſt, quam apud nos Theam Cæſaream, vulgò *Käyſer-Thee* vocant: quo tamen nomine in India ſaltem florem, quo Cæſar plerumque utitur, indigitant, teſte *Georgio Meiſtero*, in *Indiæ Orientalis Viridario pag.* 176. Ipſum quoque infuſum Theæ differentiam oſtendit, dum recens bonaque thea viridiuſculum, vilior vero flaventem colorem relinquit: quanquam pro diverſo tempore nunc plus minusque extrahat. *Pometus* porrò nec

THEÆ FLORES

putat prætereundos, floribus quam foliis ſimiliores, qui coloris ex nigro fuſci à Batavis auro dicuntur æquiparari, vid. Gallicum ejus *Mater. Muſ. pag.* 144. Ipſius Catiena, ponderis genere in India, 100. Imperialibus dicitur venire, teſte *Georgio Meiſtero*. Quibus haud abſimilis eſt *Thée Boye*, vulgò *Thée de Bu*, quam balſamo quodam imprægnari Frater *DN. D. Hoffmanni*, Advocati Cameræ Imperialis Wetzflarienſis, ex India per literas aſſeruit: unde & ſapore & colore à foliis Theæ nativis multùm differre videtur.

§. 5.

Quùm verò Theæ folia adeò pretioſa ſint, hodieque libra rarò minus quinque Imperialibus haberi queat: plurimi Medicorum exiſtimarunt alias apud nos iſtius in locum ſurrogari poſſe plantas, à quibus eundem expectare habeamus effectum. Hinc eſt, quamobrem quidam Betonicam, Theam ſimilitudine ferè referentem: alii Veronicam, à *Francò* atque *Pechlino* propterea Veronicam Theizantem in *peculiaribus libellis* vocatam: Roremmarinum alii, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 673. tandem alii Salviam iſtius loco commendent, quippe cujus infuſum ultimo in bello Officiales non ſolum cum fructu biberunt, ſed iſtam quoque Indi Thea commutant, Societati Mercatorum Indicæ pro libra una ſalviæ libras duas, imo plures, Theæ concedentes. Quæ fortaſſe cauſa eſt, quamobrem Thea apud nos vilior, quam ipſa in India, haberi queat. Quod ſi verò prorſus carere Thea nolimus, ductu clariſſimi *Olai Borrichii* alias inſuper, morboque accommodatas, eidem addere plantas, Theamque appropriatam conficere licitum erit, qualis in Ejus *Tract. de Uſu Plantarum* reperitur.

§. 6.

Utriusque, ſimplicis & permiſtæ Theæ, uſus eſt, ut drachmam unam, aut duas vel quantum placet, in aqua fervida extrahi ſinamus, donec viridiuſculum colorem acquirat, quam in ſcutellas porcellinas effuſam ſorbillando hauriunt. Ahena aliaque bibendæ theæ aptata vaſa non in India ſolum, ſed Germanis quoque, in domibus parandi potus Coffe gratia exſtructis, in *Tr.* ſupra citato *de abuſu Tab. & herb. Thée D. Simonis Paulli* figuris eleganter apparent delineata. Ad conciliandam dulcedinem ſacchari Canarienſis pulverati additur quantum placet: pro quo Indi aniſum ſtellatum addunt, cujus in locum noſtris in regionibus aniſum vulgare vel liquiritiam licet ſurrogare.

§. 7.

Vires ejus qualitatesque tribus in partibus valde nervosè deſcribit *Atlantis Sinici* auctor *P. Martinus Martini, pag.* 106. ſcribens: Theam 1. caput alleviare, 2. ſtomachum confortare, 3. renes à ſabulo calculoque liberare. Reliquas iſtius virtutes Amicus quidam ſequentibus rhythmis Germanicis complexus eſt, quos in gratiam Extraneorum totidem ſyllabis reddemus Latinè:

I.

Wilt du der Gesundheit pflegen
Und von Kranckheit mancher Art,
Biß ins Alter seyn vervvahrt,
Laß dir diß seyn angelegen:
Recipe
Edlen Thee,
Der verschafft durch seine Tugend,
Daß vvir vverden vvie die Jugend.

2.

Wo der Magen ist geschvvächet,
Wo dein Blut entzündet ist,
Und du kranck im Haupte bist,
Wann du auch zu viel gezechet,
Recipe
Edlen Thee,
Der befreyet Haupt und Magen
Gar geschvvind von allen Plagen.

3.

Hastu noth von vielen Winden,
Ist der Darm so voll gepfropfft,
Die Passage ist verstopfft,
Daß der Außgang nicht zu finden,
Recipe
Edlen Thee,
Der vvird besser als clystieren
Auff den rechten Weg es führen.

4.

Will dich Gicht und Scharbock quälen,
Greifft das Zipperlein dich an,
Das kein Artzt dir helffen kan,
Dieses Mittel vvird nicht fehlen:
Recipe
Edlen Thee,
Der vvird deinen lahmen Füssen
Ihre Schmertzen bald versüssen.

5.

Flecken, Finnen, Eyterbeulen,
Kupffer-Nasen, und Gesicht
Da der Wein mit Macht ausbricht,
Wilstu aus dem Grunde heylen,
Recipe
Edlen Thee,
Der vvird von Gesicht und Nasen
Solchen Unflat bald vvegblasen.

6.

Macht die Colic dir viel Schmertzen,
Zeucht der Krampff die Sennen an,
Das dir niemand rathen kan,
Und betrübet dich von Hertzen,
Recipe
Edlen Thee,
Der vvird alles bald curiren,
Und das Hertz zur Freude führen.

7.

Ist der Vater dir gestorben,
Wolte gerne seine Pflicht
Legen ab und kan doch nicht,
Und die Mutter auch verdorben,
Recipe
Edlen Thee,
Der vvird ihn zu Liebes-Wercken
Kräfftig auch die Mutter stärcken.

I.

SAnitati si consultum,
Et à morbis variis
Tutus senex esse vis,
Tibi semper esto dictum:
Recipe
Potum Thée,
Qui per nobilem virtutem
Tibi reddet juventutem.

2.

Stomacho debilitato,
Fermentante sanguine
Dolenteque capite,
Damno crapulis parato,
Recipe
Potum Thée,
Caput, stomachum curari
Senties mox liberari.

3.

Flatus quoque si affligit,
Transitus si pristinus
Est infarctus, crastinus
Obicem si dies figit,
Recipe
Potum Thée
Melius clystere dabit
Viam, exitum parabit.

4.

Si te afficit scorbutus,
Et arthritis despicit
Artem, opem rejicit,
Ab hac uno sis adjutus:
Recipe
Potum Thée,
Hic dolore te levabit,
Pedibus & gressum dabit.

5.

Pustularum tu fœtorem,
Fœdam varis faciem,
Vini & progeniem
Pellere si vis colorem,
Recipe
Potum Thée,
Maculis deletis, vultum
Faciet nitore cultum.

6.

Dolor si quis colon tangit,
Partes trahit nerveas,
Nec quicquam solatur eas,
Id quod mentem valde angit,
Recipe
Potum Thée,
Hic dolore te levabit,
Gaudiumque cordi dabit.

7.

Si amoris conjugalis
Deficit jucunditas,
Uterique bonitas
Non est major, sed æqualis,
Recipe
Potum Thée
Ad amandum inflammabit,
Uterumque confortabit.

8.
Hat der Ehſtand dir verſaget
Einen Erben anzuſehn,
Und thuſt traurig einhergehn,
Ey nur nicht zu bald verzaget,
Recipe
Edlen Thee,
Der vvird in die Nieren lauffen,
Daß du bald vvirſt laſſen tauffen.

9.
Summa, alles vvas da kräncket,
Unſer Leib und Glieder all,
Deren beyden ohne Zahl,
Und vvas nur zur Kranckheit lencket,
Nimmt ohn Weh
Weg der Thee;
Drum ſo preiſe ſeine Kräffte
Höher als die Lebens-Säffte.

10.
Diß nur hab ich vvahrgenommen,
Daß, vver Noth an Würmen ſpürt,
Und davon vvill ſeyn curirt,
Nicht mus an diß Mittel kommen,
Weil ich ſeh,
Daß der Thee
Mehrt die Würme faſt mit Hauffen
Denen die ihn täglich ſauffen.

8.
Nullus ſi ſuccedit hæres,
Sterile conjugium
Demit omne gaudium,
Nolim ideò deſperes,
Recipe
Potum Thee,
Renes tibi ſtimulabit,
Et hæredem brevi dabit.

9.
Omne quicquid corpus angit,
Quicquid artus cruciat,
Quo id caro ſentiat,
Theæ potus tollit, tangit
Sine fraude
Summa laude.
Ergò comparate notum
Succis vitæ Theæ potum.

10.
Sibi ſentient nocere,
Qui vermiculoſi ſunt
Et curari cupiunt,
Thea ſeſe abſtinere
Eſt conſultum,
Quia multum,
Vermes apta adaugere
Per creberrimum ſorbere.

Plura habet Experientiſſ. *Dn. D. Kæmpferus*, in *Amænit. Exot. Faſciculo III.* cujus ſequens eſt

THEÆ JAPONENSIS HISTORIA.

§. 8.

Theæ hiſtoriam daturus fortaſſe actum agere videar, cùm Clariſſimus *Dn. D. ten Rhyn* (meus in Japonicâ ſtatione quondam anteceſſor & amicus honoratiſſimus) prolixam & ſatis accuratam publicaverit, per *Cl. Breynium*, in appendice *Centuriæ exoticarum*. Verum, cùm eidem attentiſſimo Viro breviorem in regno moram & ſtrictiorem quodammodò vitam agere contigerit, deſtitutus occaſione quædam omiſit ſcitu digna & ad hiſtoriæ integritatem ſpectantia, quæ hîc addere, adeoque brevem totius hiſtoriæ repetitionem inſtituere, operæ duxi pretium:

TSJA,

Thea, frutex foliô Ceraſi, flore roſæ ſylveſtris, fructu unicocco, bicocco & utplurimùm tricocco.

THEA ultra Orgyiæ altitudinem tardô incremento fruticans, *radicem* habet inconditè brachiatam, lignoſam, ſuperficie nigricante: *Caudicem* ab imo ramoſum, brachiis furculisque plurimis, inordinatè extenſis. *Cortice* tegitur infirmo, exſucco, tenui, coloris badii, in caudice caneſcentis, in cymis tantulum herbei. *Lignum* ei duriuſculum & fibratum eſt, *medulla* exigua, firmiter adnata. *Folia* pediculis carnoſis breviſſimis nixa, ſurculos perenni, niſi decerpas, vigore inordinatè occupant ſingula, foliis Ceraſi hortenſis fructu acido, ſubſtantiâ, figurâ, colore & magnitudine, paria: utut recens nata, qualia pro interno uſu carpuntur, magis fortaſſe folia Evonymi vulg. gran. rub. excepto colore, referant. *Flores* autumno ſinguli geminive ex foliorum axillis prodeunt, Roſæ ſylveſtris facie, in diametrum pollicarem & ampliùs (vix integrè) expanſi, remiſſe fragrantes, albi, hexapetali, petalis rotundis, concavis. Pediculis inſiſtunt ſemiuncialibus, ex tenui principio craſſioribus, qui in ſquamas incerto numero (quinas & ſenas utplurimùm) parvulas, orbiculatas, caliculi vicem præſtantes, deſinunt. *Fructus* florem numeroſus excipit, monococcus, bicoccus, & utplurimùm, ad inſtar ſeminis Ricini, tricoccus, concretus ex tribus globoſis capitulis, pruni ſylveſtris magnitudine, ad centrum communis pediculi coëuntibus, & pulvinatâ depreſſione (quâ diffringi poſſunt) diſtinctis. Conſtat idem ex pericarpio & nuculâ, ſingulis capitulis ſtrictè inclusâ. *Pericarpium* herbei coloris eſt, per maturitatem nigricans, ſuperficie opacâ, ſubſtantiâ pingui membranaceâ & quodammodo lignoſâ, ſumma facie per ſiccitatem (poſt annuam in plantâ moram) dehiſcente, ut per ſingulas fiſſuras promineat nucula. *Nucula* ferè globoſa eſt, tantùm aliquâ ſui parte, ex accubitu, compreſſa; *corticulâ* tegitur tenui, duriuſculâ, micante, ſpadiceâ & Caſtaneæ nucis ſimilimâ, quâ detractâ *nucleus* prodit, externâ ſuperficie rufens, ſubſtantiam obtinens nucis avella-

avellanæ ſolidam & oleoſam, ſapore primùm vapido & ſubdulci, mox ſeminis *Cheiri* inſtar amaro & valde tetrico; ſed qui ſalivam aeriter provocat, & ad fauces dilapſus nauſeoſo ſenſu, citò tamen diſparente, guſtantium guttura offendit.

§. 9.

Thea, Japonibus *Tſjaa*, Sinenſibus *Thèh* dicta, charactere proprio & ab Academiis probato receptoque (quales rerum definitiones inſinuant) nondum donata eſt. Variis interim inſignitur ſuppoſititiis: aliis, qui ſaltem vocis Theæ ſonum exprimunt, aliis, qui plantæ virtutes & deſcriptionem. Ex poſteriori cenſu ille eſt, qui palpebras delineat, inclyti inter gentiles Sancti alicujus, cui *Darma* nomen eſt. Notionis lepida eſt & haud inſuper habenda ratio, ex eo, quod chronologiam primi Theæ uſûs oſtendat, quam, ſi cum veniâ lectoris licet, brevi digreſſione adnotabimus. *Darma*, Indorum Regis *Korjuvvo* filius natu tertius, ſanctus, religioſus & religioſorum Papa fuit, à *Sjaka*, Indo pariter nigritâ, Orientalis Gentiliſmi auctore, ante Chriſtum annis 1028. nato, vigeſimus octavus in religionis præſidio ſucceſſor. Hic in Sinam, anno poſt Chriſtum natum 519., appulſus, omnem impendit curam, ut Dei notitiâ & vera (quod dicebat) religione, quæ ad beatitudinem duceret, populares imbueret. At doctrinâ non modò, ſed exemplo etiam profuturus, ſub dio exigendo vitam, affligendo corpus, & affectus variè domando, ſatagebat ſibi Divinam conciliare gratiam; foliorum victitabat eſu, &, quod caput ſanctitatis eſt, in perpetuo *ſatori*, i. e. contemplatione ſummi Numinis, noctes ducebat pervigil & inſomnis: Hoc palmarium arbitratus pœnitentis vitæ & perfectionis humanæ metrum, ſi corpori otium & requiem negans Deo indeſinenter vacaret. Accidit poſt vigilias plurium annorum, ut inſolatione & longa inedia fatigatus ſomno corriperetur. Violati voti, cùm expergiſceretur, ductus pœnitentia, & ne idem inpoſterum accideret cauturus, utriusque oculi palpebras, velut criminis inſtrumenta, reſecat, ac in terram iratus projicit. Poſtridie in locum ſupplicii reverſus, videt ex ſingulis palpebris admiranda transformatione natam arbuſculam, *Theam* videlicet: quam ſtirpem antea Orbis vel non habebat, vel rectè ejus virtutem ignoraverat. Hujus ille foliolis veſcens (an crudis, neſcio, an aquâ præparatis) miram ſentit lætitiam animi & vigorem vacandi Divinis contemplationibus. Quam igitur virtutem in Theæ foliis abſconditam & veſcendi modum cùm diſcipulorum multitudini commendaſſet, facilè increbuit & in vulgus receptum eſt nobiliſſimæ ſtirpis uſus nunquam ſatis dilaudandus. Planta interim, dum charactere proprio careret, notari *Darmæ* palpebris conſvevit. Placet inſpiciendam hîc apponere inclyti Viri imaginem, qualis inter gentiles magna veneratione colitur, arundine pedibus ſuppoſitâ, quâ mare & flumina ſuperaſſe traditur. Hæc de nomine.

§. 10.

Plantæ deſcriptionem dedi breviorem, quò ejus ideam Lector facilius conciperet. Addam nunc quæ ad pleniorem hiſtoriam deſiderari videntur: *Caudex* ab imò ſæpe magis ramoſus apparet, quàm revera eſt. Nam cum uni ſcrobi plura committantur ſemina, plures ſæpe frutices eodem loco ſuccreſcunt, quos ignari unam reputant arbuſculam. Addo quod annoſi frutices, ad imum ſtipitem, quod ſolet, abſciſſi, plurimis ſurculis ramoſi ac denſiores reſurgant, velut unius radicis proles. Primi ex ſemine ſurculi annotini, tum qui præciſa ſtirpe progerminant (qualem in Tab. ſub *num. 2.* exhibeo) rariores ſemper, ac poſterioribus multò pinguiores ac liberalius extenſi ſunt. Ramoſi fiunt ſucceſſu temporis. *Cortex* firmus & arctè adnatus eſt. Cuticula ei tenuis, per ſiccitatem aliquando abſcedens; liber viridans, odore foliorum Coryli, ſed graviuſculo ingrato, ſapore aliquantum nauſeoſo, amaro, ſylveſtri & adſtringente. Lignum eſt durum, fibris craſſis donatum, nonnihil ex herbeò candicans, odoris, dum viret, ingrati. *Surculi* denſi ſunt, nullo ordine conſiti, tenues, breves, inæquales, nullis incrementi annulis ſignati: foliis ſingulis denſè ac inordinatè ſtipati, ex quorum axillis gemma parva anguſta prominet. *Pediculo* pingui, perbrevi, herbaceo (cujus dorſum teres, antica facies compreſſa & quodammodo carinata eſt) inſiſtit *Folium* ex membranaceo carnoſum, longitudine maximâ geminæ unciæ, latitudine pollicari vel minori, figuram obtinens ex anguſtiori principio languidè arcuatam, mucrone obtuſo, ſæpe etiam ovatam, in longitudinem repandam & inordinatè undulatam, medio depreſſo, ambitu aliquantillum reflexo; facies utraque lævis eſt, & ex depreſſis nervulis lacunoſa, ſaturò & ingratò virore micans, in dorſo magis dilutò; ora denticulis nonnihil repandis, duriuſculis, obtuſis denſè & inæqualiter eſt crenata. Nervus medius per anticam faciem ingenti lacunâ deprimitur, in dorſo inſigniter prominens; ab eo utrinque quinque, ſex, ſeptemve tenuiores inæqualiter deviant, ante ambitum in ſe invicem recurvati: quos aliquando venulæ breviores vagæ intercurrunt. Odorem recens habet nullum, ſaporem, quàm in cortice, remiſſiorem, id eſt, ex ſylveſtri ſubamarum adſtringentem, ſine tetricitate. Folium ratione ſoli natalis, ſitûs, ætatis, haud parùm in ſubſtantiâ, magnitudine & figurâ variat; unde ex novellis foliis, qualia in Europam toſta perferuntur, perfectorum forma perperam judicatur. Foliis maligna quædam vis & inimica cerebro qualitas ineſt, quâ, ſpiritus animales turbando, mentem inebriat, & tremulum inducit nervo-

nervorum motum: quæ verò assiduè frigendo egregiè corrigitur, ita ut, eliminatâ narcosi, blanda remaneat animales spiritus refocillandi efficacia. *Flores* copiosi surculos exornant, per menses autumnales in provectam hyemem continuâ successione nascentes, sex dotati petalis, quorum sæpè externorum unum vel duo, quasi sphacelo tacta, magnitudinem ceterorum non assequuntur. Sapor eis ingratus & aliquantulum amarus est, linguæ basin protinus occupans. Floris cavum implet densum agmen staminum alborum, velut in rosâ minutissimorum, apiculis cordatis luteis. Numeravi stamina in unico flore 230. Fructuum *nuclei* valde sunt oleosi, & rancedinem citò contrahunt, unde plantati ex decem vix duo progerminant. Nullus vel florum, vel nucleorum indigenis usus est; eximiam tamen nucleis inesse virtutem, nullum mihi est dubium.

§. 11.

Culturam inchoamus à plantatione seminum: quibus conserendis Japonia non singulares hortos aut agros concedit, sed agrorum saltem margines, cujuscunque glebæ fuerint. Semina autem non plantantur in seriem continuam, qualiter in sepem excrescerent, sed per modica intervalla, ne succrescentes arbusculæ umbrâ suâ agris noceant, aut remoras nectant folia carpentibus. Immittuntur semina (vasculis adhuc inclusa) uni sesquipalmaris profunditatis scrobiculo, ad minimum sex, ad maximum duodecim. Pluralitas requiritur, quia vix quartum vel quintum progerminaverit, quòd pleraque vel cassa sint, vel corrupta rancore, quem citissimè concipiunt. Hæc seminum tam facilis corruptio in causâ est, quòd in Germaniam delata, si plantentur, nunquam progerminent. Si salva transportare animus sit, plantanda in Siciliâ, Hispaniâ vel Italiâ; moneo, ut sub cœlo natali condantur in cupam terrâ plenam: ita ex iis prognata germina divelli & plantari possunt pro lubitu. Eadem cum plantis translatis propagatio non succedit, quandoquidem per æstuosam Indiam vectæ tabem concipiunt, vitam acturæ reliquam sine vigore, ne expectari ex iis proles & propagatio possit. Prognatus frutex, si industrium dominum nactus est, circumpositio & cum terrâ subacto fimo equino fovebitur, quod curiosiores quotannis faciunt, alii negligunt. Triennis factus, haud junior, lectionem patitur foliorum, quæ tum & præstantissima & satis copiosa exhibet. Septennis, qualis humanam refert altitudinem, quòd parciùs germinet, adeoque folia pauciora ferat, post absolutam lectionem ad imum usque caudicem amputandus est: sic stolones è radice consurgunt novi & copiosi, qui majorem foliorum suppeditando copiam prioris arbusculæ locum cum fœnore supplent. Alii excisionem illam ad decennium differunt.

§. 12.

Collectionem auspicaturi patresfamilias, si vim fructuum possideant, in auxilium vocant mercenarios, illi operæ adsuetos. Folia enim cùm sigillatim capienda, non captim rapienda sint; domesticus per diem continuum vix tria *Catti* congeret, dum in labore à teneris versatus novem vel decem legerit. Collectio autem non eodem tempore peragitur, nec unâ absolvitur vice, sed utplurimùm diversis. Qui tertium colligunt, illi auspicium tentant circa finem mensis *Songuats*, qui Japonum primus est, exordiens cum novilunio illo, quod æquinoctio verno est propius, sive id in Februarii exitum, sive Martii initium inciderit. At hic mensis folia pauca tantùm suppeditat, eaque perquam tenella & nondum integrè explicata duorum & trium dierum: quæ verò nobilissima sunt omnium, & ob pretiosam raritatem palatiis Principum ac divitibus dicanda, unde *Thea Cæsarea*, nec non *flos theæ* appellari suevit. (Florum petala nemo colligit, aut loco foliorum usurpat, quod falsò persuasi sunt nostrates; errorem, credo, genuisse floris nomen plausibile, vel induxisse ignorantiam viatorum.) Ex hoc censu est thea *Buu* Sinensium, vera illa atque optima, quæ & sub ipso cœlo patrio benè cara est. *Secunda* collectio (quæ prima est aliis) mense secundo instituitur, i. e. circa Martii finem, vel Aprilis initium, hâc, folia jam integrè explicata, unâ, si placet, cum semiexplicatis decerpuntur, ante præparationem, secundùm bonitatem & magnitudinem, in classes seligenda. Ex his, quæ nondum explicata sunt, bonitatem prædictorum quodammodo assequuntur, unde eodem nomine veniunt, à ceteris ob præstantiam separanda. *Postrema* atque omnium uberrima collectio (aliis altera) fit mense Japonum tertiò, quò explicata folia multitudine luxuriant. Sunt, qui neglectis prioribus, unicâ hujus mensis collectione omnem theæ claudunt absolvuntque messem, cum sedulâ disjunctione foliorum in diversas *Itziban*, *niban* & *sanban*, seu primæ, secundæ & tertiæ bonitatis classes: quarum ultima exhibet folia bimestria & rigidiora, pro usu plebejorum.

§. 13.

Ex his in genere triplex foliorum distinctio oritur: *Prima* est foliorum tenerrimæ ætatis, quæ præparata vulgo vocantur *Ficki tsjaa*, i. e. molenda thea, quia molendo in pollinem redigitur, cum aquâ fervente sorbillanda. Vocatur etiam *Udsi tsjaa* & *Tacke sacki tsjaa*, ex locis, in quibus potissimùm colligitur, ceteris ob fundi bonitatem nobilior, præsertim carpta ex trienni frutice, velut omnium ætatum præstantissimo: Plurimùm enim fundus & ætas ad bonitatem æquè ac foliorum incrementum vel magnitudinem tribuunt; Magnitudo tamen non perpetuò bonitatis, nisi summâ cum temeritate juncta, sed aliquando antiquitatis

nota eſt. Huic Theæ reſpondet Sinenſium, quod dixi, *Tèh Buu*. *Secunda* eſt adultiorum, quæ præparata appellatur *Too tſjaa*, id eſt, Thea Sinenſis, ita dicta, quòd Sinenſium more præparari ſoleat. Hæc in Japoniâ dividitur à tractatoribus & theæ venditoribus, utplurimùm in quatuor claſſes, bonitate & pretio differentes. Prima eſt foliorum recens natorum, quorũ collectio ſaltem ineunte vere celebrabatur, dum ſinguli novelli ſurculi non amplius duo vel tria folia, ſive integrè, ſive minùs explicata ferebant. Horum præparatorum unum *Kin* (extranei *Catti* vocant) i. e. libra Belgica una cum quadrante, in Japoniâ conſtat (modò peregrinus rectè informatus fui) *ſju mome* & ampliùs: vel ut extranei loquuntur, uno vel ampliùs *theil*, ſive decem ad duodecim *maas* argenti, id eſt, Styfris Belgicis 70. ad 84. quia uni *maas* reſpondent Styfri ſeptem. Secunda eſt paulò adultiorum, quolibet menſe collectorum, quorum *Catti* unum, proſtat *maſis* argenti ſex aut ſeptem. Tertia claſſis folia nonnihil craſſiora exhibet, quorum *Catti* unum venditur *maſis* quatuor, aut quinque. Hujus ordinis eſt thea, quæ majori copiâ ex Sinâ ad Europæos dimittitur, & in Belgio hodie venit pretiò quinque, ſex & ſeptem florenorum. Quarta eſt foliorum, quæ promiſcuè & ſine diſcretione collecta ſunt, dum ſinguli novelli ſurculi, conjecturali computu, folia decem, & ad maximum quindecim legulis ſuis exhiberent. Conſtat horum *Catti* unum tribus argenti *maſis*, quo pretio per plateas à circumforaneis indies venundatur. Nam hujus familiaris & quotidianus civium multitudini uſus eſt. Poſſunt autem folia in ſtirpe hos magnitudinis & bonitatis ſuæ gradus citiſſimè mutare, ut, neglectâ collectione, à præſtantiori in ſequiorem vel una nocte transeant. *Tertia Ban tſjaa*. Hæc foliorum ultimæ collectionis ſarraginem exhibet: nimirum rigidiorum ad præparationem Sinicam (id eſt, ad criſpandum) ineptorum; unde utcunque ſaltem præparata uſui villicorum & numeroſæ plebis dicata ſunt. Vires hæc obtinere dicuntur maxime fixas, quæ nec longiori aëris contactu, nec coctione pereant: ſecus ac thea priorum ordinum, cujus admodum volatilis, quanquam ſubtilior nobiliorque, virtus, nec foliorum in aëre expoſitionem, nec coctionem patitur, ſine inſigni diſpendio.

Udſi tſjaa nominavi: de qua, ne quid in hiſtoria omittatur, pauca addimus. *Udſi* oppidulum eſt ad limites maris ſitum, non procul à Metropoli & Pontificali ſede *Meaco*, in provinciâ ejusdem nominis. Ejus clima mirâ benignitate favet culturæ fruticis; ex quo inde transvecta thea ceteris habetur præſtantior. In hoc ſitus eſt celebris ejusdem nominis mons, dicatus culturæ theæ, quæ pro Domo Cæſareâ annonam præbeat. Curam ejus gerit ſupremus in aulâ Præfectus theæ, qui tum fruticum culturæ, tum collectionis ac præparationis negotio per ſuppoſitos proſpicit. Montis jucunda facies eſt, foſſa ambiente arcens quadrupedes & hoſpites: ſtirpes ordine diſpoſitæ ambulactorum ſpeciem exhibent: viæ ac frutices quotidie verruntur ac repurgantur, & ne conſpurcentur folia, cuſtodes ſedulò cavere debent; pro majori tutamine multi frutices etiam ſepimentis cincti ſunt. Colligendi cum appropinquat tempus, leguli prævios duabus vel tribus hebdomadibus à piſcium & immundi cibi eſu abſtinent, ne quâ impuro halitu folia contaminentur. Ipſo collectionis tempore, indies bis vel ter corpus lavant, perinde in balneo, vel flumine: nec tamen decerpenda folia nudis contrectare digitis audent, ſed chirothecâ munitis. Præparata lege artis folia, & crumenis chartaceis indita, urnis ſeu ollis myrrhinis immittuntur, ac vulgari theâ, circumcirca arctè compactâ, muniuntur; ita debitè recondita horti director illico ad Regiam mittit, in Majeſtatis reverentiam multis ſatellitibus ſtipanda. Ex quo evenit ut appulſa glorioſam ferant incredibilis pretii famam: ſubductis enim rationibus unum *Kin*, ſeu *Catti*, argenti haud minus triginta vel quadraginta *ſju mome* ſive *theilis* venit, id eſt, uncialibus 42. vel 56: nec veretur Inſpector in tatione Cameræ reddenda alicujus theæ pretium ad unum *Obani* (moneta eſt aurea, valens unciales centum) quin aliquando ad *theilos* centum, ſive unciales 140. extendere, dum unica interdum urnula, non amplius tria vel quatuor *Catti* continens, ducentis penè viris comitata appulit. In Cæſaris Aulâ ſorbillandam eandem theam adminiſter hâc emphaſi mihi offerebat: *Veſcere avidè & cum appetitu: conſtat una patella uno Itzibo*. Eſt hæc moneta quadrata aurea, valens aureum noſtratem cum quarta parte.

§. 14.

Præparatio in eo conſiſtit, ut folia recens decerpta torreantur ſupra laminam ferream: toſta verò, dum fervent, volvantur volis manuum ſupra ſtoream, donec criſpa reddantur. Torrendo enim non modò folia exſiccantur, verùm etiam caſtrantur malignâ ſuâ & inimicâ cerebro qualitate, ut in uſum humanum mitigantur: rotatione verò rediguntur in compendium, ſive molem parvam, quâ commodè aſſervari poſſunt. Perficitur opus in *Tſjaſi*, ſeu officinis urbium publicis, eam in rem adornatis, ut quisque folia ſua iis inferre torrenda poſſit: ſiquidem paucioribus Oeconomis ritè præparandi vel notitia, vel inſtrumentorum apparatus ſuppetit. Inſtruuntur officinæ, (1) furnis aliquot (5, 10, 20.) tripedalis altitudinis, quorum ſummitates claudit ſartago ferrea, ampla, plana, quadrata vel rotunda, ita aptata, ut latus, quod præfurnio imminet, paulò ſit acclive, quò ante latus oppoſitum is, qui torrefacit, ſtare tutus ab igne, & folia aſſanda ritè verſare valeat, nullâ circa marginem patente rimulâ, per quam fumus adſpiret. (2) Humili & prælongâ tabulâ, ſive potiùs in ejus formam

formam ex cæmento lignove aptata machinâ unâ, & in officinâ ampliore plures, ſtoreis ex ſubtili junco tectis, in quibus foliorum rotatio celebratur. (3) Ipſis operatoribus, tum iis qui furnis adſtantes exuſtionem dirigunt, tum qui tabulæ inflexis cruribus aſſidentes volutationis negotium perficiunt. Torreri autem folia debent recentiſſima, quia ſervata in diem ſequentem nigreſcunt, dum friguntur, & de virtute plurimum remittunt. Eodem igitur, quo carpta ſunt, die, vel veſpere, perferenda ſunt in officinam, ut continuò præparentur. Carpta in cumulo jacere diu non debent, ne inteſtinum concipiant calorem, qui vires deſtruit: ſi id fortè contigerit, diſpergenda ſunt, & flabellô refrigeranda aſſiduò, ut refrigeſcant.

Ipſa præparatio ſic peragitur: Immittit, qui toſtionem dirigit, foliorum libras aliquot in prædictam ſartaginem, quæ ex ſuppoſito igne usque adeo fervere debet, ut immiſſa folia, velut ſucco nativo humentia, ad laminæ contactum crepent. Eadem ille huc atque illuc utraque manu verſat ſtrenuè, ne aliquo loco immota quieſcant & impariter torreantur. *Nota:* morem obtinere, in Sina potiſſimum, ut folia primæ collectionis ante uſtionem bullienti aquæ immergantur, per dimidiam temporis minutam, vel quoad quis numeros recitet triginta; quò facultas narcotica, quâ maximè ſcatent folia, magis ſuccoſa recens nata, duplici correctione eliciatur. Ignis in furno ad illum gradum moderari debet, ut à manibus tractantis ægrè perferri poſſit; verſatio autem eo usque continuanda eſt, dum invaleſcens foliorum calor tolerantiam manuum penè excedat: quo ipſo actutum, ope rutabuli lignei, in flabelli formam expanſi, eximuntur, ac in ſtoream effuſa traduntur collegio rotantium. Ex his illico, dum fervent, volvendis, raptim quisque modicam ante ſe capit partem. Volvuntur autem utraque, quod dixi, palmâ, non quidem motu promiſcuo, ſed uniformi, quò eodem tenore pariter contorqueantur. Hâc volutatione compreſſa ſuccum exerunt ex luteo virentem, qui fervorem manibus infert pene intolerabilem: ſed quo non obſtante volutatio continuanda eſt, donec folia refriguerint. Nam ſicut criſpandi actus non ſuccedit, niſi in fervore: ita gyri non perdurant, niſi ſub manibus refrigeſcant. Refrigeratio autem, quò citior, eò laudabilior eſt; cùm ſic gyros folia arctius retineant: quæ proinde ſedula ventilatione ope flabelli promoveri debet. Frigefacta redduntur uſtori, velut directori operis, (interea occupato in aſſandis aliis, quæ criſpanda reſtituat) frigenda viciſſim, dum omnis humor exſpiraverit. Hic ea, ſecus ac antea, non tumultuariè, ſed lenta manu huc illuc commovet, eo conſilio, ne gyri evolvantur; quamvis caveri nulla arte poſſit, ne multa rurſum dehiſcant. Exempta ex ſartagine ſecundo traduntur in manus volutantium, priori modo cautè rotanda; tum, ſi ſatis exſiccata ſint, aſſervanda: ſin minus, uſtioni ac rotationi denuo ſubjicienda. In iterandis uſtionibus cautio eſt, ut ſubinde, cum decremento humoris, gradus quoque ignis imminuantur: quô inſuper habitô, folia aduruntur & nigreſcunt. Qui curioſi ſunt, quinquies, imo, ſi otium ſuppetit, ſepties uſtionem cum volutatione iterant, brevius ſemper & leniori igne theam in frixorio verſantes, ut ſenſim & lentis gradibus areſcat: quo ipſo viror vividus & unicolor ex voto conſervatur, qui citiore, nimia & inæquali uſtione faceſſit. Ad virorem conſervandum requiritur etiam, ut poſt ſingulas uſtiones ſartago aqua fervente repurgetur ab inquinamentis humorum, qui foliis eliciti adhærere parietibus, & theam immiſſam contaminare ſolent. Toſta ſufficienter folia deponuntur in pavimentum ſtorea contectum, ut, ſicut antè præparationem cruda folia in claſſes dividebantur, ita nunc à præparatione recondenda cenſuram ſubeant, qua craſſiora, inconditè volutata & nimis aduſta ſeparantur, & ad ſequiorem referuntur claſſem. Folia theæ *Ficki* ad ariditatem paulò majorem aſſari debent, ut molitori obediant, & in pollinem minori opera ſe redigi patiantur. Eadem, ſi perquam tenerrima ac recentiſſimè nata ſint, tunc, extracta è ferventi, cui immergebantur, aquâ, frigi vel ſaltem exſiccari ſolent in craſſiori chartâ, ſuper prunas expanſa, omiſſa, ob parvitatem, omni volutatione. Ruſtici folia ſua torrent in lebete fictili, paucis vicibus & rudi manu: nec tamen ſic poſtremæ notæ theam obtinent, quam illi nulla artis tractatione elaboratam plebi vendunt, parvo admodum pretio. Thea menſibus aliquot aſſervata, ſecuritatis gratiâ rurſus conditoriis ſuis eximenda, &, de novo, igne leniſſimô, frigenda eſt, ut, ſi quæ humiditas relicta, vel per menſes pluvioſos contracta fuerit, penitus abſumatur; ita citra corruptionis periculum viciſſim recondenda. Conqueruntur magiſtri de infelici artis ſuæ profeſſione, quòd, cum nihil in regno minoris conſtet quàm thea, nullus tamen labor magis fatiget; quippe qui contra naturæ legem concubiis noctibus perferendus ſit.

§. 15.

Thea toſta, quamprimùm refriguerit, recondenda, & ab aëre cautè munienda eſt. Nimirum conſervationis omne momentum reponitur in arcendo aëre, qui ſub calidiori climate virtutem theæ ſubtiliorem magis faciliusque diſſipat, quàm in frigidiori noſtro. Credo, quod in Europam nobis delata jam ſubtiliſſimi ſalis paſſa ſit jacturam, nam in eâ nec illam ſaporis gratiam, nec recreandi facilitatem hic invenio, quam hauſta in natali ſolo mihi exhibuit. Sina conditoriis utitur ex la-

minis ſtanni ignobilioris, quæ ſi majora fuerint, abiegnis vaſis circumducenda ac roboranda ſunt, rimis omnibus chartâ intus & extrinſecus obducendis. His aſſervata trans mare in alias regiones dimittitur. Japones annonam vulgaris theæ reſervant conditam in ollis magnis fictilibus, orificii anguſtioris. Præſtantiorem, quam ſibi Cæſar & Principes vendicant, aſſervare amant in vaſis myrrhinis, ſive porcelanis, præſertim, ſi haberi poſſunt, pretioſis illis & antiquitatis famâ inſignibus urceolis, quos vocant *Maats ubo*. Creduntur illi non modò conſervare, ſed exaltare etiam virtutem theæ immiſſæ, ut, quò diutius in eis delituerit, eò habenda ſit carior & nobilior. In his etiam in pollinem redacta *ficki tſja* per aliquot menſes integris viribus aſſervatur. Iisdem indita, quæ ex aurâ viribus defecit, virtutem dicitur recuperare in integrum. Quapropter Magnates ex hoc genere vaſorum unum & alterum, quantovis etiam pretio comparanda, poſſidere geſtiunt: quibus inter ſupellectilia, quæ ad theæ ſympoſium luxurioſe inventa ſunt, primum locum venditant. Meretur eorum præſtantia uberiorem hiſtoriam, quam à nemine proditam hîc ſubjungo. *Maats ubo* ſignificat legitimam ollam, quaſi diceres: Vaſorum omnium genus præſtantiſſimum. Sunt ejus nominis vaſa antiquitus ex luto ſubtiliſſimo ficta in Inſulâ *Mauri ga ſima*, id eſt, Inſulâ *Mauri*, quæ ob perditos civium mores à Diis, quod narrant, funditus olim ſubmerſa eſt, ne hodie loci appareat veſtigium, præter ſcopulos quosdam, ſubſidente mari conſpicuos. Sita fuit prope *Tejovaan*, ſive *Formoſam* inſulam, cujus locus in tabulis hydrographicis deſignatur punctis & aſteriſcis, qui fundum notant, brevis & ſcopulis infeſtum. De Inſulæ fatis ita narrant Sinenſes: *Mauri ga ſima* Inſula fuit apud priſcos mortales, ex pingui ſolo inclyta, quæ, præter cetera, argillam præſtantiſſimam figulis cedebat pro conficiendis vaſis myrrhinis, hodie *porcelanis* dictis, & ex his lucrum ingens, unde ad luxuriam incolæ diteſcebant. Ex luxu vitia ac religionis contemptus orta ſic ſuperos offendêre, ut irrevocabili decreto inſulam ſtatuerent inundatione perdendam. Decretum Rectori Inſulæ, cui nomen erat *Peiruun*, viro pio & iunocentis vitæ, cœlitus fuit in ſomno revelatum, hôc monito: ùt ad ſalvandam vitam, conſcenſis celocibus, fugam caperet, quam primùm vidiſſet duo idola ante templi introitum repoſita colorem faciei mutaſſe in rubidum. Finguntur hæc ex ligno ſimulacra Deorum, magnitudine gigantea, *In-jo*, item *Ni-vvo* & *A-vvun* dicta; quorum unus Generationi, alter Corruptioni præſidere: unus cœlum & principium agens, alter terram & principium patiens denotare: unus aperire & largiri, alter claudere & accipere, creditur. Utriusque ſimulacrum vultu ſpectatur leoni-

no, fronte coronatâ, Imperatoriæ auctoritatis baculum tenens brevem, angue circumvolutum, illud (*In*) dextrâ erectum, hoc (*Jo*) ſiniſtrâ appreſſum femori; clunes teguntur ſupparo, fluctuante circa corpus faſcia vento agitata, pectore artubusque nudis: illud os ingenti rictu pandit, hoc comprimit. Nomen gerere ex officio & geſtu perhibent illud, doctis *In, Ni* & *A*, vulgo *Rikkiſi vvo*: hoc doctis *Jo, vvo* & *vvun*, vulgo *Kongo vvo* nuncupatum. Hæc inquam idola erant, quæ pro ornatu in templi primarii veſtibulo poſita (ubi ſolent & hodie locari) ſignum proditura erant exitii. Rex, pœnis imminentibus & everſionis præſagio publicatis, non aliud apud ſubditos, quam riſum creavit, & ſuimet, tanquam ſuperſtitioſi hominis, contemptum. Nec multo poſt tempore ſubſannandi animo ſcurra aliquis idola noctu aggreditur, &, advertente nemine, utramque faciem rubricâ oblinit. De mutato colore Rex monitus, haud ſcelere humano, ſed fatali miraculo id accidiſſe opinatus, fugam ex inſula cum ſuis anxius capeſſit, ad proximam Sinæ meridionalis provinciam *Fokkſju* remis velisque contendens. A cujus diſceſſu ſannio cum conſciis, ex hac petulantia nihil ſiniſtri metuentibus, atque omnis incredulorum turba, cum ſubſidente inſula, plenâ figulis ac ſplendido vaſorum myrrhinorum apparatu ſubmerſa eſt. Memoriam annuo feſto celebrant Sinenſes auſtrales, eo die per frera & ſinûs maris, cymbis curſim remigantes, aufugientibus ſimiles, dum ſubinde Rectoris, quaſi amiſſi, nomen *Peiruun* inclamitant: eandemque illi ſolennitatem Occidentali Japoniæ induxerunt. Petuntur vaſa iſta, recedente undâ, ex fundo maris, à ſcopulis, quibus concreta ſunt, caute, ne frangantur, diſſolvenda, deformata undique agglutinatis conchyliis, quæ à polionibus abraduntur, relictâ portione aliquâ, quæ veritatem doceat. Sunt autem pellucida, tenuiſſima, coloris albidi, ex virore diluti, dotata utplurimum figurâ capulæ, ſeu dolioli, & collo anguſto brevi, quaſi jam tum ad conſervandam theam fabricata fuerint. Inferuntur Japoniæ (admodum rarò) à Mercatoribus Provinciæ *Fockſju*, qui ea ab urinatoribus recepta hîc venundant: viliora *theilû* circiter viginti, mediocria *theilû* centum & ducentis, majora, quæ ſine labe ſunt, ter, quater & quinquies mille *theilu*: ſed illa, quæ tanti pretii & bonitatis habentur, à nemine emi audent, quam à Cæſare. Is ab atavis & anteceſſoribus hæreditate accepta dicitur poſſidere, nullo auri pretio æſtimanda, ac proinde in gazophylacio principi locô habita. Rarò fracturis vel fiſſuris vacant: quas verò palliare mangonio ita affabrè norunt poliones, ne ullâ oculi acie, vel aliâ arte, labes poſſit detegi, quàm per biduanam vel triduanam coctionem in aquâ ferventi, quâ tandem materia glutinis reſolvitur. Atque

que hæc de *Muts ubo*, præſtantiſſimis foliorum theæ conditoriis.

Ban tſja ab aurâ liberâ non æquè facilè detrimentum patitur, quòd virtutem obtineat firmiorem, quàm thea reliqua, utut multis gradibus inferiorem. Haud igitur aſſervationem requirit æquè curioſam. Ruricolæ eam, nec minùs theam omnem reliquam, ſervant in cupis ſtramineis, formam doliorum habentibus, quas ſub ædium lacunaribus reponunt, ut à fumo leviter ambiantur: fumus enim virtutem figere & conſervare creditur. Conciliari theæ gratiam perhibent, ſi recondendæ addantur flores Artemiſiæ vulgaris, vel novella folia herbæ *Saſanqua*; cetera odorifera non æquè ei congruunt.

§. 16.

Servit thea interno uſui, duplici præparatione. *Prima* eſt Sinenſibus uſitata, quæ fit infuſione, dum integris foliis ſuperfundimus aquam ferventem, quæ foliorum virtute imbuta protinus ſorbilletur. Hic modus ex Sina in Occidentem noſtrum translatus jam lippis & tonſoribus innotuit, & explicatione noſtra non indiget. *Altera* eſt, quæ fit attritu: quomodo folia, cum mola manuali, ex atro lapide, quem vocant, ſerpentinô, fabricata, in ſubtiliſſimum pulverem pridie vel eodem die rediguntur, ut aquæ ferventi mixta, pulpæ ad inſtar tenuioris, pitiſſando pariter hauriatur. Vocatur hæc *Koi tſja*, i. e. ſpiſſa thea, reſpectu tenuioris per infuſionem paratæ. Uſus hujus inter divites, Magnates & Principes per ſolam & pene omnem Japoniam obtinet. Adminiſtratio ita celebratur: Pyxidi incluſus pollen, cum reliquo vaſorum apparatu, in triclinium apponitur theæ bibulæ ſocietatis. Tum, aperto conditorio, ſingulis patellis, aqua fervente repletis, portio, quantam cultri majoris cuſpide excipias, ope cochlearis parvuli nitidiſſimi ingeritur, & mox, donec ſpumet, rutabulo affabrè dentato in orbem agitatur & conquaſſatur, ſic hoſpiti oblata, dum fervet, ſorbillanda. *Tertia* eſt, quæ fit coctione. Hæc à civium & ruſticorum vulgo recepta eſt, qui toto die propinandi modum tenet ſequentem: ex domeſticis unus, ante diluculum ſurgens, ahenum ferreum in foco ſuſpendit aqua plenum: coquendæ aquæ, vel ſi placet, percoctæ, immittit foliorum *Ban tſja* manipulos duos, tres, vel pro numero domeſticorum plures, tum deſuper imprimit corbulam, ejus figuræ & magnitudinis, quæ aheni cavum arctè expleat & folia ingeſta ad fundum ſupprimat, ne poſſint impedimentum haurienti faceſſere. Hoc ahenum domeſticis potum ſuppeditat reſtinguendæ ſiti: advolat quicunque vult; præpendet hauſtrum cum patellâ: adſtat etiam aqua frigida, ut, cùm pitiſſare otium non permittat, dilui eadem ac temperari poſſit, ad ſitim valido hauſtu & ſine temporis diſpendio reſtinguendam. Alii, omiſſo corbe, theam ſacculo incluſam coquunt, quod in idem recidit. Coctioni ſola deſtinatur *Ban-tſja*, quandoquidem ejus virtus reſinoſis particulis magis involuta eſt, quæ non poteſt, niſi ſufficiente coctione extricari, unde receptam aqua haud facilè dimittit.

Theæ, tum parandæ, tum in corona hoſpitum prælibandæ, ſingularis eſt cognitio & habitus, in morum congruentiâ magis, quàm in ipsâ coctionis vel præparationis arte repoſitus. Vocant artem *Sado* & *Tſjánoi*, cujus dantur Profeſſores, qui utriusque ſexûs liberos erudiunt, ut diſcant τῶ *Tſjanoſſ*, i. e. ſympoſio theæ amatorum intereſſe, & miniſtrare etiam decenter & cum laude: velut in Europa ſcindendi & diſtribuendi fercula, luctandi & ſimilis farinæ notitias addiſcimus. Aquâ per infuſionem aut coctionem theæ paratâ, opifices pauperculi, præſertim in provinciâ Natâ, coquunt quandoque oryzam, τὸ κᾶι gentis: quæ ſic meliùs nutrite vel ſaturare dicitur, ita ut una portio pro tribus ſufficiat. Externum præſtat uſum thea poſtremæ notæ, tum quæ aliquot annorum ſpatio effœta eſt, pro tingendis telis ſericeis, quas badio colore imbuit: quem in finem magna ejus copia ex Sinâ in Guſarattam ferè quotannis tranſcribitur.

§. 17.

Diximus theæ folia habere inebriandi, ſive ſpiritus animales turbandi, facultatem. Hæc vis uſtione lentâ & aſſiduâ expelli debet; non poteſt autem ita ſufficienter, ne quædam remaneat cerebro inimica qualitas, ſed quæ ſuâ miteſcit ſponte, videlicet morâ decem pluriumve menſium. His elapſis tantum abeſt ut ſpiritus turbet, ut potius blandè excitet, & eorum organa demulceat, adeoque exhilarandi præſtet efficaciam. Intra annum ſorbillata deficatiſſima ſapit quidem, ſed turbat copiosè aſſumpta mentem, & tremorem inducit articulis. Optima, delicatiſſima & maximè exhilarans eſt, quæ unius anni ætatem habet: recentiorem nemo Japonum bibit, niſi mitigatam admixta æquali portione theæ vetuſtioris. Virtutes paucis complectemur, ſi dicamus theæ liquorem obſtructiones viſcerum reſerare, defæcare ſanguinem, præſertim verò eluere tartaream calculi materiam: quod poſterius adeo præſtat inſigniter, ut calculoſos & podagricos inter theæ bibulos hôc cœlo nunquam invenerim. Europæis idem commodum à theæ potu ſperandum eſſet, niſi jam adhæreret genitale mali principium & pertinax diſpoſitio, quæ ſubinde vino acido, cereviſiâ ac lixiviis carnibus foveatur. Amatores cereviſiæ vernaculæ, ex oryzâ coctæ, quam Sinenſes *Sampſu*, Japones *Sákki* vocant, theæ parum virtutis tribuunt, inſignioremque inesſe negantes aliam, quàm quod aquæ eruditatem corrigat, & confabulantes amicos in coronâ retineat, in hôc hominum genere invenire, qui vagâ arthritide & ſtranguriâ laborant, inſolens non eſt. Qui pro uſu theæ Veronicam & Myrtum Brabanticam ſubſtituunt, magnopere falluntur. Non eſt ulla planta mortalibus hactenus cognita,

cujus infuſum vel decoctum tantâ aſſumptum copiâ ventriculum minus gravet, æque facile ſecedat, & conſopitos ſpiritus tam celeriter excitare ac recreare valeat. Minus fortaſſe operam luſerit, qui in plantis, ob malignas qualitates male nobis audientibus, ſimile quid quæſiverit, ſed ritè prius corrigendis caſtigandisque: cujus verò modum neſciunt Europæi, quibus ejus genii ſtirpes adeo ſunt inviſæ, ut, audito ſaltem nomine, manum de tabulâ! infamem honori ſuo parituri notam veneficii, ſi ad abſtruſas talium vires curam impenderint. Norunt modum ingenioſi Brahmenes, qui Daturam, qui Papaver (cujus prænobilem ſuccum JCti inter venena numerant *Gothofr. ad L. 3. ff. ad L. Corn. de Sic.*) & conſimiles ſui cœli plantas, earumque partes narcoticas præparare, corrigere, ad inducendam oblivionem, diſcutiendam triſtitiam, exhilarandum & quaslibet ideas in homine excitandas aptare, longâ experientiâ edocti ſunt. Prælibari plerumque ſolent in formâ Electuarii.

Vitia theæ à Japonenſibus recenſentur ſequentia: Omnis theæ potus ſupprimit medicamentorum efficaciam: in colicâ (endemiâ) nocet & maximè vitandus eſt. Recentioris theæ potus, uti in genere totam cerebri compagem turbat & offendit, ita certo experimento quàm maximè nocet ophthalmiâ laborantibus. De vitiis Medicos Sinenſes percontatus, à grandævo accepi: Theæ potum, qui toto die biberet fortiter extractum, eum vitæ ſuæ, quæ in calido humidoque reſideat, radicale fomentum deſtruere; quemadmodum idem faciat, ſed ex ratione contrariâ, qui ſe eſu pinguium & carnis ſuillæ (frequentiſſimæ in menſis Sinenſium) quotidie & in omni paſtu exſatiaret: Nihil autem noxæ laturum, quin plurimum vitæ & ſaluti ſuæ profuturum eſſe, qui utrumque conjungeret. Hoc ſibi innotuiſſe, dicebant, exemplô fœminæ: quæ, pertæſa mariti ſtrigoſi & impotentis, Medicum pellexerat, ut extinguendi daret conſilium: is, ſaturare juſſit maritum carnibus porcinis & quovis genere pinguium, quibus hærentem in illo umbraculo quantulam vitæ lucem intra annum extinctura ſit. Perjura, conſilio unico haud contenta, alium quoque conſuluit: ille, theam ſuaſit ſceleto propinare fortiter extractam & frequentem: ſic futuram ſui voti compotem intra annum. Mulier, ut certius citiusque ſe expediret, utroque utitur remedio: quo verò combinato, tantum abeſt ut ad ſandapilam damnatus diem ſuum acceleraverit, ut potius recuperatis viribus ſaginam contraxerit & convaluerit paneraticè. Subvenit hæc ſcribenti conſimile exemplum mœchæ apud *Auſon.* quæ maritum peremptura, ut vires duplicaret, Mercurio poſt toxicum dato conſervaverat. Hiſtoriam Poëta *Auſonius* Gallus (ſit venia transgreſſioni!) eleganti expoſuit epigrammate:

TOXICA Zelotypo dedit uxor mœcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit ARGENTI lethalia pondera VIVI,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc ſi quis: faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ.
Protinus & vacuos alvi petière receſſus,
Lubrica dejectis, qua via nota cibis.
Quam pia cura Divûm! prodeſt crudelior uxor;
Et cum fata volunt, bina venena juvant!

§. 18.

Ut omnem exhauriamus theæ hiſtoriam, lubet hîc delineare compendium portatile vaſorum atque omnis apparatûs, ad theam coquendam ſorbillandamque neceſſariorum, quale recreationis cauſa deambulantes Japones circumvehunt, ſine hôc ſocietatis condimento nunquam proditurî:

A. B. Machina portatilis, unà cum æneis ſuis anſis, cardinibus, fibulis & bullis angularibus, ab utrâque parte ſpectabilis: tota, præter valvas lignea, vernice obducta. *A.* frontem, *B.* dorſum exhibet.

cc. Valvæ geminæ cupreæ, in faſtigio coëuntes, clauſæ duobus longis capreolis.

d. Foramen, machinæ faſtigium pervadens, cui, in dependente anſa, ſurſum vertenda, utrinque reſpondet appendix *ee.* ut immiſſâ palangâ portari machina poſſit ex humero.

fg. fg. Machinæ contignatio ſuperior, continens duo vaſa cuprea P. & T. intus ſtannô obducta, aquæ tum aſſervandæ, tum coquendæ dicata. Eximuntur infernè, apertis valvis cupreis *cc.* quibus deſuper teguntur.

gh. gh. Contignatio inferior, continens triplicem ordinem capſarum lignearum V. W. X. vernice intus & foris elegantiſſimè obductarum, pro aſſervandis ad ſympoſium rebus neceſſariis.

i. Foramen, excipiens peſſulum valvæ penſilis L.

k. Uncus æneus longus, ex ocello pendens, valvæ penſilis aperiendæ retinaculum.

L. Valva penſilis lignea, ſuis cardinibus exemta, quæ lateris *t* inferiorem contignationem claudit, ne capſæ excidant. In hâc ſpectatur ſera, ſive peſſulus *m*, prædicto foramini *i* adæquatus: & ocellus *n*, reſpondens prædicto unco *k*, quo aperta valva attinetur, dum eximantur capſæ.

o. Foramen in adverſo latere B. conſpicuum, per quod, immiſſô digito, protruduntur capſæ, ita commodius eximendæ.

P. Vas cupreum majus, in quo aqua coquitur. Tria in ſummitate exhibet orificia, operculis ſingulis donata: Unum (1) pro frigida recipienda: alterum (2) parvum, pro ferveſacta

vefacta effundenda. Tertium (3) ad incluſum furnum ventoſum ſpectans, per quod ingeruntur carbones. Operculum propendere volui inverſum, ut ejus duplex margo, pro arctiore clauſuræ factus, videri poſſit.

q. Furnus ventoſus cylindraceæ figuræ, cupreus, aquæ coquendæ immerſus, vaſi continenti agglutinatus orificio & præfurniô ſuô.

r. Præfurnii ductus, per quem aura carbones ſufflaminat.

s s s. Operculi ſpiracula, ad permittendum fumum & fuligines.

T. Vas cupreum minus; ſive receptaculum aquæ frigidæ, dotatum operculo, ſimilis, quam dixi, ſtructuræ.

V. Capſa lignea, continens ad præparationem theæ ſorbillandæ inſtrumenta & vaſcula varia, ſignata numeris 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

W. Capſa majuſcula altera, duobus loculamentis diſtincta, quorum exterior prunas ac materiam ignis, interior apparatum patellarum pro pitiſſandâ theâ, atque alia pro lubitu imponenda recipit.

X. Capſulæ minuſculæ uno exemplo tres, invicem claudentes, cum adjacente ſuperiori operculo inverſo. Continent edulia diverſa, in pitiſſantium conviviis apponi ſolita.

(1) Hauſtrum pervadente tubulo inſtructum;

(2) Ejusdem ſtylus ſ. manubrium, eximendum cum reponitur.

(3) Capſella theæ plena, aut in pollinem redactæ.

(4) Spathula, ſeu cochlear, pro polline excipiendo.

(5) Rutabulum, quo *Fiki tſja* agitanda eſt, antequam ſorbilletur.

(6) Vas cupreum ad theam infundendam ſerviens: cujus pars inferior, quæ & ſtanno obducta eſt, orificio vaſis P. immergitur, ut attactu vaporis vel aquæ ferventis foveatur, ne infuſa frigeſcat. Operculo arctè clauditur, ejusdem, quam indigitati, clauſuræ.

Z. Bacillum Geometricum, iconibus adæquandum, quo partium & vaſorum ſingulorum magnitudo & proportio indagari poteſt, ſi cui volupe ſit ad hunc typum ſimilem machinam conſtruere. Refert autem unum *Sakf*, ſive 10. *Sun*, quæ conjunctim reſpondent circiter uni pedi Geometrico noſtrati.

CAPUT III.

DE

FOLIO INDO, MUSA ET DUDAIM.

§. 1.

FOLIUM INDUM, *das Indianiſche Blat*, ſive

MALABATHRUM,

non ſpernendæ magnitudinis, oblongum, craſſum, læve ac latum, ſuperius tamen acuminatum folium eſt, per cujus longitudinem tres fortiores fibræ excurrunt, odoris fragrantis, ſaporisque ſubaromatici. Iſti cum foliis cinnamomi magna intercedit ſimilitudo, niſi quod folium Indum in medio paululum latius, atque infra prope petiolum non adeò aromaticum ſit, atque cinnamomi folium; quod diſcriminis præter cæteros à *Fabio Columna* in *notis in Hernandezii Hiſtor. Med. Nov. Hiſp. pag.* 864. bene obſervatum oſtenſumque eſt. Enimvero *Dn. Herbertus de Jager* in fine *Epiſtolæ VI. Indiæ Orientalis* pro cinnamomi folio vult haberi, illudque ſe certò ſcire affirmat.

§. 2.

In conſtituenda folii hujus origine auctores inter ſe diſcrepant, dum veteres, *Dioſcorides* & *Avicenna*, exiſtimarunt, in ſtagnis ad modum Nymphææ, creſcere atque natare: quæ ratio eſt, quamobrem *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 599. fere dubitare velit, num hodieque veterum malabathrum habeatur, quum certum ſit, hodiernum folium Indum à certâ aliqua Indiæ arbore proficiſci, quæ, de ſententia quorundam Scriptorum, circa Cambajam juxta aquas creſcere, Citroque magnitudine haud diſſimilis eſſe, aliquas etiam baccas, ut canellæ arbor, ſed minores proferre perhibetur. Inter folia quoque parvæ interdum veſiculæ dicuntur progenerari, quæ omnia ex figura, à *Pometo* in *Mater. Muſco pag.* 142. delineata, apparent. Tandem de ſententia recentiſſimorum quorundam Botanicorum folium hoc à canella Malabarica, quæ caſſiam ligneam ſuppeditat, proficiſcitur, id quod *D. Dexkach* in *Diſp. Inaug. de Caſſia & Malabathro pag.* 7. 16. ſumit defendendum: quæ opinio penè vero videtur ſimilima.

§. 3.

Folia eligantur decenter magna & lata, & quoad ejus fieri poteſt, recentia & viridia apparentia. Integra etiam, minusque lacerata aut contuſa ſint, utpote vires magis retinentia. E contrario inveterata, corruptaque & contuſa ſaporem æque atque fragrantiam odoris perdunt; id quod cauſæ eſt, quamobrem in iſtis

ſæpe

ſæpe nec ſuccus, nec vis ulla deprehendatur, ut prædictus Materialiſta *Pometus* miretur, quod olim & hodie quoque ad theriacam ſumantur.

§. 4.

Folii hujus vires cum nardo conveniunt. Halitus gratiam conciliat, calculum urinamque ciet, ſtomachum confortat, externe etiam in vino coctum & impoſitum adverſus oculorum inflammationem & lippitudinem commendatur. Veſtes quoque à tineis defendere creditur, quod *Wormius in Muſ. pag.* 162. habet. Tandem deſtillatione oleum exinde poteſt prolici, oleo cinnamomi haud diſſimile, ſed paulo gravius: ſtomachum aliaque membra confortat.

§. 5.

Occaſione folii Indi non poſſum quin omnium maximi folii, quod in orbe terrarum invenitur, paucis commemorem, à valde admiranda plantâ, in Syria & Abyſſina reperiunda, ac vulgo *Mautz*, ſive

MUSA

vocata, oriundi, quod plerumque tam longum latumque eſt, ut proceram perſonam cum totô corpore æquet, ut *D. Rauvvolfius*, qui iſtud circa Tripolim vidit, in *Itinerario ſuo* commemorat, ipſeque teſtari poſſum, me apud *Dn. D. Sebaſtianum Scheſſerum* olim Francofurti ejusmodi folium vidiſſe, quod altam januam magni ſcrinii librarii prorſus tegeret. Id verò dolendum, iſtud poſt ejus mortem, una cum ſelectis rarisque ac curioſis libris, pretio perexiguo, Judæis eſſe divenditum.

§. 6.

Eò magis verò foliorum horum admiranda magnitudo eſt, quod non arboris, ſed planta cujusdam ſunt progenies: id quod celeberrimus *Jobus Ludolfi* in *Hiſt. Æthiopica Lib. I. cap.* 9. ex *Horto Malabarico* figura aliqua oculis ſubjecit, atque in *Commentario ſuo* valde curioſo *pag.* 141. 142. ex Principis *Radzivili*, *Rauvvolffii* aliorumque itineratiis accurate & perſpicue deſcripſit, iſtorum ſimul detegens errorem, qui vegetabile iſtud arborem eſſe exiſtimarunt, quùm vix frutex poſſit vocari, utpote ligno prorſus deſtitutum, & quotannis vel abſcindi ſolitum, vel penitus exſiccandum. Externa figura faſciculum plumeum repræſentat, & interdum in altitudinem unius ac dimidii, aut duorum virorum excreſcit, foris læve, eleganter viride & fere inſtar arundinis foliis ſuis cinctæ apparet, quæ à vento ſæpe ita lacerata laniataque ſunt, ut præter nudos caules fibrasque nihil relinquatur; id quod *Wormius* ex *Cluſii Not. ad Garc. pag.* 163. *Muſ.* fuſius deſcripſit.

§. 7.

Fructus, quos planta per ætatem ſemel profert, in *Radzivili Itinerario* ita deſcribuntur: Fructus, qui ex uno caule progerminant, fere numero quinquagenario uno in faſciculo compinguntur, qui ob magnitudinem inſtar melonum ſuper terra ſe extendentes, ibidemque diu relicti, putreſcunt. Cucumeribus noſtris haud diſſimiles apparent, niſi quod paulò craſſiores, magis incurvati & longiores ſint. *D. Rauvvolfius* autem addit, iſtos extrinſecus eſſe læves, craſſoque cortice obductos, principio flaventes, poſt aliquot dies ex nigro putreſcentes, qui ad modum recentium ficuum facile ſe patiantur excorticari, iſtorumque adinſtar dulces & eſui grati ſint. Prædictus *Dn. Ludolfi* ejusmodi fructum aliquot ante annos ex Oriente ſibi afferri curavit, quem apud iſtum fortuna mihi dedit deguſtandum: boni adhuc ſaporis erat, quamvis jam pridem ſale eſſet conditus.

§. 8.

Ob ſummam raritatem uſus iſtius apud nos prorſus ignotus eſt. Quæ vero noſtra conjectura eſt, cum ficubus valde convenit; queadmodum etiam planta ab Acoſta FICUS INDICA vocatur. Et quoniam hic fructus virorum fœminarumque naturam ob bonum, quo pollet, nutrimentum vehementer confortat, valde probabile eſt, nihil aliud eſſe quam

DUDAIM,

quorum *Geneſ. XXX. v. 14. 15. & ſeqq.* fit mentio, ut non ſolùm *Dn. Ludolfi l. c.* egregiè oſtendit, ſed jamdum quoque à *Guilandino* aliisque hoc plantæ propterea inditum nominis fuit.

CAPUT IV.

DE

DICTAMNO CRETICO, POLIO MONTANO, ET MARO VERO.

§. 1.

QUoniam modò memoratæ tres plantæ theriacam ingrediuntur, atque ex regionibus disjunctiſſimis veniunt, iſtas quoque Materialiſtæ conquirant neceſſe eſt. Solam vero plantam ſeu folia uſurpamus, & quamvis in officinis etiam radices Dictamni vulgaris reperiantur, radix tamen prorſus non eſt in uſu

DICTAMNI CRETICI,

quippe quem ſcimus in officinis conſtare ex craſſis,

craſſis, albis & quaſi lanuginoſis foliis, ſaporis acris & aromatici, odorisque fortis.

§. 2.

Quæ planta in Candia ſ. Creta, unde nomen habet, duorum vel trium pedum altitudine copioſe creſcit, rotunda & utrinque lanuginoſa folia, fragrantes purpureos floſculos, inſtar lupuli convolutos, cum caulibus nigris proferens, in Germania prorſus non, in Italia autem, præſertim in horto Medico Patavino, ſaltem interdum invenitur, utpote ex prædicta Inſula Candia idcirco afferenda.

§. 3.

Id vero detur operæ, quò folia recentia lataque & lanuginoſa, ſapore grata, una cum flore acquirantur. Caveamus quoque, ut ne cum ſpurio Dictamno Cretico adulterata ſint, utpote qui vero foliorum ſimilitudine propius accedit, aliter vero coloratum florem albosque caules habet, cum verus contra petiolis nigris accreſcat: à quibus tamen iſtum decet eſſe depurgatum, præſertim in theriacæ præparatione, quæ optima ſemper ſimplicia requirit.

§. 4.

Vi calefaciendi pollet, propterea que à clariſſimo *Caſp. Hoffmanno de Med. Offic. pag.* 269. ad tria potiſſimum commendatur, quod 1. omnes ſpinas aculeosque ex corpore trahat, vel potius expellat, 2. ad promovendum partum valeat, 3. veneno reſiſtat, propterea que ad theriacam ſumatur. Cui deficienti *Simon Paulli in Quadr. Botan. pag.* 286. polium vulgare, *Pharmac. Auguſtana* vero ſcordium vult ſubſtitui.

§. 5.

Eædem POLII MONTANI (*Berg-Poley*) dicuntur eſſe virtutes, cujus ſuperna folia, una cum flore, in officinis reperiuntur: quorum illa parva, craſſa & crenata, ſuperius etiam infraque flava cincta lana ſunt: hic vero aureus exiguisque ſtellulis apparet. Bina ſaporis ſubacris & aromatici ſunt, odorisque fortis. Monte-Peſſulano venit.

§. 6.

Hæc planta in Languedoco, Galliæ provincia, copioſè creſcit, & quidem in altis montibus, pedis fere altitudine. Floret æſtate, qua etiam colligitur, & in parvis ſcatulis, cum alia quadam ſpecie, in planitie juxta vias, in arena aliisque locis ſiccis creſcente, ad nos fertur, à qua tamen genuina veraque facile diſtinguitur, quod illa multo minora folia habet, nec adeo lanuginoſa, ſapore autem multo amariór eſt, & prorſus alba, ut *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Part.* 1. *Lib. V. c.* 2. *pag.* 140. oſtendit.

§. 7.

Similiter recens adhuc floreque præditum polium montanum eligendum, amaro & tantum non nauſeoſo ſapore præditum. In theriacæ præparatione à caulibus, albisque ſupra memoratis foliis, utpote vi debilioribus, probe depurgetur.

§. 8.

Vires ejus volatiles, penetrantes & calefacientes ſunt, quarum ratione planta urinam menſtruaque potenter promovet, inque omnibus uteri, hepatis ſplenisque affectibus opem præſtat. In ictero quoque & hydrope commendatur. Veteres adverſus epilepſiam usque eo laudarunt, ut *Apulejus de Virtut. Herb. c.* 7. *pag.* 182. ejus etiam externo uſui ejusmodi vim adſcribat. Inter Criticos tamen magna adhuc contentionis ſerra reciprocatur, quodnam verum *Theophraſti* & *Galeni* polium ſit, qua de controverſia *Salmaſius in Exerc. ad Solin. Polyhiſt. pag.* 1067. poteſt legi. Quoniam contra morſus animalium rabidorum commendatur, olim quoque theriacæ ingredientibus annumerarunt.

§. 9.

Non minor ſciendi cupido Botanicos detinet, quodnam ſit

MARUM VERUM ſ. *das rechte Amber-Kraut?*

cujus quatuor fere ſpecies in *Tabernæmontani Herbario Part.* 2. *pag.* 56. reperiuntur. In quibus inquirendis nolumus eſſe verboſiores, eo ſaltem contenti, quod in Mater Muſeis hucusque repertum fuit, cujus folia uſitata perexigua, viridia & inſtar cuſpidum ferreorum haſtarum militarium figurata ſunt, ſapore valde amaro & nauſeoſo prædita, cujus reſpectu Marum, quaſi amarum, vocatum fuit.

§. 10.

Hæc planta vulgo pro ſpecie aliqua majoranæ habetur. Enimvero primus intuitus oſtendit, quod magis cum thymo conveniat, pro cujus etiam ſpecie fere habetur ab *Ammanno* in *Char. Plant. Nat. pag.* 470. In Gallia circa Toulon creſcit, purpureos ac fragrantes proferens flores, parvarum ſpicarum ritu, inſtar florum lavendulæ progerminantes, vid. *Pometus l. c. pag.* 141.

§. 11.

Optima cenſentur folia minus inveterata, eleganter viridia ſuosque flores adhuc habentia, ſortem etiam odorem emittentia. Si quando ad theriacam ſumuntur, à petiolis depurgata electaque ſint.

§. 12.

Viribus cum majorana & thymo convenit, atque ob ſaporem aromaticum & calefacientem in apoplexia ſimilibusque morbis valde commendatur, adeò, ut judicio *Ettmülleri* in *Comment. Schræd. pag.* 601. ad ſpiritus eſſentiasque caput confortantes merito debeat ſumi. Quùm verò apud nos valde rara planta ſit, rarò etiam præſcribitur, niſi quod ad pilulas, ab iſta Marocoſtinas Mindereri vocatas, & Trochiſcos Hedychroi, aliàs theriacam ingrepientes, ſumatur.

CAPUT V.

DE CAPILLO VENERIS ET ADIANTHO ALBO.

§. 1.

QUæ vulgò in officinis
CAPILLI VENERIS
nomine indigitatur planta, è parvis ac profundè crenatis foliis conſtat, juniori coriandro vel rutæ foliis haud diſſimilibus. Iſta toto hyeme viridia manentia, terreum & adſtringentem, aliquali dulcedine terminandum, ſaporem habent, odorem vero nullum. Partim invenitur in Germania, partim ex Hiſpania Galliâque affertur.

§. 2.

Planta fibroſas capillaresque radices habet, è quibus tenues brevesque caules, iidemque ſplendentes & rigidi, pedis fere altitudine, interdum ſaltem digiti longitudine progerminant, qui numeroſi erumpentes crenatis ſuis foliis ornantur. Quùm verò diverſæ reperiantur ſpecies, diſtinctis quidem nominibus inſignitæ, ob ſimilitudinem autem ſæpe confundi ſolitæ, de ſingulis paucis agemus.

§. 3.

Recti verique capilli ♀ à Botanicis
ADIANTHUM VERUM ET VULGARE
vocantur, quod valde tenues & prorſus nigros habens caules hic loci non creſcit, ſed vel ex India, ut ADIANTHUM BRASILIANUM & CANADENSE, vel ex Italia & Gallia, ut ADIANTHUM MONSPELIENSE affertur, quorum delineationes *Pometus* ſiſtit contemplandas. Quando igitur in formulis Medicorum capilli Veneris ita ſimpliciter præſcribuntur, Pharmacopolæ præ aliis Adianthum album ſumant, quod tamen nominis ab aliis rutæ muriariæ rectius imponitur, ut *Samuel Dale in Phytolog. p.* 119. oſtendit.

§. 4.

Quod
ADIANTHUM ALBUM
ſ. *Mauer-Rauthen*,
apud nos in inveteratis muris turribusque copioſe invenitur, priori humilius creſcit, foliaque aliquantum latiora magisque obtuſa habet, aliâs quoque SALVIA VITÆ audit. Hæc itaque intelligi & à Pharmacopolis ſumi debet, quando Medici adianthum album præſcribunt.

§. 5.

Tertia ſpecies,
ADIANTHUM NIGRUM
vocatum, nigrum habet petiolum, craſſiora etiam & longiora folia quam præcedens, plerumque flavente pulvere altero in latere aſperſa. Utplurimum in umbroſis montibus & circa radices arborum, filicis adinſtar, creſcit, propterea-que à quibusdam Onopteris mas, ſ. *Eſels-Fahren*, vocatur; & quanquam à Pharmacopolis etiam capillus ♀ nuncupetur, iſtud tamen ſolum recipiatur, quoties adianthum nigrum ſimpliciter eſt præſcriptum.

§. 6.

Cæterum Pharmacopolæ videant, ut ne capillus ♀ indigena pro exotico ſibi offeratur divendendus, cui rei diligens ſuperius allegatarum figurarum contemplatio inſerviet. Omnes autem ſpecies recentes, jucundè virides, integrisque foliis præditæ emantur. Probe tamen ſiccatæ ſint, mucidique ſaporis prorſus expertes, ut *Marxius* in *Germanico Mater. Muſeo pag.* 44. bene admonet.

§. 7.

Ratione virium & qualitatum ferè omnes conveniunt: valde temperatæ & ſiccæ ſunt, propterea-que vi ſiccandi ac reſolvendi pollent. Non temere igitur *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 506. admiratur, ex libra una plantæ tantundem fere ſuccі, quibusdam ita opinantibus, poſſe exprimi, qua in re appendix *Miſcell. Acad. N. Cur. Ann.* 4. & 5. *Dec. I.* aliquam informationem ſuppeditat. Ad decocta pectoralia plerumque præſcribuntur, dum craſſam pituitam incidunt, & ex pectore expurgant: quam ob cauſam etiam in aſthmate & ſpirandi difficultate, tuſſi chronica ac phthiſi utiles ſunt. Porrò adverſus morbos alios chronicos, malum hypochondriacum, hydropem ſimilesque à veteribus commendantur; quemadmodum & ad mictum cruentum, præſertim coagulatum ſtagnantemque ſanguinem proficiunt. Quando autem calculi & arenæ adeſt ſuſpicio, alkekengi & milium ſolis poſſunt addi. Quibus in caſibus etiam
SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS
valde uſitatus eſt, propterea ſæpe è Monte Peſſulano, Galliæ oppido, imo Canada exſpectandus; quemadmodum Francofurti apud *Danielem Bruſſonem* & *Johannem Rey* tres vel quinque ſpecies inveniuntur, ut ſyrupus capillorum ♀ cum cort. ☉r. fragrans, vulgaris & alii. Enimverò in Germania æque bene præparatur, ut extraneô adeò non indigeamus. Quod ſi verò Illuſtres curioſasque perſonas vel maxime peregrinus delectaret, hicque de iſtarum voluntate è Gallia eſſet præſcribendus, id demus curæ, quò verum ac genuinum accipiamus, ſubflavo elegan-

ti-

gantique colore decorum, clarumque ac pellucidum, grato ſapore debitaque conſiſtentia præditum. Acidiuſculus contra ac mucidus, prorſus etiam albus, tanquam ſuſpectus abjiciendus. Quidam lucro inhiantes Pharmacopolæ Nemauſienſes & Montispeſſulani iſtum ex plantis jamdum coctis ac denuo exſiccatis æmulari dicuntur, quem dolum *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues Gen. pag.* 149. detegit. Cæterum officinæ quoque ſyrupum capillorum Veneris compoſitum habent, cujus præparationem *Diſpenſatorium Auguſt.* communicat. Conſerva, quam nonnulli Monte-Peſſulano afferri curant, rarius datur, de qua tamen prædictus Materialiſta *c. l.* videatur.

CAPUT VI.

DE

CUSCUTA ET EPITHYMO.

§. 1.

CUSCUTA ſ. *Filtz-Kraut* è tenuibus longisque fibris conſtat, vicinas quasque herbas ſerpentino nexu complectentibus, à quibus ſemper aliter nominatur, verbi gratia: Epiſtœba, quando ſtœbæ & Epipolion, quando polio increſcit, ut *Simon Paulli* in *Quadrip. Botan. pag.* 281. fuſius oſtendit. Ubi tamen notandum, præſcriptâ ſimpliciter & ſine cognomine cuſcutâ, iſtam intelligi cuſcutam, quæ urticæ, lupulo aut lino inveniatur implicata, unde etiam Germanis *Flachs-Seiden* vocatur.

§. 2.

Quæ fibræ licet ex aliis herbis excreſcant, ab iſtisque nutriantur, ſuo tamen ipſius ſemine valde exiguo, inſtar ſeminis papaveris, & in parvis rotundis folliculis creſcente, hæc ſe planta multiplicat. Nulla folia profert, ſed parvos carneique coloris floſculos, articulatim, ſecundum fibrarum longitudinem, progerminantes: id quod *Dn. Tournefort* in *Pometi Hiſtoire des Drogues pag.* 181. plurimis deſcripſit.

§. 3.

Botanici CUSCUTAM MAJOREM & MINOREM ſtatuunt, prout majoribus vel minoribus herbis accreſcit, ac propterea communiter Caſſutham pro majore, Epithymum pro minore habent ſpecie.

§. 4.

Quæ ſpecies plerumque nitroſæ naturæ ſunt, ob quam etiam aperiendi, reſolvendi & purificandi virtute pollent, ut *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 556. ex *Hoffmanno* bene annotavit: Quæ quum non ſolum tartaream ſaburram ac pituiam ex inteſtinis & viſceribus, hepate, ſplene ac meſenterio per alvum educant, ſed ſabulum quoque è renibus ac ureteribus pellant, crebrius a Mediris ad infuſa laxantia præſcribuntur, atque ad icterum, cum flavum, tum nigrum, laudantur, contra quem *Crato* nullum fere melius remedium reperit, ut in *Epiſtola CX.* teſtatur. Alii cuſcutâ in hydrope incipiente, febrius diuturnis & ſimilibus utuntur. Quidam etiam ſyrupum exinde conficiunt, minus tamen uſitatum, quam eſt ſyrupus de epithymo, quod ſimiliter cuſcutæ ſpecies eſt.

§. 5.

Quod in ſpecie ad cuſcutam thymo increſcentem attinet,

EPITHYMUM, ſ. *Thym-Seide*,

propterea vocatam, ex valde tenuibus, fuſcisque ac hirſutis fibrillis conſtat, odore fragrante & aromatico præditis; è calidis regionibus, Candia & Italia affertur, dum thymo noſtrati non invenitur accreſcere.

§. 6.

Duæ iſtius ſpecies Materialiſtis notæ ſunt, Epithymum ſc. Creticum & Venetum. Illud multo minores tenuioresque fibrillas habet, easdemque colore fuſcas, odore valde fragrantes. Iſtud quidem longioribus ac fortioribus fibrillis conſtat, minime tamen adeo aromaticis. Utraque autem recentia, fragrantia, minimeque trita ſint, ſi bona velint haberi, quod *Pometus l. c.* præ aliis hortatur.

§. 7.

Ob vires laxantibus leniterque purgantibus, duram acidamque pituitam viſceribus ac venis meſenterii impactam, leniter abſtergentibus, annumeratur. Quam ob cauſam foliis ſenæ additum contra melancholiam flatulentam, ſcorbutum, vertiginem, aliosque capitis affectus, per conſenſum ex ſtomacho exortos, non ſine fructu præſcribitur. Ubi tamen obſervandum, ut ne tenera ac volatilis hæc planta coquatur, ſed per noctem ſaltem infundatur ac maceretur: alias enim verendum, ne vis optima coctione avolet, id quod *Foreſtus Libro* 3. *Curat. Obſerv.* 32. annotavit. Ne verò hoc medicamentum calida ſua atque aromatica natura ſitim caloremque excitet, de conſilio *Fernelii* non ſolum, ſed paſſulis minoribus, vel ſucco violarum permiſtum,

uſurpetur. Syrupus de Epithymo laborioſius & ex multis partibus conſtans compoſitum eſt, cujus virtus ceteris purgantibus, agarico, tamarindis ſimilibusque, quam epithymo, cujus vis coctione exſpirat, rectius adſcribuntur, in iisdem melancholicis morbis, ad quos ſupra planta commendata fuit, interdum præſcribitur.

CAPUT VII.
DE
TABACO.

§. 1.

TABACUM è longis, latis, ſuperius plerumque acuminatis, mollibusque ac pinguibus foliis conſtat, ſaporis fortis, odoris herbaceo narcotici. Propriè PETUM audit: ab Inſulâ verò cognomine, in qua copioſiſſime colitur, TABACUM, & à Luſitano Legato, Johanne Nicotio, NICOTIANA vocatur, quippe qui ſalutarem iſtius virtutem in famulis ſuis prius in Indiâ expertus eſt, poſtquam ejus uſum ante CC. annos circiter primus in Europam transtulit, cujus rei hiſtoriam verboſius ſciteque deſcribunt Galli, *Charle Eſtienne* & *Jean Liebault Lib. II. de la maiſon ruſtique pag.* 123.

§. 2.

Hæc planta usque omnibus nota, ut fuſior iſtius deſcriptio prorſus videatur ſupervacanea. Hîc Gieſſæ, Butisbaci, & præſertim Hanoviæ, magna in abundantia, ex perexiguo ſemine, ſequenti modo colitur: Semen circa diem divi Petri memoriæ ſacrum, tempore verno, aliquot dies in cereviſia maceratum, in vaſe aliquo bonæ, nigræ ac pingui terræ miſcetur, & tamdiu in calido hypocauſto relinquitur, quoad ſemen crepare incipiat. Hinc cum iſta terra in pulvinum, ex fimo caballino magis quam vaccino confectum, ſeritur, quo plantæ eo citius progerminent & excreſcant: quem in finem quidam etiam fimum gallinaceum & columbinum inſternunt, & aquam aſpergunt crebrius. Simulac verò plantulæ progerminant, runcatio diligens inſtituatur, quâ herbæ inutiles evellantur, ne ſub iſtis ſuffocentur. Quæ ſi ſatis magnæ evaſerunt, bene cultæ probeque ſtercoratæ terræ inſeruntur, quo una ab altera pedis longitudine diſtet, atque ſic foliis ſufficiens ad creſcendum ſpatium relinquatur. Id quod tamen tempeſtate humida peragendum, quo plantulæ ſtatim ſolo adhæreant, nec tam crebro debeant irrigari, aliâs enim exſiccantur, quod teneriores junioresque caloris prorſus impatientes ſunt, adeò, ut tempeſtate nimis ſicca ſæpe magno labore muſco tegendæ ſint. Quibus majoribus factis, utrinque terra parvis latisque ſatculis aggregatur, quem laborem paſtinationem (*das Reuſchen*) vocant. Qua peracta operatione, evidentius excreſcunt, & quotidie augeri obſervantur. Quò autem folia longiora latioraque fiant, parvi anguſtique ſtolones, (vulgò *Geitz* vocant) crebrius decerpantur, planta etiam ſuperius in ſtolones exeunte & floreſcente, caules incidantur, aliquibus ſaltem ad concipiendum ſemen relictis, cujus ſumma habenda cura eſt, quod ob ingruens frigus non quotannis feliciter provenit, ſæpiusque pretio vix comparari poteſt redimendum. Folia vere craſſa & coriacea facta, graviter redolentia, extremitatibus ſuis flaventia, atque ſic maturitatem nacta, decerpuntur domumque feruntur, inferioribus terræ vicinis & incumbentibus (*Sand-Blätter* vocatis) ſpeciatim colligendis & multo viliori pretio divendendis. Quæ ſi aliquot dies ſibi invicem appoſita exſudarunt, flavaque & lenta evaſerunt, bono, forti ac craſſiori filo ſ. funiculo (*Bind-Garn*,) ope adaptatæ acus trajiciuntur, de tectis (ubi ſcopis ſubinde concutienda, ne uredine corrumpantur) ſuſpendenda, quoad vere ſiccentur. Tandem humida tempeſtate & ante Martium removeantur, in magnos acervos aggreganda. Hac quoque methodo folia ſuccedanea, ſive quæ primis decerptis excreſcunt, vulgo *Geitz*, tractantur.

§. 3.

Hôc modô collectum ſiccatumque tabacum vel ita per ſe minusque præparatum pondere centenario exteris divenditur, hincque Bremam, Hamburgum, imò in Batavium transvehitur, & quidem pro pondere centenario 3. 4. 5. 6. imo decem Imperiales, prout decenter magna, ex flavo fuſca lentaque folia, torquendo trahendoque apta (vulgo *Spinn-Gut* vocant) aut vulgaria ſaltem, viridiuſcula & parva folia ſunt, ſolvere ſolent: Vel in rotundas aut depreſſas pertîcas, quibus aqua ferrariorum aut ſyrupo nigredinem conciliant, vinciendo premendoque redigitur, quæ totæ, aut in fruſta inciſæ, à tabaci præparatoribus venduntur: Vel in officinis tabaceis (quas Francofurti *Flammerdingius*, Hanoviæ *Grajus* aliique erexerunt) in trochleas torquentur ſive trahuntur, quod vero decidit tritumque fuit, ad tabacum inciſum, chartæ obſignatæ indi ſolitum, recipitur. Atque hoc ultimum in peculiaribus conclavibus, ut ne quis arcanam hanc artem, (ſic enim hunc laborem vocant,) videat diſcatque, ſolent præparare. Maximè verò Germanorum tabacophilorum admiranda

tanda ſimplicitas eſt, dum trochleas tabaceas chartasque inciſo tabaco refertas, magnis in doliis, Hanovia primum in Bataviam miſſas, iterum à Batavis carius emunt, magnoque ſumtu ac ſolvendo gravi naulo afferri curant, pro peculiari, rariori meliorique tabaco fumigando conſumendæ. O inſignem Germanorum ſimplicitatem, quam non poſſunt quin Batavi irrideant!

§. 4.

Prætereà Materialiſtæ quoque Indiæ Orientalis & Occidentalis tabacum habent. Illud, & quidem Japonenſe, optimum ſuaviſſimumquè, ſimul vero etiam rariſſimum eſt, quoniam ob longnm viarum intervallum moramque trium dierum, quibus ſub Sole navigare neceſſe habent, dicitur corrumpi, auctore *Vielheurio* in *Deſcriptione Mater. Exot. pag.* 133. Inter ſpecies tabaci Indiæ Occidentalis Virginianum, idque craſſum & ſiccum, eſt optimum: cui ſuccedit Braſilienſe nigrum, & digitum craſſum, teſte *Pometo* in *Mater. Muſ. p.* 157. Porrò Canaſterum Tabacum (ut *Marxius* in *Mater. Muſ. pag.* 136. vocat) atque Tabacum medicatum, vulgò *Species-Tabac*, ex tabaco & ſuaveolentibus fumigantibus præparatum, in officinis notum eſt; quemadmodum & *Marxius* memoratus *p.* 198. tabaci catarrhalis meminit, cui theam addit, cujusque libram unam vendit quindecim albis. Indi præcipue quatuor ſpecies habent, Viride nempe & Amazonenſe Tabacum, quæ rotunda habent folia, porro Verinenſe & Linguiforme, longis acuminatisque foliis prædita, de quibus *Malletus Lib. VIII. Coſmogr. p.* 178. pluribus legatur.

§. 5.

Non pauciores ſpecies notiſſimi
PULVERIS STERNUTATORII
apud Materialiſtas & Pharmacopolas inveniuntur, prout vel ex ſimpliciter contuſo, aut granulato tabaco, aut aliis herbis ac floribus conſtat, multifariam coloratur, vel etiam moſcho ac ambra conficitur: cujus varias ſortes, utpote ambratum & moſchatum Tabacum de Pogibonci, ambratum moſchatumque de Franchipane, utrumque cum floribus, ambratum ac moſchatum Melitæum, Hiſpanicum, Tabacum de Neroli &c. habent ac divendunt.

§. 6.

Modus trahendi fumi tabaci pro diverſitate Nationum varius eſt. Indiæ Orientalis incolæ folium inſtar chartæ mercatorum complicatæ, ut ſuperius amplum, infra anguſtum ſit, convolvere, iſtudque ſuperius incendere, & quamdiu fumat oreque teneri poteſt, ſuctione attrahere fumum dicuntur, ſine ullo tubulorum fumiductoriorum uſu. Imo ſugentibus infantibus, poſt ſuctionem, intrudere in os folium perhibentur, quo iſtos trahendo fumo aſſuefaciant, ut ex *Georgio Nicolao Schurtzio Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Mater. pag.* 133. recenſet. In India Occidentali, in Florida Inſula præſertim, parvos canales arundinaceos, aut palmares de collo ſuſpendunt; qui fumum ducant, ut in peculiari *diſcurſu de Tabaco*, in *Libaulti Libr. 2. de la Maiſon Ruſtique pag.* 125. contento, oſtenditur. Turcæ & Chinenſes valde longis tubulis, è multis ſe mutuo ſubeuntibus canaliculis capiteque argillaceo conſtantibus, utuntur: vel loco lignei canalis longo coriaceo, filo ferreo circumvoluto, qui manibus poſſit circumvolvi. Europæi contra albos eosque vel lævigatos, aut vulgares habent canales fumiductorios, de quibus egimus alibi. Hac autem occaſione non poſſum non ſimul in gratiam Dnn. Antiquariorum hîc referre, quod Civis quidam Giſſenus, *Anaſtaſius Schneiderus* mihi retulerit, quod, cum puteum ſibi effodi curaverit, in profundis terræ viſceribus, una cum urna antiquiſſima, fiſtulam, iis quibus Tabacum ſugitur, ſimillimam invenerint, quæ in ſuperiori parte anguſtior erat, quàm in inferiori: qualem & Filius meus natu ſecundus una cum Moneta antiquiſſima prope Giſſam invenit. Quùm verò Tabacum Anteceſſoribus noſtris cognitum non fuerit, diſquiſitionem mereretur, in quem uſum fiſtulæ hæ ab Ethnicis adhibitæ fuerint?

§. 7.

Vi tabacum pollet exſiccante, reſolvente & narcotica: illa à ſale volatili, hæc à ſedante & narcotico oleo proficiſcitur. Mediante ſale ſuo lentam thoraci impactam pituitam diſſolvit: quem in finem confectus exinde ſyrupus, in aſthmate, tuſſi ac ſimilibus commendatus, in quibusdam officinis habetur. Acres quoque catarrhos reſolvit, propterea que iis, qui humidi temperamenti ſunt, præ aliis utile eſt, ſive ejus fumus hauriatur, ſive, ut alii ſolent, mandatur. Oleo ſuo ac ſulphure narcotico inebriat, ejusque uſu Indiæ Vates ante ſe vertiginoſos reddere perhibent, quam futura prædicant, ut prædicti auctores *pag.* 187. *de l' Agriculture* commemorant. Quo ipſo ſulphure omnes quoque dolores, præſertim ſuffocationem uterinam ſedat, ut non ſolum *l. c.* videre eſt, ſed ipſe quoque teſtari poſſum, certam quandam Palatinatus fœminam nulla ferè alia re, quam tabaci fumo, potuiſſe curari. Plures alias iſtius virtutes *Everhardus*, *Magnenus*, *Neander* aliique in peculiaribus libris fuſius deſcripſerunt. Econtrariò etiam alii ejus abuſum ſufficienter oſtenderunt, utpote *Jacobus* Rex Angliæ in peculiari libro, & *D. Sim. Paulli Tr. de Abuſu Tabaci.* Memorabile eſt, Magnum Florentinæ Ducem habuiſſe Eſſentiam Tabaci, qua extemplò columba potuerit enecari, ſimulac filum, iſta humectatum, per unam alam trajectum fuit. Alia Præparata: ▽. ℞, Ungu. cæteraque compoſita videantur apud *D. Ettmüllerum* in *Comm. Schræd. pag.* 616. & *Hoffmannum* in *Clavi Schræd. pag.* 514.

§. 8.

Angli fumum quoque in clyſteribus utiliter uſurparunt, excogitato pro iſtius applicatione peculiari aliquo inſtrumento, quod à *Bartholino* in *Epiſt. & Obſ. Anatom.* ac *Stiſſero* in *Diſput. de Machinis fumiductoriis* delineatum, etiam in *Polychreſtis noſtris Exoticis*, Diſc. *de Clyſtere Tabacino*, datur inveniendum. Ad omnes ventris uterique dolores vehementer conducit, ut & renum ac veſicæ calculum, quando magni dolores ac fere intolerabiles ſunt. Fumus in nares ſufflatus epilepticos excitat.

CAPUT IIX.

DE

FOLIIS SENÆ ET SOLDANELLA.

§. 1.

FOLIA SENÆ oblonga, acuminata & à caulibus ſuis decerpta folia ſunt, ſaporis amari, ſubacris & nauſeoſi, coloris ex flavo viridis. Ex Oriente veniunt, propterea a quibusdam Medicis FOLIA ORIENTALIA dicta.

§. 2.

Planta genuina, Senæ folia proferens, æſtiva eſt, frigoris prorſus impatiens, quæ propterea in calidioribus Europæ locis ante Majum nequit coli, foliaque primo auctumno ob frigus jubet colligi, ut *Th. Tabernæmontanus Libr. 2. Herbarii pag.* 230. ex *Lobelio* aliisque memorat. Inſigniter igitur errant, qui vera ſenæ folia inſtar coluteæ ferunt creſcere, quippe quæ arbor eſt, multosque annos noſtris in hortis durat, id quod *Guibertus* in peculiari *Gallico Tr. de Sena p.* 272. multis oſtendit. Interea diſtinctæ iſtius inveniuntur ſpecies, quarum prior, Sena ſc. Orientalis ſ. Ægyptiaca & Alexandrina, habetur optima. Atque hæc tenues rotundosque caules habet, ut melilotus, pedem atque dimidium altos, oblongis, anguſtis acutisque ac viridiuſculis foliis, utrinque, ad modum liquiritiæ arboris, ſtipatos, qui pallide flaventes flores, rubicundis venulis interſtinctos, & poſt illos depreſſos (non ut colutea veſicaria inflatos) folliculos proferunt, in quibus ſubfuſcum ac cæſium ſemen includitur. Altera ſpecies Sena Italica eſt, priori fere ſimilis, niſi quod breviora, latioraque ac rotundiora folia, nigrumque ſemen habeat, ac priori viribus non accedat.

§. 3.

Hic vero notandum, Orientalem ſ. Alexandrinam Senam iterum eſſe duplicem, unamque & eam quidem optimam habitam, MECHINENSEM vocari, quippe Mechâ per Marſiliam allatam. Longiuſcula, arcta, ſubacuta & craſſiuſcula habet folia, colore viridiuſculo flavedine interſtincto, Gallis *Sene de la Palte*, h. e. SENA DE PALTA vocata, quoniam non ſine magno vectigali (quod Turcæ Palte vocant) Sultano ſolvendo afferuntur, id quod iſta quoque rara caraque facit: niſi ſors ab Inſula Ripalta, Alexandrinæ vicina, ita dicatur, quod fere conjicit *Guido Patini Ep. ſelect. p.* 243. Altera à loco natali SAETTO nominatur, viridibus foliis conſtans, ad priora bonitate non accedentibus, melioribus tamen, quam Italica, commemorante *Marxio* in *Germanico Mater. Muſ. pag.* 271. *Guid. Patini l. c.* eandem vocat Sennam de Seyda, ab antiquo oppido de Sidon, cujus in Sacra Scriptura mentio occurrit. Interim *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues p.* 147. iſta in Italia creſcere ſibi perſuaderi non patitur, ſed Tripoli ex Oriente ſimiliter venire: hancque opinionem inde profectam exiſtimat, quod colutea veſicaria copioſè in Italia reperitur.

§. 4.

Ex prædicta differentia facile nunc judicatur, quænam Senæ folia optima & præ aliis eligenda ſint? Quidam magna lataque ac vere viridia folia pro optimis habent, iſtaque in viſitationibus officinarum requirunt. Enimverò prædictus *Pometus* hos omnes, tanquam verâ notitiâ deſtitutos, cordatè reprehendit, ſimulque teſtatur, integrum ſibi frutículum (cujus delineatio, illic habetur) veræ Orientalis Senæ ex Alepo eſſe transmiſſum, ex quô apparuerit, folia eſſe mediocria, ſubacuminata, ad modum cuſpidis haſtæ oblongæ militaris formata, ſubflava, fortiter olentia, tactuque mollia, quorum etiam magnam quantitatem conſumſerit ac divenderit, maxime à ſtipitibus aliisque quisquiliis probe depurgatorum, id quod in alia ſpecie, optima deficiente, ſimiliter obſervandum. Contra ea fragmenta ac pulvis (quem Circumforanei ſpeciatim divendunt) prorſus abjiciantur.

§. 5.

Quamobrem vero

FOLLICULI SENÆ

prorſus negligantur, quùm tamen multo lenius quam folia purgent, multo etiam me-

lius,

lius, quippe sapore odoreque destituti, assumantur, propterea que à quibusdam clarissimis Medicis *Fernelio, Fallopio, Jac. Sylvio, Guiberto* aliisque Senæ foliis præferantur, non temerè admiramur. Merentur itaque præscribi, modo vere matura perfectaque habeant semina, ipsique non nigri & contriti, sed integri virentes ac recentes sint.

§. 6.

Quod ad usum foliorum sennæ attinet, id certum est, rectè usurpata præstanti valdeque leni purgandi virtute pollere, qua omnes acres, salsos, acidosque & pituitosos humores educunt, in morbis præsertim chronicis valde etiam conducunt. Memorabile est, eos, quos nec fortissima purgantia movent, infuso senato, ut ipse aliquoties vidi, felicius moveri. Interea non nimis istis fidendum, dum miras interdum tragœdias excitant, quemadmodum certus aliquis amicus, is quidem non Medicus, Medicinam tamen temere interdum faciens, in se ipse expertus est, dum non solùm macerata per noctem folia fortiter expressit, sed aliquid etiam pulveris superingessit, unde stomachum usque eo sensit debilitatum, ut quatuor integras hebdomades diarrhœa cum vitæ periculo laboraverit. Eundem ferè effectum Illustris quædam Virgo in se experta est, cui Chirurgus sennæ pulverem dederat. Omnium ergo tutissimum est, ut folia sennæ saltem infundantur, nec fortiter exprimantur, propterea quod tormina cæteræque molestiæ ab lentore, quem continent, oriuntur, ut *D. Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 753. post alios ostendit. Pulvis perrarò præscribitur; & quamvis certus aliquis exinde constans pulvis, pulvis Sennæ Montagnanæ dictus, in officinis habeatur, à nemine tamen adeò frequenter præscribitur. Similiter ejusdem Extractum parvi æstimatur, cujus ʒij fere ex libra una acquiruntur, secundum supputationem *Vielheueri* in *Descript. Mater. Exot. pag.* 157.

§. 7.

Præter folia Senæ alia adhuc purgantium foliorum species in officinis habetur,

SOLDANELLA (*Meer-Kohl, Meer-Winde*)

vocata, quam paucis quoque exponemus. Rotunda folia sunt, acri, salso, simulque sub-amaro, adeoque nauseoso sapore. Ab exigua planta proveniunt, folia aristolochiæ similia habente, præterquam quod minora crassioraque sint. Purpureos campanæ in modum formatos flores profert, ut convolvulus. In Alpibus crescit, circa Oenipontium & Ravensburgum, non minus ac in Austria, Styriaque: folia autem maximam partem ex Italia atque Gallia transportantur, quoniam planta copiosè quoque juxta mare crescit, unde nomen obtinet. Folia recentia & neutiquam lacerata sint, si bona volunt æstimari.

§. 8.

Viribus suis omnes crudos serososque humores per alvum educit, adeo, ut de *Erasti* consilio plantula hæc ne quidem unquam omittenda, quoties hydropicis purgans aliquod præscribitur. In substantia æque atque in infuso usurpatur, de quo *Ettmüllerus l. c. pag.* 754. videndus.

CAPUT IX.

DE

ISATE, LACCA MUSICA, TORNA SOLIS ET SUMACH.

§. 1.

ISATIS, vulgò *Weid* dicta, cœruleus color est, tanquam Indicum, sed multo impurior, terrestrior, valde duris frustis, nucis juglandis magnitudine, allatus, & utplurimum in Thuringia (ubi insignis ejusdem semper mercatura fuit) magno labore præparatus. In Geldria quoque, tractu Juliacensi atque Gallia, circa Tolosam conficitur, sed non tam bonæ notæ ac in Thuringia.

§. 2.

Herba, ex quâ hæc merx conficitur, Germanis similiter *Weid*, Botanicis ISATIS aut GLASTUM, Gallis *Guesde* & *Pastel* vocatur. Longa habet folia, inferius lata, & superius acuminata, flores flavos, latos compressosque accurtos folliculos, in quibus flavum seminis granulum, grano hordei haud dissimile, sed non adeò crassum ac perfectum crescit, è quo sequenti modo colitur: Ager nigrum, pingue ac fœcundum solum habeat, quod ante hyemem, aut minimum tempore Bacchanalium, ulnæ profunditate, arare & occare decet, aut effodere. Hinc semen recens erutæ terræ mandatur, quod noctibus existentibus calidis, inter diem festum Paschatis & Pentecostes, tria aut quatuor folia, ritu trifolii, emittit, donec decem aut plura progeneret. Quæ juniora germina ab herbis inutilibus sæpius depurganda, donec vere excreverint, atque sic eximi possint.

§. 3.

Quâ verò ratione herba colligatur, posteaque

que color exinde præparetur, *Colerus* verboſius deſcribit in *Oeconomia Rurali & Domeſt. Lib. VI. cap. 86. pag. 155. ſeqq.* Scilicet ter quotannis ab radice, auricularem craſſa, & pedis magnitudine ſub terra infixa, acuto ferro, manus circiter latitudine, præſecatur, id quod poſt feſtum diem S. Trinitatis primum fieri ſolet. Deinde ad rivum deportatur probe abluenda, & ſuper viridi ceſpite, ſplendente Sole, per crebriorem ſubverſionem ſine ulla mora exſiccatur, ut tamen aliquid ſuccoſi retineat. Hinc in molis pneumaticis aut aliis minutiſſime molitur, humideque manibus in pilas redigitur, quæ ſuper cratibus in Sole exſiccatæ poſtmodum publicè in foro, ſueta hujus coloris menſurâ, utplurimùm decies ſexaginta pilas continente, divenduntur. Chartæ attritæ ex nigro viridem maculam plerumque relinquunt, qua obſcurè cœrulea exiſtente, pilæ meliores carioresque habentur. Iſtæ pilæ poſtmodum in domibus huic præparando colori adaptatis, ſuper lacunari aſſeribus ſtrato, ulnæ altitudine in acervum aggregantur, ubi ita ſibi impoſitæ incaleſcunt, ac fumant, donec tandem teneræ & extrinſecus albicantes fiant, duritiemque lapidis nanciſcantur, & ad dimidium in ſe coëant. Poſt Michaëlis diem robuſti mercenarii conducuntur, qui magnos pilarum acervos ligneis malleis contundunt diffringuntque, quo fruſta nucis juglandis magnitudine fiant, quæ de integro in acervum congeſtæ aqua irrigantur, tantoque temporis ſpatio ibidem relinquuntur, quoad iterum incaleſcant, aquave fumigando fuerit abſumta. Quo facto acervi magnis ligonibus diffringuntur ac minutim teruntur, id quod tertia vice repetendum, antequam color vere præparatus videri, & à Mercatoribus, in Lipſienſibus aliisque magnis nundinis, divendi poſſit. Iſtum verò in magnis doliis, quorum unum ſex fere orcas ſ. *Tonnen* vulgo, continet, in peregrina transmittunt loca. Unum quodque autem 36. vel 40. florenis Miſnicis dicitur æſtimari, prout color chartæ attritus bonus fuit inventus.

§. 4.

Ab Infectoribus ſ. Tinctoribus màximam partem uſurpatur, quippe quo lanam, laneosque pannos, tibialia & ſimilia tingunt. Eſt enim fundamentum nigri coloris, adeo, ut nigri panni non tam facilè maculas admittant, aut colorem evaneſcere ſinant, hoc ſi prius imbuti colore fuerint. Si quando in ſitula vel cupa infectoria ad inficiendum præparatur, ſpuma eidem inſidet, quam deſpumatam Infectores exſiccant, ſub nomine Florum *Weid-Blumen*, Gallicè *Florée d Inde* aſſervandam. Iſti verò colore eleganter cœruleo Indicum referunt, pro quo etiam ſæpe ab imprudentibus emuntur. Quamobrem *Pometus* in *Mater. Muſ. pag.* 155. non ſine ratione exiſtimat, quod, ſi color hic ex Iſate confectus, ſimiliter atque Indicum, ex herba extrahatur, prorſus ſimilis Indico color exinde præparari poſſet. Quidam ex præparato hoc colore cum aqua fontana gargariſma faciunt adverſus anginam, in principio ſtatim uſurpandum.

§. 5.

Præterea alius adhuc cœruleus color in officinis noſtris & *Materialium Muſeis* habetur,

LACMUS, ſeu LACCA MUSICA

vocatus, plerumque in quadrangularibus & ſubviolaceis fruſtis allatus, Pictoribus alias Turnis dictus, ſine dubio, quod ex herba, Gallis Torneſol nominatâ, conficitur: quæ cauſa eſt, quamobrem etiam Galli iſtum ipſum colorem TORNESOL EN PATE, ou en pierre vocent. Utplurimum ex Batavia & Flandria, ubi præparatur, venit, proptereaque ab Italis PERS DE FLANDRE dicitur, ut *Vielheuerius* in *Deſcriptione Exot. Mater. pag.* 31. ſcribit.

§. 6.

Herba aliàs Heliotropium Tricoccum (*Sonnen-Wende*) vocata, uni cauli increſcit, fere pedis altitudine, diſperſis ramulis, è quibus nigræ molleſque baccæ, ad modum ſolani, proveniunt. Aureos profert flores, & triquetros aſperosque ſubnigros folliculos, in quibus ſemen cinereo colore reconditum eſt, quo mediante herba ſe ipſam quotannis multiplicat. In Gallia Italiaque creſcit. Ex qua Batavi cum urina, calce & ſubcinerea terra, Perelle vocata, certo modo maſſam præparare, iſtamque in parva vaſcula, librarum 30. forte pondere, cogere perhibentur, quam Galli TORNESOL EN PATE nominant. Quæ quum raro ad nos veniat ſpecies, ſed in quadrangula fruſta ſ. placentas formata exſiccataque transmittatur, TORNESOL EN PIERRE vocant, ut *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 157. commemorat. Nobis vulgo LACMUS audit.

§. 7.

Quoniam Lacmus ſiccus multò vilior eſt quam prænemoratus mollis, indeque facile conjicitur iſtum arena aliisque quisquiliis eſſe adulteratum: id demus curæ, quo bonus acquiratur, vere ſiccus, ſubviolaceus, qui chartæ affrictus magis cœruleam, quam ſubrubram maculam relinquat.

§. 8.

Uſus ejus Dulciariis Pictoribusque ad pingendas chartas luſorias resque alias ſatis innoteſcit, quod vel ſola aqua poteſt præparari. Impoſtores Pharmacopolæ, deficientibus violis martiis, coctum pro ſyrupo ſaccharum iſto ipſo tingunt, quem deinde pro vero ſyrupo violarum divendunt, id quod Pharmacopola quidam Gieſſenſis mihi ipſe confeſſus eſt. Ante ſedecim annos in Palatinatu, in officina Grünſtadienſi, magnum vas ſyrupo violarum repletum frangebatur, quem Pharmacopola corradebat,

debat, additâque non spernenda Sacchari quantitate, elegantem syrupum violarum exsuscitabat. En machinarum fraudisque artifices!

§. 9.

Acido huic colori affuso ruber evadit. Quamobrem etiam Lugduni Galliæ non ruber solum color (orseille de Lyon) exinde conficitur, de quo vid. *Pometus l. c. pag.* 157. sed & vulgò ita vocata

TORNA SOLIS

isti originem suam fert acceptam, quam scimus ex longis, angustis, obscure rubris & convolutis linteorum fragmentis constare, iisdemque fructu heliotropii tricocci tinctis. Ex Batavia Galliaque venit, quam verè siccam, non mucidam, succo etiam refertam esse oportet, si bona vult haberi. Frustulum ad faciendum experimentum aquæ inditum isti violaceum, non rubrum, conciliet colorem.

§. 10.

Hæc torna solis eum in finem plerumque usurpatur, ut vino, aquæ vitæ aliisque liquoribus colorem eleganter rubrum conciliemus: Cujus tamen rei *Simon Paulli* aliquem horrorem excitat, quando in *Quadrip. Botan. pag.* 329. scribit, istam sæpe ex laciniis pediculosis fœtidisque constare. Quamobrem vehementer in pincernas ac cellarios invehitur, qui ista mediante potus pro Magnatibus sumunt tingendos, quum ex aliis succis rubris idem habeamus exspectare. Id quod flores papav. err. cerasa similiaque similiter possunt præstare.

§. 11.

Tandem infectores ac coriarii alio adhuc pigmento exotico utuntur, quod

SUMACH s. *Schmack*

vocatur, & ab exoticâ arbore RHUS, SUMAC, Germanice *Färber-Baum* dicta, proficiscitur. Vel ex contusis caulibus ac foliis constat, vel rubris strobilis sive fructibus, quorum figura in principio capitis *Mus. Germ.* sistitur delineata. Duplex est, Portoportensis & Malgensis. Ille color optimus est, odore fragrans & subruber, paucos habens caules, sed multa grana. Hic multos caules habens albus est, propterea; non adeo bonus, ut *Schurtzius* in *Mater. Mus. p.* 101. docet. Optimus est recens & viridiusculus, nigro colori inserviens, vid. *Pomet. l. c.* In Medicina ad sistendam diarrhœam aliosque affectus usurpatur. Strobili autem ipsius arboris conficiendo aceto inserviunt, unde in Palatinatu Germanicè *Essig-Zapffen* dicuntur.

CAPUT X.

DE

HERBIS MUSCOSIS, LYCOPODIO, LICHENE ET PULMONARIA ARBOREA.

§. 1.

SI quid in libro Mundi ac Naturæ reliqūum est, quod Botanicis facessere potest negotium, profectò excrescentiæ sunt, utpote fungi variique musci, arboribus, lapidibus rebusque aliis adhærentes. De fungis doctus quidam Belga, isque Pastor, cui *Sterrebekio* nomen est, valde curiosum libellum, *Theatrum Fungorum* vocatum, linguâ sua vernacula conscripsit, in quo tamen rariores quidam fungi deficiunt. De herbis autem muscosis nemo adhuc dedita opera commentatus est: quæ forte materiam scribendo peculiari tractatui præbere possent sufficientem, si quis id sibi sumere laboris velit. Interea *Zaluzanii* nobis sufficiat divisio, muscum præsertim duplicem affirmantis, angustifolium & latifolium, de quo liber ejus adhuc perrarus, sc. *Methodus Herbaria Lib.* 2. *cap.* 3. legatur.

§. 2.

Prioris ordinis fortasse præcipuus & utilissimus est, quem in Materialium Museis & officinis

LYCOPODIUM,

aliâs verò MUSCUM TERRESTREM CLAVATUM, Germanicè *Beerlapp, Gurtel-Kraut, Sau-Tannen, Schlangen-Moos* &c. vocant, de quo Clarissimus Saxonicus Medicus & Professor, *Dn. D. Wedelius*, haud ita pridem, Respondente *Hannekenio* juniore, perelegantem disputationem Jenæ habuit. Hic muscus multis vitibus super terram serpit, squamosis foliis, abietem referentibus; similes quoque conos squamigeros profert, inter quos non solum reniformes folliculi, semen valde subtile continentes, exsurgunt, ab *Tournefortio Tab.* 326. *Inst. Rer. Herb.* valdè ingeniosè delineati; sed muscus hic similiter semini proprium florem præmittit, à clarissimo Anglorum Botanico, *Morisonio*, propterea muscus perfectus vocatus.

§. 3.

SEMEN LYCOPODII

unum illud est, quod muscum hunc adeo facit celebrari; ex valde subtili levique ac flavente pulvere, flores sulphuris referente, con-

ſtat, ſulphuris etiam naturam imitatur, dum per candelam flatus fulgurat, magnamque flammam excitat: quamvis carbonibus impoſitum non, ſulphuris adinſtar, urit. Spiritum quoque acidum nigrumque oleum ſuppeditat, ſi quando muſcus per retortam cogitur, ſecundum experientiam *D. Wedelii*. Hinc balſamicam naturam habens valde durabile eſt, & ultra 30. annos poteſt conſervari. Principio utplurimum è Polonia Moſcoviaque, ubi *Plaun* vocatur, ſolebat deſcribi: hodie vero ubique in Germania invenitur, ut tempore pacis tota libra uno floreno poſſit haberi.

§. 4.

Ex præmemoratis ſulphureis particulis decantatæ pulveris hujus virtutes oriuntur, quippe qui non ſolum ſudorem atque urinam, interdum etiam alvum, ciere aptus natus eſt, ſed demulcente quoque ac leniente virtute pollet, ob quam contra epilepſiam aliosque capitis morbos, inprimis contra incubum, valde commendatur. Nec dubium eſt, quin in ſcorbuticis nervorum morbis, arthritide vaga, renum ac lumborum doloribus opem præſtet, quâ in re *Wedelius* nobis vult facere fidem, quoniam à clariſſimo *Ludovici* contra ipſum calculum cum fructu fuit uſurpatum. Inprimis hoc ſemen balſamicum, ob vim ſuam ſanantem, in omnibus pectoris morbis, phthiſi, hæmoptoë ſimilibusque conducit, quod *Ettmüllerus* quoque contra hecticam commendat. In Polonia contra plicam Polonicam tanquam ſpecificum uſurpatur, de quo *Miſcell. Germ. Cur. Dec. I. Ann. 2. Obſ. 52.* legantur. Quid vero externè in ſiſtendis vulnerum hæmorrhagiis præſtet, *D. Febrius Tr. de Scorzonera p. 12.* teſtatur. Omnem quoque ſcabiem curat, exulcerationes, eryſipelas, pruritum in locis obſcœnis, præſertim excoriationes infantium. Non minus pulveri pro crinibus poteſt addi, quoniam admodum leve eſt, crinesque à tineis defendit. Ad ignes quoque artificiales uſurpatur, ubi ſaltem fulgurat, nec ullum crepitum edit, niſi contuſa betulæ folia permiſceantur, ut *Olearius Itinerario Perſico*, vernacula ſcripto, *Lib. IV. cap. 25.* teſtatur. Iſto mediante & bombardæ poſſunt exonerari, cujus rei experimentum olim *Erneſtus Pius* dictus, Dux Saxo-Gothanus, præſente *Dn. D. Wedelio*, quadam ductus curioſitate, fieri curavit. Alia compoſita, quæ ex hoc pulvere fieri poſſunt, in prælaudata diſputatione deſcribuntur.

§. 5.

Ad herbas muſcoſas latifolias ſpectant lichen & pulmonaria arborea, quæ exſiccata in officinis aſſervantur.

LICHEN (*Stein-Leber-Kraut*)

propterea ita nominatur, quoniam inſtar lepræ extrinſecus rupibus in profundis ſontibus inſidet; ex latis, profunde crenatis & pinguibus foliis conſtat, inter quæ ſucceſſu temporis exigui caules, ſtellatis floſculis ornati, progerminant, ut ex vulgari figura apparet. Interne ad chronicos quosdam morbos, ab obſtructione hepatis olim deductos, icterum ſcilicet, ſcabiem ſimilesque à Veteribus laudatur: quanquam hodierni Medici, ut *Ettmüllerus* & alii non multum in eo ponant fiduciæ. Externè vulnerum hæmorrhagias compeſcere dicitur, teſte *Hoffmanno* in *Clavi Schræd. pag. 496.*

§. 6.

Quod tandem ad

PULMONARIAM ARBOREAM,
ſ. *Lungen-Kraut*,

alias quoque Muſcum Arboreum vocatam, attinet, ex latis & coriaceis fruſtis conſtat, in annoſis quercubus aliisque arboribus repereundis. Exſiccantem & ſubadſtringentem vim habet, cujus intuitu in phthiſi, à ſuperflua humiditate & catarrhis orta, ac in decoctis pectoralibus internè poteſt uſurpari. Externè ſimiliter ſanguinem ſiſtit, in pulverem tritus & inſperſus.

CAPUT XI.

DE

MOXA.

§. 1.

MOXA variè cæſium lanuginoſumque medicamentum eſt, ante XX. circiter annos ex India Orientali, unà cum longiuſculis & nigris bacillis, exilis culmi craſſitie, in Germaniam allatum, & apud Materialiſtas inveniendum. Hodiè rarò inquiritur, quod partim ſperatum effectum non præſtitit, partim etiam noſtris in regionibus per artem effingitur.

§. 2.

Primus qui ejusmodi ſimplex Europæis detexit, fuit *Buſchoofius*, Eccleſiaſtes Indo-Batavus, qui Moxam, tanquam certum comprobatumque remedium adverſus podagram, in peculiari & Batavorum lingua conſcripto libello, commendavit, varia etiam exempla recenſens eorum, qui iſtius ope à maniâ & epilepſiâ feliciter fuerint curati. Qui libellus quum Dn. *Erico Mauritio*, olim Cameræ Imperialis

rialis Spirensis Assessori meritissimo, transmitteretur, istum continuo cum intimo suo amico, *Dn. D. Scheffero*, Medico Francofurtensi celeberrimô, communicavit, quem hic deinde toti Curiosorum Germaniæ Societati in *Miscell. Germ. Cur. Dec. I. An. VI. obs.* 218. notum faciebat, quibus brevî post *D. Elsholzius* prædicti libelli contenta curabat inferri. Quùm verò postea lis inter Doctores exoriretur, num hoc medicamentum etiam veteribus, inprimis *Hippocrati*, notum fuerit, elegantem de Moxa disputationem Marburgi habuit *Dn. D. Geilfusius*, post Archiater Ducis Frisiæ Orientalis & Professor Franekeranus, qua occasione magis magisque innotuit.

§. 3.

Nunc saltem restabat, ut qualis planta sit, inquireretur, quoniam *Dn. Buschoofius* in libello suo ea de re necquicquam commemoraverat, aut certe tecte scripserat & obscure. Quibusdam aliqua fungi species, cujus ritu creseeret, videbatur, id quod etiam *D. Geilfusius* expressè existimabat. Quùm verò aliis rem accuratius & oculis armatis, s. microscopus, intuentibus, quædam exigua folia artemisiæ, nostrati haud dissimilia, apparerent, Moxam nihil aliud esse existimabant, quam albam, lanuginosam & araneæ haud dissimilem cuticulam, foris in artemisia reperiundam, ab ipsa etiam exsiccata herba, caulibus intus extricatis, præparandam: quemadmodum ejus præparatio à *Dn. Cleyero*, in *Misc. Dec.* 2. *An.* 4. *obs.* 1. ejusque Æmulo, *ten Rhyne*, in *Disput. de Arthrit. pag.* 108. manifestabatur. Quò autem ejus rei acquiratur certitudo, prædictus *Dn. D. Schefferus* eum in finem ad *Dn. Cleyerum*, tum in India Orientali Societatis Indicæ Medicum, mittebat literas, num hæc Moxæ ratio sit: qui eam ingenuè confitebatur, ut ex ejus responsione in *Miscell. Germ. Dec. II. Ann. IV.* apparet. Hinc & ego motus, ut peculiarem *de Moxa & Podagra epistolam* ad prædictum *Cleyerum* in Bataviam Novam, & quidem in Insulam Bantam scriberem, quam tum etiam Lugduni Batavorum vivens typis imprimi curabam; in eô autem fortuna mihi fuit adversa, quod duplex ejus responsio, quam per *Dn. D. Kæmpferum*, tum temporis domesticum suum, ad me exarari curavit, unà cum rariis conchis, rebusque aliis curiosis, naufragio interierit, ut prædictus *D. Kæmpferus* ex India redux, coram testatus est. Quum nunc rei haberetur certitudo, *Dn. D. Wedelius* Jenæ ostendit Indorum Moxa nos bene carere, contraque Moxa Germanorum idem præstari posse, quod hucusque ab exotica speraverant, dum alii vulgari lana, gossypio, rasa fomite s. fune igniario militum, similique istius loco uterentur; qua de re vid. *Miscell. Germ. l. c.*

§. 4.

Quod ad usum fructumque Moxæ attinet, acuminati oblongique pastilli, candelis fumalibus similes inde præparantur, qui in mania & epilepsia capiti, in chiragra & podagra manibus pedibusque applicantur, (ut figura in *Polychrest.* nostris *Exoticis* & *Diss. Epistol.* Lit. A. B. C. D. ostendit) fragranti bacillo Lit. C. accendendi, quô facto, sine notabili dolore, crusta muritur, hincque dolor aut morbus continuo remittit. Interea omnes circumstantiæ, in vulgaribus cauteriis (præ quibus Moxa, judicio *Sydenhamii Tr. de Podagra*, nihil peculiare habet) observari solitæ, & hic debent attendi. Moxa vero in arthritide frigida, ab aquosis ac pituitosis humiditatibus exorta, magis locum invenit, quam ubi inflammatio aut rubor in articulis deprehenditur: quo sane in casu periculum excitare posset non parvum; id quod à celeb. Medico *Dn. D. Joh. Daniele Horstio* in quibusdam præcipuis personis fuit observatum. Qui vero caute usurpare norunt, remedium hoc sentient minime rejiciendum, quippe quod *Dn. Temple*, Illustris quidam Nobilis, in se ipse bonum expertus est, ac propterea in peculiari *Tract. Essay du Moxa contre la goutte* vehementer commendavit, vid. ejus libellum: *les Oeuvres melées de Monsr. le Chevalier de Temple Tom. I.* Reliquos Moxæ usus eleganter ex Indorum doctrinâ enarrat *Dn. D. Kæmpferus in Amœnitat. Exot. Fascic. III.* cujus verba ita se habent:

Moxa, præstantissima Cauteriorum materia, Sinensibus Japonibusque multùm usitata.

§. 5.

Asia, quousque ad nostros antipodes extimumve Orbis terminum extenditur, tribus dotata est Heliconibus, Arabum, Brahmenum & Sinensium: ex quibus scientiarum artiumque promanavit, quicquid est inter vasti Orientis populos. Hi verò cœlo, linguis, moribus, religione distincti populi, licet pro diverso, ex quo erudiuntur, Helicone, alia atque diversa foveant Artis Medicæ (ceteras non attingo) principia, præcepta, materiam & medendi methodos, nihilominùs tamen, cùm in morborum causas inquiritur, uno ore singuli ad tribunal subindè flatus & vapores provocant, ut tantùm non videantur cum *Coo* nostro *Lib. de flat.* dolores & affectus quoscunque flatibus acceptos referre, quos asserunt nunquam tolli posse feliciùs, quàm cauteriis, igne actuali, ut loquimur, inurendis. Igne verò, an ferri candentis? Equidem junctam Vulcani Martisque vim experiri in humana machinâ sævitiam reputant, uti supervacaneam & inutilem, ita verò indignam rationali Medico, cui urendo non alia debeat esse intentio, quàm ut impactam doloris materiam resolvat, vel in flatus jam resolutam excludat & in auras evocet. Malunt igitur tardè glisscentem, remissè ustulantem, atque, ut verbo dicam, ejus indolis ignem adhibere, qui inclusam morbi causam, mediante salis aperientis virtute, lentè tutòque evocet,

quàm qui ſtringente ac rodente armatus vitriolo, cutem carnemque crudeli impetu exedat. Iisdem nixi rationibus priſci Arabum, Ægyptiorum & Græcorum Medici, à quibus medendi artem Europæi accepimus, ferro rubenti, fungos accenſos & ignitas præferre ſtruthii & ariſtologiæ radices viſum eſt: aliis eorum ſulphure candente placuit, fuſisque buxeis oleo fervente tinctis, corporis vitia domari. *Mercatum* videant, *Pr. L.* 4. *c.* 1. *pag.* 162, & ex recentioribus *M. A. Severinum*, qui varietatem materiæ cauſticæ & modos urendi apud antiquos ſcire deſiderant. Ego hic Aſiaticorum tantùm cauteria referam, noſtro tempore uſitata.

§. 6.

Arabes, &, qui horum ſcientiis imbuti ſunt, Perſas & Mogoles Indos Mahammedanos, ignis fomitem in urendo non alium expetiiſſe vidi, quàm pannum goſſypinum, Iſatide ſeu glaſto tinctum, Gallicè *Cotton bleu:* hunc in cylindri figuram, ad ſeſqui pollicaris diametri craſſitiem, & longitudinem geminæ unciæ quàm arctiſſimè obvolutum, in locum amburendum dirigunt, & incenſâ ſummitate gliſcere ſenſimque depaſci ſinunt, donec in favillam totus cylindrus deflagraverit. Uſtio hæc, longâ & pene intolerabili morâ abſolvitur: durat enim horæ quadrantem, interdum longiùs, antequam deflagret intenſi ardoris fomes: qui altè adeo ſubjectam carnem depaſcit, ut aliquando inſanabile ulcus inde remaneat: quale mihi ſanandum iis regionibus oblatum eſt aliquoties, ſordidum & mali moris. Uſtione factâ, ampliùs nihil negotii incumbit Chirurgo, quàm ut ſtigma inungat quotidie, & ſeparatâ eſcharâ ad ſuppurationem promoveat. Credo uſtionum cruciatus & longa incommoda obſtare, quo minus populares re ipsâ res æquè inſtituant frequenter, atque earum uſum in ſcholis ſcriptisque ſuis prædicant & inculcant. *Glaſtum* nominavi: ejus liquore Arabs materiam cauterii inurendi imbutam poſtulat, hunc ignis virtuti momentum conferre perſuaſus, opinione non ex vano hauſtâ, ſed ex populari, ut ſibi videtur, & longâ ſeculorum experientiâ. Si credimus, quod vulgus Europæum ſpondet, fumante & naribus admoto linteo illo, quod ſuccô glaſti tingitur, Epilepticorum, quos Dæmoniacos vocamus, feliciùs diſcutiuntur paroxyſmi, quàm lintei albi, vel cujusvis alius rei ſuffitu. Certè in Indiis Chirurgi neutiquam perdidiſſe operam experti ſumus, quando tincta Iſatide linteamina in fotu (ſic in Chirurgiâ loquimur) & obligatione partis inflammatæ, ceteris pannis antepoſuimus.

Brahmenes, quos Græcia Gymnoſophiſtas vocat, Indorum gentilium Sapientes, Theologi & Medici, tum qui ex eorum inſtitutis ſapiunt, gentiles ceteri, non unius, ſed varii generis cauteria pro morborum diverſitate parant. Latitantes enim cauſas, ajunt, & morbi cujusque indolem non unius eſſe generis; proinde unam eandemque ignis materiam affectibus promiſcuè omnibus nequaquam congruere: eligendam eſſe, quam genio morbi cujusque aptam natam experientia docuerit. Varietatem verò illam exploraſſe peregrino mihi datum non fuit. Clavum quis Herculi prius excuſſerit, quàm à zelotypis iſtis Doctoribus ſecreta artium exploraverit. Vulgatiſſimum illorum cauterium eſt (cetera rarioris uſûs ſunt) medulla *Junci*, ibidem in paludibus germinantis, cujuscunque varietatis ſit, perinde eſt, modò ſcirpo creſcat craſſiore. Hâc oleô Seſami, quô agri abundant, leviter imbutâ, uſtionem cutis humanæ vulgari modo inſtituunt. Vidi Malajos, Javanos, Siamenſes, nî fallor & alias his vicinas Nationes eandem hanc medullam in cremando adhibuiſſe.

Trans Gangem progrediens nobiliſſimum ſanè omnium & uſitatiſſimum ignis fomitem invenio apud Sinenſes & Japonios. Hôc fomite, referunt, ante ipſius Medicinæ inventionem & omnem aliam Chirurgiæ notitiam, temporibus admodum priſcis, celebratam cauteriſationem fuiſſe, atque inde uſum ejus per longam ſeculorum ſeriem ad ſe demum dimanaſſe. Stupam hanc virtute ac vetuſtate præſtantiſſimam, ſub communi appellatione *Moxæ*, non modo Sina domeſticam habet, ſed omnes Sinenſium literis & doctrinâ eruditæ nationes, Japonii, Coræenſes, Quinamenſes, Luconienſes, Formoſani, Cocincinenſes, Tunkinenſes, jam olim pro cauteriis ſub eodem nomine adoptarunt. Ejus hiſtoriam cum hôc loco proponere ſit inſtitutum, ignoſcet Benevolus Lector, quòd pro Sinicis vocabulis, magis Illi fortaſsè deſideratis, Japonica infero. Hæc enim Sinicis faciliora ſunt, & mihi notiora, qui hâc gente familiariùs diutiusque uſus ſum.

§. 7.

Moxa lanugo eſt, ſive ſtupa mollicula, coloris cinerei, concipiendo igni aptiſſima, eoque admiſſo moderatè gliſcens, ſcintillâ minùs conſpicuâ, ardore temperato, progreſſu lento, donec in favillam tota depaſta ſit. Conficitur ex artemiſiæ vulgaris (latifoliæ) adhucdum novellæ foliis exſiccatis, longo tempore in aëre ſuſpenſis & obſoletis; colligitur verò ad Moxam eliciendam artemiſia non omni promiſcuè tempore, ſed iis tantùm diebus, quibus, ex Aſtrologorum ratiocinio, cœli benignitas eandem aſtrorum virtute quàm maximè fœcundavit. Sunt illi v menſis quinti dies primores quinque, *Conguatz goo nitz* Japoniis dicti, incidentes in Calendarii Gregoriani menſem Junium, rarò in exitum Maji. Ducunt enim anni auſpicium ab eo novilunio, quod proximum eſt medio tempori inter brumam & æquinoctium vernale. Exſcindenda eſt multo mane, rore nocturno madens, & ad faciem domûs occidentalem libero aëre ſuſpendenda diu, dum ſatis exſiccata fuerit; ſic ſervanda eſt in ſummo pavimento & lanugo

ex

ex illâ eò nobilior & tenerior ſperanda, quò magis obſoleverit; unde non deſunt, qui herbam ad decennium usque reſervandam curant. Novellam hanc Artemiſiam Japones *Futz*, Plantam adultam atque perfectam *Jamógi* appellant. Nam, quod obiter infero, ſicut ſolenne eſt in utrâque natione, ut maſculus quisque nomen ſuum mutet, tum provectior ætate, tum novam conſecutus dignitatem; ita quoque plantarum appellationes, (ut res ceteras taceam) ſecundùm perfectionis gradum & uſûs diverſitatem, perſæpe variant: quod ipſum rebus quidem diſtinctionem & lucem egregiam parit, memoriam verò maximè obruit. Præparatio Moxæ nullo artificio abſolvitur: Tunduntur primùm impigro piſtillo folia, ad mollitiem rudioris ſtupæ: deinde utrâque manu agitantur & fricantur aſſiduè, ut priori contuſione jam attritis decedant duriores fibræ & recrementa membranacea: quibus excuſſis, remanet deſiderata illa inſignis teneritatis homogenea & puriſſima lanugo, quâ tenellam Regii nominis Artemiſiam præ ceteris herbis ditare natura ſtuduit.

§. 8.

Non eſt hujus lanuginis exuſtio ullâ ex parte homini terribilis: nulla enim oculos incurrit ardentis elementi ſpecies, ſed gratioſus ſtupæ tantùm gliſcentis halitus nares laceſſit; nec dolor valde moleſtat, ſicut ex cæteris auteriis evenit, niſi fortè à conis illis, quos Japones *Kavva kiri*, ſeu cutis ſciſſores vocant, id eſt, à rotundis primis tribus, eodem loco alternè deflagrantibus: à quorum ſimilitudine impoſita ſibi à novis Rectoribus onera obſequioſum vulgus per patientiam *Kavva kiri* nuncupat, eò quòd principio dura ſint, aſſuetis deinde vix moleſta. Centies vidi ipſos pueros uſtionem promiſcuo corporis loco admiſiſſe, citra ullum doloris geſtum. Urunt enim indiſcriminatim infantes & ſenes, divites & plebejos, mares & fœminas: parcunt tantùm gravidis illis, quæ uſtioni non admodum aſſuetæ ſunt. Uſtio autem artemiſialis vel ad morborum præſervationem, vel ad curationem inſtituitur. Ad præſervationem cumprimis eam commendatam volunt Medici, & ſanos potiùs quàm ægrotos uſtulandos jubent: ſicut enim, ajunt, materiam medicam morbi præſentis, ita futuri pharmacum eſſe cauterium. Qui igitur in extimo Oriente ſuæ valetudini proſpiciunt, ii uri ſe ſingulis curant ſemeſtribus. Ea conſuetudo adeo religioſè viget, ut etiam hominibus æviterno carcere damnatis prodire permiſſum ſit ad moxiburii fruendi beneficium. Præſervativa uſtio rotundis in eodem loco abſolvitur parvulis & paucioribus: curativa verò plures requirit, easque grandiculas, ſi vapores ex profundo latice evocandi ſint.

In quibus verò morbis Uſtio locum habeat, ſi quæris? reſpondebit tibi Sina cum Japoniâ: in omnibus promiſcuè, in quibus vapor detentus continui ſolutionem, dolores & actionis læſionem pariet; quo ipſo pene omnem morborum ſyllabum ad moxiburii rogum provocat, qui eos ardore ſuo, ipſo Sole ſucceſſum indies ſpectante, brevi morâ exurit. A vicinis edoctum clima Nigritarum, quod Tropicis includitur, ejusdem Moxæ virtutem prædicat, cujus incendium celebrare non ita pridem cœpit: ſtupis etiam majoribus, ac ipſi ſolent auctores, vitia corporis oppugnans, ſiquidem id contumacior affectus, & ratio recluſæ arctiùs materiæ poſtulaverit. Adverſus Arthridem & ejus progeniem Podagram Schiaticamque quid valeat Moxa, id non ita pridem Coloni Batavi in Indiis exploraverunt. Frangit hic ignis impacta perioſteo Rhenani tartari ſpicula, ac in Schiaticâ ceterisque defluxionibus arthriticis ſtabulantem circa oſſium cava lympham acrem diſſipat, ſed largiore ſtupâ & maturè ſatis illatus, priusquam flatu nimiùm expanſas membranas ac muſculos divulſerit; hôc enim diſcidiô lacerata vaſa capillaria replent interſtitia effuſis humoribus & tragicos abſceſſus pariunt, nequaquam niſi ferri acie ſolvendos. Verùm enim verò in calente cœlo, non æquè feliciter in noſtro, ſuccedit cauſtica curatio. In illo corpus eſt magis permeabile, fluidior eſt materia, pori ſunt patentiores, laxiores muſculi ac membranæ. Adde, moxiburio dolores ſedari quidem, minimè verò eradicari: ſedari autem eo loco, quò, flagrante ſtupâ, ſpicula evocata ſunt, vel ipſum perioſteum crematum eſt, ne ſentiat ampliùs, cùm aliis partibus dolores deinde redeant. Nunquam redituros promittunt Brahmenes, ſi poſt uſtionem, ex præſcripto eorum, omnis potus, fermentationis beneficio productus, (quales ſunt vinum, cereviſia & inebrantes ſpiritus) ſimul atque omnis generis carnes, ex menſa ad Anticyras relegentur. Hæc enim novas ſuppeditare ajunt eruditates, quæ cum ſanguinis motu ad crura prolapſæ in perioſteo hoſpitium reperant. *Buſchofius* igitur, Rev. Batavienſium Paſtor, nimium quantum Moxam popularibus Europæis commendavit, velut Podagræ infallibilem domitricem; vereor enim, ne in Germaniâ plerorumque hæc fiduciam fefellerit, de quo non injuriâ conqueſtus nuper eſt inclytus Giſſenſium Profeſſor, *D. Valentini*, Collegii Curioſorum in Germania Adjunctus, in Epiſtolâ typis impreſſâ ad Cl. Cleyerum, (me huic Cleyero præſente redditâ) doctiſſimâ illâ, ut ſunt Clariſſimi Viri omnia. In Epilepſiâ & chronicis quibusvis affectibus capitis, vicini Nigritæ magis, quàm ipſi Sinenſes à moxâ ſolatium reperiunt, totam futuram coronalem longâ & largâ ſtupâ exurentes, unde ſanitas aliquando reparatur à Medicis deſperata.

§. 9.

De loco autem proprio, qui ſingulis in morbis, ſive curandis, ſive præcavendis, inuri debeat, multùm inter pyroſophicæ chirurgiæ

Doctores controvertitur: superstitiosè sæpe & in vanum! Nam cùm unusquisque experientiâ, quod ait, suâ vel Magistri fretus, loca alia atque alia indicet, exigua pars corporis remanet, quæ non in eodem sæpe affectu, collectis singulorum sententiis, inustioni pateat. A receptioribus tamen locis, quæ ab antiquitate tradita novit, ac typis in tabellâ expressa possidet, rarenter vulgus digreditur. Major occurrit vanitas in electione temporis, quo hanc vel illam corporis partem inurere ab astris permissum, vel vetitum esse creditur. Omnem enim Doctores ab ustione diem & horam respuunt, quâ partem alioqui salutariter in præsenti aliquo affectu inurendam siderum spiritus, ut illi philosophantur, imprægnaverit: adeo, ut si quis singulorum interdictis morem gesserit, urendi tempus raro inveniat. Cynosura in locali electione ea est, ut loca illa urantur, per quæ commodissimè vel evocari vapores, vel revelli materia peccans ab affectâ parte valeat: illa verò ustores sibi ad unguem nota ajunt ex antecessorum traditis, dum suæ insuper experientiæ fulcris gloriosè incedunt. Nullam ego corporis partem vidi Moxiburnis magis affligi quàm dorsum, utrinque prope spinam, ad lumbos usque. A carnifice excoriata jurares terga antipodum, & maximè Japonica, tot illa in utroque sexu stigmata referunt & profundas ulcerum cicatrices: sed quæ, opinione gentis, nihil derogant pulchritudini. In proclivi namque est, præsertim Japonibus, nudare thoracem, etiam leve opus aggredientibus, demissis scilicet tunicis, quousque femori colligantur, ne eas, exsors indusiorum natio, sudore contaminet: sic in utroque sexu publicum in conspectum cicatrices veniunt.

§. 10.

Ipsa ustio citra artificiosam ἐγχείρησιν hôc modo instituitur: Stupæ artemisialis portio exigua primoribus digitis rotatur in conum, cujus altitudo solet esse pene uncialis, latitudo baseos paulò minor. Conus loco amburendo imponitur, salivâ, si placet, sub basi illitus, quò adhæreat. Tum fastigio scintilla infertur, ope bacilli sive virgulæ cujusdam ardentis tenuissimæ, quam Japones *Senko* vocant. Illatus igniculus turundam brevi morâ depascit, subinde instaurandus incendio novæ turundæ, in eôdem loco reponendæ, donec intentioni suæ vel artis præscriptio satisfactum judicaverit is, qui ustionem dirigit, vel ipse perficit. Vocatur hoc genus Chirurgorum *Tensasj*, i. e. tangentes, seu καὶ ἐποχὴν, tactu penetrantes, quia locum stupæ damnandum digitô investigant. Virgulæ ardentes sunt illæ ipsæ, quibus accensis pagani Monachi idolis litant, simul ac in templis horas devotionis suæ metiuntur, perinde, ut in castris moras excubiarum dividimus stupâ militari; parcè enim gliscunt & tardè depascuntur, sed odore, quem exspirant, fragrantissimo. Conficiuntur ex mucoso admodum cortice arboris *Taab* seu *Taab no ki*, i. e. Lauri Japonicæ sylvestris, arborum, quas fert regio, vastissimæ: huic cortici in pulverem contuso permiscentur lignum Agallochi, vel ejus resinosa & multò carissima particula *Calambàk*, &, pro elaboratoris cujusque placito, fragrantia quævis alia, in pulverem pariter redacta. Mistura hæc, additâ aquâ, in pulpam spissam redigitur, & manibus diu satis subacta, vasi inditur multis foraminibus rotundis perforato, & superposito pondere valido aggravatur: sic per foramina subtus pervadunt bacilla, culmo avenaceo tenuiora, quæ asserculô subinde excipiuntur, in umbrâ exsiccanda. Hæc bacilla deinde pro candelis fumantibus officinæ recipiunt, quorum chartæ involuti fasciculi in prædictum usum prostant venales. Verùm, hæc ignipotentis Chirurgiæ supervacanea sunt supplementa, & saltem ad operationis splendorem, nihil ad rem ipsam faciunt. Sufficit, quod vulgus facit, accensâ festucâ vel virgulâ quadam ignem intulisse. Ipsum artis negotium repositum est in notitiâ urendi loci, cuivis morbo convenienti. Ille verò, etiamsi ad evocationem vaporum, (nam hæc sola ustoris intentio est) Europæo judicio, aptissimus videatur, qui parti affectæ proximus est, plerumque tamen ab ustoribus eligitur alienus, & sæpe nullo nexu, in Anatomiâ cognito, laboranti parti consentiens, nisi communi involucro universi corporis. Certè, uti nobili cuidam Lithuano res videbatur absurda clysma immitti podici, cùm laboraret capite: ita non minùs præstigiæ videntur advenis extemporanei succensus ex artemisiali cauterio, parti & loco alieno & neutiquam dolenti imposito. Uruntur cum successu scapulæ in stomachi cruditatibus, pro excitando appetitu: Uruntur spinales vertebræ, pro sopiendis in pleurâ laterum compunctionibus: Uruntur pollicum adductores musculi, pro levandâ ejusdem lateris odontalgiâ; ut cetera taceam. Ecquis tam Lynceus sit Anatomicus, qui hîc demonstrare specialem possit vasorum conspirationem?

§. 11.

Ustionis regulæ sunt & requisita varia, cum de loco corporis & urendi tempore, tum de numero stuparum, situ corporis, diætâ patientis, atque aliis circumstantiis. Inter prima & generalia præcepta sunt, quæ sequuntur: Tendines cum arteriis & venis, quantum possibile est, in urendo vitandi sunt, securitatis causâ non visu solum, sed tactu priùs ab Ustore explorandi. Quem quisque situm corporis tenet, dum urendus locus indigitatur, eum, dum uritur, servare debet, seu sederit antea, seu steterit. Ustulandus humi consideat, reflexis in crucem pedibus admotisque palmis ad utriusque lateris malam; nam hic positus musculos & interstitia explicat, & nativo situi embryonis maximè respondet. Cruribus urendus sedeat in subsellio, pedibus demissis & aquæ calidæ immersis; quoniam exhalatio-

halationes, partibus à caloris fonte remotioribus arte promovendæ ſunt. Illi, qui ſunt imbecillis naturæ, ſingulis in locis tantùm tribus cauteriis urendi ſunt: robuſtiores verò ſtupis decem, viginti & pluribus, pro conditione mali. An turundas plures diverſis locis ſimul, an alternè oporteat incendere, id nullâ artis regulâ, ſed ſolâ tolerantiâ patientis, & uſtoris otiô definitur. Poſtridiè à celebratâ uſtione ac diebus proximis Operator ſtigmata inſpiciat, quæ ni ſuppuraverint, ſed ſicca appareant, malum id judicet, & debilis naturæ indicium: Hoc caſu impoſitis cœpis contuſis ſuppurationem promoveat. Hæc paſſim ex orali communicatione artis pyrotechnicæ Chirurgorum.

Regulas urendi ſpeciales exhibent Tabulæ Sinico-Japonicæ, typis impreſſæ, (quarum hic unam ſubjungo, à me, quantum indoles rhythmorum & Philoſophiæ Sinicæ patitur, Latinè redditam (quæ adjunctis Iconibus, in quibus uſtulanda ſingulis in morbis loca indigitantur & propriis deſignantur nominibus proſtant venales, cùm apud Librarios, tum apud circumforaneos Medicos, qui eas in viis publicis & nundinis decantant, ut Chirurgiæ hujus ignaros invitent ad emendam parvo pretio chartam, quæ prolixæ artis præcepta compendiô doceat. Typo curſorio textus proponitur, communi & in parentheſi qualiscunque explicatio mea:

Kiu ſju Kagami, i. e. Urendorum locorum Speculum

Methodum urendi ſiſtens, certis propoſitionibus (rhythmis) *ineluſum, ex quibus totum urendi negotium unicuique pateſcat:*

1. *In Cephalalgiâ, Vertigine, Lipothymiis, Dsĕoki*, (Dsĕoki eſt Phlegmone faciei, & vernacula ſcorbuti proles, quam qui fovent, ex levi causâ, velut ex balneo, crapulâ, motu nimio, faciei & ſæpe totius capitis tumeſcentiâ & ardore corripiuntur. Non rarò Ophthalmiam habet pediſequam) *& ex ejus frequenti inſultu contractâ oculorum caligine: in doloribus ſcapularum cephalalgiæ pediſequis: in aſthmate & difficili pectoris ejectione bonum eſt inurere corporis humani locum illum, quem KOKO nominant.*

2. *In morbis infantium, præſertim ventris tumiditate, diarrhœa, appetitu proſtrato, ſcabie & excoriatione narium: Item in Nyctalopiâ adultorum hominum, locus SJUITZ ſeu undecimæ* (ſcil. vertebræ) *ab utroque* (12 vertebræ) *latere uritor*, 15. *vel* 16 *ſtupis, ſervatâ diſtantiâ inter duo hæc inurenda loca unius & dimidii SUN* (i. e. unciarum, ſive transverſorum digitorum circiter duorum vel trium.) Nota 1. Locus *Sjuitz*, i. e. undecimæ, nomen habet à numero vertebræ, ad cujus utrumque latus urendum eſt, incipiendo numerare à colli vertebrâ quartâ, videlicet illâ, quæ ex ceteris protuberat, dum caput ad pectus decurvatur. Sic in reliquâ vertebrarum deſignatione ab eâdem ſimiliter incipiendum eſt numerare. Nota 2. *Sun* menſura longitudinis eſt, quâ in regno utimur: alia longior, quâ Mercatores, alia paulo brevior, quâ fabri & artifices utuntur. In urendo autem neutrius ratio habetur, ſed menſura unius *Sun* petenda eſt à longitudine ſecundi articuli, in medio digito cujusque perſonæ, in quâ uſtio celebranda venit, utpote quæ ejusdem corpori proportione reſpondet.

3. *In Sakf* (i. e. in dolore abdominis chronico, per intervalla ſuboriente) *in Senki* (i. e. in dolore colico endemio) *in Subakf*, (i. e. in torminibus inteſtinorum à lumbricis) *utrinque ab umbilico urito, ſpatio duorum Sun; vocatur ille locus uſtionis, TENSU.*

4. *In menſium tum ſuppreſſione, tum immodico fluxu, pariter in fluore albo, in hæmorrhoidibus ac hæmorrhoidalium ficuum ulceratione, in Tekagami* (i. e. in dolorificâ gravedine, ſive coryzâ chronicâ & per intervalla redeunte) *urendus eſt locus KĬSOO no KITZ, ab utrâque parte, rotulis artemiſialibus quinque. Ut locum invenias, ab umbilico per rectam lineam deſcende quatuor Sun, inde utrobique recede ad latera quatuor Sun, ita ut inurenda puncta intercedant octo Sun.*

5. *In difficultate pariendi, tribus ſtupis urito extremum apicem minimi digiti in pede ſiniſtro. Extemporale eſt promovendi partûs remedium.*

6. *In defectu lactis, nutricibus in pectore medius inter mammas locus urendus, pilulis quinque.*

7. *In Arthritide ac Schiaticâ, tum in dolore crurum, pariter in ſtrangurià, inter femora urito, ſpatio trium Sun ſupra genua* (in loco fonticulis dicato) *ſtupis circiter undecim.*

8. *In inflato ventre, in ejusdem dolore, in cardialgiâ ex Diariâ febri ortâ, in cruciatibus ventriculi & appetitu proſtrato, ſupra umbilicum ſex turundis urito. Locus ambuſtionis diſtantiam quatuor Sun ab umbilico habeat in rectâ lineâ.*

9. *In coxarum genuumque dolore, in laſſitudine & debilitate crurum, imò verò, in omni artuum & totius corporis languore, FUSI inurendus eſt.* (*Fus* locus eſt in utroque femore, quem medii digiti apex attingit, dum brachia extenſis manibus in naturali ſitu dependent.)

10. *Qui dura habent hypochondria; tum qui frigido horrore & febrium putridarum recidivis infeſtantur, SEOMON locum inuri ſibi curabunt.* (*Seomon* locus eſt proximus ſub ultimâ coſtâ ſpuriâ utriusque lateris, cujus inuſtio dolorem infert tantùm non tolerabilem. Scriberem *Schomon* vel *Sjomon*, niſi in pronunciatione Japonica ĕ breviſſimum ſubaudiretur.)

11. *Gonorrhœæ medebitur, qui in medio JOKOMON artemiſiam exuſſerit.* (*Jokomon* locus ſupra pubem proximus eſt, & inter umbilicum & pudenda medius.)

12. *Qui catarrhis, hæmorrhagiæ narium, aut vertigini obnoxius eſt, is auxilium expectabit ex*

loco

loco FUUMON 50. ad 100. usque turundis (eodem loco ſucceſſivè) *inuſto.* (*Fuumon* eſt regio oſſis ſacri.)

13. *Qui ex ano propendulos, vel dolentes habet ficus, is unicâ ſtupâ uritor, trium Sun diſtantiâ ab oſſis coccygis extremitate.* (Dolet acerbiſſimè!)

14. *In procidentiâ ani, ipſum os coccygis uſtulato.*

15. *NINDSIN* (Siderum ſpiritus) *verno tempore circa nonam vertebram habitat; idem æſtate vertebram quintam, autumno tertiam, hyeme decimam quartam & utramque coxam occupat; unde prædictis temporibus hæc loca neutiquam urenda ſunt.*

16. *Quatuor anni vertentis temporibus, nec in SEOMON, nec circa decimam quartam vertebram uſtio celebranda eſt: tantum enim abeſt ut illo tempore inſtituta proſit, ut potiùs morbos augendo vel concitando maximè noceat.*

17. *Pluviosâ, humidâ vel æſtuosâ tempeſtate, etiam die gelido, ab omni in univerſum uſtione abſtinendum eſt.*

18. *Triduo ante uſtionem, & ſeptem diebus ab eâ celebratâ, à concubitu abſtinendum eſt.*

19. *Ira exaſperatus ne uritor priùs, quàm ſedato ſpiritu. Feſſus, aut à gravi labore ceſſans, non illico urendus eſt. Idem judicium eſto de homine eſuriente, & cibo nimiùm oppleto.*

20. *Sáki* (potus eſt vernaculus, pinguis, ſpirituoſus, ex oryzâ coctus) *ante uſtionem bibere malum, celebratâ, bonum & ſalutare, quia ſpirituum & ſanguinis circulationem promovet* (ſciunt enim ab antiquis temporibus circulari humores: vias modumque ignorant.)

21. *Sciendum omnino ac probè cavendum eſt, ut intra triduum ab inſtituta inuſtione balneum aquæ dulcis ingrediaris* (hujus, & præſertim balnei vaporis dicti, Japonibus quotidianus uſus eſt, quo virus Venereum credo indies expelli, alioquin totam nationem perditurum.)

22. *Pharmaca morborum curationibus, uſtiones præſervationi dicata ſunt. Proinde etiam paneratice ſanus Menſe ſecundo,* (Martio) *& octavo* (Septembri) *uſtionem in corpore ſuo admittat.* (Dies uſtionum & felicis ſiderum influxûs notantur in Calendariis.)

23. *Uſtulaturus explorato pulſum: qui ſi debito celerior fuerit, conſultè agendum eſt, quoniam catarrho laborat.*

24. *Qui urere vult, is uſtionis loca, ſecundum SAKV & SUN menſurata, ſignabit. Menſuram SUN petet à medio articulo medii digiti: viro quidem in manu ſiniſtra, fœminæ in dextrâ.*

25. *Quæcunque* (fœmina) *ſeſe immunem à conceptione præſtare cupit, illa umbilicum tribus uſtulabit artemiſialibus turundis.*

26. *Quæcunque* (fœmina) *prolis cupida ſterilitatem arcere amat, illa ad latus vertebræ vigeſimæ primæ undecim turundas utrinque exurito.*

CAPUT XII.

DE

FLORIBUS BALAUSTIORUM ET MALO PUNICO.

§. 1.

QUanquam Materialiſtæ flores æque ac fructus Mali Punicæ habeant, bini tamen non ab eadem veniunt arbore, ſed mala ſ. fructus ab hortenſi, flores vero à ſylveſtri malo punica, dum hortenſis, flores CYTINI alias dicti, non æque atque ſylveſtris durant, teſte *Pometo* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 180. Sylveſtris. flores in officinis vulgo

FLORES BALAUSTIORUM

audiunt, ex eleganter flammeis probeque ſiccatis roſis conſtantes, à malo punica ſylveſtri (quam BALAUSTIUM vocant) orientes, qui partim ex Oriente, Carthagine ſcil. partim ex Italiâ, Hiſpaniâ aliisque calidis regionibus afferuntur.

§. 2.

Qui flores duûm generum ſunt, electi & vulgares. Illi ex integris floribus conſtant, hi verò ex inferiori parte ſ. folliculo, cui flos quaſi incluſus eſt. Atque hi poſteriores parum proſunt, propterea que raro quæruntur. Pleni igitur optimique eligantur, recentes adhuc, ſed probè ſiccati, decenter lati, rubore holoſerico ſaturati, ab omni pulvere omnibusque fragmentis minoribus depurgati.

§. 3.

Non ad tingendum ſolùm uſurpatur, ut *Schurzius* in *Mater. Muſ. pag.* 30. commemorat, ſed in Medicina quoque inſignem vim adſtringentem & exſiccantem habent, eam ob cauſam interne æque in omni diarrhœa, dyſenteria, atq; externè in hæmorrhagiis ſimilibusque crebrius adhiberi ſoliti. Adſtringentes quoque & repellentes gargariſmos ingrediuntur, vid. *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 578. Alii dentifriciis addunt, præſertim in hæmorrhagia & ſcorbuto gingivæ, quo in caſu præcipue à *Theodoro Tabernæmontano pag.* 760. commendantur.

§. 4.

Præter flores quoque in uſu ſunt

MALA PUNICA, (*Granat-Aepffel,*)

quæ magna & rotunda, foris rubicunde fuſca, intus flava, multis rubris, angularibus ſuccoſisque

que ac duris granulis referta ſunt, quorum intuitu à Gallis Migraine ſeu Millegraine vocantur. Ex Hiſpania, Italia & Provincia Languedoco veniunt.

§. 5.

Mala malo punicæ hortenſi ſaltem increſcunt, cujus folia, foliis myrti fere ſimilia, arcta, craſſa & ſplendentia ſunt, colore viridi ſegetem imitante, rubris venulis interſtincto. Arbor eſt, tanquam citrus & aurantia, frigoris impatiens, ob quam cauſam in Germania (ubi in Magnatum hortis colitur & cuſtoditur) nullos fructus profert; quanquam interdum floreſcat, ut *Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Material. p.* 123. obſervavit.

§. 6.

Mala punica ſapor in tria genera diſtinguit, ut alia dulcia, acida alia, alia etiam vinoſa dicantur, quæ poſtrema, mixto ſapore prædita, medii ſunt habenda generis. Dulcia cor confortant pectorique ſimul proficiunt. Acida refrigerant & adſtringunt, roborando ſtomacho appetitum reſuſcitant, ritu pomorum citri & limonum. Vinoſa præ aliis refrigerant in febribus continuis, atque cor confortant, ex quibus notum vulgo

VINUM GRANATORUM

maximam partem exprimitur, eundem in uſum aſſervandum. Equidem ex aliis quoque

SUCCUS GRANATORUM

ita expreſſus ad nos transfertur, cujus virtutes cum fructu ipſo conveniunt.

§. 7.

SYRUPI GRANATORUM

eadem ratio eſt, cujus præparationem *Theod. Tabernæmontanus Libr.* 3. *de Herbis pag.* 761. præ cæteris bene deſcripſit, Fœminis in ſiſtenda hæmorrhagia uterina magni æſtimata eſt, quamvis ſaccharo non ſemper ſit fidendum.

§. 8.

CORTICES GRANATORUM

tandem ſuccedunt, ex obſcure fuſcis durisque corticibus conſtantes, qui foris aſperi & tanquam corium inveteratum (Malicorium propterea vocant) apparent, intus vero pallide flaventes acerbum & adſtringentem ſaporem habent. Bene ſiccati, neutiquam mucidi ſint; hinc integra ſiccata granata non facile aſſumantur, utpote intus plerumque mucida, tamque tetro ſapore prædita, ut ægro nocere magis quam opitulari poſſint, ut *Pometus* in Gallico ſuo *Mater. Muſeo l. c.* bene monuit.

§. 9.

Viribus cortices cum gallis prorſus conveniunt, adeo, ut ex iſtis (ſicut etiam ex floribus Balauſtiorum) cum vitriolo atramentum poſſit confici. Vehementer adſtringentem virtutem habent, qua floribus præſtant, ac propterea in omnibus diarrhœis ac hæmorrhagiis cum fructu uſurpantur. Iſtos vero ſimul promovere menſes, quod Clariſſimus *Thomas Bartholinus* in *Hiſt. Anat. Cent. IV. Obſ.* 39. obſervavit, inde oritur, quod vitioſum acidum, ſanguinis fluxum impediens, edulcorat & abſumit. Quanquam id non ſit prætereundum, tum non tam corticem in ſubſtantia, quàm potius juſculum ſeu decoctum eſſe ſumendum, quod etiam externè ad defendendos in variolis oculos commendant. Non minus vacillantes dentes roborat, cruentæque ac putridæ gingivæ medetur.

CAPUT XIII.

DE

NARDO INDICA ET CELTICA.

§. 1.

VAriæ quidem ſpicænardi in herbariis inveniuntur ſpecies, quarum tamen duæ, tanquam præcipuæ, Indica ſc. atque Celtica, à Materialiſtis & Pharmacopolis divenduntur. Illa,

NARDUS INDICA

ſive SPICA INDICA, haud aliud atque ſuperior & lanuginoſa pars radicis Cyperi Gangetici eſt, tanquam ex fibris multorum foliorum contritorum convoluta eſſet, apparens, ut Clariſſ. *Hermanni* in *Mſc. de Mat. Med.* deſcribit. Digiti fere cum longitudinem tum craſſitiem habet, quæ ex rubro fuſca, ſaporis acris, amari & aromatici eſt, odore radici cyperi haud multum diſſimilis. Sicca Alexandria Ægypti, una cum aliis ſpeciebus, quotannis Venetias tranſportandis, venit, vid. *Marxius* in *Mat. Muſ. Germanico pag.* 172. *Vielheurius* in *Deſcriptione Mater. Exot. pag.* 158.

§. 2.

Et hujus duæ ſunt ſpecies, minor & major, quarum priorem *Pometus* præ aliis in *Hiſtoire Gener. des Drogues pag.* 187. pulchrè deſcriptam & in æneâ figurâ dedit contemplandam, non inficias iens, hanc ipſam perraram pretioſamque non raro deſiderari. Et quanquam hæc rurſus duplex ſit, fina & mediocris, utramque tamen, ad theriacam ſumendam, à mediis & pallidis fibris ſ. coſtis omnique pulvere probe decet eſſe depurgatam, quo optima aromatica pars ſaltem

eligatur, judicio *Moyſis Charaſii* in Tract. *de Theriacæ Ingredientibus pag.* 138.

§. 3.

Optima curta, levis, lanugine luxurians, ex flavo fuſca, recens, firmaque & fragrans ſit, ſapore radici cyperi accedens, vid. *Marxius l. c.* Et quoniam ſæpe cum ſpica Gallica ſ. montana & adulterina miſcetur, bene notetur, ſpicam Gallicam, Nard de Montagne (*Berg Nard*) vocatam, in medio ſpicarum duras lignoſasque habere fibras, quibus facile dignoſcitur, teſte Pharmacopola Gallico *Charaſio l. c.* Altera nardus adulterina, ſimiliter è Gallia veniens, & Nardus Narbonenſis dicta, odore aromatico prorſus deſtituta, muſcum redolet, ſecundum *Theod. Tabernæmontanum L. II. de Herbis pag.* 272.

§. 4.

Vis ejus calefaciens, reſolvens & ſubadſtringens eſt. Stomachum confortat flatusque diſjicit: urinam menſesque ciet; ſola vero raro præſcribitur, ſed plerumque theriacam ingreditur. Officinæ tamen duplex ejus oleum habent, Nardinum ſimplex & compoſitum, ad convulſionem & paralyſin valdè commendatum, & ab *Schrædero* aliisque deſcriptum.

§. 5.

NARDUS CELTICA ſ. *Welſche Spic*, è longis, ſquamoſis, multisque fibrillis circundatis radicibus, cum foliis ſuperioribus & ſubflavis conſtat, ſaporis acris, amari & aromatici, odoris graviuſculi. In faſciculos ligata partim ex Italia, unde nomen habet, partim Teriolo, Carinthia Styriaque affertur, ubi in ſummis montibus creſcit.

§. 6.

Planta ab hodiernis Botanicis pro ſpecie Valerianæ habetur, oblonga, pallide flaventia folia habet, tenuemque caulem progenerat, flaventibus floſculis ornatum, ut ex figura *Pometi* apparet, cui cum Valeriana magna intercedit ſimilitudo, quas proinde Clariſſ. *Hermannus in Mſc.* & *Sam. Dale in Pharmacol. pag.* 172. in una claſſe pertractarunt.

§. 7.

Quùm verò Nardus Celtica cum alia quadam planta, quacum externa figura convenit, adulteretur: ſciendum eſt hanc ipſam plantam, quam Botanici Hirculum (*Geis Böcklein*) vocant, candidiora folia ſine caule habere, radicem vero minime eſſe amaram, ſapore ingrato & fere fœtente præditam, Hirculum propterea dictam. Vera & ingenua Nardus Celtica odore eſt fragrante & arbmatico, ſapore ſubamaro, haud ſecus atque Indica. Optimam eleganter flavam rubramque eſſe oportet, recentique odore præditam, &, ut ſupra memoravimus, in faſciculis ligatam, vid. Norimbergenſis Materialiſtæ *Marxii Mater. Muſ. pag.* 172.

§. 8.

Quemadmodum Nardus Celtica externa facie cum valeriana convenit, ita iisdem quoque virtutibus pollet, auctore *Rajo in Hiſt. Plant. pag.* 391. Quamobrem non ſolum calefacit, & Indicæ adinſtar flatus vitioſosque humores diſſolvit, ſed ad morſus venenoſos animalium febresque malignas peſtilentiales commendatur, propterea que ad theriacam ſumitur. Ante vero quam ad diſpenſandum exponitur, ab omnibus inſipidis fibris & impuritatibus bene depurgata, chartæque impoſita humido loco exponatur, quo aliquid humiditatis attrahat, nec ſub præparatione multa in fruſtula concidat; id quod Gallicus Pharmacopola, *Charaſius, cap.* 40. *Tract. de Theriacæ Ingredientibus pag.* 185. docet.

CAPUT XIV.

DE

CROCO.

§. 1.

GEnuinus bonusque Crocus ex interioribus ſtaminibus floris hujus cognominis conſtat, quæ colorem flammeum, ſaporem ſubacrem, ſubamarum & oleoſum, odorem autem valde penetrantem habent. Partim ex Oriente, maxime vero ex Hiſpania, Gallia, Angliaque & Auſtria ſaccis impactus affertur, tam integer, quam pulveratus, varie uſurpandus.

§. 2.

Flos ex radice, inſtar cæſii cujusdam bulbi, & quidem ſine foliis, ad modum colchici protuberat, cui etiam ſimilis apparet, niſi quod variegatus ſit. In medio flore crocus apparet ſanguineus, inſtar anguſtæ & parvæ linguæ, tribus ſtaminibus, inter ſex alia ſtamina ſ. flavos turiones, ut in liliis albis ſolet, progerminantibus. Floribus deciduis valde arcta longaque folia ſuccedunt, per totam hyemem virentia, quæ adventante æſtate elanguent. Quarto anno, & & quidem veris tempore, radix effoditur, juxta quam quinque vel ſex juniores bulbi reperiuntur, in aëre, non in Sole, ſiccandi. Qui tum verno tempore per ordines, ut vites, terræ mandantur, primo anno nihil præter ſola folia proferentes. Altera anno flores ſtaminaque proveniunt, quæ Septembri vel Octobri ante Solis ortum

ortum colliguntur, probeque depurgata ſuper igne ſiccantur. Sequenti die, atque ſic porro, quæ nocte progerminant, ſimili modo inciduntur, quoad cepæ nihil amplius prodire ſinunt, quæ alias non ſine admiratione, quatuor & viginti horarum ſpatio, novos ſemper flores emittebant, quibuscum magna mercatura agitur.

§. 3.

Si quæ verò res eſt, cujus multæ variæque ſunt ſpecies, certe crocus eſt, prout vel è Turcia aliisque Orientalibus regionibus, utpote Perſia, ex Inſula Madagaſcar & aliis affertur, vel ex Hiſpania, Gallia, Angliaque & Auſtria venit, quarum quæque ſpecies in peculiares iterum ſortes diſtinguitur. Turcico quidem croco hodie parum tribuunt, quippe quem omnium haberi volunt viliſſimum: quem, per ſe quidem non contemnendum, Turcas Chriſtianis non integrum transmittere, ſed extrahenda ad tingendum optima eſſentia enervare, poſteaque melle oblinere perhibent, ut ad molendum terendumque fiat inidoneus. Venetiis moneta vulgari emitur, cujus centum florenos, bonitatis æſtimatione, viginti florenis viliores exiſtimant, quam centum florenos monetæ collyborum; in coriaceis ſaccis, qui Puti vocantur, venit, quorum quisque pondus 30. librarum Norimbergenſium habet, ut partim *Schurtzius*, partim *Marxius* in *Mater. Muſ. Germanic. pag.* 72 commemorat. Hiſpanici croci multæ ſortes ſunt, ut Zima de Aquila (Adler Saffran) Maglianenſis, Arragonicus, Puglianenſis, Ruſchavoca, Catalonienſis &c. quarum ſpecierum priores ſunt optimæ. Arragonicus crocus iterum in finum, mediocrem ſ. medium, & communem diſtinguitur. Omnes à plebe certis in nundinis ad Aquilam, Albigeſiæ & alibi in Hiſpania, vel publica æſtimatione, vel privato convento venduntur, id quod *Schurzius* in *Mater. Muſ. pag.* 17. *& ſeqq.* valde verbosè recenſet. Nec Hiſpanicum crocum *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 178. magni vult æſtimari, quod animo iſtius conſervandi oleum addunt, hocque ipſo iſtum reddunt ineptum. Gallicum igitur, præſertim SAFRAN du GATINOIS, omni alii præfert, quem propterea etiam *Charaſius* dignum judicavit, qui præ aliis theriacam ingrederetur, cui tamen Aranienſem putat conferendum, vid. ejus *Hiſtoire Nat. des Animaux, des Plantes, & des Mineraux, qui entrent dans la compoſition de la Theriaque, pag.* 129. Cæteræ autem ſpecies: Safran de Touloſe, d'Angoulême &c. bonitate ſunt inferiores. Anglicus crocus inſtar magni rotundi orbis compreſſus eſt, inque Anglia in quatuor nundinis, à vendendo croco nominatis *Safran-Märckt*, inter Michaëlis & omnium Sanctorum diem venditur, qui ſi probe ſiccus rubicundusque eſt, bonus æſtimatur. Hodie optimus creſcit in Auſtria, infra Aniſum fluvium, CROCUS AUSTRIACUS propterea vocatus, qui clariſſimus eſt, & non Europæos ſolum omnes, ſed Orientalem quoque antecedit, ut præter Materialiſtas memoratos, *Georg. Nicol. Schurtzius* (qui hujus rei mercaturam ipſe fecit optimeque intellexit) in *Mater. Muſ. pag.* 17. teſtatur, cui etiam *Vielheuerius* in *Deſcriptione Mater. Exot. pag.* 99. conſentit. Nonnulli, ut *Theod. Tabernæmontanus*, circa Landaviũ, Wormatiam aliaque Rheni loca ſimilem quoque creſcere exiſtimant; id quod fortaſſe de falſo croco ſ. carthamo intelligendum, qui ab his locis in Galliam & aliorſum vehitur, vid. *Pometus l. c. pag.* 179.

§. 4.

Bonus crocus 1. latum longumque & completum florem habeat, 2. colore flammeum, 3. odore fragrantem & fortem, qui 4. paucas albas aut luteas extremitates oſtendat, ipſe 5. non glomeroſus nec fibroſus, 6. non viſcoſus, unguinoſus nec niger ſit, nec 7. humidus. Omnis inveteratus crocus plus farinæ ſuppeditat, quam recens, coloris vero elegantia eſt exigua. In linteo laneoque ſacco vult comprimi, & in ciſta vel dolio aſſervari, ne quid aëris accedat, quod loco ſicco duos vel tres annos manet incorruptus. Sunt quidem impoſtores, qui corruptum reſuſcitare didicerunt crocum, quam tamen fraudem ſuperiora experimenta facile detegunt. conf. *Schræderus pag.* 54.

§. 5.

Virtutes ejus tam præſtantes ac multiplices ſunt, ut prudentum aroma, Rex vegetabilium, imo Panacea velit haberi, vid. *Hoffmanni Clavis Schræd. pag.* 459. Inprimis ob naturam partim reſolventem partim ſedantem & balſamicam pulmonibus valde conducit, ut Anima Pulmonum propterea audiat. Cor ſpiritusque vitales ſimul confortat, cujus intuitu multis in morbis utiliter uſurpatur: id quod *D. Hertodtus* in *Crocologia ſuâ* fuſius oſtendit, cujus contenta in *Hiſtoria noſtra literariâ, in App. Miſc. Acad. Nat. Cur. Dec. II. An. III. pag.* 582. poſſunt legi. Videndum tamen, ne quid nimis! Immodicè enim ſumtus, ſale ſuo valde volatili, menſes nimium promovere & hæmorrhagias excitare, parte vero oleoſa & quadantenus narcotica inebriare prorſusque ſtultum reddere aptus eſt, quemadmodum *Doringius* in *Tr. de Uſu opii pag.* 108. ex *Amato Luſitano* refert, mercatorem quendam nimio croci eſu in præternaturalem incidiſſe riſum, mortem prope maturantem. Alius noctu ſuper ſaccis croco refertis dormiens mortuus eſt: id quod avaro cuidam mercatori quoque contigit, qui aliquot faccos ad evitandum vectigal veſtibus ſuis recondidit, ut Cancellarius *Baco de Verulamio* in *Hiſtor. Vit. & Mort. pag.* 211. commemorat. Imò & equi, vehendo croco deſtinati, fieri imbecilles dicuntur. Multa exinde præparata conficiunt, Extractum ſcilicet, cujus ſemilibra ex libra una

croci cum ſpiritu vini, ſecundum *Vielheurium* poteſt acquiri: quod tamen *D. Ettmüllerus* tantoperè non vult æſtimari, cùm evaporatione vis optima evolet. Tinctura autem croci multum ei præferenda, cujus etiam præparatio ibidem invenitur. Veteres Electuarium de Ovo inde confecerunt. Externè in epithematis ad emolliendum & ſuppurandum uſurpatur, quo in caſu Emplaſtrum Oxycroceum valdè celebre eſt, Norimbergæ crucifix vocatum. vid. *Simon Paulli* de Croco.

§. 6.

Cæterum, quoniam verus ſeu genuinus crocus cum vulgo ita dicto

SAFFLOR ſ. *Wilden Saffran*

ſæpe adulteratur, ejus quoque, ad fraudem melius detegendam, paucis fieri mentionem voluimus, præſertim cum ab Infectoribus crebrius uſurpetur. CARTHAMI ſ. CNICI flos eſt, qui aliqua eſt cardui ſpecies, duorum fere pedum altitudine creſcendo aſſurgens, longa, viridia & aculeata folia, & in cujusque ramuſculi extremitate parvum rotundum globulum ſ. capitellum proferens, in parvas rubrasque ac flavas fibrillas aperiundum, quæ ſafflori ſ. croci ſylveſtris nactæ nomen, quod ſimiliter cibos resque alias tingunt: quanquam minus aromaticæ ſint, quam crocus verus. In Alſatiâ & circa Rhenum aliisque in locis Imperii copioſe colitur, aliorſum vehendus, quem propterea Galli Germanicum crocum vocant. Ad coſmeticum ſeu rubrum Hiſpanicum (*Spaniſch-Roth*) uſurpatur, & à faſciculorum plumeorum expolitoribus, infectoribus aliisque ad tingendum quæritur. Optimus Argentoratô & Francofurtô venit. In Medicina SEMEN CARTHAMI crebrius quam flos uſurpatur, quod ex albis, longiuſculis & angularibus granis conſtat, ſub duriore cortice albam medullam, ſapore dulcem, includens. Pulchra, craſſa & maturitate perfecta grana habeat neceſſe eſt, quæ recentia ſed probe ſicca ſint, ſi bonus velit haberi. Quum verò quidam impoſtores ſemen melonum & cucumeris ita reſecare ſciant, ut ſemini carthami excorticato ſimilitudine accedat, pro iſtoque vendatur, ſciendum eſt, verum ſemen una extremitate rotundum, altera vero acutum eſſe, nec adeo apparere candidum, atque melonum & cucumeris ſemen. Vim purgantem habet, proptereaque emulſiones purgantes ingreditur. Exinde quoque ſpecies diacarthami conſtant, quarum baſis eſt.

§. 7.

Tandem *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 179. aliûs adhuc croci ſylveſtris ſpeciei meminit, quæ ex Oriente & Alexandria venit, &

SAFRANUM

vocatur. E valdè exiguis criſpisque & ſubrubris fibrillis conſtare, & à certa minorique carthami ſpecie dicitur proficiſci. Lugduni aliisque Galliæ locis ab Infectoribus magna in copia ad intenſos, ſ. eleganter & ſaturatos colores, ſcil. ad Incarnadin d'Eſpagne uſurpatur.

CAPUT XV.

DE

SCHOENANTHO ET STOECHADE ARABICA.

§. 1.

SCHOENANTHUM (*Kameel-Stroh*) ex flavis durisque caulibus & foliis conſtans, ſtramen refert, ſaporis acris & ſubamari, ſed tamen grate aromatici, & odoris valde fragrantis. Partim ex Ægypto, partim Arabia & quidem Alexandria per Maſſiliam parvis in ſcatulis venit, ut *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 173. commemorat.

§. 2.

Planta, unde provenit, aliqua junci ſpecies eſt, quamobrem etiam JUNCUS ODORATUS vocatur. Parvam fibroſamque radicem habet, ex qua longa, rigida & acuminata juncea folia progerminant, inferius craſſa, juncorum aquaticorum ad inſtar, quæ ſiccata helva ſ. ex rubro flava evadunt. Inter ejusmodi folia rotundi caules exſurgunt, ferè pedis altitudine, è quorum ſummitate parvi ſpicati lanuginoſi flores, parvis foliolis ſtipati, excreſcunt, ruſſei & perpulchri apparentes, qui tamen rarò ad nos veniunt, quod cameli iſtos cum ſummitatibus dicuntur devorare, teſte *Theod. Tabernæmontano* in *Libr. I. de Herbis p.* 583. Dominus *Herbertus de Jager* in Perſiæ portu, cui Choromandel nomen eſt, totos campos iſta repletos vidit, ejusque veram figuram uſumque eleganter deſcripſit, de quibus *Epiſtola* 3. *Indiæ literatæ* legatur.

§. 3.

In Materialium Muſeis binæ iſtius reperiuntur ſortes, electum & vulgare ſeu medium. Illud flammeum eſt, multis floribus ſtipatum, qui tamen ſæpe etiam ſeorſim veniunt: iſtis igitur

igitur medium fere prorſus deſtituitur, utpote ex ſolis caulibus foliisque conſtans. Utrumque, quoad ejus fieri poteſt, integrum adhuc ſit & recens: id quod partim ex rubicundo colore, partim ex ſapore aromatico gratoque conjicitur, qui floribus perhibetur æqualis. Flores vero anni ſpatio viribus privantur, quippe quorum vis in ſale admodum volatili conſiſtit, unde poſt duos annos necquicquam dicuntur prodeſſe; quanquam *Charaſius* in *Tract. de Theriacæ Ingredientibus pag.* 140. contrarium velit affirmare. Interdum impuri afferuntur, atque tunc à Pharmacopolis pannô aliquô magnô impigroque labore volunt depurgari, præſertim qui ad theriacam ſumuntur, vid. *Pometus & Charaſius l. c.* Id quoque detur operæ, ut genuina ſchœnantho necquicquam de SCHOENANTHO ADULTERINO, uti ſæpius ſolet, additum ſit, id quod ex longis, caudas vulpinas æmulantibus floribus, (tales enim profert) deficienteque ſapore vere aromatico dignoſcitur, uti ambo ex ſupra laudati *Theod. Tabernæmontani* deſcriptione & figura *l. c. pag.* 586. apparent.

§. 4.

Ob ſaporem odoremque aromaticum ſchœnanthum vi calefaciente & ſubadſtringente pollet, caput ſtomachumque confortat, urinam ac menſes ciet, appetitum acuit, olimque medicamentis purgantibus tanquam corrigens fuit additum, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 657. obſervavit. Præcipuè verò ad theriacam ſumitur, quem in finem optimum electumque, & quoad ejus fieri poteſt, flores ipſos ſumamus, id quod *Charaſius l. c.* urget. Qui ſi haberi nequeunt, optima ſchœnanthi ſpecies quæratur. In Arabia non camelis ſolum pro pabulo inſervire, ſed iſtis quoque ſubſterni perhibetur, unde nomen obtinuit.

§. 5.

Iſti quoque intentioni ac præparationi theriacæ inſerviunt

FLORES STOECHADIS ARABICÆ, ex oblongè rotundis, ſquamoſis & ſuperius floſculis galeatis exornatis capitellis conſtantes, ſaporis ſubacris & ſubamari, odoris fortis. Hodie ex Languedoco, Galliæ provincia, veniunt, ac propterea pro vegetabili Arabico, ut olim, haberi nequeunt, ut *Pometus l. c. pag.* 187. teſtatur. Sunt tamen, qui hodieque iſtum florem ex Oriente interdum afferri exiſtimant.

§. 6.

Herba quibusdam in Inſulis (quæ Stœchades vocatæ bidui itinere à Maſſilia diſtant) tanta perhibetur copia creſcere, qua ſiccata incolæ hypocauſta calefactent, ut *Hoffmannus* in *Clavi Schræd. pag.* 553. ex aliis Scriptoribus commemorat. Alias radicibus caulibusque ac foliis lavenduſæ haud multum diſſimilis eſt; lignoſam habet radicem, ſimilesque ac multos ramuſculos, oblonga, craſſa, cæſia & cinerea foliola, ac ſuperius in caule ſpicatam clavam, è multis parvis cœruleis floſculis compoſitam, ut ex figura apparet. Exiguum profert ſemen, meliſſæ ad inſtar, ex quô apud nos quoque progerminant: ſed rarò flores aut ſemen profert, teſte *Theod. Tabernæmontano Lib. II. de Herbis p.* 91.

§. 7.

Iſti verò flores, inprimis ad theriacam ſumendi, ex integris ſpicis globulisque conſtent, cœruleo colore, facile evanido, adhuc præditi. Cui tamen rei Galliæ Pharmacopolæ remedium invenerunt, dum ſiccata primum folia certis in libris cuſtodiunt, hocque modo iſtorum tuentur colorem, vid. *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 181. Quamobrem ſaporem quoque odoremque examinari, ſicque recentesne an inveterati flores ſint, jubent judicari.

§. 8.

Quod ad vires florum attinet, ratione ſalis ſui valde volatilis, oleique aromatici, virtute valde calefaciente reſolventeque pollent, ac propterea in omnibus capitis & nervorum affectibus vehementer commendantur. Et hoc cauſæ eſt, quamobrem à veteribus multis medicamentis cephalicis, in apoplexia, vertigine, cephalalgia ſimilibusque commendatis, (ad quæ etiam ſyrupus de ſtœchade ſimplex & compoſitus refertur) fuerint additi. Olim etiam in affectibus pectoris & uteri &c. in uſu fuerunt, de quo vid. *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 669. Alii bombyces huic plantæ libenter adhærere, iſtiusque odore vehementer teneri obſervarunt, ut *Charaſius* in *Tract. de Theriac. Ingred. pag.* 159. teſtatur.

§. 9.

STOECHAS CITRINA (*Rhein-Blum*) noſtris in regionibus creſcens, adeò nota vulgataque eſt, ut ſupervacaneum eſſe exiſtimem, ſi iſtam una cum virtutibus fuſius velim deſcribere, præſertim cum raro interne, magis autem externe ad fovendum fricandumque ac fumigandum, ad catarrhos, *Streich-Blum* propterea dicta, uſurpetur. Diu alias durat, coloremque ſuum ad ſplendorem, ritu floſculorum perpetuorum, multos annos conſervat.

CAPUT XVI.

DE

CALAMO SACCHARIFERO.

§. 1.

CALAMUS SACCHARIFERUS crassa & in multa genicula distincta arundo est, septem vel octo pedes longa, ac plerumque duos pollices crassa, foris viridiuscule flavens, intus alba, ac dulci medulla, sambuci medullam referente, adimpleta. Ex Orientali & Occidentali India, præsertim Brasilia & Antillis Insulis, venit, ubi quidem sponte etiam crescit, crebrius vero ab incolis, ob succum s. saccharum, colitur. Et quanquam *D. Olaus Borrichius* in *Actis Hafnienſibus vol. 1. pag.* 119. Algæ sacchariferæ faciat mentionem, quam mare Islandicum in Septentrione interdum ejiciat, cujusque succo incolæ sacchari loco utantur, saccharum tamen, quod exinde confectum sit, visum fuit nullum.

§. 2.

Ad ejus plantationem præcipue bona, pinguis ac humida requiritur terra, quæ bene culta in parvos colliculos aggregatur & distinguitur, quibus calami sacchariferi secundum ordines interponuntur, terra contegendi. Haud ita pridem post ex quolibet capitello s. geniculo novæ progerminant arundines, longis, viridibus secantibusque foliis stipatæ, tertio quoque mense, instar tabaci, præcidendis, ut ne arundinibus succum & alimentum subtrahant. Id quod aliquoties repetendum, quoad arundo ad debitam altitudinem ascenderit, suamque nacta fuerit maturitatem, quæ foris ex flavo istius colore cognoscitur, ac plerumque post octavum vel XII. mensem contingit, quæ omnia clarissimus Anglus *Joh. Rajus* in *Historia Plantarum Tom. 2. Lib. 22. pag.* 1278. *seqq.* & *Malletus Part. V. Cosmogr. pag.* 175. ex aliis Indiæ Scriptoribus fusius commemorant.

§. 3.

Ad istum accretionis statum perductæ arundines plerumque unius aut duorum pollicum crassitiem habent; quæ contra brachii crassitie progerminant, quo magis crassescunt, eo magis decrescunt bonitate. Ante verò quam ad maturitatem perveniant, superius fere è medio supremorum foliorum valde longum caulem emittunt, cujus cacumini longus argenteus flos, fasciculum plumeum repræsentans, insidet.

§. 4.

Simul verò arundines sacchariferæ maturæ factæ sunt, ab Americanis resecantur, à foliis liberantur, inque fasciculos ligatæ, istas in domos s. casas (Trapetti vocantur) in quibus exprimitur saccharum, deferuntur, ut capite sequenti ostendemus. Superiores caules & cannas barbari ad arcus sagittasque usurpant, quorum in venationibus bellisque usus est.

§. 5.

Antequam modus exprimendi sacchari innotuit, Veteres succo saltem, sponte ex arundinibus exsudante, Solisque calore indurato, ab aliquibus Saccharum de Mambu, Tabaxir vocato, usi fuerunt. Equidem *Wormius* in *Mus. pag.* 141. istud à canna saccharifera arborescente, Indis Hakra dicta, deduci, succum vero vulgaris calami sacchariferi, cum *Avicennâ*, Mel Cannæ vult vocari. Lis igitur inter Doctores exorta, num hodiernum saccharum idem sit atque veterum? facile potest decidi, de qua *Salmasius* in *Exerc. Plin. in C. Jul. Solin. pag.* 926. pluribus agit.

§. 6.

Tandem ultimò notandum est, ne Cannam sacchariferam confundamus cum arundine Indica, cujus radices, ROTANG dictæ, è Japonia allatæ, pro scipionibus, quos manibus gestamus, inserviunt, quando scil. geniculi à fibrarum verticillis liberati sunt. Arundo illa *Tsiku*, vulgò *Tacke* & *Fatsku*, Belgis per excell. *Bambus* audit, cujus radices circa pagum *Kusatsu*, Provinciæ *Omi*, ob fundi limosi singulare ingenium, mirâ pulchritudine luxuriant, docente Dn. D. *Engelberto Kämpfero* in *Amæn. Exot. Fasc. V. seu Herb. Japonicâ pag.* 898.

CAPUT XVII.

DE

SACCHARO ET EJUS PRÆPARATIONE.

§. 1.

EX præcedenti capite jamdum sufficienter innotescit, SACCHARUM nihil esse aliud quam dulcem succum, è calamis sacchariferis expressum, & artificiosè in debitam consistentiam coctum & depurgatum. Quò verò breviter sciamus, qua omnia ratione fiant, ejus præparationem paulo accuratius describere necessarium duximus, quo deinde varias sacchari species eo possimus distinguere facilius.

§. 2.

§. 2.

Quod primò ad ſucci expreſſionem attinet, ea in peculiaribus, iſtum in finem exſtructis, molendinis peragitur, quorum Batavi multis in locis X. aut XII. exſtruxerunt. Iſta verò molendina è tribus ligneis, extrinſecus ferreis laminis munitis, volgiolis conſtant, quorum medium bis fere cæterorum longitudinem habet, quod ſuperius duæ longæ arbores penetrant, quæ à binis bobus tractæ, totum opus agitant, ut ex figura omnium oprime apparet. Quando nunc iſti volgioli ſe circumagunt, ab adſtantibus Æthiopibus calami ſacchariferi illis copioſe ſubduntur, quos volgioli conquaſſant, ſimulque ad latus alterum ejiciunt. Interea ſuccus in vas aliquod peramplum ſubditum fluit, ex quo per parvum canalem in primum majusque ahenum derivatur.

§. 3.

Cui aheno valde lenis ſubditur ignis, quo ſaltem paululum incaleſcat, ac ſine coctione poſſit deſpumari; ſpumam Indi jumentis dant devorandam. Sic maxima craſſiſſimaque impuritate ſeparata, in paulo minus ahenum inditur, in quo mediante igne multo fortiori vehementiſſime ebulliat, quo eo melius poſſit purificari. Hoc peracto, aliquot cochlearia certi alicujus lixivii, ex carduis præparati, vel, ſecundum alios, aquæ calcis vivæ, in qua albumen ovi concuſſum fuerit, affundunt, & aliquot olei guttas inſtillant, quo ebullitionis vis præcipitetur, ſucciq; effluxus impediatur. Qui ſi ſpiſſeſcere obſervatur, per pannum tranſire permittitur, inque minora diſtribuitur ahena, plerumque è mixto metallo, Gallis *Bronce* dicto conſtantia, in quibus de integro ebulliens perpetuò agitatur, quoad prorſus excoctus ſit: id quod ex eo cognoſcitur, quando in altum tractus, decidendo ſibi mutuo fere adhæret. Hinc in alia iterum ahena infunditur, quo refrigeſcat, ita tamen, ut ſemper adhuc tamdiu agitetur, donec in iſtius ſyrupo parva granula, inſtar arenæ, certiſſime obſerventur, quippe quæ infallibile perfecte præparati ſacchari indicium ſuppeditant.

§. 4.

In tantum perfectum ſaccharum, calidum adhuc, certas in formas infunditur, inferius obturato foramine prædictas, in quibus ſi induruerit, quod plerumque quatuor & viginti horarum ſpatio contingit, Nigrita una cum formis ſuas in caſas domosque portant, aperto inferiori foramine, perfoſſoque ſaccharo, formas parvis vaſis imponunt, quo SYRUPUS defluens excipiatur.

§. 5.

Qui

SYRUPUS, vulgò *Syrop*,

in orcis ad nos in Europam fertur, & quoniam perpetuo mollis manet, inſtar mellis, à Materiariſtis Remel, mel ſaccharinum, Germanicè *Zucker-Honig*, Gallicè *Doucette* & *Mellage* vocatur. Amſtelodami, Hamburgi inque Emporiis aliis minoris venditur, & quoniam minoris eſt pretii atque mel, multis in occaſionibus iſtius loco utiliter poſſet uſurpari, niſi multum ſubeſſet fraudis. Homines frugi iſtum in culina uſurpant, qui etiam quibusdam in locis à libariis commodè in uſum trahitur. Quosdam Materialiſtas & Pharmacopolas ſyrupos medicinales & electuaria iſto mediante ferunt præparare, quæ tamen nefanda fraus eſt, neutiquam toleranda. Iſto quoqu ealibi tabacum humectatur, indeque ſpiritus deſtillari poſſe perhibetur. Interim pro varietate depurationis, ſeu (ut loquuntur) refinationis, variæ ſyrupi ſpecies dantur, tubicundus ſcil. flavus & albus, qui ultimus, *Candis-Syrup* dictus, omnium optimus eſt, ex relatione Dulciarii Hamburgenſis *Beemanni*.

§. 6.

Si quando ſyrupus omnis defluxit, conos ſacchari (qui primum permagni, & fere viginti librarum pondere ſunt, teſte *Vielheurio* in *Deſcriptione Mater. Exotic. pag.* 148.) in magna fruſta incidunt, quod ſaccharum, tum cæſium, MOSCOVADE, Gallice Moſcovade griſe, ou Sucre des Isles non atteré vocatur, & quaſi fundamentum eaque materia eſt, ex qua cæteræ ſacchari ſpecies præparantur omnes. Ex albo cæſium, ſiccum, non pingue aut unguinoſum ſit, & quoad ejus fieri poteſt, nullum ſapore empyreuma prodat, ſi bonum velit haberi. Ita crudum non adeo crebro uſurpatur, quamvis ad ſyrupos & rubras confectiones quoq; ſit idoneum.

§. 7.

Ex iſto Moſcovade poſtea ita dictum

CASSONADUM SACCHARUM,

ſ. *Caſſonad-Zucker*,

aliâs quoque CASTONADA & *Caſſaun-Zucker* vocatum, præparatur, quod nominis quidam inde derivant, quod hoc ſaccharum plerumque in ciſtis affertur; id quod tamen non ſemper contingit, dum æqualis ferè quantitas in parvis orcis venit, ſecundum *Pometum* in *Hiſtoire des Drogues Lib.* 2. *p.* 96. Alii *Farin-Zucker*, quaſi inciſum ſaccharum vocant, quippe quod non in conis, ſed magnis parvisque fruſtis venit. Galli ad differentiam prioris quoque ſucre des Isles atteré nuncupant. Sequenti modo iſtud præparant: Moſcovadum ſaccharum denuo liquant, probeque purgatum per pannum colant, quod iterum in fluorem coctum, in formas infundunt, atque ſic porro, ut cum priori, agunt. Si quando ſyrupus defluxit, candidam terram, aut aqua humectatam cretam pollicis craſſitie imponunt, quo aqua ſaccharum tranſitura, ſi quid invenit impuritatis, ſecum vehat. Simulac aqua tranſiit ac defluxit, exemtum formis ſaccharum in tres partes dividitur, ab Americanis ita locari ſolitas, nempe imam, mediam,

diam, ac ſupremam partem. Unamquamq; ſeorſim ponunt, quarum ultima eſt viliſſima. Quo factô magnis ſuper pannis diſpergitur, quod in aere ſiccatum, poſteaque ciſtis & orcis inditum, ad nos vehitur divendendum. Optimum caſſonadum ex Braſilia venit, quod eleganter album, ſiccum gratique ſaporis eſſe, violasque oportet redolere, quemadmodum pars ima eſſe ſolet. A Conditoribus crebrius uſurpatur, quoniam non tam facile candiſatur, confectionesque eleganter albas reddit, ac melius facit aſſervari.

§. 8.

Sciendum vero magnam etiam Moſcovadi partem clarificari, inque pileos fundi, quo in papyro cœrulea transvehatur. Galli ſuere de ſept livres (*ſieben Pfund-Zucker*) vocant, quod tamen nominis non adeo recte iſti convenit, dum coni plerumque 12. librarum pondus habent, ut *Pometus l. c.* ipſe fatetur. Magnos ejusmodi conos Batavi, loco chartæ, foliis palmæ involvunt, quos propterea ſucre de palme (*Palm-Zucker*) nominant. Et hujus variæ inveniuntur ſortes, prout vel verè album, aut maculis notatum eſt Pauperibus hæc merx inſervit, quoniam non tam pretioſum eſt hoc ſaccharum, & tamen majorem dulcedinem relinquit, quam pretioſius, cum fere unicuique notum ſit, ſaccharum quo magis refinetur, eo magis perdere dulcedinis.

§. 9.

Ex prædictis ſacchari ſpeciebus per iteratam refinationem poſtea minores ſacchari coni præparantur, atque in bilibres, trilibres, imo ad ſex libras pendentes dividuntur. Quo minores coni ſunt, eo melius eſt ſaccharum, optimumque Gallis *Sucre Royal* vocatur: cui ſuccedit *Demy-Royal*, quæ ſpecies apud nos optimum ſunt ſaccharum Canarienſe. Cæteris ſpeciebus Refinati inditum nomen eſt, quæ tamen iterum diſtinctæ ſunt. Hodiè in Batavia, Hamburgi & alibi multum quoque ſacchari refinatur: & quidem Hamburgenſe & Amſtelodamenſe multo durius eſt, multo etiam candidius Italico, pluris propterea æſtimandum. Quò enim durius candidiusque ſaccharum eſt, eo cenſetur melius, præſertim ſi ſimul compactum, ſplendensque eſt, ac digito pulſatum, inſtar vitri, quaſi ſonat.

§. 10.

Cæterum etiam loca, unde ſaccharum venit, iſti dant differentiam & nomen:

I. SACCHARUM MADERIENSE,
(*Madery-Zucker*)

ab Inſula Madera advectum nominatumque, præ aliis eminet. Optimum puriſſimumque eſt, Canarienſi præferendum, ſed rarò ad nos veniens. Huic valdè prope accedit

II. SACCHARUM CANARIENSE,

cujus tamen Atomatarii diverſas habent ſortes. A Canariis nomen Inſulis obtinet, quanquam nullum ſit dubium, quin & alia ſaccharа ita poſſint præparari.

III. SACCHARUM MELITENSE,
ſ. *Melis-Zucker*,

ex Inſula Maltha afferri creditum, duritie ſæpe Canarienſi valde prope accedens, quanqnam non adeò album, ſed magis cæſium ſit, ac propterea à *Th. Tabernæmontano Libr. I. de Herbis p.* 600. poſt illud ſtatim ponatur, Refinatoque præferatur. Plerumque in eſculentis uſurpatur, bonumque Melitenſe in officinis non abjiciendum, quippe cujus diſtinctæ inveniuntur ſpecies.

IV. SACCHARUM THOMÆUM,

ex Thomæ Inſula num omne veniat, quæ vulgaris eſt opinio, ego quidem dubito, quod teſte *Pometo l. e. pag.* 97. ex ſyrupo magnorum conorum ſacchari præparatur, atque adeò Caſſonadi videtur ſpecies. Utplurimum rubrum eſt, propteraque ſaccharum rubrum vocatum. Optimum eſt probe ſiccatum, nullumque ſapore empyreuma prodens. Externè ſaltem in clyſteribus uſurpatur. Qui vero Pharmacopolæ iſtud quoque ſyrupis medicinalibus addunt, iſtamque eſſe materiam exiſtimant, ex quâ omne ſaccharum præparetur, nimium vehementer errant.

§. 11.

Omne ſaccharum, internè ſumtum, qua pollet vi, malos acresque ſalſos humores, guttur pulmonesque infeſtantes ac lædentes, demulcet, ac propterea in omnibus pectoris affectibus vehementer convenit. In ſtomachi quoque ac inteſtinorum læſionibus, in renum & veſicæ calculo, ſimilibusque ſaccharum, & quæ exinde præparantur, conducunt. Quæ tamen ſaccharo ineſt aciditas, quamve ſcimus corrodendo dentes reddere nigros, crebriorem ſaccharatorum uſum prohibent, vid. *Ettmüllerus in Comm. Schræd.* ad hunc loc. Externè vulnera ulceraque ſanat, inque oculis purulentisque auribus ac ſimilibus bonum eſt remedium. vid. *l. c.*

§. 12.

Quoniam verò omne ſaccharum, in conos redactum, multum adhuc lentoris relinquit, hinc quo magis purificetur,

SACCHARUM CANDUM

exinde præparari conſultum viſum eſt, quod duplex, album ſcilicet ac fuſcum, in Materialium Muſeis ac officinis inveniendum.

SACCHARUM CANDUM ALBUM

ex optimo Maderienſi aut Canarienſi præparatur, quod feſtinanter aqua ſuper igne ſolutum & ſyrupiſatum, in vas aliquod, cui multa parva ligna decuſſatim impoſita ſunt, infunditur, in eoque XV. vel XX. dies in hypocauſto calido, bene coopertum, ſervatur, quo temporis ſpatio ſaccharum adhæret, atque eleganter candiſatur; quod

quod reliquum est succi, porro coquitur, & ut prius, infunditur, secundum accuratam *Theod. Tabernæmontani Lib. I. p.* 604. descriptionem, inque Germaniâ, ubi purior ac limpidior est aqua, ibi clarius etiam præparari potest saccharum. Quam ob causam Hollandicum semper carius est Gallico, ipso confitente *Pometo*, quippe cujus bonitas in eo sita est, ut eleganter album ac pellucidum sit. Ab ultimo, quod nimis sæpe diutiusque coquitur,

SACCHARUM CANDUM RUBRUM

proficiscitur, quod tamen eodem prorsus modo etiam ex saccharo Thomæo præparatur. Utrumque superioribus morbis proficit.

§. 13.

Quum verò saccharum candum infantibus nimis durum sit, pro istis tractabilius saccharum præparant,

SACCHARUM PENIDIUM

vocatum. Quod è vulgaris sacchari conis, imo etiam Cassonado saccharo, præparabile est, quod cum aqua fontana super igne mediante albumine ovi clarificatum, tamdiu, donec friabile fit, nec dentibus porro adhæret, coquitur, posteaque super marmore, oleo amygdalarum d. humectato, in massam redactum, unco celeri manu imponitur, mediante amylo in longos funes torquendū, auctore *Theod. Tabernæmontano l.c.* Infantibus tussientibus & anhelosis exhibetur. Saccharum hordeaceum haud multò aliter præparatur.

§. 14.

Cæterum Confectores varias è saccharo confectiones præparant, easdemque vel glabras, aut crispas. In pelvi cuprea, super fornace ventoso suspensa, omnes sequenti modô præparantur: Inde fœniculum, anisum, cubebas, amygdalas, cortices citri incisas, caryophyllos &c. aheno confectorio, superaffunde saccharum syrupisatum, ahenumque s. pelvim cupream hinc inde agita, quoad saccharum adhæreat. Hoc sæpius reperas necesse est, prout crassius aut parcius rem conficiendam vis incrustari. Interdum tantillum amyli additur, & quando confectiones crispæ desiderantur, syrupus ex alto instilletur, ut sibilum edat, nullosque grumos largiatur. Prout res nunc crassiori aut tenuiori crusta sunt obductæ, parum aut multum farinæ additum est, diversæ multæque inde species resultant, à Confectoribus distinctis cum nominibus, tum numeris notandæ, vid. *Pomet. Histoire des Drogues p.* 100. Amygdalæ cinamomisandæ, nondum prorsus siccatæ, in scatula, in pulvere cinamomi volvuntur. Confectiones inflatæ cum tragacantho eleganter albescente præparantur, & in artocrearum formis diducuntur. Quemadmodum Rotulæ berberum, manus Christi, saccharum rosatum &c. præparentur, in omnibus Dispensatoriis invenies. Cauliculi Lusitanici moschati, globuli moschati &c. ambra moschoque inficiuntur, & vel in pelvi cuprea, vel cum tragacantho formantur, quæ tamen omnia apud Dulciarios videri discique possunt accuratius.

EPILOGUS HERBARUM AC FLORUM.

INter vulgares indigenasque herbas ac flores, quæ non semper apud Materialistas inveniuntur, sed à Pharmacopolis, aut radicum herbarumque Collectoribus quæruntur, atque in herbariis sistuntur delineata descriptaque, potissimum in usu sunt seqq:

HERBA *Abrotani.*
Absinthii.
Acetosæ.
Acetosellæ.
Agrimoniæ.
Alceæ.
Alchimillæ.
Alsine.
Althææ.
Anagallis.
Anethi.
Anserinæ.
Antirrhini.
Apii.
Aquilegiæ.
Ari.
Aristolochiæ longæ.
Artemisiæ.
Atriplicis.
Auriculæ muris.
Barbæ caprinæ.
Beccabungæ.
Bellidis prat.
Betæ albæ.
rubræ.
Betonicæ.
Bifolii.
Boni Henrici.
Borraginis.
Brancæ ursinæ.
Brassicæ.
Bryoniæ.
Buglossæ.
Bursæ Pastoris.
Calaminthæ.
Calendulæ.
Cardiacæ.
Cardui benedicti.
Centaurii min.
Cerefolii.
Chamædrios.
Chamæmeli.
Chelidonii maj.
min.
Cochleariæ.
Consolidæ Regalis.
Saracenicæ.
Cynoglossæ.
Dentis Leonis.
Draconis hortens.

HERBA *Ebuli.*
Endiviæ.
Epaticæ nob.
Ericæ.
Eryngii.
Erucæ sativæ.
Eryſimi.
Eſulæ.
Eupatorii
Euphraſiæ.
Farfaræ.
Filicis.
Filipendulæ.
Fœniculi.
Fragariæ.
Fraxinellæ.
Fumariæ.
Galegæ.
Gallii.
Gallitrichi.
Geranii.
Hederæ arb.
terr.
Herniariæ.
Hirundinariæ.
Hyperici.
Hyſſopi.
Jaceæ.
Intybi.
Ivæ arthet.
Juniperi.
Lactucæ.
Lapathi acuti.
Lappæ maj.
Lavendulæ.
Lepidii.
Leviſtici.
Liguſtri.
Linariæ
Linguæ cervinæ.
Lupuli.
Lyſimachiæ.
Majoranæ.
Malvæ.
Marrubii.
Matricariæ.
Matriſylvæ.
Meliloti.
Meliſſæ.
Menthæ.
Saracenicæ.
Menthaſtri.
Mercur.
Milleſolii.
Milii ſolis.
Mororum.
Morſus Diaboli.
Naſturtii aquat.
hortenſ.
Nepetæ.
Noli me tangere.

HERBA *Nummulariæ.*
Nymphææ.
Ononidis.
Ophiogloſſi.
Origani.
Papav. errat.
Paralyſeos.
Parietariæ.
Pentaphylli.
Perfoliatæ.
Perſicariæ.
Petaſitidis.
Petroſelini.
Pimpinellæ.
Plantaginis.
Polygoni.
Polygonati.
Polytrichi aurei.
Portulacæ.
Prunellæ.
Ptarmicæ.
Pulegii.
Pulmonariæ.
maculoſæ.
Pyrolæ.
Roriſmarini hort.
ſylv.
Roris ſolis.
Rubi vulg.
Rutæ hortenſ.
murar.
Sabinæ.
Salicis fol.
Salviæ.
Sambuci folia.
Saniculæ.
Saponariæ.
Saturejæ.
Saxifragiæ.
Scabioſæ.
Scariolæ.
Sclareæ.
Scordii.
Scrophulariæ.
Sedi maj.
min.
Senecionis.
Sigilli Salom.
Solani.
Sonchi.
Spinachiæ.
Talictri.
Tanaceti.
Taraxaci.
Thymi.
Tiliæ.
Tithymali.
Tormentillæ.
Tuſſilaginis.
Valerianæ vera.
vulg.

HERBA *Verbasci.*
Vermicularis.
Veronicæ.
Vesicariæ.
Vincæ pervincæ.
Vincetoxici.
Violariæ.
Virgæ aureæ.
Vitis.
Volubilis.
Umbilici Veneris.
Urticæ maj.
min.
Rom.
Uvulariæ.

FLORES *Acaciæ.*
Anethi.
Anthos.
Aquilegiæ.
Bellidis.
Betonicæ.
Borraginis.
Buglossæ.
Calendulæ.
Centaurii min.
Chamom. Rom.
vulg.
Cheiri.
Cichorei.
Consol. regal.
Cyani.
Enulæ.
Epaticæ nob.
stellatæ.
Fabarum.

FLORES *Farfaræ.*
Geniſtæ.
Hyperici.
Jaceæ.
Lavendulæ.
Lilior. alb.
convall.
Lupuli.
Malvæ arbor.
vulg.
Matricariæ.
Meliloti.
Melissæ Ital.
Nymphææ.
Ononidis.
Papav. err.
hortenſ.
Paralyseos.
Perſicorum.
Pæoniæ.
Primulæ veris.
Pruni ſylveſtris.
Roſar. albar.
rubrar.
ſylveſtr.
Salviæ.
Sambuci.
Saxifragiæ.
Scabioſæ.
Tanaceti.
Tiliæ.
Tunicæ hort.
ſylv.
Tuſſilaginis.
Verbaſci.
Violarum.

LIBRI SECUNDI
SECTIO IV.
DE
CORTICIBUS ET LIGNIS.

CAPUT I.
DE
CASSIA LIGNEA ET CASSIA CARYOPHYLLATA.

§. 1.

CASSIA LIGNEA convolutus cortex eſt, cinamomo paulo craſſior, ſapore tamen odoreque multum debilior, ſed ſubviſcoſus, cinamomo etiam multo rubicundior, ſimiliterque ab exteriore cortice liberatus. Ex India Orientali in Germaniam locaque alia transfertur, & à nonnullis *Mutter-Zimmet* vocatur, quod tamen nominis cinamomo craſſiori tribuitur rectius.

§. 2.

Cujus arboris cortex ſit? auctores inter ſe diſcrepant: ſententias vide, ſis, apud *Schræderum*

rum in *Pharm. Medico-Chym. pag.* 45. Multi iſtius arboris corticem eſſe exiſtimant, de qua Cinamomum ſumatur, cujus exterior craſſiorque cortex Caſſia Lignea, medius vero Cinamomum vocetur, quæ *Hernandezii* in *Theſauro Rerum Med. Nov. Hiſp. pag.* 35. opinio eſt. Alii contra veroſimilius credunt utrumque corticem prorſus diverſarum arborum eſſe progeniem, facie tamen ſibi ſimilium. *Pometus* Materialiſta iſtam fortaſſe à canella ſylveſtri putat proficiſci, quam caput ſequens ſiſtit deſcriptam, quamve inter veras canellæ arbores ferunt creſcere. Enimvero *Sam. Daleus* in *Pharmacol. pag.* 386. contrarium oſtendit, majori jure exiſtimans, ab alia iſtam oriri canella, quam Arborem canelliferam Malabaricam vocat, utpote in Inſula Malabara, Java &c. creſcentem, barbaris Garvam dictam, cujus figura in pretioſo *Horto Malabarico T. I. fig.* 107. ſiſtitur contemplanda.

§. 3.

Pro diverſitate arborum prædictus *Daleus* duas quoque caſſiæ ligneæ conſtituit ſpecies, unam ex tenuibus, ſed valde glabris, corticibus ac canalibus conſtantem, alteram craſſiores cortices fiſtulasque habentem. Hæc plerumque noſtris in officinis reperitur: prior contra cinamomo ſæpe miſcetur, ab iſto tamen facile diſtinguenda, utpote multo debiliori ſapore odoreque prædita, in ore prorſus viſcoſa apparens, in iſtoque fere tota ſolubilis. Cinamomum contra omnis ſaporis viſcoſi expers eſt, ac de ejus quoque cortice ſemper aliquid manet reſiduum.

§. 4.

Optima eſt recens coloreque ſaturata, ſapore etiam ac odore aromatica, cinamomo accedens, inque ore ſolubilis, ſecundum *Charaſium* in *Tract. de Theriacæ Ingredientibus pag.* 134. Lata craſſaque ſaporis nullius quam lignei, necquicquam prodeſt, ac propterea abjicienda.

§. 5.

Vires ejus cum cinamomo conveniunt, idque eo magis, quo eſt melior: cujus etiam intuitu ad theriacam ſumitur. Iſte verò abuſus, quo cinamomo permiſta divenditur, vehementer culpandus, dum una libra boni cinamomi libras IV. caſſiæ ligneæ pretio æquat.

§. 6.

Similem fraudem cum

CASSIA CARYOPHYLLATA

(*Nelcken-Zimmet*)

committunt, quâ pulverem caryophyllorum ſæpe adulterant. Prorſus ignotus majoribus noſtris cortex fuit, qui ante 60. vel 70. annos primum à Luſitanis, ut hodie ab Anglis, ex America cœpit afferri. Ex tenui, fulvoque & ab exteriori putamine depurgato cortice conſtat, cinamomi adinſtar in oblonge rotundos canales convoluto. Saporis eſt acris, pungentis & aromatici, odoris caryophyllacei. Ex Braſilia & Madagaſcara in corbibus junceis venit, magnis foliis primum involuta, quæ nihil aliud ſunt, quam Arum hederaceum foliis biſectis, rigidis & ſcutatis, quibus diu aſſervatur, vid. *Pometus pag.* 131. Num vero CORTEX CARYOPHYLLODES, à Clariſſimo Indiæ Orientalis Botanico, *Dn. Georgio Everhardo Rumpffio*, in *Herbariô Amboniçô Lib.* 2. *cap.* 22. deſcriptus & CULILAWAN ab iſto vocatus, idem cum caſſia caryophyllata ſit, & ab eadem arbore ſimiliter *l. c.* deſcripta, oriatur, vel propterea dubito, quoniam hic ultimus priori multo eſt craſſior. Interea prædicti libri compendium ſeu extractum, inter *Herberti de Jager Mſc.* repertum, ſub fine hujus tractatûs, poſt epiſtolas *Indiæ literatæ*, adjungi curavi.

§. 7.

Arbor caſſiæ caryophyllatæ aliqua caryophylli arboris ſpecies eſt, & à *Plukeneto* in *Phytograph. Tab. CLV. fig.* 3. Caryophyllus Aromaticus Ind. Occid. fruct. rot. vocatur, ubi duas communicat figuras, quarum altera cum noſtra convenit. *Hernandezius p.* 30. Americanorum lingua Xocoxochitl, Caninga, Piper Tavaſci vocat: *Franciſcus Redi* Piper chiapæ, alii Pimenta. Folia lauri habet, ſed inſtar myrti acuminata, quam ob cauſam etiam ab *Hermanno in Mſc. M. Med.* Myrtus arborea Americana nominatur, locoque fructûs nigras aromaticas baccas, pipere paulo majores, profert, ſapore odoreque caryophyllos imitantes, quæ intus duo grana, moſchardina referentia, continent, à prædicto *Plukeneto* juxta figuram delineata.

§. 8.

Optima ex tenuioribus corticibus, ab exteriore putamine, plerumque cæſio aſperoque, probe depurgatis conſtat, ex rubello fuſca eſt, ſaporis acris & vere aromatici, una cum odore caryophyllis accedentis. Id quoque dandum operæ eſt, ut ne rancida ſit, nec faſces craſſiore exteriore cortice, inodoro inſipidoque, ut ſæpe ſolet, ſint repleti.

§. 9.

Viribus uſuque cum caryophyllis convenit, caput, ſtomachum, nervos partesque nerveas omnes, præſertim uterum, confortat, ac propterea ad difficilem partum atque hydropem valde commendatur. Sunt, qui cum ſpiritu vini tincturam extrahunt, pro eſſentia caryophyllorum divendendam, à qua fraude benedictio abeſt quam longiſſime. Confectores & Dulciarii iſtam quoque ſaccharo incruſtant, aut pro caryophyllis Tragæis groſſis permiſcent. Quando vero aromatarii iſtam pulveratam pulveri caryophyllorum addunt, nefanda fraus eſt, dum caryophylli quater aut quinquies hoc cortice

tice ſunt cariores. Quæ cauſa eſt, quamobrem Norimbergæ hæc merx prorſus non permittatur divendi, ſed in expoſitione abjiciatur, ut *Marxius* in *Mat. Muſeo p.* 68. commemorat.

§. 10.

Fructus arboris à nemine adhuc vere deſcriptus eſt, præterquam quod *Franciſcus Rhedi*, doctus Italus isque nobilis, in *Experimentis natur. p.*168. iſtius faciat mentionem, iſtumque PIMENTA de CHIAPA ſ. PIPER TAVASCI nominet. Alii

AMOMUM PLINII

vocant, iſtudque eſſe aroma videtur, quod *Pometus in Hiſtoire des Drogues pag.* 120. in arbore Campeſchana creſcens, alio in loco *pag.* 195. ſub nomine Piperis Jamaicenſis deſcribit. Quæ bina facie viribusque cum caſſiæ caryophyllatæ fructu prorſus conveniunt, ſaporque cum odore magnam excitat opinionem bina iſta ab arbore hactenus deſcripta, non vero ab ligno Campeſchano proficiſci, quippe quod ejusmodi ſapore odoreque deſtituitur.

§. 11.

Grana hæc easdem habent vires, quibus caſſiam ligneam pollere diximus, in iisdemque cum iſta uſurpari poſſunt affectibus.

CAPUT II.

DE

CINAMOMO.

§. 1.

CINAMOMUM, CASSIA CINAMOMEA ſ. CANELLA eſt tenuis & ab exterioribus pelliculis liberatus, inque longas cannulas contortus cortex, ex flavo rubicundus, ſaporis acriter pungentis, ſubdulcis & aromatici, odore fragrantiſſimo. Ex India Orientali, inprimis Inſula Ceylon, per Bataviam in Romanum Imperium aliasque regiones tranſportatur: cæterum vero nuſquam, nec in Africa, Sina aut Perſiâ, neque in locis Septentrionalibus, nec in Finnia, ut quidam exiſtimant, creſcit, id quod *Olaus Rudbeckius Part.* 3. *Atlanticæ cap.* 12. *pag.* 506. confitetur, & contra *Diodorum* affirmat.

§. 2.

Arborem *Hermannus* (qui ipſe diu in Ceylon commoratus fuit) primum Laurum Zeylanicum baccis calyculatis vocabat, ipſe verò poſtea in *Catalogo Horti Lugd. B.* ſe correxit, iſtam pro peculiari arboris ſpecie exiſtimans, de qua in *Mſc. Mat. Med.* ſcribit caudicem tiliæ craſſitiem juxta ac magnitudinem habere, latis, magnis ſemperque virentibus foliis, citri foliis ſimilibus, ac caryophyllos redolentibus, eſſe ornatum, quæ ſecundum longitudinem tres nervi, quorum bini ſibi ſemper ſint oppoſiti, tranſcurrunt: quanquam *Plukenetus* aliam ſpeciem ſiſtat delineatam, quæ fere quadrangula habet folia, Parvos, albos, hexapetalos & ſtellatos flores profert, ac poſt iſtos parvos glandes, inſtar olivæ, atque è radice camphoram redolente creſcit, adeò, ut mediante aqua etiam camphora inde poſſit deſtillari, id quod *Tavernierus* in *Itiner. Acta Soc. Angl Vol.* 1. *pag.* 724. & *Acta Hafnienſium Vol.* 3. *pag.* 37. confirmant, fuſiusque à *Dn. Dexbachio* in *Diſp. Inaugurali* Anno 1690. Marburgi, *de Caſſia Cinamomea & Malabathro* habita, oſtenditur.

§. 3.

Nec verò omnes arbores idoneum cinamomum ſuppeditant, ſed juniores ſaltem, trimæ ſcilicet quadrimæque. Quamobrem Indi vetulas, recentibus ſurculis juxta iſtas progerminantibus, evellunt, quo junioribus creſcendi faciant ſpatium. Si quando antiquarum arborum cortices aliis permiſcentur, iſtos tamen poſtea ſeparant, indeque oleum deſtillando proliciunt. Lignum vero juniorum & antiquarum juxta ejusmodi ſapore odoreque deſtituitur, qui in corticibus ſaltem vehementer obſervantur.

§. 4.

Quemadmodum cortices ſeparentur ab arboribus & colligantur, à Dn. *Herberto de Jager* in peculiari Tract. in *appendice hujus libri* reperiundo, pluribus deſcribitur. Bis annuatim fit decorticatio, Februario nempe & Auguſto, quo tempore caulem inter & corticem certa quædam humiditas reperitur, decorticationem reddens faciliorem. Quò appropinquante tempore Nigritæ ac Cinamomi decorticatores, quorum aliquot centum ſunt, primum mediumque corticem ſeparant, tertium relinquentes intactum: hoc enim ſi fieret, arbor periclitaretur. Arbor deinde poſt ſesquiannum novos ſemper cortices progenerat, prioribus, iisque qui raro ſeparantur, teneriores & efficaciores. Separatio autem non alio fit modo, atque apud nos cortices deglubuntur, non obſtante, quod in cannulas intorti ſint: id quod inde oritur, quoniam primum adhuc virides, poſtea autem ab Sole ita intorquentur, qui non ſuo ſolum calore vires ſaporemque exaltat & prolicit, ſed calorem quo-

que eleganter rubicundum iſtis conciliat, qui ab arbore fuſci aſperique veniunt. Quidam cinamomum poſt menſem demum, imo poſt annum, veras nanciſci vires exiſtimant: quibus tamen vix habenda fides eſt, quod omnia terra naſcentia fortiſſima ſint recentia.

§. 5.

Num verò ita collectum ſiccatumque cinamomum pretio tam vili extraneis divendatur, ut *Schurzius in Mater. Muſ. pag.* 26. exiſtimat, adeo, ut libræ 128. optimæ canellæ in Ceilon duobus florenis Hollandicis poſſint emi, vel propterea non videtur credibile, quod Batavi, magnos eam in rem facientes ſumtus, non ſolum deſtinatos labori homines plerumque ſeſquimille aut pluribus militibus tegunt, ſed parem quoque mercenariorum numerum totum per annum alunt; ut adeoque non poſſit non fieri, quin cinamomi pretium valde intendatur, de quo *Tavernierus* legendus eſt pluribus.

§. 6.

Præter vulgare ſupraque deſcriptum cinamomum interdum alia ex Batavia venit ſpecies, ex latis valdeque craſſis corticibus conſtans, quam veteres cum Arabibus Darcheni, Galli Canelle Matte vocant, ut *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 126. commemorat. A Canella ſylveſtri, Katon Karva dicta, proficiſcitur, cujus *Rajus* in *Hiſt. Plantar. Tom.* 2. *fol.* 1562. meminit. Hoc cinamomum, Zeylanico oppoſitum, cinamomum ſylveſtre, *Puſch Zimmet* apparet, ut *G. Meiſterus im Oſt-Indianiſchen Luſt-Garten p.* 78. loquitur. *D. Ammannus* in *Tract. de Mat. Med.* cinamomum uterinum vocat, quo nomine aliàs quoque caſſia lignea indigitatur. Cæterum omnibus habetur vulgari debilius, quippe cujus ſapor in interiore ſaltem tenui pellicula conſiſtit, qua abraſa reliquum ſucco atque virtute, ſapore odoreque juxta deſtituitur.

§. 7.

Commendant cinamomum corticis tenuitas & teneritudo, ſapor acris, adſtringente dulcedine moderatus, odor fragrans, colorque ſaturatus. Cortices craſſiores, quique albi aut nigricantis coloris ſunt, rejiciuntur. Cinamomum longis fiſtulis ſ. cannulis veniens magis æſtimatur, quam curtum, *Spolett* & Gallis *Eſcaviſſon* vocatum, cujus libras duas pro libra una longioris in emtione permutant, teſte *Schurzio l. c.* Qui magna iſtud quantitate emunt, diligenter reſpiciant, ut ne cortices, ex quibus oleum jam deſtillatum eſt, ſint permiſti, id quod difficulter dignoſcitur, niſi una poſt alteram deguſtetur cannula. Cui tamen rei impoſtores invenerunt remedium, quo tanquam maceratione corticibus ſaporem acrem reddere didicerunt. Ab notis igitur ingenuisque hominibus emendum, neutiquam vero à Circumforaneis & ſarcinarum portatoribus, prorſus fugiendis. Sunt qui cinamomum piperi indunt, quo iſtud melius putant aſſervari. Caſſia lignea ſapore facile cognoſcitur, qui unguinoſus multumque ab acrimonia cinamomi eſt diſtinctus.

§. 8.

Quod ad vires uſumque attinet, cinamomum particulis ſuis volatilibus aromaticis ſpiritus vitales reficit, cæteraque virtute calefaciente modiceque adſtringente ſtomachum, uterum aliaque membra confortat, propterea que in lipothymia, palpitatione cordis, dolore ventriculi ſ. cardialgia & angore, præſertim vero in paſſione hyſterica morbisque gravidarum utiliter uſurpatur. Quibus tamen prudenter dandum, quoniam ſimul pellit, atque adeo facile hæmorrhagiam uteri, abortumque inducere poteſt, nimis ac crebrius ſumtum. Quam ob cauſam cinamomum, quæve exinde præparantur, partum, ſecundinas lochiaque promovent, ac parturientibus, præſertim ingruente lipothymia ac imbecillitate, propterea præſcribuntur. Non minus in affectibus capitis, apoplexia, catarrhis ſimilibusque, inprimis ex vitio ſtomachi ortis, cinamomum perutile eſt.

§. 9.

Iſtos in uſus non ſolum in pulverem redactum cinamomum eſt, ſed ſaccharo quoque habetur obductum, Canella de Milano quibusdam dictum. Quemadmodum etiam Batavi recens adhuc cinamomum in India condire & obducere norunt, quo tamen magis in mari degentes ad ſcorbutum, quam apud nos utuntur. Quibusdam in locis Materialiſtæ aquam cinamomi, ſyrupum, rubram albamque eſſentiam, ad vinum Hippocraticum, ſimiliaque, quæ Monte Peſſulano afferri curant, divendunt, quamvis etiam apud nos in Germania præparentur. Sic etiam

OLEUM CINAMOMI

apud nos poteſt deſtillari, & omnium quidem optimè ſuper lampadis igne, qua operatione, præter vulgare, rubrum ac craſſiuſculum oleum, quod ultimo habetur, primum vehementer ſubtile, penetrans leveque acquiri poteſt, aquæ deſtillatæ innatans, quum vulgare contra ſtatim fundum petat, de quo *D. Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 548. eſt verboſior. Quoniam vero deſtillatio hic locorum peragenda nimis pretioſa eſt, dum ex libra una vix drachma olei poteſt acquiri, ſecundum *Lemery* in lib. cui Titulus: *Cours de Chymie*, & *Vielheurii* in *Deſcriptione Mater. Exotic. pag.* 94. ſupputationem: Batavi contra certum aliquod ſcire artificium perhibentur, de quo *Pometus l. c. pag.* 128. præcipue ſcripſit, hinc Mate-

Materialiſtæ majori ſuo commodo ab iſtis oleum emunt. In ejus tamen emtione ſimus circumſpecti, ut ne decipiamur, propterea, quod impoſtores hocce oleum cum ſpiritu vini rectificatiſſimo maritare ac permiſceere dicuntur, adeò ut, ſi olei haberi uncia putatur, iſtius vix dimidia pars eidem interſit. Quæ tamen fraus ita detegitur: vitrum, cui oleum ineſt, probe agitetur, & num parvæ veſiculæ ſive perlæ appareant, aquoſæ ſpirituoſæ humiditatis teſtes, obſervetur: aut cuſpis cultri immergatur ignique admoveatur; ſi quando oleum ſtatim flammam ſuſcipit, ſuſpicio permiſti ſpiritus vini rectificati non eſt vana: ſin vero non ſtatim inflammatur, ſed ſaltem fumum ſpirat, oleum judicatur purum. Hoc oleum vera cinamomi Quinta Eſſentia eſt, cum ſaccharo Canarienſi facilime in Elæoſaccharum redigendum, inque morbis ſupra memoratis utiliter uſurpandum. Turinenſe Roſſoli quoque ingreditur, ſecundum *D. Spleiſſenium* in *Annot. ad Zapat. Mirabil. pag.* 39. ita præparandum: ℞. & Cinam. Caryoph. Lign. rhod. ana ℈ß. Moſch. Ambr. ana gr. iij. Sacch. ▽ roſar. ſpiritus vini ana ℔j. M. S. A. filtrentur. Deſcriptiones cæterorum compoſitorum ſpecierum, ſc. Diacinam. Balſam. &c. in Diſpenſatoriis, *Schrædero* hujusque Interpretibus, *Hoffmanno* & *Ettmüllero*, & Doctoribus aliis reperiuntur.

CAPUT III.

DE

CORTICE WINTERANO ET CANELLA ALBA.

§. 1.

COrticibus aromaticis, hactenus enumeratis, non immeritò annumeratur CORTEX WINTERANUS, qui craſſus ſolidusque convolutus cortex eſt, foris tegumento cinereo, muſcoſo, ac multis rimis hiante & inæquali obductus, intus ſubfuſcus apparens, ſapore acri aromatico, odore fragrantiſſimo. Ex India Occidentali, ubi primum à Nobili Anglo, *Wilhelmo Wintero*, inventus, itaque appellatus eſt, in Angliam fuit translatus. A quibusdam etiam CHAQUERILLE ſ. SCHACHARILLA vocatur, quod nominis Hiſpanorum lingua corticem ſignificat, quo etiam nomine Chinam Chinæ caſcarillam de la Oja (*Fieber-Rinde*) volunt indigitari, ut *Stiſſerus* in *Febr. Intermitt. Conſult. Nova cap.* 16. *pag.* 95. ſcribit.

§. 2.

Arborem quidam Botanici canellam Laurifoliam Magellanicam, cortice acri, vocant, quæ *Samuelis Daleo pag.* 373. *Phytol.* Periclymenon odoratum videtur. Folia profert inſtar lauri, fragrantes albos floſculos, quibus viridiuſculæ baccæ ſuccedunt, ut figura, à *Pometo in Hiſtoire des Drogues pag.* 125. exhibita, oſtendit.

§. 3.

De multorum ſententia cortex Winteranus nihil aliud eſſe perhibetur, quam canella alba, quam alias quoque coſtum ventricoſum nominant, quam etiam opinionem ipſe *Pometus* amplectitur, ſed à verò prorſus alienam. Duo enim iſti cortices, prorſus ab ſe invicem diſtincti, à duabus diverſis arboribus oriuntur, nullamque externa facie ſimilitudinem exprimunt, quamquam ratione virium conveniant, quas tamen in coſto ventricoſo multo deprehendimus penetrantiores. Quamobrem Clariſſimus *D. Paulus Hermanni in Mſc. ſuo* id inter utrumque conſtituit diſcriminis, ut corticem hactenus deſcriptum CORTICEM WINTERANUM VERUM, canellam albam vero CORTICEM WINTERANUM SPURIUM vocaret, quem Pharmacopolæ ſæpe ſubſtituunt, ſi quando verus iſtos deſtituit.

§. 4.

Cortex Winteranus vi calefaciendi diſcutiendique pollet, qua ad confortandum ſtomachum, ad attenuandum craſſum & ſcorbuticum ſanguinem, tuendamque ſanguinis circulationem valet. Hinc in affectibus è ſale marino ortis, ſcorbuto ſimilibusque valde utilis eſt: quem proinde *Williſius* in Paralyſi artuumque impotentia vehementer commendat, ad quos volatili ſua acrimonia partibusque oleoſis penetrantibus confortandos aptus natus eſt. A decem granis ad XV. pulveriſatus exhibetur, in infuſo vero aut decocto ad drachmam aut duas ſumitur. Exinde quoque aqua deſtillatitia, cui oleum innatat, ex quo cum ſacchato trito facile Elæoſaccharum in prædictis morbis poteſt confici. Extrinſecus ad clyſteres ſumitur, in apoplexia, lethargo ac ſimilibus applicandos. Tabacophyli pauxillum tabaco addunt, quod fragrantem odorem ſpirat, meros caryophyllos æmulantem. *D. Apinus* pro China Chinæ ſubſtituit, iſtoque mediante non febres ſolum erraticas, ſed petechiales quoque curavit, ut ex ejus *Hiſtorica Relatione Febris Epidem. A.* 94. & 95. innoteſcit.

§. 5. Gal-

§. 5.

Gallus Materialiſta *Pometus* reſinæ quoque ex arbore exſudantis meminit, quam Gummi ALOUCHI vocant; nondum nobis innotuit. Americani ſuffumigiis addere perhibentur.

§. 6.

Quod verò ad CORTICEM WINTERANUM SPURIUM ſ. CANELLAM ALBAM attinet, ab cortice Winterano vero facile diſtinguitur: ille ſiquidem fere bis craſſior eſt hoc poſteriore, plerumque etiam ab exteriore putamine depurgatus venit. Cortices foris juxta intusque candidi ſunt, multo etiam ſolidiores & tenaciores, ſapore valde acri aromatico, odoreque fragrantiſſimo pollent. Interdum externum putamen vel totum, vel ſecundum partem, adhæret, multo ſpongioſius interiore cortice, rugoſum, aſperum & tam ſecundum longitudinem quam latitudinem rimoſum, atque adeò externa facie ſambucum referens, teſte *D. Olao Wormio* in *Muſ. pag.* 176. Cum aliis aromatibus in faſciculis inque putaminibus ex India venit, atque in officinis noſtris plerumque COSTUS VERUS, COSTUS CORTICOSUS ALBUS vocatur, licet cum coſto vero, præter vires, nihil habeat commune, quippe qui Arabica radix eſt, ut alibi fuit oſtenſum. Quam ob cauſam etiam *Charaſius* corticem iſtum theriaca vult excluſum, vid. ejus *Tract. Gallicus de Theriac. Ingred. pag.* 125.

§. 7.

A quâ verò arbore hic cortex oriatur, auctores inter ſe diſcrepant, quorum opinionem vide, ſis, apud *Wormium l. c.* Præcipui Botanici in eo hodie conveniunt, à quadam caſſiæ arbore, quam caſſiam ligneam Jamaicenſem vocant, provenire, ſimiliter folia inſtar lauri, purpureos floſculos fructumque, minoribus glandibus ſimilem, proferente, quam a *Samuele Daleo pag.* 383. deſcriptam, *Plukenetus* in pretioſa ſua *Phytographia Tab. LXXXI. fig.* 1. delineavit, atque in figura dedit contemplandam.

§. 8.

In emtione canellæ hujus albi glabrique tubuli eligantur, ab exteriore aſperioreque putamine probe depurgati, vere acri & ex omni aromate quaſi compoſito ſapore prædiți, qui acrimonia piper, odore & fragrantia nuciſtam ſuperet, vel auctore *Hermanno*, ex caryophyllis, cochlearia & cinamomo quaſi permiſtus & congregatus ſit. Hinc eſt, quamobrem *Marxius* prædictum coſtum bonum, quodque aroma in ſe continere ſolum ſcribat in *Muſ.* ſuo *Germanico.*

§. 9.

Ratione qualitatum in multis cum cinamomô convenit, quanquam tantum in ſe non habeat olei. Interea multo majorem valdeque penetrantem acrimoniam habet, ac propterea antiſcorbuticis annumeratur, ipſique cortici Winterano, ubi deficit, poteſt ſubſtitui. Cæterum, aromatum ritu, ſtomachum, caput ac nervos confortat, in apoplexia præſertim, in qua præſtans eſt medicina. In paſſionibus quoque colicis ac hyſtericis proficit, inprimis recenti theriaca caſtoreoque permiſtus. Iſto manſo quidam Medici à morbis contagioſis ſe defendunt.

§. 10.

Ejus pulvis, eſſentia, electuarium, & deſt. ſ. & comp. pilulæ & quæ porro evinde præparari poſſunt, in iisdem caſibus uſurpantur, quæ partim in *Schrædero*, partim in *Ettmülleri Comment. pag.* 554. inveniuntur.

CAPUT IV.

DE

CHINA CHINÆ.

§. 1.

CHINA CHINÆ, ſ. KINKINA, amarus & adſtringens arboris cujusdam cortex eſt, foris ex cano flavens & paulum muſcoſus, intus cinamomum referens: idque nominis obtinet, non quod in China creſcat, dum non ex Orientali, ſed Occidentali India affertur, ſed quoniam Comitis del Cinchon, in Regno Peru Vice-Regis, uxor iſta mediante febri levata, primumque in Europa cœpit innoteſcere. Qui cortex, quod Anno 1650. à Cardinale de Lugo, Ordinis Jeſuitarum, primum in Europam delatus eſt, ejusque pulvis à P. P. Soc. Jeſu ad febrim in peculiari Tract. fuit commendatus, pulvis Jeſuiticus vocabatur. Latine rectius CORTEX PERUVIANUS & cortex febrifugus (*Peruvianiſche Fieber-Rinde*) vocatur, cujus uſu quod febris quartana abigatur, *Ammannus* in peculiari *Tr. Antiquartium Peruvianum* nominat.

§. 2.

Arbori, de qua cortex deglubitur, Gannanaperide nomen eſt, inque America creſcit, præſertim in Regno Peru, in Quitto Provincia, in vicinia urbis Loxæ, & quidem in montibus. Magnitudine fere ceraſum æquat, rotunda folia profert, inſtar pruni, ſimul tamen fibroſa, una cum longo rotundo flore, more florum balauſtiorum.

ſtiorum. Quem num fructus aliquis ſequatur, diverſæ Doctorum ſunt opiniones. Multi hanc arborem ſterilibus volunt annumerari, quam præter florem credunt proferre nihil. *Pometus* Materialiſta contra affirmat ſe ex certo aliquo Doctore Medicinæ, qui ſæpius in India Occidentali fuerit, audiviſſe, ejusmodi arborem aliquem omnino progenerare fructum, in quo amygdalum, tenui putamine obductum, ſit reperiundum. Quicquid ſit, celebris tamen valdeq; utilis cortex omne rependit, cujus intuitu quidam hanc arborem Arborem Vitæ ſolent vocare. Ejus lignum Hiſpani Palo de Calenturas (*Fieber-Holtz*) nominant, quali etiam nomine ipſum corticem inſigniunt.

§. 3.

Indi corticem ita ſortiuntur, ut circa radicem montium, aut in vallibus, creſcentem, pro viliſſimo, in cacumine montium provenientem pro mediocri, è montium medio progerminantem pro optimo habeant. Prior ſiquidem nimium nutrimenti & humiditatis aſſumſit, ac propterea craſſior evaſit, intusque pallidior apparet. Medius parum habet nutrimenti, proptereaque multo eſt tenerior, colore etiam ſaturatior. Ultimus eſt optimus, quippe qui nec minimum, nec nimium attraxit humiditatis, eamque etiam ob cauſam amariſſimus & maxime fuſcus, ſimul tamen omnium rariſſimus exiſtit, vid. *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 133.

§. 4.

Præter has tres ſortes alia adhuc apud quosdam Materialiſtas invenitur ſpecies, CHINA SPURIA (*Baſtard-China*) vocata, extrinſecus incana, ſcabra & muſcoſa, intus nigra, quæ vel ex aliis corticibus, aloë cum infectis, tum amaris redditis, conſtat, quem dolum quidam Pharmacopola Romæ detexit: vel antiqua corruptaque China china eſt, propterea multo vilior, viribus vero longe inferior, quam vera & genuina. Ne quis igitur tam facile circumveniatur, obſervandum verum corticem Peruvianum durum eſſe oportere, ponderoſumque ac ſiccum, nec aqua corruptum aut aliis impuritatibus permiſtum, quemadmodum ea interdum fruſta apparent, quæ inferius in faſciculis ſive ſarcinis inveniuntur. Foris inſtar corii granulati Indorum, Segrein dicti, appareat, ſubfuſcas & albicantes muſci maculas ſparſim habeat, intus non prorſus rubra, corruptæ modo, ſed inſtar canellæ rubicunda ſit: qui tamen color, extrinſecus exiſtens, illum non commendat, ab aliis licet rerum imperitis præ aliis æſtimatus. Parva etiam ſinaque fruſtula ſunt optima, facile quidem friabilia, nullam tamen farinam aut pulverem deponentia, nec intus fibroſa. Veri ſapor amarus eſt & ſubaromaticus: Odor fragrans, ſed tamen quaſi ſubmucidus, nec vero adverſus: quem odorem clariſſimus Anglorum Medicus, *D. Morton*, certum putat eſſe veræ Chinæ Chinæ indicium. Si ſorte aliqua aloë infecta fruſta fuerint permiſta, iſta ex nauſeoſo amarore tenacique viſciditate, quam in ore poſt ſe relinquunt, facile dignoſces. Caſſiam caryophyllatam vero pro genuina China chinæ non poſſe haberi jamdum *D. Hoffmannus* in *Comm. Schræd. p.* 443. oſtendit.

§. 5.

Quod vires hujus corticis attinet, ſolus fere hucusque ad omnes febres intermittentes, præſertim quartanam, fuit uſurpatus, niſi quod quidam Societatis Cæſareæ Germaniæ haud ita pridem obſervarint iſtius non minus, quam aliorum amarorum, uſu lumbricos necari & expelli, qua de re vid. *Miſcell. Cur. Dec. II. A. VII.* Hodie nonnulli, utpote *Hermannus* & *Apinus*, in febribus continuis & petechialibus eô utuntur, plus tamen præſtat opis, ſi febris periodica fuerit permiſta. Admirandum verò tam excellens medicamentum, ſimulac inventum eſt, à quibusdam, neſcio qua ſuſpicione, in odium adductum, ut fere XXX. imo XL. annorum ſpatio in contemtum venerit, donec tandem *Talbotius*, Anglus, iſtud à contemtu vindicavit, poſtquam Delphinum Pariſiis iſto mediante à febri liberavit, magnoque pretio redimi à Rege paſſus fuit, de quo in *Polychreſtis noſtr. Exot. Diſp. de China China* fuſius egimus. Præcipuum myſterium conſiſtit in methodo, qua aſſumi uſurparique debeat: quam juſſu Ludovici XIV. Galliarum Regis evulgatam, poſtmodum è Gallico in Italicum Latinumque ſermonem verſam, imprimendo repetierunt.

§. 6.

Variâ hic cortex formâ uſurpatur, dum ejus pulvis vel vino infunditur, cum iſto ſimul aſſumendus, ſicut prædicto *Talbotio* in more poſitum erat: vel ſyrupo, melli aut conſervæ roſarum additur, ad conſtituendum aliquod electuarium. Exinde quoque pilulæ poſſunt formari, quæ ſi non arrideant, tincturam, eſſentiam & extractum inde præparare integrum erit, de quibus lege, ſis, *Thom. Barthol. Cent. V. Hiſt.* 50. Aliquot etiam abhinc annis obſervatum eſt, in delicatis quibusdam tenerioribusque hominibus, qui medicinam aſſumere nequeant aut nolint, Chinam Chinæ clyſteribus additam febres perfecte curaſſe: id quod junior *Dn. Helvetius*, Practicus Pariſienſis celebris, in peculiari *Tr.* haud ita pridem detexit, & cum eruditis communicavit. Clyſteres verò ſæpius iterandi, cortexque non parce addendus, voti ſi velimus fieri compotes. Quod in uſu ejus interno probe quoque obſervandum, ſedata licet febri, uſum medicamenti aliquamdiu continuandum, vel brevi poſt repetendum, quo ipſo præſtamus, ne febris de integro redeat, quam ſæpe poſt curam ſcimus fieri recidivam. Pauperibus ſimili modo radix Gentianæ, Europæorum Kinkinna dicta,

commendatur, ut *Pometus l. c. pag.* 74. meminit.

§. 7.

Tandem aliùs recentiſſimæ CHINÆ CHINÆ EUROPÆÆ mentionem hîc facere liceat, quæ tamen ARTIFICIALIS magis, quam naturalis eſſe videtur, cujus hoc ipſo, quô in edendo libro hoc occupatus ſum, tempore me participem fecit Archiater Campidonenſis, Dn. *D. Otto Philippus Praunius*, in Lit. die 20. Nov. ad me datis, cujus verba ſunt ſeqq. Æſtate præterita febres tertianæ præter conſuetudinem hîc graſſatæ ſunt, contra quas Chymicus, in vicinis montibus habitans, novam CHINAM CHINÆ (quam vocat) EUROPÆAM mihi communicavit, καθω purgando agentem, utut maxima pars febricitantium quoque ἄνω purgetur. Doſ. eſt ℈j. ad gr. XXV. in adultis, in robuſtioribus à gr. XXVI. ad 28. in robuſtiſſimis ad ʒß. adſcendendo. Datur 2. hor. circiter ante paroxyſmum, in ▽. vel brodio. Si doſis legitima fuerit, febris ſtatim emanet. Sin minus, doſis eadem una ſaltem vice repetitur. Blandiſſimè operatur, ſuperne & inferne. Sub ejus uſu à cereviſia abſtineat æger, ut ſub uſu Chinæ Chinæ, & vomituriens abdomini incumbat. Repetitæ doſes etiam Quartanam curant. Pulvis de cætero eſt fuſci coloris, inſtar Chinæ Chinæ. Unde autem paretur, nondum conſtat. Venditur ʒj. duobus florenis, libra autem pond. civ. XXVI. flor. Hactenus amicus ante laudatus.

CAPUT V.

DE

SUBERE.

§. 1.

SUBER, *Korck*, (ferè unicuique notum,) nihil aliud eſt, quàm exterior cortex exoticæ cujusdam arboris, in Hiſpaniâ & quibusdam Galliæ provinciis copioſè reperiundæ, unde in magnis fruſtis tabulisque affertur.

§. 2.

Suber (*Korck-* ſ. *Pantoffel-Baum*,) craſſitie ac magnitudine quercubus noſtris parum cedens, duplex eſt, unum lata & circumcirca crenata folia habens, ſuber latifolium vocatum: alterum anguſtis minusque crenatis foliis præditum, quod ſuber anguſtifolium audit. Bina glandes proferunt, quæ in anguſtifolio ſunt minores, valdeque craſſo circumdata cortice ſunt, quem *Matthiolus* ulnam vidit æquare, qui ſine ullo arboris damno deglubitur, alias in regiones transvehendus, vid. *Theod. Tabernæmontanus Part.* 3. *Herbar. pag.* 695.

§. 3.

Incolæ, ſuber collecturi, corticem ſecundum totam arboris longitudinem diffindunt, iſtumque deglubunt, & ad certam altitudinem in certis emiſſariis huic rei adaptatis ſibi imponunt, additoque lapidibus pondere cortices aliquamdiu ſinunt jacere. Hinc exemtos tribus aliis foſſis ſucceſſivè imponunt, quos deinde ſiccatos in ſarcinis aliorſum mittunt divendendos.

§. 4.

Sciendum vero duplex eſſe ſuber, album & Gallicum (*vveiſſer Korck*,) atque nigrum ſeu Hiſpanicum (*ſchwartzer Korck*,) quod propterea foris creditur nigreſcere, quoniam aqua marina maceratur. Prius in pulchris tabulis eſſe oportet, nodis tuberibusque deſtitutum, foris intusque ex cano flavum, inciſum, ſolidum & æquale apparens. Alterum extrinſecus nigricans, acſi aduſtum ſit, appareat, intus ſolidum ſed tamen leve ſit. Quò craſſius eſt, eo cenſetur melius, tenue enim parum æſtimatur.

§. 5.

Quod ad uſum ſuberis attinet, in Medicinâ rarò vel nunquam uſurpatur, præterquam quod quidam vulgaris, aut uſti ſuberis, pulverem ad hæmorrhagiam nimiam interne commendent. Externe vero aduſtum ſuber, cum ſaccharo recentique butyro miſtum, hæmorrhoides creditur ſedare. Mulieres etiam infantes ab uberibus depellentes de collo ſuſpendunt, quo lactis copiam imminuant. Cæterum ſutoribus, piſcatoribus aliisque opificibus inſervit. Pharmacopolæ iſto mediante vitra obturant & muniunt. Hiſpani uſtione ſuber in colorem prorſus nigrum valdeque levem redigunt, inſtar atramenti tectorii, quem Galli

NOIR D'ESPAGNE

vocant: diverſis artibus & laboribus inſervit. Vere niger levisque ſit, minime arenoſus, vid. *Pomet. Hiſt. Gen. des Drogues pag.* 137.

CAPUT

CAPUT VI.

DE

AGALLOCHO SEU LIGNO ALOES.

§. 1.

AGALLOCHUM ſ. LIGNUM ALOES (*Paradies-Holtz*) ex certis lignoſis fragmentis arboris cujusdam Sinenſis, vel de ſententiâ *Hermanni in Mſc.* radicis arboris Calambàc vel *Kiſſinà* vocatæ. Hæc fragmenta ſolida, durâ ponderoſaque ac reſinoſa ſunt, magnitudine varia, ſpadicea, nigris reſinoſisque ſtriis, ſaporis acris, aromatici, amari aloëtici, unde nomen habet, accenſa, odoris valde fragrantis. Hoc lignum aliâs etiam *Creutz-* & *Augen Holtz* vocatur.

§. 2.

Num verò iſta fragmenta, quibus in officinis id inditum nominis eſt, verum ac genuinum lignum aloës ſint, & num hoc apud nos minus adulteratum haberi queat, quidam vehementer dubitant, partim quod in paradiſo, aut certè in altiſſimis deſertis locis, ob crudeles leones, tigrides, pantherasque inviis, perhibetur creſcere: partim quod in India Orientali multò, quam apud nos, carius eſt, & ſub vitæ jactura cautum, ne evehatur, id quod *D. Velſchius* in *Miſc. Acad. Germ. Cur. Dec. I. A. 1. pag.* 293. teſtatur, ac *Dn. Rumphius* ex India ad *Dn. D. Menzelium ibid. Dec.* 2. *Annot.* 3. *Obſ.* 22. *pag.* 74. tranſcripſit; quod tamen facile ſolvitur dubium, poſtquam compertum eſt hanc ipſam arborem, olivæ alias haud diſſimilem, rubrumque fructum, inſtar ceraſorum, proferentem, triplex caudice ac radice habere lignum: Unum, quod immediate ſub cortice apparet, prorſus nigrum, ſolidum ac valde ponderoſum, nigrum ebeni lignum æmulatur, ob quem colorem Luſitanis etiam Pao d'Aquila, *Adler-Holtz*, vocatur. Alterum paulò eſt levius, multis venis ornatum, inſtar corrupti uſtique ligni apparens, colore fuſcum, aliâs lignum de Calambouc ſ. lignum aloës rubrum dictum. Tertium medius nucleus eſt, ſive lignum pretioſum de Tambac ſ. Calambac. Horum prius interdum ſub nomine Aſphalati reperitur, ut capite ſequenti dicetur. Alterum Agallochum noſtrum eſt, ſive Xylaloës. Tertium verò usque eò rarum eſt, ut auro æquiparetur, ac nuſquam, niſi apud Magnates reperiatur, quibus ab Indiæ Orientalis Regibus tanquam inſigne munus mittitur; quemadmodum Legati Regis Siam (meo tempore ante XXVI. annos Pariſios venientes) inter alia dona Galliarum Regi magnum malluvium (*Lavoir* vulgò) ex ejusmodi ligno, cum cantharo ex iſto ipſo quoque conſtante ac inſpergendæ aquæ aptato, (quæ omnia modo Sinenſibus ſolenni confecta erant,) obtuletunt, ex quibus poſtea *Pometus* arboris naturam exploravit, ut in ejus *Hiſtoire Gen. des Drogues Lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 104. videre eſt. Curioſiſſimus Dn. *Kæmpferus* in *Amœnit. Exot. Faſc. V. p.* 904. refert ſe ſurculum arboris ex Aula Siamenſi obtentum in Japonia plantaſſe, cujus folia (ibi depicta) conveniunt cum *Figurâ* capiti huic in *Muſ. G.* præfixa. Narrarunt illi Sinenſes arborem nonniſi per vetuſtatem acquirere fragrantem odorem, reſidentem in ſucco reſinoſo, qui putreſcente arbore interiores quasdam ligni partes occupet: cujus fragmenta auro contra cara ſint, ſingulari *Calamba* vel *Calambàk* donata nomine, cum fragmenta cetera nomine ipſius arboris appellentur *Kiſſinà:* Vid. plura *c. l.*

§. 3.

Calambocum igitur, ſ. medium, ad medendum ſatis bonum ſit, quod ſapor amarus probat, præſertim ſi aliquamdiu in ore teneatur, color nigricans cano paulum permiſtus, & venarum copia. Non carioſum ſit, ſed probe reſinoſum; ubi tamen videndum, num reſina ſtudio indita, aut aliud forte lignum, cui Sinenſes aliqua maceratione veri agallochi odorem ſaporemque conciliare norunt, ſit permiſtum. Vid. *Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec.* 2. *Annot.* 3. *Obſ.* 22. Super igne non ſtatim urat, citius verò aliquibus in locis fluat, ac gummi faciat emanare, odorem etiam fragrantem, ambram imitantem, ſpiret, cujus attractus fumus attrahentis os aqua faciat repleri. Non minus ponderoſum ſit, ut, ſive vino ſive aquæ immittatur, fundum petat. Quando vero lignum aloës jam ante coctum, vique optima privatum eſt, valde leve evadit, innatat, caloreque eſt lucidius, vid. *Schurtzii, Marxii* aliorumque *Materialium Muſea.* Omne igitur lignum quicquid prædictis qualitatibus deſtituitur, & tamen pro iſto divenditur, eſt abjiciendum & neutiquam aſſumendum. vid. *Pometus l. c.*

§. 4.

Pro diverſitate qualitatum, & prout lignum aloës in magnis fruſtis, aut ſaltem minoribus fragmentis venit, diſtinctas Materialiſtæ conſtituunt ſortes, finum lignum, medium & fragmenta, ut ex iſtorum catalogis apparet. Finum bis carius eſt medio, fragmenta vero multo viliora ſunt, vid. *Pharmacopolarum Taxationes.*

§. 5.

Quod ad ligni hujus attinet uſum, vi ſua aromatica in lipothymia ſimilibusque morbis

ſpiritus vitales confortat, quanquam recens arboris ſuccus venenoſus habeatur, ut *Act. Angl. Vol. I. pag.* 724. docent. Stomachum quoque, inprimis ſenio confectorum, inſtar ambræ roborat, quibus non minus memoriam reſtituit, vid. *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. p.* 566. Quam ob cauſam ſpecies Diaxylaloës, cucuphas plerumque ingredientes, in ejusmodi morbis proficiunt, de quibus *Zvvelferus* in *Diſp. Aug.* agit. Extractum & eſſentia in *Schrœdero* ejusque Interpretis *D. Hoffmanni Clavi* habentur. Libra una ligni aloës reſinæ uncias duas, plus minusve, ſuppeditat, prout nunc magis nunc minus reſinoſum eſt, ut *Vielheurius* in *Deſcript. Mater. Exot. pag.* 71. obſervavit. Externè pulveres fumales ingreditur, eumque in finem ab Indiæ ſacerdotibus coëmitur, qui iſtud cum humanis cadaveribus comburunt, quo demortuorum animas præſumtis Diis ſuis eo præſtent faciantque acceptiores. Plura, sîs, vid. in *Diſp. Inaugurali de Agallocho* à D. *Reinboth*, ſub præſidio Dn. Prof. *Eyſelii*, Erfurti 1712. ventilata.

CAPUT VII.

DE

ASPHALATO ET LIGNO RHODINO.

§. 1.

LIGNUM ASPHALATI (*Rhodiſer-Dorn*) ligneum & ex multis venis quaſi contortum fragmentum eſt interioris radicis, quam diverſi colores quibusdam in locis rubicundam reddunt. Aliâs inſtar buxi apparet, ſimiliterque dura, ponderoſa & unctuoſa radix eſt, craſſo canoque cortice cincta, qui tamen raro adhærere permittitur. Sapore ſubamaro & oleoſo pollet. Vid. *Sam. Daleus* in *Pharmacol. p.* 467.

§. 2.

Arbor multo ignotior eſt quam Agallochi, ac propterea ſæpius cum Ligno Rhodino, quod fere refert, confunditur, præſertim cum in Inſula Rhodo quoque perhibeatur creſcere. Alii in Syria & Ægypto creſcere exiſtimant, vid. *Marxii Mater. Muſ. pag.* 22. *Alpinus* fruticem eſſe affirmat, crebrioribus ramis & albis ſpinis ornatum, tres ulnas longum, elegantes & fragrantes flores proferentem, quemadmodum ex ipſius *libro de Plant. Ægypt.* in *Appendice Pharm. Schrœderi pag.* 2. deſcribitur.

§. 3.

Nonnunquam etiam prorſus nigrum valdeque ponderoſum lignum, ſub nomine aſphalati, apud Materialiſtas reperitur, cujus fruſtum mihi oblatum eſt, quale *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 105. verum lignum aquilæ eſſe exiſtimat, de quo capite præcedenti egimus.

§. 4.

Vires fere easdem habet cum agallocho, quocum etiam ſæpius adulteratur: quanquam in eo dignoſcatur, quod lignum aſphalati nullam in ſe reſinam contineat, ut lignum aloes, ſed tamen longe facilius urat. Ad Trochiſcos Hedychroi potiſſimum requiritur, ſub quibus etiam ſumitur ad theriacam, de quibus in appendice cit. *Schrœderi* agitur fuſius. *Charaſius* ejusmodi trochiſcis agallochum addi poſſe exiſtimat, quando verum aſphalatum deficit, vid. *Tract. ejus de Theriac. Ingred. pag.* 65. In regionibus exteris vaſa, menſæ ac ſellæ exinde conficiuntur.

§. 5.

Cum iſto multum convenit

LIGNUM RHODINUM

(*Roſen-Holz,*)

quod potius lignoſa arboris ſeu fruticis cujusdam radix eſt, ſed tamen ligni adinſtar dura, ſolida oleique plena. Exteriore margine albi, in medio ex obſcuro flavi coloris eſt, ſaporis amari, odoris fragrantiſſimi roſasque imitantis. Ex India Orientali venit, inprimis Regno Sina; quanquam etiam in Rhodo Cyperoque Inſulis, à quibus etiam nomen habet, perhibeatur creſcere.

§. 6.

A quô verò vegetabili lignum Rhodinum oriatur, nondum adeò certum eſt, dum hodierni expertiſſimique Botanici in eo non conveniunt. De ſententia *D. Hermanni* Cytiſi Canarienſis lignoſa creditur eſſe radix, cui tamen *D. Ammannus* vel propterea contradicit, quod cytiſus nullum oleum ſeu reſinam, tanquam lignum Rhodinum, ſuppeditat. Alii iſtud ab arbore quadam, caſtaneæ quodammodo ſimili, derivant, ut *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 105. ex *P. du Tertre Itinerario* in Fig. æneâ ſiſtit contemplandum. A *Plukeneto* contra Arbor Lucens vocatur, aliterque in pereleganti ejus *Phytographia Tab. CCI. fig.* 3. delineatur. Tempus igitur aliquando dabit certitudinem.

§. 7.

Maxima fruſta ſunt optima, modo adhuc recentia, ponderoſa & obſcure flaventia ſint, roſas bene redolentia, glabra etiam minusque intorta apparentia.

§. 8. Vim

§. 8.

Vim adſtringendi ei volunt adſcribi, ob nimiam vero caritatem raro uſurpatur, niſi quod nonnulli in nephritide exinde decoctum præparent. Externe plerumque ad pulverem pro crinibus, & ſuffumigia ſumitur, ſicut etiam Chirurgi ejus raſuram in aqua coquunt, qua ad tondendam Magnatum barbam utuntur. Sunt, qui iſto mediante aquam roſarum imitantur, quam eo minoris poſſunt divendere ſecundum *Pometum l. c.*

§. 9.

Batavi album fragransque oleum exinde proliciunt, ſub nomine OLEI LIGNI RHODINI ad nos transferendum, quanquam etiam hic loci poſſet deſtillari: quoniam libra una ligni unciam unam olei dimittit, *Vielheurio* ita ſupputante. *Glauberus pag.* 34. *Part.* 1. *Op.* cum ſpiritu vini plus exinde cogi poſſe olei docet. Hoc oleum principio inſtar olei olivarum tenue eſt, temporis tamen ſucceſſu craſſeſcit & obſcure rubrum evadit. Iis, qui fumigando odoris fragrantiam conciliant, unguentisque grato odore imbuendis inſervit. Notabile eſt, quando *Ludovici pag.* 707. *Pharmac.* ligni hujus mediante ſaccharo inſtituere fermentationem docet, quo ſpiritus per ferment. ex eo deſtilletur.

CAPUT VIII.

DE

LIGNO GUAJACO.

§. 1.

GUAJACUM Officinarum (*Frantzoſen-Holtz*) valdè durum, ſolidum ac ponderoſum lignum eſt, extrinſecus ex albo flavum; inſtar buxi, ſecundum meditullium obſcure fuſcum & reſinoſum apparens, ſapore acriter amaro odoreq; aromatico præditum. In magnis longisque fruſtis, 400. vel 500. librarum pondere, affertur ex India per Venetias, ac vulgo etiam LIGNUM SANCTUM appellatur, quod multi, utpote *Schræderus* ejusque Interpretes *D. Hoffmannus* & *D. Ettmüllerus*, unum eſſe lignum exiſtimant. Enimverò hodierni Botanici Guajacum & lignum ſanctum à diſtinctis arborum ſpeciebus proficiſci teſtantur, ut *Terrentius* jamdum in *Notis ad Hernandezium pag.* 63. oſtendit, ac infrà pluribus commemorabimus.

§. 2.

Arbor copioſiſſime in Novâ Hiſpaniâ, in Inſula S. Domingo creſcit, magnitudine juglandis, elegantibus craſſis ac rotundis foliis, in ramis è regione poſitis, ut ex fig. *Plukeneti Tab. XXXV.* apparet, quæ venas formamque multò elegantius, quam *Pometi* figura, exhibet. Profert flores coronatos, pallide flaventes, ac longis petiolis propendentes, & ſiliquam tanquam burſa paſtoris, in qua ibidem delineatus nucleus reperitur, à *Terrentio* memorato *l. c.* ſeorſim oculis ſubjectus, duobus ſibi impoſitis lupinis ſimilis.

§. 3.

Optimum eſt, quod à mediæ ætatis arbore oritur, quippe quam cenſent efficaciſſimam, dum juniores adhuc imperfectæ, Veteres verò debiles viribusque deſtitutæ ſunt. Media ætas in ramis dignoſcitur, mediocres enim ſunt optimi. In emtione etiam videndum, ut æquale ſit, minime nodoſum. Quo plus habet nigricantis nuclei ſ. medullæ, eo eſt melius, quippe cui plus ineſt reſinæ. Tenuia fruſta citius crebriusque venduntur; ii igitur quorum non adeo ampla eſt mercatura, fruſta magna in parva incidant. Habetur etiam raſum, Raſura ligni ſancti dictum; qui verò effectum ſperat exoptatum, ipſi ſibi radi lignum curet, quod vulgaris raſura à tornionibus, ſcriniariis ſimilibusque opificibus emta, multis aliis fragmentis quisquiliisque ſæpe ſit referta. Multi lignum aqua probant, cujus etiam minima fruſta, ob pondus ſuum, fundum petunt, omni alio ligno aquæ innatante. vid. *Terrentius l. c. Marxius* & alii.

§. 4.

Uſus ligni fere unicuique vel ex ſolô nomine innoteſcit, in curando morbo Gallico celebris. Hiſpanus quidam, cui *Conſalvo* nomen erat, hoc remedium primus invenîſſe, iſtoque plus quam trecenties mille florenos liberis ſuis conquiſiviſſe dicitur, teſte *Vielheurio* in *Deſcriptione Mater. Exot. pag.* 109. cujus inveniendi occaſionem deſcribit *Hoffmannus in Cav. Schræd. pag.* 473. Sudorem urinamque potenter promovet, quem ob finem etiam poſtmodum multis in aliis morbis, arthritide, catarrhis, hydrope, ſcabie ac ſimilibus ad purificandum ſanguinem fuit uſurpatum. Plerumque aqua maceratur, poſteaque ad medietatem aut tertiæ partis remanentiam incoquitur: quod tamen decoctum æſtivo tempore ultra diem tertium non durat, ut *Terrentius l. c.* monet. *Mayowius* Anglus, in *Tract. de Nitro pag.* 37. ejusmodi decoctum à ſpiritu ☉ agitari exiſtimat, quod curioſum eſt, quippe alkalinæ iſtius vires ita poſſent demonſtrari. Quod remanet, pro potu ordinario de integro coquitur, de quô lege, ſi *Sartorium* in *Frantzoſen-Artz.* In officinis extractum inde præparatur, atque ex libra una ligni ex-

tracti ☿. methodo *Vielheurii l. c.* possunt acquiri. Alii spiritum oleumque ex eo destillant, quæ una cum ☌ apud *Schræderum pag.* 77. reperies. Quæ Artifices varii, torniones, scriniarii &c. ex isto conficiant, nota sunt, atque huc non pertinent, nisi quod nonnulli confectos exinde globulos ad indurata corpora, seu impenetrabilitatem armorum, (*gegen die Festigkeit*) commendent, id quod suo loco volumus relictum.

§. 5.

Porrò etiam

CORTEX LIGNI GUAJACI

apud Materialistas habetur, qui similiter valdè durus, lignosus, resinosusque & quasi è multis laminellis compositus est. Foris canescit viridiusculis maculis aspersus, intus verò subpallidus & rubicundus est, sapore acri & amaro, odore fragrante. Arbori adhuc recenti tam firmiter adhæret, ut vix instrumentis ferreis possit deglubi, temporis vero successu libenter separatur, vid. *Terrentius* in *Notis ad Hernandezium pag.* 63. In omnibus supra memoratis affectibus usurpatur, cujus tamen minor dosis sit, quam ligni, cui plerumque additur, utpote multo efficacior, vid. *Ettmüllerum l. c.* quanquam *Daleus* aliam videtur opinionem amplexus in *Pharmacol. pag.* 448.

§. 6.

Habetur quoque

RESINA GUAJACI;

subnigrum, sed pellucidum ac friabile gummi, saporis acris & odoris fragrantis. In non spernendæ quantitatis massis affertur, apud nos vero quodammodo rarum est. Hoc gummi sudorem potenter ciet, ac præsertim ad gonorrhœam malignam commendatur, maxime si Luis Gallicæ est prodromus, quo in casu grana 6. vel 7. in aqua plantaginis possunt dari. Ad ipsam quoque scabiem luemque ♀eam proficit, vid. *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. p.* 579.

§. 7.

Quod ad

LIGNUM SANCTUM

attinet, viribus quidem cum priori convenit, in multis tamen ab isto distinguitur, dum multo flavior candidiorque est, quam Guajacum, nec tam magnum habet meditullium, quod in ramis est nullum, in caule autem saltem exiguum, parum nigrescens & viridiusculum, cœruleo permistum, unde etiam Indis Hoaxacan dicitur. Sapor ejus acrior est quam Guajaci, cui propterea ab incolis præfertur.

§. 8.

Arbor Guajaco fere similis, sed tamen minor est, instar populi, caudice ramisque spinosis. Minora habet folia, petiolis secundum longitudinem utrinque posita, flores proferens colore saporeque vincæ pervincæ similes, ut ex *Hernandezii* delineatione apparet, cujus tamen folia multo elegantius à *Plukeneto* Anglo *Tab. XCV.* sunt delineata.

§. 9.

Ratione qualitatum non priores solum morbos curat, sed alios quoque depellit, ad quos levandos Guajacum minime valet. Valde enim penetrans est, ut ex ipso decocto judicatur, quod sapore acrius est, odore fortius, ac colore magis flavens. Ob vires, quibus pollet, Lignum Sanctum vocatur, quanquam nec nimium nec immodice sumendum, vid. *Terrentius l. c.* Sunt qui peculiares libros de isto scripserunt, quorum nomina in *Lindenii* & *Lipenii Bibliothecis* reperiuntur.

§. 10.

Tandem Materialista *Pometus*

GUAJACI SPURII

meminit, quod Guajac de France vocat in *Histoire des Drogues p.* 115. nihilque aliud esse existimat quam buxi lignum, ex Hispania & Campannia utplurimum advectum. Hoc mediante quidam Galliæ Chirurgi luem veneream æque atque cum Guajaco sumere curandam perhibentur. Id quod inde videtur oriri, quod sine dubio rasuræ ligni sancti, quam, ut dictum, à tornionibus emunt, buxi, quem sæpe ad labores suos insumunt, fragmenta ac frustula sunt permista. Quanquam verò buxus non in omnibus Guajaco præstantia virium accedat, non tamen prorsus meretur rejici, præsertim cum buxi oleum præstans ad odontalgiam remedium sit, ad quam etiam ligni guajaci oleum à *D. Ettmüllero* aliisque commendatur.

CAPUT IX.

DE

LIGNO SASSAFRAS.

§. 1.

LIGNUM SASSAFRAS (*Fenchel-Holtz*) prout hodie in officinis habetur, Indicæ cujusdam arboris, Sassafras dictæ, radix est, habens mediocrem corticem, foris cinereum, intus fuscum ferrugineum, sub quo levis, porosa, lignosaque substantia continetur, immediatè sub cortice cana, in medio autem rubicunde albicans

bicans apparens. Sapore pollet acri aromatico, ſed ſimul dulci, (unde vulgo Lignum fœniculatum, h. e. Fenchel-Holtz vocatur) odore fragrante. Ex India Occidentali affertur, à nonnullis, ſed temere, lignum Pavanum dictum, de quo agemus infra. Ut taceam, hoc lignum ſaſſafras, ut ſupra dictum, eſſe radicem, non vero lignum ipſum, quippe quod multo ſolidius eſt ac ponderoſius: id quod *D. Welſchius* jam dudum in *Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec. I. An. I. obſ.* 52. oſtendit.

§. 2.

Quod ita dictum lignum ab arbore perelegante proficiſcitur, procerum, pulchrum glabrumque caudicem habente, quam in Florida ita perhibent luxuriare, ut integræ ſylvæ ibidem reperiantur. Diverſimode & deſcribitur & delineatur. *Manardus* folium ad modum foliorum ficuum depingit, cujus figuram *Wormius* æque *in Muſeo* atque *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 113. imitatur. *Hernandezius* contra, qui Indiæ Occidentalis germina ſola, & quidem magna induſtria, deſcripſit, aliter iſtam exprimit. Omnium verò optime folia contemplanda ſiſtit in icone, ex Herbario vivo deſumto, *Plukenetus*, Anglus, *Tab.* 222. *fig.* 6. qui aliâs in ejusmodi delineationibus valdè accuratus & elegans eſt.

§. 3.

In emtione videndum, quo ſaſſafras, unà cum craſſo rubicundoque & aſpero cortice, acquiratur, tanquam optima totius arboris parte. Hæc ſiquidem ſapore acri valdeque aromatico odore usque eo pollet, ut Hiſpani, cùm primum ad Inſulam Floridam appellerent, duorum milliarium ſpatio iſtius odorem perceperint, ac canellam arborem eſſe principio exiſtimaverint. Quæ opinio licet iſtos fefellerit, ex odore tamen non prætereundam eſſe arborem conjiciebant. Ad morbum Gallicum utebantur, quod cum feliciter eveniret, non ſpernendam iſtius copiam annuatim in Europam deferebant. Quemadmodum cortex melior radice, ita radix melior ligno videbatur, quæ ſecundum *Schurzium* à Materialiſtis majoris æſtimantur, ſi quando paryis fruſtis veniunt, & in findendo ex flavo albeſcere obſervantur, quoniam non melioribus ſolum viribus pollent, ſed diutius etiam aſſervantur, id quod *Marxius* quoque in *Mater. Muſ. pag.* 185. bene monuit. Quum ſaſſafras adhuc pretioſum eſſet, impoſtores iſtud arte imitati ſunt, lignumque abiegnum in juſculo fœniculi decoctum pro iſto venditarunt: quem dolum Gallicus Materialiſta *Pometus Hiſtoire des Drogues Lib.* 3. *cap.* 10. *pag.* 115. detexit.

§. 4.

Habetur etiam raſura ligni ſaſſafras, quam ſemper oportet eſſe recentem, cum odore facile in auras abeunte non ita multum proſit. Obſervatum etiam eos, qui iſtud radunt vel incidunt, ex iſtius odore magnos percepiſſe dolores, quibus non minus poſt ejus uſum obſervatis multum concitatæ de ſe ſpei perdidit.

§. 5.

Quod ad uſum ligni ſaſſafras attinet, primum, ut ſupra memoratum, ad modum cæterorum Decoctorum ex lignis præparatorum, ad luem ♀eam fuit uſurpatum, cujus ſemiuncia ℔ XII. aquæ per noctem infunditur, & ad tertiæ partis remanentiam incoquitur, id quod tamen in vaſe cooperto peragendum, ne vis optima avolet, ut *Joh. Terrentius, Lynceus*, in *Not. ad Hernandezii pag.* 62. bene monuit. Poſtmodum ſaſſafras in aliis quoque morbis, utpote imbecillitate ſtomachi, colica, renum calculo & ſimilibus bonum obſervatum fuit, quod primum *Hernandezius l. c.* & poſt eum *Neander* in *Saſſafralogia* fuſius oſtendit. Præſertim vero in variis catarrhis valde commendatur, adeo, ut à *Brunnero in Conſil.* Panacea catarrhorum vocetur, ac propterea etiam clariſſ. Saxonum Medicus *D. Michael* tincturam exinde confecerit, in iſtius ſcriptis reperiundam. Alii eſſentiam, oleum deſtillatum ac ſimilia ex eo præparant, quæ lege, ſis, in *Ettmülleri Comment. Schræd. pag.* 655.

CAPUT X.

DE

LIGNO TAMARISCI.

§. 1.

LIGNUM TAMARISCI (*Tamarisken-Holtz*) intus forisque album lignum eſt, ſaporis odorisve non adeo notabilis, flavente putamine, in quo maxima vis poſita eſt, adhuc circumdatum, ab exteriore autem fuſcoque putamine depurgatum. Utplurimum è Languedoco Galliæ, Provincia, venit, ubi copioſe creſcit; quanquam etiam juxta Rhenum fluvium, prope Argentoratum, & ultra Sueviam circa Lindavium dicitur inveniri, ut *Marxius* in *Mater. Muſ. German. pag.* 203. commemorat.

§. 2.

Tamariſcus arbor raro viri creſcendo ſuperat magnitudinem, parvis anguſtisque foliis, ſabinæ

ſabinæ ſive arbori vitæ haud multum diſſimilibus ornatur, nigros, uvas æmulantes, fructus & corticem profert, multaque etiam ſemina lanugine tecta.

§. 3.

Hoc lignum tanquam ſingulare aliquod remedium ad omnes ſplenis effectus commendatur, cujus obſtructiones aperire, ſtagnantemque nigrum ſanguinem ſ. atram bilem creditur diſcutere. Quam ob cauſam pro ejusmodi ægris doliola, pocula ſimiliaque ex iſto tornantur, quibus potum ordinarium infundant ac bibant. Alii etiam cochlearia aliaque utenſilia pro iſtis conficiunt. Scabiei quoque, ictero nigro, ac ſimilibus morbis proficit.

§. 4.

Multi plus ſpei ponunt in

CORTICIBUS TAMARISCI,

qui loco ligni multis in officinis reperiundi, partim de ligno, partim radice deglubuntur, vid. *Hoffmanni Clav. Schræd. pag.* 558. Hi cortices mediocris craſſitiei ſunt, extrinſecus ex cano fuſci, intus rubicundi, ſapore acri, ſubamaro & adſtringente. Non in memoratis ſolum ſplenis morbis commendantur, ſed urinam quoque & calculum cient, renes ſanguinemque purificant, viribus cum fraxini corticibus vehementer convenientes, qui propterea ad decocta aliasque formulas ſæpe ſimul præſcribuntur, ut apud *Ettmüllerum* in *Comment. Schræd. pag.* 670. videmus, qui hoc ipſo *libro pag.* 655. hos cortices etiam ad catarrhos commendat, æque bonos habitos, atque lignum ſaſſafras. Extrinſecus favo conducunt, vid. *Schræderus in Pharm. pag.* 159.

§. 5.

Grana fructusque hujus arboris ab infectoribus loco gallarum uſurpantur. Frondibus vero olim Ægypti Sacerdotes Jovis die ſe coronari paſſi ſunt, iſtisque poſtea multa fecerunt ſuperſtitioſa, ut in *Hieron. Bockii Herbario* videmus.

§. 6.

Non ex corticibus ſolum, ſed ex ligno etiam, in officinis

⊖ TAMARISCI

conficiunt, quod elegantibus ſiccisque cryſtallis, non minutim tritis conſtet, quod tamen ei facile accidit, teſte *Pometo* in *Hiſtoire des Drogues p.* 113. Similiter in morbis ſpleneticis uſurpatur: ad quos ſæpe etiam pilulæ ſplenticæ, quibus plerumque aliquid tamariſci additum eſt, à multis præſcribuntur.

CAPUT XI.

DE

LIGNO NEPHRITICO.

§. 1.

LIGNUM NEPHRITICUM (*Gries-Holtz.*) pallide flavum, ſolidum, craſſumque ac ponderoſum lignum eſt, ab exteriore nigro cortice depurgatum, fruſtis, brachii ſæpe craſſitie, advectum, ſaporem habens acriuſculum & ſubamarum. Ex America, inprimis ex Hiſpania Nova, venit, à nonnullis SANDALUM COERULEUM vocatum, quod aquam reddit cæruleam, ut infra videbimus.

§. 2.

Frutex, unde oritur, in regione Mexicana creſcens, non ſpernendæ eſt magnitudinis, glabrum craſſumque habens caudicem inſtar pyri, & folia ciceris, ſed non tam magna; flores progenerat flaventes & oblongos, auctore *Hernandezio*, iſtum in *Hiſt. rerum Med. Nov. Hiſp. p.* 119. ſub nomine COATLI deſcribente. Ab hodiernis Botanicis fruticibus ſiliquoſis annumeratur, vid. *Sam. Dalei Pharmacol. p.* 465.

§. 3.

Wormius in *Muſ. ſuo p.* 171. alius ligni nephritici, è Braſilia advehendi, viribusque cum priori iisdem præditi, ſed colore ab iſto diſcrepantis, meminit. Et quoniam etiam *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues Lib.* 3. *c.* 6. *pag.* 110. recenſet pro verò ligno nephritico interdum aliquam Ebeni ſpeciem, Grenadille, aut ſimile divendi, emendi ligni aliquot fruſtula aquæ frigidæ imponenda, quæ poſt paucas horas evadet cærulea, ſi lignum nephriticum fuerit genuinum. Alia è contrario ligna aquam vel prorſus non tingunt, aut exiguam ſaltem flavedinem eidem communicant. Equidem *Simon Paulli* in *Quadrip. Bot. pag.* 310. eundem colorem à fraxino ſe vidiſſe ſcribit, propterea que credit, lignum nephriticum iſtius eſſe ſpeciem: ipſe tamen confitetur, non fraxini lignum, ſed interiorem iſtius corticem hanc largiri tincturam. Ubi etiam id notandum, vitrum cum infuſione luci non eſſe obvertendum, ſic enim aqua non cærulea, ſed aurea apparebit. Nec quid acidi addendum, colorem cæruleum ſimiliter immutantis; ſicut pro diverſo vitri ſitu, addendisque variis ſalibus tinctura hæc diverſimode miroque luſu poteſt immutari: id quod non tantum Clar. Anglus, *Robert. à Boyle*, in *Tr. de Coloribus p.* 203. ſed etiam *Dn. D. Camerarius*, Prof. Tubingenſis, in duabus

bus *Disputationibus de Infuso Ligni nephritici*, omnia eleganter ac perspicuè ostenderunt.

§. 4.

Lignum hoc ad calefaciendos condiendosque renes valet, ut ne in istis, nec in vesica, calculi generentur, aut, qui in istis concreti sunt, expellantur. Quem in finem ejus infusum usurpatur, dum aliquot frustula recenti aquæ infunduntur, donec cœrulea evadat, quæ ita bibenda & aliquamdiu continuanda. Hunc ob scopum in *Miscell. Acad. Germ. Cur. Dec. I. Ann. 3. p. 74.* cum ♃ ☉☽ exinde essentia extrahitur. *D. Cnefelius* lignum non aquæ simplici, sed succo betulæ infudit, cui etiam *Helmontius* plus adscribit virtutis. Cæterum *Hernandezius l. c.* gummi ex hoc ligno fluere recenset, quod inflammatis oculis medeatur, & excrescentem in istis carnem absumat.

CAPUT XII.

DE

LIGNO LENTISCINO.

§. 1.

LIGNUM LENTISCINUM (*Mastix-Holtz*) in officinis è nodosis ramulis constat, digitum crassis, intus albis, foris cinereo cortice tectis, odoris resinosi saporisque adstringentis. Recens acquiratur necesse est, quod facile evadit cariosum, quanquam ponderosum durumque sit. Sæpe cum visco corylino adulteratur, quamobrem sciendum, ramulos lentisci multo incomtiores crassioresque esse, quam viscum, vid. *Pometi Histoire des Drogues pag.* 111.

§. 2.

Arbor Lentiscus audit, atque in diversis Orientalibus regionibus, utpote Ægypto, India &c. crescit, omnium verò curiosissimè in Scio s. Chio Insula colitur, ibidemque in tantò habetur pretiò, ut qui bonam adhuc, nondum emeritam, arborem inciderit, manus amputatione multetur. In eò enim incolarum consistunt divitiæ, ut collectam exinde mastichen in mundi plagas transmittant, ex qua mercatura annuatim vicies mille florenos acquirunt, ut *Eichovius* in *Itinerar. Germ. p.* 95. recenset. Quæ etiam causa erat, quamobrem in ultimo Turcico bello, quum Veneti occupassent istam Insulam, Turcæ non desisterent, quoad illam armis recuperassent. Cæterum non adeò altè crescendo assurgit arbor, folia habens myrtiformia; floret Martio & Aprili mensibus & nigras progenerat baccas, ex quibus Itali, qui istam quoque colunt, oleum æque atque ex baccis lauri exprimunt.

§. 3.

Lignum interdum in decoctis ad diarrhœas, dysenterias & præsertim fluorem hepaticum dictum (quem facile hydrops excipit) usurpatur, pro quo, utpote raro caroque, *D. Ettmüllerus* mali cotoneæ lignum in *Comment. Schræd. pag.* 593. commendat, quod etiam in hæmorrhagiis & fluore albo mulierum præstet opem. In Anglia Galliaque ex eo fiunt dentiscalpia, quoniam valde durum & usque eo durabile est, ut Turcæ lancearum manubria exinde credantur conficere.

§. 4.

Quò rarius verò in medicina lignum lentiscinum usurpatur, eo crebrius ejus gummi seu

MASTICHE

præscribitur, quæ eleganter pellucidum, ex flavo albicans, & quasi in rotundas guttas concretum gummi est, saporis resinosi & adstringentis, odoris fragrantis. Utplurimum ex Scio Insula venit, quanquam multum quoque ex India Orientali à Batavis & Lusitanis afferatur.

§. 5.

Hoc gummi sponte sua tempestate calida è crassis ramis & caudice stillat, ut apud nos gummi è cerasis. Anni spatio incolæ caudicem duodecies incidunt, profluensque gummi, facta sub arbore eum in finem foveola, colligunt, ut ex figura apparet. Et quoniam præter optimam mastichen eleganter candidam, lucidam, claram, siccamque & guttatim destillantem, id quoque, quod adhæret, aut in locum depurgatum decidit, permiscetur, atque ita insortitum, seu minus electum, ad nos venit, hoc à Materialistis MASTIX IN SORTIS, electa verò & pulchra grana MASTIX ELECTA s. in granis vocantur. Orientales plerumque ipsi sortiuntur, vilissimamque inferiorem dolii partem, mediocrem mediam faciunt occupare, optimam superius imponunt, nullam vero sortem seorsim divendunt, sed omnes simul, vid. *Pomet. Hist. des Drogues Libr. 3. c. 8. pag.* 112.

§. 6.

Optima mastiche ex elegantibus, puris, lucidis & sonantibus granis constet, decenter magnis, facile friabilibus. Corticibus, quisquiliis, pulvere, lignoque ac fragmentis aliis

nigris deſtituatur, & odoris ſe commendet fragrantia. Quò candidior, eò melior. Equidem *Marxius*, *Schurtzius* aliique Materialiſtæ rubræ cujusdam maſtichis mentionem faciunt, alii ſecundum grana ſimilis, quæ vero hic locorum prorſus ignota eſt.

§. 7.

Quod ad uſum hujus maſtiches attinet, ſiccat & mediocriter adſtringit. Quamobrem interne laxum ſtomachum confortat, ejusque tonum vi ſua adſtringente roborat, & in omni vomitu, alvi & aliis fluxibus, præſertim infantum, uſurpatur, ſive duo aut quatuor grana integra deglutiantur, ſive ejusdem pulvis ſumatur. Coquitur etiam in vino vel aqua, ipſumque juſculum bibitur. Deſtillata exinde Aqua Maſtichina dicta & ſpiritus in iisdem affectibus conducunt, de quibus præter cæteros *D. Ettmüllerus* videatur. Manditur etiam maſtiche ad odontalgiam, vacillantes dentes, catarrhos &c. quem in finem ſimiliter emplaſtra ad tempora, ſuffumigia aliaque medicamenta exinde præparantur, quæ *Strobelbergerus* in *Maſtichologia*, tanquam peculiari Tractatu, fuſius deſcripta proponit. Pictores elegantem inde vernicem præparant, cujus deſcriptionem *Kunckelius Part. 2. artis vitrariæ pag. 26.* communicavit.

CAPUT XIII.

DE

SANDALO ALBO, CITRINO ET RUBRO.

§. 1.

QUamvis eam nonnulli foveant opinionem, tria illa ſandalorum genera ab una provenire arbore, colorumque differentiam diverſis, in quibus creſcunt, regionibus deberi, hodierni tamen Botanici, *Hermannus*, *Daleus* & alii oſtendunt, in ſandalum rubrum hanc non convenire præſumtionem, quippe cujus arbor ad aliud, & à prioribus duobus prorſus diſtinctum genus arborum ſiliquoſarum pertineat, cum ligno Braſilienſi magis conveniens. Vid. *Daleus in Pharmac. p. 464.*

§. 2.

Quod verò ad duo altera, album citrinumque ſandala attinet, ab uno caudice arboris cujusdam Indiæ Orientalis, Sarcanda dictæ, proficiſcuntur, quæ in Timora Inſula totas ſylvas replet. Fraxino perhibetur haud diſſimilis, fructusque proferre inſtar ceraſorum, rubros primum, poſtmodum vero maturitatem nactos nigreſcentes, inſipidos tamen inutilesque. Quæ arbor exteriore parte ſub cortice album, in medio citrinum lignum habet, quorum illud SANDALUM, ſive ſecundum alios originem reſpicientes, SANDALUM ALBUM, iſtud SANDALUM CITRINUM vocatur.

§. 3.

SANDALUM ALBUM

(ſ. *das vveiſſe Sandel-Holtz*,)

durum, ponderoſum ac pallidum lignum eſt, ex Timora Inſula in fruſtis à cortice liberis depurgatisque afferri ſolitum, quod bonæ notæ, ſapore amariuſculo & aromatico fragrantique odore, ut citrinum pollet, niſi quod carbonibus impoſitum tam fragrantem odorem, nullumque gummi, ut citrinum, dimittat, ut *Marxius* in *Mater. Muſeo Germanico p. 152.* tradit. In finum & mediocre diſtinguitur, prout inveteratum & fragrans fuerit.

§. 4.

SANDALUM CITRINUM

(ſ. *gelbe Sandel-Holtz*,)

ſoliditate juxta viribusque album quodammodo præſtat, flavum eſt, ſapore ſubamaro & aromatico odoreque fragrantiſſimo præditum. Similiter in magnis fruſtis affertur, quorum ponderoſiora tanquam optima eligenda. Obſervetur quoque ne ſandalo ſpurio, quod ob odorem aliàs lignum citri (*Citronen-Holtz*) dictum, ſandalo citrino dicitur ſimile, permiſtum & adulteratum ſit, quippe quod ad medicinam ineptum, ſcrinariis ſaltem ac tornionibus inſervit. Lævigatum cocum nucem politam refert; nonnulli etiam Jaſmini lignum vocant, quippe cujus flores jaſminum redolent. Fraus vero ex eo cognoſcitur, quod verum ſandalum, bono gratoque ſapore & odore præditum, ſimul etiam reſinoſum eſt; lignum citrinum contra ſapore forti citrinoque pollet, ſimulque oleoſum apparet. Fruſta quoque citri multo majora ſunt quam ſandali citrini, dum hæc plerumque pondus centenarium habent, illa vero mille libras æquant. Vid. *Pomet. in Hiſtoire des Drogues Lib. III. c. IV. pag. 108.* Aliàs ratione bonitatis in finum & mediocre dividitur.

§. 5.

SANDALUM RUBRUM

(ſ. *rothe Sandel*,)

lignoſum caudicis cujusdam meditullium eſt, valde durum, ſolidum & ponderoſum, colore fulvo,

fulvo, ſapore adſtringente, odore nullo. A Batavis quoque Caliaturum Lignum (*Caliatur-Holtz*) vocatur, de quo tamen magna inter *Rumphium* & *Herbertum de Jager* olim exorta lis eſt, ut ex iſtorum Epiſtolis ſibi mutuò miſſis, in *Appendice hujus Tract.* annexis, fuſius poteſt videri. Quod lignum licet omnium minime reſpiciatur & viliſſimum ſit, maximè tamen plurimumque divenditur, quum 50. fere libræ rubri pulveratique ſandali divenduntur ante, quam quis album vel citrinum deſideret. Magnis longisque fruſtis ex Tanaſſarim Inſula, & quidem ab ea parte, cui Coromandel nomen eſt, advehitur, ejus magna copia Hamburgi pulveratur, Norimbergæ & alibi in molis contunditur, in Imperium aliasque Regiones divendendum, vid. *Schurtzii Mat. Muſ. p.* 81.

§. 6.

Materialiſtæ diverſas habent ſpecies, ſeu, ut loquuntur, ſortes, finum & vulgare. Optimum fiſſu durum eſt, nec facile in partes diſcedit, foris nigreſcens, intus obſcurè vel rubicundè ſanguineum. Quo ipſo à ligno Corallino (*Corallen-Holtz,*) quo ſandalum rubrum ſæpius adulteratur, poteſt diſtingui; iſtud ſiquidem lucidiore ſ. flammeo colore præditum, leve ſimul & intus ſtriatum eſt: rubrum contra ſandalum ponderoſum eſt, & ejusmodi filis ſeu longis ſtriis deſtituitur, de quo iterum *Pometus loc. cit. cap. V. pag.* 109. pluribus legendus.

§. 7.

Idem iſte Materialiſta

SANDALINI HOLOSERICI

(*Sandel-Taffet*)

meminit, è Conſtantinopoli advehi ſoliti, quod nihil aliud ſit, quam infectum cum pulverato ſandalo rubro holoſericum, cujus præparatio in eò conſiſtat, ut ſandalum cum quibusdam acidis coquatur, ac holoſericum poſtmodum immergatur; quod eo melius eſt, quo eſt rubicundius. Uſus ejus eſt, ut in curatione oculorum pro holoſerico viridi oculis obtendatur.

§. 8.

Quod ad uſum ſandalorum attinet, in Medicina olim ad confortandum & refrigerandum hepar fuerunt commendata, ubi ſpecies diatrion ſandalon laudabantur: quanquam iſtorum effectus in ſanguine potius, cujus ebullitionem compeſcunt, quam in hepate obſervetur: cui tamen etiam, ut cæteris corporis partibus, exiſtit ſalutaris. Alii Practici iſta in phthiſi commendant, iisque in morbis, in quibus lignorum decocta, quibus & hæc addi poſſunt, præſcribuntur. Sandalum rubrum, ob vim ſuam ſubadſtringentem, in fluxibus alvi ſimilibusque præ aliis uſurpandum; quemadmodum in catarrhis indeque ortis capitis affectibus nec ſandalum citrinum in ſuffimigiis negligendum, cum quò album minime conferendum, propterea in Medicina raro uſurpandum. Rubro quoque infectores utuntur, iſtoque aquæ vitæ conciliatur color: Tinctura item, emplaſtrum ſandalinum rubrum aliaque in officinis exinde præparantur, de quibus vide *Joh. Placotomum* in *Diſcurſu ſuo de Sandalis, Zwelferum, Schræderum*, ejusque Interpretes *D. Hoffmannum* & *D. Ettmüllerum* in *Commentariis*. Indos ex ſandalo rubro idola ſua componere ferunt, quo fiant præſtantiora. Iſti quoque aliique populi, ibidem degentes, ex albo & citrino ſandalo pulveriſato pultem præparant, qua corpus ad refrigerandum inungunt, id quod ex *Linſchotti Itinerario* Pharmacopola *Vielheurius pag.* 151. *Deſcript. Mater. Exot.* recenſet.

CAPUT XIV.

DE

LIGNO CEDRI.

§. 1.

LIGNUM CEDRI valde firmum fragransque lignum eſt, usque eo durabile, ut corruptionis credatur expers. Ex India Orientali transfertur.

§. 2.

Cedrus arbor, valde magna arbor eſt, proceritate omnes alias præſtare credita, tamque craſſo prædita caudice, quem quatuor virorum brachia non poſſunt complecti. Inſtar pyramidis in altitudinem creſcit, ita ut inferiores rami ſinguli ſupra ſe poſitis ſint majores. Folia habet piniformia, ſed breviora, nec adeo aculeata. Strobilos etiam profert inſtar abietis, ſed paulo craſſiores mollibusque ſquamis cinctos.

§. 3.

Hoc lignum equidem in Medicina parum uſurpatur, niſi quod iſtius fragmentis ſerpentes abigi dicuntur, teſte *Urſino* in *Arboreto Biblico pag.* 297. Magnam tamen iſtius mercaturam agunt, dum ob duritiem ſuam ad artificioſa ſcriniariorum opera, teſtudines, citharas ſimiliaque quæritur, ex quò etiam Ethnici ſua idola finxiſſe, ejusque ſucco humana cadavera condiviſſe dicuntur.

§. 4.

Tempestate calida ex istius caudice eleganter alba resina profluit,

CEDRI RESINA,

aliis MANNA MASTICHINA dicta, vid. *Pometus* in *Histoire des Drogues pag.* 116. quod gummi etiam incisione arboris acquiritur. Ex flavo eleganter albicat, pellucet, odore fragrantissimo, seque facile conteri patitur. Per apud nos rara est, ac propterea minus usitata.

§. 5.

Præter hanc proceram cedrum aliâs quoque cedrum Libani vocatam, alia adhuc species datur

OXICEDRUS (*Klein Cedern-Baum*)

dicta, multis ramis, tanquam alis, instructa, rubicundo ligno prædita, & cypressum redolens. Folia angusta & peracuta sunt, è quorum medio fructus exit baccis myrti similis, magnitudine nucis avellanæ, rubicundus, odore fragrans, sapore dulcis, ac propterea ab incolis cum pane edi solitus.

§. 6.

Ex qua arbore similiter clarum pellucidumque gummi fluit, quod rubra veraque SANDARACHA est, sed usque eo rara, ut in istius locum vulgare gummi juniperinum surrogare necesse habeamus.

§. 7.

Ex ligno hujus arboris nigrum quoque oleum destillatur, quod rectificatum CEDRIA & in Gallia oleum de Cade vocatur. Similiter perrarum est, & hic loci prorsus incognitum, cui propterea alia ejusmodi resinosa substituuntur, inprimis succus juniperi magni, sive oleum picis. Alias impetigini mederi, omnemque scabiem & exanthemata equorum, boum oviumque curare perhibent. vid. Materialista Gallicus supra citatus.

CAPUT XV.

DE

LIGNO JUNIPERI.

§. 1.

LIGNUM JUNIPERI albicans, firmum & fragrantissimum lignum est, à magna junipero, & interdum radix minoris. Hoc apud nos copiosè habetur: illud vero, una cum gummi juniperi, ex Suecia per Hamburgum & Angliam in alias regiones copiosè transfertur.

§. 2.

Juniperus unde proficiscitur, ut jam dictum, duplex est, major, eaque procera arbor, in regionibus Septentrionalibus ubertim proveniens: & minor, quæ potius frutex est, in omnibus fere Germaniæ sylvis reperiundus. In Italia perrara est, adeo ut Itali Germanis illam invideant. Binæ rimosum laniatumque corticem habent, CORTICEM BUGIÆ quibusdam vocatum, extrinsecus cæsium, intus rubicundum, acutis & angustis foliis stipatum. Ubique notas baccas proferunt, principio virentes, postmodum nigrescentes: quæ sanè in arbore multo majores sunt quam in frutice, ac propterea multo pulchriores è Norwegia veniunt, quam in Germania inveniuntur.

§. 3.

Lignum calefacit ac vehementer exsiccat, sudorem urinamque pellit, eamque ob causam ad decocta lignorum in curanda lue ♀ea, ab *Ettmüllero* in *Comment. Schræd. pag.* 591. valdè commendatum, in Guajaci & Sassafras locum surrogatur. Extrinsecus vulgus istud loco pulveris fumalis incendit, utpote gratum fragrantemque odorem suggerens. Pocula quoque & pyxides ad præservativa medicamenta aliaque ex eo conficiunt. Rustici ustione in fictilibus aquosum oleum inde proliciunt, externe non contemnendum, hocque *Theod. Tabernæmontanus* Gallorum oleum de Cade esse existimat.

§. 4.

A magnâ junipero cognitum juniperi gummi oritur, vulgo

SANDARACHA

vocatum, tempestate calida vel sponte profluens, vel ex arboris vulneribus s. rimis prorumpens. Ad mastichen fere accedit, ex eleganter albis globulis constans, quam ab omni pulvere decet esse liberam, bona si haberi velit. Alias etiam sicca vernix, s. vernix vitraria vocatur, quoniam ex ista præparatur. Quoniam verò Græci auripigmentum quoque sandaracham vocant, ad istius differentiam hoc gummi sandaracha Arabum dicitur; quanquam *Simon Paulli in Quadrip. Botan. pag.* 536. fideliter moneat, ut semper gummi juniperi vocetur, ne errore quodam istius loco venenum s. auripigmentum detur. Usus ejus est, ut in suffimigiis ad catarrhos, nervorum, artuumque dolores adhibeatur. Bibliopegi ad glutinandam chartam, scriniarii ad vernicem utuntur, quam ex isto in oleo terebinthinæ solvendo præparant.

§. 5.

BACCÆ JUNIPERI

quam præstantes utilesque sint, unicuique innotescit, multi etiam Doctores, utpote *Michael Bapstius*,

Bapſtius, *Beckerus* & *Scharffius*, in peculiaribus *de junipero* conſcriptis *libris*, oſtenderunt. Utplurimum internè, ob vim ſuam balſamicam, ad renum & veſicæ calculum, cum præcavendum tum curandum, uſurpantur. Colicam, ſtrangluriam ſimiliaque ſedant. Externè vulgo ad fumigandum & alterandum aërem, graſſante peſtilentia aliisque temporibus, inſerviunt.

§. 6.

Ex iſtis præparatur 1. SPIRITUS (ſ. *Wacholder-Waſſer*,) per fermentationem, quocum ſimul oleum juniperi deſt. aſcendit. 2. EXTRACTUM ſ. ROB JUNIPERI, quod ex coctis baccis expreſſum in juſtam conſiſtentiam coquitur, nonnullis Germanorum Theriaca vocatum. Quod cum propriô ſpiritu ſolutum 3. MALVATICUM JUNIPERI ſuppeditat, Lipſiæ ad calculum valde uſitatum. 4. SAL JUNIPERI vel è ſiccatis baccis, ſive expreſſi ſint, ſive non, vel etiam è ligno & frutice poteſt præparari. Quæ medicamenta utplurimum omnia iisdem, imo penè majoribus, virtutibus pollent, quam baccæ ipſæ, qua de re ſupra laudatus *D. Scharffius* in *Curioſa Juniperi Deſcriptione* plurimis meretur legi.

CAPUT XVI.

DE

FERNAMBUCO, BRASILIO ET SAPANO LIGNO.

§. 1.

BRASILIUM (ſ. *Braſilien-Holtz*) fulvum & partim ex flavo fuſcum lignum eſt, ſatis durum, ſapore dulci. E Braſilia per Lisbonam, Angliam Bataviamque venit, & vel in magnis fruſtis, vel raſum, affertur. Equidem Antillis Indiæ Occidentalis, ſimile ejusmodi rubrum lignum affertur: Braſilienſe tamen Ulyſſiponte advectum melius eſt.

§. 2.

Arbor 10. vel 12. milliarium ſpatio à mari, in diverſis Braſiliæ provinciis, creſcit, & quidem non in plenis ſylvis, ſed ſparſim inter alias arbores. Valde craſſum habet caudicem, longos ramos, virentibus ſplendentibusque foliis plenos, qui rubros fragrantesque flores profert, & poſt iſtos folliculum cum duobus compreſſis granis. Equidem caudex hominis, ſive viri, eſt craſſitie, ſolum tamen interius meditulliũ, pedis fere craſſitie, ad nos mittitur, quoniam Indi exteriorem valde craſſum librum ac corticem, minus rubrum, ſed cæſium, & ad tingendum ineptum ſeparant.

§. 3.

Loca verò diverſa, in quibus hæc arbor creſcit ac colitur, diverſimode & lignum ſortiuntur, & diſtinctis iſtud inſigniunt nominibus. Primum optimumque eſt FERNAMBUCUM, à Braſiliæ oppido Fernambuco ita vocatum, majorisque præ aliis æſtimatum, quippe cujus pondus centenarium 29. vel 30. florenis venditur, cæterorum vero æquale pondus vix XI. vel duodecim. Poſt hoc Braſilium de Japon habetur, Anglis Batavisque Sapan lignum dictum, quod ſimiliter duplex eſt, magnum & parvum. Sequitur Braſilium de Lamon & Braſilium S. Matthæ: quibus tandem Braſilium Antillarum Inſularum jungitur, quod viliſſimum eſt, ut jam ſupra memoravimus. Sæpius permiſcentur & ſub communi Braſilii nomine venduntur.

§. 4.

In coemtione probe videndum, ne lignum aliquod aqua ſalſa jam extractum acquiratur, nec corruptum meditullium ſ. inveteratum lignum obtrudatur emendum. Fernambucum lignum elegantibus & mediocribus conſtet caudicibus, manſum rubicundum colorem ſaporemque dulcem prodat, atque ſic à Braſilio de Lamon, multo majores habente caudices, diſtinguatur. Hoc ultimum aliâs etiam lignum omnium ſanctorum (*Allerheiligen-Holtz*) vocatur, quoniam è regione omnium ſanctorum dicta venit. Braſilium Japonenſe plerumque ſubhumidum eſt, cætera contra ſiccitas commendat, qua illud ab his diſtinguitur. Multò etiam tutius integra Braſilii fruſta emuntur, quam raſa fragmenta, quoniam optima peſſimis ſæpe permiſcentur, uti jam ſupra memoratum. Si quis verò & hæc velit emere, in proborum honeſtorumque virorum, quos fraudis ſcit oſores, ſe inſinuet mercaturam. vid. *Pometus*, *Marxius* & alii in *Mater. Muſ.*

§. 5.

Quod ad uſum Braſiliorum attinet, in Medicina rarò vel nunquam uſurpantur, quanquam viribus ſandalo rubro parum putentur cedere, ſimiliterque ad febres continuas morbosque alios calidos à *Sam. Duleo* in *Pharmacol. pag.* 464. commendentur. Maximam partem ad inficiendum uſurpantur, quod (præ aliis vero Fernambucum) colorem eleganter rubrum conciliant. Cætera Braſiliæ ligna indigena, quæ flavum, cæruleum &c. dant colorem, ſuis quæque nominibus veniunt & diſtinguuntur. Alii mediantibus acidis menſtruis è Braſilio tincturam, ex iſtoque haud ſecus atque è coccionellis Carminum præ-

parari, poſſe exiſtimant. Laccam alii fluidam, ad picturam Miniatoriam, quam vocant, exinde conficiunt, cretamque rubram, Gallis ROSETTE dictam. Vid. *Pometus l. c. pag.* 120.

§. 6.

Similem uſum exſpectare habemus è

SCHAPPAN ſ. SAPANO LIGNO,

in India Orientali a Sapano arbore oriundo. Hæc arbor potiſſimum in Siam creſcit, ubi optimum dat colorem, atque in Inſula Mauritii. Altitudinem tiliæ attingit, folia habet, ut Arbor ſiliquoſa Braſiliana *Breynii cent. pag.* 14. ſed paulò majora. Poſt florem progenerat ſiliquas ſpithamam longas, ejusque rami ſunt ſpinoſi, quam *Georgius Meiſterus* (qui ejusmodi arborem in Batavia Novâ in Chinenſium cœmiterio vidit) *im Oſt-Indianiſchen Luſt-Gärtner pag.* 90. deſcripſit. Ejus lignum inſtar Braſilii (cujus ſpecies eſt) in Germania ad tingendum uſurpatur, nec adeo carum eſt, atque verum Fernambucum.

CAPUT XVII.

DE

CAMPESCHANO LIGNO.

§. 1.

CAMPESCHANUM LIGNUM (*Campeſchen-Holtz*) lignum eſt Braſilio extrinſecus prorſus ſimile & apud nos vulgò *Blau-Holtz* vocatur, quoniam tingendo colorem dat cœruleum. Ex Americâ venit, ubi integræ ſylvæ iſto repletæ inveniuntur. Interius ſaltem meditullium in Europam transportatur, poſtquam Americani corticem & lignum exterius, ut cum Braſilio ſolet, degluberunt. Alias ſimpliciter quoque lignum Indicum nominatur.

§. 2.

Arbor ſecundum *Pometi* deſcriptionem craſſum procerumque caudicem habet, tenui, lævi, argenteo & partim flavente cortice, ſuperius elegantibus ramis præditum, longa, viridia, inſtar corii granulati, Indorum *Segrein* dicti, criſpata, ferè lauriformia folia habentibus, quæ cum aromatica ſint, ſaporeque caryophyllos imitentur, arborem quidam Laurum Aromaticum Indorum vocant. Portò etiam perelegantes flores, & poſt iſtos, rotundos fulvosque fructus, tenui petiolo inſtar cubebarum pendentes, proferre dicitur, ſuperius parva corona, ſaporeque peracri & aromatico, ad modum caryophyllorum, præditos, eam ob cauſam grana caryophyllorum vocatos. Secundum *Pometi* opinionem rectius *Campeſchen Körner*, vel etiam piper de Jamaica, vocantur, vid. iſtius *Hiſt. Gen. des Drogues Lib. III. Cap. XV. pag.* 120.

§. 3.

Hic locorum lignum maxime notum eſt, quod nec corruptum ſit, nec humidum. Vel integrum, vel in mola tritum è Batavia affertur; quanquam Hamburgi locisque aliis etiam in piſtrinis contundatur, cui ſubinde aliquid aquæ aſpergunt, quo magis evadat coloratum, ut quidam Materialiſta mihi detexit. Hujus inſignis copia annuatim ab infectoribus, pileonibus, coriariis, marſupiariis aliisque ad res cœrulco nigroque colore imbuendas conſumitur.

§. 4.

Folia quoque ad medendum dicuntur peridonea, dum in omnibus fere Folio Indo viribus accedunt, quæ in iſtis deprehenduntur majores, ut propterea illi ſecundum *Pometum* poſſint ſubſtitui. Americani paralytica refrigerataque membra iſtis non ſine fructu fovent.

§. 5.

Maxima verò fructus pollere virtute creditur, qui de ſententia *Pometi* Indis MALAQUETTE dictus Chocolatæ additur. Batavis verum Amomum, Anglis piper de Jamaique videtur, quo tanquam egregio aromate diu dicuntur uſi, donec tandem piratæ de S. Malo aliquot iſtis naves ſumſerunt, ſicque fructus iſte Galliæ aromatariis, ſub nomine granorum caryophyllatorum, innotuit, quoniam, ut ſupra dictum, ſapore caryophyllis prorſus eſt ſimilis: quamvis ex variis aromatis miſtum habeat ſaporem, adeo, ut pulvere ejus embammati indito homines exiſtiment iſtud non caryophyllis ſolum, ſed nuce moſchata quoque, cinamomo ac ſimilibus eſſe conditum. Quoniam vero ita dicto Piperi Chiapæ ſ. Tavaſci, quod Hiſpani in deſcriptione chocolatæ habent, à Clariſſ. *Franciſco Redi* in *Experim. Nat. pag.* 170. eædem tribuuntur virtutes, ejusque figura & delineatio cum creditis Campeſchæ granis prorſus convenit, eosdem eſſe fructus ferè apparet, ſive è Campeſchenſi ligno, aut alia quadam arbore excreſcant, quam *Pomet. L. VII. Hiſt. des Drogues pag.* 191. Piper de Thevet, *Plukenetus Tab. CLV. fig. 3.* Caryophyllum Aromat. Indiæ Occid. vocat, à qua arbore etiam caſſia caryophyllata oritur, ut apud *Sam. Daleum in Pharmacol. p.* 378. videre eſt. Materialiſtam igitur *Pometum* has confundere arbores, ac Campeſchenſe lignum ab arbore quadam aromatica derivare fere apparet, quæ potius Braſilii videtur ſpecies, ejusmodi aromaticis cum foliis tum fructibus forte deſtituta, quæ Eruditis adhuc inquirenda ſunt.

CAPUT

CAPUT XVIII.

DE

FUSTELO ALIISQUE LIGNIS.

§. 1.

LIGNUM FLAVUM, Lignum FUSTET ſ. FUSTEL nonnullis dictum, caudex radixque eſt cujusdam fruticis, quem Botanici Coggyriam *Theophraſti* & Cotinum *Plinii* vocant, flavi coloris, quod vere ſiccum ſit, ſi bonum ac vendibile velit haberi. Partim in Italia creſcit, partim in Languedoco, Galliæ provincia, quod Italico eſt melius.

§. 2.

Frutex hujus ligni ſubrotunda & eleganter viridia folia habet, florem profert primum inſtar uvæ apparentem, poſtmodum ritu umbellæ ſe extendentem, in quo nigra, cordis formam referentia, grana generantur. Caudex & radices à Gallis Italisque primum decorticantur, mirumque hoc in Gallia creſcens lignum Pariſiis vilius haberi poſſe ex Anglia & Batavia advectum, quam ſi è provincia ipſa curetur afferri, ut *Pometus in Hiſt. Gen. des Drogues pag.* 122. commemorat.

§. 3.

Uſus ejus infectoribus innotuit, quippe quo obſcurè flavum Caffeumque colorem præparant, unde & in vernacula (*braun Preſilien-Holtz*) appellatur. Scriniarii quoque ad emblemata vermiculata utuntur.

§. 4.

Præterea aliud adhuc flavum lignum, *Gelb Preſilien-Holtz* dictum, è Batavia Angliaque venit, quo ſimiliter infectores ad colorem flavum utuntur. In magnis fruſtis habetur, quanquam à qua arbore oriatur, nondum vere innoteſcat.

§. 5.

Plura porrò exotica ligna alius coloris ex Orientali & Occidentali India per Bataviam veniunt, utpote LIGNUM S. LUCIÆ, quod rubicundum, CALAMBOURGUM, quod viride & fragrantiſſimum, adeo, ut barbitonſores iſtud tanquam lignum Rhodinum ad aquam pro tondendis barbis uſurpent: POLIXANDRUM LIGNUM, violaceum, LIGNUM LITERATUM (*Letterhout*) quod ex violaceo rubrum apparet: nigrum, rubrum & viride EBENUM lignum: ANISUM lignum, in quo aniſum ſtellatum, cujus odorem ſaporemque habet, dicitur deprehendi: Quæ tamen omnia in Medicina non uſurpantur, ſed a ſcrinariis ſaltem ad emblemata vermiculata quæruntur, de quibus partim *Wormius* in *Muſ. pag.* 171. partim *Pometus loc. cit. pag.* 123. legatur.

§. 6.

Ut paucorum adhuc medicinalium faciamus mentionem, quosdam ſcimus multum ponere fiduciæ in

LIGNO COLUBRINO,

quod tamen verius lignoſa radix eſt, iſtius Indiæ Orientalis vegetabilis, quod nuces Vomicas Moluccanas proferens ab aliis Solanum arboreſcens Moluccanum vocatur. Lævi, flaveſcente cinereisque maculis aſperſo cortice, acris amarique ſaporis cingitur, qui tamen in ipſo caudice adeo non percipitur. Indi ad colubrorum morſus, unde nomen habet, dicuntur uſurpare. *P. Hermannus* ad febres commendat tertianas & quartanas, quas creditur curare, ſi ejus ſemi-uncia vino infunditur, hocque bibitur, quod etiam vermes expellit. Mercatores ditiores calices exinde præparari curant, quibus vinum infundunt; ejus generis aliquem olim apud *D. Winckelerum*, Electoris Palatini Archiatrum vidi, quem *Helvetius* ex India Occidentali allatum ipſi dederat. Alii pulveris ſemidrachmam, aut Extracti ℈j. aſſumunt, quod tamen cuidam tornioni apud *Daleum in Pharmac. pag.* 44. non adeò bene profuit, propterea quod lignum aliquid habere venenoſi creditur; id quod alii ſaltem de recenti, non ſicco, intelligunt. Vide *Bontium* in *Tract. de Med. Ind. Hort. Malabar. Tom.* 7. & *Hermanni Colleg. Mat. Med. Mſc.*

§. 7.

Porro nonnulli commendant

LIGNUM PANAVA,

aliis PAVANA & LIGNUM MOLUCCENSE vocatum, quoniam in Molucca Indiæ Inſula creſcit; in Malabara potiſſimum colitur. Leve, ſpongioſum pallidumque lignum eſt, cineraceo cortice præditum, ſaporis acriter pungentis urentisque & nauſeoſi, odoris nullius, ut *Sam. Daleus* in *Pharmacol. pag.* 129. *D. Hermanni* verbis deſcripſit. Ab Ricino arboreſcente, qui Grana Tilli ſuppeditat, oritur, quam arborem *Hortus Malabaricus* ſiſtit eleganter deſcriptam. Cujus propterea lignum, æque ac fructus, fortiter ἄνω κάτω καθαίρει expurgat, & hydropicorum aquas expellit, recens præſertim, ſed, ut grana Tilli, magnum urendi mordendique ſenſum in ano relinquit. Vires tamen vetuſtate ſiccitateque perdit; tunc enim lenius purgat ſimulque ſudorem ciet, ut pulvis ad ſemidrachmam, lignum ad ſemiunciam, ſi quando ſaltem infunditur, poſſit ſumi. Recentis contra vix ſcrupulus in ſubſtantia ſumatur, macerati

cerati vero dosis ultra drachmas tres non ascendat. Quidam cum spiritu vini extractum conficiunt, cujus X. vel XV. grana propinant. Hic loci ignotum est, inque usu adhuc est nullo.

§. 8.

Ante aliquot annos quidam Materialista ignotum adhuc lignum ex India Orientali afferebat, camphoram redolens sapiensque, quod

LIGNUM CAMPHORATUM

vocabat. Rubicundè fuscum s. fulvum, leve & striatum lignum est. Quod utrum ab ea arbore, è qua camphora exstillat, proveniat, id quòd ferè apparet, an ejus saltem odore polleat, quibus etiam præditum qualitatibus sit, ulterius relinquitur inquirendum.

§. 9.

Aliud exoticum idque ambram redolens lignum eodem prope tempore ***D. Petersen***, celebris Materialista, Francofurti ad Mœnum, mecum communicavit, quod LIGNUM AMBRATUM vocatum, sandali videtur species. Foris cæsium est, intus ex albo flavens, odoris fragrantissimi. Speciebus pro cucupha, tanquam Agallochum, fortasse non temere additur, quocum LIGNUM CARABACCIUM, cujus *Baglivius* meminit in Tract. *de Salivæ Natura*, quodve tanquam nobile stomachicum commendat, viribus convenire videtur.

§. 10.

Aliud adhuc tribus abhinc annis ***D. Spenerus*** è Batavia mihi transmittebat,

ANCILLARUM LIGNUM
(*Mägden Holtz*)

vocatum, quò ancillæ, meretrices verius, Dinæ in peregrinatione comites, perditam virginitatem sibi restituendam sumunt. Externâ facie cortex magis quàm lignum videtur, externe cæsius, intus fuscus, saporis adstringentis, quo omnia ad sophisticationem virginum usurpanda remedia pollent.

§. 11.

Pometus etiam SAMBARAM, ACAJOUX, ACOMAT & ferrugineum lignum (*Eisen-Holtz*) introducit, quorum nomina, (ut de usu taceam) plurimis nostratibus Materialistis & Pharmacopolis ignota sunt, ut propterea in istis nobis non liceat esse verbosis. De ultimò tamen, sis, vide ***D. Cleyeri*** Relationem in *Miscell. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 7. Obs. LXX. pag. 132.*

LIBRI SECUNDI
SECTIO V.
DE
VARIIS FRUCTIBUS.

CAPUT I.
DE
FRUCTU INDICO ANANAS.

§. 1.

ANANAS perpulcher gratissimusque fructus est, ferè tanquam strobilus formatus, sed mollibus succosisque squamis præditus, melonum habens magnitudinem, & superius (ubi principio flammeus, instar cinnabaris, postea verò pallidior est) foliorum minorum fasciculum, sapore ad fraga prope accedente, odore grato. Ex Americanis fertur Insulis, & exsiccatus in ***D. Jacobi Voorn Museo Indico***, in circuitu horti Academici Lugdunensis, spectatur. Nostro autem tempore in hortis Curiosorum etiam recens & vegetans spectari potest, cùm & in Hassia nostra, in prædio Nobilis ***Dn. de Münchhausen***, haud procul à Pyrmontanis acidulis, in horto Exoticis jamdum instructissimo alatur, unde nuper fructum obtinui.

§. 2.

Qui valdè præstans fructus, haud aliter atque cinara, è medio herbæ cujusdam pomiferæ excrescit, sub nomine MATZATLI s. PINEÆ INDICÆ, ab *Hernandezio* in *Hist. Rerum Med. Nov. Hisp. pag.* 311. optime descriptæ ac delineatæ; quanquam *Piso & Garzias* jamdum istius fecerint mentionem. Longis latisque foliis iridis nostratis ad instar stipatur, utrinque etiam multis aculeis, quorum plures supra terram prope fibrosam radicem, pauci in mediô è caule exoriun-

exoriuntur, qui duorum pollicum craſſitiem & ſesquipedis longitudinem habet. Huic increſcit fructus, circumcirca multis candidè flaventibus ſuccoſisque veſiculis, tanquam ſquamis, ſeptus, in quibus pulchri & cœrulei floſculi cum tribus foliis progerminant, poſtmodum fructu majore maturioreque evadente iterum decidentes. Et quanquam herbam etiam ſtolones comitentur, qui fructus proferre poſſint, nequaquam tamen adeo elegantes bonique ſunt, atque is, qui è ſuperiore corona è fructu acquiritur, qui defractus atque ita ſine radice terræ inditus anno ſequenti fructus progenerare dicitur, ut in *Muſeo Wormiano pag.* 185. memoratur.

§. 3.

Cæterum tres hujus fructus dicuntur inveniri ſpecies, quas *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 236. ſecundum omnes circumſtantias præ aliis deſcripſit, quarum prima Ananas alba & magna vocatur, 8. vel 10. pollices habens in diametro, 15. vel 16. pollices alta, alba fibroſaq; medulla ſub aureo cortice repleta, quæ vere matura facta cydonia, imo fragrantius quid redolere creditur. Quæ utut magna pulchraq; ſit, tam grato tamen ſapore non pollet, atque reliquæ, dentibus etiam multo periculoſior eſſe, gingivamque cruentam reddere perhibetur. Altera ſpecies pain de ſucre (vulgo Zucker-Hut) dicitur, quoniam hic fructus ita acuminatus eſt, longiora etiam magisque recta folia habet. Non adeò flavet ut prior, ſapore verò pollet meliore, quanquam ſimiliter gingivam reddat cruentam. In hac prædictus auctor aliquot grana & ſemina vidit, hocque ipſo opinionem, qua Ananas dicitur granis deſtituta, falſitatis arguit. Tertia ſpecies eſt Ananas minor, omnium gratioſiſſima, dentibus non adeo nociva, ut priores. niſi immodice uſurpetur.

§. 4.

Quas inter tres ſpecies, omnes alias complectentes, licet aliquid intercedat diſcriminis, in eò tamen conveniunt, quod eòdem omnes modò creſcant, ſuperius foliorum faſciculum, intus fibroſam medullam habeant, in ore in ſuccum prorſus ſolubilem, gratum & ex acido dulcique temperatum ſaporem, partim Cydonia & Perſica mala, partim Nuciſtam imitantem, ſpargant. Vi refrigerandi confortandique pollent, ac propterea in febribus ardentibus ad confortandum ſedandamque ſitim juxta ab Americanis uſurpantur, ut *Hernandezius l. c.* commemorat. Quod verò *Wormius* febricitantibus vulneratisque iſtis interdicat, de immaturis ac corroſivis eſt intelligendum, os plerumque afficientibus ac gingivam cruentam reddentibus, quæ *Pometi* eſt opinio: cujus intuitu *Bartholomæus Leonhardus de Argenſola*, Hiſpanus, in Deſcriptione Inſularum Moluccarum, alicubi fructum hunc recentem & immaturum pro veneno habet, qui ad maturitatem evectus egregium eſt medicamentum, ad complures affectus utiliſſimum. Inprimis autè calculum usque eò potenter pellere creditur, ut ægri calculo exiſtente nimis magno, fructuque operationem exerente, de vita periclitentur, ut *Cleyerus* in *Epiſtola* quadam *ad D. Scheſſerum*, ante XXX. annos circiter, ex India Orientali miſſa, teſtatur, quam in *Tract. hujus appendice* reperies.

§. 5.

Eum in finem Indi fructum decorticatum inque lamellas inciſum, in incruſtata beneque munita Anglicâ lagenâ, in ahenum aqua plenum ſuſpendunt, cui ignis ſubditur, quo ſuccus ſponte ſua profluat, coctioneque omnes crudi:tates abſumuntur. De hoc ſucco ſumunt pro lubitu; interdum tamen etiam fructum cum ſale edunt; ſi quando vero metuunt, ne acrimoniam adhuc habeat, in lamellas, ut dictum, incidunt, vinoque imponunt Hiſpanico, quod vim præcipuam extrahit, os tamen non prorſus ſinit eſſe illæſum, ut apud ſupradictum *Wormium* videre eſt.

§. 6.

Porrò Americani prelò ex hoc fructu vinum exprimunt, quod Malvaticum ſapere, prorſusque inebriare perhibent. Hoc vinum trium hebdomadum ſpatio ita immutari dicitur, ut pro vappa poſſit haberi: brevi autem poſt ita ſe colligere, viresque ſuas recuperare, ut multo fortius poſtmodum & præſtantius evadat, quam ante fuit, ut *Pometus l. c.* exiſtimat. Confortat ſpiritus vitales animumque exhilarat, ab ejus tamen uſu gravidæ ſe abſtineant, quod fœtum expellit.

§. 7.

Recens quoque Ananas in India in fruſta inciditur, ſale condienda, quo id, quod in bilem facile abire putant, ſumitur corrigendum, ſecundum relationem *Hernandezii loc. cit.* Hodie quoque Pariſiis & alibi fructus hic ſaccharo conditus habetur, isque ex India allatus. Præſtans dicitur cibus, præſertim ſi bene fuerit conditus. Stomachum naturamque confortat, ſenibus & annis confectis naturalem calorem reſtituit, quibus fortaſſe ſtructus hujus vinum non foret inutile.

CAPUT II.

DE

CAFFE EJUSQUE ABUSU.

§. 1.

QUod hodiè adeò vulgare eſt CAFFE, ſ. COFFI, nihil aliud eſt, quam nucleus minorum quarundam nucum, baccarum lauri adinſtar apparentium, qui ritu fabarum ex duabus partibus conſtant, iisdemque ſuperius fornicatis, inferius, ubi quaſi ſulcatæ ſunt, depreſſis ſ. planis. Hi nuclei colore fuſco & ſapore farinaceo ſunt, & aduſtas fabas redolent. E Perſiâ Turciaque per Maſſiliam & loca alia in integris ſarcinis ad nos feruntur.

§. 2.

Hic fructus ab exotica quadam arbore oritur, quæ tiliæ habens magnitudinem ſemper viret, floreque deciduo ejusmodi nuculas profert. A docto Italiæ Comite, *Luigi Ferdin. Marſigli*, in *Notitiâ di Conſtantinopoli Sopra la pianta del Caffe*, omnium optimè deſcribitur, in quo libro diſtinctæ ſpecies delineantur, quarum præcipua hic in figurâ æneâ ſiſtitur videnda. A verò igitur alieni ſunt, qui hos nucleos à planta aliqua oriri, fabæque eſſe ſpeciem exiſtimant. Quod erroris inde fortaſſe duxit originem, quod Arabes hunc fructum Bun, Buna, Bon ſeu Ban vocarunt, iſteque etiam fabis figura odoreque haud diſſimilis eſt, licet effectus prorſus ſit diverſus.

§. 3.

Optimi Caffe nuclei viridiuſculi ſint, recentes & magnitudine mediocres, odoris mucoſi expertes, à duris etiam cavisque corticibus, ſæpe permiſtis, bene ſeparati & depurgati. Qui totis ſarcinis illos emunt, videant, ut ne quis angulus madidus aut humidus ſit, quoniam fructus humidum facile attrahit & corrumpitur. Coffi mola tritum uſtumque qui emit, hominibus conſcientioſis utatur, quod facile poſſumus circumveniri, dum nonnulli fabas ſeu frumentum ita torrere ſciunt, ut à Coffi non facile poſſit diſtingui.

Caffe, du ſchwartzes Angeſicht,
Daß man dich doch mag leiden!
Wo du hinkommſt, muß man da nicht
Die Luſt und Beyſchlaff meiden.

§. 4.

Vires uſumque Caffe *D. Laurentius Strauſſius*, in hac Academia Giſſena Anteceſſor meus, in peculiari *Diſput.* ex aliis deſcripſit, quam poſteà Dn. Socer ejus B. *D. Joh. Dan. Horſtius Schrœderi Pharmacopœiæ* curavit annecti, Anonymus vero Anglicus ſub Titulo: *The manner of making of Coffée, Thea and Chocolate* lingua Anglicâ imprimi. Prædictus vero auctor ante annos fere innumeros ab veteribus Arabibus, *Rhaſe, Avicennâ* aliisq; hunc deſcriptum fuiſſe fructum oſtendit, quemadmodum hodieque adhuc apud iſtos Turcasque in crebriori eſt uſu, vid. *Olearius Libr. V. der Perſianiſchen Reis-Beſchreibung pag.* 399. Stomachum confortat ejusque coctionem promovet, ciet urinam & ſomnum impedit, dum viſcidas omnes particulas in ſanguine disjicit, ſpiritus vitales extricat & commovet, ut *Willisius* in *Pharm. Rat. pag.* 202. exponit. Quam verò multum *Bontekoë* in ſuo *kort Tractaat van de Kragten en't Gebruyk van de Coffi* ei tribuat, unicuique notum eſt. Interea uſus ejus non ſit nimius, cum ex abuſu facile alii naſci poſſint morbi, id quod *Sim. Paulli in Quatrip. Bot. & Commentario de Uſu & Abuſu Herb. Thee* fuſius oſtendit. Memorabile eſt, non ſolum *Willisium l. c.* aliquem maciem, paralyſin &c. ex ejus obſervaſſe uſu, ſed ſupra memoratum quoque *Olearium* recenſere, aliquem Perſarum Regem, Sulthan Mahmud Caſuin nominatum, ejus abuſu potentiam virilem perdidiſſe, hocque ipſo Conjugi ſuæ cauſam dediſſe adulterii, quam equum ad caſtrandum proſterni videntem fert dixiſſe: minus hoc eſſe neceſſarium, ſi equo nefandum Caffe potum darent propinandum, fore, ut Regi evaderet ſimilis. Qua occaſione Perſa quidam certos ſua lingua verſus compoſuit, ſenſum habentes ſequentem:

Te Caffe, atra facies!
Quid eſt cur delectemur?
A Venere, quo ventes,
Facis ut feriemur.

§. 5.

Modus bibendi Coffi notus eſt. Nempe coffi nuclei in certis perforatis patellis torrentur, atque molis portatilibus (*mit den Caffe-Mühlen*) inſtar pyxidis oblongæ tornatis & conformatis in pulverem rediguntur, cujus tantum, quantum placet, in aquam ferventem projicitur, quam in ſcutellas ſeu ollulas, bibendo Theæ potui aptatas, fuſam, cum, vel ſine ſaccharo bibunt. Illa vero toſtio ſecundum *D. Hermanni, in Colleg. Mſ. de Mat. Med.* detectam, opinionem vel propterea videtur requiri, quo oleoſæ particulæ

Adi: lib 2 sect: v C: 2





ticulæ extricentur, acrioresque temperentur. Quosdam etiam ejusmodi fabas coquere & ad modum pisorum edere perhibent, ut *Pometus* in *Histoire des Drogues pag.* 205. memorat. Dulciarii hodie quoque fuscam confectionem inde præparant, *Caffe-Zucker* dictam.

CAPUT III.

DE

CACAO ET CHOCOLATA.

§. 1.

CACAO, sive, ut Americanis dicitur, CACAVI exotici cujusdam fructûs nucleus est, diversæ magnitudinis, plerumque tamen amygdalam æquantis, cui etiam forma facieque externa prorsus similis est, præterquam quod Cacao paulo crassior turgidiorque sit, & foris rubicundior. Saporis oleosi est & subamari, odoris nullius, & ex India Occidentali, præsertim Nova Hispania, affertur.

§. 2.

Hic fructus in arbore à quibusdam crescere dicitur, quæ propterea ARBOR CACAVIFERA dicta & ab *Hernandezio Lib. 3. Cap. XLVI. Rerum Medicar. Nov. Hisp. pag.* 79. fusius descripta est, ubi quatuor istius species recensentur, quas etiam *Wormius in Mus. pag.* 191. ex illo descripsit. Magnitudine foliisque citro non multum dissimiles sunt, fructumque instar melonum proferunt, in quo nuclei Cacao dicti, ut in malo Granata, coarctati jacent, quorum interdum plus quam sexaginta uno in fructu reperiuntur, ut *Pometus* in *Hist. Gener. des Drogues pag.* 206. commemorat, qui se istorum figuram ad *Tournefortii* originalem mutuo desumsisse dicit, quæ tamen longe aliter depingitur in *Tournefortii Instit. rei herb.* qui cum Cl. *Plumerio* fructum hunc cucumiformem & striatum vocat: cujus iconem vid. TAB. fol. Thee, *Lib.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. *Fig. II.* Maximè verò à tramite hic aberrat *Dn. Ettmüllerus* (modò ejus sint verba) quando fructum cacao pro nucibus palmæ Indicæ (coccos *Nüsse*) habet, vid. ejus *Comment. Schræd. pag.* 721.

§. 3.

Pro diversitate quatuor arborum totidem quoque dantur cacao species, quarum binæ majores minoresque CARAQUÆ (quoniam è Nicaraga provincia veniunt) nominantur: tertia & quarta majores minoresque CACAO AB INSULIS audiunt, quod ex Insulis Americanis, præsertim S. Domingo, afferuntur. Quarum omnium prima, crassa Caraquæ dicta, ad chocolatam habetur optima, quemadmodum prædictus *Pometus l. c.* præ aliis meminit. Interdum in massam redactæ, præsertim ultimæ, afferuntur, quibus tamen non fidendum.

§. 4.

Cacao nucleos adhuc recentes graves ac ponderosos esse oportet, soboles Caraquæ dictæ maximæ, quoad ejus fieri potest, si boni volunt haberi: extrinsecus nigricantes, intus fulvos, instar amygdalarum ustarum. Teste enim *Hernandezio l. c.* ob nimiam oleositatem in America ante usum torrentur & fortasse ita ad nos veniunt, id quod tamen certò affirmare nequeo. Porrò nec carioси sint, nec mucidi, sed è contra bene sapidi & integri.

§. 5.

Quod ad istorum usum attinet, olim in America hoc Barbari dictum cacavi semen loco monetæ usurparunt, haut aliter atque aliæ Indiæ Orientalis Gentes conchas, folia similiaque pro pecunia usurpant. In Medicinâ verò basin constituit hodie adeo notæ Chocolatæ, ex ejusmodi nucleis aliisque aromatis compositæ, uti mox dicetur. Fructus per se naturæ est subfrigidæ, sed tamen valde nutritivæ, ritu amygdalarum, adeo, ut nobilis quidam Anglus, *Stubbe* nominatus, in *Tract. de Chocolata* affirmare non dubitet, in uncia una cacao plus latere nutrimenti, quam in tota libra bubulæ. Memorabile est, ex hoc fructu è retorta destillato, prodire phlegma carnis jusculum sapiens: postea spiritum & oleum pinguedinem assatam redolentia, quod *Ettmüllerus* è *Dn. Febure Chymiâ* in *Comm. Schræder. pag.* 721. monuit. Quam ob causam hic fructus phthisicis valde creditur utilis, quando vel solus, vel cum frumento Turcico in aqua coctus bibitur, atque hoc ipso cum nostratibus pineæ nucibus convenit. Americani ad dysenteriam utuntur, ad quam etiam gummi hujus arboris commendant, cujus *Hernandezius l. c.* meminit. In tussi ad suffumigium dicitur sumi. Expressum inde oleum infucandæ faciei inservit.

§. 6.

Quoniam verò, ut memoratum, cacao nuclei frigidæ sunt naturæ, Americani additis variis aromatibus & saccharo sumserunt corrigendos, unde notissimum Compositum, Chocolata s. Succolata dictum, resultavit. Hæc

CHOCOLATA

massa est, ex cacao, saccharo variisque aroma-

tibus compoſita, cujus deſcriptionem *Anton. Colmenus de Ledeſma*, Chirurgus Hiſpanus, in parvo *de Chocolata Tract.* ita communicavit:

℞. Nucl. Cacao N. 100.
Sacch. albiſſ. ℔ß.
Pip. de Tavaſc. gr. XIV.
Caryophyll. ʒß.
Vanill. N. iij.
Sem. Aniſ. ʒiij.
Achiotl. qſ. ad tingendum M.

Nonnulli etiam frumentum Sarracenicum, piper Hiſpanicum, & florem quendam Americanum, Florem Auriculæ dictum, quod folia aures repræſentant, addunt. Alii loco cacao ſúmunt amygdalas, & quod multa memoratorum ingredientium prorſus fere haberi nequeunt, alia aromata, atque cum bono ſaccharo miſturam efficiunt, chocolatæ forma viribusque prorſus ſimilem, ut *Grevvius* in *Muſ. Soc. Reg. Angl.* memorat, cujus in *Act. Erud. Lipſ. An.* 82. *Menſ. Jan. pag.* 1. fit mentio. Ego ſanè in Batavia hoſpitem novi, qui nullam niſi ejusmodi chocolatam vendebat.

§. 7.

Quando igitur variæ adhuc chocolatæ inveniuntur deſcriptiones, facile judicare licet, varias iſtius haberi ſpecies. Optima olim ex America, poſteaque ex Hiſpania, vel in ſcatulis modo panis cydoniorum, vel in craſſis bacillis affertur, vid. *Marxius in Mat. Muſ. pag.* 195. & *Vielheurius* in *Deſcript. Mater. Exot. pag.* 160. Quemadmodum hodieque Chocolata apud Materialiſtas in ſcatulis, tabulis & paſtillis invenitur. Poſtquam vero Pariſiis, Londini, in Batavia atque Germania (modo ingredientia vera atque genuina poſſint haberi) æque bene poteſt præparari, non tanta amplius copia ex India & Hiſpania deſcribitur, quippe cui *Pometus* Pariſienſem vult præferri. Imò in Europa melioratur, additaque ambra chocolata inventa eſt ambrata, quæ plerumque in minoribus rotundisque paſtillis advecta, valde grata, ſimul etiam cariſſima eſt.

§. 8.

Quemadmodum verò quævis compoſita valde difficulter dijudicantur, ita etiam valde dubium de chocolatæ bonitate judicium eſt, præſertim quando abſolute debet determinari, num omnia inſint ingredientia? idque eo magis, quod Clariſſimus *Bontekoe* in *Tract. van de Kragten en't Gebruyk van de Chocolate pag.* 269. publicè conqueritur, nec inter vivos, nec inter ſcriptores quenquam poſſe reperiri, qui vel odore ſaporeque, vel aliis ſignis chocolatam genuinam à falſa diſtinguere doceat. Tot igitur de iſta judicia ſunt, quot inveniuntur capita, dum quidam rotundos, quadrangulos paſtillos alii cenſent optimos. Optima nec nimis dulcis, nec amara ſit, neque nimium piper aut caryophyllos ſapiat, fragrante etiam polleat odore, dura ſit & ſicca, in fruſta diffracta albas quasdam maculas ſtriasque percurrentes oſtendens, reliquum vero fuſci ſit coloris.

§. 9.

Uſus viresque chocolatæ à multis auctoribus in peculiaribus libris deſcribuntur, quos *Bravo* in *Conſultat. CXIV.* recenſet, quos inter *Franciſc. Maria Cardin. Brancatii* in *Diatrib. de Uſu Chocol.* in dubium vocat, num chocolatam, ob vim nutrientem inſignem, etiam in feriis eſurialibus bibere licitum ſit? qua de re in *Journal des Scavans Ann.* 66. *Menſ. Jan.* 18. pluribus legitur. Imbecilli frigidoque ſtomacho, hecticis etiam ac phthiſicis proficit, ſi febris non adeo fuerit intenſa. Pectori quoque utilis exiſtit ad alleviandam tuſſim pituitoſam: confortando capite vertiginem abigit, ſimul verò ♀is concitat cupidinem, quippe quem in finem etiam Confect. Pacif. de Succolata Inda Mynſ. præſcribitur. Quos pluresque uſus alios ſupra memoratus *Bontekoe* fuſius deſcriptos commendat, ſimul utendi modum communicans, in eô conſiſtentem, ut Chocolata vel in ſola calida aqua, cum ramoſo ligno in ſpumam concuſſa, bibatur, vel etiam cum lacte præparetur, cui alii inſuper ova addunt.

CAPUT IV.

DE

VAINIGLIIS ET FLORE AURICULÆ.

§. 1.

Simul ac Chocolata in Europa innotuit, Vainiglias, vulgo *Vanillen* ſ. *Banillen*, tanquam præcipuum iſtius ingrediens, advehi curarunt, quæ propterea in Batavia vulgares ſunt, beneque poſſunt acquiri. Hæ

VANILIÆ

conſtant è longis & quaſi compreſſis folliculis ſeu ſiliquis, ſex pluresve pollices longis, unum vero pollicem latis, & cultri vaginam quaſi repræſentantibus. Foris coloris ſunt ex nigro fuſci & ſplendentis, intus coloris ejusdem, exiguorum granorum pleni, ſicut ficus, ſaporis ſubacris, pinguis & aromatici, odoris moſchum æmulantis. Ex India Occidentali & quidem Gatimalo & S. Dominico veniunt.

§. 2. Her-

§. 2.

Herba, ex quâ ejusmodi fructus excrescunt, *Hernandezio*, qui istam præ aliis pulchre descripsit, vocatur

ARACUS AROMATICUS.

Convolvuli species est, arbores ascendens; lata habet folia, ut plantago major, sed longiora pinguioraque: nigros flosculos proferens, (unde etiam FLOS NIGER vocatur,) & post istos prædictas siliquas, è quibus, ob nimiam maturitatem crepantibus, niger fragransque profluere perhibetur balsamus, quem Hispani pro se retinent, nec facile ad nos sinunt permitti.

§. 3.

Simul ac siliquæ maturuerunt, ab Americanis decerpuntur, alteraque extremitate ligatæ, quo exsiccentur, in loco umbroso suspenduntur. Decenter exsiccatas, ut asservari possint, foris oleo aliquo inungunt, ut ne nimium rigescant & frangantur: hinc 50. vel 100. aut plures in fasciculos redigunt, quo in alias regiones mittantur. Quum verò odor moschatus facile evanescat, fructus hi sæpius Chinensi stanno, calin vulgo dicto, tenuissime malleato muniuntur, papyroque Inda incrustantur, quo fragrans ejusmodi odor possit conservari: cujus aliquod frustum è Batavia mihi transmissum est, quale ibidem solido Hollandico emitur.

§. 4.

Optimæ censentur, quæ è magnis, perfectis, gracilibus & recentibus siliquis constant, quæ læves, non rugosæ, non tamen unctæ, medulla grumisque refertæ, ac boni odoris sunt. Id etiam detur curæ, num in medio fasciculorum parvæ inutilesquæ condantur. Multo minus eæ probantur siliquæ, è quibus prædictus balsamus profluxit, quæve tenuibus lignis ab Indis adimpletæ sunt, quam fraudem *Pometus* in *Hist. Gen. des Drogues pag. 208.* detegit.

§. 5.

Virtutes istarum consistunt in ⊖ volatili & oleo penetrante, quæ bina illis vim valde calefacientem & resolventem, simul etiam confortantem conciliant, qua stomachum confortant, flatus dissipant, atque cerebro, uteroque & partibus nervosis aliis vehementer proficiunt. Cient urinam, promovent menses, partum naturalem & difficilem: secundinas quoque ac fœtum mortuum pellunt, atque adeo in pluribus morbis sexui muliebri conducunt; similiter ad morsus venenosos stupefacientes, resque similes venenosas usurpantur, quæ omnia supra laudatus *Hernandezius* in *Descript. Rerum Med. Nov. Hisp. Lib. 2. cap. XVI. pag. 38.* descripsit. Plerumque vainigliæ ad chocolatam sumuntur, quam gratiorem efficacioremque reddunt, Tabacophili istis quoque tabaco fragrantiam conciliant.

§. 6.

Præter Vainiglias Americani ad chocolatam fragrantem aliquem florem sumunt, sex foliis, intus purpureis, foris viridibus, figura parvos aures repræsentantibus, constantem, qui propterea vulgo

FLOS AURICULÆ,

ab Hispanis Flor de la Oreja, aliis d' Oreje vallà vocatur. Gallicus Materialista *Pometus* in conterraneum suum, Dominum *Blegny*, valdè acerbè invehitur, quando hunc in *Histoire des Drogues pag. pag. 207.* verbis contumeliosis sumit exsibilandum, quod in descriptione chocolatæ floris hujus fecerat mentionem, quem tamen nusquam, omni licet adhibita industria, potuerit inquirere, istum igitur effictum vult haberi. Enim verò non sequitur, ab hoc illove rem aliquam non potuisse inquiri, istam ergò esse fabulosam, cum hæc similesque species non illicò ex India ad nos venerint. Sufficiat istum à viris clarissimis fide dignis fuisse depictum descriptumque, quemadmodum etiam ab *Hernandezio* in eleganti raroque *libro supra citato pag. 30.* sufficienter oculis subjicitur.

§. 7.

Hunc verò florem peculiaris quædam arbor profert, longis, angustis & obscure viridibus foliis prædita. Flos longo & quasi marcido petiolo deorsum pendet, ab Indis magno in pretio habitus, & ob fragrantem odorem æstimatus. Quæ forte causa est, quamobrem in Europa rarus sit & nunquam visus. Post flores siliquæ prodeunt, sexies pollicem longæ, semel vero pollicem crassæ, in quibus sanguinei coloris semen invenitur, ex aliqua compressione quodammodo angulare, quod omne supra memoratus *scriptor Lib. 2. cap. 4 pag. 30.* figura sistit contemplandum.

§. 8.

Similiter vi calefaciente pollet insigni, flatus dissipat, sive per se, sive in aqua sumatur: tenacem pectori stomachoque impactam pituitam resolvit, simulque ventriculum confortat & calefacit. Cor non minus atque spiritus vitales reficit. Inprimis chocolatæ odore suo fragrantissimo saporeque præstanti gratiam addit: quam ob causam vera ac genuina Americanorum chocolata, ut supra memoratum, cæteris compositionibus non temere præferenda. Quodsi istius inveniendi daretur copia, nullum esset dubium, quin præstantem spiritum, oleum similiaque exinde possemus præparare, quæ omnia successive dies docebit.

CAPUT V.

DE

FABIS S. IGNATII.

§. 1.

PAucis abhinc annis hos adhuc ignotos fructus parvam nucem moschatã magnitudine æquantes, sed rarò rotundos, potius longiusculos, cordis gallinacei adinstar, foris lævi cuticula argentei coloris circumdatos, intus ex flavo fuscos & pellucidos, tanquam cornu, apparentes, in Europam transportarunt, qui ab Indis Igasur & Mananavus, hoc est victoriosus, ab Hispanis pepitas de Bysayas & Cathaloyan vocantur. Quamobrem verò fabæ S. Ignatii vocentur, nondum innotescit: fortasse ab Jesuitis, quorum auctor S. Ignatius extitit, inventi & ad nos transportati sunt. Hoc certum est, minime esse fabas, dum non ex binis partibus, ut fabæ, constant, nec substantiam farinaceam in se continent, sed instar cornu duri sunt: qui fructus propterea rasi quam contusi sumi possunt melius.

§. 2.

Hæ ita dictæ fabæ S. Ignatii in Philippicis Insulis utplurimum inveniuntur, unde ab Lusitanis in Europam transportantur. Non utrinque è caule excrescunt instar piperis, ut olim ab amico mihi renunciatum, de quo in *Polychr. Exot. Disp. 1.* memini, sed in certô aliquo Indiæ fructu, melone paulum majore, inveniuntur, in cujus medio, haud secus atque in malo punica, XX. imo XXIV. grana reconduntur, molli flaventeque pulpa ab invicem distincta. Ipse fructus foris perlævem, splendentem & ex flavo viridiusculam pelliculam habet, sub qua cortex duritie lapidea latet, coci nucis instar grana continens. Iste fructus è planta progeneratur, Indis Catalougay & Cantara dicta, altissimas arbores scandente, cujus folia & flores, una cum fructu & aliquibus fabis *P. Camelli* in *Epistola ad Clariss. Anglorum Botanicum, Joh. Rajum*, delineavit, ex qua istas primum Regia Societas Londinensis in *Actis Angl. Ann.* 1669. *pag.* 87. & ex his postmodum *Eruditi Lipsienses in Actis suis Ann.* 1700. *Mens. Decemb. p.* 555. nobiscum communicarunt.

§. 3.

Quæ S. Ignatii fabæ, quanquam exsiccatæ valdè indurescant & instar ungulæ seu cornu appareant, simul etiam aliquam habeant amaritiem, centaurio minori accedentem, granaque citri superantem, neutrum tamen impedit, quo minus carinosa evadant & perforentur: id quod tamen istis non tam facile atque aliis seminibus nocivum est, quoniam etiam carinosæ (primùm enim nullæ aliæ afferebantur) satis adhuc efficaces deprehensæ sunt. Interea quando electio libera est, integræ minusque carinosæ sumantur, quamvis duplo carius sint emendæ, quam carinosæ, quarum singulas Materialistæ in Batavia duobus solidis divendunt, ut *D. D. Spenerus*, nuper Medicus Regius Berolini, Amstelodamô mihi retulit.

§. 4.

Virtute pollent calefaciente, bezoardica & carminativa, simul etiam subadstringente, qua stomachum, intestina nervosque roborant. Istas vero ἄνω κατὰ κάτω purgare, ut in epistolâ supra memorata memoratur, nunquam observavi, qui istas etiam infantibus sugentibus præscripsi. Id habeo compertum, istis assumtis continuo murmura in abdomine excitari, adeo ut aliquando puellus, post aliquot granorum usum, dixerit: audite, quæso, vermium in ventre turbam. Fortasse etiam in nimia dosi purgant, quùm in Hispanis spasmum & convulsionem perhibeantur excitare, qui tamen Indis non est metus. Quid certo cuidam Domino in Batavia evenerit, qui essentiam loco spiritus vini bibit, vide in *Polychr. Exoticis Disp. I. pag.* 9. ubi primus de ejusmodi granis egi. Id sanè certum est: omne nimium esse noxium.

§. 5.

Cæterum nullum est dubium, quin Fabæ S. Ignatii, rectè usurpatæ, nobile sint remedium adversus multos & alios contumaces morbos, ipseque testari possum, istis mediantibus febres intermittentes, præsertim in tenellis infantibus, perfectè fuisse curatas. Sic etiam Clariss. Medicus & Professor Jenensis, *Dn. D. Wedelius*, in quadam epistolâ testatur, istas quoque in febribus continuis se inveniisse utiles. Non minus Indi ipsi ad morbos venenosos, pestilentiam, fascinum, philtrum similesque utuntur: de sententia vero nostræ ætatis Medicorum, fabæ S. Ignatii veræ creduntur esse nuces vomicæ, à *Serapione* descriptæ, & ad theriacam sumendæ, in quarum defectu vulgares & venenosæ nuces vomicæ non sine periculo hucusque fuerunt usurpatæ. Num verò externè, tanquam amuletum suspensæ, venenatisque morsibus ac vulneribus impositæ venenum attrahant, quæ vulgaris est opinio, ulteriori relinquo experientiæ. Quam egregiam opem in convulsionibus præstent, in tenello infante, epilepsia quotidie fere septies detento, nuper observavi, quam aliquot fabarum granis curavi. Similiter in maculis infantum volaticis, epilepsiâ comitatis, & maculis volaticis vulgaribus (*gemeinem Flug*) valde utiles

depre-

g. 2

Fig. 1.

Fig. 3

Fig. 4.





deprehendi. Conf. *Noſocomium noſtrum Academicum.* Quamobrem etiam in convulſionibus internis doloreque ſtomachi & inteſtinorum, cardiaca ſcil. præcordiorum anguſtiis, colica, ſpaſmo inteſtinorum, dyſenteria, teneſmo, doloribus uterinis ſimilibusque egregiam opem præſtant, dum ſtomachum ſimul confortant, appetitum acuunt, omnesque cruditates abſumunt. In ſpecie etiam capiti conducunt, præſertim ex imbecilli ſtomacho debilitato, in apoplexia, catarrhis, paralyſi, odontalgia & ſimilibus, ſive aſſumantur, ſive ſub lingua ſaltem detineantur, cum ſalivam ciere, & jam in extremo vitæ periculo conſtitutos credantur exſuſcitare. Porrò utiles ſunt in pectoris morbis, anhelitu, tuſſi convulſiva & ſuffocationis periculo, præſertim à ſpaſmodicâ pulmonum contractione exortis. Urinam, menſes & ſecundinas promovent, lumbricos enecant, & externe quoque hæmorrhagias ſedant.

§. 6.

Iſtarum pulvis in minori doſi à granis duobus ad ſex datur, ſemiſcrupulus enim purgare dicitur. Unam alteramve horam etiam infunduntur in aquam aliquam deſtillatam, quoad amareſcat, quemadmodum aliàs pedra porco ſolet, cujus exiſtimationem hæ fabæ fortaſſe reddent dubiam, ut *D. Goris* in *Medicina contempta pag.* 185. prædixit, eoque facilius, quod unius anni ſpatio dimidium, quo conſtabant, pretii cecidit, ita ut faba principio anni 1699. quinque florenis aut ducato emi ſolita, nunc Imperiali poſſit haberi. Cæterum dictâ maceratione exterior pellicula, Indorum ſericam papyrum referens, decedit, tumque nucleus ſuſcis ſtriis apparet notatus. Exinde quoque cum ſpiritu vini, aut alio quodam appropriato, eſſentia extrahitur, cujus ℈j. ℥ß. vel ʒj dari poteſt pro doſi. Quidam oleum præparant, coctione granorum in oleo olivarum, vel ſolo, vel cum oleo nucum aut ſimili permiſto, quod in ſcabie & artuum dolore utile eſt. vid. *Polychreſta noſtra Exotica.*

CAPUT VI.

DE

NUCE MOSCHATA ET MACERE.

§. 1.

NUCES MYRISTICÆ ſ. NUCES MOSCHATÆ rotundi, durique ac craſſi nuclei ſunt exoticæ nucis, foris ſubcani ac rugoſi, intus rubicundi & venoſi, ſapore ſubamaro, adſtringente & aromatico prædîti, odoreque fragrante. A Mercatorum Societate ex India Orientali Amſtelodamum tranſportantur, in alias regiones vehendæ, teſtibus *Chriſtoph. Frickio in der Oſt-Indianiſchen Reiſe pag.* 138. *Linſchottano, Mercklino, Mandelslo in Itinerariis,* & *Hulſio in Navig. in Ind. Orient. p.* 2. *c.* 19.

§. 2.

Hæ nuces Moſchatæ in Inſula Bandam vicinisque locis copioſe creſcunt, & quidem in arbore, quæ ſecundum *Joh. Nieuhofii* deſcriptionem in *cap.* 15. *Itinerarii Sinitici*, pyri magnitudinem, corticem cinereum, porroſum lignũ purpureumque nucleum habentis. Folia ejus dicuntur fragrantia, quorum forma à *Plukeneto* & *Rumphio* præſenti Tab. Fig. 2. delineata eſt. Inſtar ceraſi floret, niſi quod floſculus flaveſcat, tantamque fructuum profert copiam, ut arbores ſe inclinent. Fructus immaturus pyra moſchatellina, maturi verò mala perſica æquant, ut in Fig. 3. & 4. Tab. antedictæ videre licet. Tribus autem prædîti ſunt corticibus, antequam nucleus ſiſtitur videndus, quorum primus mollis eſt ſuccoſusque, ut viride nucis juglandis tegumentum, maturitatis tempore ſponte ſua hians, ut alter, qui ruber eſt, non tamen integer ſeu continuus, ſed quaſi diffiſſus, appareat, Foli ſ. macis vulgo vocatus, & in arbore ſanguineus apparens, vid. genuinam deſcriptionem in *Appendice hujus Tract.* poſt *Indiæ Orientalis epiſtolas.* Sub his tertius isque tenuis, ſed durus lignoſusque latet cortex, cui nucleus ſ. ipſa nux moſchata includitur. Fructus hujus deſiderio certæ quædam aves, pſittaco paulo majores, dicuntur teneri, quæ ſimulac exterior cortex diſceſſit, nucem moſchatam una cum floribus eximunt eduntque, à Bátavis propterea Nuciphagæ (*Nuß-Eſſer*) vocatæ, quas incolæ ob ſaporem pergratum prorſusque aromaticum cum interaneis edere perhibentur. Si quando nuces cum excrementis egerunt, arbores moſchatæ ſponte excreſcunt, ut *H. I. Saar, in dem Oſt-Indianiſchen Kriegs-Dienſt, c.* 3. *Neuhofius l. c.* aliique memorant. Quanquam ex excrementis progeneratæ arbores non adeo perdurent, vilioresque fructus, quam reliquæ, proferant, parum propterea æſtimatos, niſi quod maceris gratia, quacum optima miſcetur, colligant. Optimæ arbores è nucibus generantur, facile radices agentibus germenque emittentibus, præſertim ſi cum toto & ſeminaturo fructu terræ mandantur, quâ de re ſupra laudata deſcriptio agit pluribus.

§. 3.

Maturæ nuces ab Inſulæ Bandam incolis Aprili, Majo Auguſtoque menſibus colligun-

tur,

tur, quoniam arbor ter annuatim fructificat. Fœminæ nuces corticibus eximunt, macerem ſeparant, nuces in Sole exſiccatas aqua calcis, è conchis coralliisque calcinatæ, eluunt, quò à putredine defendantur, & trans mare vehi poſſint. Enimverò *Marxius* in *Mater. Muſ. pag.* 38. non ſine cauſa metuit, hac ratione pondus iſtarum augeri, hocque ipſum intendi. Harum nucum certum pondus, *catia* vulgo dictum, ſive ℥. ℔, quinque ſtüferis vel albis Batavicis, atque ita libram præter propter drachma Miſnica, æquale verò maceris pondus ſive catia novem ſtüferis, hujusque libram 3½ drachmis Indi Batavis divendunt; pro annorum tamen diverſitate pretium nunc decreſcit nunc intenditur, vid. *Schurzius Mater. Muſ. pag.* 62.

§. 4.

In Bataviam tranſportatæ, Amſtelodami in Domo Societ. Indicæ Orient. (vulgò im *Oſt-Indianiſchen Haus*) eliguntur, in ſortes ſeu ſpecies diſtribuendæ, quarum pulcherrimæ ſelectæque Finæ, permiſtæ Mediæ ſeu in Sortis, viliſſimæ Rumpi (vulgò *Rümpff*) vocantur. De ultimis variæ Materialiſtarum ſunt opiniones, dum nonnulli, utpote *Schurzius l. c.* iſtas à ſylveſtribus, vel etiam immaturis, à nucum eſoribus ut dictum, plantatis, proficiſci exiſtimant. *Marxius* contra negat, Rumposque immaturas, inveteratas, aut carioſas nuces eſſe credit, ex quibus tamen quidam Pharmacopolæ magnum quærere commodum ſciunt, dum ex iſtis, magna copia vilius emtis, oleum nuciſtæ exprimunt, ſive deſtillant, ut quidam haud ita pridem Francofurti mihi ingenuè confeſſus eſt.

§. 5.

Cæterum non docti ſolùm, ſed Materialiſtæ quoque nuces moſchatas in duplicem ſexum, maſculinum ac fœmininum diſtinguunt. Nux Moſchata Mas oblonga, maribusque bona, Nux Moſchata Fœmina rotunda fœminisque utilis eſſe perhibetur; quanquam alii contrarium ſtatuant, longamque moſchatam Uterinam ſolent vocare: Quorum opinionem *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 609. erroneam vult agnoſci, rotundam potius ita vocandam exiſtimans; id quod etiam *Georgius Meiſterus* im *Oſt-Indianiſchen Luſt-Garten pag.* 74. confirmat. Quoniam verò hic auctor confitetur, Indiæ ſcriptores, *Neuhofium* aliosque hanc parum æſtimare differentiam, ac B. Dn. Licent. *Dietzius*, in *Diſput. Inaug. Anno* 1680. hic Gieſſæ *de Nuce Moſchata* habita, poſtmodum verò auctiori edita pag. 16. refert, ſibi, cum eſſet Roterodami, nautam, ex India Orientali reducem factum, certo aſſeveraſſe, in India unam ſaltem ſpeciem, ſcil. rotundam inveniri, ac præterea etiam certum eſt, longas rarò videri, affirmare quidam non dubitant, iſtas non peculiarem conſtituere ſpeciem, à peculiaribus diſtinctisque arboribus provenientem, ſed interdum, ut in cæteris fructibus ſolet, inter alias forte per luſum Naturæ creſcere. Quæ tamen opinio prorſus falſa eſt, dum haud ita pridem Materialiſta quidam, *Joh. Gottfried. Vitus*, qui diu in India Orientali commoratus eſt, me fecit certiorem, revera peculiarem eſſe ſpeciem, ejusque duas arbores in Batavia Nova, in horto juxta diverſorium ante portam novam videri, de quibus etiam virentium foliorum, florum fructuumque delineationem, cum genuinis coloribus, deſumſerat, ſimul cum vulgari à Dn. *Baſilio Beslero* in *continuat. rariorum æri inciſorum* oculis ſubjectam. Vid. *Fig. I. Tab.* hic appoſitæ, cum primis autem *Tab. III. Indiæ Literat.* Imò & aliæ Malabaricæ nuces moſchatæ inveniuntur, nullo prorſus ſapore odoreque præditæ, nihili propterea æſtimatæ, & apud nos raro vel nunquam viſæ, quarum delineationes deſcriptionesque in *Horto Malab.* reperiuntur.

§. 6.

NUCES MOSCHATÆ REGIÆ
(*Königs-Nüſſe*)

adhuc rariores ſunt, quarum fere nemo, præterquam *Wormius* in *Muſ. pag.* 210. meminit; figura cæteris quidem ſunt ſimiles, majori vero piſo non majores perhibentur. Hinc eſt, quamobrem prælaudatus *Wormius* primùm exiſtimaverit, iſtam ab juniore quodam homine, modo ex India Orientali reduce facto, donatam, immaturam corruptamque eſſe: quam cum diſſecuerit oſtenderitque ſolito colore, ſapore & odore pollere, iſti relationi fere habere fidem videtur, quanquam iſtius mentionem hucusque fecerit nemo. Quamobrem alii exiſtimant, interdum inter veras ita creſcere, dum fieri ſolet, ut extra ſuetum naturæ curſum una aliam magnitudine ſuperet, quæ *Schurzii* eſt ratio. Enimverò & hæc ratio ex ſupra adducta nucum moſchatarum deſcriptione facile tollitur, ubi aliqua ejusmodi ſpecies recenſetur, vid. *Appendix hujus Tractatus.*

§. 7.

Optimæ nuces cineraceæ ſunt & quaſi marmoratæ, intus rubicundæ, graves, ſolidæque & oleoſæ, raſæ odore fragrantes, inque ore acrem aromaticum relinquentes ſaporem. Mediæ ſive in Sortis legantur: videamus etiam, ut ne Rumpi & carioſæ permiſceantur. Parvum tamen foramen, in omni nuce moſchata reperiundum, nos minime turbet, quippe quod non caries eſt, ut nonnulli exiſtimant, ſed alia tenui pellicula, una cum cortice avulſa, oritur, ſecundum *Pometum* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 203.

§. 8.

Ratione virium nuces moſchatæ calidæ exſiccantis & ſubadſtringentis naturæ ſunt, quæ non modo nervos ac cerebrum, ſed etiam & præſertim uterum, viſcera ſtomachumque confortan-

tant. Quæ quod oleo ſuo ſuccum ventriculi nimis edulcant mitigantque, Indi recentes nuces vereque maturas ſale & aceto macerare, atque ita ante paſtum acuere appetitum perhibentur, quippe qua ratione oleum ſuperfluum quodammodo mitigatur. Sæpius vero nuces moſchatæ vel ſuper pane toſto teruntur, vel in pulverem redactæ ad omnes diarrhœas, dyſenterias &c. ab junioribus ſenibusque uſurpantur: quo in caſu quidam integram nucem moſchatam ſuper candela incendunt & comburunt, poſtmodum vero propinant, quod aliis probatum antifebrile habetur. Hæc nux gravidis etiam ad confortandum conſervandumque partum perutilis eſt; in colica flatus diſſipat, & aliâs quoque in variis corporis affectibus vario modo uſurpatur, id quod per plurimos morbos Medicorumque formulas à ſupra citato *Dn. Dietzio*, in *Tract. de Nuce Moſchata*, fuſius oſtenſum fuit. *D. Hoffmannus* è *Jac. Bontio* obſervat nuces moſchatas etiam vi ſomnifera pollere, proptereaque non eſſe abutendas, vid. *Clav. Ejus pag.* 507. Externè, una cum aliis ſpeciebus, gravidarum umbilicis applicatæ, fœtum confortant: ſi vero ab admiſſo exteriore aëre uterus inflatur, fumigandus, ut *Ettmüllerus l. c.* ex aliis Practicis oſtendit. Nonnulli ex pulvere nucis moſchatæ & alumine cum melle elegans pro gingivis electuarium conficiunt, ad iſtarum hæmorrhagiam compeſcendam, quod etiam dentes roborat.

§. 9.

Supra dictos effectus etiam nuces moſchatæ exerunt, quæ prorſus recentes & immaturæ, in Bandam Inſula, cum putaminibus, ut nuces juglandes apud nos, circa Johannis diem, cum melle aut ſaccharo condiuntur, ac poſtmodum ab Indis numero millenario venduntur: quarum maximæ & cum ſaccharo conditæ habentur optimæ, præſertim ſi adhuc recentes ſint, non acidæ, nec mucidæ ſapore appareant, ut *Marxius l. c.* docet. Et hæ ſunt in officinis dictæ

NUCES INDICÆ CONDITÆ,

per quas non coci nuces intelliguntur, aliás proprie Nuces Indicæ dictæ. E Batavia interdum cum ſyrupo ſ. brodio, nonnunquam ſiccæ veniunt, ſtomacho admodum utiles, ac propterea à Septentrionalibus ad ſcorbutum vehementer æſtimatæ.

§. 10.

Iſtarum locô in Galliâ ſiccum de nuce moſchata pulverem habent, quem

POUDRE DUC,

ſ. pulverem Ducis (*Hertzogen-Pulver*) vocant. Ex libra una ſacchari, & nucis moſchatæ unciis duabus conſtat, cui nonnulli aliquid cinamomi addunt. In vino calido ad raucedinem, à refrigeratione ortam, uſurpatur, de quo vid. *Pometus loc. cit.*

§. 11.

Porrò duplex habetur oleum, expreſſum & deſtillatum. Illud vulgò in officinis

OLEUM NUCISTÆ EXPRESSUM

dicitur, quod partim ex India Orientali in vaſis Porcellanis affertur, craſſum, pingue, colore macerem æmulante, odore fragrante: partim à Batavis præparatur, placentis quadrangulis afferri ſolitum, priori durius, pallidius, nec adeo fragrans, proptereaque multo vilius. Quùm verò verum & Indicum apud nos perrarum ſit, ut *Dale* in *Pharmacol. pag.* 395. meminit, Hollandicum contra vehementer ſit adulteratum, ac de ſententia *Pometi* maximam ferè partem è recenti butyro conſtet, ab iſtoq; propterea rejiciatur; hinc melius ſibi conſulunt Pharmacopolæ, id ſi ipſi præparant. Facile verò ſuccedit labor, quando groſſè contuſæ nuces moſchatæ, in panno hirſuto, ſuper aqua fervente tenentur, poſtmodum inter duplicatum pannum hirſutum & laminam, ſimiliter vapore aquæ ferventis calefactam, quoad ejus fieri poteſt, citiſſime exprimuntur. Oleum eleganter aureum, ſapore & odore gratum ſit. Alterum deſtillatur, unaque nucum libra olei deſtillati unciam ſuppeditat, ſecundum obſervationem *Vielbeurii pag.* 130. Ex hujus capite mortuo *D. Hermanni* aliud adhuc oleum extorſit, vi ſomnifera, opii adinſtar, præditum, vid. *ejus Mſc.*

§. 12.

Quæ bina olea vi ſtomachum cæteraque viſcera roborandi ac calefaciendi pollent eximia. Utplurimùm verò oleum expreſſum internè externeque infantibus præſcribitur, ſi quando ex ſtomacho debilitato diarrhœa afficiuntur. Loco corporis pro blaſamis etiam inſervit, ut ex iſto omnia externa balſama conficiantur; quemadmodum & *Scherzeri* balſamum, in Saxoniâ adeò celebre, ex iſto maximam partem conſtat.

§. 13.

Eosdem uſus præſtat quoque

MACIS, vulgò *Muſcaten Blumen.*

Proprie non flos eſt, ſed medius cortex, nucem moſchatam inſtar retis ambiens. Genuinum floſculum in arbore, luteo colore præditum, vid. in *Fig.* 2. Tab. hic appoſitæ. Principio Macis prorſus rubere, poſtmodum vero aureum acquirere colorem perhibetur & ſapore multum acriori magisque aromatico pollet, quam nuces; quæ cauſa eſt, quamobrem Indi macerem ad medicinam, nuces ad cibos ſumant.

§. 14.

Optima ſeu fina macis colore eleganter ſaturata ſit, è magnisque fruſtis conſtet. Mi-

nora Meſſana ſeu mediocria ſunt, ut *Schurtzius pag.* 62. loquitur, quæ negligenda, præſertim, ſi ſimul pallida fuerint, id quod indicium eſt iſta eſſe inveterata ac viribus deſtituta. Ab ignivomo monte interdum corrumpuntur, ut præter opinionem pretium ſæpe creſcat, ſicuti quidam in Indiam Orientalem navigans mihi retulit.

§. 15.

Similiter exinde oleum exprimi poteſt ac deſtillari. Quoniam vero tantum non habet olei atque nuces, ac propterea parum ſuppeditat, operæ non erit pretium. Quod ſi vero pulchrum, fluidum, rubrumque ac fragrans OLEUM MACIS EXPRESSUM, ex India in vitreis lagenis, teſte *Jam. Daleo*, offerri creditum, poſſet haberi, iſtius omnino utilis eſſet uſus. Id vero cum rarum ſit, vulgare contra, quibusdam UNGUENTUM MACIS dictum, magis ex ſevo & oleo nucis moſchatæ conſtans, priori neutiquam accedat, bonæ notæ oleo nucis moſchatæ ſimus contenti.

CAPUT VII.

DE

CARYOPHYLLIS AROMATICIS ET REGIIS.

§. 1.

CARYOPHYLLI AROMATICI ab Hiſpanis primitus GIROFE & GIROFLE, & poſtmodum CLAVI dicti, nihil aliud ſunt, quam longiuſculum principium fructus cujusdam arboris, clavi formam referens, ſuperius quatuor aculeos ſeu apices, inque iſtorum medio rotundum globum ſive occluſum habens florem, inferne vero acuminatum ſive turbinatum, compreſſum & quadantenus rugoſum. Coloris ex opaco fuſci ſunt, ſaporis acris aromatici, odorisque fragrantiſſimi. A Societate Indica ex India Orientali Amſtelodamum, in domum mercibus Indicis divendendis dicatam, transportantur, in qua præter alia aromata ſeliguntur, in Imperium aliasque regiones transmittendi, ſecundum teſtimonium *Max. Tranſſylvani* in *Epiſt. de Moluccis Inſulis* & *Schieſai im Perſianiſchen Roſenthal pag.* 117.

§. 2.

Caryophyllus arbor (quam Inſularum Moluccarum Incolæ *Siger*, folia *Varagna*, fructum verò *Chamque* vocant) hodie plerumque in Amboina, in India Orientali, ſponte ſua creſcit, quamvis & ab hominibus plantari poſſit & à certis columbis, fructus devorantibus, propagetur. Ratione figuræ externæ inſtar lauri apparet, ſed major, cujus lignum ad buxum, folia vero ad folia lauri ſimilitudine accedunt. Quando florere incipit, fragrantiam ſpirat longe gratiſſimam. Flos principio albus exiſtens, deinde viridis & tandem ruber evadit, quo à pluvia ſæpe corrupto, arbor tamen inſequente Solis calore ſe colligit, novumque florem profert, quo fructus ſuos progeneret, quorum in cacuminibus 10. & 20. juxta ſe invicem & tam prope inſident, ut anno fructifero, qualis fere tertius quique exiſtit, multæ arbores certa duo pondera, *Baren*, à Græco βάρος dicta, quorum quodque 625. libras continet, proferre poſſint. Decutiuntur fructus bacillis, ut in Europa nuces, ſcopis prius loco ſub arboribus depurato: quamvis jamdum ſatis plana ſint loca illa, cum arbor hæc neque herbas, neque frutices juxta ſe patiatur, omne ſibi vindicans è terra alimentum, teſte *Bartholomæo Leonhardo d' Argenſola*, Hiſpano in *Deſcript. Inſul. Moluccarum p.* 156. Hinc in Inſulis Moluccis tanta caryophyllorum copia olim ſuccreſcebat, ut ſingulis annis 4000. Bari colligerentur, relictis adhuc Incolis 2000. baris pro labore: qui conjunctim 6000. efficiebant, quovis baro V. Centenarios Ternatenſes continente. Vid. *modò cit. Aut.* Qua mercatura cum Batavi multum acquirant lucri, nullam aliam Nationem in iſtius admittunt ſocietatem. Quæ cauſa eſt, quamobrem in Moluccis Inſulis, inprimis Ternata, ubi aliás caryophylli copioſe & ſponte luxuriant, omnes arbores eradicari, & in Inſulam Amboinam transplantari curaverint, quod iſthic loci ad cogendas Nationes alias maximè valent. In Malabaria creſcentes odore ferè deſtituti ſunt, teſte *Commelino* in *Not. ad Hort. Malab. lib.* 2. *p.* 96.

§. 3.

Ipſi caryophylli principio ex albido virent, poſtmodum evadunt rubicundi, qui ante, quam matureſcunt & fuſci fiunt, ab Inſularibus, ut jam ante dictum, mediantibus baculis decutiuntur, in Sole exſiccandi, quoniam ob ſal volatile vires ad maturitatem relicti deperdunt, & neutiquam adeo acres fiunt & efficaces, ut vulgares caryophylli Aromatici. A principio vel medio Septembris usque ad Februarium colliguntur. Ad conciliandum colorem

colorem nigrum dicuntur fumigari, ut *Rumphius* in *Epiſt. ad D. Menzelium Miſc. A. N. C. Dec. 2. Anno 1.* inſerta, & *Georgius Meiſterus im Oſt-Indiſchem Luſt-Gärtner pag.* 75. referunt.

§. 4.

Optimi ſaturatè nigri, non rubri ſ. inertes, nec ſine oleo eſſe perhibentur, qui ultimi iſti ſunt, qui nondum ad debitam perfectionem accreverunt, & cum aliis fuerunt decuſſi, ut *Georg. Nic. Schurtzius in Mater. Muſ. pag.* 36. commemorat. Præterea vere ſicci, facile friabiles, ac ſupetioribus capitellis adhuc inſtructi ſint, unguibus etiam interpreſſi, aut calida acu transfoſſi aliquid ſuppeditent olei. Id etiam videndum, ne humidi ſint, ſucco limonum, aqua marina aliaque macerati, quippe qua multum deperdunt virium, teſte *Ettmüllero* in *Comment. Schræd. pag.* 536. quod tamen facile apparet, ſi quando obſervatur, num ex iſtis, unguibus compreſſis, oleum aut aqua effluat. Magis verò rejiciendi, ex quibus jam extractum oleum eſt, quales ſæpe cæteris permiſcentur, ut *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag.* 199. refert. Tandem nec pulvere deſœdati, nec capelettis permiſti ſint, vid. *Marxius in Mat. Muſ. Germanico pag.* 68. Per Capelettos, alias quoque Fuſti dictos, feſtucæ ſ. petioli caryophyllorum intelliguntur, à quibus caryophyllos ſelectos decet eſſe depurgatos. Caryophyllos contuſos emituri videant, ut ne caſſia caryoph. vel Fuſtis, à Materialiſtis ſeorſim viliusque divendi ſolitis, adulterati ſint.

§. 5.

Caryophylli vi vehementer calefaciente, penetrante ac reſolvente, qua pollent, caput, cor, ſtomachumque ac nervos confortant, atque propterea in lipothymia, frigido ſtomacho, vertigine & præſertim in odontalgia, à frigidis catarrhis orta, uſurpantur: quo in caſu etiam

OLEUM CARYOPHYLLORUM

crebrius adhibetur, quod Batavi magna copia inde deſtillatum ad nos transferunt; valde acre ſit, ac caryophyllos ſapore prodat, aquæ etiam ſupernatet. Si quando cum ℞ Caſiæ caryoph. metuitur adulteratum, aqua infundatur, cui ſupernatabit, oleum caſſiæ autem petet fundum. Recens aureum colorem præ ſe ferat, inveteratum enim evadit rubrum. Ex libra una caryophyllorum ʒiß aut ʒiiß olei poſſunt acquiri, ſecundum ſupputationem Pharmacopolæ *Vielheurii*, in *Deſcript. Mat. Exotic. pag.* 87. Ex ligno arboris quoque deſtillari poteſt, quippe quæ prorſus aromatica eſt, ut *D. Hermanni* in *Miſc.* commemorat. *Lemery Gallus* peculiari quodam artificio è caryophyllis album prolicere oleum docet, ſumptibus impendendis tamen indignum. Qui fumigando odoris conciliare gratiam ſolent, magna in copia iſtud conſumunt: in Medicina vero ad rigorem febrium uſurpatur, ſcrobiculo cordis illinendum. In diſpenſatione Theriacæ opobalſamo ſubſtituitur. Plura præparata in *D. Fridelii Diſp. Inaug. de Caryophyllis Aromat.* reperiuntur.

§. 6.

Iidem iſti caryophylli, tamdiu in arbore relicti, donec veram maturitatem nanciſcantur debitamque perfectionem accipiant, poſtmodum

ANTOPHYLLI (*Mutter-Näglein*)

vocantur, cæteris quidem ſimiles, ſed multo craſſiores, perfectiores & aliquantum nigriores, ſub duriuſculo cortice oblongum & fuſcum nucleum habentes, ſaporis pergrati aromatici, non quidem adeo fortis, atque in prioribus, gratioris tamen. Veri antophylli duram nigramque reſinam, valde grati cum odoris tum ſaporis, in ſe continere dicuntur. Ex *Pometi* relatione pollice interdum haud multum minores ſunt, quanquam ipſe nullos extremo auricularis articulo majores viderit: qui propterea etiam dubitat, num vere magni ad nos veniant, quippe qui magnopere non deſiderantur. Ex qua ratione ſibi in *Diſput.* laudata *de Caryophyllis Aromat.* Halæ habita, tributum errorem dubium reddere poſſet, quippe quæ reperiundam in iſtis reſinam negat. Pharmacopolæ iſtorum loco ſæpe è caryophyllis aromaticis vulgaribus majora fruſta eligunt iſtaque ſub hoc nomine divendunt: quæ tamen fraus vel propterea non admittenda, quod veri Antophylli multo temperatiores ſunt, atque ita proprietatem habent à vulgaribus diverſam.

§. 7.

Hiſce mediantibus arbores propagantur, qui in terram decidentes ſponte radicem agunt & progerminant, id quod Dn. *Tournefort* Icone in *Pometi Hiſt. des Drogues pag.* 198. ſiſtit contemplandum. Mulieribus in doloribus uterinis ſimilibusque morbis, unde etiam nomen habent, præſcribuntur; quem in finem ex iſtis quoque ſyrupus præparatur, ad inflationem uteri, fluorem album mulierum harumque ſterilitatem à *D. Ettmüllero l. c.* commendatus.

§. 8.

Præter memoratos perexigui reperiuntur caryophylli,

CARYOPHYLLI REGII (*Königs-Näglein*)

vocati, à paucis adhuc, aut fere nemine præter clariſſ. *Wormium* in *Muſ. pag.* 203. deſcripti. Vix craſſitie hordei granum æquant, ſuisque ſpiculis, quorum utrinque ſex vel octo apparent, coronam repræſentant; flori quam fructui ſimiliores ſunt, ut ex *Muſ. Germ.* figura (cui ſimilem fructum Francofurti ad Mœnum apud *Dn. Vitum*, cum modò ex India Orientali veniſſet, ipſe vidi) à *Plukeneto Tab.* 155. delineati ſunt: cæterum colore ſaporeque ac odore reliquis ſunt ſimiles.

§. 9.

Caryophyllus Regius arbor, ab incolis Inſulæ Macciam magno in honore haberi, atque

THINCA, RADOI i. e. Caryophyllus Regius vocari, imò ab Rege hujus Insulæ excubiis custodiri dicitur, ut ne violetur, nec fructus facile auferri possit, difficulter propterea rarissimeque comparandus. Recepta simul opinio est, unicam saltem in Orbe terrarum reperiri arborem, arboresque reliquas inclinando istam venerari, istaque florente, flores de cæteris decidere. Quæ tamen omnia fabulæ quam historiæ similiora sunt, (quanquam certa quædam persona, quæ arborem ipsa vidit, memorato *Wormio* ista tanquam certa narravit,) dum *Dn. Rumphius* in *epistolis suis ad Dn. Herbertum de Jager* certiores nos reddit, genuinũ Caryophyllum Regium prorsus esse eradicatum, quæ causa sit, quamobrem fructus adeo rari facti sint, ut infra in *Appendice ex Epist. Indiæ Orientalis* apparebit.

§. 10.

Quanquam hos caryophyllos iisdem pollere virtutibus, atque priores, nullum sit dubium, rariores tamen sunt pretiosioresque, quam ut in cibis ac medicamentis possint adhibeti. Quamobrem in Artificialium Naturaliumque Musæis saltem raritatis causa asservantur, ab Indis vero filo trajectr loco monilis & armillæ gestantur.

CAPUT VIII.

DE PIPERE NIGRO, ALBO, LONGO ET HISPANICO, UT ET CUBEBIS.

§. 1.

INter varias piperis species PIPER NIGRUM communissimum & usitatissimum, quod, ut jamdum unicuique innotescit, è rotundis, nigrisque ac rugosis granis, pisum magnis, constat, saporis valdè acris, urentis & tantùm non igniti, odoris boni aromatici. Ab Societate Mercatorum ex India Orientali affertur, in magnis saccis hinc inde transmittendum. Sine apposito s. cognomine à Medicis præscriptum nigrum sumendum postulat.

§. 2.

Herba, è qua piper excrescit, in Java majori copiosè invenitur & species convolvuli est, lata multisque crassis venis ornata folia habens, Betelo (speciei longi piperis in *Horto Malab. Tom. 7. Fig. 13.* eleganter delineatæ) haud multum dissimilis, quarum differentiam *Fabius Columna* in *Annot. ad Anton. Recchi Rer. Nov. Hispan. pag. 876.* clarè ostendit. Si quando nunc piper modò in *Appendice hujus Tract.* post *Epistolas Indiæ Orientalis* commemorando satum s. plantatum est, herba, ad modum hederæ, capreolis suis aliis arboribus adhæret, circumnascendo ascendit, multosque emittit turiones, duas vel tres spithamas longos; singulo capreolo adhærent sex circiter piperis uvæ, pedis fere longitudine, in quibus multa grana, colore uvæ baccas æmulante, maturitatis instante tempore apparent. Postmodum mense Octobri, quando adhuc viridia sunt, super tegete ex palmæ foliis constante, seliguntur, tridui tempore Soli exponuntur, ubi tum sicca nigraque ac rugosa fiunt, id quod *Marxius* in *Mater. Mus. Germanico pag. 144.* & *Vielheurius* in *Descript. Mater. Exotic. pag. 142.* ex aliis descripserunt, atque in *Horto Malab. Tom. 7. Tab. 12.* confirmatur.

§. 3.

Piper nigrum ferè triplex est, secundum *Schurzium in Mater. Mus. pag. 68.* magnum, medium & parvum. Præterea etiam multum in carina ab aqua marina corruptum ad nos fertur, multoque vilius quam reliquum divenditur. Multò vero clarius piper pro diversitate regionum, unde venit, à Materialista Gallo, Dn. *Pometo*, in *Histoire Generale des Drogues Part. I. Lib. 7. pag. 139.* ita distinguitur, ut primum & pulcherrimum sit Malabaricum: secundum Jamby: tertium Bilipatham veniat. Quod ultimum licet prorsus siccum, macrum ac minutim granulatum sit, à Turcis tamen maximi æstimatur, & quoniam non nimis calidum est, plerumque quæritur: Cujus perpaucam Batavi quantitatem afferunt, utpote Turcas studio sua abundare opinione sinentes, contra vero grosse granulatum idque ponderosum piper eligunt, quod à Barbaris plerumque pro aliis mercibus, utpote mercurio, cinnabari, opio ac similibus permutant. Quod causæ est, quamobrem istud multo vilius quam Angli vendere possint, quod hi præsenti pecunia emunt, Batavi contra permutandis suis mercibus sæpe centum florenis centum lucrantur, qui istud tanta afferunt copia, quæ in navibus loco saburræ esse possit, teste *Georgio Meistero* im *Ost-Indianischen Lust-Gärtner p. 114.*

§. 4.

Commendatur piper, si quando grana decenter crassa habet, ponderosum, subfuscum, læve, nec nimis rugosum est, multa etiam alba grana continet, quæ cæterorum omnium ad instar,

ſtar, non facile friabilia ſunt, ſed integra manent. Videndum quoque, ne maxima optimaque grana electa exemta ſint, ex quibus doloſi quidam Materialiſtæ ac Pharmacopolæ piper album præparant. Quem dolum granorum in aquam abjectio detegit: quæ enim jam aqua calida macerata, ſicque alba facta ſunt, ſupernatant, facileque manu fricantur. Quod piper multum admiſtum habet pulveris, indignum eſt, quod offeratur vendendum. Quoniam etiam aromatarii capſularumque vectores piper plerumque tritum aut pulveratum offerunt vendendum, granis Paradiſi prius adulteratum, aut pane toſto rebusque aliis permiſtum, prudens paterfamilias iſtis non facile fidem habeat, ſed piper, ſicut & cætera aromata, potius integrum quam contuſum emat.

§. 5.

Virtus piperis in valde calefaciente reſolventeque & exſiccante volatili ſale, igneoque oleo conſiſtit, quo ad calefaciendum frigidum ſtomachum, & conſumendam omnem pituitam in iſto reperiundam valet. Quamobrem piper non ſolùm omnibus frigidis lentisque cibis additur, ſed in Medicina quoque crebrius uſurpatur, dum aliquot grana ſaltem groſſe comminuta & ita deglutita imbecillem ſtomachum confortant, appetitum acuunt, flatusque diſſipant. Vulgus ad Febrim crebrius uſurpat, dum ſeptem vel decem grana groſſe contuſa, cum cochleari ſpiritus vini ante paroxymum aſſumit, ſudoremque expectat; quod tamen non ſemper tutum, & ſaltem frigidis robuſtisque naturis conducit. Tutius eſt, ut oleum piperis deſtillatum ſcrobiculo cordis vel ſpinæ dorſi, ad temperandum nimium febris rigorem, illinatur. In officinis habentur ſpecies diatrion pipereon, ad morſulos cephalicos ſtomachicosque, pulveres ſtomachicos & ſimilia ſumi ſolitæ.

§. 6.

Num vero ex prædicto pipere nigro

PIPER ALBUM

ſola & artificioſa maceratione excorticetur ac præparetur, aut ita naturaliter creſcat, inter Naturæ Scrutatores ac Materialiſtas nondum convenit. Multi priorem ſententiam amplectuntur, dum non modò *Eraſmus Franciſci* im *Oſt-Indianiſchen Luſt-Garten pag.* 399. ſed etiam Societas Anglica Londinenſis in *Actis Vol.* 1. *pag.* 879. atque Auctor *Horti Malabarici Tom.* 7. *Tab.* 12. *pag.* 23. confirmant, à nigro album proficiſci piper: quibus etiam *Ettmüllerus*, *Charaſius*, *Marxius*, *Schurzius* aliique aſſentiunt, adeò, ut prædictus *Charaſius in Hiſt. de Theriac. Ingredientibus pag.* 146. majores aliosque, piper album ita creſcere exiſtimantes, variis argumentis ſumat refutandos. Alii contra, utpote *Gerhardus Parkinſonius* cum iis, qui notitiam herbarum exoticarum maxime ſectati ſunt, defendunt contrarium, peculiarem deſcribentes convolvulum, qui ex albo cineraceum piper progeneret, quique in figura à *Pometò* ſiſtitur contemplandus. Id quod nec clariſſimus inque hac ſcientia valdè expertus *D. Hermanni* in *Mſc.* nec *Daleus im Pharmacologia pag.* 446. prorſus voluerunt negari, ſimul vero conteſtantes, nullum naturaliter album piper ex India in Europam venire, ſed noſtrâs arte ex nigro præparari.

§. 7.

Modum præparandi *Moyſes Charaſius libro cit. pag.* 148. deſcribit. Nempe maxima graviſſimaque piperis nigri grana aqua marina macerantur, donec exterior cortex infletur, & ſeparari incipiat, quo facto ſi Soli exponuntur, exterior rugoſaque pellicula mox ſecedit, ipſaque grana ex albo cineracea relinquuntur. Quamobrem quod non ſolum optimum piper eligitur, ſed aliquid etiam requiritur laboris, album piper multo evadit carius, quam nigrum. Vide, ſis, poſt *epiſtolas Indiæ Orientalis* commemorandam piperis plantationem, ubi ultimo etiam de pipere albo agetur.

§. 8.

Optimum eſt Hollandicum, groſſe ponderoſeque granulatum, quod nec ulla nigra grana, multo minus fragmenta pulverum ac ſimile quid continet. Nec fucatus ſit color albus, nec inſolatione præparatus, id quod facile apparet, quoniam manibus fictum ſtatim flavum evadit, modo leviter aut parum tinctum ſit. Verum etiam piper album in lateribus ſtrias, tanquam coſtas, oſtendit, contuſum vero farinam ex albo cineraceam ſuppeditat.

§. 9.

Iſtius atque nigri idem eſt uſus, unaque cum hoc ad Theriacam ſumitur. In Gallia piper album ambratum faciunt, dum groſſe contuſo aliquid eſſentiæ ambræ aſpergunt, cui BERGERAC nomen indunt. Primates iſto in cibis juxta atque in Medicina, ad pulveres ſtomachicos & trageas utuntur, vid. *Pometus l. c. pag.* 192.

§. 10.

Quod ad piper rotundum Indiæ Occidentalis attinet, cujus *Hernandezius* in *Hiſt. Mexicana* & *Franciſc. Redi in Exper. Nat. pag.* 168. ſub nomine

PIPERIS TAVASCI

faciunt mentionem, quodve ab aliis PIMENTA, PIPER de JAMAICA, de THEVET &c. vocatur, jam alio loco, ubi de Caſſia egimus, de iſto ſuimus locuti.

§. 11.

Melioti autem jure hic etiam

PIPERIS LONGI

meminimus, cui id inditum nominis eſt, quod

è longis, cineraceis & è multis granulis concretis bacillis, parvum infantis digitum æquantibus, conſtat, & ſapore juxta atque odore rotundo ſimile eſt, ſimili etiam ratione in convolvulo creſcit, in *Horto Malabar. Tom. 7. Tab.* 14. 15. 16. delineato. Non minus ex India Orientali plerumque affertur, quanquam in India Occidentali reperiatur ſimile, uti mox commemorabimus.

§. 12.

Quod piper longum herbæ multum diverſæ increſcit, quam rotundum, dum non adhæret, nec tam alte circumſerpit, ſed inſtar frutices erecta eſt, & prope terram diſpergitur, de qua piper longum ad modum vermiculorum dependet; ex quô innoteſcit, iſtorum opinionem prorſus non invenire locum, qui piper longum nihil eſſe aliud exiſtimant, quam piper rotundum immaturum, cujus uvulæ, antequam grana maturuere, ita appareant; id quod *Moyſes Charaſius* in *Hiſt. Theriacæ ingredientium pag.* 72. præ aliis diverſis rationibus refutavit.

§. 13.

Iſtius etiam tres inveniuntur ſpecies, 1. Vulgare Orientale, quod in Bengala copioſe coli ſolitum, vere recens, ſolidum durumque, nec carioſum ſit, ad quod aliâs, licet acrius ſit amariusque rotundo, valde proclive eſt: quamobrem in diſpenſatione Theriacæ petioli removendi ſunt, omnisque cum pulvis tum farina debet abſtergi. Alia 2. ſpecies in India Occidentali creſcit, ex valde longis bacillis conſtans, incolis MECAXUCHITL vocata, ſub quo nomine chocolatam ingreditur, aliâs vero raro videtur. Succedit 3. Piper Nigrum Æthiopicum, quod in Abyſſina & Æthiopia cauli repenti, ſed ſine foliis ac floribus, increſcit, & ex longis ſiliquis ac folliculis, longitudine parvi digiti, craſſitudine calami ſcriptorii, conſtat, foris fuſcum, intus flaveſcens. Folliculi certis diſtracti nodis ſunt, in quorum quolibet exigua faba eſt, foris nigra, intus rubicunda, ſed inodora inſipidaque, folliculo contra valde acri & aromatico exiſtente, quo propterea Nigri ad odontalgiam, ut nos radice pyrethri, utuntur. Ceterum prorſus rarum ignotumque eſt.

§. 14.

Longô pipere Indi in Medicina utuntur, ut rotundo in cibis. Apud nos rarò & fere ſolum ad Theriacam ſumitur.

§. 15.

Ultimò etiam habetur piper Occidentale, quod in America, præſertim in Braſilia, ubertim creſcit, ibidemque CHILLI, apud nos verò SILIQUASTRUM,

CAPSICUM (*Spaniſcher Pfeffer*)

vocatur. Ex oblongis & pollicem magnis ſiliquis conſtat, iisdemque rubris vel flavis apparentibus, valde acri urenteque ſapore præditis. Primum è Goâ & Calicut afferebatur, hodiè verò ubique è ſemine in viridariis hortisque aliis colitur.

§. 16.

Herba creſcendo ulnæ circiter altitudine aſſurgit, foliaque habet ex nigro viridia, lævia & oblonga, modo ſolani. Juxta ramuſculos albi floſculi progerminant, in medio viridem umbilicum habentes, quibus deciduis ſiliquæ digiti longitudine ſuccedunt, quæ primum virides, poſtmodum, ubi maturuerunt, vel ſaturate rubræ, flavæ aut fuſcæ apparent, in quibus parvum & ſubflavum ſemen reconditur.

§. 17.

Varia iſtius dantur genera, prout ſiliquæ longæ vel rotundæ, rectæ vel incurvæ, læves vel aſperæ ſunt, quorum quatuor apud *Theod. Tabernæmontanum Libr. II. de Herbis pag.* 559. delineantur: melius tamen ab *Hernandezio Libro de Rebus Nat. & Med. Novæ Hiſpan.* valdeque verboſè à *Gregorio de Regio* in *Tract. de Capſicis* deſcripta. Optimum adhuc recens ſit, & ex integris, magnis vereque rubris ſiliquis conſtet.

§. 18.

Viribus vero piperi valde prope accedit, ſtomachumque confortat, quo propterea non modo Americani, ſed etiam Siamenſes crudo, ut nos raphano, veſcuntur. Cum ſaccharo quoque vel aceto ac fœniculo conditur, apud aſſaturas loco embammatis uſurpandum. Indi Chocolatæ addunt, ad Veneris cupidinem augendam. *D. Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 628. ad febrim commendat, ante paroxyſmum ſumendum, ex iſtoque eſſentiam ſtomachicam præparat. Alias maximam partem ab acetorum confectoribus conſumitur; quemadmodum & ii, qui ſpiritum frumenti præparant, hunc maxime debilem illo norunt confortare.

§. 19.

Tandem etiam cubebarum hic fieri mentionem voluimus, utpote ſpecie æque ac viribus magnam cum pipere ſimilitudinem habentium, quæ propterea Gallis Poivre à queue, ſive caudatum piper, vocatæ ſunt, quod exiguo petiolo ſunt inſtructæ. Quæ

CUBEBÆ

rotunda ſiccaq; grana ſunt, piper æmulantia, ſæpe tamen aliquantum majora, nec adeo nigra, ſed cineracea, foris rugoſo cortice & exiguo petiolo prædita, intus vero quodammodò cava, & parvum rotundum nucleum in ſe continentia, qui extrinſecus niger eſt, intrinſecus albus, odoris fragrantis, ſaporis acriter aromatici ac ſubamari. Ex India Orientali, haud ſecus atque piper, ad nos feruntur, ubi in Java Inſula copioſe creſcunt.

§. 20.

Utrum verò cubebæ ab arbore, an ab herba proficiſcantur? ab hodiernum usque diem nor

prorſus

prorſus liquet, cum utraque ſententia ſuos inveniat patronos, ut in *Sam. Dalei Pharmacolog. pag.* 420. poteſt videri. Quidam arbori increſcere exiſtimant, quam *Plukenetus Tab.* 140. *Fig.* 1. ſiſtit delineatam. Alii è contrariô rentur iſtas, piperis adinſtar, è convolvulo creſcere, ut in figura apparet, quorum opinionem Clariſſ. *Hermanni* in *Mſc. de Mat. Med.* & *Pometus l. c. pag.* 195. amplectuntur. Binæ vero partes iſtas è Java Inſula venire confitentur, cujus incolæ, ut credibile eſt, illas aqua prius macerare dicuntur, quam ad nos transmittantur, ut ne in Europa plantari queant ac coli, teſte *Hoffmanno* in *Clavi Schræd. pag.* 461. Decenter magnæ beneque cretæ ſint, neutiquam rugoſæ.

§. 21.

Viribus pipere temperatiores ſunt, calefaciunt ſtomachum ac viſcera, confortant nervos, capitique conducunt. Inprimis ad vertiginem, plerumque è ſtomacho oriri ſolitam, valde commendantur, in qua iſtas in me ipſo obſervavi præſtantes. Memoriam quoque confortant, manſæque anhelitui conciliant gratiam: quem in finem non per ſe ſolum mandi poſſunt, ſed confectio quoque poteſt uſurpari. Ex iſtis quoque pulvis compoſitus habetur, ſub nomine Specierum Diacubebarum in officinis notus, & ad morſulos cephalicos ſtomachicosque perutilis. Ex oleo cum ſaccharo cando præparatur Elæoſaccharum, iisdem in caſibus valde bonum.

CAPUT IX.

DE

ANACARDIO ORIENTALI ET OCCIDENTALI.

§. 1.

COrda renesque jam ſecabimus, dum explicandorum fructuum unus cordis, alter renum repræſentat figuram. Ille à formâ

ANACARDIUM,

Germanis *Elephanten-Laus* vocatur. Niger, ſplendens & quodammodo compreſſus fructus eſt, cor avis repræſentans, qui ſuo duplici cortice album ac ſubdulcem nucleum, inter ipſos vero cortices obſcure rubram, oleoſam, & acrem mucilaginem melligenam continet. Canonorâ, Cambajâ & Malabarâ ex India Orientali fertur.

§. 2.

Variæ de germine hujus fructus ſunt opiniones. *Pometus*, Pariſienſis Materialiſta, in *Hiſt. des Drogues pag.* 210. fabæ ſpeciem eſſe exiſtimat, ad modum ſimilium plantarum arbores aſcendentis, qualem etiam in figura repræſentavit. Docti & Botanici contra iſtum in arbore ſcribunt creſcere, quæ duplicata & lævia folia, parvos flaventes floſculos, hosq; fructus profert, & in *Horto Malabarico Tom. IV.* OEPATA vocatur. Quæ opinio priori eo magis præferenda, quoniam hic fructus ſuperius aliquid de petiolo, de quo pependit, ſiſtit videndum, quale quid in nulla faba apparet.

§. 3.

Optima anacardia ſatis magna, recentia beneque creta ſint, intus etiam nucleum elegan-ter candidum, amygdalæ ſimilem, contineant. Parva rugoſaque nequicquam proſunt.

§. 4.

Quod ad vires & qualitates horum fructuum attinet, valde calefacientis & quaſi urentis naturæ ſunt, adeo, ut recentia & adhuc viridia anacardia habeantur venenoſa. Exſiccata vero tam acria ac corroſiva non ſunt. Ob ſalem valde volatilem oleumque ſpiritus vitales reficiunt, morbisque ſenum cephalicis conducunt, apoplexiæ, paralyſi, memoriæ debili ſimilibusque: quibus in caſibus majores noſtri CONFECTIONEM ANACARDINAM ſæpe præſcripſerunt, quæ hodiè, ob varia acriaque ad iſtam ſumenda aromata, nimis calida ac propterea non præcipue cenſetur uſurpanda. Succum, inter duos cortices reconditum, Indos ad tingendum pannum xylinum, cui CATTUN nomen eſt, ferunt uſurpare, quem adeo penetrat, ut prorſus elui nequeat. *Dn. D. Kampferus*, aliquot ante annos ex India Orientali redux factus, me quoque voluit fieri certiorem, Chinenſes Japonenſesque ex iſtô elegantem ſuum præparare Vernicem, neutiquam verò, ut alii opinantur, ex gummi laccâ. In Malavara iſto ad corrodendum utuntur, cujus unicam guttulam denti cavo inſtillatam iſtum corrodere, caſumque promovere perhibent, teſte *Wormio in Muſ. pag.* 182. *Chriſtophorus à Coſta* quosdam Indorum eſſe commemorat, qui fructum hunc cultri cuſpidi intruſum accenſæ candelæ admoveant, unde ſuccus tam mire crepare, rarasque ignis ſcintillas diſcolores emittere perhibeatur, ut viſui quaſi fulgur appareat. Quô ipſo fidem facere ſimplicibus volunt, ſub iſto fulgure ſibi apparere Spiritus, manifeſtantes arcana. Tandem

etiam

etiam in officinis habetur MEL ANACARDINUM vulgo dictum, quod nihil aliud est, quam prædictus succus, aqua exinde excoctus & præparatus, olim similiter in memoratis morbis capitis usitatus; hodie vero, haud secus atque OLEUM ANACARDII, raro præscribitur, vid. *Ettmullerus* in *Comment. Schræd. pag.* 512.

§. 5.

Occidentalia anacardia, ab Indis CAJOUS & ACAJOU, à Batavis CASUBEN s. KAETTSHU, auctore *Meistero*, vocantur, ex oblongis cineraceisque granis constant, fabam Italicam magnitudine æquantibus & reniformibus. Ad modum priorum duplicem habent corticem, interque cortices rubicundum, urens ac corrosivum oleum, intus verò pulchrum niveumque nucleum, sapore amygdalas dulces referentem. Ex Brasilia aliisque locis Americanis veniunt; quanquam etiam in India Orientali reperiantur, à *Georgio Meistero* im *Ost-Indianischen Lust-Gärtner pag.* 95. descripta & eleganter delineata.

§. 6.

Arbor, grana hæcce progenerans, sex pedes circiter alta est, sed valde lata & umbrifera. Valdè durum habet lignum, ex flavo virentia folia, roseosque flosculos, instar uvarum compactos. Post istos ex rubro flaventem profert fructum, instar pomorum aurantiorum, aut mali Persici, cui superius hæc grana s. Cajous insident, ut è figura apparet, quæ in *Horto Malabarico Tom.* 3. & *Museo* nostro *Germanico* reperitur, ubi hæc arbor Kapamara nominatur.

§. 7.

Hæc verò grana Cajous dicta, crassa, perfecta ac recentia sint, formaque externa olivas referant. Si quando interiores nuclei eleganter albicant, veræ maturitatis bonitatisque est indicium.

§. 8.

Quod ad usum horum fructuum attinet, Americani flaventem fructum dissecare, saccharoque, ut nos poma citri, assumere dicuntur, & quoniam gratissimi sunt saporis, spsumque cor reficiunt, Brasilienſibus hæc arbor sæpe belli existit causa, ut *Wormius pag.* 192. *Mus.* ex Scriptoribus Indicis recenset. Dura grana, s. Cajous, superius insidentia, torrentur, castaneasque sapore exprimunt. Stomachica vis illis adscribitur, nauseamque ac vomitum putantur sedare, ut *Rajus* in *Hist. Plantar. pag.* 1649 commemorat. Quod inter duos cortices reperitur oleum, vehementer acre ac corrosivum est, quo cancer aliaque ulcera curari, quo etiam clavi pedum absumi possunt. Rubras quoque faciei maculas nævosque faciei creditur curare, ut *Pometus* in *Histoire des Drogues pag.* 209. commemorat. De sententia quorundam terra Japonica exinde putatur oriri, propterea etiam Catzu à Cajou vocata: quam tamen opinionem *Samuel Daleus* in *Pharmacolog. pag.* 340. sufficienter refutavit; qua de re etiam jamdum alibi egimus.

CAPUT X.

DE

GRANIS CHERMES ET GRANIS D'AVIGNON.

§. 1.


GRANA CHERMES (*Karmasin-Beeren*) rubra, levia & quasi squamosa grana, vel potius vermiculorum receptacula & matrices sunt, pisum magna, sapore subacria & amara, odore mediocriter fragrantia. Aliàs quoque grana tinctorum vocantur, quoniam, ut infra memorabitur, tinctoribus etiam inserviunt.

§. 2.

Frutex s. arbuscula, cui adnascuntur, ilicis aculeatæ species est, quæ ilex coccifera vocatur, ex viridi splendentia aculeataque folia habens, copiosè in Hispania crescens ac Lusitania, præsertim in quibusdam Galliæ locis, in Provinciâ Gallorum & circa Languedocum, unde grana succusque juxta in Germaniam transportantur. In ejusmodi frutice, præter naturales solitosque fructus, inferius inter caudiculum & ramos nonnulli parvi globuli, pisa referentes, progerminant, cæterorum è foliis supra infraque, ritu gallarum, provenientium, matres vocati, qui primum omnes incani sunt, postmodum vero rubescunt; & quoniam in istis, ut in omnibus ejusmodi fructibus excrementitiis, peculiares generantur vermiculi, medullam interiorem exedentes, asperſione fortis aceti incolæ istos arcent, quippe quorum divitiæ vitæque conservatio fere in ejusmodi granis consistunt, pauperum inprimis, qui præter solum laborem nihil istorum collectioni impendunt, de quo vid. *Quinqueranus Tract. de Laudibus Gallo-Provinciæ* & omninò Comes Eruditus & Curiosus, *Ludovicus Ferdinandus Marsigli*, in peculiari Tr. A. 1711. Venetiis edito, cui Titulus: *Osservationi naturali intorno al Mare ed alla*

grana


7
N° 3.
4.
5.
6.
8
N° 1
A
*
c
b
C
B
c
d
E
D
K
I
H
G
F
P.



grana ditta kermes : qui in TAB. hîc appoſita omnia eleganter ob oculos ponit, ubi

Num. 1. Ramus ilicis Coccigeræ, Grana Kermes ſubminiſtrantis, exhibetur.
2. Grana Kermes ramis adhærentes & nudo oculo obſervandi, ut reliqua omnia numeris ſignata.
3. Fruſtulum ligni ilicis cum adhærente grano.
4. Idem granulum inverſum, ut conſpiciatur pellicula albicans, quâ in parte inferiore cingitur.
5. Idem granum pelliculâ illa ſpoliatum, ut vaſcula ſive fibræ illîc obſerventur.
6. Granum verticaliter per medium diviſum.

Lit. a. Fruſtulum ligni ex ilice coccigerâ, cum adhærente grano, oculo nudô obſervatum.
A. Idem lignum & granum microſcopiô inſpecta : quæ duplex inſpectio in omnibus ſeqq. recurrit.
b. Granum inverſum, pelliculam albicantem inferiorem oſtendens.
B. Idem granum microſcopio inſpectum.
c. Granum pellicula illa ſpoliatum.
C. Idem microſcopiô obſervatum.
d. Granum verticulariter diſciſſum, ſucco rubro plenum cum ovis, qui longe aliter & elegantior eſt in vertice, quam in fundo.
e. Granum, in quo videntur cavernulæ ovorum, poſtquam inſectum eſt egreſſum, per foraminula illîc expreſſa.
E. Illud ipſum per microſcopium viſum.
F. Ovum à grano ſeparatum, cujus figura minor illud, prout nudo oculo cernitur, exprimit, figura major autem prout microſcopium illud exhibet.
G. Ovum, è quô inſectum prodire tentat.
H. Inſectum magis ſe exſerens ex ovô.
I. Inſectum jam prorſus egreſſum, quod nihilominus mediante fibrilla ſeu filo (adinſtar funiculi umbilicalis) ventri ovi adhæret.
K. Inſectum completum, ſecundum ſuperiorem æque ac inferiorem partem obſervandum.

Ex America quoque veniré grana chermes dicuntur, quibus tinctores plerumque utuntur, ut *Ettmüllerus in Comm. Schræd. pag.* 534. commemorat. Ejusmodi grana ſimiliter in Polonia è Polygono coccigero dicto colliguntur, de quibus Curioſi in *Miſc. A. N. C. Dec. 1. A. 1. pag.* 27. & *Wilh. Robertſon in Lexico Concord.* agunt pluribus.

§. 3.

Quando collecta grana ſunt, vel ita, ut creverunt, exſiccantur, in alias regiones transmittenda : vel ſuccus aut medulla exprimitur, quem Pharmacopoiæ ſaccharo miſcent, inque alias regiones vehunt divendendum, ubi exinde confectio alkermes præparatur. Quæ remanent pelliculæ, depurgantur ac tinctoribus venduntur, à quibus Pharmacopolæ ſæpius omnem expenſam pecuniam recipiunt.

§. 4.

In emtione grana chermes eligantur magna ac prorſus recentia, ultimo anno collecta, quæ vere ex obſcuro rubra medulloſaque ſunt. Carioſa leviaque ſunt inveterata, quoniam generati in iſtis vermiculi farinam interiorem, vulgò *Scharlach-Weid* dictam, abſumunt, nihilque præter pelliculam ſeu receptaculum relinquunt, id quod granorum virtutem vehementer imminuit. Quæ è Languedoco Galliæ provincia veniunt, plerumque ſunt optima, quoniam & magna & intenſè rubra : Luſitana tanti non æſtimantur, utpote parva, macra, & ex atro rubicunda. Vid. *Pometi Lib. I. Cap.* 26. *pag.* 36. præſertim vero *Joh. Stephanus Strobelbergerus* in *Tract. de Coccobaphiis.*

§. 5.

Qualitas iſtis adſcribitur ſubadſtringens & confortans; illâ nervorum medentur vitiis, hâc ſpiritus animales in lypothymia, palpitatione cordis ſimilibusque affectibus putantur confortare. Pulverata gravidis poſt caſum, & parturientibus cum ovo commendantur ſumenda. Alias maximam partem ad colorem coccineum pretioſiorem, & in Medicina ad ſuccum alkermes indeque oriundam confectionem ſumuntur.

§. 6.

Quod ad colorem coccineum attinet, non integra ſolum grana ad iſtum uſurpantur, ſed ex iſtis quoque tenera puraque farina extrahitur, vulgò *Scharlach-Weid*, Gallis Paſtel d'Ecarlatte vocata. Optima iſtorum pars eſt, niſi ex recentibus valdeque rubris granis non extrahenda. Iſta tinctores ad pretioſos coccineos pannos utuntur : quæ merx cum ab impoſtoribus ſæpe aceto aſpergatur, iſtoque mediante & rubedo intendatur, & pondus augeatur, probe emtores videant, ut ne humida ſit, nec odorem ingratum ſpiret, quippe quo fraus detegitur. Deinde

SUCCUS ſ. SYRUPUS ALKERMES

in Monte-Peſſulano oppido, cum ſaccharo caſſonado præparatur, in parvis ex albicante ligno confectis doliis in Germaniam locaque alia transmittendus, quem verè intenſeque rubrum ac recentem debitaque conſiſtentia ornatum, minime candiſatum eſſe oportet. Si nimium habet ſacchari, pallidior fit nimisque dulcis,

ſine ulla amaritie, quæ in genuino, ſine ullo tamen tædio, deguſtatur. Tempore neceſſitatis uſusque huic ſyrupo alia cor confortantia, Margaritæ præparatæ, cinamomum ſimiliaque poſſunt permiſceri, ut adeoque loco

CONFECTIONIS ALKERMES

poſſit uſurpari, præſertim, quùm docti quidam Medici quædam ob ingredientia vel nauſeoſa, ut eſt ſericum crudum, vel interdum periculoſa, ut eſt lapis Lazuli, iſtam malè commendent, ejusque loco aliam aliquam miſturam è roſarum extracto cum *Dan. Ludovici* uſurpent, ut in ejus *Pharmac. p.* 708. videre eſt. Quod ſi vero vulgo de ſententia Veterum arrideat, ſecundum notas *Zvvelferi* in præſentia Medicorum & Senatûs præparanda, neutiquam à Circumforaneis, illam pro vera Monſpelienſi circumferentibus, emenda, quippe qui meras rejectitias Materialiſtarum merces coëmunt iterum divendendas. Quam ob cauſam *Dn. Pometus l. c.* dolum iſtum detegi, omnesque homines admoneri voluit, ab ejusmodi impoſtoribus ut ſibi caveant. Uſus confectionis hujus notus eſt: vulgare confortans audit, & ultimum moribundorum aſylum, ita tamen, ut completa viris, incompleta fœminis ſoleat præſcribi. Vis autem hæc confortans copioſo ſali volatili, ab inſectis oriundo & experimentis citati ſupra *Marſilii* adſtructo, non ſecus ac in margaritis, concharum ovulis, tribuenda venit. Externè etiam ſcrobiculo cordis affricatur, infantumque ventri imminentibus morbillis, inungitur: quo in caſu Danorum Medicus, *D. Simon Paulli*, iſtam vehementer commendat. vid. *Quatrip. Bot. pag.* 69. De cæteris virtutibus aliisque Præparatis vid. *Ettmüllerum l. c. Strobelbergerum* & *Eichſtadium*, in peculiaribus de iſta libris.

§. 7.

Potrò & alia exotica grana tinctoria ex Italia Galliaque afferuntur, GRANA AVENIONENSIA ſ. GRANA d'AVIGNON vocata. Nobis adhuc prorſus ignota ſunt, in Galliâ vero crebrò uſurpantur, & à Materialiſtis conquiruntur, eum ob finem à *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag.* 25. deſcripta, & in figura oculis ſubjecta. Ex viridi flaveſcunt, granaque ſiliginis æquant, nunc tribus nunc quatuor angulis ornata, cordis etiam referentia formam, ſaporis auſteri & amari.

§. 8.

Crebrius circa Avenionem, Galliæ oppidum, ſed Pontifici Romano ſubjectum, creſcunt, unde etiam nomen obtinent; quanquam in Provincia Languedoco ſimiliter reperiantur: quæ quoniam in Lycia quoque habentur, frutex Lycium, reſpectu vero acanthorum à quibusdam Pixacantha vocatur. Longos habet ramos, cineraceum corticem, flavas lignoſasque radices, parva, craſſa & myrtiformia folia, magnitudine buxi folia æquantia.

§. 9.

Ad conciliandum colorem flavum grana iſta ſimiliter à tinctoribus coquiruntur. In Batavia cum Romano aut Anglico alumine in aqua coquuntur, ex iſtisque cum alba iſta materia, quacum alias ceruſſa adulteratur, maſſam conficiunt, in parvos tornatosque orbiculos formandam, quam exſiccatam ſub nomine STIL DE GRAIN in Galliam & aliorſum mittunt.

§. 10.

Quod ſtil de grain eleganter aureum tenerumque ac friabile ſit, non arenoſum aut luteum. Ad picturam vulgo miniatoriam dictam coloresque oleoſos uſurpatur.

CAPUT XI.

DE

MALIS CITRIIS, AURANTIIS ET SINENSIBUS.

§. 1.

MALA CITRIA usque eò ubique nota ſunt, ut iſtorum verboſior deſcriptio putetur ſupervacanea. Foris citrinum ſ. pallidè flaventem corticem habent, multis punctulis interſtinctum, intus album, ſaporis acris, ſubamari & aromatici, odoris fragrantiſſimi. Ex Media primum allata, MALA MEDICA etiam vocantur, hodie vero in Italia Hiſpaniaque magna copia aluntur, plurimaque à S. Remmes, Niſſa, Manton, parvo Sabaudiæ oppido, veniunt, ubi certis ſaltem temporibus annuatim bis terve circiter conſenſu Senatus venduntur, tumque terra marique per Maſſiliam ac Lyciam in regiones alias transportantur, teſte *Pometo* in *Hiſt. des Drogues Lib.* 7. *pag.* 231.

§. 2.

Citrus arbor ſ. malus citria non adeò magna eſt, ſed magnitudinis mediocris; perpetuo viret, fructusque totum annum geſtat, citius ad maturitatem non pervenientes. Folia foliis lauri & aurantiæ accedunt, perpetuo virent, multumque ac minutim perforata ſunt. Flos ſubpurpureus eſt ac craſſus, intus multis fibrillis præditus. Ramos parvæ ſpinæ interſtin-

terſtinguunt, ſemenque in malis citriis fere lignoſum eſt, inſtar grani hordei apparens. Totam vero arborem *Virgilius Lib. 2. Georg.* ita deſcribit:

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſoporem
Felicis mali, quo non præſentius ullum:
(Pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba)
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima lauro,
Et ſi non alium lactans jactaret odorem,
Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis:
Flos apprime tenax, animas, & olentia Medi
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

§. 3.

Interea magna malorum citriorum eſt differentia, partim à magnitudine, partim à ſapore deſumenda. Duplex verò ſæpius à maturitate aut diverſitate regionum oritur, dum matura immaturis multo & majora & dulciora ſunt. Certum eſt, quæ ad nos veniunt mala, plerumque decerpi immatura, quod matura non adeò facile aſſervantur, ut *Dn. D. Nebel* in *Diſſ. ſua Inaug. de Malo Citreo pag.* 19. confirmat. Quamobrem majora maturioraque plerumque in magna fruſta inciduntur, ſaccharo condienda, vocanturque Citronatum. Immatura magnam etiam partem ſale condiuntur, tumque Limonia vocantur: quod nominis Wallenſes iſtis perhibentur impoſuiſſe, ut ex *Hieron. Bockii Herbario* Pharmacopola *Vielheurius* in *Deſcript. Exotic. Material. pag.* 95. commemorat: quamvis & proprium ſibi genus vindicent MALA LIMONIA, varias ſpecies continens, quas inter rariſſima ſunt minima, BERGAMOTTO dicta, quæ exſiccata odorem gratiſſimum ſpirant. Vid. I. C. V. *Heſperides Norimbergenſes* A. 1708. in fol. maj. edit. Maxima Mala Citrea ſunt POMA ADAMI, propterea ſine dubio ita vocata, quod profundas in cortice cicatrices, hominis morſibus ſimiles, oſtendunt; de quibus vid. ſupra laudatus *D. Nebel. l. c.* & *Theod. Tabernæmontanus Lib. 3. pag.* 684. ſui herbarii.

§. 4.

In publica iſtorum emtione proxenetæ in Italia ferreum adhibent annulum, quæ iſtum tranſeunt, rejiciuntur, & vel tinctoribus relinquuntur, aut ad ſuccum adhibentur exprimendum, teſte *Pometo l. c.* Apud nos quæ tenui cinguntur cortice, eliguntur, utpote eo majori medulla ſuccoque prædita, id quod tactu compreſſione indagatur. Qui iſtorum copiam emit, iſta acere aut ſemine milii cuſtodiat, in ſiccisque cellis aſſervet, ac crebrius viſitet, quod facile corrumpuntur, ſecundum experientiam *Marxii*, in *Mater. Muſ. pag.* 47.

§. 5.

Quod ad uſum attinet, mala citria majora ab Judæis valde conquiruntur, quod ex iſtorum ſuperſtitione quælibet familia quotannis unum aliquod habere domi ſuæ debet, ſi etiam cariſſime ſit emendum: quam ob cauſam etiam poma Judæorum vocantur. Cætera in culina Medicinaque juxta inſignem præſtant uſum; & quanquam omnes citriorum partes veneno, putredini, ſcorbuto ſimilibusque adverſentur, non tamen iisdem ſingulæ præditæ qualitatibus ſunt, quum exterior cortex calidus prorſusque aromaticus, pulpa contra ſive ſuccus refrigerans ſaporisque acidi, nuclei vero amari, propterea que vermibus inimici ſint. Quæ tamen partes ſtomacho cordique proficiunt omnes, quippe quæ confortant; & quoniam, ut modo dictum, omni putredini reſiſtunt, ſcorbutici in navigationibus iſtis interne externeque utuntur, vid. *Simon Paulli* in *Quadrip. Botan. pag.* 383. Quam mala citria in peſtilentia ultima Viennenſi Baſilienſiq; utilitatem præſtiterint, ex aliis *Dn D. Nebel* in *Diſput. cit. pag.* 32. teſtatur. Quæ cauſa eſt, quamobrem in aliis quoque febribus calidis, lipothymiis ac ſimilibus variis modis feliciter uſurpentur, qua de re doctus Italus *Johann Baptiſta Ferrarius S. I.* in *Tr. de Malorum aureorum cultura & uſu* pluribus poteſt legi. Quod autem *D. Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 444. de quodam Studioſo, Pariſiis in *Charaſii* officina à vipera morſo, ac mediante malo citrio curato, recenſet, caute legendum, de iſtoque ipſe *Charaſius* poteſt conſuli.

§. 6.

Eundem etiam effectum præſtant omnia condita indeque præparata, utpote I. integra MALA CITRIA CONDITA, è Madera allata, guſtuque gratiſſima, præſertim ſi bene condita, tenera, viridiaque ac recentia ſint. Quæ ſi hic loci condire velimus, nuclei ante eximendi, quam cum ſaccharo coquantur condienda, aqua non abjicienda, ſed cum ſaccharo in ſyrupum coquenda, auctore *Zwelfero* in *Pharm. Aug. Ref. Cap. XIV. pag.* 472. II. CORTICES SACCHARO OBDUCTI ſeu ſicci & molliter conditi, ſimiliter è Madera ad nos vecti, quos recentes, clatosque ac pellucidos, ſupetius virides, inferius quaſi glacie obductos, facile ſecibiles, vere tamen ſiccos, nec ullis nigricantibus maculis foraminibusque oportet eſſe defœdatos, quippe quæ vetuſtatis admiſſæque humiditatis perhibent indicium, teſte *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag.* 232. III. De CARNE MALI MEDICI, h. e. Citri, (quæ etiam Condita habetur in officinis) ridiculum

caſum habet *Dioſcorides lib.* 1. *c.* 136. & ex eô *Bonetus in Sepulchreto p. m.* 572. Agyrta nimirum cuidam Aſthmatico medicinam facere intendens ingreditur Officinam Pharmaceuticam,& ibidem aliûs Medici formulam:

℞. *Carnis mali Medici* &c.

legens, perterritus hîc mali Medici nomine ſe notâri putans, aufugit ægrumque dereliquit. Qui jocus ſeq. epigrammati à D. *Ambroſ. Stegmannô*, in *Miſcell. Curioſ. Ann.* 2. *Dec.* 3. incluſus eſt:

Curans anhelum planus & Chiron ſenem
Agyrta planus, arte Chiron maximus:
Chiron jubet de *carne mali medici*
Seplaſiarum parare pharmacon.
Lectâ ſchedâ illicò in pedes ſe conjicit
Agyrta, ſe peti ratus Medicum malum.
Sic arguit ſua quemque conſcientia!
Sic ipſa ſeſe prodit ignorantia!

IV. OLEUM CITRI corticum, vulgo ab Italis eſſentia citri ſ. CEDRO dictum, quod duplex eſt, finum, ex flavedine corticum abraſa cum aqua deſtillatum, eleganter album, odoris fortiter aromatici: deinde vulgare, è fecibus, in fundo doliorum, in quibus ſuccus citri ſeponitur depurandus, reperiundum deſtillatum, clarum quidem fragransque, ſed viridiuſculum. Teſte prædicto Materialiſta Gallo, ex 50. libris ſecum libræ tres puri olei poſſunt acquiri, plus tamen minusque pro diverſitate malorum. Bina ab iis,qui ſumigando rebus ſuavem odorem conciliant, magna copia conſumuntur. V. Ex flavedine oleum poteſt exprimi, non tamen adeo durabile, atque prius; ambra in iſto facile ſolubilis eſt, varios in uſus adhibenda. VI. Habetur etiam SUCCUS CITRI acidus, ſ. Acidum citri, alias quoque VINUM CITRI dictum,quod ſimiliter ex Italia venit, ex immaturis minimisque malis præparatum. In Germania quoque conficitur, ſed plerumque è malis corruptioni proximis, quod ſi bonum habere velimus, id ipſum præparemus ipſi. Turcæ potum exinde præparant,SORBEC dictum, per Alexandriam tranſportandum & è ſaccharo ſuccoque citri conſtantem. Batavi Anglique ſimilem miſturam è ſucco citri, ſaccharo, nucibus moſchatis & ſpiritu vini præparant, POLEPONZE vocatum, qua in mari nautiliâ affectos confortant, ſeque ab eâ ſe tutos præſtant. In officinis ſyrupus acetoſitatis citri inde conficitur, egregie reficiens confortansque ac refrigerans. VII. ELIXIR CITRI officinæ habent, idque duplex, unum, quod in Medicina guttatim ſumitur, alterum loco ſpiritus vini ſ. aquæ vitæ bibendum, infuſum rectius vocandum. VIII. Dulciarii tandem varias è corticibus citri confectiones componunt,quos vel in coronas parvas torſos ſaccharo Canarienſi in candiſatos cortices citri redigunt, vel in parva fruſtula inciſos, læves aut criſpas in pelvi cupreâ, vulgo Conficir-Keſſel, ſaccharo obducunt, ex quibus bacilli ſaccharati,confectionibus addi ſoliti, plerumque conſtant. Aptæ quoque matresfamilias biſcoctum, acetaria aliasque cupedias exinde præparare norunt, de quibus nobis non licet eſſe verboſis.

§. 7.

Quamobrem ad

MALA AURANTIA

progredimur, quod plerumque in plantariis, Orangerie dictis, juxta mala citria creſcunt, & una circumferuntur divendenda. Ab iſtis partim figura externa, quæ non ovalis, ſed rotunda & quodammodo compreſſa, partim colore, qui rubicundus ſive aureus eſt, diſtinguitur. Similiter craſſum & coriaceum corticem, multis exiguis foraminulis ornatum habent, ſaporeque acri, amaro & aromatico mala citria ſuperant. Non minus ex Italia, Luſitania & Languedoco, Galliæ Provincia veniunt,ubi liberè & ſine ulla lege aut conditione venduntur.

§. 8.

Malus aurantia, magnitudine citro accedens, duas forte aut tres ulnas longa eſt,multis curtis frondibus ornata: ſemper viret, ac per totum annum fert fructus, poſtquam Aprili aut Majo album fragrantemque florem habuit. Folia quoque craſſa laurique foliis ſimilia ſatis bonum ſpirant odorem. Arbores fructiferas ex India dicunt afferri, quod ex ſemine fructiferæ progenerentur nullæ. Inoculatione in alias arbores fructificatio promovetur, auctore *Hermanni* in *Mſc.* Et inde fortaſſe eſt, quamobrem exiſtimaverint mala aurantia à malo citro, malo granatæ inſerta, proficiſci, Quod tamen non credibile eſt, cum nullum ſit dubium, quin ad modum aliarum arborum in prima creatione ſit producta.

§. 9.

Differentia vel ab regionibus, ubi creſcunt, petitur: nam præter vulgaria etiam poma aurantia Sinenſia dantur,malis aurantiis annumeranda: vel à ſapore, cujus intuitu dulcia,acida vel etiam vinoſa habentur,quæ ultima inprimis uſitata ſunt. De omnibus vero ex pereleganti raroque libro, quem *Ferrarius Anno* 1646. Romæ in folio ſub titulo *Hort. Heſperidum* edi curavit, plura poſſunt haberi, cujus in hiſtoria citri jamdum fecimus mentionem. Huic tamen palmam dubiam reddit pretioſum & elegans Dn. *Volckameri*, Mercatoris Norimbergenſis, opus ejusdem tituli, quod propediem è Vernaculâ in Latinam, ut audio, vertetur. *Pometus* quoque minimorum immaturorumque aurantiorum meminit, ad ſphærulas precatorias conquirendorum: quæ iſtum ob finem Materialiſtæ quoque curant afferri, ut in *Tract. ſuo pag.* 234. oſtendit. Dantur & minora matura, quæ BERGAMOTTA vocantur.

Hæc

Hæc exſiccata & trita fragrantiam gratiſſimam ſpirant. Adferuntur quandoque ab Italis, ſed rarò & in parciſſimâ quantitate.

§. 10.

Quam vero utiles hi fructus ſint, Indorum teſtatur proverbium, quos ferunt dicere: iſtorum limina non transgreſſurum Medicum, quorum in domibus cortices aurantiorum inveniantur, ut *Piſo* de Braſilienſibus in *Hiſtor. Braſil. Lib. I. pag.* 10. commemorat. Quoniam autem inter fructus tanta differentia eſt, quanta inter ipſas regiones, cautè in Europa cum illis agendum, præſertim Germanis, quorum multi in Gallia Italiaque aurantiorum eſu maturarunt ſibi mortem, teſte *Simone Paulli* in *Quadrip. Botan. pag.* 385. Cæterum multis in partibus cum malis citriis ratione virium conveniunt, ita tamen, ut cortices corticibus citri multo efficaciores, magisque aromatici ac calidiores ſint: quo reſpectu in omnibus ventris uterique doloribus, tympanite, cardialgia ac ſimilibus ferunt opem. Succo contra ſuccus citri potior eſt, quamvis etiam refrigeret ac confortet. Bina ſcorbuti putredinem impediunt, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 520. comprobat.

§. 11.

Iſtam ob cauſam varia in officinis ex aurantiis habentur Præparata, utpote Eſſentia, Tinctura, Syrupus &c. in *Schræderi Pharm.* ac *Diſpenſatoriis* videnda. Nunc eorum ſaltem faciemus mentionem, quæ Materialiſtæ è locis exteris curant afferri. I. FLORUM *aurantiorum* inſignem agunt mercaturam, quos conditos ex Italia & Provincia in Galliam faciunt tranſportari. Inde II. AQUA NAPHÆ oritur, qua non ſolum ad conciliandam rebus fragrantiam, ſed ad medendum quoque utuntur, dum cor fœtumque in utero confortat, & ad peſtilentiam quoque commendatur. Quoniam verò rarò præſcribitur, utplurimùm in officinis corrupta invenitur, ſapore aquam ſimplicem æmulans, quæ contra ſaporem amarum habere debet, odoremque fragrantiſſimum ac fortem, annum ætate quoque non ſuperet: diutius enim non durat. Similiter III. fragrans iſtud oleum, quod NEROLI vocant, ab ejusmodi floribus oritur, nihilque eſt aliud, quam oleum deſtillatum florum aurantiorum, eleganter clarum & quam fragrantiſſimum, omnium optime Romæ & in Gallo-Provincia deſtillandum. Intereà videndum, ne iſtius loco IV. oleum infuſum, quod ex nuce Been, ut oleum jaſmini, præparari poteſt, accipiatur, quocum verum Neroli ſæpe adulteratur. Non minus incolæ Provinciæ V. duplex oleum mittunt è corticibus aurantiorum deſtillatum, unum è flavedine corticum aliquot dies in aqua macerata, per alembicum pellitur, quod odoris eſt fragrantiſſimi: alterum è minoribus immaturisque aurantiis quinque vel ſex dies aqua maceratis deſtillatur, aureum apparens. Quæ olea flatus diſſipant lumbricosque infantum pellunt. Quem effectum etiam aqua ſimul deſtillata præſtat, cum ob finem à ſucorum artificibus integris doliis ad nos allata: plurima Canetta, Nizza aliisque circumjacentibus locis venit. VI. AURANTIA CONDITA quoque & ſaccharo obducta afferuntur, eaque vel integra & ab interioribus nucleis liberata, vel in magna fruſta inciſa, quæ eleganter clara & quaſi pellucida coloreque ſaturata eſſe oportet. Turino veniunt optima. ORANGEATUM craſſius eſt, Lugduno avectum.

§. 12.

Aurantia dulcia plerumque POMA AURANTIA SINENSIA (vulgò *Aepffel-Sina*) vocantur, quanquam Chinam viderint nunquam, ſed maximam partem è Goa vicinisque Inſulis à Luſitanis afferantur, quùm *Alvarus Semedus* Jeſuita, diu in China degens, conteſtetur, ejusmodi fructus ſe ibidem vidiſſe nunquam, ut *Ferrarius l. c.* commemorat.

§. 13.

Quemadmodum aurantia priora magnitudine diverſa ſunt, ita poma aurantia Sinenſia non unius omnia ſunt magnitudinis, ſed parva dantur & majora. In his ultimis Sereniſſimus Princeps Haſſo-Darmſtadinus, DN. ERNESTUS LUDOVICUS, *Landgravius Haſſiæ, Princeps Hersfeldiæ, Comes in Cattimelibocо, Decia, Ziegenhaina, Nidda, Schaumburgo, Ysenburga & Büdinga &c.* Dominus meus Clementiſſimus, obſervavit olim quid valde curioſum, in inciſo à ſe pomò aliud ejusmodi pomum prorſus perfectum fuiſſe reconditum, qui gravidus inciſusque fructus in eleganti pretioſâque Principis Bibliotheca Darmſtadii repræſentatur depictus; ubi etiam B. *Arndtii Hortus Paradiſi* (*Paradiß-Gärtlein*) in igne ſpectatus, è mediisque flammis illæſus extractus, una cum multorum Theologorum reſponſis aſſervatur, quem in meis aliquoties habui manibus. Omnium maxima in India Orientali ante Bataviam creſcunt, à Batavis *Pumpelmus*, alias verò Mazchan ſ. *Zieger-Limonen* vocata, de quibus *Georgius Meiſterus* im *Oſt-Indianiſchen Luſt-Gärtner p.* 84. videatur, ubi iſtuntur delineata.

§. 14.

Viribus reſpectu corticum cum cæteris aurantiis conveniunt, ut dolendum ſit, tanta in copia iſtos à delicatis, medullam ſaltem exſugentibus, abjici, quum plus in ſe habeant virtutis, quam pars media. Pulpa contra multo diverſam habet proprietatem, quam aliorum medulla, quippe quæ ob dulcedinem ſuam magis laxat, quam adſtringit. Interim

tamen naturam ſpiritusque vitales confortat, ſimul etiam putredini, ſcorbuto ac ſimilibus adverſatur, ut partim in *D. Ettmülleri Comment. Schræd. pag.* 520. partim in *D. Burggraffii Diſp. Graduali de Malo Sinenſi Aureo* pluribus poteſt legi. E prædicta maxima ſpecie (quam Alexander Magnus ultra Ganges fluvium inventam, dicitur admiratus) Indi vinum conficiunt, maxime nobile teſte *Meiſtero loc. cit.*

CAPUT XII.

DE

SEBESTEN ET JUJUBIS.

§. 1.

SEBESTEN (*Schwartze Bruſt-Beeren*) parvi nigrique fructus ſunt, pruna noſtratia referentes, ſupernè plerumque albo pileolo ſ. calice ornati, ad modum glandium, intus vero ſub pulpa melligena dulci oſſiculum continentes. E Syria Ægyptoque per Alexandriam, Venetias & Maſſiliam tranſportantur, indeque in Germaniam, ut *Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Mater pag.* 155. ex *Schrædero* annotavit.

§. 2.

Qui fructus à certis arboribus pruniferis proficiſcuntur, quarum duplicem ſpeciem apud accuratum valdeque recentem Botanicum *Leonardum Plukenetum Tab. CCXVII. Phytographiæ* invenimus deſcribi: una Prunus Sebeſtena Domeſtica foliis ſubrotundis, altera Prunus Sebeſtena ſylv. Malabarica foliis longiuſculis vocatur. Binæ vere florent, & autumno fructus ferunt, omnes pileolis ſ. calicibus ornatos.

§. 3.

Optimi ſunt recentes, perfecti ac pulpoſi, foris ex nigro fuſci, ſuisque calicibus adhuc muniti, ex quo dignoſcitur iſtos adhuc eſſe recentes, non lotos, nec aliqua re infucatos. Pulpa dulcis, mucilaginoſa, ex fuſco rubra mollisque ſit. Qui contra ex nigro ſplendentes inflatique apparent, calicibus etiam deſtituti, non probantur, ſicut nec prorſus parvi, rubicundi durique quicquam proſunt, ut *Pometus* in *Hiſtoire des Drogues pag.* 212. docet.

§. 4.

Qualitatibus pollent temperatis, molliunt tenacem pituitam, humoresque acres, ſalſos mordacesque temperant, catarrhos aliosque pectoris affectus progenerantes. Quamobrem ad tuſſim, raucedinem, pectoris anguſtiam, phthiſin, pleuritidem & affectus ſimiles plures proficiunt. In febribus bilioſis calidis quoque utiles ſunt, atque in nephritide, ab urina acri exorta, quam ſimiliter obliniunt & mitigant. Noſtri anteceſſores exinde quoque electuarium præpararunt, Electuarium Diaſebeſten Montagnanæ vocatum, quod ad unciam datum pituitam acrem eduxit. Quod cum haud diu poſſit aſſervari, raroque præſcribatur, hodie prorſus in deſuetudinem abiit: quo tamen ſi uti velimus, minori præparari copia debet, ut *Simon Paulli* monet in *Quadrip. Botan. p.* 44. Cæterum *Tragus* in *Herbario* ſuo meminit, in Oriente ex hiſce fructibus præparari gluten, pro capiendis avibus (ut apud ex viſco ſolet) quod Alexandrinum viſcum vocatum, eleganter viride, minus aquoſum, nec fœtidum eſſe oportet, de quo vid. *Pometus l. c.*

§. 5.

JUJUBÆ

ſ. ziziphæ (*rothe Bruſt-Beerlein, vvelſche Hagenbutten*) rubræ baccæ ſunt, magnitudine olivas, & ſapore paſſulas majores fere æmulantes, includentes oſſiculum ſ. nucleum oblongum & utrinque acuminatum. Ex Italia Galliaque afferuntur, ubi in copia creſcunt.

§. 6.

Fructuum horum arbor, ad magnitudinem non contemnendam accreſcens, intortum habet caudicem, cortice ex nigro rubeſcente veſtitum. Lignum cynosbato accedit; rami ejus magni ſunt, è quibus alii parvi & incurvi ſurculi oriuntur, in quibus folia ſed inæqualiter ſibi oppoſita ſunt, quæ oblonga, craſſa, circumcirca crenata & robuſta apparent. Flores pallide flavent & muſcoſi ſunt, quibus baccæ ſuccedunt, olivæ ſimilitudine, primum virides, poſtmodum, ubi maturuerunt, ſaturate rubri. Arbor etiam ubique acutis ſpiculis cincta eſt, quæ omnia *Theodorus Tabernæmontanus Lib. III. de Herbis pag.* 758. deſcripſit.

§. 7.

Ubi libera eſt electio, recentes, craſſas, perfectas, pulpoſasque, eas tamen probe exſiccatas eligamus, quæ aliquot minimum annos poſſint aſſervari. Id quod ii probe obſervent, qui totas ſcatulas afferri curant, quod nimis cito vaſis inditæ facile incaleſcunt, poſtmodum corrumpuntur & nigreſcunt. Id etiam curandum, ne humidæ veniant, aut loco humido reponantur, præſertim ſi nec debitè ſiccatæ, aut nimis maturæ fuerint collectæ vaſisque inditæ, qua ex re magnum accreſcit damnum. Simulac nunc incaleſcere incipiunt, exponendæ, ſuper albo

albo linteo aliquot dies dispergendæ, & quoad ejus fieri potest, distrahendæ, præsertim si uberior istarum speratur messis. Interdum tamen, quando recentes raræ sunt, pretium istarum intenditur. Alias vero, quando probe siccatas convasatasque scimus, nulla urgente necessitate vasa non aperiantur, dum reconditæ multo melius asservantur, quam libero aëri expositæ, ut *Pometus libr.* sæpe *citato pag.* 212. bene monet.

§. 8.

Usus istarum cum Sebesten valde convenit, propterea quod similiter modice refrigerant humectantque; raucedinem leniunt, acres humores demulcent, à quibus tussis, phthisis similesque morbi oriuntur. Hæmoptysi quoque medentur, ab ejusmodi salsis humoribus profectæ. Quam ob causã decoctis pectoralibus addendæ, postmodum syrupo jujubino edulcorandis, utpote in prædictis affectibus quotidie ordinari solito.

CAPUT XIII.

DE

DACTYLIS ET SILIQUIS.

§. 1.

DACTYLI oblongè rotundi fructus sunt, magnitudine formaque externa glandibus haud dissimiles, sed paulò majores, extrinsecus tenui rubicunde flavente cuticula cincti, sub qua dulcem & quasi mucilaginosam medullam habent reconditam, in hujusque medio valde durum & oblonge rotundum nucleum, secundum longitudinem sulco notatum. Ex Syriâ & Persiâ, Tunis, Sale locisque aliis per Hispaniam & Italiam veniunt, teste *Schurzio* in *Mater. Mus. Germanico pag.* 19.

§. 2.

Qui fructus palmis increscunt, palmulæ propterea vocati. Quum verò harum arborum variæ sint species, quarum *Plinius* fere quinquaginta recenset, ut clarissimus *Wormius pag.* 164. *Musei sui* ex isto adducit: sciendum, dactylos saltem palmæ majoris esse fructus, *Dattel-Baum* propterea dictæ, quam *D. Kæmpferus* ex propria experientia in suo *Phœnice Persico* ex professò descripsit, quem propterea *Indiæ Literatæ* nunc simul prodeunti subjecimus. Arbor hæc, Antiquissimis Autoribus Phœnix dicta, longum crassumque ac squamosum habet caudicem, in cujus altitudine multi rami, magnis longisque foliis, iridi nostrati similibus, ornati progerminant, sub quibus flores tanquam in aliquo domiciolo jacent reconditi, quo hiante primum candidi flores apparent, postmodum verò copiosè dactyli, instar uvarum sibi proxime adhærentes, ut ex *Pometi* figura aliquo modò potest videri; & quanquam multorum sit opinio, ejusmodi arbores post centum annorum decursum demum proferre fructus, eam tamen *Radzevilius* Princeps *Epistola* 3. *Germanica* verbis sequentibus vult refutatam: „ Palmam de quorundam sententia nullum proferre fructum, nisi post centum ab inoculatione annos, prorsus „ fictum est, siquidem ad modum aliarum arborum tertio vel quarto fructum fert anno, præsertim si fuerit humilis. Num verò eorum etiam sententia, qui palmam fœminam ante non proferre fructum existimant, quam à pulvere seu semine maris quasi impræginata fuerit, ficta fabulæque similis haberi debeat, cum *Pometo* non sumo affirmandum, quoniam id non solum cum ante laudato *Kæmpfero*, *Mich. Boym* in *Flora Sinica*, *Prosper Alpinus*, *Veslingius* aliique ab *Simone Paulli* in *Quadrip. Bot. pag.* 544. allegati scriptores certo affirmant, sed in cæteris quoque herbis & arboribus solito Naturæ cursui neutiquam adversatur, id quod *D. Camerarius* in *Epistola de sexu plantarum* valde curiosa, & ad me olim scripta egregiè ostendit, quam in *Dissert. Epistolicis* dedimus legendam.

§. 3.

Cæterum dactylos oportet esse decenter magnos & perfectos, minus rugosos, extrinsecus rubicunde flaventes, intus albos, præcipue verò adhuc recentes, integros, neutiquam contusos, multo minus carioso, sapore etiam bono & saccharato dulci præditos. Qui Tunis veniunt, à *Pometo* in *Hist. des Drogues pag.* 213. habentur meliores è Sale advectis, utpote qui multo sunt prioribus macriores.

§. 4.

Quod ad usum dactylorum attinet, crebrior iste est apud Orientales, quam apud nos, quorum multa millia exinde victum quærunt. Iste fructus in Ægypto, Syria, præsertim Jericho, usque eò dicitur communis, ut sues illis alant, ut apud nos glandibus fagique fructibus, quemadmodum *Hieron. Beckius* ex istoque *Vielheurius* in *Descript. Exot. Mater. pag.* 102. commemorat. In Europâ propter lenientem lentumque sporem ad catarrhos acres usurpantur, quos demulcent, propterea que ad raucedinem, tussim, phthisin & affectus similes in decoctis pectoralibus & ptisanis, ad modum sebesten & jujubarum, adhibentur. Simili ratione renum ac vesicæ vitiis, ab urina acri ortis, medentur. Ventris dolores quoque sedant ac diarrhœam; fœtum

tum in utero confortant, quos tamen gravidæ in copia non edant, quod difficilis ſunt digeſtionis. Purgans etiam electuarium ingrediuntur, Electuarium Diaphœnicum ab iſtis vocatum, cujus tamen vires turbetho, Diagridio aliisque adſcribuntur rectius; melius vero Looh de Pino ingrediuntur. Num in emplaſtro Diapalmæ multum præſtent, ſuo loco volo relictum.

§. 5.

Quidam Materialiſtæ, utpote *Marxius* & *Schurzius*, vini palmæ quoque faciunt mentionem, quod ab Indis Terri, à noſtris autem Doctoribus

PALMITES

vocetur. Enimverò ab alia palmæ oritur ſpecie, nempe palma minore, & ſequenti modo colligitur: Indi certis quibusdam cultris & inſtrumentis inferiores craſſos arboris ramos incidunt, ſuccumque emanantem appenſis utribus ac vitris excipiunt, ut hic loci ſuccus betulæ ſolet; id quod ante ſedecim fere annos *Clariſſ. Hermanni* in palma minore, in horto Medico Lugdunenſi, nobis oſtendit. Valdè gratus confortansque dicitur eſſe potus.

§. 6.

OLEUM PALMÆ

ſimiliter ab alia palma præparatur, certos fructus ovi magnitudine ferente, è quorum nucleis oleum, ritu olei laurini è baccis lauri, exprimitur. Inſtar butyri craſſiuſculum eſt, aureum, recensque adhuc exiſtens violas redolet. Verè recens dulcis ſit ſaporis odorisque fragrantis, colore etiam eleganter aureo præditum, ex quô dignoſcitur, num recens ſit, necne, dum inveteratum evadit album. Interea probe videndum, ne cera, oleo olivarum, iride florentina & farina curcumæ per artem effictum ſit: qui dolus tamen facile manifeſtatur, ſi quando libero exponi permittitur aëri, in quo genuinum mutabit colorem, falſum vero ac ſuppoſititium neutiquam. Verum quoque candidum factum, ſi quando ſuper igne ſolvitur, priſtinum colorem recipit, quod in ſuppoſititio minime ſuccedit. In Gallia dolores artuum, à frigidis humoribus, podagra & ſimilibus ortos, mediante iſto oleo demulcent, de quo Materialiſta Gallus, *Pometus*, in *Hiſt. des Drogues pag.* 214. plurib⁹ poteſt legi.

§. 7.

Dactylis jujubisque cum in affectibus pectoris ſæpe jungantur

SILIQUÆ,

iſtas hic loci non cenſemus prorſus prætereundas. Elongis & obſcure fuſcis ſiliquis ſive folliculis conſtant, digiti longitudine, latitudine pollicis, iisdemque interdum rectis, interdum incurvis, cornu adinſtar, quamobrem etiam hirci cornua & ceratonia vocantur. Dulcis ſunt ſaporis, odoris non adeo notabilis. Vulgò *S. Johannes Brod* dicuntur, quod nominis, ex conjecturâ clariſſ. *Dn. Ludolfi* in *Comm. ad Hiſtor. Æthiop. pag.* 181. quidam Circumforaneus iſtis videtur impoſuiſſe, dum S. Johannes illarum eſu nunquam vixit. Alii rectius *Sooden-Brod* nominant, quod in Soda, i. e. ardore ſtomachi, certum ſunt remedium. Ex Syria, India hodieque ex Hiſpania veniunt.

§. 8.

Arbor, cui increſcunt, magna eſt, inque Germania poteſt coli, ubi tamen fructus ad maturitatem non perveniunt. Sic *Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Mater. p.* 157. narrat, vidiſſe ſe olim Lipſiæ in horto Weidmanniano ejusmodi arborem, in domo cuſtodiendis aurantiis dicata, quæ flores, perſicorum flores colore eleganter æmulantes, tandem etiam magnas ſiliquas protulerit, maturitatis vero gradum non attingentes.

§. 9.

Siliquæ recentes viridesque adverſum habere ſaporem dicuntur, quæ ſimulac exſiccatæ fuerint, dulces gratæque evadunt. Iſtas bene cretas recentesque ac ſuccoſas eſſe oportet, cum in ſucco, craſſoque in illis latente melle, maxima vis lateat. Quam ob cauſam Indi ſuccum exprimunt, quo iſto Zingiber, Tamarindos Myrobalanos & ſimilia condiant. Teſte *Ettmüllero* in *Comm. Schræd. pag.* 663. in Germaniâ non integri ſolum fructus, ſed folliculi ſine ſucco quoque uſurpantur.

§. 10.

Quod ad uſum attinet, integer fructus, ſuo adhuc ſucco turgidus, peculiari vi ſalſos & acres humores demulcendi pollet, pectorique propterea proficit, ex qua intentione etiam ſyrupum Diacod. Montani ingrediuntur. Folliculus vero ad ſodam ardoremque ventriculi utilis eſt, utpote acre acidum abſorbens; modice tamen uſurpetur, quod ritu omnium rerum lignoſarum difficulter digeritur, monente *Sim. Paulli* in *Quadrip. Bot. pag.* 43. Fructuum horum eſu Æthiopes vehementer tenentur, & quoniam in Oriente copioſe creſcunt, ſues vel integro fructu, vel folliculis dicuntur ali & ſaginari. Quæ cauſa eſt, quamobrem S. Scripturæ interpretes exiſtiment, per ſuum eſcam, qua perditum filium oportuit eſſe contentum, has intelligendas eſſe ſiliquas, qua de re præ aliis lege *Urſinum* in *Arboreto Biblico pag.* 558. & ſupra laudatum *Ludolfum loc. cit.*

CAPUT

CAPUT XIV.

DE ZIBEBIS, PASSULIS MAJORIBUS MINORIBUSQUE, VINO HISPANICO, SECCO, TARTARO HUJUSQUE PRÆPARATIS.

§. 1.

OMnes UVÆ PASSÆ nihil aliud sunt, quam artificiosè arefactæ s. exsiccatæ uvæ, diversæ magnitudinis ac coloris, utplurimum tamen fuscæ, sapore dulces, odoreque fragrantes. Ex Syria, Hispaniaque & Italia, partim in doliis pondus centenarium continentibus, partim corbibus allatæ, ab Aromatariis emuntur.

§. 2.

Vitis, unde oriuntur, viridesque uvæ usque eo unicuique innotescunt, ut verbosior istarum descriptio multis ridicula posset videri. Hoc saltem sciendum, istas vites uvasque, à quibus maximæ passulæ proficiscuntur, arborum crescendo attingant altitudinem, quemadmodum clariss. *Olearius Lib. VI. der Persianischen Reiß-Beschreibung cap. 4. pag. 699. 704.* tales in Persia se vidisse testatur, quæ caudicis crassitie virum æquaverint. Quales etiam Damasco crescunt, & in Sabaudia possunt videri. Id quod inde fortasse oritur, quoniam ibidem vites longo ab se invicem spatio plantantur, quod trahendo inter istas carro minimum sufficiat, quæ non temera *Eichovii* opinio est *in der Reiß-Beschreibung pag.* 203. Non igitur est, quamobrem admiremur tam magnas in illis crescere uvas, quarum quædam 20. librarum pondus superant, teste *Pometo* in *Hist. des Drogues pag.* 247. Istarum tamen non minus augenda magnitudo, ut à *Strabone*, duarum ulnarum longitudinem illis tribuente, satum, propterea à supra memorato *Oleariol. c.* castigato, quod veritatis fines transierit.

§. 3.

Hæ uvæ, in passulas præparandæ, in Sole exsiccari colligique debent, quo succosæ carnoque maneant, aliàs enim nihil præter folliculos acquiriretur, referente *Marxio* in *Mater. Med. German. pag.* 154. Methodum autem describit *Samuel Dale in Pharmacol. pag.* 426. Scilicet petiolum ad medium usque transversim incidunt, quo uvæ notabilis pars nutrimenti fematur: quæ semiabscissæ uvæ tamdiu in vite relinquuntur pendere, donec à Sole defectuque nutrimenti fuerint exsiccatæ: post colliguntur & convasantur. Haud multo alia reliquarum passularum majorum ratio est, de qua *Majus* in *Itinerario* videndus; quanquam de quibusdam nullorum sententia, antequam exsiccantur, lixivio cinerum clavellatorum soleant immergi. Minores primum decerpuntur, super terra exsiccandæ in Sole, ex relatione *Pometi l. c. pag.* 248. uti mox pluribus ostendemus.

§. 4.

Quod ad tres passularum species attinet, maximarum nempe, majorum minorumque, posteriores à Materialistis *Weinbeerlein*, passulæ vinosæ & Corinthiacæ, duæ priores autem *Meer-Trauben*, uvæ marinæ & passulæ majores, vocantur, quarum maximæ dicuntur

ZIBEBÆ,

quæ in semirotundis vasis Damasco, Syriæ Metropoli, veniunt, UVÆ DAMASCENÆ propterea vocatæ; quanquam *Eichovius l. c. pag.* 123. velit affirmare, istarum etiam copiam è Cypro Insula afferri. Optimæ recentes adhuc, decenter magnæ perfectæque sint; videndum ut ne Hispanicæ, Massilienses & Calabrienses passulæ istis sint permistæ, id quod sæpe ab inique quæstus cupidis Aromatariis fieri dicitur. Qui dolus ex eo intelligitur, quod veræ zibebæ crassæ, magnæ, pingues, siccæque ac duræ sunt, duos saltem nucleos continent, & quodammodo adversi sunt saporis: aliæ contra passulæ majores molles nimisque dulces existunt, saporeque quasi saccharatæ. Facile quoque videri potest, num vasa aperta, & zibebæ commotæ aut disjectæ fuerint, de quo præ aliis videatur *Pometus l. c.*

§. 5.

PASSULÆ MAJORES

vulgares iterum diversæ sunt speciei, prout vel ex Hispania, vel Italia, & quidem in albis lignis cistis, aut corbibus veniunt, ex nigro cœruleæ vel claræ apparentes. Ex nigro fuscæ utplurimum sunt Genuenses: cœruleæ (*die blaue Rosinen*) ex Hispania per Massiliam veniunt, Massilienses propterea ab *Schrædero pag.* 169. vocatæ. Corbibus convasatæ, vulgo *Korb-Rosinen*, eæque vilissimæ, Hamburgo in Imperium transportantur. Omnes decenter perfectæ, siccæ simul, verè etiam succosæ, firmæ duræque sint, quippe quæ omnium optime asservantur, docente *Marxio l. c. pag.* 156.

§. 6.

PASSULÆ MINORES

valde exiguæ uvæ sunt, magnitudine rubrarum ribium, colore diverso, nigro scilicet rubroque & albo, partim è Corintho (UVÆ CORINTHIACÆ inde vocatæ) partim ex Insula Zante afferuntur, ubi tanta crescere perhibentur copia,

ut Turcæ annuatim 150000. nummos ſeu florenos aureos pro vino, paſſulis minoribus oleoque accipere poſſint, uti ſupra laudatus *Eichovius* in *Itiner. ſuis pag.* 61. memorat. Ob quam mercaturam Angli Batavique ibidem ſuos Conſules, Gallia autem ſuum Commiſſarium habent.

§. 7.

Qua ratione præparentur & accomodentur, *Pometus* deſcribit *l. c. pag.* 248. Uvis maturis exiſtentibus, id quod Auguſto contingit, Zanthenſes iſtas decerpunt, quas à petiolis liberatas ſuper ſtrato in Sole exſiccant. Sufficienter exſiccatæ in urbem feruntur divendendæ, ubi per foramen in magna conclavia, iſtis aſſervandis apta, ſive fornices, (Seraglio incolis vocantur,) infundunt, quæ ſuo ipſius pondere adeo firmiter ſibi inſident, ut poſtmodum magnis ferreis paſtinis ſint ſeparandæ. Poſtmodum in dolia aut ſarcinas, magnitudine ac pondere diverſas, convaſantur, & à certis perſonis mediantibus pedibus calcantur, eum in finem primum oleo illinendis. Ita præparatas Batavi Anglique vili admodum pretio, plerumque pondus centenarium 1½. florenis emunt, quantum fere Venetis etiam pro vectigali ſolvere coguntur, adeò ut jam Maſſiliæ pondus centenarium quinque florenis veneat. Venetiis certo aliquo pondere, *ſter* dicto, venduntur, quod 160. libras levioris ponderis, Norimbergæ 154. libras continet, ut *Schurtzius* in *Mater. Muſ. Germanico pag.* 109. recenſet. Quæ cum ab Europæis tanta in copia emantur, Zanthenſes ad tingendum ab iſtis adhiberi exiſtimant. Probe recentes, parvæ, in magnis globulis ſeu maſſis, minime ab ſe invicem diſcerptæ, multo minus melle affrictæ ſint. Id etiam videndum, ne ab exteriori ſarcinas aut dolia attingente parte ſint, quæ plerumque albicant & ab tineis atroſæ ſunt. Nec parvæ Hiſpanicæ paſſulæ ſint iſtis permiſtæ, paulo Corinthiacis majores. Biennium trienniumque poſſunt aſſervari, modo apertione nullus admittatur aër: qua de re ſupra memoratus Gallus, isque Materialiſta, pluribus poteſt conſuli.

§. 8.

Cæterum omnes fere paſſulæ, minores juxta ac majores, viribus conveniunt, ſuaque verè temperata natura acres humores leniunt, ſimulque bonum ſuppeditant nutrimentum. Quam ob cauſam hecticis phthiſicisque multum proficiunt; quemadmodum & ad cæteros pectoris affectus in decoctis pectoralibus dictis crebrius uſurpantur. Refrigerant etiam ſedantque ſitim in febribus calidis, & alvum emolliunt. Ubi tamen notetur, paſſulas tum eſſe enucleandas, quod interiores lapilli ſ. acini obſtruunt, ſecundum ſententiam *Ettmülleri* in *Comment. Schræder. pag.* 303.

§. 9.

Quoniam ab iſtis uvis, à quibus majores minoresque paſſulæ deducunt originem, vinum Hiſpanicum, & à ſaccis & utribus, quibus divehitur, ita dictum Sec, ſeu VIN SECCO magnam partem oritur, Materialiſtæ etiam & Aromatarii magna uſura iſta divendunt; hinc paucis iſtorum faciemus mentionem, dum ejusdem fere virtutis ſunt, ac plerumq; calida & fortia vina exiſtunt. Præter vulgare vinum Hiſpanicum habent

Vinum	CORINTHIACUM	ſive *Corinthen-Wein,*
	ALCONENSE	*Alicanten-Wein,*
	de THIN, de TINTE	*Tint-Wein,*
	CANARIENSE	*Canarien-Seck,*
	XERANUM	*Seriniſchen-Seck,*
	MALACENSE	*Mallagas-Seck,*

Quæ ultima acida dulciaque veniunt, quorum iſta cariſſima ſunt. Huc etiam pertinet Peter Simonis, ſ. *Pieterſemin*, in Caſtilia cultum, ibidemque è Germania primum plantatum creditum, ut *Schurtzius* in *Mat. Muſ. pag.* 109. exiſtimat. Item, de monte Fiaſcon, propter eſt eſt: *Profecker Reinfall*, Roſatzer: item vulgo ita dictum *Frotignac, de Coſte-Rotie* &c. quæ plerumque in doliis, fiſtulis dictis, ut Italicum vulgo in lagenis vitreis (Gallis *Bouteilles* vocatis) afferuntur, quorum tamen plura Brixis è Tirolenſi comitatu veniunt, ubi maxime nobile & rubrum vinum creſcit, quod multos Principes Magnates delectat, ex obſervatione *Eichovii* in *den Reis-Beſchreibungen pag.* 28. Inter Vina Gallica pallide rubrum Campanienſe, vulgò *Champagner-Wein*, valde celebre eſt. Album & rubrum, quod Claretum, ſeu VinClairet, nominant, ubique notum. Neſcio tamen, annon illis palmam eripiat *Vinum Toccavienſe* Ungariæ, in Aula Cæſarea æſtimatum.

§. 10.

Differentiam & virtutes aliorum indigenarum Germaniæ vinorum *Jacobus Horſtius Tr. de vite vinif.* & *Sachſius à Levvenheimb* in *Ampelographia cur.* fuſius deſcripſerunt, quorum ultimum *Sim. Paulli* in *Quadrip. Bot. pag.* 557. alterum *Plinium* vocat; quanquam de utrisque *Ettmüllerus* valdè frigide judicet *l. c. pag.* 681. Optimè *Andreas Baccius Tr. de Vini Generibus*, & haud ita pridem *D. Joh. Valentin Kappers Diſp. Inaug. de Natura & præſtantia Vini Rhenani in Medicina*, Halæ habita, de eo ſcripſerunt. Vulgus vulgari proverbio breviter omnia complectitur:

Necker-Wein, Lecker-Wein,
Rheine-Wein, Feine-Wein.

Ne

Nec tamen bonum Moſellanum eſt rejiciendum, à podagricis potiſſimum præ aliis deſideratum. Quemadmodum verò vina medicata præparanda ſint, in peculiari Tract. docet Monſ. *Guybert aux Oeuvres charitables*, ut & *Colerus* in ſua *Oeconomia*.

§. 11.

Huc etiam pertinet SPIRITUS VINI, hic loci ad differentiam ☞ frumenti

SPIRITUS VINI RHENANI

vocatus, vel è vino ipſo, aut è fecibus vini deſtillatus, qui ultimus multo altero fortior eſt, ſed odore quodammodo ingratior. Copioſe Colmaria & Argentorato affertur, hic locorum maxime deſideratus: qui è Franconia venit, bonitate eſt inferior. In Batavia Angliaque habent ſpiritus vini Gallici, inter quos ii, qui ex urbibus Conjac, Nantes & Bourdeaux veniunt, ſunt notiſſimi, & in mari magna copia bibuntur. Optimus ſpiritus vini eleganter albus, limpidus clarusque eſt, ſaporis boni, perlas, ut loquuntur, retinens, hoc eſt, qui bullulas ſiſtit easdemque diu retinet in vitro commotus. Alii incendunt, qui ſi deflagrat, nec multum relinquit, bonus putandus. Videndum, ne ſpiritu frumenti ſit adulteratus, quem hic loci non è frumento ſolum, ſed etiam è deciduis carioſisque prunis Damaſcenis copioſè deſtillant, fœniculo etiam, aniſo, baccis juniperi ſimilibusque interdum, quando depuratur, inficiendum. In officinis habetur quoque

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS,

qui vel per repetitam deſtillationem, vel per alembicum usque eo pellitur ſ. exaltatur, ut pulverem pyrium accendat, quique accenſus nullam prorſus humiditatem relinquit, & ad aliquot guttas effuſus, in aëre avolat, ad terramque non pervenit, quibus tribus indiciis iſtius colligitur bonitas. Multò tamen compendioſiori via poteſt acquiri, quando ſpiritus vini Rhenani cum ⊖ ℞i, cinere clavellato, ſoude & ſimilibus in vaſe quodam permiſtus commovetur, quæ omne ☞ abſorbent ac imbibunt: quemadmodum olim Pariſiis in Laboratorio Regio ſpiritum vini quaſi in momento vidi rectificari. Nobilis excellensque res eſt, non ſolum ad ſolvenda alia corpora & præparandas varias eſſentias, tincturas & res ſimiles, ſed ipſe quoque nervos artusque usque eo confortat, ut amicum quendam Cognatumque ſciam, qui iſtum pro panacea habet, & ſolo externo affrictu in hominibus pecoribusque juxta felices curas præſtat.

§. 12.

ACETI VINI

ſimiliter inſignis eſt mercatura, adeò ut certæ ſint perſonæ, qui aceto præparando unice dant operam. Quò melius eſt vinum, eo fortius eſt acetum ex iſto præparatum; & quoniam etiam ex fructibus arborum, cereviſia hordeacea & triticea ac ſimilibus præparari aceta poſſunt, videndum, ut ne pro aceto vini emantur. Argentorato in doliis venit optimum. Refrigerante adſtringenteque virtute pollet, ſudorem tamen pellit ac putredinem arcet; quam ob cauſam contra peſtilentiam quoque commendatur, ex quo varia aceta bezoardica in officinis præparantur.

§. 13.

Similis quoque acidus ſuccus ex uvis agreſtis exprimitur, quem officinæ

OMPHACIUM

Galli & Batavi du VERJUS vocant. Adſtringentem refrigerantemque juxta virtutem habet, ſtomachum confortat, appetitum excitat, eosque reficit, calore inſigni qui afficiuntur, in cibis & alibi ſumtum: ex quô etiam ſyrupus de agreſta conſtat. Ad depurgandam ceram dicitur uſurpari. Non confundi cum oleo omphacino debet, monente *Sim. Paulli l. c. pag.* 413.

§. 14.

Ultimò nec vini tranſeamus feces, à quibus doliarii optimum deſtillant ſpiritum, quo ſolo ſæpe diteſcunt. Vinarii qui magna copia vinum emunt, & FÆCES VINI poſt transvaſationem in copia accipiunt, iſtas non facile doliariis divendunt, ſed prelo ante exprimunt, indeque ſæpe vinum accipiunt non contemnendum: poſt uſtione ex illis nigrum colorem præparant, quem Galli Francofurto, Moguntia & Argentorato Pariſios afferri curant &

NOIR D'ALLEMAGNE

vocant. Optimus eſt, quando ſubhumidus, nec tamen aqua humectatus, eleganter nigredine ſplendens, tener & levis eſt, nullaque in ſe granula continet, præſertim quando loco communis oſſis ebur cum iſto ſimul eſt combuſtum: certis in molis machinisque minutim molitur. Figurarum impreſſoribus (*den Kupffer-Drucker*) inſervit, qui iſtum in inciſas figurarum laminas æneas terunt, tumque in prelo iſto mediante icones & figuras exprimunt.

§. 15.

A reliquis fæcibus, doliorum parietibus adhærentibus & cum tempore induratis, oritur

TARTARUS VINI

quem *Glauberus* magno fœnore etiam è fæcibus artificioſe præparare novit, de quo in iſtius libro, *Teutſchlands Wohlfahrt* nominato, agitur pluribus. Qui tartarus ſal eſt, inſtar lapidis doliis culeatibus, unius aut duorum digitorum craſſitie adhærens, acidiuſculi & ſubacris ſaporis. Rheno plerumque Franconiaque venit, interdum etiam Languedoco, Lugduno locisque aliis Galliæ.

§. 16.

Varius datur, albus & ruber, pro diverſitate vini, à quo oritur. Albus rubro ſemper præfertur, præſertim debite groſſus, facile friabilis, foris albus, intus ſplendens, nec terræ nec pulveris multum permiſtum habens, qualis utplurimum in parvis fragmentis divenditur. Regio-

nes quoque dant differentiam, dum Germaniæ tartarus ipſis Gallis habetur optimus, teſte Materialiſta Gallo *Pometo l. c. pag.* 251. Plerumque extero craſſior eſt, excepto Hungarico, qui ſemper obſervatur tenuis, & tamen à *Marxio l. c. pag.* 295. pro optimo videtur haberi. *Schurzius* contra Francum, alii Rhenanum, præſertim Argentoratenſem & Palatinum (qui enim per Scaphuſiam Lindaviamque venit, albus juxta ac rubicundus exiſtit) eligunt. Iſtis ſuccedit Provincialis & tandem Lugdunenſis, quorum bonitas æſtimatur ex Germanico.

§. 17.

Quod ad uſum ejus attinet, ruber tartarus magna copia à tinctoribus, monetariis & aurifabris conſumitur, quippe quo ignitum ante argentum coctione album reddunt. In Medicina vero ejus præparata, quæ Chymici & Pharmacopolæ exinde conficiunt, crebrius uſurpantur. Crudus etiam tartarus reſolvente leniterque laxante vi pollet, pituitam acidam è ventriculo & inteſtinis educit, ſive in cibis loco ſalis communis, ſive in potu cum limatura ♂, pellendis menſibus utili, ſumatur.

§. 18.

Quemadmodum Clariſſ. *Helmontius* generationem tartari omnium optime explicuit, ita præparata ejus à quibusdam Chymicis, præſertim *Angelo Sala*, *Zobelio* &c. in peculiaribus Tractatibus & *Tartarologiis* fuſius ſubjiciuntur oculis: quibuscum Materialiſtæ magnam etiam faciunt mercaturam, inprimis cum

CREMORE & CRYSTALLIS TARTARI,

quos Franci pondere centenario Francofurtum ferunt Materialiſtis divendendos, à quibus ignavi & pigri Pharmacopolæ, laborem ipſi detrectantes, librali pondere emunt. Monſpelienſes magnam etiam quantitatem hinc inde vehi curant, præſertim cryſtallorum, ſiquidem cum crémore tartari tardius procedit labor; parum enim intereſt, quodnam iſtorum uſurpetur, cum iisdem polleant virtutibus, eademque ratione præparentur, ſiquidem dum crudus tartarus in aqua coquitur, vel ſuperior ſalſaque deſpumatur cuticula, vel reliquum in cryſtallos accreſcere permittitur. Optimæ ſunt magnæ, candidæ & pellucidæ, quibus haud multum minutarum nigrarumque inutilium particularum eſt permiſtum. Id tamen videndum, ut ne ſale petræ ſint adulteratæ, quem impoſtores, ad exaltandam iſtarum albedinem augendumque pondus, ſimul accreſcere faciunt. Cæterum iterata & ſolutione & cryſtalliſatione ſatis acquiri candidæ poſſunt, quem tamen laborem prudentiores Medici cenſent ſupervacaneum, quoniam priores cryſtalli magis meliusque operantur, quam ſæpius depuratæ, quamvis non adeo albæ ſint. Reſolvente laxanteque virtute præditæ, tenacem pituitam in inteſtinis diſſolvunt, purgantibus propterea præmittendæ ac jungendæ; & quoniam etiam phlogoſes temperant, de quorundam ſententia à calido hepate exortas, Medici Saxonici pulverem hepaticum rubrum exinde præpararunt. Nec tamen nimium ejusmodi res per ſe bonæ uſurpandæ, aut pro panacea habenda, quod multi acidum cremoris tartari ferre nequeunt; ut jam alias rationes taceamus, quas *Heilbronnenſes* Medici in peculiari *Tractatu de cremore tartari*, Paſtori pagano oppoſito, adduxerunt.

§. 19.

Quo verò cryſtallis tartari memorata aciditas demitur, iſtæque non in calido ſolum, ſed frigido quoque vehiculo poſſint ſumi,

TARTARUS SOLUBILIS

ſ. SAL VEGETABILIS inventus eſt, è prædictis cryſtallis ſaleque tartari præparandus, cujus inventionem *Pometus loc. cit.* Capucino cuidam, cui *F. Angelo* nomen fuit, vult adſcriptam, quippe qui iſtum Pariſiis primum notum fecit, inibique ejus quantitatem incredibilem vendidit, dum à ſolo prædicto Materialiſta annuatim plus quam XII. pondera centenaria crudi tartari, & fere mille libras cryſtallorum emit. Quem tamen prædictus Capucinus fortaſſe à Germanis præparare didicit, quippe quibus jam pridem innotuit, præparatione principio occulta ſervata, quæ hodie omnibus fere Pharmacopolis nota eſt. Eleganter album, ſiccumque ac probe ſaturatum eſſe oportet. Ad augendum ſplendorem iſtum ſolvunt, & in cryſtallos accreſcere ſinunt. Viribus cum cryſtallis convenit, niſi quod magis ſit correctus, & in uſu acidularum ad laxandum uſurpetur.

§. 20.

Similiter etiam coctus è tartaro cum limatura ♂ TARTARUS CHALYBEATUS in elegantes cryſtallos poteſt accreſcere, ex Tartaro Solubili autem & Tinctura ♂ TARTARUS MARTIALIS SOLUBILIS præparari. Quæ bina in morbis diuturnis ſpleneticis dictis, ictero & hydrope, multum præſtant opis.

§. 21.

Non minus notiſſimus & ad ciendum vomitum uſitatiſſimus

TARTARUS EMETICUS,

è cryſtallis tartari præparatur, cum æquali croci metallorum quantitate, in duodecim aquæ partibus coquendis, aut tres dies loco calido ſæpius movendis, & poſt filtrationem vel evaporandis, vel ad cryſtalliſandum transferendis. Quale medicamentum alii è nitro, ſale ammoniaco & tartaro ſolubili, cum prædicto croco, ſolent conficere: de ejus vero uſu

Myn-

Mynſichtius tanquam primus inventor, in *Armament. Medico Chymico* poteſt legi. Hic loci ad duo vel tria grana datur, cum duabus ſacchari partibus in febrium principio, effuſione bilis ac ſimilibus morbis.

§. 22.

Si quando tartarus per retortam pellitur ac deſtillatur,

SPIRITUS TARTARI

acquiritur primum, probe diaphoreticus ac diureticus: quocum

OLEUM TARTARI FOETIDUM

ſimul aſcendit, extrinſecus probe diſcutiens, & tumidis mammis aliisque tumoribus utile; cujus caput mortuum penitus calcinatum uſtioneque album factum, genuinum

SALEM TARTARI

elixiviatione ſuppeditat, idque gratis; quando enim Pharmacopolæ tartarum in figulorum fornacibus comburunt, nobilis ſpiritus cum oleo perit. Eleganter albus, ſiccus, ſubacris & parum amarus ſit, nitro neutiquam adulteratus, quod ex eo facile cognoſcitur, quando carbonibus impoſitus inſtar nitri flagrat. Loco ſicco vult cuſtodiri ab aëreque defendi, alias enim facile ſolvitur ac in limpidam aquam mutatur,

OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM

vocatam. Ubi valdè memorabile eſt, ex libra una ☉ tartari fere decem libras ejusmodi olei poſſe acquiri, quod aërem ſpiritumque mundi attrahit, ut *Digbeus* in *Oratione de Pulv. Sympathet.* obſervavit. Vehementer exſiccat, ſcabiem, impetiginem ac faciei puſtulas ſanat, cutisque reſtituit pulchritudinem. Interne quoque à nonnullis ad acre ſtomachi acidum corrigendum, datur.

§. 23.

Si quando ☉i tartari, aliquot dies igne calcinato ignitoque, ſpiritus vini tartariſatus affunditur, in momento habetur

TINCTURA TARTARI,

eleganter rubra, qua tamen vetuſtate evadit flava. Sanguinem purificat urinamque pellit.

§. 24.

Præ omnibus

SAL TARTARI VOLATILIS,

tam ad Chymiæ ſecreta, quam ad Medicinam laudatur, de quo *Dan. Ludovici Tr. de Volatiliſatione Salis Tartari* eleganter ſcripſit, etiam *Charaſius* in *Pharmacopolio Regio Gallico* poteſt conſuli, qui iſtum è fecibus præparat.

§. 25.

Quod ad Tartarum ☽latum attinet, de eo omnes repleti libri ſunt. Similiter diligenter cuſtodiendus eſt, ne ſolvatur. Bonum digeſtivum eſt, obſtructiones reſerans.

CAPUT XV.

DE

BACCIS LAURI, CARICIS, PRUNELLIS ET CASTANEIS.

§. 1.

BACCÆ LAURI oblongè rotunda nigraque grana ſunt, ſub tenui pellicula fuſcum nucleum continentia, in duas partes diviſibilem. Saporis acris, amari, oleoſique & aromatici ſunt, odorisque fragrantis, unaque cum foliis ex Italia in Germaniam feruntur.

§. 2.

Laurus arbor, à qua oriuntur, valde diverſa eſt, hortenſis & ſylveſtris. Illa iterum vel latifolia eſt, vel anguſtifolia, quarum fœminæ ſaltem fructum ferunt, de quibus *Theod. Tabernæmontani Herbarium Lib. 3. pag. 676. ſeq.* videndum. Omnes oblonga, dura, viridia fragrantiaque folia habent, ſapore amara, quibus in fœminis virentes floſculi, his vero fructus ſuccedunt, principio virentes, matureſcendo fuſci evadentes. In Germania quoque coluntur, ubi fructus nucleatos proferunt.

§. 3.

Optimæ baccæ perfectæ beneque cretæ ſint, vere tamen exſiccatæ, itaque nigræ, quantum poſſibile eſt. Videndum ne carioſæ & perforatæ ſeu exeſæ ſint, ad quod ſunt proclives, haud bene cuſtoditæ.

§. 4.

Aromaticæ ſunt, propterea que calidæ ac penetrantis naturæ: artus roborant, flatus in ventriculo ac inteſtinis diſſipant, urinam menſesque ac fœtum mortuum pellunt, quam ob cauſam *Sim. Paulli* pauperibus parturientibus 6. vel 7. baccas lauri dat deglutiendas, ad partum facilitandum, vid. *Quadrip. Bot. pag. 73.* Cui etiam

OLEUM LAURINUM

extrinſecus opitulatur, ex Mediolano ad nos vectum, ibidem è recentibus baccis lauri expreſſum, referente *Vielheurio* in *Deſcript. Exot.*

Mater. Germanica pag. 119. cujus etiam non ſpernenda quantitas Languedoco in Galliam transfertur, præſertim è Calviſſon prope montem Peſſulanum, ubi baccas recentes aqua ebulliunt, exprimunt, oleumque refrigeratum doliolis indunt, aliorſum vehendum. Recens ſit, fragrans, quodammodo granulatum, ſpiſſum tamen durumque, colore ex flavo viridiuſculo præditum. Prorſus viride molleque, laurum non redolens, abjiciendum, docente *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag.* 246. In quo oleo, quod quidam impoſtores ex ſebo & terebinthina, colore viridi, Safft-grün dicto, imbuendis, imitantur, magnus ſæpe dolus latet, ut in emendo magna providentia opus ſit. Alias ad omnes dolores à frigiditate ortos, catarrhos ſimilesque affectus in hominibus pecoribusque crebrius uſurpatur & inprimis à mulomedicis valde conſumitur. Emplaſtrum de Baccis Lauri ſimilem operationem præſtat, cujus deſcriptionem, una cum electuario, & aliis vide, ſis, in *Diſpenſatorio Auguſtano.*

§. 5.

FOLIA LAURI in culinis ad artocreata carnis ferinæ aliasque eſcas crebrius ſumuntur, ictibusque apum & veſparum imponuntur: cæteris viribus cum baccis lauri conveniunt.

§. 6.

Ad hos ſimilesque arborum fructus pertinent etiam

CARICÆ (*Feigen,*)

fructus medulloſi granoſique, colore diverſi, pyriformes, ſapore dulces, odoreque fragrantes, ex Hiſpania, Gallia locisque aliis in corbibus vel ciſtis allati.

§. 7.

Ficus arbor forte ad viri accreſcit altitudinem, magnis, latis & crenatis foliis ornato. Ligno fere deſtituitur, rectiusque cortex ſ. arundo vocatur, caudice ſpithamæ habens craſſitiem. Surculus unus ferè 200. ficus habet, quæ una cum caule ſemimaturæ, nempe partim virides, partim flaventes, decerpuntur, & de de trabe ſuſpenduntur, ubi 4. aut quinque dierum ſpatio prorſus matureſcunt & flaveſcunt, ſecundum *Schurzium in Mater. Muſ. Germanico pag.* 35. Recte exſiccatæ vel corbibus juncinis & è foliis palmæ conſtantibus, vel ciſtis ac ſcatulis ab exteris induntur, quo ipſo foris jam differentia poteſt cognoſci.

§. 8.

Ficuum permultæ ſunt ſpecies ſeu ſortes, quæ partim roremarino (*Rosmarin-Feigen* propterea dictæ) partim foliis lauri aut viridis aniſi umbellis interſtinguuntur. Hiſpanicæ in doliolis Hamburgo veniunt; Caricæ de Cypro ſimiliter in doliolis, Venetiis; Provinciales in corbibus (*Korb-Feigen*) Maſſilia è Gallia, ut *Vielheurius* è prædicto *Schurzio* in *Deſcript. Exot. Mat. pag.* 85. ſcribit. *Pometus* vero, Materialiſta Gallus, Provinciales iterum in tres ſortes diſtinguit, nempe 1. in cœruleas, quæ magnæ, ſiccæque ac recentes ſint, 2. in Maſſilienſes, parvas, albas, recentes & ſiccas, coriacea cuticula deſtitutas, facileque è diſcoloribus parvis corbibus cognoſcendas, 3. in caricas nimis magnas pinguesque, in magnis corbibus, ut Hiſpanicæ, advectas; quæ tamen bonitate longe inferiores ſunt iis, quæ in parvis corbibus veniunt, vid. Iſtius *Hiſt. des Drogues pag.* 257. *Bauhinus*, notiſſimus Botanicus, tres quoque ſortes recenſet *Pinac. l. II. Sect.* 1. *pag.* 457. quarum prima in magnis junceis corbibus, altera in ciſtis aut ſimilibus corbibus foliis lauri interſtincta, tertia in parvis oblonge intortis corbibus juncinis veniat, Maſſilienſes caricas continens, multo dulciores melioresque cæteris, quippe tenui pellicula cinctas, reliquis licet minores. In India quatuor inſuper ſpecies reperiuntur, à *Schurzio l. c.* recenſitæ, nobis vero incognitæ. In Italia caricæ pondere *Ster* dicto, non centenario venduntur, quod 220. libras continet, ut *Marxius* in *Mater. Muſ. Germanico pag.* 58. oſtendit.

§. 9.

Quod ad uſum attinet, virtute caricæ pollent calefaciente, eaque acres catarrhos demulcent, ad decocta pectoralia propterea uſurpandæ. Urinam fœtumque juxta promovent, à *Sim. Paulli* in *Quadrip. Botan. pag.* 300. gravidis propterea commendatæ, quod nutrimentum ſimul ſuppeditant, præſertim cum amygdalis ſumtæ. Exinde Hamburgenſes caſeos ſuos (*Feigen-Käs* dictos) diverſæ confeciunt magnitudinis, eſu non ingratos. Variolas quoque & morbillos infantum pellunt. Externè aſſatæ tumidæ gingivæ imponuntur, ex qua vitioſam pituitam copioſe extrahunt.

§. 10.

Præter caricas è Gallia, præſertim parvo Provinciæ oppido, cui Brignole inditum nomen eſt, rubicundè-flaventia, enucleata & exſiccata pruna afferunt, in ciſtis oblongis, artificioſe inciſa papyro tectis, quæ PRUNA de BRIGNOLES & Germanice

PRUNELLEN

vocant. Eleganter flava, carnoſa, vereque ſicca ſint, ſaccharum vero ſub papyro non humidum ſit, aut ſolutum, ex quo iſta bona ac genuina eſſe cognoſcitur. Saporem acido-vinoſum habent gratumque. Arbor in hortis & vineis Francofurtenſibus quoque læte ſuccreſcit, ubi Pruna hæc Myrobalanorum (*myrabelle*) nomine donantur. In Germania ex prunis Damaſcenis excorticatis, nec prorſus maturis ſimilia præparantur, quæ tamen non adeò bona ſunt.

§. 11.

Similiter Galli Lugduno aliisque aliis caſtaneas majores

MARONEN

dictas,

dictas, afferunt, noſtratibus, in Alſatia ac Palatinatu creſcentibus, craſſiores, quamvis ſaporis ſint ejusdem. Non putridæ ac corruptæ, ſed recentes adhuc & duræ eſſe debent. Saccharo quoque obducuntur, Marons glaces tunc vocatæ, qua de re *Pometus l. c. pag.* 258. legendus pluribus.

CAPUT XVI.

DE

COCO SEU NUCE INDICA.

§. 1.

COcus Indicus magnus ſ. magna nux Indica (*Indianiſche Cocos-Nuß*,) certus arboris cujusdam fructus eſt, magnitudine infantilis capitis, foris craſſo libro fibroſoque putamine cinctus, permagnam ovalis figuræ nucem, elatiori ſtria præditam, & in tres partes quaſi diviſam, ſinu ſuo continens, conſtantem ex valde duro, lignoſo, craſſitie dimidium digitum æquante, ac ſuperius tribus foraminibus, (quorum quædam cæca ſunt) notato cortice, atque albo dulcique nucleo, eoque magnitudine mediocris ovi prædito, intus cavo, foris tenui pellicula tecto. In ejusmodi nucleis ſemper ſapore grata dulcis aqua colligitur, quæ tandem evaneſcit; quamobrem omnes, quicunque ad nos veniunt, nuclei cavi vacuique ſunt. Utplurimùm ex India Orientali veniunt: quanquam etiam in America aliqua reperiunda ſpecies ſit.

§. 2.

Arbor, in qua hæ nuces creſcunt, in Indiæ Orientalis Inſulis CLAPPUS ſ. CLAPPA (*Klapper-Baum*) vocatur, ſimilitudine palmis accedens, in magnamque excreſcens altitudinem, cujus caudex valde duro & quaſi geniculato ligno conſtat. Folia, ut in palmis, magna ſunt, paulò tamen latiora: flos flori caſtaneæ ſimilis, ramique ſimiliter, ut palmarum, deorſum propendent, quæ *Malletus* in *Coſmographia* & *Georgius Meiſterus* im *Oſt-Indianiſchen Luſt-Gärtner pag.* 49. qui ipſe aliquot centum plantavit, in peculiari figura repræſentavit. Ex inferioribus ramis, prope caudicem, quinque, ſex & plures nuces excreſcunt, è quibus etiam arbores poſſunt plantari, pingui, ſtercoratoque ſolo mandatis.

§. 3.

Quod num in Europa quoque procedat, aliquot ante annos in recens exſtructo horto Medico Amſtelodami feliciter tentatum, quemadmodum *Dumbsdorffius*, iſtius loci Pharmacopola Germanus, ad juniorem *Dn. D. Volckamerum* Norimbergam ſcripſit. Plantatio hôc fiebat modo: Cocum magnum autumno mandabant terræ, ut ſuperior magna gemma ſ. oculus ſurſum reſpiceret: hinc ex aliquo minorum oculorum, infra poſitorum, exoriebatur germen, ſ. caudiculus, biennii tempore ad quinque ulnæ quadrantes creſcendo exſurgens. Folia quoque progerminabant, longitudine trium ulnæ quadrantium, quibus deciduis ſtriæ oriebantur inſtar globulorum: quod fortaſſe cauſæ eſt, quamobrem arbor ejusmodi circulos & genicula habeat, quæ omnia è figura, in *Miſcell. Germ. Cur. Dec.* 2. *An.* 7. *obſ.* 250. *pag.* 467. contentâ, clarius perſpiciuntur.

§. 4.

Differentia fructuum vel ab iſtorum petitur magnitudine, vel ab exteriori figurâ. Sic nuces quædam magnæ ſunt, ut vulgares; quædam minores, quæ è peculiaribus arboribus progeneratæ à *Theod. Tabernæmontano Libr.* 3. *de Herbis pag.* 649. nuculæ Indicæ vocantur, quamvis non adeò parvæ ſint. Ratione figuræ pleræque ſunt ovales: interdum tamen etiam oblongæ reperiuntur, ut è figura *Pometi* omnia cognoſces.

§. 5.

Quæ nuces, non minus atque tota arbor, valdè inſignem præſtant uſum, dum non modo bonum nutrimentum ſuppeditant, plus centies mille homines alunt, phthiſicosque conſervant, ſed naturale etiam ſemen augent, ſuaque pinguedine & oleoſitate dolores nephriticos leniunt. Quamobrem è nucleis duplex Indi oleum exprimunt, unum è recentibus, leniter laxans, alvumque induratam emolliens: alterum è ſiccis & quodammodo toſtis, ad lampades inſumendum, membraque contracta & dolentia uſurpandum, commemorante *Wormio in Muſ. pag.* 209. E ſupremo quoque cortice ſimilis oleoſus liquor exprimi, & ad prædictos nervorum affectus uſurpari, vermes etiam necare perhibetur, ut *Theod. Tabernæmontanus pag.* 649. herbarii ſui ex *Avicennâ* meminit. Ex his nucleis, cum aqua contuſis, etiam emulſio, haud ſecus atque ex amygdalis, poteſt præparari, in qua Indi oryzam aliosque cibos coquunt, atque delicatiores reddunt. Non minus dulcis in nucleis contenta aqua perutilis eſt, dum non gratus ſolùm potus exiſtit, diuque durat, ſed nobilis quoque ſpiritus, ſive aqua vitæ, inde poteſt deſtillari, qui clariſſimi *D. Hermanni* liquor balſamicus eſt, quo non varia ſolum terra naſcentia infectaque conſervabat, quæ ſuo tempore Lugduni in *Muſeo Ceylanico* ſiſtebat videnda, ut *D. Kæmpferus*, qui

ex

ex India Orientali istum *Hermanno* afferebat, mihi retulit.

§. 6.

E duro lignoſoque putamine hujus nucis varia conficiuntur utenſilia elegantiora, pocula ſcilicet, cochlearia &c. foris bene polienda; quem in finem nuces apud Materialiſtas crebrius conquiruntur, teſte *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag.* 214. Quod decidit, vel ad pulverem ſumitur pro atramento, aut in carbones uſtione redigitur, aurifabris perutiles.

§. 7.

Exterior liber, ſeu cortex, ab Indis ad funes navales, quinquaginta orgyias longos, dimidii viri fere habentes craſſitiem, inque aqua non facile corrumpendos, uſurpatur, quippe quo etiam rimas foraminaque navium obturant. Candicis lignum ad exſtruendas naves domosque perutile eſt: ramis vero ac foliis Indi caſas ſuas navesque tegunt, ex iſtisque corbes & res alias conficiunt; ut adeoque utilior in Orbe terrarum arbor inveniatur nulla, judicio laudati *Wormii* in elegante ſuo *Muſeo pag.* 209. Id quod etiam memoratus *Georg. Meiſterus* (qui multos annos in India Orientali Conſiliario ac Medico, *D. Cleyero*, tanquam hortulanus, à ſervitio fuit) *loc. cit. p.* 49. confirmat, pluribus id pertractans.

CAPUT XVII.

DE

COCO MALDIVIENSI, COCCULIS ORIENTALIBUS ET NUCIBUS VOMICIS.

§. 1.

PRæter vulgarem rotundamque nucem Indicam, ſeu cocum, cujus hiſtoria traditur capite præcedente, alia adhuc, ſed rara, datur ſpecies, quæ

COCUS MALDIVIENSIS
(*Maldiver Cocus. Nuß.*)

ſolet vocari. Priori in omnibus fere ſimilis eſt, præterquam quod externa figura ſit diverſa, quæ iſthic rotunda, hic vero cor repræſentat; alias quoque Tavarcate dicitur. Difficulter comparatur, quod Sinenſes iſtum, tanquam idolum, domibus ſuis cuſtodiunt, iſtumque ubique conquirunt, teſte *Rumphio* in *Epiſt. XII. India Orient.* in *Appendice hujus Tract.* legenda.

§. 2.

Huic fructui præ aliis vis alexipharmaca adſcribitur, à Clariſſimo *Bauhino* propterea Nux Indica ad venena celebrata vocata. Inprimis ita dicta GEMMA NUCIS MALDIVIENSIS, cujus *Wormius* in *Muſ. pag.* 203. meminit, eam ob cauſam in India magni æſtimata, non ſolum, ut totus nucleus, ad omnia venena, febres petechiales &c. commendatur, ſed pro panacea etiam habetur. In medio nuclei invenitur, tanquam oculus, ex quo iterum progerminat. Rotunda eſt, magnitudine parvi columbini ovi, lævis, dura & inſtar perlarum ſplendens. Plerumque flaveſcit, præterquam quod in aliqua parte ſubalba ſit. In altera extremitate parvus petiolus apparet, quo mediante reliquo nucleo juncta fuit: gibi pondere fere æquat, inque aqua fundum petit. Indi iſtam aureis argenteisque annulis ita munire perhibentur, ut nudam digitorum cutem attingat, quos annulos ad arcenda veneficia venenaque peculiare cenſent amuletum. Interim multum ſubeſſe poteſt ſuperſtitionis, id quod iſta hiſtoria confirmat, cujus *Franciſcus Redi* in *Experimentis ſuis Naturalibus pag.* 35. meminit. Scilicet cum peregrina quædam eaque Africana perſona, inter alia rara, hunc Cocum Maldivienſem in quadam Italiæ aulâ oſtendens, præter alias virtutes commemoret, iſtum omne à ſe trudere ferrum, ſicut è contrario magnes illud attrahat, prædictus vero Scriptor de eo dubitaret, gladio iſtud probari confirmarique voluit, ſed irrito conatu, circumſtantiis licet requirendis obſervatis omnibus, ut *loc. cit.* pluribus legitur. De reliquis virtutibus Naturæ Scrutatores Scriptoresque Indici, utpote *Hernandezius, Garzias ab Horto, Acoſta, Piſo* aliique poſſunt evolvi.

§. 3.

Quoniam noti Cocculi Indi (*Coccel Körner*) ſive

COCCULÆ ORIENTALES

etiam Nuculæ Indicæ vocantur, iſtis hac occaſione hic quoque dabimus locum. Obſcure fuſcis granis conſtant, parvas baccas, lauri magnitudine æquantes, ſed paulo rotundiores formantes. Rugoſa cute, ut nuces moſchatæ, cinctæ ſunt, altero latere, ubi petiolus fuit, parvos renes repræſentant, ſaporemque habent amarum. Ex Malabara Ægyptoque feruntur.

§. 4.

De iſtarum origine variæ ſunt opiniones. Quidam ſolani eſſe ſpeciem exiſtimant, alii eſulæ. Hodierni contra Botanici *Breynius* aliique teſtantur, easdem in certo quodam intortoque frutice creſcere, in *Horto Malab. Tom. 7. Tab. 1.* Natſiatam, Batavorum lingua *Waterquaad* dicto.

Enim-

Enimverò clariſſ. *Rumphius* confirmat, in ſylveſtri aſpera eruca, TUBA BACCIFERA dicta inveniri, quam *in dem Amboniſchen Kräuter-Buch cap.* 16. *L.* 7. eleganter deſcripſit, ut ex ejus *Mſc.* in *Epiſtolis Indiæ Orientalis* oſtendemus. De uno petiolo multa pendent grana, ut è figura apparet. Primum albæ, tum rubicundæ, tandem fuſcæ apparent, ut prædictus petiolus. Nucleum incluſum tenent, multas in partes diviſibilem, qui quod facile carioſus fit, cocculæ plerumque cavæ vacuæque veniunt, præſertim inveteratæ.

§. 5.

Optimæ ſunt recentes, ponderoſæ, colore faturatæ, tam magnæ atque haberi poſſunt, nullisque quisquiliis permiſtæ, docente *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag.* 216.

§. 6.

Uſum horum fructuum *Cabrolchius* in peculiari *Tract.* deſcripſit. Quid virulenti continent, propterea que in Medicina interne non uſurpantur. *Riverius*, celebris Gallorum Medicus, ſuo tempore externè in podagra adhibuit, ut in *Append. Schraderi* videre eſt. Cum ſemine ſtaphiſagriæ unguentum pediculorum ingrediuntur. Pueri quoque iſtis ad capiendos piſces utuntur, dum grana iſta cum antiquo caſeo, camphora aliisque, in *Wormii Muſ. pag.* 197. recenſitis, mediis in pilulas formant, in aquam abjiciendas, unde piſces adeo fiunt temulenti, ut manibus poſſint prehendi. Quæ tamen piſcatio Medica in jure minus approbatur, docente *Zacchia* in *Quæſt. Medico-Legalibus pag.* 473.

§. 7.

Quemadmodum hæ cocculæ (vulgo *Fiſchkörner*) piſcibus ſunt veneno, ita

NUCES VOMICÆ (*Krähen-Augen*)

canes, feles aliaque quadrupeda animalia, cæca naſci ſolita, enecant. Rotundis compreſſisque & orbicularis nucleis conſtant, magnitudine duplicatum Groſſum ſ. Duodenarium æquantibus, extrinſecus cinereis & lanuginoſis, holoſericum tactu mentientibus: intus duritie cornea, ſapore amaro. Ex Indiæ Orientalis Inſula, Ceilon dicta, proveniunt.

§. 8.

A quo vegetabili proficiſcantur, huc usque prorſus ignotum fuit, donec tandem Clariſſ. *Hermanni* aliique Botanici in rei venêre veritatem, quod exoticæ cujusdam arboris, in *Horto Malabarico Tom. I. p.* 67. ſub nomine Cairam deſcriptæ, fructus ſint. In certis fructibus, aurantiorum magnitudine, pulpa mucilaginoſa includuntur, ut *loc. cit.* & in *Dn. Matth. Seutteri Diſp. Grad. de Nuce Vomica* pluribus legitur.

§. 9.

Interea *D. Hermanni* ſuis in ſcriptis teſtatur iſtarum duplicem eſſe ſpeciem, majores ſcil. & vulgares ex Ceilon, & minores ex Inſula Timorenſi, prioribus magnitudine multo inferiores, ſed tribus partibus minores, quod totus fructus vix nucem moſchatam æquat, qui una cum arbore (cujus radix lignum colubrinum audit) in *Horto Malab. Tom.* 7. *Tab.* 2. *& ſeq.* variè ſiſtitur delineatus.

§. 10.

Hic locorum priores, tanquam majores, magis innoteſcunt, quæ adhuc recentes, decenter magnæ, cinereæ & ſubflavæ ſint, minus carioſæ, nec partibus inutilibus permiſtæ, docente *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag.* 216.

§. 11.

Similiter virulentæ ſunt, adeò, ut ad drachmas duas ſumtæ hominem credantur necare, auctore *Theod. Tabernæmontano Lib.* 3. *de Herbis p.* 650. Parva doſi ſtomachum ſubvertunt. Merito autem mirandum, quid cauſæ ſit, quamobrem alexipharmacis annumeratæ & ad electuarium de ovo ſumtæ fuerint. Iſtarum nomine veteres aliud fortaſſe intellexerunt, in ſpecie Fabas S. Ignatii. Fures iſtis ad necandos canes abutuntur, olimque ab Haſſiacis Miniſtris ac Prætoribus apud illos inventæ ſunt, ut in *Pandectis* meis *Medico-Legalibus* commemoravi.

CAPUT XVIII.

DE

AMYGDALIS DULCIBUS ET AMARIS, NUCIBUS PINEIS ATQUE PISTACHIIS.

§. 1.

AMYGDALÆ fructus cujusdam oſſei, oblongi, quodammodò compreſſi & utrinque convexi nuclei ſunt, foris rubicundè flavente cuticula cincti, ſub qua niveæ albedinis nucleus ſ. medulla, è duabus partibus conſtans, continetur. Partim è Gallia Italiaque tranſportantur, partim in Germania, præſertim in Palatinatu circa Turckhemium, Landavium & alibi copiosè coluntur.

§. 2.

Amygdalæ arbores, ut conſtat, malis Perſicis valdè ſimiles ſunt, ſimiliterque florem car-

neum, cui fructus ſuccedit, longiuſculo virente putamine, ritu nucum jugiandium, cinctus, qui tandem maturus factus dehiſcit, & amygdalas in valde duro, multis profundis ſcrobiculis notato, oſſiculo decidere ſinit, ex quo poſtea aperiendo nuclei eximendi. Datur tamen aliqua ſpecies, cujus cortex lignoſus adeò tener eſt, ut dentibus poſſit confringi, *Beis-Mandeln* propterea dictæ, & ita integræ ſecundis menſis apponi ſolitæ: quas etiam Materialiſtæ integras curant afferri, ut *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag.* 225. meminit.

§. 3.

Duplices verò ſunt amygdalæ, dulces & amaræ;

AMYGDALÆ DULCES

iterum diverſas in ſortes dividuntur, Ambroſinas ſcil. & Communes. Illæ majores ſunt coloreque magis ſaturatæ, Baviæ, Pugli, ut & in Calabriâ pondere Cantar dicto (quod Venetiis alla groſſa 187. ℔. alla ſubtila 294. ℔, Norimbergæ vero 172. libras continet) emendæ, ut *Schurzius* in *Mater. Muſ. Germanico pag.* 13. refert. Hæ contra è minoribus, nec adeò pulchris, nucleis conſtant. Aliàs quoque ab regionibus, unde veniunt, ſortiuntur nomen; hinc quædam Provinciales, nonnullæ Vallenſes, aliæ Barbaricæ vocantur. Provinciales è Languedoco, Galliæ Provincia, afferuntur, quibus prædictus Materialiſta eas, quæ Genevâ veniunt, judicat præferendas. Vallenſes per Italiam ad nos transferuntur, quæ ſi magnæ fuerint, ſecundum *Marxium* in *Mater. Muſ. Germanico pag.* 16. Provincialibus longe anteponendæ. Barbaricæ vero, ex Oriente Indiaque expectandæ, fere viliſſimæ ſunt, quod parvæ ſunt, & magnam partem ſemirotundæ, ſecundum relationem *Pometi l. c.* Quum verò amygdalæ dulces optimæ ſint recentes, hinc *Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Mater. p.* 72. omnibus exteris Germanicas noſtras, quæ ſemper recentes bonæque haberi poſſunt, non temerè longe anteponit.

§. 4.

Undecunque venerint, optimæ ſunt recentes, decenter magnæ, latæ, colore ſaturatæ, non nimis pallidæ, intus eleganter candidæ, vereque dulci ac grato ſapore. Nullo cortice, nullis fruſtis, multo minus pulvere aliquo defœdatæ ſint, ſic enim prius eligendæ. Per pulverem autem non flos intelligatur, qui amygdalas conſervat. Qui tota dolia aut ſarcinas emunt, bene caveant, quò bonæ, nec carioſis permiſtæ ſint, quippe quas Mercatores Lugduni ac Pariſiis ita diſponere & convaſare norunt, ut facile paretur damnum, uti *Pometus l. c.* de ſuis conterraneis ingenuè confitetur, ab iisque ut nobis caveamus, monet.

§. 5.

Ad iſtarum uſum quod attinet, minime diſſitendum, amygdalas non ſolum magnum ſuppeditare nutrimentum, ac propterea in culinis ad multos delicatos cibos, martium panem, macronas, emulſiones &c. uſurpari, inprimis fœtum in utero confortare, ſemenque virile augere, ſed etiam ob oleum ſuum temperatum omnes acres humiditates temperare, atque ob hanc rationem phthiſicis, hecticis &c. proficere. Quem in finem etiam OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM exinde exprimitur, quod, quum non externè ſolum, ſed internè quoque uſurpetur, bene præparatum ſit, non ex inveteratis, rugoſis ac corruptis, (à quibus *Schurzius in Mater. Muſ. Germanico pag.* 65. vulgare deducit,) ſed vere recentibus bonisque nucleis, & quidem frigide ſine igne expreſſum, aliàs enim empyreuma odore ſaporeque facile prodit. Recens natis infantibus, cum vel ſine ſyrupo laxante, datur, quo collectæ tempore geſtationis ſordes nigricantes (à quibus alias tormina, epilepſia &c. oriuntur) maturius expurgentur. In adultis dolores nephriticos lenit, renumque ac veſicæ calculum promovet, cæterisque urinæ vitiis medetur: Laxat ſedatque colicam, ſputum & pleuriticorum tuſſim &c. promovet. Externè ab obſtetricibus in partu multisque aliis in caſibus adhibetur; ſicuti & relicta maſſa cuticularum à fœminis ad ad ſaponem amygdalinum uſurpatur, quippe quo teneram cutem pulchrasque manus conficere opinantur: quod tamen amygdalæ amaræ præſtant melius. Supputante *Vielheurio l. c.* libra una amygdalarum ℥vj olei ſuppeditat.

§. 6.

AMYGDALÆ AMARÆ

figura externa cum prioribus prorſus conveniunt, quibus etiam annonæ tempore permiſcentur: quanquam ſapore facile diſtinguantur, qui in his prorſus amarus eſt & ſubacris. Cujus reſpectu calefaciendi, reſolvendi aperiendique virtute pollent, ſtomachum confortant, urinam cient, ut adeoque duplici ratione ebrietatem impediant. Quem in finem ii, qui in bibendo Heroës videri volunt, amygdalas æque atque biſcoctum ex iſtis præparari ſolitum, ante, quam bibant, comedunt. Oleum exinde præparatum in affectibus aurium perutile eſt, cutique gratiam conciliat, id quod farina ſimiliter præſtat, ob penetrantem reſolventemque virtutem multo efficacior, quam farina amygdalarum dulcium habita. Memorabile verò, fructus hos homini adeo utiles, gallinis aliisque alitibus valde exiſtere nocivos mortiferumque venenum, adeo ut etiam à reſiduo, ex quo oleum expreſſum eſt, eoque deglutito moriantur, teſte *D. Lyſero*, *Dano, in obſ.* 14. *pag.* 239. *cult. Anat.*

§. 7.

Cum amygdalis dulcibus quod nuces pineæ ac piſtachiæ viribus multum conveniunt, iſtarum hic paucis faciemus mentionem.

NUCES PINEÆ (*Zirbel-Nuß, Pinelen*) ex oblonge rotundis parvis nucleis conſtant, foris

foris intusque prorsus albescentibus, saporis oleosi dulcis. Partim ex India, partim Italia veniunt, ubi circa Ravennam, haud procul à litore Veneti maris locisque aliis copiosè crescunt, testibus *Schurzio* & *Marxio, locis citatis.* Equidem hic locorum quoque pini cum suis strobilis crescunt, nullas tamen nuces proferunt, quales in PINO DOMESTICA inveniuntur, quæ saltem in Italia ac regionibus calidis cultura crescit. Acuminata folia habet, ut equisetum, magnosque è multis duris lignosisque squamis coagmentatos strobilos profert, sub quibus duræ lignosæ nuculæ, & quidem sub qualibet squamabinæ sunt reconditæ, ut *Wormius* in *Mus. p.* 210. refert. Quibus in fornaces projectis, aut super igne detentis, squamæ ab se invicem discedunt, duræque nuces excidunt, ex quibus aperiendis nuclei rubra tenuique cuticula circumdati eximuntur. Eleganter candidi, recentes, magni dulcesque sint, non rancidi. An cuticula removenda, an relinquenda sit, Materialistæ inter se dissentiunt, dum quidam nucleos in ista melius asservari, alii illos cuticula fœdari existimant. Quæ tamen lis cum valde levis sit pondereque minime æstimando, cujusque ista relinquitur arbitrio. Probè excorticatæ nuces in culina æque ad artocreata cibosq; alios, atq; in medicina crebrius usurpantur, præsertim ab hecticis phthisicisque, quibus laudabile nutrimentum suppeditant; simul etiam omnem acrimoniam doloresque nephriticos leniunt. Augendo semen naturale potentiam virilem acuunt: quem ob finem aliquod ex illis oleum exprimitur, quod ex relatione *Ettmülleri* in *Comm. Schræd. pag.* 627. quidam Imperii Princeps perpetuo secum ferre perhibetur. Quod post expressum oleum reliquum est, candorem manibus conciliat, ut farina amygdalarum.

§. 8.

Iisdem etiam viribus pollent

PISTACHIÆ, *s. Pimper-Nüslein*,

ex oblongis angularibusque nucleis nucis cujusdam constantes, una parte elatiores quam in altera, foris purpurea cuticula cinctæ, intus viridiusculæ. E Persia, ab Alexandria & Damasco, per Italiam veniunt, Java quoque, Neapoli & Sicilia, referente *Marxio in Mater. Mus. pag.* 156. Arbor procera est, instar junioris arboris juglandis, de qua fructus racematim pendent, foris virides, rubro permisti, magnitudine virentis amygdalæ, Sub viridi putamine nux ipsa latet, albo, sed non adeò duro cortice, nucleum, nucem sanguinea pellicula præditam, referentem, continente. Quæ nuces vel totæ afferuntur, aut istarum saltem nuclei: quæ simul in Materialium Musеis reperiunda. Illæ recentes adhuc sint, ponderosæ ac perfectæ, quarum tres libræ unam minimum nucleorum libram suppeditant, docente *Pometo* in *Hist. des Drogues pag.* 228. Ipsi vero nuclei foris eleganter rubri, intus virides sint, ac prorsus recentes, sapore dulci, subadstringente, non rancido, seu oleoso. Materialistæ magnas, dulciarii parvas amant, laboris in istis ad conficiendum conscindendis tædiosi. Omnes vero modice sicci asserventur, nisi illos mox rancidos fieri velimus. Maceratione in aqua calida rubra pellicula decedit, pistaciæque apparent colore herbeo. Ratione usus cum pineis prorsus conveniunt, quibuscum plerumque præscribuntur; oleum similiter modo supra dicto potest usurpari.

CAPUT XIX.

DE

ARECA, BALANO MYREPSICA, NUCIBUS LAMPERTIANIS ET CELLENSIBUS.

§. 1.

ARECA exoticæ cognominis arboris, *Pinang-Baum* aliàs etiam dictæ, fructus est, extrinsecus nuci moschatæ haud multum dissimilis, nisi quod non adeo rotundus, sed inferius depressus seu planus, superius acuminatus sit. Infra, ubi insidet, ex albo cinereus, supra fuscus est, intus vero purpureo-rubris & albis striis, saponis variegati adinstar, notatus; sapore pollet subadstringente, odore nullo. Aliàs quoque

FAUFEL

dicitur, ex Indiaque Orientali venit.

§. 2.

Arbor palmæ, præsertim majori, valde similis est, sicut istam *Garcias ab Horto Hist. Lib. 1. c. 25.* & *Georg. Meisterus im Ost-Indianischem Lust-Gärtner pag.* 71. descripserunt, & in *Museo Germanico* inter piperis figuras stitimus contemplandam, ubi piper album isti adhæret. Fructus sub foliis crescit, prope caudicem, in magnis longisque folliculis, quatuor spithamas longis, quibus flores fructusque suis petiolis adjacent, istis vero dehiscentibus fructus racematim apparet, in lanuginoso cortice quasi aureis fibrillis interstincto jacens, teste *Wormio* in *Mus. pag.* 199. Quamdiu vero nux in viridi putami-

ne repoſita eſt, multo exiſtit mollior, quam ſi exemta fuerit. Arbor, folliculi cum fructibus, ipſæque nuces in *Horto Malabar. Tom. 1. Tab. 5. 6. 7. 8.* ſub nomine Caunga perelegantèr deſcribuntur ac delineantur.

§. 3.

Secundum externam figuram variæ habentur ſpecies, quarum *Bauhinus in Pin. Lib. 12. ſ. 6.* tres, *Pometus* ſaltem duas, utpote ſemirotundam & longam pyramidalem adducunt, à *Theod. Tabernæmontano Lib. 3. de Herbis pag. 646.* cum & ſine exteriore putamine delineatas, oculisque ſubjectas.

§. 4.

Natura, qua pollet, exſiccante adſtringenteque ſtomachum confortat, hypercatharſes, diarrhœam, dyſenteriam & hæmoptyſin ſiſtit, dentes roborat, & hæmorrhagiæ gingivæ medetur. Quem in finem Indi iſtum fructum, cum foliis betel miſtum, quotidie mandunt. Spiritum quoque arecæ præparare norunt, ſpiritui frumenti noſtrati valde prope accedentem. Immaturus crudusque fructus inebriare dicitur, quem propterea Barbari, caſtigandi torquendique, comedunt, ut ne dolorum ſentiant vehementiam, ut ſupra memoratus *Wormius l. c.* ex aliis memorat.

§. 5.

Ad fructus nuciformes prorſus abſolvendos, ſequitur officinis vocata

BALANUS MYREPSICA (*Ben-Nüslein,*)

ſeu GLANS UNGUENTARIA; triangula nux eſt, nucis avellanæ magnitudine, ſub ligneſo cortice ſimiliter triangulum album nucleum continens, alba & ſpongioſa pellicula veſtitum, ſaporis valde oleoſi, amari & ſubacris. Ex India Ægyptoque fertur.

§. 6.

Hæc nucula ab arbore, Tamariſcum ſimilitudine æquante, proficiſcitur, ut è ramo in *Muſ. Germanico* delineato, apparet. Fructus vero in ſiliquis ſ. folliculis ſimul delineatis, & ab ramis propendentibus, & quidem, ut memoratum, trianguli creſcunt, ut fagi fructus, Græcis βάλανοι propterea, i. e. glandes vocati.

§. 7.

Duplices eſſe perhibentur, magnæ & parvæ, ut *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 418. memorat: quarum tamen illæ ſaltem ad nos veniunt, ſiquidem parvæ, piſa referentes, valde putantur nocivæ. Quo majores ponderoſioresque ſunt, eo cenſentur meliores, nucleo præſertim eleganter albo recenteque exiſtente, docente *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag.* 226. Non igitur video, quamobrem *Theod. Tabernæmontanus Lib. 3. de Herbis pag.* 644. inveteratas putet optimas, niſi quando ſolum oleum eſt exprimendum.

§. 8.

Calida virtute prædita ἔξω καὶ κάτω creduntur purgare, extrinſecus vero ſcabiem aliaque cutis vitia tollere, qua de re *Schræderus* aliique poſſunt videri. Potiſſimum vero ob oleum inde exprimendum deſiderantur, oleum de Been

OLEUM BALANINUM
(*Been-Nus-Oel*)

vocatum, & ſicut nuces ipſæ, ex Arabia, Æthiopia Indiaque per Italiam advectum, quippe quod diu durat, & non ad modum ceterorum oleorum expreſſorum rancidum fit aut fœtidum. Quod licet valdè emolliente ac reſolvente virtute polleat, propterèaque ad duros furunculos, nervorum artuumque dolores ſimilesque affectus pererediatur utile, ut in *Diſſenſ. Auguſt. Zvvelferi pag.* 328. docetur: plerumque tamen ad res fragrante odore imbuendas uſurpatur, dum præ aliis aptum idoneumque eſt, quo mediante oleum jaſmini aliaque olea è tuberoſis, flore aurantiorum & ſimilibus, alias ſub nomine eſſentiæ ab Italis divendi ſolita, per macerationem ſeu infuſionem præparentur, quoniam diu durat, nullumque alium ſaporem habet. Quoniam vero Circumforanei iſtius loco nudum & ſuper igne expreſſum oleum amygdalarum, aut etiam olivarum ſumunt, conſultius eſt, ut id ipſi præparemus, aut ab hominibus conſcientioſis bonisque emamus.

§. 9.

Ultimò etiam paucis nucum avellanarum faciemus mentionem, earum inprimis, quæ à Materialiſtis interdum venduntur, quarum *Schurzius* in *Mater. Muſeo pag.* 63. tres recenſet ſortes, nempe 1. NUCES PONTICAS, (*vvelſche Haſel-Nüſſe,*) ex Italia venientes, quæ craſſæ & magnæ ſunt, ac fere cordis habent figuram. 2. LAMPERTI NUCES (*Lamperts-* ſeu *Blut-Nüſſe,*) quæ oblongæ & intus circa nucleum ſanguinea pellicula cinguntur. Nominis ratio inde eſt deſumta, quod de ſententia vulgi circa Lamperti diem, ſeu paulo ante, aut poſt illum, luna creſcente plantatæ, multas magnasque proferre nuces credantur. 3. CELLENSES NUCES (*Zeller-Nüſſe,*) quæ Cella, prope Würtzburgum, è Franconiâ veniunt, & magnitudine, figura bonitateque Lampertianis nucibus accedunt, niſi quod loco rubræ pelliculæ ex albo flaventem habeant.

§. 10.

Quæ nuces non ſolum nutriunt & ad epidipnidas ſumuntur, ſed etiam loco amygdalarum aut cum iſtis ad emulſiones poſſunt adhiberi. Oleum quoque ex illis poſſet exprimi; quoniam vero communes ad id ſatis utiles ſunt, illæque non ſemper in copia ſuppetunt, non facile eum in finem adhibentur.

CAPUT

CAPUT XX.

DE

OLIVIS, OLEO OLIVARUM ET CAPPARIBUS.

§. 1.

OLIVÆ ex flavo virentes fructus sunt olivæ arboris, ovi columbini circiter magnitudine, sub lævi pellicula oleosaque pulpa valde durum asperumque nucleum continentes, saporis subamari & adstringentis acerbi. Ex Hispania Italiaque & Provincia Languedoc conditæ afferuntur.

§. 2.

Olivæ arboris diversæ sunt species, alia sylvestris, hortensis alia vocatur, hæcque iterum varia est. Quæ olivas profert, non adeo magna est, longa angustaque habet folia, flosculosque fert albos, & post hos ipsas olivas, principio prorsus virides, in Decembri, quando maturuerunt, rubicunde virides apparentes. Quo si pervenerunt perfectionis, ut ad condiendum sint idoneæ, (quod plerumque Junio Julioque contingit) leguntur, & ab rusticis in oppida seruntur divendendæ, à quibus ii istas emunt, qui istas condiunt. Quas qui condire volunt, aquæ recenti aliquamdiu infundunt, easque exemtas lixivio cinerum clavellatorum s. soude macerant, in quo debito quoque tempore si jacuerint, in vasa & doliola diversæ magnitudinis ponuntur, aqua salsa prorsus replenda, hinc mistam è caryophyllis, cinamomô, coriandro, fœniculo aliisque aromatis essentiam affundunt: in qua cum maxima posita ars sit, istam tanquam arcanum sibi servant, ut *Pometus* in *Hist. des Drogues pag.* 241. refert.

§. 3.

Conditarum olivarum, pro diversitate magnitudinis ac regionum, ubi creverunt, variæ veniunt species, seu, ut loquuntur, sortes, quarum tres potissimum notæ sunt: nempe 1. Hispanicæ ovi columbini magnitudine (cujus intuitu fortasse superbæ *Hoffmanno* in *Clav. Schræd. pag.* 527. dicuntur) pallidè virides, sapore amaro, propterea que non cuique gratæ. 2. Provinciales, Lucenses alias quoque vocatæ, mediocris magnitudinis. 3. Italicæ, quæ minimæ sunt, & interdum cappares referunt, sed sapore valde grato bonoque præditæ. Optimæ sunt adhuc recentes, duræ beneque conditæ, non nimis amaræ. Videndum vero, ne brodio s. embammate privatæ sint, quo deficiente molles nigræque evadunt, & pro bonis nequeunt divendi, id quod magnum Mercaturæ parere damnum potest, fructibus istis caris existentibus. Inter Provinciales Picholines dictæ plurimum æstimantur, quod nominis a certis quibusdam personis, quæ Picholini nominantur, olivasque optime condire norunt, accepere. Hæ plerumque viridiores dulcioresque sunt aliis, aliunde advectis.

§. 4.

Quod ad usum olivarum attinet, refrigerante & adstringente virtute pollent, ut iis existant utiles, quorum os aqua salivaque perpetuo repletur, quorumve stomachus ex fibrarum laxitate imbecillis est, quippe quibus adstringendis roborandisque appetitum excitant & nauseam tollunt. Quamobrem non maturæ solum, sed ante etiam, quam prorsus maturuerunt, condiuntur, quo eo magis adstringant. Hic locorum assaturis apponuntur. Simulac rancidæ fiunt, stomacho nocent quam prosunt magis, ut *Vielheurius* in *Descript. Exot. Mater. pag.* 131. non temerè admonet.

§. 5.

Similem operationem externè præstat

OLEUM OMPHACINUM

dictum, ex immaturis olivis expressum, pariter refrigerante & adstringente virtute præditum, ut *Schræderus* tradit. Qua occasione *Simon Paulli* in *Quadrip. Botanico pag.* 413. bene monet, ne juniores Practici succum, ex immaturis uvis expressum, inque officinis Omphacium dictum, cum oleo Omphacino confundant, unumque pro alio habeant aut præscribant.

§. 6.

Ex olivis verè maturis

OLEUM OLIVARUM (*gemein Baum-Oehl*)

exprimitur, id quod *Rajus* in *Hist. Plantar.* clarè & perspicuè descripsit. Hoc vero valdè diversum est, pro diversitate præparationis & locorum. Optimum est, quod sine mora ex maturis recentibusque olivis, in molis olearii ei rei adaptatis, exprimi dicitur, quod eleganter flavum, dulce fragransque existit, ac propterea ab *Hoffmanno l. c.* FLOS OLEI, it. oleum Virgineum, Jungfern-Oehl, à Materialistis verò à Laco di Garda oleum Gardzense, vulgò *Gartzer* - s. *Garten* - *Seer* - *Oehl* vocatur, ac pro pretiosissimo habetur, teste *Marxio* in *Mater. Mus. pag.* 148. Quoniam autem recentes olivæ perpaucum olei suppeditant, alii in porticu aliquamdiu istas exponunt, aut etiam torrent, quo plus accipiant: quod tamen prodit oleum, odore saporeque adversum est. Imo etiam calidam aquam affundunt, quo id melius exprimant. Atque hoc vulgare olivarum oleum est, quod, si Italicum est & Provinciale melius habetur, & Cardzensi oleo accedit

propius, quàm Hiſpanicum & Luſitanicum, quæ viliores conſtituunt ſortes, teſte *Pometo l. c.* Puiſenſe Hiſpanico, Sevillenſe Provinciali ſimile exiſtit. Omnia ſapore quam colore cognoſcuntur melius, quippe qui facile iſtis conciliatur, ut *Schurzius* in *Mat. Muſ. pag.* 65. refert: ubi etiam fuſius legimus, quemadmodum Pugliæ, Seviliæ, & præſertim Boceni, in tribus mercandis oleis dicatis nundinis, iisque oleariis dictis, oleum magna copiâ (*ins Groſſe* vulgò) emendum, in naves portandum iterumque eximendum ſit. Vulgus oleum olivarum viridiuſculum amat & pro optimo habet: quod præjudicium falſe ridebat Italus Aromatarius, Wormatii habitans, qui An. 1705. mihi ſanctè aſſeverabat, ſe expreſſioni olei hujus ſæpiſſimè interfuiſſe, quæ ita fieret: Olivas ſacco anguſto inſertas & ▽. calida perfuſas pedibus hinc inde circumvolvunt & conculcant, unde & in ſubjectam foſſam effluat, omninò flavum. Cum autem integer modius (*ein Simmern*) vix 3. libras olei ſic fundat, hinc reliquum in aheno cum aqua coquunt, ſic plus olei obtinent, quod ſupernatat & ab aheno cupreo colorem viridem acquirit, ſed non adeo laudabile, ut prius.

§. 7.

Uſus olei olivarum in culina & œconomiâ æque ac in officinis (in quibus fere nullum unguentum, emplaſtrum, aut ſimile ſine iſto poteſt præparari) tam prolixus eſt, ut hic recenſeri omnis nequeat. Valde temperatum eſt, interneque emollit & ſanat, qua de re *Schræderus* ejusque interptes *Ettmüllerus* agit pluribus.

§. 8.

Quoniam cappares fere inſtar olivarum aſſaturis apponuntur & ex iisdem veniunt regionibus, iſtorum hic quoque trademus hiſtoriam.

CAPPARES

non fructus ſunt, quæ nonnullorum eſt ſententia, ſed oculi ſeu immaturæ florum gemmæ cujusdam fruticis, (cujus figura à *Pometo* ſiſtitur contemplanda,) quæ conditæ in parvis doliolis ex Hiſpania, Italiaque & Gallia afferuntur.

§. 9.

Modum condiendi *Samuel Dale* in *Pharmacol. pag.* 430. ſequenti modo deſcribit: Recipiunt excretos perfectosque oculos ſ. gemmas, antequam flos dehiſcat, quos tres aut quatuor horas in umbra ſinunt jacere, quo ſubflaccidi fiant, non verò dehiſcant: poſtmodum in olla acetum affundunt, iſtamque tegunt, & octo dies ſtare permittunt, quibus elapſis, cappares exprimunt, novoque ac recenti aceto iſtos iterum octo dies macerant, id quod tertia vice repetendum. Tum cum recenti aceto doliolis induntur, in alias Regiones transmittendi.

§. 10.

Referente *Pometo l. c. pag.* 245. Exteri cappares mediantibus quibusdam cribris, diverſæ magnitudinis foraminibus inſtructis, in diverſas ſpecies diſtribuunt, in magnos nempe & parvos, ab uno tamen frutice ortos. Quo minores durioresque ſunt, eo habentur meliores, præſertim ſuis adhuc prædiți petiolis. Quamobrem Hiſpanici magni, caulibusque ſ. petiolis deſtituti, minoris æſtimantur, quam iſti, qui ex Italia Genua, Candia & Cypero veniunt, ſecundum *Schurzium* in *Mat. Muſ. pag.* 27. Alexandrini cum Hiſpanicis, Majorcenſes (qui tempore pacis omnium copioſiſſimè venduntur,) cum Italicis conveniunt. In Gallia plerumque Provincialibus utuntur.

§. 11.

Habentur etiam in officinis

CORTICES CAPPARUM,

è craſſis, cinereis, rugoſisque ac perforatis cortibus, de radice hujus fruticis deglubitis, & ritu cinamomi convolutis, conſtantes, ſaporis acris & ſubamari. Ex Alexandria, Ægypto & Apulia veniunt, teſte *Marxio l. c. pag.* 65.

§. 12.

Cappares magis in culina ad artocreata iſtorumque ſpecies uſurpantur, aſſaturisque apponuntur, ad excitandum appetitum commendati. Cortices vero in Medicina aliquem præſtant uſum, utpote aperiente, penetrante & ſubadſtringente virtute prædiți, propterea que ad affectus ſplenèticos laudati. Quem in finem etiam oleum capparum, ſimplex & compoſitum, Trochiſci de Capparibus, Extractum &c. in officinis aſſervantur, quorum deſcriptiones & qualitates in *Pharmac. Auguſtana Zvvelferi* aliisque poſſunt videri

CAPUT XXI.

DE

GALLIS, VISCO QUERNO ET AGARICO.

§. 1.

QUamvis noſtrates æque ac exteræ quercus, ſecundum omnes partes, multis uſibus, utpote exſtruendis ædibus, alendo igni & ſaginationi ſuum inſerviant, valdeque utiles ſint, iſtarumque lignum, cineres & fructus ad Medicinam ſumantur: præ aliis tamen videtur neceſſarium, ut iſtarum ſaltem rerum nunc maxime faciamus mentio-

mentionem, quas Materialiſtæ ad mercaturam trahunt, & è locis exteris curant afferri, inter quas notiſſimæ

GALLÆ, *Gallàpffel*

præcipuè deſcribendæ ſunt. Hæ verò nihil aliud ſunt, quam fructus excrementitius, inſtar verrucarum foliis quercus inſidens, & ex impuris humiditatibus, exinde exſudantibus, progeneratus. Rotundæ ſunt, majoris nucis mochatæ circiter magnitudine, foris aſperæ, inæqualibus tuberibus notatæ, intus ſpongioſæ & lignoſæ, aliquo foramine præditæ, ſaporis acerbi & valde adſtringentis. Partim è Turcia, partim è Gallia & Germania veniunt, iſtarumque mercatura eſt inſignis.

§. 2.

Variæ quidem gallarum ſunt ſpecies, utpote minores & magnæ, nigræ & albæ, læves ac tuberoſæ, ponderoſæ levesque, Sorianenſes, Aleppenſes, Smirnenſes, Tripolenſes & Puſienſes: ultra duas tamen nunquam fere venduntur, Turcicas ſcil. ſub quibus fere omnes exteræ continentur, & Puſienſes (*Puiſch-Gallus* vulgò) ut *Marxius* in *Mater. Muſ. pag.* 99. refert. Turcicæ Aleppo, Tripoli & Smirna veniunt: Materialiſtæ vero prudentiores ſarcinarum reſpiciunt habitudinem, dum Aleppenſes, quæ cenſentur optimæ, in oblongis rectisque ſarcinis, Smirnenſes & Tripolenſes (ſed viliores) in craſſis curtisque veniunt, panno, cui involvuntur, plerumque ſtriato exiſtente. Materialiſtæ deinde omnes miſcent, easque Gallas in Sortis vocant, quas qui emunt, videant, ne minimæ ac graviſſimæ ſint exemtæ. In Aquilia & Romana ſimiliter laudabiles creſcere gallæ dicuntur, Venetiis magna copia (*in groſſe*) vendi ſolitæ, ubi pondus quod netto vocant, 370. libras continet, vid. *Schurzius* in *Mat. Muſ. pag.* 36. Puiſienſes Gallæ (*Puiſch-Gallus*) tanquam viliſſimæ è Gallia & Germania veniunt: plerumque magnæ, læves, rubicundæ minusque ponderoſæ ſunt. Turcicæ contra inæquales ſunt, & quaſi aculeatæ (quas Galli propterea Galles à l'epinée vocant) ex nigro cœruleæ, parvæ, ſed valde ponderoſæ. Binæ nullum pulverem, nec alias impuritates de quercubus permiſtas habeant.

§. 3.

Hic etiam memorandum, certis quibusdam Turcicæ quercubus alium inſuper rubicundum, ſed irregularem, nec adeo rotundum fructum, Gallis haud multum diſſimilem, increſcere, Turcis

BAZGENDGE

dictum, & qua in *Muſ. Germ.* contemplandus ſiſtitur figura, inter Aleppenſes gallas ſæpe reperiundum. Hoc Turcæ crebrius utuntur, quo exinde additis coccionellis & ⊖ ℞i elegantem coccineum colorem præparent, de quo *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag.* 261. fuſius legendus.

§. 4.

Uſus gallarum unicuique innoteſcit, dum maxime ad res colore nigro imbuendas atramentumque ſcriptorium uſurpantur; quanquam ad multos alios præterea colores, utpote fuſcum, cæſium &c. ſumantur, ut è libris de præparatione colorum apparet. Turcicæ nigræque gallæ magis ad tingendos laneos pannos valent, Puiſienſes verò ad ſericas telas. In Medicina, ob vim adſtringentem, in diarrhœa & hæmorrhagiis proſunt, rarò tamen æque atque glandes harumque pileola (ſiquidem æquali virtute pollent) præſcribuntur.

§. 5.

VISCUS QUERNUS

verò, quercubus increſcens, crebrius in Medicina uſurpatur, qui forma fruticis è ramis quercûs progerminans, è parvis ſibi mutuo intortis ramuſculiis, iisdemque duris ac ponderoſis, foris ſubfuſcis, intus ex albo flaventibus, tanquam Sole ornatis, conſtans, oblongè rotunda, craſſa, pallide viridia & perpetua folia, parvasque albas baccas, magnitudine albicantium ribium, profert, mucilaginoſam humiditatem includentes; quæ omnia è figurâ in *Muſeo Muſ. Germ.* apparent.

§. 6.

Qui ramuſculi ſunt craſſiores, eò rariores melioresque habentur, ſi ponderoſi ſimul perfectique fuerint. Videndum verò, num genuinus quernus viſcus ſit? vero igitur in emtione juxta apponendus, & ex iſtô æſtimandus, cui ſi fruſtum quercus adhuc adhæreat, eo major habenda eſt fides. In Italiâ juxta Fulginium ſ. Fo. ligni, Romam inter & Lauretum, magna elegantiſſimi viſci dicitur inveniri copia, cujus *Pometus l. c.* meminit.

§. 7.

In hoc viſcô peculiaris quædam demulcens leniensque repoſita vis eſt, qua furentes ſpiritus vitales poſſunt demulceri, atque adeò ipſa epilepſia domari. Sed magna doſi à ſemidrachma ad totam ſumendus, novique Gieſſæ Empiricum, qui diuturnas & verè radicatas epilepſias iſto mediante curavit, præmiſſis tamen fortibus vomitoriis. Alii ad apoplexiam, pleuritidem, hæmorrhagiam & prolapſum uteri morbosque alios commendant. Equidem *Ettmullerus* in *Comment. Schræd. pag.* 638. viſco tiliaceo & corylino plus vult adſcribi: *Simon Paulli* tamen in *Quadrip. Botan. pag.* 548. è contrario quernum cæteris cenſet præferendum, quem etiam, tanquam amuletum, de collo ſuſpenſum ferre opem perhibent, quæ pluresque qualitates ab Italo in *Tract. de Ligno S. Crucis* fuſius deſcribuntur.

§. 8.

VISCUM AUCUPARIUM (*Vogel-Leym*)

aucupes noſtri è viſco querno præparant, dum baccas tamdiu in aqua coquunt, donec dehiſcant, poſtmodum in mortario contuſas tamdiu aqua fontana lavant, quoad furfures & feſtucæ

festucæ prorsus separentur, ut *Sam. Dale pag.* 433. *Pharm.* refert. Ejusmodi viscum Ægyptii è Sebesten parant, quibusdam viscum Alexandrinum vocatum, cujus *Pometus l. c. pag.* 212. meminit. Optimus est, qui viridiusculus, minime aquosus, nec fœtidus apparet. Diu in cellis potest asservari, modò recens semper affundatur aqua. Usus notus est, externeque in Medicina ad emolliendum potest usurpari.

§. 9.

Tandem quercubus etiam increscit spongia, quam nonnulli, utpote *Pometus*, AGARICUM QUERCUS vocant, sine dubio, quod eadem ratione atque verus agaricus nascitur. Quùm verò in Medicina nec usitatus sit, nec ad fomiten. aptus, istius loco nunc verum contemplabimur

AGARICUM,

caudici laricis (abieti quadantenus similis) in Oriente æque atque Teriolo & in sylva Hercynia innatum, è rotundis, sed salebrosis & angulosis spongiis, pugni fere crassitie, constantem. Extrinsecus cortice rubicunde cæsio cingitur, sub quo prorsus alba, valde levis ac friabilis medulla, multis fibris prædita, continetur, saporem principio subdulcem, ultimo amarum, subacrem & adstringentem, sed nauseosum emittens, ut *Marxius* in *Mat. Mus. pag.* 16. præ aliis observavit. E Batavia Italiaque venit.

§. 10.

Quæ spongia non tam cito, atque aliæ, crescit, sed totum requirit annum, donec debitam acquirat magnitudinem. Hinc de arboris cortice deglubitur, si quando siccari rimasque accipere incipit. Postmodum omnium primo exterior pellicula subtiliter beneque separanda, alteraque vice præcidenda. Quo facto, Soli exponitur, duas tresve hebdomades, pro diversitate temporis, dealbandus; porro ligneis malleis, aut fustibus vapulat, teritur ac pulsatur, ne aliquæ in istis appareant incisiones. Interdum amylo aut subtiliter trito agarico externe affricatur, id quod tamen multis videtur suspectum.

§. 11.

Quidam Doctorum duplicem esse existimant, marem & fœminam. Ille ponderosus, flavus & lignosus est, & ob malignitatem minus usitatus: posterior vero à Materialistis pro diversitate præparationis distinguitur. *Schurtzius* in *Mater. Mus. pag.* 11. duas aut tres constituit sortes, nempe agaricum Mesanum, eumque vilem, & Finum. Rasuram agarici seu segmenta, altera vice decisa, Pharmacopolæ libenter emunt, quod & vilia sunt, & ad agaricum trochiscatum, de istorum sententia, satis bona. Francofurti & alibi Materialistæ agaricum crudum, agaricum albissimum seu finum & rasuram agarici habent. Optimus levis sit, tener & amarus, secundum regulam:

Res frangi præstò pretiosus Agaricus esto,
Candidus & splendens, bonus in libra leve pendens.

Ceterum sicco loco asservetur, & quando vermiculi in eo observantur, scopulis setaceis depurgetur. Multos alias annos incorruptus manet, modo probe asservetur.

§. 12.

È ventriculo, intestinis, nervis partibusque aliis omnes lentas ac pituitosas humiditates expurgat, lumbricos necat, mensesque promovet, ut *Wormius* in *Mus. pag.* 138. fusius docet. Quoniam verò paulum incommodè operatur, torminaque excitat, Pharmacopolæ istum Zingibere sumunt corrigendum, inque trochiscos redigunt, qui AGARICUS TROCHISCATUS vocantur. Exinde etiam cum spiritu vini præparatur extractum, cujus ℥v. vel ℥viij. ex libra una possunt haberi, ex observatione *Vielheurii* in *Descript. Exot. Mat. pag.* 65. Rasura agarici tinctoribus inservit. De cæteris virtutibus agit *Bellonius* in *Tract. peculiari de Agarico.*

CAPUT XXII.

DE

MYROBALANIS.

§. 1.

QUanquam apud Materialistas & Pharmacopolas quintuplices inveniantur Myrobalani, scilicet Citrinæ, Chebulæ, Bellericæ, Emblicæ, Indæ, juxta Distichon vulgatum:

Myrobalanorum Species sunt quinque bonorum
Cittinus, Chebulus, Bellericus, Emblicus, Indus.

Cordus, antiquus scriptor, tamen affirmat, fructuum istorum tantum tres ab invicem distinctos crescere, cum niger, flavus & fuscus ab una proficiscantur arbore, &, prout nunc citius nunc tardius decerpuntur, maturiores aut immaturiores sunt, parvi nunc, aut magni, nigri aut flavi appareant. *Garzias ab Horto* contra affirmat prædictas quinque species prorsus esse distinctas, cum istarum arbores

sexaginta

ſexaginta aut centum milliaribus inter ſe abſint: Quocum plurimi Doctorum faciunt, adeo, ut *Jacobus Bontius* ſextam adhuc memoret, in rotundam & ſine ſtriis creſcere creditam. Apud nos etiam quædam habetur ſpecies minorum, flaveſcentium & rubore aſperſorum prunorum, quæ myrobalanos ſ. *mirabelles* Francofurti vocant: quæ tamen cum alium quam myrobalani effectum exerant, prædictas ſaltem quinque ſpecies ordine perluſtrabimus, omnes ex India locis, Bengala, Goa &c. allatis, *Marxio*, *Schurtzio* aliisque teſtibus.

§. 2.

MYROBALANI CITRINÆ,
(*gelbe Myrobalanen*,)

oblonge rotundæ ſunt, ponderoſæ & perfectæ, foris profundis ſulcis notatæ & flaventes, intus ſub cute carnoſa durum includentes nucleum. A Batavis & Luſitanis plerumque ſiccæ, interdum etiam ſaccharo conditæ, ac doliolis inditæ ex India feruntur. Quæ ſi decenter magnæ, ponderoſæ, non facile friabiles, foris rubicunde flaventes, inque certas partes diſtributæ fuerint, bonæ cenſentur, videndumque, ut ne fuſcis & cineraceis permiſtæ ſint.

§. 3.

MYROBALANI CHEBULÆ,
(*groſſe ſchwartz-braune Myrobalanen*,)

duplicem priorum habent longitudinem, foris obſcure fuſcæ, ponderoſæ & paulum rugoſæ, longum & foraminoſum includentes oſſiculum. In Bengala arbori Sylveſtri increſcunt, magnitudine malum æquanti, cujus figura in *Muſ. Germ.* ſiſtitur videnda. Optimæ magnæ ſunt, graves & perfectæ; quò pauciores habent rugas, eò habentur meliores, præſertim ſi fuſcæ magis quam nigræ, & quaſi reſinoſæ intus videntur, ſapore adſtringentes & ſubamaræ deprehenduntur.

§. 4.

MYROBALANI BELLERICÆ,
(*Belleriſche Myrobalanen*,)

rotundi, interdum etiam anguloſi fructus ſunt, foris ex flammeo fuſci, intus flaventes, duro nucleo prædıti, acriuſculum & ſubadſtringentem habentes ſaporem, quorum arbor folia profert lauriformia. Perfecti, bene creti & adhuc recentes ſint, quoniam ad cariem propendent.

§. 5.

MYROBALANI EMBLICÆ,
(*Aſch-farbichte Myrobalanen*,)

è parvis cineraceis ſegmentis, foris prorſus criſpis, inſtar corii granulati Indorum, Segrein dicti, apparentibus, conſtant, iisdemque ſatis acido ſapore prædıtis. Magnis arboribus innaſcuntur, longa & rotunde inciſa folia habentibus, in quibus myrobalani magnitudine gallarum, rotundæ lævesque inveniuntur. Quoniam maturitatis tempore ſponte ſua in quatuor vel ſex partes diſcedunt ſeu dehiſcunt, id quod *Theod. Tabernæmontanus L. 3. pag.* 641. pereleganter oſtendit, plerumque parvis contractis partibus ſine nucleo afferuntur, quas tamen pulpoſas, ponderoſas & magnas, nullisque quisquiliis fœdatas eſſe oportet, ſi bonæ volunt haberi.

§. 6.

MYROBALANI INDÆ,
(*Indianiſche ſ. ſchwartze Myrobalanen*,)

adhuc reſtant, è parvis & oblongè rotundis conſtantes fructibus, dactyli circiter magnitudine, iisdemque externè nigris & rugoſis, intus vero lævibus, ex nigredine ſplendentibus, inſtar ebeni, cavitatem nucleo deſtitutam habentibus: quo ipſo ab aliis facile diſtinguuntur, quanquam ſapore acidiuſculo & adſtringente reliquis valde prope accedant. In India Orientali, unde nomen habent, in magna arbore creſcunt, cujus folia ſalicem referunt, cujusque figura una cum reliquis, in *Muſ. Germ.* ſiſtitur inciſa. Craſſæ & perfectæ, verè nigræ, ponderoſæ, probeque ſiccatæ, ſapore acidæ & adſtringentes ſunt optimæ.

§. 7.

Quod ad vires uſumque horum fructuum attinet, purgantibus plerumque annumerantur remediis, ita quidem, ut citrinas myrobalanos bilem; Indas melancholiam; Emblicas & Bellericas pituitam expurgare credant, ut apud *Schræderum* aliosque videre eſt. Alii contra obſtruentem illis virtutem tribuunt, adeo, ut *Marxius* in *Mat. Muſ. pag.* 117. perſpicuè ſcribat, iſtas inſtar gallarum obſtruente pollere virtute, quæ ex ſapore acerbo acidoque poſſit probari. Quam litem *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 750. ita ſumit componendam, ut ſtatuat Myrobalanos quidem ratione mucilaginoſæ pulpæ quodammodo emollire poſſe & laxare, per noctem maceratas, parumque coctas, præſertim quadantenus reſinoſas, quales ſunt Chebulæ: iſtas vero per ſe in ſubſtantia, aut nimis excoctas, magis adſtringere & obſtruere. Interea uno omnes ore confitentur, lente iſtas laxare, ſimulque paulum adſtringere. Quod cauſæ eſt, quamobrem ſaltem in diarrhœa & dyſenteria, tanquam rhabarbarum, aut ubi à fermentante ebullienteque bile calor volatilis exortus fuit, præſcribantur, ad quem ſuo acido ſedandum valent. Hinc *Sennertus*, *Mynſichtius* aliique ſyrupos exinde coqui curarunt, in ejusmodi caſibus præſcribi ſolitos. Indi quoque Myrobalanos Emblicas, ut nos hic locorum Sumach, ad tingendum corium dicuntur uſurpare.

CAPUT XXIII.

DE

CASSIA FISTULA.

§. 1.

CASSIA FISTULA ex oblonge rotundis & cylindraceis ſiliquis, diverſa magnitudine, conſtat, foris nigro duroque ac lignoſo cortice præditis, intus nigricante, ſubacri, ſed tamen dulci pulpa, in diverſis loculamentis diſpoſita, in quibus etiam nitidum ſemen, inſtar cordis depreſſi formatum, jacet reconditum. Partim ex Orientali, partim ex Occidentali India venit.

§. 2.

Orientalis caſſia iterum duplex eſt, dum una ſpecies è Cambaja, Cananor aliisque Indiæ locis, altera ex Ægypto venit. Illa ſimpliciter CASSIA ORIENTALIS ſ. Levantica vocata, multo majores craſſioresque ſiliquas habet, quam alia, (quarum minimæ pedis longitudinem æquant, ut ex magna figura ænea apparet,) quæ ſimul ponderoſæ totæque ſint, non vacillantes. Pulpam quoque ſaccharinæ dulcedinis contineant, ſapore nec acidam nec mucidam apparentem. Æſtate in cellis locisque frigidis, ne exſiccentur, hyeme vero in fornice aſſervantur, quæ ſi muceſcunt, probe abſtergendæ, parumque, ſed non nimis, oleo olivarum fricandæ, ut *Schurzius* in *Mater. Muſ. pag.* 27. docet. Alia ſpecies Orientalis, quæ ex Ægypto per Alexandriam venit, ac propterea CASSIA ÆGYPTIACA vocatur, multo tenuiores, anguſtioresque ac tenériores habet ſiliquas, ceteris qualitatibus priori ſimiles. Binæ in valdè proceris arboribus creſcunt, quæ à *Wormio in Muſ. pag.* 194. ex aliis aliquo modo deſcriptæ, & à Pariſienſi Materialiſta *Pometo* per figuram, in ejus *Hiſt. des Drogues pag.* 217. expreſſam, oculis ſubjectæ, elegantius verò in *Horto Malab. Part. I. Tab. XXII.* delineata ſunt, *vid.* TAB. hic appoſitam.

§. 3.

Non minus Occidentalis Caſſiæ duæ habentur ſpecies, quarum una è Braſilia, altera ex Antillis Inſulis affertur. CASSIA BRASILIENSIS è valde magnis, longis, craſſisque fiſtulis, aliquot fere pedes longis, pugnumque craſſis conſtat, qualem prædictus *Pometus* apud *Dn. Tournefort* (qui haud ita pridem ſola adductus curioſitate ipſe in Orientem profectus eſt) ſe vidiſſe teſtatur. Quæ caſſia quum ejusmodi vim purgantem non habere credatur, ut *Thomas Bartholinus* ſuo tempore è Batavia ad *D. Wormium Ep.* 3. *cent. I. pag.* 8. ſcripſit, ac *D. Ettmüllerus* contra *D. Schræderum* notavit: hinc rarò aut nunquam à Materialiſtis venditur, quin potius CASSIA INSULARUM ad mercandum trahitur, utpote forma, figura, colore cæterisque qualitatibus Orientali fere accedens, quæ quo propior iſti eſt, eo habetur melior, vid. *Pometum l. c.* Interea videndum, ut puræ, non defœdatæ ſint, dum à claſſiariis ſæpe in naves abjiciuntur, & quod gratis poſſunt haberi, nihilo æſtimantur. Siquidem caſſiæ arbores in Antillis Inſulis tanta creſcere copia dicuntur, ut fiſtulæ vento inter ſe colliſæ, pro diverſitate iſtarum, & prout plus minusque cavernoſæ ſunt, tantum excitent ſibilum ſtrepitumque, ac ſi mille anates anſeresque garrirent, ut *Wormius* refert in *Muſ. pag.* 194. In iſtis igitur colligendis præter laborem nihil impendendum, quippe quibus tanquam cum lapidibus, naves ſæpe aggravantur, aliaque merces cuſtodiuntur & interponuntur.

§. 4.

Quod ad uſum caſſiæ fiſtulæ attinet, corpus à ſuperflua bile aliisque acribus fluidis humiditatibus liberare ſolet, id quod de interiore pulpa ſaltem intelligendum, non vero de lignoſo cortice ac ſemine, magis quippe obſtruentibus, ex obſervatione *Boyle de Orig. Form. pag.* 199. Interiora tamen rotunda fruſtula, fiſtularum loculamenta parietis intergerini ad inſtar diſtinguentia, pulpæ modo ſimul purgare creduntur, id quod in ſimia iſta deglutiente obſervatum fuit, quod *D. Pechlinus* Holſatiæ Ducis Archiater in eleganti *de Purgantibus Libro pag.* 216. adduxit. Quùm verò hoc medicamentum fermentando operationem exerat, atque adeò flatus excitet, non omnes, utpote ſplenetici, ſcorbutici ac ſuffocationi uterinæ obnoxiæ id perferre queunt, in quibus commota veteri ſaburra plus inducere damni poſſet, quam commodi. Ex quo fundamento temerè caſſia purgans febricitantibus datur, quippe in quibus jamdum ebullitiones metuendæ ſunt.

§. 5.

Quùm verò, ut ſupra memoratum, iſtum in finem interior ſaltem adhiberi pulpa poſſit, eo iſta in officinis modo extrahitur, quem *Schræderus in Pharm. L. IV. Claſſ.* 3. deſcripſit, atque tum

FLOS CASSIÆ

vocatur: quæ tamen recens ſemper extracta ſit, quippe non diu durabilis, ſed facile aceſcens, eamque tum acquirens acredinem, quæ interne ſtomachum ac inteſtina facile arrodat: Id quod *Quercetanum* commovit, ut caſſiam, tanquam medium corroſivum prorſus rejecerit.


Cassia Fistula
D



rit. Et quanquam nonnulli Pharmacopolæ Pulpam ſaccharo coctam diutius conſervare ſperent, malum tamen intenditur, dum loco laxantis remedii ægri inutile electuarium tectumque ſaccharo venenum ingerunt, ut *Pometus l. c. pag.* 219. bene monuit.

§. 6.

Hodie caſſia plerumque externe in clyſteribus uſurpatur, dum è medulla, ſimulque ex aliis emollientibus laxantibusque herbis, melle certum in officinis præparatur electuarium,

CASSIA PRO CLYSTERIBUS EXTRACTA

vocatum, cujus aliquot unciæ clyſteribus permiſcentur. Præterea aliquot etiam interna habentur electuaria v. g. Elect. diacaſſ. cum manna, caſſia extracta cum & ſine foliis ſennæ &c. de quibus *Schræderus l. c.* videndus.

§. 7.

Ægyptii etiam virentes adhuc & immaturas caſſiæ fiſtulas ſaccharo condire, Venetiasque transferre ſolent, ut *Theod. Tabernæmontanus* jamdum *L.* 3. *pag.* 474. memoravit. Recentes adhuc ſint, non acidæ aut mucidæ, atque brodio ſ. ſyrupo debitæ conſiſtentiæ adhuc impoſitæ. Ab hominibus præcipuis ad apertam ſervandam alvum conquiruntur ac uſurpantur.

§. 8.

Tandem obſervandum, cortices fiſtularum contuſos & aquæ impoſitos, crinium, ſi iſta ſæpe pectinantur, promovere proventum, ut *Monardus*, ex iſtoque *Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Mater. pag.* 88. obſervavit.

CAPUT XXIV.

DE

TAMARINDIS ET COLOCYNTHIDE.

§. 1.

TAMARINDI, (*ſauere Datteln,*) ut ad nos feruntur, nihil aliud ſunt, quam interior fructus arborei pulpa, multis pelliculis, nucleis ac filamentis permiſta, foris ex fuſco nigricans, ſaporis grati acidiuſculi, ſed tamen ſubacris. Natale eorum ſolum eſt Africa, præcipue verò Regio Senegal. Interim & ex India Orientali veniunt, ex Inſula Madagaſcar & Ceilon; quamvis in India Occidentali etiam inveniantur, vid. *Hernandezii Rerum Med. Nov. Hiſp. Theſaurus L.* 3. *cap.* 50. Primam tamen Tamarindorum notitiam Arabibus debemus, cum antiquis Græcis, etiam iis, qui poſt *Galenum* floruerunt, id nominis incognitum fuerit. Primi igitur illorum mentionem fecerunt *Serapion*, *Avicenna* & *Meſue*, quorum hic, ſed præter rationem, fructum hunc palmæ ſylveſtris eſſe ſtatuit. *vid. obſ. Acad. Reg. Scient. pag.* 126.

§. 2.

Arborem, à nemine hactenus ſolide deſcriptam, αὐτόπτης nobis communicavit *Dn. Tournefort* lib. modò citato, verbis ibi: cùm anno 1689. denuò in Hiſpaniam profectus eſſem, tamarindum arborem non ſine jucunditate vidi Granatæ, in unò hortorum Alhambræ, celeberrimi iſtius palatii, à Mauris quondam omnibus iis, quæcunque modò uſui & deliciis vitæ inſervire poſſunt, affatim exornati atque inſtructi. Aſſerunt auctores plurimi fructus iſtos per totam Africam, atque etiam in Indiis Orientalibus à peregrinantibus ſecum vehi, ad fallendam ſitim in maximò Solis æſtu, ſaccharo etiam conditi, ut palato gratiores evadant & longius ætatem ferant. Tamarindus autem arbor eſt magnitudine & craſſitie nucem juglandem exæquans, ramorum extenſione etiam ſuperans. Radix in multos dividitur ramos, admodum latè excurrentes multâque comâ ſtipatos & cortice ſubruſſo, ſtiptico & aliquantum, me Judice, amaro tectos. Truncus ejus pulchrè in altum porrectus eſt, tantæque craſſitiei, ut vix amplexu duorum hominum includi poſſit. Cortex ejus denſiſſimus, fuſcus & fiſſuris refertus, lignum durum, colore fere ſpadiceo. Rami ejus undique regulariter ſatis extenduntur & dividuntur in ramuſculos alternatim poſitos, quos liber tenuis ex viridi fuſcus circumdat & folia plurima denſa alternatim & ipſa poſita ſtipant. Unumquodque folium conſtat è 9. aut 10. ad 15. paribus foliorum parvorum, inhærentibus pediculis 4. vel 5. digitos longis, quorum extremitatibus conſtanter 2. inhærent foliola, quanquam unicum tantum exhibeant figuræ *Proſperi Albini* & *Horti Malabarici*. Longitudo horum foliorum 8. ad 9. lineas habet, latitudo 3. aut 4. Apices eorum obtuſi, ſunt & baſi multo rotundiores. Folia tenera ſunt & acidula inſtar turionum vitis, jucundo aſpectu, lætè virentiâ infernâ parte & circa marginem leviter hirſuta, excurrente ſecundum eorum longitudinem exiguâ venâ, cujus ramuli tenerrimi ſunt: de die ſeparatim propendent, ad morem acaciæ noſtratis, noctu verò invicem ſibi applicantur. Flores in alis & extremitate ramorum noveni aut deni conjunctim naſcuntur, diſpoſitique ſunt per faſciculos ſemipedem circiter longos. Odore ferè carent & ſinguli pediculo 4. aut 5. lineas longo appendent. Tripetali ſunt, colore roſeo & ſtriis ſanguineis diſtincti. Fructus nihil aliud eſt, quàm piſtillum floris à

ſucco nutritio ampliatum & inflatum, primò viridis, ſed ubi profectè maturuit ſubruſſus, longitudine circiter 4. dig. latitudine unum digitum exæquans. Exhibet autem ſiliquam geminatam, quarum altera alteri includitur. Nigricans eſt viſcoſa & acris adeò, ut dentes ſtupore afficiat. Semina 3. vel 4. ſiliquæ includuntur, quæ dura & plana ſunt, craſſitie 2. circiter linearum, longitudine 4. aut 5. linearum, figuræ irregularis. Pulpa tantum eorum ſeminibus permixta apud Sepaſiarios venditur, ab Arabibus & Africæ incolis mundata, i. e. ab exteriori ſiliqua ſeparata & in maſſam talem redacta; plura sis, vid. *cit. loc.*

§. 3.

Fructus maturos factos incolæ colligunt, inque Sole paulum ſiccari curant, antequam alia in loca iſtos transmittant. Sibi inſtrati ritu meſpilorum noſtratium fracidi fiunt, ut adeoque foliis ficus involuti in forum velint portari, teſte *Meiſtero im Oſt-Indianiſchem Luſt-Gärtner pag.* 94. Non in integris ſiliquis ad nos veniunt, ſed utplurimum conquaſſati, contuſi, in dolia coacti, cum caulibus, nucleis ac pulpa. Duûm generum tamarindos accipimus, ſubfuſcos, multis caulibus parvisque nucleis miſtos: deinde prorſus nigros, paucos caules, ſed multos continentes nucleos. Qui poſteriores multo prioribus acidiores ſunt, ut *Marxius* in *Mat. Muſ.* obſervavit. In Senega Æthiopes iſtos in placentas redigunt, caulibus nucleisque ante exemtis, qui tamen non aſſeruntur.

§. 4.

Ex omnibus ii cenſentur optimi, qui prorſus nigri, nucleis, parvisque ac longis filamentis pertexti & pellucidi ſunt, quive pauxillo derafo quaſi ſubpingues apparent, uti *Schurzius* in *Mater. Muſ. Germanico pag.* 106. oſtendit. Videndum vero, ne nimis humidi, ac fortaſſe in cellis aſſervati fuerint, id quod partim ex odore, partim nucleis, tum quaſi inflatis, dignoſcitur. Multo minus probandi ſyrupo, melle & aceto affricti & adulterati, quem dolum *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag.* 220. detexit.

§. 5.

Virtute ſua, qua pollent, refrigerant, alvumque juxta aperiunt. Quæ cauſa eſt, quamobrem Arabes non immaturas ſolum ſiliquas decerptas ſaccharo condiant, ſecumque profecturi ſumant, quibus & ſitim reſtinguant & à ſcorbuto ſe defendant, teſte *Wormio* in *Muſ. pag.* 215. ſed Javani quoque valde gratum limonatum exinde conficiunt, Zythi loco uſurpandum, cujus compoſitionem *Bontius Hiſt. Ind. Or. Lib. VI. cap. 4.* & *Vidbeurius* in *Deſcript. Exot. Mat. pag.* 162. communicant. Hic locorum ſaltem laxandi gratia uſurpantur, maximeque iis in caſibus commendantur, ſi quando à ſuperflua aut fermentante bile calor, à vulgo plerumque calido hepati adſcriptus, oritur, aut in febribus erraticis ac calidis alvus eſt adſtricta: quo in caſu tamarindi vel foli, vel cum paſſulis minoribus potui imponuntur, aut ex iſtis decoctum præparatur, qua de re *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd.* agit fuſius. Quod ſi verò ægro electuarium arrideat, vel pulpa tamarindorum poterit uſurpari, aut Electuarium de Tamarind. c. fol. ſennæ.

§. 6.

Ita leniter tamarindi operantur; fortius autem & majori cum impetu purgant

COLOCYNTHIDES,

quæ craſſi & rotundi fructus ſunt, pugni magnitudine, ſub alba coriacea cute valde levem ſpongioſam medullam, & parvos planos nucleos, inſtar ſeminis cucumerum, includentes, ſapore præditi vehementer amaro, nauſeoſo ac deteſtando. Ex Oriente, præſertim Alexandtia ex Ægypto, per Maſſiliam aliaque loca maritima, in Europam veniunt, ab exteriore ex viridi flavente cortice prius purgatæ. Ab nonnullis etiam *poma Paridis* vocantur, quæ tamen cum baccis herbæ Paridis confundenda non ſunt.

§. 7.

Herba colocynthis ſylveſtris cucurbitæ eſt ſpecies, rotundis aſperisque viribus ſuis ſuper terram mobilis. Folia aſpera ſunt, cineracea ſeu cæſia, circumcirca inciſa. Pallidè flaventes fert flores, eosque non adeo magnos, & poſt illos rotundum fructum, principio virentem, poſt citrinum, ſero & tandem auctumno matureſcentem. Quamobrem in Europa nunquam perfectionem adipiſcitur, quanquam planta in hortis noſtris poſſit coli, teſte *Marxio l. c. p.* 52.

§. 8.

Hæ colocynthides pomis adhuc integris veniant neceſſe eſt, ſi bonæ velint haberi; paucos nucleos habeant, magnæ etiam ſint, elegantes candidæ, ſpongioſæ ac pulpoſæ. Quo majores, candidiores levioresque ſunt, eo habentur meliores, docente *Schurzio l. c. p.* 224. qui omnibus Materialiſtis, colocynthides magna copia coëmentibus, auctor eſt, ut iſtas à Commiſſariis ſuis, & quibuscum per literas communicant, bene convaſari diſponique curent, quùm aliás è centenis vix quadraginta bonas electasque colocynthides, ſed nucleos corticesque reperturi ſint, nequiequam profuturos, propterea que abjiciendos.

§. 9.

Quod ad vires iſtarum attinet, non temere unum omnium vegetabilium fortiſſimum cenſentur purgans, quæ, quod craſſa ſua reſina (cui iſta ineſt qualitas) inteſtinorum parietibus adhærent, horrendaque tormina inducunt, à pleriſque Medicorum raro præſcribuntur, aut nunquam. Quùm verò certum ac minime diffiten-

dum

dum ſit, quod omnem tenacem pituitam, profunde artubus impactam, infeſtent & expurgent, Cordatiores Medici, ac inprimis antiquus Danorum Practicus, *D. Sim. Paulli*, in *Quadr. Bot. pag.* 323. exiſtimant, iſtas in inveteratis pertinacibusque morbis, utpote diuturna cephalalgia, vertigine, epilepſia, anhelatione, artuum doloribus ſimilibusque optime poſſe uſurpari; quemadmodum etiam *Helmontius*, purgantibus aliàs infenſus, colocynthides quibusdam in locis ad affectus chronicos valde commendat, confirmatque ſe uſu colocynthidum, bene prius correctarum, citius certiusque curare velle luem ♀eam, quam decoctis lignorum, dum colocynthides una die plus exſiccando faciunt, quam decoctum ſarſaparillæ aut lignorum tribus hebdomatibus, de quo *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 740. pluribus poteſt legi, qui ☉ia urinoſa, inprimis ☉ ☿i pro verò certiſſimoque colocynthidum corrigente habet, de cujus certitudine aliàs *Hoffmannus* in *Clav. Schræder.* fere dubitat.

§. 10.

In officinis præter ipſum fructum tria exinde præparata inveniuntur medicamenta, 1. Extractum, cujus ℥j. ℥ß. ex libra colocynthidum poteſt acquiri, ex ſuppuratione *Vielheurii* in *Deſcript. Exot. Mat. pag.* 96. 2. Oleum diacolocynth. Quercet. quod cum aloe ac felle bovis permiſtum, & infantum umbilico inunctum, lumbricos necat & expellit. 3. Trochiſci Alhandal (à voce Arabica Handal, colocynthidem ſignificante) vehementer purgantes, ac propterea ad aliquot grana purgantibus loco ſtimuli addendi. Ubi Pharmacopolas volo admonitos, ut probe videant, ne pyxis, in qua hi trochiſci aſſervantur, pro pyxide trochiſcos alkekengi continente, quippe cui in officinis ad latus poſita eſt, ſumatur, præſertim vocibus omnibus literis non exſcriptis: id quod haud ita pridem hic Giſſæ, cum in cuſtodiis detento Monetario ℥j. trochiſcorum alkekengi præſcriberem, & verò Myropolæ famulus tantum trochiſc. alhandal ſumeret, non ſine vitæ periculo ægrotantis factum. Ultimò in Gallia ex amaris nucleis confectionem vexantem præparant, iſtis ſcilicet ſaccharo obductis, aliique confectioni miſtis, vid. *Pometus l. c.*

CAPUT XXV.

DE

SEMINE RICINI, GRANIS TIGLII, SEMINE NIGRO RICINI AMERICANI MAJORIS ET FABIS D. THOMÆ.

§. 1.

SEMEN RICINI (*Zecken-Körner*) ſunt oblonga, & ovalis figuræ, ſed quodammodo compreſſa grana, fabis paulo majora, ſub cinereaceo nigriſque ſtriis eleganter pertexto cortice album, oleoſum & è duabus partibus compoſitum nucleum, adverſo, ſubdulci, ſed acri ſapore præditum, continentia: ita vocata, quod externa figurâ inſectis hujus nominis ſunt ſimilia.

§. 2.

Vegetabile, cui innaſcuntur, Ricinus, Germanicè *der Wunder-Baum*, palma Chriſti aliàs etiam vocatur. Exoticum quidem eſt, in noſtris tamen hortis è nucleis colitur. Rotunda lata folia habet, quæ inter rotundus, cavatus, rubicundus, altus tenerque caulis progerminat, cujus folia in alto poſita, eaque circumcirca profundè inciſa, maxima latiſſimaque fiunt. Surculis ſeu ſtolonibus racemoſæ aculeatæque clavæ innaſcuntur, in quibus duplex flos apparet, flavus ac ruber. Ille infra progerminat, ac ſine fructu decidit: iſte floribus croci ſimilis eſt, cui anguloſa grana triangularia ſuccedunt, è quibus maturis factis, ſemen ricini excidit, parvum magnumque reperiundum.

§. 3.

Quæ grana virtute vehementer purgante tenacem pituitam, bilem, aliasque impuritates ἄνω καὶ κάτω expurgant. Quum verò in magna doſi ad 8. aut 15. ſint ſumenda, vehementerque purgent, fere nunquam uſurpantur, præſertim, poſtquam Granatilli & ſemina ricini Americani purgantia innotuerunt, quorum dimidia pars ad purgationem ſufficientem valet. Ægyptii oleum exinde exprimunt, ſuſtinendæ lampadum flammæ, imo & cibis idoneum, vid. *Theod. Tabernæmont. L. II. pag.* 481. & *Olearius in der Perſianiſchen Reis-Beſchreibung pag.* 566.

§. 4.

Quod ad memorata

GRANA TIGLIA

attinet, è parvis, piſi magnitudine præditis granis, ſed oblongè rotundis, principio ex flavo albicantibus, ſed matureſcendo ex nigro cineraceis, adverſum & peracrem ſaporem habentibus, conſtant. Ex India Occidentali veniunt, & à Circumforaneis utplurimùm Italicæ pilulæ vocantur.

§. 5.

Quæ grana ab eodem ricino arboreſcente

dicuntur proficiſci, de quo purgans Pavanum lignum, cujus alibi meminimus, deſumitur; quanquam *Part. 2. Hort. Malabar. figur. 33.* alia delineetur planta, quæ exceptis floribus cum *Dn. Breynii* figura *cent. I. Exot. c. 54.* multum convenit. In folliculo tricapſulari creſcunt, & quoniam figura externa nucibus pineis haud diſſimilia ſunt, atque germen à quibusdam Pinus Indica vocatur, Galli iſta Pignons d'Inde ſ pineas Indicas nominant, quamvis longe diverſam naturam vimque habeant.

§. 6.

Recentia ac ponderoſa ſint, nullis corticum fruſtis ac quisquiliis permiſta. Videndum etiam, ne ſemen palmæ Chriſti permiſtum habeant, id quod ex exteriore, variegato, & quaſi marmoreis ſtriis interſtincto cortice, quale ſemen ultimum habet, dignoſcitur, ut *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag. 225.* bene monuit.

§. 7.

Similiter ἄνω καὶ κάτω vim ſuam purgandi exerunt, quorum tamen uſus, quod nimis fortiter purgant, cautus ſit. Robuſtis perſonis ultra unum aut duo grana non demus, quæ integra dicuntur egeri, quanquam operationem ſuam egregiè præſtiterint. Certus quidam Circumforaneus fidem facere *Ettmüllero* voluit, iſtis aſſumtis expelli lumbricos, adeò, ut etiam magnum latumque vermem viderit ejectum. Intus oleoſa ſunt, ut oleum exinde poſſit exprimi, cujus una aut duæ guttæ, cum juſculo carnis aut ſaccharo aſſumtæ, ſufficienter purgant.

§. 8.

Præterea major habetur ſpecies, quam *Simon Paulli* in *Quadrip. Botan.* (ubi optimè delineata deſcriptaque ſiſtitur) ſemen nigrum Ricini Americani majoris, vulgus verò

Nuces emeticas ac purgantes,
Brech-und Purgier-Nüſſe

vocare ſolet. Quæ grana granorum Tilli ter quaterve excedunt magnitudinem, foris nigra, uno latere plana, altero fornicata ſ. convexa: intus nucleo è duabus partibus coagmentato, eoque albo, amygdalæ ſimili, prædita, in cujus medio duo ſumme alba tenera folia reperiuntur, una cum fructu à modo laudato *Sim. Paulli l. c. pag. 270.* in eleganti figura oculis ſubjecta.

§. 9.

RICINUS AMERICANUS, cui innaſcuntur, ficum arborem magnitudine æquat, ſimili terque lata folia; ſed valde molle ac friabile lignum habet, ex quo hexagonus craſſus folliculus progerminat, qui ſponte in tres partes dehiſcens tria ſaltem grana offert videnda, id quod partim *Marggravius* in *Hiſt. Rer. Nat. Braſiliæ pag. 96.* partim *Petrus Lutzen* Miniſter Danicus apud *D. Sim. Paulli l. c. pag. 553.* fuſius deſcripſit.

§. 10.

Ratione virium cum prioribus conveniunt, dum ſimiliter fortiter purgant; quæ vis in tenuibus ſaltem pelliculis, binas inter granorum partes reperiundis, dicitur repoſita, quæ è tribus nucleis depromtæ cum aliqua conſerva poſſunt ſumi, quippe quibus prædictus *Lutzenius* multos à febri liberavit. Certus quidam miles navalis, iſtas ex America in Daniam ſecum allatas, clam miniſtrorum Aulicorum cibis permiſcuit, unde omnes diarrhœa corripiebantur, loco ſoſtri verò bovis deguſtandum priapum accepit, vid. *Sim. Paulli l. c.* Nonnulli ex internis nucleis cum aqua vel aliis liquoribus purgantem emulſionem conficiunt, quo ipſo iſtorum acrimonia quodammodo temperatur, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag. 752.* exiſtimat. Quæ tamen omnia hodie, cum leniora tutioraque ſuppetant media, rarò aut nunquam præſcribuntur.

§. 11.

Pometus, Materialiſta Gallus, alius adhuc ſpeciei meminit in *Hiſtoire des Drogues pag. 225.* nempe Barbaricæ, magnitudine grana Tiglia æquantis, tum etiam prorſus parvorum Ricini ſeminum, fortaſſe ab Ricino Indico aromatico, quam clariſſ. *Ammannus* in *Char. Plantar. Nat. pag. 545.* memorat, oriundorum. Quæ tamen cum perrara ac prorſus inuſitata ſint, ut prædictus auctor ipſe confitetur, in iſtis exponendis nolumus eſſe verboſiores.

§. 12.

Non minus

FABÆ DIVI THOMÆ, *Purgier-Bohnen*

ut fuſius tractentur, ſupervacaneum eſt, quippe partim à *Theod. Tabernæmontano*, partim à *Wormio* ex *Cluſii Exoticis* ſufficienter deſcriptæ, ac ſimiliter inuſitatæ. Quamobrem in *Muſeo Muſeorum Germanicó* delineationem ſaltem externamque figuram, qua cordi ſimiles ſunt, una cum herba ipſa figuræ voluimus inſeri, quæ utraque *Pluckenetus* in *Phytographia Tab. CCXI. Fig. 6.* optimè delineavit.

CAPUT XXVI.

DE

BACCIS MYRTI ITALICÆ.

§. 1.

BAccæ Myrti Italicæ (*Welſche Heydel-Beern*) nigræ & oblongæ baccæ ſunt, bis ferè habentes magnitudinem baccarum vitis Idææ, ſuperius corolla, ut aliæ baccæ, ornatæ, albis, duris & quaſi compreſſis granis refertæ, iis quidem ſemi-

ſemilunaribus, cujus cuſpides introrſum tortæ ſunt, ſaporeque valde acerbo & adſtringente præditis. Plerumque in officinis, ut baccæ vitis idææ noſtratis, myrtilli vocantur; id quod quibusdam doctis alias Medicis & Materialiſtis cauſa extitit, quamobrem vel dubii fuerint, aut omnino voluerint affirmare, baccas myrti in officinis nihil eſſe aliud, quam myrtillos noſtros vulgares, quod *Pometus*, Materialiſta alias valdè curioſus, ſuo ipſe exemplo teſtatur, qui in *Hiſt. des Drogues Part. I. cap.* 22. *pag.* 26. verè rectèque oſtenderat, baccas myrti à myrto Italica, ut ex *Moyſe Charaſio* audiverat, oriri: poſtmodum verò in *Appendice* ſe ipſe temere corrigens ſuaſu *Dn. Tourneforti* defendit, baccas myrti officinarum eſſe baccas vitis Idææ. In quô tamen nimiùm aberravit, dum myrtilli noſtrates non dimidiam habent magnitudinem, ſuperius corolla deſtituuntur, rotundi, non oblongi, ſunt, valdeque parvos rotundos includunt nucleos &c. Quamobrem melius feciſſet, ſi *Charaſio*, tanquam Pharmacopolæ potius, quàm *Tourneforto* habuiſſet fidem, dum cuique artifici ſua in arte credendum.

§. 2.

Id quod inde quoque oſtenditur, quod veræ Myrti baccæ ex Italia Galliaque ad nos veniunt, teſtibus *Marxio*, *Schurzio*, *Vielheurio* aliisque Materialiſtis, ubi in Myrto majore (qualem prædictum *Charaſium* in ſuo in Hiſpaniam itinere, viri crasſitie vidiſſe, *Pometus l. c.* ex iſto audiſſe refert) juxta mare creſcunt. Fragrantiſſimum fert florem, ex quo ii, qui rebus gratum odorem conciliant, deſtillando aquam exextrahunt, ad ſapones moſchatos aliaque ornamenta utendam, prout alibi hoc in dixi-

mus. Cujus tamen, ut & baccarum ipſarum, in Germania non adeò magna eſt mercatura, poſtquam noſtrates vulgares myrtillos ſiccare & pro baccis myrti Italicæ cœperunt uſurpare, quos & Clariſſ. *Simon Paulli* in *Quadrip. Botan. pag.* 405. recentes ad ſyrupum myrthinum, è baccis Italicis alias præparandum, commendat: quod tamen cogitandi facit materiem, quoniam myrtilli noſtrates, præſertim recentes, malam acrem humiditatem incluſam habent, cum eo plerumque tempore, quando matureſcunt, dyſenteria graſſetur, commemorante *Ettmüllero* in *Comment. Schrœd.* id quod ipſi quoque obſervavimus.

§. 3.

Baccæ myrti Italicæ noſtrates quoque virtute refrigerante adſtringenteque longè ſuperant, quippe qua omnes alvi aliosque fluxus, hæmorrhagias, procidentiam alvi & uteri, ſudorem præternaturalem, luxationem aliosque affectus curant, id quod ex *Schrœdero* & aliis *Sam. Daleus in Pharmacol. pag.* 376. fuſius adducit.

§. 4.

Quibus tamen in morbis etiam
MYRTILLI NOSTRATES ſ. Baccæ vitis Idææ
poſſunt ſumi, quas quoque ad colorem cœruleum uſurpant. Nempe recipitur vas ſucco iſtarum repletum, calix aceti, aluminis contuſi ʒj. recrementi æris ʒij. quibus ſimul ebullitis pannus imbuitur, qui ablutus evadit cœruleus; ſi quando lucide cœruleus deſideratur, nihil recrementi æris additur. Sin veto obſcurior expetitur, ʒj. gallarum contuſarum debet addi, vid. *Theod. Tabernæmontanus pag.* 803. *P. II.*

CAPUT XXVII.

DE

BACCIS ALKEKENGI.

§. 1.

BACCÆ ALKEKENGI ſ. Halicacabi obſcurè flaventes rugoſique fructus ſunt, ceraſi magnitudine, plano, rotundo & reniformi ſemine repleti, ſaporis ſubacris & amariuſculi, odoris fere nullius. Ad varia medicamenta ſumuntur, ut infra pluribus oſtendemus.

§. 2.

Planta in vineis locisque umbroſis libenter creſcit, floret Julio, ac poſtmodum magnas inflatas virentes veſicas profert, Solanum Veſicarium propterea vocata. Veſicis flaveſcentibus & tandem dehiſcentibus, rotundum ac rubicunde flavens ceraſum apparet, ut figura oſtendit, ubi etiam Occidentalis Indiæ Halicacabus, de qua *Hernandezius* meminit, communicatur.

§. 3.

Videndum, quò recentes & minus carioſæ accipiantur, ſucco viribusque deſtitutæ; quoniam interdum recentes deſiderantur, melius eſſet, ſi iſtas ipſi coleremus.

§. 4.

Viribus una cum herba in eo cum ſolano conveniunt, quod dolorem modicè ſedant, ϑeque ϖoſo & eſſentiali pollent, quo mediante omnem pituitam abſtergunt & exſiccant. Quæ cauſa eſt, quamobrem in omnibus renum ac veſicæ morbis egregiam opem præſtent, urinam calculumque juxta cieant, in ſtranguria propterea, gonorrhœa ſimplici, dolore lumborum ac ſimilibus valde utiles. Suis enim particulis tartareis ac narcoticis dolorificam uteterum contractio-

tractionem demulcent, sale vero nitroso stabulantes in istis impuritates detergunt.

§. 5.

Diversimodè usurpantur, infusæ, & cum liquiritia in aqua coctæ, aut etiam ex istis aqua & spiritus destillatur, quocum variæ essentiæ ex extracto baccarum præparantur, quarum aliquot descriptiones apud *Ettmüllerum* in *Comment. Schræd. pag.* 509. reperiuntur. Ad alias quoque compositiones sumuntur, utpote syrupum de Cich. c. rhab. & inprimis ad veteres trochiscos de alkekengi: ubi id in officinis bene observandum, quo, cum Trochisci de alkekengi juxta Trochiscos Alhandal vulgo soleant poni, inscriptiones in pyxidibus non abbrevientur, sed omnibus literis exscribantur, ne Pharmacopolæ hos pro istis ex considerantia sumant, (quod mihi aliquando, ut supra cap. XXIV. §. 10. monui, contigit,) ac Medicus in terrorem, æger verò in dolorem ac vitæ periculum præcipitetur, vid. *Miscell. Germ. Cur. Dec. III. Ann. III. Obs. 78. pag.* 111.

CAPUT XXVIII.

DE MOMORDICA.

§. 1.

AD ea, quæ hucusque in paucis aut fere nullis Materialium Musceis ac officinis inveniuntur, & vero sæpe ab hortulanis aliisque curiosis quæruntur, atque egregiam in Medicina virtutem exerunt, merito MOMORDICA pertinet, & quidem istius fructus seu rubicunda poma, oblonge rotunda sive ovalia, sed non ita magna, foris salebrosa & aculeata, matureſcendo sponte dehiscentia, & rubrum similiter latumque semen continentia, idque siccatum obscure fuscum apparens. Quod semen cum quasi rhagadibus plenum sit, fructus verò aculeatus & spinosus, ipsa natura quasi per signaturam voluit significare, salubrem balsamicam isti inditam esse virtutem, cujus intuitu Momordica etiam Balsamina vocatur.

§. 2.

Planta, quæ ex hoc semine in altum excreſcit, parvam habet radicem, ex qua tenues surculi convolutis fibrillis progerminant, quibuscum appositis baculis adhæret, inque altum exsurgit. Folia habet ut bryonia, floresque satis magnos ac pallide flaventes profert, quibus supra descriptus fructus succedit. Quæ planta, cum tenera & exotica sit, frigorisque impatiens, æstivo ac hyemali tempore bene vult curari. Quamobrem nucleus primo vere pingui terræ ac tali loco debet mandari, quo Sol semper perveniat, qui si aqua, qua caro abluta est, crebrius irrigatur, fructus in Augusto vel Septembri citius matureſcit.

§. 3.

Planta, una cum fructu, valde balsamica ac salutaris est, cujus propterea pulvis in inteſtinorum vulneribus valde commendatur, ad ista curanda valere creditus, etiamsi utrinque essent perforata, cujus tamen certitudinem nolim affirmare. Herbæ alias fructusque usus internus est nullus, externe vero in vulneribus medium suppeditat certissimum, quando scilicet fructus enucleatus vel solus, vel cum meliloti semine oleo olivarum aut amygdalarum infunditur, hocque modo oleum momordicæ inde præparatur, in nonnullis etiam officinis reperiundum. Hoc oleum omnia recentia vulnera paucis diebus sanat, nulla metuenda inflammatione. Ad rhagades oris, mammarum, manuumque ac locorum obscœnorum egregium est. Imo nonnulli prorsus abscissa de corpore membra isto ipso oleo de integro agglutinari posse existimant: quod licet incredibile videatur, miræ tamen hoc mediante oleo peractæ curationes sunt, quas ex *Wittichii consiliis* propriaque experientia ab *Ettmüllero* legimus descripras, in *Comm. Schræd. pag.* 608. *D. Michaël*, Lipsiensis, olim etiam hæmorrhoides furentes hoc ipso sedavit. Quidam illud clysteribus antidysentericis addunt, ut & uterinis, quando uterus læsus aut vulneratus est, & quando partus existit difficilis, quæ à prælaudatis Medicis fusius describuntur.

CAPUT XXIX.

DE GOSSIPIO ET EJUS SPECIEBUS.

§. 1.

GOSSIPIUM s. BOMBAX (*Baumwolle, Cattun*) tenera niveaque lana est, in parvis fructibus, nucibus haud multum dissimilibus, in certa quadam herba cognomine crescens, quæ, quod de quorundam Indicorum Scriptorum sententia

tentia similis in arboribus reperitur, Germanis *Baumwolle* vocatur. Partim ex India Orientali, partim ex America, ubi herba ista copiosè colitur, provenit: quamvis etiam in Maltha, Candia ac vicinis Insulis reperiatur, teste *Schurzio* in *Mater. Mus. pag.* 15.

§. 2.

Herba, à qua gossypium proficiscitur, magna cura à Barbaris plantatur: folia fert rubo vulgari haud dissimilia, multosque flaventes flores, inferius paulum purpureos ac striatos, quorum in medio globulus ovalis reconditur, tandem ad ovi columbini accrescens magnitudinem, foris ex nigro fuscus, qui maturus factus, posteaquam sponte suâ in tres partes dehiscens, ad ovi gallinacei intumescit magnitudinem, quo facto, nivei coloris lana apparet, ut ex figura in *Mus. Germ.* videtur; bona itaque tempestate decerpantur. Quo in Gossypio septem circiter ex nigro cineracea semina latent, lupinorum minorum magnitudine, intus alba, oleosa, sapore grato, quæ incolis ad plantationem herbæ inserviunt, ab *Hernandezio L. VIII. Rerum Med. Nov. Hisp. pag.* 308. in figura optimè oculis subjectæ. *Neuhofius* quoque in *Itiner. ad Chinam pag.* 125. gossypium arborescens, quod in Sina vult vidisse, delineavit, simul confitens, hujus gossypium longe vilius esse eo, quod ab herba ducit originem, de quo *Simon Paulli* in *Quadrip. Botan. pag.* 528. pluribus videatur; & quoniam *Dn. Joh. Gottfried Vitus* mihi confirmavit ejusmodi arbores, CAPAS KIZIL vocatas, viri magnitudine & cotoneam malum referentes, quoque in India Orientali in copia inveniri, istasque se ipsum vidisse, credibile omnino est in unica provincia Nanking ultra 200000. habitare lanificos, ac ex gossypio Cæsari Sinensium accrescere reditus 250000. ducatorum, ut in *Atlante Sinico pag.* 94. videre est.

§. 3.

Cæterum varia sunt gossypii genera, Cyprium, quod eleganter album, tenerum, purumque ac longum est: Corosanense, melius, longius, ac tenerius, sed nodosum: Barbaricum, villosum, flavescens ac purum existens: tum Smirnense, omnium vilissimum, cui tamen sæpius valde finum est permistum. Quod Maltha Brodaque venit, inter longa est optimum, secundum *Marxium* in *Mater. Mus. pag.* 33. Quô candidius, dulcius longiusque est, eo magis æstimatur. Qui totas sarcinas emunt, videant, ne humidum, corruptum mucidumque sit. Emtoribus *Schurzius l. c.* observandum docet, naves primum Venetiis Soriam ad emendam lanam mitti: deinde Julio in Barbariam: Aprili Aquam mortam: Martio Peregrinorum naves, vulgo *Pilgram-Schiff:* Majo in S. Terram versus Barutti: Augusto triremes Alexandriam usque ad dimidium Septembrem. Quemadmodum vero gossypium ab Indis in fila ducatur, ex istisque gossypinæ telæ, Cattun vulgo dictæ, conficiantur, *Georg. Meisterus* im *Ost-Indianischen Lust-Gärtner pag.* 90. describit, ubi etiam arboris habetur descriptio.

§. 4.

Quod ad usum gossypii attinet, non solùm ab exteris in fila trahitur, horumque fasciculi in Europam feruntur, (de quorum mercaturâ, ellychnio, cannabi & funiculis ligatoriis *Pometus* in *Hist. des Drogues pag.* 239. fusius agit) & ad telas quoque gossypinas aliasque merces insumimitur, verum ad Medicinam interdum, v. g. hæmorrhagiam externè usurpatur, quam in pulverem ustione redactum dicitur compescere, teste *Theod. Tabernæmontano L. II. pag.* 476. Cum ambra quoque in difficili auditu auribus inditur.

§. 5.

Internè reconditum in lana semen,

SEMEN BOMBACIS

in officinis vocatum, interdum ad spiritus difficultatem tussimque usurpatur, ob oleum, quo pollet, ad dolores nephriticos quoque à *Simone Paulli l. c.* commendatum. Expressum exinde oleum, curando cutis maculas, faciei conciliare nitorem creditur. Indos eô sues saginare perhibent, quod hæc grana glandes sapore æmulantur.

§. 6.

Præter hoc vulgare gossypium *Pometus l. c.* aliûs adhuc meminit, quod similiter in quadam herba, in oblongis fructibus, perhibetur crescere, & ab isto HOUATTE vocatur. Quod cum nulli alii rei inserviat, quam ut cubicullariis aliisque vestibus subsuatur, ea esse materia videtur, è qua vulgare subditicium s. utrisque pannis interponendum textum, vulgo *Watten* s. *seidene Watten*, præparatur, quod vulgus alias pexum sericum esse existimat. Herba Apocynum Cynocrambe vocata, circa Alexandriam Ægypti, in locis humidis & paludosis copiosè crescere dicitur, cujus figura, una cum gossypio, in *Museo Museorum Germanico* apparet.

§. 7.

De aliô insuper gossypiô meminit *Wormius in Mus. pag.* 205. in India Orientali

CAPOCK s. CAPAS PUSSAR

vocato, eoque permolli, lævi ac tenero, instar serici, cui quam gossypio vulgari similius est. Quoniam similiter in fila nequit trahi, sed vestibus saltem subsuitur, ratione usus vel idem est cum Houatte, vel isti simillimum, ut ex isto frusto, quod mihi transmissum est, apparet, cui etiam exterior cineracea cutis, instar corii granulati apparens, adhuc adhæret, unde apparet, istud instar gossypii in folliculo crescere. Quamobrem prædictus auctor existimat ab ea lanifera arbore oriri, quam *Clusius Exot. Lib. I. cap.* 14. ita describit, quod procera arbor sit, ramis plena, de quibus oblongi folliculi pendeant, qui foris viridi & paulum rugosa cute cincti, posteaque in quinque partes sponte dehiscentes, pul-

chram, candidam valdeque teneram lanam, ut nux goſſipii ſolet, ſiſtant videndam, ita tamen, ut ſemen non in lana, ſed circa iſtam reperiatur. Hanc arborem *Baubinus* Goſſipium Javanenſe foliis ſalicis vocat. Lana vero vel prorſus non, aut peculiari quodam modo in fila ſe duci patitur: ut adeoque magis ad pulvinos, ſtraſta veſtesque cubicularias Japonenſes uſurpetur.

§. 8.

Capoc arbor ubique fere in India creſcit, inſtar tiliæ, ſine cultura, ſeque excidentibus ſponte ſeminibus ſeu granis, ſemen bombacis referentibus, multiplicat. Ad nucis accreſcit altitudinem, folia proferens agno caſto ſimilia, ſed quodammodo longiora latioraque. Rami excreſcendo coronam formant, & ſpatio, viri longitudinem æquante, ſuper ſe invicem progerminant, ferè tanquam lignum circumcirca ramuſculis cinctum, & conquaſſandis juſculis ac ovis aptatum, vulgò *Querl-Holtz* dictum. Multos fructus ſ. ſiliquas profert, digiti imo manus ſæpe longitudine, ac pollicis craſſitie, qui Sole exſiccati ex albo fuſci apparent, & ad modum nucum goſſipii dehiſcentes Capoc oſtendunt. Fructus decidentes excorticantur ab Indis, & Capoc lana ab nigris nucleis removetur: quam ſaccis corticoſis inditam Bataviam vehunt, ubi pro groſſo ſ. duodenario fere XVI. libræ emuntur, teſte *Georgio Meiſtero im Oſt-Indianiſchem Luſt-Gärtner pag.* 59. id quod *Dn. Vitus* mihi quoque confirmavit: atque hi duo teſtes, ſunt oculati.

LIBRI SECUNDI
SECTIO VI.
DE
VARIIS SUCCIS ET RESINIS.

CAPUT I.
DE
ASA FOETIDA ET DULCI.

§. 1.

ASA FOETIDA, vulgò *Teuffels-Dreck*, *Aſſand*, eſt reſinoſum gummi, partim ex albis, partim flavis, partim carneis grumis, quas inter nitentia punctula emicant, permiſtum, ſapore mordaci, lentô & abominando, odore vehementiore, allium redolente. Ex Libya, Syria Mediaque & Perſiâ palmæ foliis, aut in magnis fictilibus, ut terebinthina, Londinum in Angliam tranſportatur, unde parvis ferreis circulis munitis doliolis indita in Imperium aliasque regiones mittitur: cujus tanta interdum copia Londini invenitur, ut magnæ cellæ iſtâ repletæ videantur, teſte *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag.* 255.

§. 2.

Vegetabile, unde hoc gummi oritur, hucusque à nemine verè deſcriptum eſt: quod *Dn. D. Kæmpfero*, Medico Weſtphalo, cauſa extitit, ut, cum in Perſia & India Orientali eſſet, indagandæ hujus herbæ cupidine 40. vel 50. milliarium iter emetiretur, donec iſtam ſuis ipſe oculis viderit, ut aliquot ante annis coram mihi aperuit, Interea & *Dn. Vitus* (peritus Materialiſta) qui tum etiam in India Orientali fuit, iſtamque plantam, ut ipſe refert, prælaudato *D. Kæmpfero* è Batavia in Africam, ad oppidum Capo de bonne Eſperance transmiſit) mihi affirmavit, craſſam longamque habere radicem, inſtar paſtinacæ luteæ, quæ ſuperius quid capilloſi, ut mandragoræ radix, proferat, folia autem inſtar leviſtici, ſuper terra alarum adinſtar extenſa, partim circa caulem, eumque ſimiliter craſſiuſculum, prope ſpicas poſita, & ad altitudinem Nicotianæ noſtratis accreſcat. Quando nunc mancipia aſam fœtidam colligunt, caulem ſuperius præcidunt, emanantemque ſuccum excipiunt, quo deficiente caulem profundius abſcindunt, quo de integro ſcaturiat: quod tamdiu continuant, quoad emanaverit omnis. Alii laſer herbam eſſe exiſtimant, quod circa Utard in Perſia perhibetur copioſe creſcere: quam opinionem etiam *Jacobus Sponius*, curioſus Antiquarius, in *Aphor.* ſuis *Nov. pag.* 368. amplexus eſt, ſimul teſtans, eſſe plantam ferulaceam, incolis Magudarine vocatam. Econtrario *Acoſta* ſcribit, ſe certiorem eſſe factum, plantam habere folia corylum æmulantia, è quibus ſuccus extrahatur, ab incolis cutibus bubulis colligendus, qui, quo melius aſſervetur, cum farina triticea miſceatur. Hinc eſt, quamobrem furfures, in iſto ſæpe reperiundi, certum habeantur indicium ſuccum genuinum eſſe bonumque, ut *Wormius* in *Muſ. pag.* 223. obſervavit. Alii verò, utpote *Pometus l. c.* exiſtimant, ſuccum calida exiſtente tempeſtate ſponte


Hingisch.
seu
Planta Asæ fœtidæ
Folia inferiora
Folia prima


B
A
May
Jun
Jul
May
Jun
Jul



te exſudare, quemadmodum in figura ænea delineavit: quam tamen minus veram eſſe prædictus *Dominus Vitus* affirmat.

§. 3.

Duæ iſtius ſpecies ſunt, fina & vulgaris. Illa multas elegantes albas lacrymas ſ. grumos habet, interdum etiam electa & Aſæ fœtida in granis, Gallice en larmes vocata, ſimul eleganter carnea rubra apparens. Hæc vel ex majoribus nec adeo granulatis fruſtis conſtat, aut inveterata eſt, id quod colore detegitur: recens enim aſa fœtida rubra, mollis carneaque apparet, cineraceo permiſta, quæ ſi inveteraverit, nigra evadit, fœtoremque deperdit, qui in recenti abominandus eſt, ex obſervatione *Marxii* in *Mat. Muſ. pag.* 21. *Wormius* ſortes conſtituit, prout vel è caulibus, vel radice profluxit, illam Scapariam, iſtam Radicaceam appellans. Optima recens ſit, non nimis pinguis, granis ſive lacrymis referta, carnei coloris, pellucida ac fœtida; vetus unctuoſa, nigra, opaca, impuraque arena, corticibus ſimilibusque adultetata abjicienda eſt, vid. *Pometus l. c.*

§. 4.

Quæ aſa fœtida licet nimis vehementer fœteat, ab Indis tamen, qui iſtam colligunt, omnibus fere cibis additur, quippe quibus nullus cibus vere ſapidus aromaticusque videtur ſine aſa; qua propterea omnia fictilia patinasque curant obliniri, teſtibus *Eraſmo Franciſci im Oſt-Indianiſchem Luſt-Garten*, *Oleario* in *der Perſianiſchen Reis-Beſchreibung*, atque aliis. In Europa ad Medicinam ſaltem uſurpatur, quoniam ſale volatili & oleo, quo pollet, valdè reſolvit. Plerumque in doloribus uterinis, ſuffocatione uterina, colica & ſimilibus interne externèque adhibetur, ex qua propterea aliqua in officinis compoſita, utpote pilulæ fœtidæ, proſtant. Iſta quoque mulomedici magna quantitate utuntur, egoque cancrorum captatorem in Palatinatu novi, qui certa quadam mixturâ cancros è longinquo convocare, & quaſi in unum cogere didicerat, quam mihi dicebat ex aſa fœtida, camphora & caſtoreo conſtare.

§. 5.

Quò verò captam è memorata materia fœtente moleſtiam meliore odore temperemus, fragrantis etiam reſinæ, nempe

BENZOINI

faciemus mentionem, præſertim cum idem fere cum priori nomen habeat, & ASA DULCIS vocetur. Dura, creberrimisque globulis, partim flaventibus, partim candicantibus permiſta reſina eſt, ſapore reſinoſo ac pingui, odore valde bono ac fragrante. Ex India Orientali, ac præſertim Siam, venit, unde miniſtri Legatorum Siamenſium Anno 1697. magnam iſtius quantitatem Pariſios tulerunt, teſte *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag.* 248.

§. 6.

Hæc reſina ex valde craſſa magnaque arbore fluit, cujus folia citrum malum æmulantur, niſi quod non adeò viridia ſint, ſed in altero latere albicent, fructus vero nucem moſchatam referant; quam arborem à *Grimmio* in *Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec. II. A. I. pag.* 370. optimè videmus deſcriptam: cujus etiam ramum *Plukenetus* in *Phytograph. T.* 139. *Fig.* 3. 4. leganter delineatum ſiſtit. Qua autem methodo plantetur juxta ac colatur, curioſius Lector in *Appendice* hujus *Tract.* poſt epiſtolas *Indiæ Orientalis* curioſorum, pluribus diſcet. Iſta ab incolis in Ceilon, Malme & Virginia in caudice de induſtria inciditur ſeu vulneratur, quo ſuccus eo melius profluat, ut *Wormius* in *Muſ. pag.* 222. ex aliis recenſet. Juniores arbores plurimum benzoini largiuntur & optimum, quas propterea que Indi ultra ſex annos non colunt, ſed tanquam inutiles abſcindunt.

§. 7.

Diverſæ etiam in Mat. Muſeis ſpecies inveniuntur, quarum *Sam. Dale* in *Pharmacol. pag.* 296. ſicut & *Wormius l. c.* tres memorat. I. Benzoinum AMYGALOIDES, quod pulchris candidis maculis, inſtar amygdalarum, conſtat. II. NIGRIUS & III. NIGRUM. Primum in Siam, reliqua in Java & Sumatra creſcunt: quanquam de ſententia *Grimmii*, ex uno omnia caudice proveniant. Optimum eſt, quod grana decenter magna habet, ex albo flavoque permiſtum eſt & durum, ſecundum *Marxium* in *Mat. Muſ. pag.* 21. quod propterea noſtris Materialiſtis finum & Gallis Benjoin en larmes vocatur. Alterum commune in Sortis vocant, quod tamen etiam purum, nullo pulvere, ligno aut ſimili oportet eſſe miſtum: id quo candidius eſt, ac priori propius accedit, eo eſt melius, de quo ſæpe laudatus *Pometus* omnium curioſiſſimè agit.

§. 8.

Quod ad uſum benzoini attinet, ſale ſuo balſamico ad edulcorandos acres catarrhos, ſanandasque omnes inde profectas pulmonum & aſperæ arteriæ læſiones peculiariter valet, ut adeoque interne ad tuſſim, anhelationem, hecticam & phthiſin, externe ad catarrhos, coryzam &c. uſurpetur. Internè quidem iſtius FLORES commendantur, quorum ℈ij vel ℈ij. ex una libra per ſublimationem, per coctionem vero ℈j. & olei rectif. ℈ij. acquirimus, ſecundum ſupputationem *Vielheurii* in *Deſcript. Exot. Mat. pag.* 77. Externè vel pulveres fumales, candelas fumales & ſimilia ingreditur, vel in oleo nuciſtæ ſolutum cum moſcho & ambra in balſamum redigitur. Nota etiam Tinctura virginum, ab Italis tanta copia circumvehi ſolita, fœminisque ad dealbandam cutim adeo deſiderata, exinde præparatur, quæ nihil aliud eſt, quam TINCTURA BEN-

ZOINI, ſive ex ſolo benzoino, ſive ex iſto atque ſtyrace ſequenti modo præparata:

℞. Benzoini
ſtyrac. ää.

affunde quatuor vel ſex partes ſpiritus vini rectif. pone in loco calido, agita ſæpius, quoad tinctura evadat ſanguinea, decantanda ſenſim vel filtranda. Aliquot hujus guttæ, aquæ roſarum vel ſigilli Salomonis inſtillatæ, dant emulſionem, quacum facies manusque abluendæ.

CORONIDIS LOCO

Capiti huic ſubnectere liceat Hiſtoriam Aſæ fœtidæ, à laudato *Kæmpfero* aliquot anne annos in ſalivam publicam emiſſam, quæ ita ſe habet:

HISTORIA
ASÆ FOETIDÆ DISGUNENSIS,
ex
Amœnitat. Exot. D. Engelberti Kæmpferi
Faſc. III. obſ. V.

§. 1.

Hingiſch umbellifera Leviſtico affinis, foliis inſtar Pœoniæ ramoſis, caule pleno maximo, ſemine foliaceo, nudo, ſolitario brancæ urſinæ vel paſtinacæ ſimili: radice ASAM FOETIDAM fundente.

Hingiſch radicem habet ad plures annos reſtibilem, magnam, ponderoſam, nudam, exteriori vultu nigram, in ſolo limoſo lævem, in ſabuloſo ſcabram ac quadantenus rugoſam: utplurimùm, Paſtinacæ inſtar, ſimplicem, ſæpe paulò à capite duabus vel pluribus divaricationibus brachiatam, aliis perpendiculariter demiſſis, aliis inconditè & in obliquum extenſis, prout ab objectis flectuntur.

Faſtigium, è tellure prominens, fibris, ſetarum inſtar, ſurrectis, ex fuſco rufis & rigidis confertim ſtipatur, velut in Peucedanô. Cortex ei pinguis eſt, ſuccoſus, facilè, dum radicem ſolo extrahis, abſcedens, concavitate glabrâ & humidâ; ſubſtantiam obtinet ponderoſam, inſtar rapæ, ſolidam candidiſſimamque, plenam ſucci pinguis, albiſſimi, fœtidiſſimi, porraceo odore nares horridè ferientis: qui ex eâ collectus Perſis Indisque *Hingh*, Europæis Aſa fœtida appellatur. *Folia* ſero autumno ex vertice progerminant, ſex, ſeptem, & pro radicis magnitudine plura vel pauciora: quæ per brumam luxurioſè vigent, adultoque vere exareſcunt. Folium autem eſt ramoſum, planum, longitudinis cubitalis, folii Pœoniæ utplurimùm figuram, Leviſtici ſubſtantiam, colorem & lævitatem exhibens; odorem obtinet ſucci odore remiſſiorem, ſaporem cum amaritie & aromaticâ acredine hircoſum. Structura conſtat ex ſcapo & ramo: Scapus ſpithamalis & amplioris longitudinis eſt, humano digito tenuior, quadantenus ſtriatus, nervoſus, coloris herbacei, circa baſim ex mutuo complexu canaliculatus, cetera teres; ramus alas refert imparitèr adverſas quinque, rarius ſeptem, palmaris & amplius longitudinis, obliquè ſurrectas, imas ſuperioribus longiores. Alæ utrinque in lobos dividuntur incerto numero plures, inæqualis magnitudinis, oblongos & quadantenus ovatos: in aliis plantis peranguſtos, longiores, ad coſtam usque & largiori intervallo diſtinctos, adeoque pauciores & ſolitarios, quaſi ſingula folia referant: in aliis verò latiores, breviores, & ob parciorem diviſionem continuos, finibus ſive inciſuris, plerumque ovatis vel orbiculatis, pro vario naturæ ludentis genio: qui ſæpe in foliis numero differentis plantæ adeo diſcrepat, ut ejusdem ſpeciei folia eſſe vix appareat. *Lobi* autem obliquè ſurrecti ſunt, ſubtus anguſto ductu per coſtæ latera demiſſi, coloris ex glauco virentis, læves, exſucci, rigidi, fragiles, pronâ facie ſubconcavo, nervo donati unico tenui, qui à coſtâ per longitudinem inæqualiter decurrit, rarò lateralibus aliis ſociatus. Magnitudo incerta eſt, quam reducere ad longitudinem triuncialem, latitudinem plus minus pollicarem liceat. Ante radicis interitum, qui utplurimùm ſerâ ætate evenit, unâ cum foliorum faſciculo emergit *Caulis* ſimplex, rectus, teres, quodammodo ſtriatus, glaber, herbaceus, in orgyiæ, ſesqui-orgyiæ vel majorem longitudinem luxurioſè exſurgens, craſſitie in imo quanta manûs complexum ſuperat: ex quâ paulatim factus tenuior, in ramos paucos, hi verò in umbellas, Ferulaceârum lege, divelluntur. Foliorum veſtitur rudimentis per intervalla palmaria alternatim conſitis, quorum baſes latæ, membranoſæ, turgidæ, caulem inæqualiter & utcunque decuſſatim amplexantur, dilapſæque impreſſis ſignant veſtigiis, genicula mentientibus. Medullâ farcitur geniculis haud interceptâ, copioſiſſimâ, candidiſſimâ, fungoſâ, paucis permixtâ fibris brevibus, vagis, in longum exporrectis. *Umbellæ*, pedali, aliæ ſpithamali vel breviori ſtylo nixi, in radios explicantur pluſculos (10, 15, 20.) in orbem diſperſos: qui ſinguli, quaſi ſubalternas umbellas reddituri, in radiolos paucos alios (5, 6.) biuncialis longitudinis terminant, axillis brevibus tenuiſſimisque ſuſtentantes ſemina nuda ac ſurrecta. *Semen* eſt planum, foliaceum, ex fuſco rufum, figuræ ovatæ, Sphondylii, vel Paſtinacæ hortenſis ſemini non abſimile, hôc tamen paulò majus & nigrius, quadantenus piloſum ſive aſperum, tribus notatum ſtriis, unâ per mediam longitudinem, reliquis per fimbriam arcuato ductu ad apices utrinque productis; odore maritatur exiguo porraceo, ſapore gravi, acutè amareſcente; medullam, ceu verum ſemen, in medio fovet atram, compreſſam, figuræ ex ovato mucronatæ. *Flores* non vidi; perparvos dicunt & in albidum pallentes: pentapetalos eſſe non dubitaverim.

§. 2.

§. 2.

Planta Asæ fœtidæ ab *Avicenna* vocatur *Andſudaan* & *Haltiit*, quod vocabulum *Dioſcorides* εἰλφιον, Matthiolus *Laſerpitium* interpretatur. In patriâ ejus, cum ipſa ſtirps, tum ex eâ collectum gummi *Hingiſèh*, & per Indiam *Hiing* ſalutatur: uſitatius tamen eſt, vocabulo *Hingiſèh* Plantam, *Hiing* ipſam exprimere lacrymam, quod & mihi in præſenti deſcriptione receptum eſt. Unde *Aſa* nomen ortum vel detortum ſit, non inquiro. Germani ob atrocem fœtorem appellant *Teuffels-Dreck*, id eſt, ſtercus diaboli. Hujus plantæ, conjecturis Botanicorum ad varias ſpecies diſtractæ, à clariſſimis verò literatoribus *Scaligero* ac *Salmaſio* notis ac nominibus illuſtratæ, genuinam hic trado hiſtoriam, diligenti inſpectione à me obſervatam, inſtitutâ eum in finem ex Gamrono urbe ad ſolum ejus natale laborioſâ profectione. Patria ejus ſola eſt Perſia, non Media, Lybia, Syria aut Cyreniaca regio; unde ex hoc capite facta ſucci apud auctores diſtinctio eſt inanis. In Sinâ prope muros plantam creſcere, lacrymamque impertiri collectoribus, accepi ex duobus ejus terræ Aromatariis: ſed, quòd plantam in Herbario Sinenſi non inveniam, incertus de veritate hæreo, quia per muri viam inductum gummi apud ignaros genuiſſe errorem potuit. In Perſiâ plantam hodie alunt ſaltem duo locorum tractus, videlicet (1.) campi montesque circa *Heraat*, emporium provinciæ *Choraſaan*; & (2.) jugum montium in provinciâ *Laar*, quod à flumine *Cuur* ad usque urbem *Congo* ſecundum Perſici Sinûs tractum extenditur, duobus, alibi tribus pluribusve, paraſangis à littore. Utrobique autem ſucci ferax quocunque loco planta non eſt, ſed circa *Heraatum* ea ſaltem, quæ campeſtre deſertum occupat: in tractu verò Larenſi tantùm illa, quæ creſcit in montibus, vicinis territorio & oppido *Duſgunn*, vel, ut vulgò pronunciant, *Diſgunn*; quæ in his ultra citraque germinat, vel ſucci inops eſt, non redditura colligenti operæ pretium, vel ſi reddiura fuerit, legulum non habet. Quandoquidem citra Diſgunum accolæ Arabes (ex transmarino littore coloni) collectionem nunquam tentarunt, ſupini ad novum opus, nec alii quàm vitæ paſtoritiæ ſueti, quam ducunt ſub tentoriis inertem atque tenuem. Ultrà verò herba dulceſcere dicitur & fœtorem pene in tantum exuiſſe, ut caprarum greges foliis veſcantur avidè & eorum eſu mirè pingueſcant: quod ut ſuccedat, pridie ante admiſſionem ſale montano (nec aliud hîc ſuppetit) ſemel cibandi, admiſſi verò, primis quatuordecim diebus ab omni potu arcendi ſunt. Creſcit promiſcuè in teſquis & crepidinibus, ubicunque avulſa ſemina ventus protulerit: uberiùs verò & ſæpè ex pedali intervallo in locis, qui quodammodo premuntur in planitiem, quippe ſemini retinendo & ob meliorem fundi conditionem fovendo aptioribus. Solum habet tarò udum aut puriori terrâ fœcundum, frequentiùs interſperſo limo ſabuloſum, ſaxoſum & aridum, &, quem in ſuperficie non invenit, altiùs actâ radice, ex profundo humorem allicit. Plantæ duplicem Heratenſes conſtituunt ſpeciem, unam *Hingiſèh* dictam, quam affirmant eſſe montanam, & ſylveſtrem Diſgunenſium: alteram *Huſſèh*, ſive campeſtrem ſuam. Illam ajunt lacrymam ſtillare parcam, mactiorem & virtutis debilioris: hanc verò Heratenſem largâ manu profundere pinguiorem & fœtidiorem, adeoque præſtantiorem. Ad rei veritatem & differentiæ notas evolvendas, plantam Heratenſem (quam effœtam, Gamroni degens, ex Choraſmiâ obtinueram) cum Diſgunenſi diligenter contuli, ſed mentiar ſi ullum in figurâ diſcrimen viderim. Cum etiam vectoribus Heratenſis Aſæ (quam Gamronum ferè annuatim deferunt) plantam Diſgunenſem quamprimùm monſtrarem, neſciis unde acceperim, ſuam eſſe illico affirmarunt plantam *Huſſèh*, veram & legitimæ Aſæ genitricem. Ex quo infero: non differre Heratenſium plantam à Diſgunenſi, niſi ratione ſoli natalis, quod in campis Choraſanenſibus fortaſſe pinguius eſt, adeoque radicem majori ſucci apparatu inſtruit: id quod ſterile jugum Larenſe tantâ ubertate non poteſt. Ut nihil hic dicam de ipſis utriusque Provinciæ lacrymis, quæ, inter ſe collatæ, nulla præbent veſtigia diverſæ ſpeciei, nec differentias, niſi quas ex adulterio, vel diverſitate temporis & ordinis, quo collectæ ſunt, obtinent, prout latiùs patebit in ſequentibus. Duplicem ſexum Diſgunenſe vulgus conſtituit: mares appellans plantas ſucci expertes, quæ caulem & in eo ſemen gignant, à cujus productione radicitus moriantur: fœminas verò ſucco dotatas, ſed ſine caule. Verùm erronea eſt diſtinctio & ſine attentione inducta. Nulla enim non radix invenitur, quæ ante ferulæ productionem læſa ſuccum non fundat, aut quæ ſuo relicta fato in caulem ſeriùs ocyus non exſurgat: quo producto, exhauſtô vitali liquore, areſcit atque interit: quod ei cum umbelliferis plerisque aliis commune eſt. Longævitatem, ajunt, radici miram eſſe, & æmulam vitæ humanæ: ex quo monſtroſam aliquando magnitudinem conſequi non eſt peregrinum. Si loci conditio ferat, nec in ferulam (quod aliquando evenit) primâ ætate efferatur, longitudinem orgyiæ, ac petæ humanæ craſſitiem aſſequi affirmant: cùm mediæ ætatis eſt, ſuræ vel brachii: annuam verò pollicis craſſitiem exhibere, cui longitudo proportione ſemper reſpondeat. Hirſutum fibris caput ætatis quandoque index eſt: credo eas eſſe reliquias ex ſcapis foliorum diſſolutis, quas neſcit edax tempus ob nervoſam firmitatem deſtruere.

§. 3.

Omnis Aſa fœtida ex radice manat ſauciatâ, nulla ex caulibus vel ſponte fluit, vel arte exprimitur: unde faceſſit Aſæ in ſcapariam & radica-

riam diſtinctio, quam induxit Cl. *Wormius*. Radix quadrienniô minor parum lacteſcit, & nunquam ſecatur: quò autem vetuſtior & major eſt, eò majorem impertitur lacrymæ copiam. Exemta tellure, ſi vel poſtridie ſecetur, lacte tamen ſtillabit: adeo nimirum ſucco diffluit, à quo inſolens pondus obtinet. In transverſum diſſecta ſummum diſcum perfundit lacteo ſuo ſucco, qui in continuas ſpiras argutè circumductus pullulat: prout videre eſt in Icone. Inſpecta attentius duplicem prodit ſubſtantiam: aliam firmiorem & fibratam, fibris per longitudinem vago poſitu diſcurrentibus: aliam magis ſpongioſam, congenerem & molliorem. Hæc ad liquorem retinendum, & in utriculis ſuis excoquendum nata eſſe videtur: illa ad fundendum, & pro nutriendâ ſtirpe transferendum: addo & ſymbolam conferre ad firmitatem quandam radici fragilimæ conciliandam. Exſiccatæ radici perit omnis mollior ſubſtantia, fibrata remanet, & in ſtupeam quaſi medullam contrahitur, dum rugoſa cortex de amplitudine ſuâ parum amittit. Succus ex utriculis ſuis recens emanans, candidiſſimus, liquidus & pinguis eſt, flori lactis dulcis exactè ſimilimus, adeoque omnis exſors lentoris: ad aëris verò Solisve contactum colorem ſubfuſcum induit, & coaleſcens lentorem quoque. Fœtor, virtutis index, quò major eſt, eò meliorem Aſam teſtatur. At ille in recenti lacrymâ vehementiſſimus eſt, cum eo, quem concreta & antiquior redolet, qualem Europa recipit, nullo modo comparandus. Affirmare auſim, unam drachmam recens effuſam majorem ſpargere fœtorem, quàm centum libras vetuſtioris, quem ſiccum venundant aromatarii noſtrates. Ex monte redux, cum radicum copiam aſportarem domum, (in amplum palatium impluvio diſtentum) adeo cubilia fœtore repleta ſunt, ut eas acturum eliminare debuerim. Ex Choraſano cum Aſâ appellens *Caſila* (ita vocatur armentorum onuſta multitudo, ductoribus comitata) in campum longè extra portam hoc mercium genus exonerat: quod ipſum vento illinc ſpirante, omnem civitatis auram halitu ſuo inquinat. Devehenda eſt in Indiam ſingulari navigio, mercibus corruptioni obnoxiis vacuo: cùm eas inficere, & liquores, præſertim potulentos, corrumpere experientia docuerit. Navis mea, quâ transfretavi in Arabiam, unicum ex puppi pendentem ferebat ſaccum Heratenſis Aſæ, quæ per corium transmeans naribus noſtris magnam faceſſebat moleſtiam, metuente nautâ, ne aqua roſarum, Sjiraſenſe vinum, mercesque edules, etiam tam brevi viâ, noxam caperent.

Virtutem Aſæ medicam longo catalogo recenſet *Dioſcorides L.* 3. *c.* 78. nec minus in laudandâ effuſus eſt *Garzias, Arom. Hiſt. L.* 1. *c.* 3. Perſici Medici, ob delicatum nationis genium, ab uſu ejus ferè abſtinent: ruſticis ſaltem Larenſibus in colicis torminibus & hydrope, præſertim in tympanitide curandâ uſus innotuit, ex conſilio Benjanorum. Retulit mihi civis Diſgunenſis, ſe hoc morbo tumidum omni mane per ſex hebdomades devoraſſe aſæ bolum, ſ pilulam majuſculam, donec convaluerit: addens ex eo ſubinde ſibi flatus ſurſum & deorſum ſeceſſiſſe, adeo fœtentes, ut ab hominum conſortio toto tempore juſſus ſit exulare. Semen idem, ſed minus validè præſtat, proinde ab Indis in uſum medicum hinc avehitur. Vulnera ex impoſito recenti ſucco coaleſcere dicuntur ad miraculum. Planta impoſita ſulcis, per quos aqua ad hortos & palmeta defluit, vermiculos ſtirpium quarumcunque enecat. Indis, præſertim Benjanis, creber aſæ uſus eſt, etiam in cibis pro condimento. Hoc referenti *Garziæ* ægrè credidit Cl. *Renodæus*: nam *ſi hoc*, ait, *fabula non eſt, ex duabus alterum conjecto, aut aſam fœtidam in Indiâ non fœtere, aut Indos æneum habere guttur. Mat. Med. L.* 1. *S. VIII c.* 8. Deguſtavi hôc ſucco imbuta cruſtula, quæ mihi non adeo ſapiebat teterrimè, ac putaveram. Familiare eſt Benjanis oras craterum eâdem lacrymâ perfricare, pro appetitu excitando malè habentium. Magna eſt inter Heratanos & Diſgunenſes de bonitate Aſæ diſſenſio, dum quique ſuam præferunt, obtrectant alienam: Heratani macram, exſuccam & ſpuriam vocant Diſgunenſium montanam, & campeſtrem ſuam prædicant multò eſſe pinguiorem, molliorem & fœtidiorem. Reponunt Diſgunenſes: quicquid Heratenſis aſa pinguedinis obtineat, id omne eſſe adſcititium, quippe cui recens collectæ admiſceant (faciunt id, ne indureſcat!) florem camelini, alii caprini lactis, haud ſuâmet virtute duraturæ, niſi fotu hujus mangonii: hôc illos nequiter fallere emptorem, qui adulterii ignarus peregrinam pinguedinem pro genuinâ habeat. Rixam invidia & æmula lucri cupiditas peperit, non tantopere attendendam, ut inde differentes ſpecie plantas & lacrymas conjiciamus: ex quo lituram inducentes huic & ceteris aromatariorum diſtinctionibus, omnem noſtri temporis tum Plantam, tum Aſam fœtidam, ratione ſaltem loci diſtinguimus in Campeſtrem & Montanam, ſive in Heratanam & Diſgunenſem, vel ſi nomen provinciæ placet, in Choraſanenſem & Larenſem: illa, ut plurimùm pinguior & mollior, pellibus caprinis & ovinis involuta: hæc aridior, ſaccis ex folliis ſylveſtris palmæ textis, transmittitur. De poſteriori, uti facta eſt à me obſervatio, ita hoc loco de ejus collectione diſſeram, nihil differente à collectione Aſæ Heratenſis, niſi paucis circumſtantiis.

§. 4.

Inſtituitur (ſit verbo venia) Hingifera hæc meſſis, cùm ab accolis quibusdam paganis, tum inprimis à majori parte civium Diſgunenſium, quos

quos habet oppidum fere trecentos: & absolvitur quatuor actibus, sive quod idem est, quatuor excursionibus ad jugum Hingiferorum montium, qui inde distant duabus, aliis tribus vel quatuor parasangis. Collectionis actus tradam, prout illi ab oppidanis celebrabantur anno, quo montes invisi, 1687. Quandoquidem ab illo tenore nunquam receditur, nisi fortè laborum auspiciis alium designando diem, aut collectionibus breviores interponendo ferias.

Actus I.

Colligentes, antequam opus auspicarentur, de asâ, utrum ab exteris desiderata sit, pro more percunctati fuerant, ne gratis profectiones suas & laborum impendia facerent. De caritate igitur satis eruditi ad montes confluebant medio Aprilis, quandoquidem circa illud tempus radix ad fundendam lacrymam se præparari patitur: cujus signum præbet facies tristior foliorum pallescentium & à vigore suo in marcorem declinantium. Si paganis vicinis colligere quoque statutum sit, eodem hôc mense ad hoc actum compareant, necesse est. Appulsi cives per vasta montium spatia secedebant, procul sese dissociantes, ita ut qui ex compacto in communem censum colligere proposuerant, seu singulæ domus, seu familiæ cognatæ, seu vicatim & à pluribus initæ societates, alium atque alium occuparent montis tractum, quem ad messem inibi instituendam sibi assignabant. In hôc plantas quisque æmulâ alacritate adortus *primo* terram, quæ radicem in circuitu proximè ambiebat, compactam videlicet, sabulosam vel lapidosam, ope ligonis, quo armabatur, ad palmi spithamæve profunditatem eruebat, ita ut modica longitudine radix nudam se proderet. *Secundò* scapos foliorum, transversâ manu apprehensos, intorquendo, à radice avellebat, nullo negotio hâc tempestate abscedentes: ab impedimento quoque fibrarum, quæ hirsutam mitram referunt, fastigium repurgabat, quo remoto, rugosam calvariam exhibet. *Tertiò* terram, manu vel ligone rarefactam, radici rursus ad usque verticem circumponebat; tum avulsa folia, & si quod aliud herbæ genus adesset, in fasciculos aptata imponebat, superadditò lapide, ne à vento, hîc sæpe vehementissimo, diffluerent, eodem signo locum, cum redierit, agniturus. *Nota:* Tegumento hoc opus esse, quò à radiis Solaribus radix nuda tueatur, quia ab iis semel percussa intra diem naturalem putrescit, nullum legulo collatura beneficium. Postquam hoc modo cives radicum myriades aliquot præparassent, futuræ collectioni subjiciendas, (solet societas quatuor vel quinque hominum sibi vindicare circiter bis mille) relictis montibus lares repetebant, absoluto ferè intra triduum messis suæ actu primo, quem *Kusjtèn*, id est, occidere, quasi *actum occisionis*, nuncupant: quia in eodem plantæ internecioni damnantur, inposterum, donec pereant, vitali succo emulgendæ.

Actus II.

Ab intervallo quadraginta dierum, (hoc anno, quàm par erat, longiori) turba, colligentium ad montes reditura, vesperi iter inibat, & primâ luce diei 25. *Maji* st. v. appulsa, socialiter secedebat in loca quæque sua, ut è radicibus, priori actu præparatis, tributum exigeret liquoris: qui admissus pro foliis nutriendis nunc omnis stagnabat in fastigio. Instrumenta colligentibus erant *culter* acutissimus, pro radice decurtandâ, *spathula* pugillaris, ferrea, lato fronte, ad abradendam lacrymam, *patella* seu caliculus femori affixus, qui ablatam portionem subinde reciperet, & *geminus corbis*, ex humero bajulandus, pro deportandâ succi collecti annonâ. Sciri autem in limine debet, societatem unamquamque loci illius tractum, quem messi suæ deligit, atque adeò omnem in eô radicum copiam, in duas classes dividere, circa quas, missa alteruttâ, alternis diebus occupetur: quandoquidem ablato succo radix intercalare tempus requirit, pro effusi necessariâ quadam spissatione. Quod ut ad oculum patescat, Tabula Lectori inspicienda est apposita, quæ exhibet Hingiferi montis tractum, quantus pro messe celebrandâ uni Societati sufficit. In eâ litera *A.* locum & classem priorem, *B.* posteriorem notat, radice utrobique expressâ saltem unicâ, quæ instar omnium demonstrationi serviat. Hoc præsuppositò pergo in historiâ. Appulsi in locum *A.* colligentes singuli singulas involabant radices, remotisque umbraculis egerebant manu aliquam portionem terræ ambientis, quanta operationi suæ obstaret: quô factô radicis verticem, quousque ille hirsutus fuerat, per transversum abscindebant, ita ut truncus discum exhiberet planum, in quo exsudans liquor, post biduum excipiendus, sine defluvii periculo subsistere posset. Tum, prout in superô actu, sauciatam radicem â Sole rursus defendebant, eâ cautione, ne fasciculus impositum discum attingeret, hoc fine cogendus quodammodò in arcum, emanantem succum alioqui pressione discussurus. Pensô absoluto, die postero 26. cum diluculo pergebatur in locum *B.* atque eodem modo radix truncabatur omnique studio rursus operiebatur. Die 27. in locum *A.* regressi, remotis umbraculis, liquorem in superficie depositum spathâ extergebant & subinde deponebant in receptaculum, quod femori inhærebat: tum, remotâ terræ accumbentis portione, quanta sectioni obesset, arescentem disci superficiem præsecabant, ablatô saltem orbiculo tenuissimo, vix culmum avenaceum crassô; satis enim est, si vel extima, quæ poros claudebat, superficies auferatur, quò possint occlusi ductus succum dimittere: quandoquidem pro comperto habent, quò tenuior tessera absciss sit, eò succum

cum prodire promptiùs & copioſiùs. Idem perſuaſi ſunt de modo ſectionis, quam omnino fieri tundendo poſtulant, non vulgari tractu, cum ille fluxum magis promoveat, hic minùs. Sit fides penes credentes. *Nota:* legulos ſubinde femorum patellas deplere & in receptacula majora, vel in folia humi ſtrata lacrymam deponere, ut Soli expoſita magis indureſcat: quo ipſo verò peregrinum à nativo candore colorem induit, pro partium mollitie & ſitu diverſo, qui torrentes radios inæqualiter admittit; addo etiam ex ſubjecto accumbente recentem maſſam facilimè alieno colore imbui. Radice cooperta labor finitus eſt. Die 28. eadem collectionis opera, cum omnibus requiſitis, peracta eſt in loco *B*. Die 29. reventum eſt in locum *A*; & ſecundâ vice radix emulſa, remoto terræ obſtaculo, reſciſſa, rurſumque contecta eſt. Die 30. ſecundus liquor etiam in loco *B* collectus, novaque ſectio cum aliis neceſſariis celebrata eſt. Atqui hic labor eſt actûs ſecundi, in quo ſingulæ radices, terſauciatæ, bis ſucco ſuo exutæ ſunt. Quò præſtito, annona omnis in corbes congeſta & humeris incumbente perticâ deportata eſt, ſingulis quatuor vel quinque hominum ſocietatibus ſpolium referentibus decem vel duodecim *Mann* Diſgunenſium, id eſt, librarum Belgicarum circiter quinquaginta. *Nota:* quod hæc primæ collectionis lacryma non habeatur pro Aſâ optimâ, ſed inferioris notæ.

Actus III.

Poſtquam radicibus mora decem dierum (ſufficiebat octiduum) pro recuperando ſucco indulta eſſet, ad redauſpicandam meſſem cum luce diei 10. Junii accedebatur in locum *A*. remotis umbraculis & impedimentis terræ, nova colligebatur lacryma, abſciſſôque ſummo orbiculo vulnus operiebatur. Die 11. idem agitabatur circa radices in loco *B*. *Nota:* hunc ſuccum, qui ex morâ plurium dierum copioſior effluxerat, & ad debitam ſpiſſitatem exaruerat, proprio gaudere nomine *Piſpaas*, cum alter commune nomen *Sjiir*, i. e. lactis, ex candore & tenuitate, perferat; at hic *Piſpaas* ex communi opinione præſtantior dicitur ac multò habetur carior, quàm ille *Sjiir* dictus. Utrum ob paucitatem, an ſolidiorem conſiſtentiam, non dixerim. Certè lacteus ille deterioris ſubſtantiæ non eſt, quamvis humidior, nam aëri diutiùs expoſitus æquè indureſcit, & ab illo *Piſpaas* nullo ſigno differt. Credo igitur ex eo genitum eſſe errorem, quòd Diſgunenſes lacrymam *Sjiir* nunquam antea, prout nata erat, genuinam vendiderint, ſed auctam atque adulteratam vili quadam materiâ, quam recens & liquida facilè admittebat: ſecus ac *Piſpaas*, quæ ob ſiccitatem adulteria reſpuens, non niſi pura vendi potuit. Aſa enim omnis per ſe eſt puriſſima, & quicquid alieni continet, id omne habet ab adulterio. Ipſi colligentes id mihi taſſi ſunt, his verbis: quòd recenti *Sjiir* ſoliti fuerint admiſcere, non quidem farinam, aut Gummi Sagapenum, velut à ſcriptoribus proditum eſt, ſed puram terram limoſam, quæ in monte fortè ad manus fuerat: plerosque autem parem limi quantitatem, alios deinde duplam, vel pro cujusque avaritia majorem immiſcuiſſe, quantam ſucci tenuitas admiſerit. Quo ipſo verò vile pretium, &, detectâ fraude, omnimodùm contemptum Aſæ hujus nominis peperierint, ſuo quidem damno, quòd nemo Diſgunenſem ampliùs deſidetaverit: inpoſterum igitur cautiùs mercari doctos, omnem ſe repudiaſſe adulterii ſpeciem, hodieque omnem cujuscunque collectionis & conſiſtentiæ lacrymam in unam maſſam cogere, & iisdem voluminibus conditam in portus deferre, Congenſem & Ormuſienſem: ſi quæ impuritas adhuc ſubeſt, eam deberi negligentiæ legulorum, qui vulneratam radicem minùs cautè contexerint; quanquam caveri vix poſſit, ne à foliis, quibus operitur, & à vento, paleas & pulveres adſpirante, tenax ille liquor conſpurcetur. Die 12. claſſis *A*. & poſtero die 13. claſſis *B*. ſucco *Sjiir* exuta, reſecta pariter & retecta eſt. Die 14. eadem operatio in loco *A*. & die 15. in loco *B*. iterata fuit. Ita radices, poſtquam ſemel Aſam ſicciorem *Piſpaas*, bis liquidiorem *Sjiir* impertitæ fuiſſent, ſub operculis relictæ ſunt.

Actus IV.

Exacto domi triduo, die 3. Julii radices; haud longo otio gaviſas, reviſebant leguli, experientiâ edocti, tot exactionibus infirmatas & ad interitum diſpoſitas facilè tabeſcere: tributum ampliùs haud collaturas, ſi collectio longiùs differatur. Primo acceſſu Aſa *Piſpaas* ac cetera requiſita ſolito more agitata ſunt in loco *A*. Die 4. idem omninò factitatum eſt in loco *B*. Die 5. collectio Aſæ *Sjiir* & cetera in loco *A*; die vero 6. in loco *B* celebrata ſunt. Die demum 7. ultima manus admota eſt claſſi *A*: in quâ, abraſo ſucco, ſectio intermiſſa, adeoque radices non opertæ relictæ ſunt, à libero aëre & Solaribus radiis brevi intermorituræ. Die 8. parem ſortem experta & exitio damnata fuit claſſis *B*; & hôc ipſo finita fuit meſſis Hingifera.

Habes, Lector, communem colligendi modum, quô ſcilicet tribus excurſionibus ab unaquaque radice octies liquor *Sjiir*, & ter *Piſpaas* exigitur, in his montibus Diſguno vicinis hactenus obſervatam. *Sciendum* verò radices grandiores, i. e. majores vicenariis, quales dantur in jugi parte diſtantiori & cum difficultate conſcendenda, tam citò non dimitti, ſed pluribus mulctari poſſe exactionibus, donec quater vel quinquies *Piſpaas*, tantôque ſæpiùs *Sjiir* effuderint, extenſo collectionis termino in Septembrem. Verùm, hôc montium tractu paucas decennio, nullas ampliùs vicenniô majores

jores inveniunt: per ânnos enim bene multos, quibus Asæ continua caritas fuerat, à colligentibus extirpatæ sunt, nullo iisdem, ut grandescerent, concessô otio. Radices, exsolutis tributis, insepultæ relictæ, ad unum omnes putrescere dicuntur. Terrâ obrutas aliquando revivisscere experientiâ suâ testabatur unus legulorum, negabant ceteri.

CAPUT II.

DE

CAPHURA.

§. 1.

CAPHURA, s. CAMPHORA, candidum & instar nitri pellucidũ resinosum gummi est, sapore acri, amariusculo, aromatico & penetrantissimo, odore vehementi & quodammodo adverso. Ex India Orientali affertur & refinata magnis latisque, sed planis, orbibus, specie magnorum operculorum fictilium, à Materialistis & Pharmacopolis emitur.

§. 2.

Originem ab arbore ducit, quæ propterea ab hodiernis primariis Botanicis, Scriptoribusque Indicis, utpote *Breynio, Hermanno, Grimmio* &c. Arbor camphorifera, ab Indis vero CUSNOKY vocatur, partim in Insula Borneo, partim in Japonia in locis incultis copiosè reperiunda, ibidemque tam crassum habens caudicem, quem duo viri vix possint circumplecti. Equidem quæ in Borneo inveniuntur arbores camphoriferæ multo sunt minores, multo tamen meliorem pretiosioremque progenerant camphoram. Binæ vero solidissimum habent lignum, ex quo Indi pulchra scrinia conficiunt, totasque ædes exstruunt, ut *D. Grimmius* in *Miscell. Germ. Cur. Dec. 2. An. 1. obs.* 15. commemorat, ubi etiam tota arbor sistitur delineata. Folia fert ut caryophyllus, verum rotunda magisque acuminata, semper virentia, &, si efloruerunt, proveniunt parvæ rotundæ nuculæ, ut glandes in suis calycibus, in quibus dississus nucleus reperitur: id quod *Dn. Jacobus Breynius* in scriptis suis Botanicis accuratè descripsit, qui olim arbotis hujus ramusculum, foliis adhuc stipatum, *D. Sebast. Scheffero* dono dedit, qui postea in meas pervenit manus. Intereà memorabile est etiam è corticibus radicis arboris cinamomi camphoram posse destillari, ut ex *Act. Soc. Lond. Vol. 1. pag.* 724. apparet.

§. 3.

Pro diversitate arborum, præsertim verò regionum, è quibus camphora venit, duæ istius sunt species, Borneana & Japonensis, Materialistis etiam Sinensis vocata, vid. *Schræd. Pharm. Medico-Chym. pag.* 182. Borneana vel sponte ex arbore exstillat, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. p. m.* 696. existimat, vel alia ratione ex ista eruitur, quæ in *Bocconis Recherch. & obs. naturelles pag.* 268. & clarius in *Arent. Sylvii* Relatione, in Appendice hujus Tract. post *Epistolas Indiæ Orientalis* reperiunda, describitur, modo sequenti: Si quando arbores camphora solent esse refertæ, incolæ Oriente Sole aures ad arbores applicant, quas observato strepitu abscindunt, dississasque in Sole sinunt siccari; postea in parva frusta omnia diffringunt, ac camphoram parvis frustis eruunt, quæ cribro ab omnibus impuritatibus depurgata, in distinctas sortes distinguitur, à *Garzia ab Horto* recensitas *Lib.* 4. Atque hæc optima camphora est, quam Indi ipsi retinent, usque eo rara, ut in Europâ vix videatur. Pellucidior clariorque dicitur esse communi, nec ad modum hujus in aëre dissipabilis. Quô autem modô Japonensis colligatur ac præparetur, *Dn. D. Cleyerus*, Proto-Medicus in India Orientali, in *Misc. Acad. Germ. Cur. Dec. 2. A.* 20. *pag.* 74. pereleganter descripsit: Japonenses sc. radicem ac juniores ramusculos de arboribus decerpunt, in minutissima frustula incidunt, eaque coquunt in aheno destillatorio aqua repleto, 48. horarum spatio, unde camphora sublimatur, ac superius capitello adhæret, quæ omnia in principio hujus capitis *Musei Museorum Germanici*, ex *Dn. Cleyeri* figura, apparent. Non minus & Constantinopoli ita dicitur præparari, quæ tamen Indica bonitate est inferior, ut *Schurzius* in *Mater. Mus. Germ. pag.* 22. testatur.

§. 4.

Quum verò camphora, ex India Orientali allata, magnam partem impura sit, utpote vel ex arboribus in terram profluens, vel debita cura non præparata, in Europa de integro sublimatur, sive, Mercatorum termino, refinatur, cui labori certi in Batavia Venetiisque homines præstituti sunt, Refinatores vocati. Quem tamen processum nemo adhuc Chymicorum descripsit, id quod *Pometus* Materialista Gallus non temerè admiratur, qui propterea omnia in *Hist. des Drogues pag.* 147. accuratè sistit descripta. Nempe impura camphora (quam prædictus Materialista camphre brute, *Schræderus* verò rudem vocat, utpote ex impuris grumis diversa magnitudine & instar salis apparentibus constantem) ex India allata certis in vasis super parvo igne sublimatur, atque sic camphora superius capitello, placentarum

ſpecie, adhæret, in qua etiam multa granula apparent, quæ non tam cito poterant incorporari. In fundo remanet caput mortuum, maxime è fæcibus conſtans, alii cuidam rei necquicquam utile.

§. 5.

Optima eleganter candida, claraque ac pellucida ſit, maculis coloreque flavo deſtituta, forti vero odore prædita, elegantibus fruſtis conſtans, digitis facile friabilibus, quæque incenſa non poſſunt extingui, ſecundum *Schrœderum l. c.* Alii in calido pane iſtam probant, in quo prorſus liquatur, quoque citius liquatur, eo putatur melior. Num verò camphora refinata ſevo, maſtiche ſimilibusque poſſit adulterari, ut *Scaliger* ſuo tempore putavit, *Pometus* valdè dubitat, quod hæc materia tam clara puraque exiſtit, cui non facile quid poſſit permiſceri, niſi externus etiam ſplendor periclitetur. Ab aëre vult defendi, & vel in veſicis aſſervari, in quibus annum & diutius ſine detrimento ſervatur, modo iſtæ non aperiantur, ut *Schurzius* teſtatur *l. c.* vel in ſemine lini, granis piperis aliisque rebus oleoſis cuſtodiri, ne conſumatur & avolet.

§. 6.

De viribus & qualitatibus camphoræ, à multis abhinc annis ad hunc usque diem, magna inter Doctores lis eſt, calidæne, an frigidæ naturæ ſit? *Ludovicus* ab *Horning* in peculiari, *de Qualitatibus Camphoræ, ad D. Georgium Horſtium* ſcriptâ *epiſtola*, cum aliis vult affirmare frigidæ camphoram eſſe naturæ, quod ad modum aliorum frigidorum laſciviam compeſcit, mares viribus privat, & exercentæ ♀s arma obtundit, veterum proverbio:

Camphora per nares caſtrat odore mares.
Der Campher iſts, der Wunder kan,
Sein Riechen nur entmannt den Mann.

Alii melioribus rationibus contrarium defendunt, quoniam ſapor, odor aliæque operationes de calida iſtius natura teſtantur, quippe cum nihil aliud ſit, quam valdè volatilis & oleoſus ſal, qui ad modum aliorum ſalium volatilium neceſſario calefaciat. Quæ verò de caſtratione virorum dicuntur, vel falſa ſunt, quod Refinatores Venetiis ſatis ſunt laſcivi, multosque liberos generant, ut *Tachenius* in *Hippocr. Chymico pag.* 183. obſervavit: vel ex alia proficiſcuntur ratione, quoniam gonorrhœam curat, ut *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 697. præ aliis pluribus oſtendit. Nec obſtat, quod inflammationes oculorum aliorumque partium impediat ac reſolvat, inque febribus ardentibus refrigeret: Utrumque enim vi ſua diaphoretica & alexipharmaca præſtat, quippe qua febres petechiales, peſtilentiam & ſimiles affectus curat, adeò, ut etiam de collo ſaltem ſuſpenſa febres erraticas ſoleat curare. Particulis ſuis oleoſis narcoticam & ſomniferam vim habet, qua capitis aliosque dolores, hæmorrhagiam narium, gonorrhœam &c. ſedare, ac deliria febricitantium compeſcere valet, ſive internè, cum nitro depurato temperata, detur, ſive externe in epithematis uſurpetur. Sic etiam ſpiritus vini camphoratus, & camph. aliaque præparata multis intentionibus ſatisfaciunt, quæ in *Schrœderô* hujusque Interpretibus reperiuntur. Quâ verò ratione hæc camphorata multis in morbis præſcribenda ſint, vel à Clariſſ. Medicis fuerint uſurpata, *D. Gothofredus Mœbius* in *Anatomia Camphoræ*, & *D. Wedelius* in *Diſput. de Camphora* fuſius ex profeſſo docuerunt. Hodie quoque magna iſtius copia ad ignes artificiales globulosque ſub aqua urendos inſumitur, quoniam camphora ſub aqua urit, dum etiam incenſum fruſtum pilæ niveæ intruſum, nivem fundit, ipſum vero non deletur, vid. *Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Mater. pag.* 82.

CAPUT III.

DE

GALBANO, SAGAPENO ET OPOPANACE.

§. 1.

GALBANUM lignoſum gummi eſt, perpetuò molle & ceræ inſtar ductile, quod, quoniam candelæ admotum urit, ritu reſinæ, ſed tamen in ſola aqua ſolvitur, medii generis eſt inter reſinas & gummata. Foris plerumque flavum vel rubicundum, recens & albicans apparet, ſapore amaro & acri, odore vehementi & adverſo: Ex Syria per Maſſiliam affertur.

§. 2.

Herba, ex qua emanat, Ferula Galbanifera audit, quam *Pometus* in *Hiſt. des Drogues p.* 255. ad originale *D. Tourneforti* effingi curavit. Iſtius caules, ſemen & folia ſæpe galbano inveniuntur permiſta.

§. 3.

Ejus duæ afferuntur ſortes, nempe 1. granulatum ſeu in granis, (quod *Schrœderus pag.* 187. cartilaginoſum vocat, quoniam eleganter albicans, inſtar cartilaginum, apparet) & 2. in placentis ſ. in pane, quod eo eſt melius, quo magis eſt granulatum, eleganter clarum, flaveſcens, molle, nec tamen glutinoſum, nec putaminibus ſeu corticibus plantæ permiſtum. Lignum, lapides

pides arenaque permista nequicquam prosunt, vid. *Marxius* in *Mater. Mus. pag.* 100. Prius parvis frustis veniat, thuri simile, pulchrum, purumque ac pellucidum sit, ut in *Weckeri Antidot.* 1. *Spec.* 17. videre est.

§. 4.

Dissolvit emollitque tenacem pituitam, menses promovet, fœtum ac secundinas pellit, eosque forti suo odore exsuscitat, qui epilepsia, suffocatione uterina ac similibus afficiuntur, & externe quoque artus confortat. Quamobrem adeo decantatum Galbanetum Paracelsi (quod aliquod exinde destillatum, sed mistum oleum est,) in paralysi & doloribus intestinorum spasmodicis, à quibus illa sæpe oritur, valde commendatur, vid. *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 702. Emplastra quoque attractoria Chirurgorum, Cerota matricalia, ad quæ etiam emplastrum de Galbano pertinet, in officinis usuale, ingreditur.

§. 5.

Eadem Gummi Serapini ratio est, cum fere ejusdem sit originis, odoris ac virtutis, quod alias vulgo

SAGAPENUM

vocatur. Pellucidum gummi est, foris plerumque rubicunde flavens, intus albicans, sapore acri, odore gravi & viroso, allium æmulante, cujus intuitu ad asam fœtidam fere accedit. Maximam partem è Persia & India Orientali Venetias fertur.

§. 6.

Similiter à planta ferulacea oritur, priori haud multum dissimili, præterquam quod folia seminaque juxta minora sint. In Persia copiosè dicitur inveniri: gummi verò è sauciatô caule profluit, ut è figurâ *Pometi* apparet.

§. 7.

Istius duæ quoque sunt sortes in Materialium Musæis, nempe in granis & in pane, quæ ab omnibus fere Medicis ac Materialistis probantur, quando extrinsecus flava, subrubra ac pellucida sunt, vid. *Schræd. pag.* 204. & *Marxius pag.* 180. His tamen omnibus Pharmacopola Parisiensis *Charasius* adversatur, in *Histoire de la Theriaque pag.* 230. affirmans, cum anno 1650. à Beaucaire quodam Provinciæ Languedoci loco, in nundinis, vendendis speciebus ex Oriente venientibus potissimum dicatis, fuerit, vidisse se extraneum quendam Aromatarium s. Materialistam, qui inter alia cistam sagapeno repletam, 20. vel 30. libras circiter continentem, ex Oriente secum tulerat, illudque prorsus recens affirmaverat, quod tamen intus forisque lactea fuerit albedine, alias vero vehementiorem habuerit odorem. Quamobrem prædictus *Charasius* vulgò probatam flavedinem rejicit, contraque ea existimat istam in inveterato saltem sagapeno videri, cum recens prorsus album esse oporteat. Hinc etiam *Pometus l. c. pag.* 256. album censet esse optimum, præsertim purum, & odore ad pinum accedens.

§. 8.

Ratione usûs, ut jam dictum, cum priori, convenit, dum non solum tenacem pituitam interne externeque resolvit, sed etiam educit; quamobrem in asthmate, tussi aliisque morbis pilulæ de Sagapeno adeò commendatæ sunt. Ob odorem gravem ad epilepsiam morbosque uterinos proficit, menstruaque fortiter pellit. Externè sagittas similiaque è corpore extrahit, quod propterea *Hoffmannus* pro basi magnetici sui emplastri ad hernias constituit, ut ex ejus *Comment. in Schræd. pag.* 599. apparet. Videndum tamen, num teneræ personæ istud fortiter olens perferre possint, quo minimum à durioribus judiciis nos possimus defendere, dum nuper Medicus quidam alteri tribui causam voluit, quasi per-Illustris Virgo de R. (quæ altera vel tertia vice vix scrupulum sumserat) ex isto mortua fuerit: qui casus diversis Facultatibus ad dijudicandum transmissus est, ut è *Novellis* nostris *Medico-Legalibus* hauriri poterit. Sunt excusationes excusationum in peccatis, ut *Helmontius* aliculi loquitur.

§. 9.

Quo vero ejusmodi fœtentibus succis colophonem imponamus, paucis adhuc.

OPOPANAX s. PONAX-GUMMI

sistetur contemplandum, quod pingue, leve ac friabile gummi est, foris rubicunde flavum, intus albicans, sapore amaro & ingrato, odore gravi. Ex Oriente per Massiliam in cistis venit, quæ propter odorem, cum impetu erumpentem, caute aperiendæ, ut *Pometus l. c.* Materialistas, ipse damnum expertus, hortatur.

§. 10.

Planta, quæ istud progenerat, Panax Heracleum audit, folia habens instar pastinacæ, albos umbelliferos flosculos, caulemque lanuginosum, albam etiam radicem, circa quam incolæ spatium faciunt purum, ibidemque ponunt magna folia, super quæ emanantem è sauciatis radicibus succum fluere atque siccari sinunt, principio album apparentem, cum tempore vero flavescentem, de quo *Marxius l. c. pag.* 144. plura docet.

§. 11.

Duæ minimum species in Materialium Musæis inveniuntur, nempe in granis & in pane. Quibus *Pometus l. c. pag.* 257. tertiam addit & opopanax planum vocat, longitudine crassitieque pollicis venire perhibitum. Sic etiam *Hoffmannus Tract. de Med. Officin.* tres species numerat, Opopanax Heracleum, Chironium & Æsculapium. Optimum in granis priora signa habeat, intusque albis granis refertum sit, tamque siccum, atque possibile est. In Opo-

panace in pane haud multum eſt boni, cum plerumque adulteratum ſit, & fere lateat, unde in pane bonum venire debeat, teſte *Schurzio* in *Mater. Muſ. pag.* 39. Deficiente priore videamus quinam panis plurima grana habeat. Tertia ſpecies adhuc minoris æſtimatur *Pometo*, quam Circumforanei ex viliſſima quadam reſina æmulantur, & ſub nomine Societatis pro opopanace granulato divendunt: quem dolum exterior ſtatim forma prodit, dum verum granulatum in parvis rotundis grumis, adulteratum & planum fruſtis pollicis craſſitie venit.

§. 12.

Ratione uſus cum priori in omnibus fere qualitatibus convenit, raro autem interne, plerumque externe ad emplaſtra vulneraria præſcribitur, ac propterea ingreditur Emplaſtrum Divinum.

CAPUT IV.

DE

MYRRHA ET SARCOCOLLA.

§. 1.

MYRRHA durum & ſiccum reſinoſum gummi eſt, ex flavo fuſcis ſeu rubicundis fruſtulis, iisdemque cæſiis vel albis ſtriis interſtinctis, conſtans, præter ſaporem amarum, acrem & aromaticum, odorem habens ſatis vehementem. Ex Ægypto & Æthiopia per Maſſiliam venit, in ſortes diſtincta, in magnis coriaceis ſarcinis, quatuor aut quinque centenaria pendentibus, ut *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag.* 253. refert.

§. 2.

Arbor, unde exſtillat, nondum ſufficienter indagata eſt: quamobrem auctores in eo non conveniunt, frutexne an arbor ſit? Plurimi Scriptorum *Plinii* amplectuntur deſcriptionem, ſecundum quam quinque circiter ulnas longa, ſpinoſa, duraque & intorta eſſe dicitur, ut in *Sam. Poliſii Myrrhologia cap.* 4. *pag.* 10. pluribus agitur. Ab hodiernis Botanicis ad arbores bacciferas refertur, ſecundum relationem *Dalei* in *Pharmacol. pag.* 434. Ex hiſce arboribus, junioribus adhuc exiſtentibus, ſponte balſamicus quidam liquor profluit,

STACTE

vocatus, qui tamen nunquam in Europam transportatur, ac propterea artificioſe interdum è vulgari myrrha, per ſolutionem & expreſſionem, effingitur. Inde eſt, quamobrem *Dioſcorides* ſuo jam tempore duplicem ſtacten, naturalem & arte productam deſcripſerit, ut *Schræderus* in *Pharm. Medico-Chym. pag.* 196. obſervavit.

§. 3.

Nonnulli etiam, utpote *Fuchſius*, *Charaſius* aliique dubitant, num nota nobis myrrha vere genuina ſit, cum ſignis & proprietatibus, à *Dioſcoride* iſti attributis, deſtituatur: ac propterea id, quod hoc ſub nomine hodie venditur, pro bdellio aut alio quodam gummi volunt haberi. Enimvero prædictus *Pometus* id de ſe ſuisque Collegis non vult dici, quin potius affirmat, veram hodie vendi myrrham, cui etiam *Bauhinus* & *Parkinſonus* aſſentiuntur. Et quanquam quibusdam indiciis, in recenti, ex viridiuſculo rubente, pingui mordacique (qualem *Charaſius* ad ſuam theriacam curavit accerſiri) ſaltem reperiundis deſtituatur, non tamen ſtatim pro ſuſpecta inutilique habenda, quod hoc ſimplex valde diu durat, ut *Charaſius* ipſe in *Tract. de Ingredient. Theriacæ pag.* 122. confitetur.

§. 4.

Quoniam verò myrrha ex fauciata arbore quaſi vi excogitur, non poteſt, quin aliquid de corticibus aut aliis quisquiliis iſti permiſceatur, quando in ſortis venit. Quamobrem per cribrum purgari, minimaque ſeparari oportet, unde ita dicta MYRRHA PARVA oritur. Reliquum in tres ſortes (quarum *Dioſcorides*, ex iſtoque *Poliſius l. c.* fere ſeptem recenſent) diſtinguitur, inter quas aſpera, puraque ac gummoſa MYRRHA ELECTA: lævis, pura & clara FINA: nigra, ſubcava, ex impuris conſtans fruſtis, COMMUNIS ſ. MESSANA vocatur, ut *Schurzius* in *Mater. Muſ. Germanico pag.* 39. oſtendit. Quamobrem non in electione ſolum circumſpectione opus eſt, ſed in emtione myrrhæ in Sortis quoque videndum, num multum Myrrhæ electæ contineat, quæ emiſſo exſpiratione ſpiritu ſtatim rubeſcit, & quod pulchris, claris ac pellucidis lacrymis conſtat, Gallis ſtacte en larmes vocatur: Fina vero albis notata ſtriis, tanquam unguium maculis, Myrrhe onglée. Quæ binæ optimæ ſunt, quando ſimul leves & friabiles, amaræ gratæque juxta palato apparent, ut *Marxius* in *Mat. Muſ. German. pag.* 119. ſcripſit.

§. 5.

Virtute pollet calefaciendi, reſolvendi & alexipharmaca, uterum ab omni impuritate liberat, & parturientibus valdè deſiderata eſt, quod vivum mortuumque fœtum, ſecundinas

dinas aliaque promovet. Variolas morbillosque expellit, putredinem ac morbos contagiosos arcet, à prudentioribus propterea Medicis hominibusque aliis, ægros invisentibus, in ore detenta & mansa. Eum in finem multa istius præparata & composita, utpote Essentia, essentia salutis vocata, Extractum, & per deliq. Trochisci de myrrha & similia in officinis prostant, atque in multis probatis Medicorum formulis, multis in morbis utilibus, quotidie usurpantur, quæ in supra memorata *Myrrhologia D. Polisii* in *Append. Miscell. Acad. Germ. Cur. Dec. 2. A. VI.* reperiunda, fusius descripta invenies. Externè quoque sanante & balsamica vi pollet, atque cadavera a putredine diu defendit. Sic *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 706. recenset multos se vidisse tenellos partus, multos annos in spiritu vini myrrhato à putredine defensos: quod Anatomicis in Batavia, præsertim clariss. *D. Ruischen* Amstelodami non infrequens est, nec dubito, quin istius materia ceracea, quam vocat, qua viscera partesque corporis condire solet, multum myrrhæ acceptum referat.

§. 6.

Quemadmodum myrrha ad omnes carneas corporis humani partes à putredine defendendas valet, ita easdem violenter incisas laceratasque aliud quoddam gummi,

SARCOCOLLA, *Fleisch-Leim*

vocatum, sanat: quod ex granulis diversa magnitudine constat, ac thuri electo simile est, nisi quod multa subrubra granula habeat permista. Sapore est amaro & viscido, ultimo dulcedinem, liquiritiam imitantem, relinquente. Quando pulverisatur, ad Sumac pulv. accedit similitudine, secundum *Marxium l. c. pag.* 40. Ex Persia per Massiliam aliosque portus in Europam venit.

§. 7.

Vegetabile, à quô oritur, hodieque similiter dubium est, dum alii istam ab arbore quadam siliquosa, alii à frutice, ab herba alii quam multi speciem putant esse tithymali, alii argemonem, derivant, ut *Sam. Dale* in *Phytogr. pag.* 465. commemorat. Sed tempus fortasse ac indefessum hodiernorum Botanicorum studium certius quid docebunt. Interea certiore quodam non suppetente, in principio capitis *Musei* nostri *Germanici, Pometi* figuram voluimus præfigi, quippe quem duo amici voluerunt certiorem fieri, parvam ac spinosam esse arborem, in Arabia felici copiose crescentem, ut ex istius *libro pag.* 267. apparet.

§. 8.

Idem iste Materialista, præter usitatam & ubique notam sarcocollam, aliùs adhuc meminit, in massa fusca venientis, quæ vel per artem efficta est, vel, ut opinatur, aqua marina est liquata, ac propterea rejicienda. Sic nec ea, in qua exigua granula fusca apparent, quæve alia minuta & pulverem permista habet, quicquam prodest. Optima autem sarcocolla est, quæ ex albis granis, flavis aut rubicundis evadentibus, constat, facile friabilis est, principio amara, ultimo subdulcis: quæ enim amarore destituitur, certissimè adulterata est, ut *Marxius l. c. pag.* 181. judicat.

§. 9.

Virtute hoc gummi pollet adstringente & valdè sanante, ut etiam internè ad dysenteriam & hæmoptysin præscribatur, adversus quam antiquus Medicus *Oribasius* aliquod Electuarium pilulasque exinde præparavit, *vid. Disp. Aug.* Externè carnis vulnera cito curat, sarcocolla propterea s. carnis gluten vocata: ex qua etiam Chirurgi emplastra agglutinantia (*Hefft-Pflaster*) conficiunt, teste *Ettmüllero* in *Comment. Schræd. pag.* 721. Et quoniam ob succum glutinosum acres corrosivas humiditates valde temperat, ad acrimoniam ruboremque oculorum etiam commendatur, in aqua rosarum vel lacte muliebri soluta, oculisque instillata. *vid. Schræd. in Pharm. pag.* 200. ejusque Interpres *Frid. Hoffmannus* in *Clav. pag.* 600.

CAPUT V.

DE

THURE, GUMMI ANIME, CANCAMO ET COPAL.

§. 1.

THUS s. OLIBANUM pallidè flavens, dura & pellucida resina est, partim ex minoribus granis, instar mastichis, partim majoribus diversæ magnitudinis constans, sapore subamaro & resinoso, odore fragrante. Utplurimum ex India Orientali ac Turcia ad nos transfertur: hodie tamen Societas Mercatorum s. Materialistarum in Gallia aliquam istius speciem etiam ex India Occidentali affert, uti infra ostendetur.

§. 2.

De arbore nihil adhuc certi innotuit, & licet nonnulli istius folia pyri, alii fraxini, lauri vel salicis foliis compararint, alii pini esse speciem voluerint, ejus tamen figura adhuc incerta est, ac propterea ab *Rajo* & *Sam. Daleo* in *Phytol.* incognitis arboribus annumeratur. Quæ causa est,

quamobrem *Pometi* figuram, in qua folia ex pulchris faſciculis conſtant, noluerim imitari, præſertim cum non meminerit, ex cujus communicatione iſtam habeat. Interea id ferè inter Scriptores convenit, in Arabia juxta Libanum montem iſtam creſcere, ubi ex relatione *Schurzii* in *Mater. Muſ. pag.* 39. magna ſylva triginta milliarium ſpatio circumſcripta coli & à peculiaribus ibidem ſanctis habitis perſonis (præter quas nemini ſpeciem arborum contemplari integrum eſt) ita perhibetur colligi: incidunt arboris corticem, ſubſtratisque pannis ſ. linteis decidens thus excipiunt, ne impurum fiat. Multum tamen thuris arbori manet impactum, quod optimum eſt, & mas vocatur, præſertim ſi æſtate fluxerit, quippe quod multo candidius eſt eo, quod vere colligitur & rubrum apparet, ut *Schurzius l. c. Marxius* verò in *Mater. Muſ. pag.* 143. teſtatur.

§. 3.

Inde potiſſimum eſt, quamobrem diverſæ Olibani ſint ſpecies, quarum *Wormius* in *Muſ. pag.* 229. quinque recenſet, 1. Maſculum, ex eleganter rotundis, magnis, ex albo flaventibus grumis, iisdemque interdum duplis, teſticulorum ad inſtar, plerumque autem ſimplis conſtans. 2. Mammoſum ſ. oblongum, papillarum modo, quod proprie fœmina videtur vocandum: quanquam de ſententia *Schræderi* molle prorſusque flavum ita vocetur. 3. Orobæum, vulgò *Erbſen-Weyrauch*, ex parvis granulis, inſtar maſtichis, conſtans, & cum maſculo cetera conveniens. 4. Mannam Thuris, quam minima farinaria granula, à crebra ſaccorum motione & contuſione orta, dicuntur conſtituere; quanquam multi etiam præcedens ita vocent, teſte *Daleo l. c. pag.* 473. 5. Indicum, quod Galli vel in granis exiguis, vel in maſſa magna & molli habent, quæ tamen multum impuri continet, atque OLIBANUM de Moca à *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag.* 270. vocatur.

§. 4.

Optimum Olibanum decenter magnis, albis purisque granis conſtat, quod propterea à Materialiſtis finum vocatum plerumque ad theriacam eligitur. Equidem minora grana virtutibus non ſunt inferiora, niſi quod illa mentium magis in ſe vertant oculos, ut *Charaſius in Tract. de Theriacæ Ingred. pag.* 143. ipſe confitetur. Quod pauca adhuc grana permiſta habet, Olibanum in ſortis nominatur. Manſum ſalivam reddit prorſus albam, ſaporemque prodit amarum. Ultimum ſive, uti quidam volunt, Gallicum olibanum interdum pro bdellio venditur, quod tamen temerarium eſt, monente *Pometo l. c.* Multo minus digna ſe munire excuſatione poſſunt, qui iſtud, deſtillato prius exinde oleo, pro vero olibano divendunt, ut haud ita pridem apud quendam Pharmacopolam vidi, qui Anno 1701. olibanum, quod tum in Batavia valde vile erat, magna afferri curabat quantitate, ex iſtoque oleum olibani deſtillabat, quod cum magni ſoleat taxari, pluris ſine dubio hoc vendidit, quam ipſum olibanum emerat, quod tamen pulveribus fumalibus potuit permiſcere. Omnium vero peſſimum eſt, ſi quando reſina pini adulteratur, quod tamen, carbonibus injectum, terebinthinam redolet, hocque ipſo cognoſcitur.

§. 5.

Virtute olibanum pollet calefaciente, exſiccante & ſubadſtringente: quamobrem non externe ſolum, ſed interne quoque ad acres humores capitis, pectoris affectus, dolores ventriculi, diarrhœam &c. uſurpatur, maxime vero externe in ſuffumigiis ad ejusmodi catarrhos, odontalgiam, ſanandaque vulnera inſumitur. Oleum olibani in phthiſi dicitur perutile, teſte *Ettmüllero* in *Comment. Schræd. pag.* 279.

§. 6.

Quoniam thuri in fragrantibus ſuffumigiis, utplurimum

GUMMI ANIME

vulgò dictum additur, iſtius etiam ſtatim faciemus mentionem, præſertim cum priori ratione coloris haud diſſimilis, & dura, foris alba, intus ex albo flava, quodammodo pellucida & friabilis gummoſa reſina ſit, diverſa magnitudine, ſapore reſinoſo, incenſa odore fragrantiſſimo. Ex Braſilia Indiæ Occidentalis, per Hiſpaniam & Luſitaniam venit.

§. 7.

Arborem, ex qua profluit, *Plukenetus Tab.* 82. *Phytographiæ* pulcherrimè delineavit, quæ in quolibet caule bina ſibi è regione oppoſita folia, myrti foliis fere ſimilia, oſtendit, magnas craſſasque ſiliquas, eſui aptas, profert, duros nucleos, magnis Ricini granis ſimiles, includentes, id quod à *Wormio in Muſ. pag.* 224. uberius deſcribitur.

§. 8.

Hujus reſinæ *Schræderus* in *Pharmac. Medico-Chym. pag.* 176. tres ſortes recenſet, nempe 1. gummi anime fulvum & pellucidum, 2. nigrum, colophonio ſimile, 3. durum & pallidum: quartum vero, idque optimum, quod album eſt, omittit, quod *Pometus l. c. pag.* 272. addit, ſimul certo affirmans, quatuor iſta genera ab una omnia provenire arbore, ſæpeque uno in fruſto obſervari, quale ipſe pugni craſſitie poſſideat, ſibi à *D. Briſoto*, Medico Pariſienſi, ex India Occidentali allato, in quo prima ſpecies inſtar ambræ, altera nigredine colophonii, tertia inſtar cornu, quarta eleganter alba ſiccaque appareat: quam ultimam pro vero ſinoque gummi anime habet. Ceteræ vel viliorem, vel mediam ſortem conſtituunt, apud Materialiſtas reperiundam, vel nihil ſunt aliud, quam quod alii

CANCAMUM

vocant, quemadmodum præmemoratus *Wormius l. c. pag.* 225. etiam opinatur, dum alias nullum

nullum ejusmodi gummi apud Materialistas reperitur, ac quidam gummi laccæ, alii asam dulcem, alii aliud quid istius nomine volunt intellectum, ut in *Sam. Dalei Phytol. pag.* 475. videre est.

§. 9.

Quoniam verò in officinis plerumque nobis notum gummi anime invenitur, notandum est, album, siccum & facile friabile quod de reliquis parum aut nihil permistum habet, potissimum pro optimo haberi, præsertim si fragrantia istud commendet. Quæ tamen electio ab externa saltem facie & vulgari opinione dependet, qualitates vero non respicit, quippe quibus cum cæteris convenit, secundum *Pometum l. c.*

§. 10.

Quæ qualitates in vi resolvente, exsiccante & balsamica positæ sunt, cujus intuitu *Wormius l. c.* hoc gummi etiam balsamum vocat. Maximè externè in suffimigiis ad catarrhos, inque emplastris sanantibus ad capitis ac nervorum vulnera usurpatur, in paralysi propterea & contracturis vehementer commendatum, ut *Vielheurius* in *Descript. Exot. Mater. pag.* 110. annotavit.

§. 11.

Quando vero ante dictus *Vielheurius l. c.* vulgò ita dictam

RESINAM COPAL, (*Copal-Hartz,*)

pro gummi anime vult haberi, *Pometus* etiam *Wormii* figuram, quam de arbore gummi anime dedit, Copal resinæ tribuit, uterque vehementer errant, dum longe diversa, dura scilicet, flava seu ex albo flavens, pellucida, & gummi Arabico haud multum dissimilis resina est, sed odore fragrante, ad olibanum accedente. Similiter ex Nova Hispania, seu India Occidentali, in sortis transportatur.

§. 12.

Quamvis in India Occidentali, si non omnes, sed tamen bene multæ arbores, gummi suppeditantes, Copalliferæ vocentur, quarum *Hernandezius Lib. 3. Rer. Med. Nov. Hispan.* fere octo recenset & partim delineavit, hæc tamen resina potissimum ex ea profluit, quam Num. II. & *Plukenetus Tab. 56 Fig. 1.* aliter quodammodo & sine crenatis foliis dedit intuendam. Rubros habet ramos, ex flavo rubras baccas, foliaque fistit ut fraxinus, qua de re etiam *Raji Hist. Plant. pag.* 1797. potest videri.

§. 13.

Quemadmodum nunc ante laudatus *Plukenetus* testatur seipsum claram resinam Copal de hac arbore legisse, ita videndum, quo istam vel in sortis, ut venit, antequam eligitur, accipiamus, aut finam emamus, pulchribus magnis frustis, albis, minime rubicundis, vere pellucidis purisque, & in igne statim liquescentibus constantem.

§. 14.

Usus ejus similiter potissimum externus est: magis tamen præparando vernici inservit, qui secundum *Marxium* laneis linteisque pannis permiscetur, ne pluvia ista penetret. Istam quoque impostores succino miscent, quem tamen dolum odor manifestat, qui in oppositione succini quasi fœtens est, sicuti *Pometus* commemorat.

CAPUT VI.

DE

STORACE VULGARI ET LIQUIDA,

UT ET LIQUIDAMBRA.

§. 1.

STORAX seu STYRAX resinosum gummi est, foris rufum & solidum, ex micis diversæ magnitudinis concretum, sapore resinoso & subacri, ac odore fragrantissimo præditum. Ex Syria aliisque Indiæ Orientalis locis per Massiliam venit.

§. 2.

Ex arbore cognomine dicitur profluere, mediocris magnitudinis, cujus folia foliis mali cotoneæ similia sunt, sed paulo minora. Parvas & rotundas nuces profert, ac propterea à recentiori & incluto Botanico, *Joh. Rajo*, in *Meth. Plant. Nov. Tab. 4. pag.* 36. arboribus nuciferis annumeratur. Et quoniam nucum putamina storaci interdum inveniuntur permista, occasio hæc quibusdam fuit, quamobrem storacem ab ejusmodi nucibus voluerint derivari, uti *Pometus* in *Hist. des Drogues pag.* 249. meminit.

§. 3.

Si quando hæc arbor ab incolis sauciatur, storax vel elegantibus puris granis, vel etiam paulo impurior prodit: quod tamen omne incolæ permiscent, inque magna frusta cogunt, nisi quod forte prædicta elegantia grana prius eligant, seorsim custodienda, quæ etiam olim sola in canaliculis & calamis afferebantur, STORAX CALAMITA propterea vocata. Quæ cum

cum vel prorſus haberi nequeat, vel nimis cara ſit, dum uncia una Calamitæ finæ tam magni venditur, quam tota libra vulgaris, ut *Charaſius* in *Tract. de Theriaca Ingred. pag.* 175. memorat, vel etiam per artem poteſt præparari, quod idem iſte Pharmacopola in Gallica ſua *Pharmacop. p.* 250. ſua experientia confirmat; hinc alii ſtoracem ordinariam malunt eligi, iterum in duas ſortes diſtinguendam: quarum una eleganter pura, pinguia & numeroſa grana habet, propterea a quibusdam Materialiſtis STORAX CALAMITA MEDIA vocata, ſecundum *Dalcum in Phytol. pag.* 302. altera vilior, levior impuriorque exiſtens STORAX EXPRESSA audit, quoniam incolæ optimum ſuccum, tanquam pretioſum ſanansque balſamum, exinde exprimunt, ac poſtea viribus privatam ſtoracem, eamque prorſus lignoſam & ſiccam, nobis transmittunt, ſicuti *Marxius* in *Mater. Muſ. German. pag.* 182. teſtatur.

§. 4.

Optima pulchris & fere meris clarisque granis conſtet, tenax, rufa, ſubpinguis, nec tamen glutinoſa, pauco albo interſtincta, inque ore neutiquam amara ſit, odorem durantem & ſuavem habeat, qualis vera calamita eſt. Huic quo propius accedit ordinaria, eo eſt melior: quam tamen Veteres ab illa diſtinxerunt, & quoniam magis rubeſcit, Rubram vocarunt. Obſervatum etiam fuit ſtoracem calamitam ſimul cum ſtorace rubra fuiſſe præſcriptam, ut *Sam. Daleus l. c.* oſtendit. Lignoſa expreſſaque ſtorax prorſus abjicienda eſt.

§. 5.

Storax calefaciendi, exſiccandi diſcutiendique virtute pollens, caput nervosque confortat, & acres humores ſeu catarrhos reſolvit. Hinc eſt, quamobrem Pilulæ de ſtyrace à nonnullis Medicis ad tuſſim, raucedinem &c. non ſine fructu uſurpentur. Alii etiam Emplaſtrum ſtomachicum exinde conficiunt, in *Ettmülleri Comm. Schræd. pag.* 712. deſcriptum. Utplurimùm in ſuffumigiis, pulveribus ac candelis fumalibus, maſſa ſeu maſtiche ad fornacem &c. conſumitur, & tinctura benzoini additur, cujus deſcriptionem ſupra in capite de Aſa dedimus.

§. 6.

STORAX LIQUIDA

quid proprie ſit, inter Auctores non convenit. De nonnullorum ſententia balſamicus creditur eſſe ſuccus, ab Orientalibus, ut ſupra dictum, ex ſtorace calamita expreſſus: quod tamen non credibile apparet, cum alias multo carior eſſe debeat. Aliis ſtacte eſſe videtur, de qua, ubi de myrrha egimus, fecimus mentionem. Sed hoc quoque temere affirmatur, quod ſtacte, myrrhæ ipſius ritu, in aqua ſolvitur, ſtorax liquida contra, ad modum aliarum reſinarum, niſi in oleoſo menſtruo nequit ſolvi. Multi hunc ſuccum vel è nucibus vel corticibus ſtyracis arboris (à quibus poſtea Cortices Thymiamatis dicuntur proficiſci) putant expreſſum, quam opinionem *Schurzius* in *Mater. Muſ. Germanico pag.* 40. amplectitur, cum craſſa tamen conſiſtentia ſtyracis liquidæ non bene componendam. Quamobrem vero ſimilius eſt, hoc ſub nomine, quod in officinis proſtat, potius artificioſè compoſitam eſſe miſturam, multis ex rebus, in ſpecie ſtorace, terebinthina, vino & oleo liquatam, quod *Sam. Dale l. c.* Londini ex Pharmacopolis ſe audiviſſe teſtatur, *Pometus* etiam *l. c.* confirmat.

§. 7.

Quæ ſtorax liquida pinguis, tenax, ex flavo vel rubro fuſca reſina eſt, inſtar mellis ſemper mollis permanens, (*Schurzio* propterea *l. c. Storax-Honig* & *Falber-Safft* vocata) odore valido, ſed non adverſo prædita. In doliolis affertur, optimeque durat, ſi aqua ſuperius ſemper affunditur, ut *Marxius l. c. p.* 183. annotat.

§. 8.

Optima ferruginea ſeu ex rubro fuſca eſt, odore ſtoraci ſimilis, bona conſiſtentia prædita, impuritatum expers, ex Batavia allata, quæ optimam transmittit, ſicut *Pometus*, Materialiſta Pariſienſis *l. c.* recenſet.

§. 9.

Qualitatibus cum priori multum convenit, utpote virtute valde ſalubri & balſamica pollens. Quamobrem non præſtans ſolum unguentum exinde præparatur, quo Pariſiis in valde celebri Noſocomio, l'hôtel Dieu dicto, varia vulnera, ulcera &c. curantur, ſed alias quoque compoſitiones Galenicas ingreditur; ut taceam iſtius etiam uſum ad res fragranti odore imbuendas eſſe commendatum. Ubi tamen notandum, teneris quibusdam perſonis eâ dolorem capitis torporemque poſſe excitare, id quod *Schræderus* in *Pharmac. Medico-Chymica* ex *Dioſcoride* obſervavit.

§. 10.

Similis ratio eſt

LIQUIDAMBRÆ,

quæ Germanis etiam ſtyrax liquida vocatur, quoniam pariter ex flavo rufeſcens liquidum oleum eſt, inſtar terebinthinæ Venetæ, odore ſaporeque juxta priori accedens. In parvis doliolis ex Nova Hiſpania fertur, hodie verò perrara eſt, & à multis Scriptoribus pro vera ſtorace liquida habetur, teſte *Daleo* in *Phytol. pag.* 364. præſertim cum arbor, ex qua profluit, à Botanicis, utpote *Rajo* in *Hiſt. Pl. pag.* 1681. ſtyrax aceris folio vocetur, cujus delineationem apud *Hernandezium*, melius verò apud *Plukenetum in Phytogr. Tab.* 42. reperies, quam alibi una cum flore ac ſemine dedimus contemplandam. Calefacit, diſcutit & ſanat, ad modum prioris.

CAPUT

CAPUT VII.

DE

GUMMI CARANNA ET BDELLIO.

§. 1.

CARANNA tenax duraque est resina, quæ recens existens picis ritu ducitur, inveterata vero dura est & friabilis. Foris cineracea vel etiam ex flavo nigricans est, intus vero colore, piceo, sapore viscido & amaro, odoreque, dum accenditur, fragrante. Ex America & præsertim Nova Hispania magnis s. latis frustis, in junceis foliis affertur, ut ex *Marxii Mat. Mus. pag.* 62. apparet.

§. 2.

Ex arbore circa Cartagenam, in Nova Hispania, copiose reperiunda, profluit, quæ palmæ haud multum dissimilis, ab incolis Quahuitl & Caragna vocata, ab *Hernandezio Lib.* 3. *Rer. Med. Nov. Hisp.* ita describitur, quod subflavum, levem & fragrantem caudicem & folia oleosa, decussatim juncta, habeat, cujus delineationem *Pometus* in figura stitit intuendam.

§. 3.

Num verò præter vulgare notumque gummi caragnam alia & quidem distincta detur species, quæ quibusdam Caranna alba dicitur, ante dictus Materialista dubitat, nisi forte Carannam, prout recens ex arbore profluit, per istam velint intellectam, quæ primum fortasse albicans, cum tempore cineracea s. nigricans evadit. Quò candidior igitur caragna est, eò censetur melior, præsertim si mollis est, instar emplastri, nec tamen viscida, odorem etiam fragrantem & aromaticum habet, ut *Schurzius* in *Mater. Mus. pag.* 37. & *Pometus Hist. des Drogues pag.* 265. ostendunt. Multis quisquiliis durisque aliorum gummatum fragmentis, tempore annonæ, permista debet rejici.

§. 4.

Ratione usus Caranna cum tacamahaca in omnibus convenit, nisi quod fortior sit, adeo, ut ulcera, quæ tacamahaca non potuit sanare, per Carannam curentur, teste *Hernandezio l. c.* Quamobrem in dolore ventriculi s. cardialgia febrium continuarum perutilis est, quando in calido mortario, cum balsamo peruviano malaxata, in emplastrum redigitur; quemadmodum etiam *Schræderus* peculiare exinde emplastrum, in podagra artuumque doloribus commendatum, describit. Similiter emplastris ad tempora inservit, pro sedanda odontalgia; cum terebinthina tamen aut alio quodam oleo debet malaxari, quo eo facilius in emplastrum ducatur, secundum doctrinam *Vielheurii* in *Descript. Exot. Mater. pag.* 111. Cæterum Americani ea tenentur opinione, Satanam hanc reformidare arborem, istamque propterea ad fascina esse commendatam, ut prædictus *Hernandezius l. c.* recenset. Nobilis balsamus vulnerarius exinde quoque præparatur, à *Pometo l. c.* descriptus.

§. 5.

Quemadmodum modo dicta resina saltem externe usurpatur, ita in principio capitis illi appositum

BDELLIUM

interne magis sumitur, quod pinguis & tenax resina est, tactu ceram mentiens. Foris ferruginea rubedine, ad myrrham accedente, pollet, cujus infracta frusta quodammodò pellucida apparent. Sapore subacre & amarum est, odore fragrans, præsertim cum accenditur, ubi simul fortem & non facile extinguibilem flammam, crepitu, pulverem pyrium æmulante, comitatam suscipit: id quod *Hermannus* in *Coll. Msc. de Mater. Med.* observavit. Maximam partem ex Asia, frustis varie figuratis, affertur: quanquam vulgo finissimum grumis ovalibus, inauri similibus, constet, teste Materialista Parisiensi *Pometo l. c. pag.* 267.

§. 6.

De arbore variæ habentur opiniones, dum nonnulli istam robori, alii myrtho conferunt, vid. *Sam. Dale in Phytol. pag.* 475. Hodierni vero iidemque clarissimi Botanici in eo fere conveniunt spinosam esse arborem, cujus folia foliis quercus non multum dissimilia appareant, præterquam quod longiora angustioraque sint, quemadmodum à recentissimo Anglorum Botanico *Leonhardo Plukeneto* in *Phytographia Tab.* 145. *Figur.* 2. delineata, & sub nomine Arboris Lactescentis acut. fol. quernis Bdelliferæ oculis subjecta sunt: ejus vero lignum *Wormius in Mus. pag.* 166. descripsit.

§. 7.

Cæterum præter vulgare, hactenus descriptum, alia adhuc è Guinea provenire species dicitur, duris, nigrisque granis constans, sapore priori accedens, secundum relationem *Dalei l. c.* Hoc tamen bonitate priori inferius est, quod olim gummi Senica, vel hodierno gummi Arabico permistum, à tinctoribus in eo cognitum fuit, quoniam gummi Arabici ad instar solvitur & fluit. Postquam vero ejus pretium innotuit, hodie in toto centenario gummi Arabici vix tres vel quatuor unciæ bdellii inveniuntur, uti *Pometus l. c.* memorat.

§. 8.

Optimum ex claris & pellucidis frustis constat, foris flavis, s. ex cineraceo rubris, intus vero

lutum Anglicum imitantibus, quæ, dum lambuntur, flavescunt, facile urunt, sapore amara, odoreque fragrantia sunt. Parum curamus unde veniat, relinquentes veteribus regionum electionem, dum *Galenus* Scyticum, *Plinius* Bactrianense, *Dioscorides* Saracenicum elegit, sicuti *Marxius l. c. pag.* 38. transscripsit. Id etiam per nos Materialistis integrum est, ut in finum & vulgare istud distinguant. Quando verò in ejus defectu fuscam myrrham quidam pro isto divendunt, ut *Schurzius l. c. pag.* 37. libere confitetur, neutiquam permittendum; sapore is facile detegitur dolus, dum bdellium multum circa se ligni habet, multumque amaritie myrrha sit debilius.

§. 9.

Emolliente & subadstringente virtute pollens interne in affectibus pectoris, tussi, anhelatione & similibus usurpatur, inde etiam præparatæ pilulæ de Bdellio dictæ ad hæmorrhoides nimis fluentes commendantur, ut *Ettmullerus* in *Comment. Schræd. pag.* 695. & aliis annotavit. Mithridatum quoque & nonnullas alias compositiones Galenicas ingreditur. Externè recentia vulnera sanat, induratos nervos, articulorum fungos & ganglia emollit, ut *Wormius in Mus. pag.* 219. refert.

CAPUT IIX.

DE

GUMMI ELEMI ET TACAMAHACA.

§. 1.

GUMMI ELEMI

das Æthiopische Oel-Baums-Hartz, candide flavens & viridiusculum, pingue & pellucidum gummi est, dum accenditur odore suaviſſimum. Magnis rotundis fructis & panibus tri-vel quadrilibribus, iisdemque foliis cannæ Indicæ munitis, ex Æthiopia venit, uti *Schurzius pag.* 37. & *Pometus pag.* 261. in suis *Mater. Mus.* commemorant.

§. 2.

Ex arbore, eum in finem sauciata, profluit, quæ magnitudine mediocris ex albo viridia, & utrinque quasi argento obducta & acuminata folia, rubros flosculos, & fructus olivas æmulantes dicitur proferre, quam propterea nonnulli feram & Æthiopicam olivam nominant, cujus fructus & folia *Plukenetus Tab. CCXVII. Fig.* 4. pulchertimè delineavit, conf. *Museum Mus. Germanicum h. l.*

§. 3.

Præter vulgare, quod in foliis venit, alia quædam genera, quorum unum, resinæ communi simile, in cassia caryophyllata, alterum cineraceum vel fuscum apparens, dicuntur afferri, de quibus *Pometus l. c. pag.* 262. uberius meminit: quorum tamen in Germania raro participes reddimur. Optimum siccum sit, sed tamen molleculum, viridiuscule album, ac bene odoratum. Videndum vero, ne resinam pini, oleo spicæ malaxatam, pro gummi Elemi emamus, quippe qua quidam impostores illud æmulantur, & sub nomine Gummi Elemi Americani divendunt. Quæ tamen fraus ex colore prorsus albo juxta, atque molesto, terebinthinam redolente, odore dignoscitur, quemadmodum ante laudatus Materialista ostendit.

§. 4.

Virtute sua, qua poliet emolliendi, discutiendi sanandique, verum balsamū vulnerarium existit, præsertim in vulneribus capitis aliisque ictibus perutile, propterea que in balsamo Arcæi basin constituens, de quo *Sennertus Lib. V. Prax. pag.* 399. posset videri. Sic etiam *Hoffmannus* probatum emplastrum ad dolores humeri exinde præparat, cujus descriptio in *Clav. Schræd. pag.* 183. sistitur legenda. Oleum quoque valde præstans ex isto destillatur, contractis ac paralyticis commendandum, vid. *Ettmullerus* in *Comment. Schræd. pag.* 700.

§. 5.

TACAMAHACA

similem quoque effectum præstat, discolor & maculis notata resina, partim rubicunda, partim rufa & fere pellucida apparens, sapore resinoso aromatico, odore fragrante. Ex India Occidentali ab Hispanis, fructis forma rotundis, iisdemque foliis involutis, affertur, teste *Schurzio* in *Mater. Mus. pag.* 39.

§. 6.

Nomine æque ac essentia ab arbore Tecomahaca oritur, eaque valde procera & populo haud dissimili, folia oblonge rotunda, acuminata & circumcirca crenata proferente, ut ex *Pometi* figura apparet. In extremiate ramusculorum longiusculum flavumque fructū profert, nucleum, nucleo persicorum similem, includentem, quemadmodum *Hernandezius Lib. 3. Rerum Med. Nov. Hispan. pag.* 55. istum descripsit ac delineavit.

§. 7.

Ex quâ arbore gummi vel sponte emanat, idque album, pellucidum, odore suave, principio prorsus molle, postmodum crassiusculum evadens, ac propterea ab incolis corticibus vel ca-

vis

vis truncis excipiendum. Atque hæc ſine dubio mollis eſt tacamahaca, quæ in *Miſc. Germ. Cur. Dec. I. A 3. Obſ.* 296. memoratur, & à Materialiſta Pariſienſi, *Pometo, l. c. pag.* 263. Tacamahacque ſublime, ou en coque, h. e. Tacamahaca in corticibus vocatur, quam lavendulam redolere perhibent. Quæ tamen ſpecies cum valde rara ſit, & fere nunquam hîc loci videatur, vulgaris ex arboribus, de induſtria ſauciatis, profluens nobis ſufficiat, quæ tamen etiam duplex eſt, fina & mediocris: illa habetur in granis, hæc in magnis fruſtis, quorum optima multa alba grana habet, quæ eleganter puta flavaque ſunt, ipſa verò odore ad priorem valde prope accedit, teſtibus *Marxio* in *Mat. Muſ. pag.* 201. & *Pometo l. c.*

§. 8.

Iſtius operationes in virtute calefaciendi diſcutiendique conſiſtunt, qua omnes catarrhos, flatus & inflammationes, omnesque inde oriſndos dolores compeſcere usque eo apta nata eſt, ut, teſte *Monarde*, Americani iſta ad omnes dolores utiliter utantur, præſertim à flatibus ſylveſtribus (à quibus multos morbos deducunt) frigidisque catarrhis profectos. Apud nos in Europa plerumque ad catarrhos capitis, indeque ortam odontalgiam uſurpatur, ex qua parva emplaſtra ad tempora componunt, quibus, de vulgi ſententia, catarrhi retrahantur ac ſuſpendantur: quanquam calefaciendo reſolvendoque lympham, ac demulcendo ferociores ſpiritus animales operationem ſuam exerant. Miram etiam tacamahaca opem præſtat in cardialgia, ſi quando in emplaſtrum redigitur, hocque ſcrobiculo cordis imponitur, ſuperimpoſito calido lapide muniendum, quocum *Poterius* mira in medendo dicitur præſtitiſſe, ut *Lib. 3. cap 32.* videmus. Quem in finem Emplaſtrum de tacamahaca in officinis ſemper proſtat. Non minorem fert opem in colica & doloribus uterinis, ſi modo jam dicto umbilico vel abdomini applicetur: qua ratione etiam uteri impediri prolapſus poterit, ut *Hernandezius l. c.* teſtatur.

CAPUT IX.

DE

ALOE SOCOTERINA, HEPATICA ET CABALLINA.

§. 1.

ALOE valde amarus, durus, ſed tamen friabilis ſuccus eſt, partim reſinoſus, partim gummoſus, odore myrrhæ valde ſimilis, colore vario, plerumque tamen rubicundo ſeu rufo. Vel in pellibus ovillis, vel in magnis cucurbitis ex India Orientali, partim etiam ex America venit.

§. 2.

Vegetabile hujus nominis herbis quidem annumerandum, ob caulem tamen, quem una cum floribus emittit, arboribus proceritate parum cedit. Habet folia ſedi majoris, ſed valde longa, craſſa & usque eo acuta, quibus homo poſſit diſſecari. Tardius floret, caulemque valde altum emittit, floribus mira pulchritudine ornatum, quem vulgo ferunt de repente magnoq; cum ſtrepitu extrudi, ſicut *Marxius* in *Mat. Muſ. German. pag.* 19. ſcribit. Enimvero hortulanorum hæc fabula eſt, experientia vulgarem opinionem non confirmante, ut *Hortus Regius* Pariſienſis (in quo aloë aliquoties floruit) *pag.* 8. *de Aloë* teſtatur. Floribus ſuccedunt capſulæ ſeminales, tribus loculamentis præditæ, quas *D. Tournefort* in aloë Americana in Hiſpania ipſe obſervavit, ut *Pometus Hiſt. des Drogues p.* 297. refert, & in figura oculis ſubjecit. Ultima hæc aloë bene & uberius ab *Hernandezio Lib. VIII. Rerum Med. Nov. Hiſp. pag.* 271. deſcripta eſt.

§. 3.

Quæ quidem vegetabilia etſi in Germania in Magnatum hortis colantur, ſuccum tamen acquirere non poſſumus, quippe quem ex Aſia & Arabia afferre cogimur. Ex craſſis foliis, ſecundum *Scburzium*, aut, de aliorum opinione, ex radice exprimitur, qui poſtquam per ſubſidentiam clarus factus & decantatus eſt, ſuper lento igne in ſpiſſum ſuccum coquitur & exhalatur, abhinc tenuibus pelliculis excipitur, aliorſum transmittendus, de quo *Rajus* in *Hiſt. Plant. pag.* 1196. legatur pluribus.

§. 4.

Hic ſuccus, prout plus minusve depurgatus eſt, in tres vel quatuor diſtinguitur ſortes, inter quas viliſſima impuraque ALOE CABALLINA vocatur, quæ prorſus ſicca, impura, arenoſa ponderoſaque & nigra eſt, equis & beſtiis, quam ægris hominibus, potius dicata, utpote odore virtuteque deſtituta, ſecundum *Schræderum* hujusque Interpretes. Enimverò prædictus *Pometus* in eo adhuc ſincerior eſt, quod iſtam nec beſtiis dandam ſuadet, quoniam nihil aliud ſit, quam fex & aduſtum ſedimentum, in præparatione aloes veræ reli-

ctum, ſuccoque ac virtute privatum, quam propterea abiici ac mercatura exulare optat. In corbibus, ex palmæ foliis ac juncis conſtantibus, aſſertur. Aliquanto melior magisque depurgata aloë ALOE HEPATICA audit, quod colore hepar refert, multaque foraminula, tanquam apertas venas, repræſentat, ut *Schurzius* in *Mat. Muſ. German. pag.* 11. obſervavit. Probè ſicca, nec male olens ſit, qualis nonnunquam venit, & de ſententia *Pometi* ex foliis exprimitur, quæ, dum inciditur aut frangitur, magnum fœtorem ſpargit. In medio plerumque nigricat, circa extremitates vero rufeſcens eſt, inſtar hepatis: quod inde fortaſſe oritur, quoniam interius calidior jacet, ac propterea etiam eſt mollior, quam extrinſecus, quamvis hoc de viribus parum imminuat. Potiſſimum ex Inſulis Americanis venit, quæ, quoniam bonitate Socoterinæ longe poſtponenda, Caballinæ loco, beſtiis danda, ſervata Medicinæ vera optimaque ALOE SOCOTERINA, maxime ex Inſula Socatra ſeu Socatera Indiæ Orientalis allata, & vel integra vel in fragmentis à Materialiſtis ſolita divendi. Atque hæc pulchra, pura, nitida, rara, levis, amara, & facile friabilis ſit, odore minime nauſeoſo, cujus abraſus pulvis fere aureus & inſtar croci appareat, ut prædicti Materialiſtæ uno omnes ore ſcribunt. Ex hac tandem ALOE LUCIDA oritur, quando prior usque eo depurgata eſt, ut prorſus clara ac pellucida, tanquam vitrum ♃ii, appareat: quæ ut uſui interno magis aptata eſt, ita etiam cariſſima eſt & rariſſima.

§. 5.

Quum verò bona ſeu optima aloe cum gummi Arabico, ſucco acaciæ ſimilibusque ſæpe adulteretur, fraudem iſtam attendamus ex eo dignoſcendam: adulteratam aloen ſuam perdere amaritiem, odore fieri debiliorem, non tam facile diffringi, aut digitis ſiccari poſſe, ſecundum *Schurzium l. c.*

§. 6.

Quo virtutes aloës magis indagentur, ad reſinoſas partes, gummoſasque juxta reſpiciendum. Illæ calefaciunt, ſubadſtringunt, & ob balſamicam naturam corpora à putredine tuta ſervant, ventriculum roborant, lumbricis venenum exiſtunt: quarum intuitu ipſa multa compoſita ingreditur, cum ſpiritu vini extrahenda, utpote Elixir Proprietatis ac ſimilia, multis in morbis commendata, ut *Mindererus* in ſuo *Aloëdario*, & *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 756. uberius demonſtrarunt. Reſpectu partium gummoſarum aloë vi laxandi pollet, omnesque bilioſas ac viſcidas humiditates è ventriculo ac inteſtinis expurgat. Hinc eſt, quamobrem omnium laxantium pilularum baſin conſtituat, quas *Schræderus* aliique in Diſpenſatoriis ſuis verboſius recenſuerunt. In ſpecie

PILULÆ ANGELICÆ FRANCOFURTENSES

ex iſta præparantur, quas Materialiſtæ & Pharmacopolæ Francofurti ad Mœnum magno cum fœnore hactenus vendiderunt, inter quos tamen an. 1703. magna exorta lis eſt, quòniam poſteriores pro ſe Cæſarcum privilegium impetrarunt, de quo etiam tum temporis novellæ hebdomadales nos fecerunt certiores. Ambo deſcriptionem valde ſecretam habuerunt, quam Capitaneus Generalis Tilli 300. imperialibus ab aliquo dicitur redemiſſe, ſicuti *Sim. Paulli* in *Append. Quadr. Bot. p.* 577. ex *Grünlingio* refert. Ego interea, boni publici amore, genuinam deſcriptionem benevole ac curioſo Lectori gratis communicabo, quemadmodum iſtam è Manuali cujusdam Pharmacopolæ, cui ab Auctore ipſo, *Dn. D. Beyero*, ſub fide juramenti concredita erat, exſcripſi: ℞. Aloës ſuccotrinæ optimæ q. v. tere minutim, & affunde aq. violar. ad eminentiam quatuor digitorum, expone loco calido, ibidemque infuſum bene munitum triduum relinque, tum tinctam aquam per inclinationem, quoad fieri poteſt, quiete effunde: toties recentem aquam viol. affunde, quoad tinctura omnis, modo jam dicto, fuerit extracta. Has tincturas omnes ſimul lenta exhalatione in Extractum redige, quoad mellis craſſitiem habeat: cui ſucci violariæ partes duas adde, & l. a. inſpiſſa, ut fiat maſſa pilularis, ex qua pilulæ debita magnitudine formentur. Quoniam verò nobilis quidam Gallus coram *Dn. D. Bohnio* Lipſiæ affirmavit aliquod Extractum Colocynth. iſtis addi, *Haſerus* contra opinatur Diagrydium iſtas ingredi, *Pometus* quoque multa alia inſuper purgantia permiſceri ſcribit, contrarium tamen ex Auctoris atque *D. Schræderi* verbis demonſtrabo. Ille, nempe *D. Beyerus*, in ſchedula his de pilulis Anno 1647. typis vulgata ita ſcribit: Pilulæ meæ Angelicæ nihil aliud ſunt, quam peculiare & artificioſum Extractum Aloës &c. quæ tamen verba in hodiernis ſchedulis, varia lingua editis, vulgo cum pilulis divendi ſolitis, cætera cum antiqua convenientibus, ſtudio omiſſa ſunt. *Schræderus* verò circa finem *cap. 73. Lib. II.* ſcribit: Sibi quidem non eſſe integrum, ut deſcriptionem evulget, hoc tamen ſe confiteri, pilulas iſtas eſſe Extractum proprie dictum, extracto improprie dicto commixtum. Illud eſt Extractum aloës cum aqua viol. Iſtud ſuccus violariæ. Sapienti ſatis. Dn. *Guido Patini* aliquoties in *Epiſt.* ſuis v. g. *Ep. 61. & 76.* deſcriptionem à *Carolo Sponio* deſiderabat, quamvis ibidem aloen peſſimum remedium, ob nimiam vim exſiccandi & hæmorrhoides ciendi, dixerit.

CAPUT

CAPUT X.

DE

MANNA.

§. 1.

MANNA laxativa ex parvis albisque grumis constat, instar sacchari, mollior vero est, & quodammodo viscida, saporis subdulcis & pinguis. Maximam partem è Sicilia & Calabria in scatulis affertur, Manna Calabrina propterea, Germanis vulgo *Himmel-Brod*, *Himmel-Thau*, vocata.

§. 2.

De verâ mannæ origine multum varieque inter Doctores adhuc disputatum fuit. Veteres, quibus *Schræderus* etiam consentit, rorem cœlestem esse existimarunt, certas in arbores noctu decidentem, haud secus, atque manna, qua Israëlitæ in deserto cœlitus alebantur, unde etiam nomen sustinuit. Quin imo quidam credebant hunc rorem in has saltem demitti arbores, alias juxta istas positas præterire. Enim verò hoc ipsum satis erat idoneum, quod Veteres in aliam invitare potuisset opinionem, quoniam rationi adversatur, ac postmodum etiam observatum fuit, Mannam superius foliis non solum, roris ad instar, sed inferius etiam adhærere, arbore licet noctu panno contecta, quemadmodum *Thomas Cornelius Consentinus*, qui haud ita longo intervallo ab istis vixit, ipsum probasse se *D. Rajo* narravit. Imò etiam ex abscissis inque cella positis ramis exsudat, quod *Lobelius* observavit: ut taceam hanc ab Sole indurari materiam, rorem contra ab illo consumi, ut *Sam. Dale. in Pharmacol. pag.* 449. pluribus indicat. Quamobrem etiam *Donatus ab Altomari*, antiquus Medicus, suo jam tempore existimavit mannam non esse rorem, sed ex arboribus exsudare, id quod postea experientia comprobavit; qui propterea in Siciliam & Calabriam profecti sunt, ipsi viderunt mannam ex sauciatis fraxinis & ornis, succi instar, exsudare, statimque ab Sole quasi in gummi exsiccari: id quod *Thomas Bartholinus* suis ipse oculis vidit, ut in *Cent. I. Epist.* 54. *pag.* 231. recenset, & succum quoque corticibus arboris adhuc adhærentem è suo in Daniam itinere secum tulit, teste *Wormio in Mus. pag.* 227. Hoc ipsum alii quoque clarissimi Viri, utpote *Salmasius*, *Magnenus*, *Deusingius* &c. in peculiaribus *de Manna Tract.* confirmarunt. Et quamvis hic loci, ob regionum diversitatem, manna è fraxinô emanet nulla, nullus tamen dubito, quin & in aliis arboribus reperiatur, dum MANNA DE BRIANCON dicta è larice exsudat, & ipse quoque ex antiqua quercu similem materiam exsudare olim vidi, ad mannam sapore prorsus accedentem. Sic etiam in Asia, circa Ormum, è quercu manna liquida dicitur exsudare, quam incolæ pellibus hircinis inditam Goam transportant divendendam, sicut *Pometus* in *Hist. des Drogues pag.* 239. refert.

§. 3.

Qua ratione Manna in Calabria colligatur, modo laudatus *Thomas Bartholinus l. c.* bene describit: Scilicet incolæ certis calidis temporibus fraxinos vulnerant, præsertim circa dies caniculares, sereno cœlo, cultris ligneis: hinc sequenti die succus prodit, quem similiter ligneis cultris (ut ne manna nigrescat) abradunt, super mensa in Sole dispergunt, quo aquosa humiditas exhalet, succusque mediam inter gummi & resinam consistentiam acquirat. Quæ cum vi eliciatur, Manna Sforsata, aliis Manna corporis vocatur: præter quam alia adhuc ex foliis exsudat, quæ propterea Foliata vocata & utplurimum parva & rotunde granulata est. Prior majora grana habet, instar mastichis, Mastichina propterea nominata; quoniam vero altera pretiosior est, impostores istam per angusta cribra solent trajicere, quo priori similis formetur. Interea *D. Robinson* in suo itinere observavit, dum cicadæ fraxinum arrodunt, mannam etiam sponte profluere, secundum relationem *Sam. Dalei l. c.*

§. 4.

Differentia mannæ à Regionibus, unde venit, desumitur, quo respectu tres vel quatuor habentur sortes, dum 1. in Oriente, in Syria, Persia & India Orientali, præsertim in Ceylon aliqua species invenitur, cujus *Miscell. Ac. Germ. Cur. Dec.* 1. *Ann.* 9. & 10. *pag.* 459. fit mentio, quæ tamen perrara est, nobisque incognita. Quo etiam MANNA MONTIS refertur, quæ in Gargano, monte Apuliæ, dicitur nasci, quemadmodum *Baglivius* in *Disput. de Tarantula pag.* 11. recenset. 2. Calabrina, in monte S. Ange perpulchre scaturiens, sed quodammodo pinguis & unctuosa, à quibusdam Materialistis, rerum ignaris, propterea neglecta, cum tamen optima sit. 3. Quæ ex Sicilia venit siccior est, simul etiam eleganter alba & granulata, sed sæpius adulterata. 4. Gallica, Manna de Briançon, vilissima impurissimaque, de qua *Pometus* in *Hist. des Drogues pag.* 237. pluribus agit. Hanc succo Tithymali permisceri & adulterari *Guido Patini* in *Epist. select.* 66. *pag.* 184. testatur. Nostri Materialistæ utplurimum duas habent sortes, finam & mediam, vel ab externa forma, vel ætate constitutas. Optima est recens siccata, levis, eleganter alba, sapore dulcis, nullis magnis grumis, aut etiam parvis

quisquiliis defœdata, ſed quoad ejus fieri poteſt, in granula concreta. Ubi tamen obſervari velimus, majora grana & grumos non prorſus debere abjici, cum ita etiam in arboribus generentur, ut *Pometus l. c.* oſtendit: qui ſimul id bonitatis cenſet indicium, ſi quando in mediis grumis aliquis ſuccus, inſtar ſyrupi, continetur, quoniam manna tunc prorſus recens eſſe putatur; quando vero nonnulli Materialiſtæ, utpote *Marxius* & *Schurzius*, cuilibet libræ vilioris mannæ ſemilibram granorum addi, iſtique hac ratione conciliari gratiam ſuadent, judaicum ſeu doloſum eſſe exiſtimat, cum Judæi Calabriæ iſti quoque arti ſtudeant, mannamque arte imitentur, quæ tamen ponderoſa, nec tam clare alba ſit, atque genuina. Omnis autem manna ſicco conclavi vult aſſervari, quoniam aſſumta humiditate facile corrumpitur & flaveſcit, monente *Schurzio* in *Mat. Muſ. pag.* 59.

§. 5.

Cæterum etiam habetur

MANNA LIQUIDA,

à *Bellonio L. 2. Obſ. cap.* 65. TERENIABIN vocata, quæ albus & quodammodo tenax ſuccus eſt, uti mel virgineum, in Perſia, circa Alkair & Aleppo, è ſpinoſa planta, in Aſia verò e certis quercubus profluere perhibitus. Quæ tamen manna cum ad nos non perveniat, nobisque ignota ſit, in officinis ſimilis aliqua miſtura è vulgari manna, tartaro & aqua præparatur, cujus deſcriptio in *Hoffmanni Clavi Schræd. p.* 637. communicatur.

§. 6.

Quod virtutes mannæ attinet, vi leniter laxante pollet, qua bilem educit, atque hanc operationem ſtatim recens exerit. Certe riſum meretur, quod quidam Materialiſtæ nequam Pharmacopolis aliisque hominibus fidem facere præſumunt, mannam inveteratam melius operari, modo ut flavæ corruptæ mannæ concilient amatores, quemadmodum ingenuus Materialiſta *Pometus l. c.* iſtam fraudem ipſe deteſtatur. Quùm verò manna adultis hominibus magna doſi præſcribenda ſit, raro iſtis commendatur, maximè verò infantibus, quibus in pulticulis, juſculis ſimilibusque facile propinatur. Compoſita tamen, utpote Manna Tartariſata, Elect. lenit. de Manna, Aqua laxat. Viennenſis & ſimilia magnis etiam adultisque perſonis inſerviunt. Quando vero nonnulli Chymici è manna ejusmodi deſtillare ſpiritum ſibi ſumunt, qui ad aurum radicaliter ſolvendum valeat, ex erronea Veterum opinione videtur proficiſci, qua manna ros cœleſtis habita fuit, cui ſpiritus mundi magna quantitate incluſus ac concentratus inſit, de quo *Tackius* in *Tripl. Phaſ. Sophicâ* plurimus legendus.

CAPUT XI.

DE

EUPHORBIO ET GUMMI HEDERÆ.

§. 1.

EUPHORBIUM flaveſcens & reſinoſum gummi eſt, ex longiuſculis & quaſi cavernoſis fruſtulis, diverſa magnitudine figuraque prædittis conſtans, ſapore acerrime fervido & nauſeoſo, odore non adeo notabili. Ex India Orientali & Africa affertur.

§. 2.

De origine hujus reſinæ variæ Auctorum ſunt opiniones. Nonnulli exiſtimant iſtam ab arbore proficiſci, Ferulæ haud diſſimili, quam incolas Libyæ pellibus ovillis circumdare, poſteaque iſtam è longinquo ſtantes transfodere, ac profluentem ſuccum illis excipere perhibent, id quod *D. Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 636. ex *Dioſcoride* aliisque deſcripſit. Alii euphorbium fructus cujusdam exſiccatum ſuccum eſſe exiſtimant, qui cucumeri ſimilis ſit. Alii contra, & quidem plurimi antiquorum recentiorumque Botanicorum, Euphorbii originem à peculiari & fere mirâ herbâ cognomine derivant, quam nonnulli, utpote *Hermannus* & *Plukenetus* Tithymalum Mauritanicum vocant. Longa, valde craſſa & ſpinoſa folia habet, ex quibus hoc gummi emanat. *Pometus* ſiquidem in *Hiſt. des Drogues pag.* 268. certò vult affirmari, ejusmodi ſe poſſidere folium, in quo euphorbium profluxiſſe certo videri poſſit, quod etiam *l. c.* delineavit ac deſcripſit. Alii fortaſſe plantam illam arborem vocarunt, quod ejus inveniuntur ſpecies, quæ ad arborum proceritatem accreſcant: quo etiam Cereus Peruvianus, Lugduni Batavorum in horto Academico videndus, pertinet. Quanquam *Commelinus* in *Not. ad part. 2. Horti Mal. pag.* 82. omnia illa vegetabilia minus genuina exiſtimet, ſed id, quod cæteris ſimile, & ibidem *Fig.* 42. delineatum eſt, pro verò euphorbio velit haberi.

§. 3.

Quæ diverſæ opiniones cauſa fuerunt, quamobrem ſenior *Caſp. Hoffmannus* in *Tr. de Medicam. Officinalibus pag.* 35. Euphorbium Veterum aliud quid fuiſſe exiſtimaverit ab eo, quod hodie ſub iſto nomine accipimus, id quod nunc ſuo

loco

loco relinquimus. Noti euphorbii indagaſſe originem ſufficiat, cujus duas ſortes *Schræderus* recenſet, nempe in guttas concretum, parvis granis conſtans, piſi magnitudine, quodammodo cavernoſum, & ſarcocollæ modò pellucidum: alterum in utriculis, quibus excipitur, in maſſam candicantem redactum.

§. 4

Optimum eſt, elegantibus granis conſtans, ex albo flaveſcens, vere ſiccum purumque, nullum pulverem, nec multum minutarum arundinearum partium continens, ut *Marxius Mat. Muſ. Germ. p.* 90. ſcribit. Quod verò multi annuum experant, recenti contra non fidant, non adeò neceſſarium requiſitum eſt, dum forte ante annum ad nos perfertur, & antiquum quam recens offertur crebrius. In quantum usque annum ſervatur, quo præterlapſo dicitur imminui, niſi in milio aut lentibus aſſervetur, quemadmodum *Theod. Tabernæmontanus Libr. II. pag.* 406. commemorat. Emtores vero videant, num ſarcocolla gummi & lacte eſulæ, id quod interdum fit, adulteratum ſit.

§. 5.

Gummi hoc, reſpectu qualitatum, unum omnium calidiſſimum acerrimumque eſt, quod licet purgantibus etiam annumeretur, ejus tamen internus uſus non adeo tutus eſt, quoniam nimis impetuoſe fortiterque operationem exerit, bonum malumque juxta expurgans. Quamobrem à fabris ferrariis ac mulomedicis crebrius uſurpatur. Sunt tamen, qui robuſtiſſimis ruſticis, aliis præſertim fruſtra uſurparis, vel etiam in morbis contumacioribus, utpote lethargo, apoplexia &c. id concedunt, præſertim ſi inveteratum acidisque ſuccis correctum fuerit, vid. *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 759. Externè autem in atrophia ſeu tabe membrorum multum præſtat opis, quando præter crebriorem motum iſta vel ipſo euphorbio, vel ejusdem oleo (quod *Schræderus* una cum extracto aliisque deſcripſit) diligenter fricantur, qua ratione amicum quendam, cui brachium aridurâ prorſus conſumtum erat, ſanari curavi. Sic etiam cariem oſſium tollit, quando acres & corroſivæ humiditates in antiquis ulceribus ipſa oſſa arrodunt, quæ caries oſſium niſi vel ſubtilibus inſtrumentis, vel ejusmodi acribus exſiccantibusque pulveribus remota fuerit, perfecte curari nequeunt. Interdum etiam ad pulveres ſternutatorios ſumitur, quod tamen caute faciendum, dum forti operatione ſæpe hæmorrhagiam excitat. Quamobrem conſultum eſt, ut Pharmacopolæ, iſtud pulveriſantes, mortarium, jamdum tectum, ſuperius illinant oleo, quo ſubtilem pulverem ſuffluminent, imò nares etiam goſſipio defendant, quo periculoſam hæmorrhagiam, aut ſimile quid, declinent.

§. 6.

Quid vero ſit, quamobrem vulgari

GUMMI HEDERÆ

ſimilis acrimonia (qua crines exedat) attribuatur, ego quidem non reperio, cum ejurmodi vis pſilotra in iſto nequeat deprehendi, quod *Theod. Tabernæmontanus Lib. II. pag.* 595. obſervavit. Ex viridi nigrum, acidum, durum, & intus inſtar fuſci vitri apparens gummi eſt, ſaporis ſubacris & ſubaſtringentis, odoris fragrantis. In fruſtis venit magnas fabas æquantibus, partim ex India, partim Languedoco, Provincia Galliæ, ubi in horto Regio Monſpelienſi *Pometus* aliquando magnum in hedera fruſtum invenit, ut in *Hiſt. des Drogues pag.* 264. recenſet, quod etiam modo laudatus *Theod. Tabernæmontanus* in Germania obſervavit.

§. 7.

Ab nota hedera arboreſcente ſine ulla lite proficiſcitur, præſertim majore, muros & arbores aſcendente, quæ parvas uvulas, principio virentes, poſtmodum nigricantes progenerat. Hoc gummi tanquam omnium nigerrimum ab *Schurzio* in *Mat. Muſ. pag.* 38. deſcriptum eſt.

§. 8.

Optimum gummi hederæ vere ſiccum, pellucidum odoreque quodammodo balſamicum ſit, ut *Pometus l. c.* requirit, qui ſimul monet, ut ne iſtius loco GUMMI ALUCHI (quod è coſto corticoſo, aut etiam cortice Wintherano profluere nigrumque etiam eſſe dicitur) ematur.

§. 9.

Balſamicâ ſuâ naturâ ſanandi vulnera aliaque ulcera vim habet. Quod verò crines extirpet, ac pediculos enecet, ut *Galenus* & *Dioſcorides* ſcripſerunt, experientia non comprobatur; ut adeoque vel error ſubeſſe, vel aliud quid intellectum à veteribus videatur, de quo *Sim. Paulli in Quadrip. Botan. pag.* 327. poteſt videri.

CAPUT

CAPUT XII.

DE

SCAMMONIO ET GUMMI GUTTÆ.

§. 1.

SCAMMONIUM ex cineraceo nigricans, durum reſinoſum gummi eſt, ſaporis acris & nauſeoſi, odoris valde adverſi. Alexandria Ægypti & Syria Venetias venit, coriaceis marſupiis, indeque ad nos tranſportatur, ſecundum *Vielheurium* in *Deſcript. Exot. Mat. pag.* 152.

§. 2.

Planta, ex cujus radice profluit, unanimi Materialiſtarum conſenſu, volubilis ſeu convolvulus eſt, in Oriente circa Aleppo copioſe creſcens, ubi ſuccum è radice expreſſum, non in Sole, ſed ſuper igne exſiccant, cui propterea carbones interdum inveniuntur permiſti, quos *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag.* 292. ſe deprehendiſſe teſtatur. Interea quidam Doctorum, utpote *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 761. *Moriſſon* aliique fere dubitant, num genuinum Veteribusque adeo commendatum ſcammonium nobis cognitum ſit, dum vulgare officinarum multo acrius mordaciusque eſt, quam Veterum, ad aliquot etiam grana ſumtum purgat, cum Veteres de ſuo drachmam fere dederint. Quæ cauſa eſt, quamobrem *Fallopius de Purg. pag.* 129. invenire rationem non potuerit, quod iſtud ad unciam unam aliquando datum alvum non moverit, cujus aliquot grana alios laxent: quod tamen à diverſa bonitate potuit provenire. Quicquid ſit, hoc minimum exinde diſcimus, ſcammonium ab impoſtoribus ex eſula aliisque virulentis herbis (cujus rei *Pometus* notabile aliquod exemplum *l. c.* recenſet,) artificioſo dolo præparari, propterea que Materialiſtis hoc dandum eſſe operæ, quo verum ac genuinum accipiant iterumque divendant.

§. 3.

Similiter Pharmacopolæ ſemper finum, neutiquam mediocre emant, quæ bina tamen apud Materialiſtas ubique inveniuntur. Ultimum ſiquidem vel vetuſtate corruptum, aut nigrum eſt, ponderoſum, arenoſum, molle impurumque, quale Smyrnenſe ſolet eſſe. Aleppicum contra magis cineraceum eſt, quam nigrum, leve, tenerum, non nimis durum, & dum frangitur, pellucidum apparens, & inſtar picis friabile, ut *Schurzius* in *Mat. Muſ. pag.* 80. commemorat. Quod verò *Marxius in Mat. Muſ. pag.* 181. ac ipſe quoque *D. Schræderus* verum ſcammonium linguâ tactum aut manſum lacteſcere exiſtimet, valde periculoſa nota eſt, dum inde potius colligitur tithymalo iſtud eſſe adulteratum, ut *Simon Pauli* in *Quadr. Bot. pag.* 470. docet, præſertim quando ſimul linguam adurit. Finum potius, ſi vel ſuperficialiter lambitur, cœruleum evadit, ſecundum *Schurzium l. c.* quod bonum eſt indicium, præſertim ſi in manum exſputum pulverem oſtendit ſubcineraceum & amarum, de quo *Pometus l. c.* agit pluribus. Hic ſimul iſtos vult admonitos, qui tota marſupia emunt, quo videant, num inferius ſuperiori ſit ſimile, quoniam Orientales ſæpe, motione compacto ſcammonio, prunas, lapides ac ſimilia addunt. Alii iſtud adulterant colophonio: ut adeoque vendendum ſcammonium peritum prudentemque emtorem requirat, ut *Marxius l. c. pag.* 182. benè admonet.

§. 4.

Omnes aquoſas, bilioſas pituitoſasque humiditates expurgat, magnam ſimul turbam excitans. Quamobrem etiam non facile ſolitarium à conſcientioſis Medicis præſcribitur, ſed aliis ſaltem purgantibus pro ſtimulo additur. Imò nec ita crudum, ſed ante correctum uſurpatur, quod vel mediantibus quibusdam acidis ſuccis, v. g. cydoniorum & citri (unde DIAGRYDIUM oritur) vel vapore ſulphuris, ut in SCAMMONIO SULPHURATO apparet, peragitur, quæ bina paucis granis aliis ſociantur. Extractum quoque mediante ſpiritu vini rectificato inde acquiritur, & quidem ℈x. circiter ex libra una, ſupputante *Vielheurio l. c. pag.* 152.

§. 5.

Quoniam ab eodem tithymalo, quo ſcammonium ſæpe adulterari diximus, quidam ſimile aliquod medicamentum,

GUMMI GUTTÆ

dictum, deducunt, paucis quoque iſtius faciemus mentionem. Durum, læve tamen & quaſi aureum reſinoſum gummi eſt, ſapore acri & valde ingrato, ex India Orientali, in excavatis arundinibus, inſtar farciminum, vel magnis, ut Turcica vitta, dicta Turban, circumvolutis, fruſtis allatum.

§. 6.

A quo vero vegetabili iſtius repetenda ſit origo, longo tempore diverſe diſputatum fuit. *Jacobus Bontius*, Indiæ Medicus, in *Not. ad Garc.* inque ſua *Methodo Med. Ind. cap.* 9. ab Javanenſi eſula ſeu tithymalo iſtud oriri exiſtimat, cui præter alios *Merretus* in *Not. Germanicis in Neri artem vitriariam pag.* 307. & *Wormius in Muſ.* aſſentiuntur. *Caſp. Hoffmannus in Tr. de Med. Officin. pag.* 27. à ſemine Ricini derivat. *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 759. ex ipſo Ricino

Indico

Indico id provenire credit. *Pometus* contra *l. c. pag.* 240. aliam raritimam herbam nominat, foliis floribusque destitutam, ex qua de istius sententia (in quam Siamensis Legatio, cujus Ministri gummi guttæ quantitatem secum sumserant, istum videtur induxisse) profluat. Enimverò res melius nunc innotuit, dum istius origo ab arbore deducitur, quæ fructus aurantiis similes proferens, sub nomine cuddampulli *Tomo I. Horto Malab. Fig. 24. pag.* 41. delineata, & ab *Rajo in Hist. Plant. pag.* 1661. descripta est. *D. Syen* tamen in *Not.* ad *Hort. Malab.* istud pro peculiari, & à vulgari, ex tithymalo exotico profecto, vult distingui, ut *Sam. Daleus* in *Pharmacologia pag.* 438. observavit.

§. 7.

Optimum eleganter clarum, læve, flavumque, non maculosum, sit, secundum *Marxium* in *Mat. Med. pag.* 100. Nonnunquam in totis frustis rubra, clara ac pellucida resina, aloë socoterinæ similis, deprehenditur, quæ visu licet elegans nec quicquam prodest, ac propterea quod tam elegantem colorem, ut genuinum, non suppeditat, abjicienda, uti *Pometus l. c. p.* 240. docet. *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 636. aliud adhuc habet experimentum, dicens: verum gummi guttæ accensum flammam ostendere subfuscam, nigrumque relinquere cinerem.

§. 8.

Istius vires ferè cum vitro Bii conveniunt, dum ἄνευ κρίσεως purgat, omneque superfluum ac vitiosum serum è corpore educit; ut adeoque in hydrope, scabie ac similibus morbis caute possit usurpari. Quando verò Circumforanei, Chirurgi, Balneatores & ejusdem farinæ homines ita indiscriminatim commendant, periculosus abusus est, quo multis somnus æternus conciliatur. Pictores maxime usurpant, quoniam colorem flavum, vitellum æmulantem, suppeditat, & picturæ Miniatoriæ dictæ inservit. Qui plura scire desiderat, *Castelli Tractatum de Gutta Gambodia* sibi comparet, & quæ *Reudenius* atque *Hochstetterus*, Doctores, (qui multum olim de isto disputarunt) in peculiari aliquo libro scripserint, legat.

CAPUT XIII.

DE

SANGUINE DRACONIS.

§. 1.

SANGUIS DRACONIS obscurè rubra resina est, quæ igni admota statim solvitur ac flammam concipit, attrituque sanguineum colorem reddit, sapore resinoso & adstringente. Utplurimum ex India Occidentali, & quidem Insula Socotera, Madagascar aliisque Insulis Canariensibus venit; quanquam etiam in India Orientali multum reperiatur.

§. 2.

Ex sententia vulgari hic succus ex Dracone arbore profluit, cui id nominis est impositum, quod in fructu ab ipsa natura draconis figura dicitur delineata, ut *Manardus* ipse scripsit: quanquam *Clusius* in suis *in* prædictum Scriptorem *notis* affirmat, id in fructu se nunquam potuisse invenire, vid. Ejus *Descript. Rariorum Plantar. Lib. I. cap. 1.* Id etiam *Flacourt* in *Descriptione Insulæ Madagascar* pro superstitione habet, ut in *Append. hujus Tract. in Epist. VI.* Indiæ Orientalis ostendetur. Meliore jure à *Dn. Commelino* in Horto Amstel. palmis annumeratur, & quoniam longa & acuta folia habet, instar gladioli seu juccæ glorioſæ, ab isto Palma prunifera foliis juccæ vocatur. Crassum habet caudicem, ex quo octo vel novem rami, longitudine duarum forte ulnarum, sine foliis prorsusque nudi prodeunt, qui superius iterum in tres vel quatuor ramos seu furculos, ulnæ altitudine, & brachii crassitie dividuntur, ex quibus acuta longa folia in altum assurgunt, quæ itidem longitudine ulnam, crassitie pollicem æquant, excurrente per medium linea notata, & in latere rubicunda sunt, semperque virent. Infra de ramis fructus racematim pendet, flavus, ceraſi magnitudine, sapore acidus, tenui pellicula cinctus, intus osficulo, ritu ceraſorum, præditus, quemadmodum *Theod. Tabernæmontanus* ex prædicto *Clusio Lib. 3. de Plantis pag.* 687. omnia valde perspicue descripsit. Num vero in Canariensibus Insulis aliæ etiam inveniantur arbores, simile gummi generantes, atque ita, ut à *Pometo* in figura delineatæ sunt, apparentes, ego quidem non ibo inficias, cum etiam in India Orientali ejusmodi resina à diversis arboribus colligatur.

§. 3.

E caudice hujus arboris, valde salebroso atque hiulco, in diebus caniculatibus prædictum profluere gummi dicitur, Sanguis Draconis vocatum, quod incolas olim, foliis Draconis arboris involutum, ovi columbini magnitudine aliorsum transmisisse perhibent, secundum relationem modo dicti *Pometi*

in *Hiſt. des Drogues pag.* 260. Hodie oblongis & parvis fruſtis, magnitudine auricularis venit, (quorum quodlibet forte drachmam & dimidiam pondere æquat,) foliis munitis, teſte, præter Materialiſtam jam citatum, *Wormio* in *Muſ. pag.* 229. Quoniam verò profluenti gummi aliquæ interdum permiſcentur impuritates, incolæ ſinum purumque ſanguinem draconis exinde conficiunt, in utriculis ſeu canaliculis afferri ſolitum, qui tamen etiam è maſſis ſeu panibus magnis, ex America venientibus, in Germania poteſt præparari, teſte *Marxio* (qui iſtum præparare juvit) in *Mater. Muſ. pag.* 180. 181. *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. p.* 599. iſtum ita præparari exiſtimat: peregrè advectum ſpiritu vini ſolvi, iterumque inſpiſſari, quoniam ſanguis draconis ſpiritum vini ſtatim colore ſanguineo imbuit.

§. 4.

Hinc apud Materialiſtas duæ vel tres habentur ſpecies, nempe ſanguis draconis granulatus, ſeu in granis, & ſinus: ex quibus vilior præparata ſpecies in panes formatur, quam ſanguinem draconis in pane vocant, qui raro purus eſt, ſed gummi Arabico (ut ſupra dictus *Marxius l. c.* ſcribit) aliisque ſimilibus permiſtus,

SANGUIS DRACONIS FACTITIUS

vocatur, obſcure quoque ruber, extrinſecus intrinſecusque inſtar reſinæ nitidus. Quin imò *Pometus* nos facere vult certiores, ex Batavia afferri ſanguinem draconis, qui nihil aliud, quam ſolum gummi Arabicum ſit, mediante ligno Braſilienſi colore rubro imbutum; quod iſti relinquimus excuſandum. *Joh. van Beverwyck* credit ſanguinem draconis noſtratem nihil aliud eſſe, quam ſanguinem hirci, bolo ſuccoque florum fraxini permiſtum, ut *Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Mater. pag.* 150. obſervavit.

§. 5.

Optimus eſt in granis foliisque involutus veniens, clarus, pellucidus, friabilis & elegans ruber. Qui tamen cum perrarus ſit, alter in iſtius locum ſuccedat, priori prope accedens, eleganter clarus, rubore ſaturatus ſub terendo apparens, ac facile friabilis. Binæ ultimæ ſpecies colore, ſapore cæterisque ſanguinis draconis veri virtutibus omnino deſtituuntur, propteraque non à Medicis ſolum, nempe *Eſtmüllerò* in *Comm. Schræd. pag.* 720. ſed à Materialiſtis quoque, utpote *Pometo l. c. pag.* 261. prorſus rejiciuntur.

§. 6.

Tantum de origine ac differentia ſanguinis draconis in Medicorum æque ac Materialiſtarum ſcriptis reperitur; quibus tamen omnibus *Joh. Gottfried Vitus*, Materialiſta Wormatienſis (qui, quoniam jam aliquot annos ante ſuum in Indiam Orientalem inſtitutum iter mercaturæ ſimplicium operam dederat, majori iſtius inquirendi tenebatur deſiderio) contradicit, contraque affirmat, ſanguinem à nulla arbore, ſed à craſſiori arundine proficiſci: cui non tam facile habuiſſem fidem, niſi id ipſum in *Dn. Rumphii*, doctiſſimi Botanici, *Epiſtola ex India Orientali* ad Magnarium *Dn. Herbertum de Jager* de dato Amboina Victoria d. 15. Septembr. 1689. miſſa, reperiſſem, qui arundinem in alia quadam epiſtola Palmijuncum vocat, quoniam, inſtar palmæ, longa & anguſta habet folia. Hic PALMI-JUNCUS circa portum Occidentalem in Sumatra creſcit, ſuisque geniculis non ſolum juniorem arundinem, ſed prædicta quoque folia habet, ut & malignas ſpinas, parvis globulis ſeu capitellis, tanquam fructibus, globulos luſorios referentibus, inſtructas, qui ſquamoſi prodeuntes occluſi ſunt, intusque nucleum includunt. Foris inſidet ſanguis draconis, à quo rubræ maculæ in baculis, ſ. vulgò dictis Hiſpanicis arundinibus, ab illo junco abſciſſis, interdum apparentes, proveniunt. Et quoniam prædicti fructus ſtrobilis quodammodo ſunt ſimiles, vegetabile iſtud ab aliis PALMA-PINUS, & PALMA CONIFERA SPINOSA vocatur, cujus accuratam deſcriptionem *Dn. D. Kæmpferus* in *Dec. Obſ. Exot. §. 5.* & abhinc in *Amœnitatibus* ſuis *Exoticis* communicavit. Quatuor ſanguinis draconis in India Orientali habent ſortes, quarum prima eaque optima fruſtulis digiti longitudine, foliis prorſus viridibus, isque ſempervivis, circumvolutis venit, quæ quinquies longitudine pollicis craſſitiem æquant & ʒiij. pendent: hæc ſpecies optimum largitur colorem. Altera in faſciculis gramine circumdatis, funiculisque ligatis, & de funiculis aliquot ulnarum longitudine pendentibus affertur: unus faſciculus ſemiuncialis eſt. Tertia in tabulis eſt, unius circiter libræ pondere, interdum etiam in fruſtis majoribus, quorum bonitas ſeu præſtantia ab oculorum pendet judicio. Quarta in magnis fruſtis ſive maſſis affertur, ſemi- aut centenario pondere, quæ tamen impura, opaca & grumoſa eſt. Hactenus prædictus *Dn. Vitus*, quem aliquot dies domi meæ retinui, quo ex ipſo rem melius intelligerem.

§. 7.

Quanquam nullum ſit dubium, quin res ita ſe habeat, haud tamen negandum, ſanguinem draconis ex aliis quoque arboribus, ſanguineum ſuccum continentibus, profluere, dum *Flacourt* in *Hiſtoire de Madagaſcar pag.* 135. *& ſeq.* tres fere ejusmodi arbores recenſet, cujus verba in *Appendice hujus Tract.* in *Epiſt. 17. Indiæ Orientalis* reperiuntur. Ubi etiam *Dn. Herbertus de Jager* oſtendit, ſimilem ſanguinem draconis è ligno Caliaturo ſeu Sandalo rubro exſudare, ſuumque adverſarium *Dn. Rumphium* eo redegit, ut tandem

dem epistola seq. septima concedat, ex aliis quoque vegetabilibus ejusmodi sanguinem draconis posse esse emanare, de quo etiam supra laudatus *D. Kempferus* in *Descriptione Dsjerenang* statim in principio meminit: ut adeoque res bene conciliari posse videatur. Juvabit propria ejus legere verba, quæ ita se habent:

DSJERENANG,
id est,
SANGUIS DRACONIS,
ex fructibus Palmæ coniferæ spinosæ elicitus.

UT lapidem bezoardico similem ex diversis specie animalibus, simiâ, caprâ, cervo: sic nonnullas quoque resinas & gummata ex specie distinctis plantis depromi certius est, quàm verisimilius. Terebinthinam, Bdellium, Tragacanthum & Vernicem nativam hoc loco tacebimus. Duplicem nobis exhibent sanguinem draconis Pharmacopolia, haud quaquam solâ puritate, quod creditur, sed ipso genere arborum, ex quibus colligitur, differentè: unum nimirum in *glebis*, cujus ex Occidente quoque: alterum in *guttis*, ut loquimur, cujus ex solo Oriente nobis fit copia. Ille in Canariensi Insulâ manat ex dehiscente caudice arboris pruniferæ cujusdam, *Draco* dictæ, si Chusiano fides est; si Arabibus Persisque credimus, idem ex arbore *Santalinâ rubrâ* pollicitur. Hos ita sentire persuasit communis lacrymæ cum Santalo color, bonitatis nota, virtus, & demum patria, videlicet *Cholomandela*, (vulgo *Cormandèl*) *Madagascar* & *Æthiopia*, sive potius Æthiopiæ ora illa, quæ *Sangibára* vel *Zanguebara* inscribitur. Suffulcit opinionem etymi inter diversas gentes cognatio & consensus: quandoquidem vocabulo, quo Persæ Draconis succum *Chuni Sengijoon*, id est, Sanguinem Sangibarensem nuncupant, eodem gentiles quoque Gangetici Santali rubri lignum indigitant, id appellantes, vel linguâ suâ populari Decanicâ: *Reket Tsjandan*, i. e. Sanguineum Santalum: vel doctâ Brahmenum Samscreticâ: *Rakta Tsjandoonam*, quod idem sonat: vel, *Rakta Tsjandoonam Sangghi*, id est, Sanguineum Santalum Sangibarense sive Æthiopicum. Ex aliâ rursus arbore eundem succum derivari contendunt alii. Nec mirum sic dissentiri de illius natalibus: Varium enim adulterium, quin supposititium hujus nominis genus, quod arte componitur & pro encaustis & pictoribus venale prostat, variam conjecturæ & erroris occasionem ignaris rimatoribus suppeditant. De *hoc* verò posteriori, quem sanguinem in guttis appellant, inter nigritas Orientis, Malajos Javanosque, exploravi, quòd artificio eliciatur ex fructu parvulo, strobili figurâ, arboris μονοβλάστου spinosissimæ. Eliciendi hic modus est: Reponuntur fructus in craticulâ supra vas amplum fictile, quod aquam ad sui dimidium continet. Quo facto, vas leviter operculatum supra prunas collocatur, eo fine, ut elevatus aquæ bullientis vapor fructus emolliat atque emaciet; ita fit, ut tinctura sanguinea, quæ in dissecto fructu ad oculum mihi non comparuit, calente halitu extricatus, exsudet, & in superficie fructuum sistatur. Hæc bacillo abrasa, in folliculos reconditur, ex folio arundinaceo complicatos, mox filo nectendos in seriem, & in aëre tamdiu suspendendos, donec inclusus sanguis exaruerit. Ab aliis simplici coctione opus perficitur: nimirum usque eò strobili excoquuntur, donec rubedinem in aquâ deposuerint; hæc, rejectò fructu, coctione ulteriori in spissum succum redigitur, folliculis pariter involvendum.

Ad ipsius arboris descriptionem, ut proferamus, prænotamus: Indiam multas ferre Arundinum species, cùm earum, quas *Rotang*, seu *Rottanj*, id est, arundines caule farcto, tum quas *Bambuu*, id est, arundines cavas vocant. Utriusque in censum referuntur variæ Palmæ sylvestres, inter vastissima vepreta patriæ (inaccessa hominibus latibula rigridum) crescentes. Ex his nobiliores tres potissimum species, spinis armatas, mihi obvias fecit Botanica deambulatio, cum indigenis instituta: nimirum *Rotanj Salàg*, *Rotanj Gelàg* & *Rotanj Dsjerenàng*; cujus postremæ, Draconis sanguine illustris, (siquidem ductor meus trium nominum confusione non erraverit) hîc genuinam repono, sed pro viatoris Minervâ deproperatam descriptionem.

Rottanj Dsjerenàng Palma-pinus est, trium ad summum orgyiarum altitudinis, undiquaque *spinis* horrida atro spadiceis, rectis, uncialis pene longitudinis, compressis, tenuibus. *Caudex* ad tertiam exsurgit orgyiam, humani brachii crassitie, simplex, rectus, ex luteo pallescens, aculeis versùs horizontem extensis, & in imo caudice densissimis armatus, per spithamarum intervalla geniculatus, geniculis, ob frondium bases, quibus involvuntur, non apparentibus. Bases frondium tubulatæ sunt, singulæ ex singulis geniculis ortæ, ita ut inferior superioris exortum perpetuò complectatur: quò ipso fit, ut articuli non appareant, nisi involucris liberati. Hæc involucra sive tubi, ut caudicis exteriorem superficiem, ita & majorem ejus partem constituunt: nam iisdem remotis, ipsa prodit in conspectum pars intima *medullaris*, superficie nitidâ, coloris spadicei, substantiam obtinens laxam & fibratam, in vertice solidiorem, carnosam, edulem, saporis expertem, candidissimam. Frondibus gaudet in caudice, pro articulorum numero, raris & inordinatis, in vertice densioribus, haud numerosis tamen: quorum exteriores, lege Palmarum, longiores sunt: interiores, velut successu temporis nascentes, breviores & imperfecti. *Frondes*, in orgyiæ longitudinem extensæ, utrinque pinnato foliorum ordine decorantur, imâ earum parte, quam scapum vocant, nudâ. *Costa* earum levis est, ex crassiori principio sensim tenuior, quadantenus com-

preſſa, ſumma facie herbaceâ, averſâ pallidâ lateſcente: utroque latere, ex quo folia prodeunt, carinato; ſpinis armatur brevibus, raris, in dorſo uncis, & inſtar cornuum per paria junctis. *Folia* (quæ vulgò pinnas appellant Botanici, cùm frondes illis foliorum nomine veniant) ſunt arundinacea, coloris herbacei, cubitum longa, ſemiunciam lata, in longum apicem producta, tenuia, pendula, pronâ facie raris aculeis aſpera: nervis donata tribus, in longitudinem decurrentibus, uno inſigniori medio, ceteris tenuioribus, unde in plicas totidem inclinant, & marceſcendo quodammodo coëunt. Fructûs ſingulari naturæ induſtriâ producuntur: racemis conſiti in comâ, ex frondium axillis, in caudice verò palmari à frondibus intervallo enatis. *Racemi* duobus loricantur adverſis folliculis foliaceis, tenuibus, ſtriatis, fuſcis, in longiſſimum apicem acutè lanceatis: uno inferiori & magis externo, qui geminam ſpithamam longitudine, ſeſquiunciam latitudine excedit, & in convexo ſpinis pollicaribus, compreſſis, ad rectum angulum exporrectis, aſperatur: alterò verò ſuperiori, ſive caudicem ſpectante, qui nudus eſt & brevior. Ipſe Racemus dodrantalem obtinet longitudinem, ex paucis (4, 5, 6) racemis minoribus, ſtylum medium in longitudinem ſtipantibus, compoſitus: quos ſingulos ſinguli intercipiunt folliculi alii, prædictis ſimiles, ſenſim breviores & anguſtiores, ita ut ſubinde priorum complexu poſteriores imbricentur. Divaricantur racemi in bacillos ſive pediculos, pingues, firmos, ex breviſſimis intervallis ad alterna latera retortos, tuberculisque conſpicuos exiguis, ſquamoſis, non deciduis, quibus inſiſtunt Fructus: qui baſi ſuæ ſubnexas exhibent (reliquias perianthii) ſex lacinias tenues, membranoſas, fuſci coloris, quarum tres exteriores ſunt breviſſimi, lati & frontati: reliqui, ex illorum interſtitiis prominuli, ſunt longiores, anguſtiores, acuminati. Ipſe *Fructus* ovatæ rotunditatis eſt, nuce avellanâ major, ſquamulis nitidiſſimis deſuper loricatus, adeoque inverſum ſtrobilum referens, dum mucrones ſuperiores ſubinde claudunt interſtitia inferiorum, accuratâ quincuncialis ordinis venuſtate. Verticem ornant tres ſtyli tenues, arefacti, duriuſculi, in averſos gyros eleganter reflexi. Squamulæ ſunt parvulæ, duriuſculæ, tenues, arctè adnatæ, coloris Phœnicei, oris fuſcis, in angulum rectum mucronatæ: quibus remotis conſpicitur membrana carnoſa, albicans, laxè involvens globulum carnoſum, per immaturitatem ex herbaceo pallentem, pulpoſum, ſuccoſum, ſaporis leguminoſi & inſigniter adſtringentis, qui ad linguæ contactum per gingivas & oris parietes protinus ſe diffundit, & citiſſimè diſparet.

Mutilam hujus racemi iconem, ſub generis nomine Malaico *Rotang*, exprimere niſus eſt *Bontius*, peneque ſimilem proponit *Bauhinus*, ſub Palma-pini titulo, uſûs verò hujus uterque eſt neſcius. Pariles quoque ſquamoſos fructus, ſed arundinis minoris, non ſpinoſæ, exhibet *Hort. Malab. Tom. ult.* Poſſideo in pinacothecâ meâ geminum fructum, ex Oceanò in Ambonenſe littus depoſitum, incluſo globulo prægnantem ac ſonorum: marinum aliis, mihi genuinum deſcriptæ arboris fructum, in mari petrefactum.

§. 8.

Quod ad uſum ſanguinis draconis attinet, is apud veteres crebrior erat, quibus pro vera cinnabari *Dioſcoridis* habebatur. Verus ac genuinus vi pollet refrigerante, exſiccante adſtringenteque, qua in dyſenteria, hæmorrhagiis ac vehementioribus fluxibus interne, in omnibus vero vulneribus externè utilis eſt, ut *Schræderus* aliique teſtantur. Quæ tamen qualitates cum in ſanguine draconis noſtrate rarò inveniantur, atque adeo iſte ſuſpectus videatur, iſtius loco *Ettmüllerus l. c.* extracto tormentillæ utitur, quod ejusdem cum illo coloris ac conſiſtentiæ eſt. Interea pulveres dentifricii iſto interdum tinguntur; quemadmodum etiam rubra tenuia ligna, loco dentiſcalpiorum uſurpari, & ab Societate ex India, ſub nomine Bois de Palile advehi ſolita, in hoc gummi immerguntur, ſicut *Pometus l. c.* recenſet. Cæterum iſte ſanguis Picturæ inſervit, cujus propterea Norimbergæ, ubi perelegantes & fere incomparabiles artes coloresque cum iſto inſtituuntur, annuatim magna copia conſumitur, teſte *Marxio*, Materialiſta Norimbergenſi. In ſpecie ad res lacca pingendas & condecorandas (vulgo *Lack-Kunſt*) uſurpatur, cujus artis deſcriptionem infra *Cap. XVII.* in hiſtoria Laccæ trademus. Similiter etiam pictores vitriarii eò utuntur, quo vitro elegantem & ſanguineum colorem concilient.

CAPUT XIV.

DE

SUCCO ACACIÆ ET GUMMI ARABICO.

§. 1.

SUCCUS ACACIÆ, *Acacien-Safft*, aliâs etiam *Ægyptiſcher Schotten-Dorn-Safft*, ſubruber, fuſcus & inſpiſſatus ſuccus eſt, ſaporis acerbi & adſtringentis, qui tenuibus veſicis exceptus, inque pilas rotundas redactus, quarum quælibet 4. interdum 6. 7. 8. uncias pendet, ex Ægypto per Maſſiliam aliaque loca transporta-

portatur, ut *Charasius* in *Tr. de Theriacæ Ingred. pag.* 221. *cap.* 69. commemorat.

§. 2.

Vegetabile, à quô hic succus proficiscitur, plerumque Acacia Ægyptiaca vocatur, à multis pro arbore, ab aliis vero rectius pro spinoso frutice habita, cujus delineatio à *Dn. Herberto de Jager* Clarissimo *Cleyero* in India Orientali communicata, ab istoque *Misc. Ac. Germ. Cur. Dec. I. A. III. pag.* 11. inserta est. Quæ cum æque cum Acacia vera, quam Cardinalis Farnesius olim Romæ suo in horto coluit, quamve *Aldinus* in *Horto Farnesiano* descripsit, conveniat, atque *Hernandezii* figuris in *Hist. Rerum Med. Nov. Hisp. pag.* 59. 453. 866. reperiundis, valde similis sit, eo minus de rei veritate dubitandum.

§. 3.

Qui succus è fructune, lupinis simili, & à *Wormio* in *Mus. pag.* 178. descripto, an ex corticibus ac foliis extrahatur, adhuc quodammodo incertum est. Nec Materialistæ de colore externo conveniunt, dum de quorundam sententia succus acaciæ requiritur esse eleganter ruber, eoque putatur melior, quo magis colore est saturatus, secundum *Charasium l. c.* Alii contra, utpote *Pometus* in *Hist. des Drogues pag.* 301. fusco primas tribuunt, utpote magis cocto, & è fructibus maturis expresso, cum ruber ab immaturis proveniat. Bini vero cum censent optimum, qui solidus, durus, ponderosusque est, & quando malleis cuduntur pilæ, facile in frusta concidit, & foris purus, intus nitidus apparet.

§. 4.

Virtute refrigerante & adstringente pollens rarò præscribitur, ad dispensationem theriacæ saltem conquirendus, ubi à circumposita vesica depurgandus, aqua solvendus, transcolatusque evaporandus est, docente *Charasio l. c.* Quando verò varias in formas redigitur, & in dispensatione theriacæ ostenditur, *Pometo l. c.* supervacaneum, partim etiam dolosum, videtur.

§. 5.

Quemadmodum hic succus semper intelligendus, quando acaciæ simpliciter & sine appositio fit mentio, ut *D. Sim. Paulli* in *Quadr. Bot. pag.* 13. monet: ita in istius defectu

SUCCUS ACACIÆ GERMANICÆ

substituendus, concedente *Schrædero* in *Pharm. Medico-Chym. Lib. IV. Class. I. No. VI.* Quod tamen *Charasius* aliique dissuadent, dum acaciæ veræ hodie nullus est defectus. Hic succus acaciæ nostratis similiter atque ille vesicis excipitur, & avehitur, niget tamen est, tanquam extractum liquiritiæ, ac vehementer adstringit.

§. 6.

GUMMI ARABICUM

cum ab eodem vegetabili credatur proficisci, hic loci minime prætereundum. Ex albo flavum, clarum & pellucidum gummi est, saporis aquosi & viscidi, atque interdum minutim incisum magnis in doliis affertur, quod rarò purum & genuinum est, ut *Marxius* in *Mat. Mus. pag.* 20. meminit.

§. 7.

Istud gummi Arabicum hodieque verum ac minus adulteratum in officinis inveniri, non solum Medici dubitant, ut ex *Append. Schræd.* apparet, sed ingenui quoque Materialistæ ipsi confitentur istud adeò rarum factum esse, ut in magnis etiam doliis nullum inveniatur, vid. *Pometus* in *Hist. des Drogues pag.* 241. Quod verò hoc sub nomine venditur, vel mistum aliquod est, ex variis gummatibus de persico, ceraso prunoque arboribus desumtis, ut *Wormius* in *Mus. pag.* 219. & *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 692. existimant: vel ad summum

GUMMI SENICA s. GUMMI DE SENEGA

est, ex Guineâ, juxta Senegam fluvium, collectum, veniens, quod licet multo majoribus, foris asperis & magis flavis, frustis constat, quam verum Arabicum, tamen non Parisiis solum, sed in Anglia quoque & alibi pro Arabico venditur, quemadmodum *Sam. Dale* in *Pharmacol. p.* 463. refert. Quod vel eo facilius ferendum esset, modo candidissimum saltem pulcherrimumque pro isto haberetur, gummi Arabico simillimum: & propterea è vulgari seu in sortis sæpe eligitur, secundum *Pometum l. c.* ubi simul fusius recenset, quemadmodum Gallica Materialistarum Societas id emat, & quæ sibi à barbaris perferenda sint, qua de re porrò in *Append. libri citati pag.* 15. agit.

§. 8.

Hinc non potuit non fieri, quin diversæ gummi Arabici constituerentur sortes, quarum apud Materialistas nostros minimum duæ, nempe GUMMI ARABICUM ALBUM, & ARABICUM IN SORTIS reperiuntur. *Pometus l. c.* quatuor species recenset: 1. GUMMI VERMICULATUM, instar vermis intortum ex vegetabili profluens, ac vulgo eleganter clarum albumque apparens. 2. TURIS, quod verum Arabicum est, tempestate humida ex acacia emanans, quod certis vasis exceptum magnis frustis Massiliam feratur, &, quoniam clarum pulchrumque est, à sericariis tinctoribus Lugduni in copia consumatur. 3. GUMMI ANGLICUM, quod ex Arabico seu Senicaneo (id quod aqua solutum in massam formatur, inque frusta inciditur) constat, & instar glutinis Hollandici apparet, quo ii, qui crines supposititios seu galericula consuunt, crinium crispaturam adjuvant, unde Frisir-Gummi vocatur. 4. GUMMI de SENEGA, de quo supra meminimus.

§. 9.

Optimum eleganter album, clarum, instar vi-

tri pellucidum, purum, in ore glutinoſum viſcidumque, ſolidum, nitidum ac fere inſipidum eſt. Melius verò pulchriusque eſt, quando incurvatos vermiculos refert, quod *Charaſius* præ cæteris ad theriacam eligit, ut in ejus *Tract. de Theriacæ Ingred. pag.* 214. videre eſt.

§. 10.

Virtute qua pollet, acres humores emollit ac demulcet, impactamque thoraci ſaburram reſolſolvit: propterea interdum ad tuſſim, raucedinem, ruborem oculorum, acrimoniam urinæ, dyſenteriam &c. uſurpatur. Crebrius ad atramentum ſumitur, quoniam impedit, ne charta iſtud transmittat. Alii quoque artifices ad criſpandum & ſolidandum adhibent: cui intentione, etiam

GUMMI NOSTRAS, *Land-Gummi*,

ceraſorum ac prunorum ſatisfacit, quod easdem fere habet virtutes, gummi Arabico tributas.

CAPUT XV.

DE

HYPOCISTIDE ET GUMMI LADANO.

§. 1.

HYPOCISTIS ſpiſſus, niger & paulum reſinoſus ſuccus eſt, ſaporis acerbi, acidi & adſtringentis. Utplurimum è Languedoco, Provincia Galliæ, in Germaniam fertur.

§. 2.

Vegetabile, cui ſuam debet originem, ex parvis ſurculis, è radice parvi fruticis, CISTUS vocati, prodeuntibus conſtat, ut ex *Pometi* figura apparet. Ciſtus alba aſperaque folia, & purpureos floſculos habens, copioſe in Provincia & circa Languedocum, in montibus quoque circa Patavium, in Italia creſcit, ex cujus radice, in Majo circiter, ejusmodi ſurculi prodeunt, flaveſcentes, & opacis intergerinis parietibus quaſi in ſquamas & globulos diſtincti, & inſtar ſquamariæ apparentes. Qui unius, duorum vel trium pollicum latitudine, inferius tenuiores ſunt quam ſuperius, ſucco refertı, qui exinde expreſſus poſtea in incruſtatis fictilibus coquendo inſpiſſatur, ſicut *Charaſius* in *Deſcript. Theriacæ Ingred. pag.* 211. pulchrè omnia deſcripſit.

§. 3.

Optimus ſuccus ſpiſſus, denſus, ex nigro nitidus, ſucci liquiritiæ modo, vereque adſtringens ſit, non aduſtus. Qui licet facile haberi queat, nec adeo ejus timenda ſit adulteratio, tamen purificari, ſolvendoque ac filtrando, aut modis aliis ab impuritatibus ſuis debet depurgari ante, quam ad theriacam ſumatur. Qui enim in Gallia iſtum præparant, de iſtius accurata purificatione non adeo ſoliciti ſunt, ut præter *Charaſium* ejus popularis *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag.* 301. confitetur.

§. 4

Qualitatibus ſuis cum Acacia vera, iſti etiam interdum ſubſtitui ſolita, valde convenit, vique ſua adſtringente omnes ventris, uterique ac ſanguineos fluxus, nimium vomitum, hæmoptyſin &c. compeſcit; non theriacam ſolum ingreditur, ſed alias quoque compoſitiones, internas æque, v. g. Diacydonium, Troch. de Carabe, Diacorallium &c. ac externas, nempe Unguentum Comitiſſæ &c. Sic etiam ad Emplaſtrum ad hernias ſumitur, quod in Prioris de Cabriere cura uſurpatum, juſſu Galliarum Regis editum, & à nobis alibi deſcriptum eſt.

§. 5.

Cæterum alia adhuc exteraque Ciſti ſpecies, Botanicis Ciſtus Ledon foliis laurinis dicta, invenitur, in Inſula Cypero, Lybia, & Arabia creſcere perhibita & in Inſula Creta quoque copioſe in montibus reperiunda, teſte *Cypriano Eichovio* in *Itinerario* ſuo *pag.* 511. qui ſimul refert

GUMMI LADANUM

magno impigroque labore ex iſto Ciſto colligi, quod inde potiſſimum allatum, ex nigro cinereaceus, aſper fragransque ſuccus eſt, diverſa forma figuraque videndus.

§. 6.

Quâ verò ratione Ladanum colligatur & accommodetur, diverſæ Auctorum ſunt opiniones. Cum *Dioſcoride* multi exiſtimant iſtud de barbis pilisque hircorum & caprarum, reſinoſa folia prædicti ciſti edentium, depecti: quod tamen aliis, utpote *Ettmüllero* in *Comm. Schræd. pag.* 704. fabuloſum videtur, dum ladanum parvis grumis ex foliis exſudat, & ab rore circumambiente quaſi extrahitur, poſtea decutiendum & exſiccandum; & quoniam facile contingit, ut hæc lenta materia oribus hircorum & caprarum adhæreat, ſummo mane iſtis fruticibus ſe approximantium, procul dubiò in eam venerunt opinionem, hoc gummi quaſi pinguedinem eſſe pilorum hircinorum. Cui opinioni non ſuffragantur piloſæ concretiones in ladano interdum reperiundæ, quippe quæ è foliorum fibris facilius oriuntur. Quando enim incolæ ſine dubio ſuccum vi aliqua exprimunt, facile fieri poteſt, ut ejusmodi fibræ iſti permiſceantur, præſertim

cum

cum prædictus *Eichovius* referat, ladanum intolerabili labore colligi. Niger etiam color testatur hunc succum, ad modum aliorum, fortasse igne inspissari.

§. 7.

Hinc facile judicare licet, quid de ista differentia, quam Materialistæ inter LADANUM DE BARBA, & LADANUM DE CYPERO (quod alii etiam Ladanum in Sortis vocant) constituunt, sit censendum? Bina bonitate puritateq; differunt & ab eodem proficiscuntur frutice, neutiquam à barbis. Parum etiam refert, qualem ladanum formam aut figuram habeat, intortisne spiris, ut Cyprium, an crassis frustis, ut Ladanum de barba veniat: in quibus eligendis Materialistas inter se dissentire video. Id saltem operæ detur, ut purum, arena aliisque impuritatibus non permistum, molle, fragrans, leve, pingue, ex nigro viridiusculum acquiratur, uti *Marxius* in *Mat. Mus. pag.* 110. scribit.

§. 8.

Vires istius sunt calefacientes & resolventes, hinc aeres catarrhos temperat, utpote vi anodyna simul præditum: ex quo propterea *Hoffmannus* pilulas catarrhales præparavit, in *Clavi Schræd. pag.* 586. reperiundas. Nec tamen *Sim. Paulli* admonitio negligenda, ut ne Laudanum opiatum pro Ladano sumatur, ut in Ejus *Quadrip. Bot. pag.* 50. videre est. Externè pulveres catarrhales aliaque suffimigia ingreditur, adeo, ut etiam ad balsamum apoplecticum sumatur, quippe quod ladano colorem suum fert acceptum. Vi sanandi, qua pollet, ad externa vulnera utile est. Ladanum qui colligunt, istud etiam solvunt, colatumque in spissum balsamum redigunt, balsamum nigrum, seu

LADANUM LIQUIDUM

vocatum, atque interdum pertenuibus vesicis seu pelliculis transmittendum: quo in Gallia Italiaque ii utuntur, qui fumigando rebus gratiam odoris conciliant, sicut *Pometus l. c. pag.* 36. *L. 1.* commemorat. Quanquam ipse confitcatur istud paucis Materialistis innotescere, atque ob magnum pretium in mercaturam non trahi, nisi quod istud nonnulli pro nigra ambra dicantur divendere.

CAPUT XVI.

DE

OPIO THEBAICO.

§. 1.

OPIUM THEBAICUM, *Ægyptischer Mohn-Safft*, ponderosus, densusque ac spissus succus est, partim resinosæ, partim gummosæ naturæ, colore obscure fusco, sapore acri & amaro, odoreque molesto & narcotico. E Turcia, in frustis pugni circiter magnitudine, foliis papaveris involutum, parvisque cistis seu doliolis inditum, affertur.

§. 2.

Capita papaveris, unde oritur, unicuique nota sunt, & quoniam papaver nigrum æque efficax succosumque est, atque album, non anxie inquiremus, opium huicne an isti originem suam tribuat; quanquam plurimi Scriptorum existiment ab albo papavere proficisci, præsertim permagnis capitibus, quæ in Turcia colantur. Quâ verò ratione generentur, ac succus ex istis colligatur, *Bellonius Lib. 3. Obs. cap. 15.* describit, cujus verba, ob libri pretiositatem raritatemque *Simon Paulli Quadrip. Botanico p.* 419. verbosius inseruit. Scilicet Turcæ integros agros papavere albo repletos habent, semenque serunt, ut nos triticum, tantum tamen, quantum quisque sua familia colere potest. Formata deinde papaveris capita incidunt, quo succus lacteus apparens exsudet, quem paulum inspissati curant. Hujus nonnulli duas, alii sex vel plures libras colligunt, cujus tanta accrescit copia, ut, secundum relationem Magnarii cujusdam, annuatim 50. Cameli, isto onusti, alias in regiones mittantur. Ubi tamen notandum, verum hoc atque genuinum Opium vel sponte sua, vel facta incisione prædicta, è capitibus profluens, raro vel nunquam in Europam ferri, sed à Turcis ac Persis suos in usus retineri, ac istius loco alium quendam succum è capitibus ac foliis exprimi ac coqui, alias proprie MECONIUM dictum, ac vulgo nostris in officinis pro opio divendi solitum, ut non solum Doctores, utpote *Schræderus* ejusque Interpretes, sed Materialistæ ipsi quoque confitentur, vid. *Pometus* in *Hist. des Drogues pag.* 245. Imò alium quendam succum ex herba, cui Glaucium nomen est, expressum isti permiscere dicuntur.

§. 3.

Inde est, quamobrem plerumque tres opii sortes numerentur, nempe OPIUM ALBUM, NIGRUM & FLAVUM. Primum idque optimum dicitur esse Thebaicum, ex India Orientali per Cairo advectum: Secundum ex Syria, Alexandria & Athenis: Tertium ex Cambaja & Decaniâ venire, *Schræderus* in *Pharm. Medico-*

Medico-Chymica Lib. IV. Claſſ. 2. No. CCCXIV. ex aliis commemorat. Enimvero *Pometus l. c.* opium album ignorat, de ejusque exiſtentia dubitat, quoniam lac album, ſimulac è capitibus profluxit, colore mutato, flavum aut fuſcum evadit, quem etiam colorem in Turcia habere ſibi dicit Alkairo ſcriptum. Quamobrem in eos fere invehitur, quæ talia de Materialibus ſcribunt, quorum nullam habeant cognitionem, Materialiſtis potius convenientem; quanquam Norimbergenſis Materialiſta, *Marxius*, in *Mater. Muſ. pag.* 144. iſtius quoque expreſſe meminit, ut adeoque ipſi Materialiſtæ in arte ſua non ſemper certi ſint. Interdum autem una in ciſta opium flavum nigrumque ſimul reperiri & afferri non inficiatur, cum notum ſit, ejusmodi ſuccos vetuſtate nigriores ſiccioresque evadere, ab una licet herba unoque loco provenientes.

§. 4.

In eligendo probandoque opio iterum auctores inter ſe diſcrepant, dum nonnulli, utpote *Wormius* in *Muſ. pag.* 228. album ſ. flavum, inſtar pilorum leonis, pro optimo habent: alii contra flavo, utpote non ſatis cocto, nigrum & prorſus ex opaco flavum præferunt. In eo autem conveniunt omnes, iſtud, quoad ejus fieri poteſt, purum putumque, non arenoſum, vere ſiccum ac ſolidum eſſe, non una maſſa pendere, ſed ut ſupra dictum, parvis pilis, foliis circumdatis, venire debere, id quod pulcherrimum eſt, præſertim ſi intus nitet, gravemque habet odorem. Quando verò nonnulli exiſtimant iſtud aqua prorſus diſſolvi debere, Pariſienſis Pharmacopola, *Charaſius*, erroneum eſſe credit, cum unicuique notum ſit multum in iſto reſinæ eſſe reconditum. Quam ob cauſam opium ad theriacam ſumendum, duobus prius menſtruis aqua partim, partim ſpiritu vini ſolvit, poſteaque ſimul iterum inſpiſſat: de qua opii purificatione verboſius juxta atque ingenioſe *Tr. de Theriac. Ingred. pag.* 79. *& ſeq.* locutus eſt.

§. 5.

Major de qualitatibus opii lis eſt, calidumne an frigidum ſit? & num calefaciendo, vel conſervando ſpiritus vitales, homini conciliare ſomnum poſſit? Qua de lite *Döringius* in *Tr. de Uſu & Qual. Opii pag.* 21. *ſeqq.* valdè uberius agit, eorum defendens opinionem, qui opio vim calefaciendi adſcribunt, qua vini ritu ſomnum poſſit conciliare: ſiquidem hodie indubium eſt iſtud magnam partem ex narcoticò ſulphure & particulis valdè volatilibus conſtare, ut Clariſſ. *Wedelius* in *Opiologia* oſtendit, cujus compendium in *Hiſtoria noſtra Lit. Cur. Specim. I.* reperitur. *D. Samuel Schræer* in *Inquiſitione in naturam Opii*, mediâ incedens viâ, operationes opii volatili acidoque ſpiritui adſcribit, ſpiritus vitales quodammodo figente; & quoniam hic ſuccus narcotico ſuo oleo ſeu acido ſpiritu, furibundos ſpiritus animales compeſcit ac demulcet, atque hac ratione omnes dolores mitigat, ſanguinem etiam cæterosque circulandos humores quodammodò ſpiſſiores reddit, non mirum quod ſimul omnes diarrhœas, vomitus, hæmorrhagias &c. ſedet, id quod multis, ex aliis conquiſitis exemplis, ab *Tillingio* in peculiari *de Opio Tract.* oſtenditur. Quod verò ſimul laxet, ut *Borrichius* in *Diſc. de Somno & Somniferis* obſervavit, imò & ſudorem pellat & promoveat, ut *D. Ettmüllerus* in *Diſſp. de vi opii diaphoreticâ* oſtendit, partim ex paralyſi alvi, in ejusmodi morbis jamdum laxatæ, partim relaxatione fibrillarum cutis, alias contractarum, proficiſcitur, uti præmemorati doctiſſimi Scriptores ſuis in ſcriptis oſtendunt.

§. 6.

Tandem quæritur, num bonâ conſcientiâ trahi in Medicinam opium poſſit, quippe quò multos conſtat ad plures miſſos, cujus rei exempla *Simon Paulli l. c.* & *Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Mat. pag.* 138. adducunt. Nonnulli, ut *Theod. Tabernæmontanus Lib. 2. pag.* 290. cum *Fernelio* iſtud pro venenò habent, quod homini mortem maturet intus aſſumtum, externè verò uſurpatum cœcos, ſurdos claudosq; reddat, ac propterea nunquam niſi neceſſitate ſummâ ſumi debeat. Quod tamen judicium nimis durum minimè probandum, niſi improvidum abuſum tangat, cujus noxam *D. Waldſchmidius* olim in peculiari *Diſput.* demonſtravit. Quando verò debita doſi debitoque tempore datur, incomparabilis medicina eſt, adeò, ut *Platerus* dixiſſe perhibeatur, iſto mediante ſe eum, cujus membra rota ſemifracta ſint, vivum conſervaturum. *Sylvium* verò, feliciſſimum illum Batavorum Practicum, edixiſſe referunt, malle ſe carere Praxi, quam opiatis: id quod in omnibus fere iſtius receptis reperitur, ut propterea à quibusdam cavillatoribus Opiarius vocatus fuerit. Quamobrem *Ettmüllerus*, iſtorum amplectens doctrinam, in *Comment. Schræd. pag.* 711. fuſius demonſtravit, iſtud gravidis quoque tenellisque infantibus poſſe dari, magna tamen cautione providaque cura, quoniam ex obſervatione *Panarolli* infantes ex iſtius uſu ſtupici fieri perhibentur. Nec ita crudum, ſed bene præparatum correctumque præſcribendum, quod tamen non toſtione nociva, nec menſtruis acidioribus, opium virtutibus defraudantibus, ſed vel ☉ ☿ri, aut aliis alcalibus, ſecundum *Boyleum*, aut inſtituta cum ſucco cydonium fermentatione, *Langelotti* ductu, peragendum: qua de re *Ettmüllerus* & *Charaſius* locis citatis pulchrè & accuratè agunt, ubi etiam de Laudano Opiato memoratur. De aliis Opii abuſibus variisque Indorum inebriantibus conſimilibus curioſiſſima habet

Du.

Dn. D. Kempferus in *Amœnit. Exoticarum Fasc. III.* cujus verba sunt sequentia: Alterum atque interni usus *Kheif* ex Papavere sumitur: quo Indi Persæque hortos & agros conserunt, ut lacteſcentem succum ex læsis capitibus proliciant. Hunc succum Europa *Opium:* Asia cum Ægypto *Afiuun* & *Ofiuun* vocat. Persia idem præparatum, ex reverentia, appellat *Theriaki*, id est, Theriacam; nam hæc illis est Poëtarum illa Galene, Hilare & Eudios, id est, medicina animo serenitatem, hilaritatem & tranquillitatem conferens: quô olim tergemino elogio theriacale antidotum Andromachi appellatum legimus. In Persida collectio ejus celebratur per ineuntem ætatem, propinqua maturitati capita decussatim sauciando per superficiem. Culter negotio servit quintuplici acie instructus, qui unâ sectione quinq; infligit vulnera longa parallela. Ex vulnusculis promanans succus postridie scalpro abstergitur, & in vasculum, abdomini prætigatum, colligitur. Tum altera capitum facies eodem modo vulneratur, ad liquorem pariter proliciendum. At, hæc collectio, ob capitum impar incrementum & magnitudinem, aliquoties in eodem arvo instituenda est. Solent in plantis nimium ramosis superflua capita prius amputari: sic reliqua magis grandescunt, & succô implentur majoris efficaciæ. Primæ collectionis lacryma *Gobaar* dicta, præstantior est, & graviori pollet cerebrum demulcendi virtute, colorem exhibens albidum, vel ex luteo pallentem; sed qui color ex longiori insolatione & ariditate infuscari solet. Altera collectio succum promit, priori, ut virtute, ita pretiô inferiorem, coloris plerumque obscuri, vel ex rufo nigricantis. Sunt, qui & tertiam instituunt, quâ obtinetur lacryma nigerrima & exiguæ virtutis.

Præparatio Opii potissimum in eo consistit, ut, aquæ pauxillo humectatum, spathâ crassâ ligneâ continuo & fortiter ducatur & reducatur in patina ligneâ & planâ, donec elaboratissimæ picis consistentiam, tenacitatem & nitorem induat. Ita diu multumque subactum, ad ultimum manu non nihil pertractatur nudâ, & demum, in cylindros breves rotatum, venale exponitur; forcipe dividendum, cum particulas emptores petunt. Hâc serie pertractatum opium appellatur *Theriaak malidèh*, id est, theriaca molendo præparata, vel etiam *Theriaak afiuun*, id est, theriaca opiata, ad differentiam theriacæ Andromachi, quam illi vocant *Theriaak Faruuk.* Præparandi hic labor perpetuus est propolarum, quos vocant *Kheifruus*, quasi Germanicè dicetes *Trunken Krämere*, quò illi, in foris & quadriviis sedentes, brachia sua strenue exercent. Massa hæc sæpe numero, non aquâ, sed melle subigitur, eâ copiâ admisso, quæ non siccitatem modò, sed & amaritiem temperet: & hæc specialiter appellatur *Bahrs.* Insignior præparatio est, quâ inter agitandum adduntur nux Myristica, cardamomum, cinamomum & macis, in pulverem subtilissimum redacta; qualiter præparatum opium cordi & cerebro insigniter prodesse creditur. Vocatur in specie *Poloniâ*, vel, ut alii pronunciant, *Folonià*, puta *Philonium Persicum*, seu *Mesue.* Alii omissis aromatibus, tantum croco & ambrâ massam infarciunt. Multi præparationem in usum proprium ipsi perficiunt domi suæ, ne à propolis admiscendorum paucitate vel multitudine decipiantur. Præter hoc triplicis præparationis opium, quod solâ pilularum formâ deglutitur, prostat, vel etiam à domesticis conficitur, liquor celebris nominis, *Coconàr* dictus, Græcorum quod puto Μηκώνειον ac Homerianum Nepenthes, quod à bibacibus propinari affatim per horarum intervalla solet. Parant hujus liquorem alii ex foliis, aquâ simplici per brevem moram coquendis; alii ex capitibus contusis infusione macerandis, vel iisdem supra filtrum repositis, aquam eandem septies octiesve superfundendo: admixtis pro cujusque placito, quæ sapori gratiam concilient. Tertium addo opiati genus, Electuarium lætificans & lætificando inebrians; Hujus electuarii, cujus basin idem opium etiam constituit, à sepiariis & Medicis, prout quisque ingenio pollet, variè elaboratur, ac diversis ingredientibus ad roborandos & exhilarandos spiritus dirigitur; unde varii ejus extant descriptiones; quarum primaria & famosissima est, quæ debetur inventori *Hasjèm begi*, quandoquidem comedentis animum miris perfundere gaudiis, & magicis cerebrum demulcere ideis & voluptatibus dicitur.

Opium quod Europæis, si grani unius vel paucorum dosin excesseris, lethiferum nefas audit, à prænominatis populis longâ adsuetudine ita familiare redditum est, ut drachmam multi sine noxâ deglutiant. Multa hôc abusu, vel longiori ejus usu, acciuntur mala; emaciatur enim corpus, laxantur vires, contristatur animus, stupescit ingenium: unde videas instar stipitum somnolentos & quasi elingues sedere in conviviis opii liguritores. Sæpe oblati mihi sunt, quos à canino appetitu opii percutarem, sostro centum aureorum promisso, si hoc citra damnum & vitæ dispendium præstitero. Exempla opii voracium non est, quod adducam, cum eorum pleni sint Medicorum libri. Capita papaveris teneriora acetô condita nonnulli in mensa secundâ appetunt; alii alia ex iisdem sorbilla conficiunt, pro suo quique placito. Pergo ad Cannabin.

Qui inebriantium gaudent varietate, vel opii sapore non admodum capiuntur, illi ab hâc plantâ ecstasin petunt temulentiæ. An hæc vera sit Cannabis nostras, an ejus quædam species, *Bangue* dicta, (ab Authorib. Horti Malab. T. X. p. 119. descripta) hic non disquisivero. Mihi ut ovum ovo in omnibus nostrati similis apparuit, cum mas, tum fœmina: adeoque crederem cœlo soloque acceptam debere virtutem suam. Benjani Gamronenses semen Ispahano transcripserant, ut plantam colerent; ex quo

verò progerminavit merè Cannabina, ſatis graveolens, ſed exſors expectatæ facultatis. Nec in Perſiâ genuinæ virtutis eſt, niſi quæ colitur in *Komarèh*, ſeu *Luriſtanâ*, in *Kutelli Pyreſen* apud *Caſeruun* & in agro urbis *Iſphahaan*. Partes ſuppeditat lætificantes: Semen quod *Sjadonèh*, Pollen floſculorum quod *Tſjers*, & Folia quæ *Bang* vocant. Semen virtutem obtinet debiliorem; Incoquitur cibis, & ingreditur emulſiones, ordinandas ad lætitiæ crapulam inducendam. Alii ſemen ſacchâro ſaleve condunt, veſcendum ad gaudia etiam conjugibus excitanda. Pultes, dum Cracoviæ ſtuderem, ex farina ſeminis Cannabini per jejunia ſæpè comedimus, ex quibus verò crapuloſum me, vel in gaudia effuſum fuiſſe non memini. Pollen floſculis excuſſum protinus per ſubtile linteum cribratur, cribratumque ſtatim in trochiſcos redigitur. Illud, quod primò & leviori motu tranſit, vocatur *Tſjérſi Gobaar*, eſtque præſtantiſſimum, & interno uſui ſacrum; proſtat ejus libra una quinque argenti unciis. Cognoſcitur præſtantia ex micantibus punctis argenteis, quæ in trochiſcorum fracturis apparent. Quod ſecundo loco, cribro concitato, permeat, vocatur *Tſjérſi Kamèr*, uſu externo ſerviens ad exaltandum vires tabaci; cui accenſo, imponitur particula piſi magnitudinis deflagranda. Quod poſtremò & arduâ concuſſione pervadit, vilior eſt, colore viridans, odoris gravioris, eidem uſui dicatum. Redigitur pollen in trochiſcos, ſeu paſtillos, cum ſputo humano, admoto carbone, cujus calore molleſcit & in maſſam facilius convertitur. Bonitatis nota eſt, ſi carbonibus inſperſum citò parumque fumet, deterioris verò, ſi multum & diu. Foliorum uſus eſt in infuſione cum aquâ frigidâ, quæ pota gaudiis perfundit bibentes, non citra gravem temulentiam. Modum præparandi deſcribam, prout vidi inſtitutum à quatuor *Dervviſis* (viris ex devotione mendicantibus) mihi obviis in xenodochio ad fines Indiæ. Hi, & folia quodammodo contrita, & vaſa ad præparationem neceſſaria, levidenſia, in femoralibus geſtabant. Recipiebant foliorum prædictorum manipulos circiter duos, quos affuſa aquâ agitabant; aquam imbutam virulentâ cruditate, expreſſis leniter foliis, abjiciebant; affuſâ aquâ recenti aliâ, quam cum pulvere aliquoties agitatam, denuo abjiciebant. Pulverem geminâ vice elutum expreſſumque ſubjiciebant piſtillo, obeſo, ligneo, & in vaſe fictili non incruſtato acerrimè terebant, dum redactus eſſet in pultem. Huic paulatim affundebant aquam recentem, rotabant continuò, & demum per linteum trajiciebant, omni, præter recrementa, permeante ſubſtantiâ; ex quâ ipſe colatus liquor vireſcebat. Ex liquore, is qui præparaverat, ſcyphum, capacitatis dimidiæ libræ, ſingulis admetiebatur ſociis, affatim evacuandum, rotato ſubinde vaſe, ne farina ſubſideret. Hoc liquore, velut mero, delibuti & ad lætitiam conformati ſe reddebant itineri. Sunt, qui pulverem cum ſyrupo ſubigunt, pro efformandis placentis & bolis, in eundem uſum deglutiendis. A foliis Cannabinis, velut à potiori inebriantium ſpecie, homines medicamentis inebriantibus dediti, in Perſiâ Indiâque vulgo appellantur *Bengi*. Theombrotion magicum, quod, à Regibus Perſarum comedi & bibi ſolitum, prodit *Plinius* L. XXIV. c. 17; Herbamque, cujus fumo Scythæ abſtemii; & Semen, cujus in ignem injecti nidore Thraces ſe olim inebriaverant, referente *Alex. ab Alex.* D. G. L. III. cap. 9. *Tſjers*, *Bang* & *Sjadonèh* fuiſſe, non alienum eſt ſuſpicari.

Ulteriori Aſiæ, quæ India dicitur & ad Sinam usque extenditur, varia ſerviunt ad exhilarandum, inebriandum, vel efferandum animos, remedia. Ex numero externorum, præter Tabacum, communiſſimum eſt & in ore omnium verſatur apophlegmatiſmi quoddam genus, Indis *Pinang* & *Bétel* ab admiſſis ſpeciebus dictum. Componitur ex folio, fructu & calce. *Folium*, quod nomine totius plantæ Malabaris *Bétel*, Malajis *Siri* vocatur, ſaporem habet ex Menthâ aromaticum, odorem Malabathri, ſive folii Canellæ ſylveſtris, figuram verò folii Piperis & Cubebæ: quarum plantarum ipſa ſtirps ſcandendi genium faciemque exhibet; fructu excepto, quem fert rarum, piperi longo ſimilem, ſaporis perquam aromatici, & ad ipſam compoſitionem, ſi haberi poteſt, expetitum. *Fructus* Nux eſt, vel potius nucleus, Indis *Areek* & *Pinang*, Perſis Arabibusque *Fufèl* & *Faufèl* dictus, nuci myriſticæ magnitudine & colore variegato ſimilis, ſubſtantiam obtinens ligneam, facultatem cerebrum turbantem & ſummè adſtringentem. Creſcit in quadam Palmâ, cujus deſcriptio extat apud Botanicos. *Calx* non ex lapide minerali coquitur, ſed ex aduſtis oſtrearum & concharum teſtis, ab Oceano in littus depoſitis. Ex his tribus buccella, quam Medici *Maſticatorium* vocant, hoc modo conficitur: Folio *Betel* in trochi formam convoluto (prius enervato) inditur nucis *arecæ*, in lamellas vel fruſtula diſſectæ, pars circiter tertia; tum momento calcis, fere dimidium ſcrupulum pendente, interior ſuperficies inungitur: quo facto, ne contenta excidant, trochus clauditur, ut fiat bolus tantæ magnitudinis, qui buccam quodammodo impleat. Hic dentibus volutus ac confectus ſalivam copioſam prolicit, prolectamque rubore tingit ſanguineo; dum & gingivis robur, labiis colorem purpureum, & gratiſſimum ori halitum conciliat, &, quod palmarium eſt, cerebrum leviter inebriando ſpiritus demulcet & exhilarat. Uſui ejus omnes Indi, præſertim Nigritæ intra Tropicos, non exceptis extraneis ibi demorantibus, mirè ſunt adſueti atque dediti. Sunt, qui domo haud exeunt, niſi velo ventris, vel veſtimenti marſupio, trochis probè inſtruc-

tô,

ctô, nec à mandendo ceſſant, niſi quando comedunt, vel dormiunt. In componendis igitur Betelis mulierculæ, in otio & mollitie educatæ, toto die, plebejæ omni mane occupantur, ut in promptu habeant, quod tum ipſæ manſirent, tum hoſpitibus & familiaribus pro more gentis offerant. Magnates maſticationibus (ſit verbo venia) præ cæteris luxurioſè vacant: unde ora continuo rubore diffluunt, fœdiſſimo aſpectu! dum & difficile eſt, linguâ alieno motu occupatâ, ſermones eorum intelligere. In aulis Malabaricis vidi non procul à Principe ſtare, qui ſubinde novam Betelem porrigeret, non digitis, ſed furcâ tenui, argento obducta, & trochorum apparatu in longam ſeriem adornatâ; exhibendi hic ritus ad aulæ magnificentiam ſpectabat. In Siamenſi curiâ obtinet, ut illis, qui Regi à conſilio ſunt (*Opra* eos vocant) Betelum receptaculum præferatur, quô à Majeſtate donari ſolent, artificioſè ex auro, argento, vel metallo ſequiori, pro cujusque dignitate, fabricato. Sine hoc adepto nobilitatis inſigni comparere in Regiâ, vel Illuſtrium convivio, non audent. Theca illa adornatur capſellâ, plena calcis, ad unguenti conſiſtentiam præparatæ: ſpathulâ, ad tractandam calcem factâ: forfice ſingularis ſtructuræ, quâ *areca* durior ſine difficultate findi poteſt: & loculis, ad recipiendum folia, nuces, & ex his compoſita volumina ſive trochulos. Folia regio hæc aliunde repetit, flaccida quidem cum appellunt, virtute tamen integra, & diu ſervari apta. His ex penuriâ alii folia Menthæ ſubſtituunt, quæ illorum ſaporem quamproximè referunt. Ex tribus his ſimplicibus folium compoſito gratiam ſaporis & odoris tribuit: fructus cerebrum cum voluptate turbat & inebriat: calx addita vires extricat, vehementiamque caſtigat: ipſius verò calcis acrimonia obtunditur adſtrictoriâ nucis virtute, ſine hâc linguam palatumque miſerè corroſura. Nux parcius addita impedire non poteſt quin continuò mandentium linguæ tandem occalleſcant, & guſtûs reddantur impotes, tum & ipſi dentes, quos alioquin firmare ſolet, erodantur. *Arecæ* plures dantur varietates, & inter has mitioris genii, quæ teneriores ac recens additæ cerebrum minus turbare perhibentur. Ego, quamcunque ſpeciem reciperem, mandere betelem nunquam potui, quin continuò mihi anxietates, ſudorem frigidum & vertigines, æque ac tabaci fumus, commoveret.

De Opio, ejusque Perſis & Indis communi uſu, diximus. Addo abuſum execrabilem, qui viget inter Indos nigritas, ad efferandum animos ad homicidiorum patrandorum audaciam: dum vel vitæ ſuæ, vel injuriarum pertæſi, ſe devovent morti, per ultionem & mortes aliorum oppetendæ. Eo fine Opii deglutiunt bolum: ex quo intentionis idea exaſperatur, turbatur ratio, & infrænus redditur animus, adeo, ut ſtricto pugione, inſtar tigridum rabidarum, excurrant in publicum, obvios quosvis, ſive amicos, ſive inimicos, trucidaturi, donec ipſi, ab alio perforati, proſternantur. Actus hic vocatur *Hamùk*, apud incolas Javæ & ulterioris Orientis crebrò ſpectabilis. Vocabuli ſonum ibi horret, quicunque audit; nam qui vident homicidam, illi vocem *Hamùk* ſummopere exclamant: monituri inermes, ut fugiant, & vitæ ſuæ proſpiciant: dum ad extinguendam beluam accurrere debet quisquis armatus & cordatus eſt. Opii etiam externus uſus eſt apud nigritas: nam eodem aquâ diluto Nicotianam inficiunt, ut accenſa caput vehementius turbet. Vidi in Javâ tabernas levidenſes ex arundine, in quibus id genus tabaci hauriendum exponebatur prætereuntibus. Nulla per Indiam merx majori lucro divenditur à Batavis, quam *Afiuun*, quô carere aſſueti non poſſunt, nec potiri, niſi navibus Batavorum ex Bengalâ & Choromandelâ advecto.

Ex inebriantibus, apud Indos ditiores, utramque replent paginam quædam prorſus magicæ operationis Electuaria, quorum deſcriptiones recipiunt ſemen *Dutr* ſeu Daturæ, ſuccum papaverinum, ſive *afiuun*, pollinem Cannabinum *Tſjers*, aliaque ex phytologiâ venenatâ, pro vario affectu, quem concitare Pharmacopœus deſiderat, ſelecta: additis aromatibus, quæ ferociam corrigant, & vitales manducantis ſpiritus roborent. De directione pharmaci, ad diverſa pro lubitu inducendum phantaſmata, multa referuntur admiranda, ſed partim incredibilia & fabuloſa: quorum ex numero eſt quod propinato pharmaco excæcare adulter maritum poſſit, ut præſentis torum inultus conſcendat, referente Nobiliſſimo *Mandelsloo* & *Linſchoto*. Mihi in variis Indiæ regnis verſanti veritatem ejusdem effectûs explorare non contigit: ſaltem hoc edoctus ſum, quòd ſtupenda in manducantis cerebro excitari poſſint phænomena & phantaſmata, quæ ignari homines magicè & genii ope fieri facile crediderint; & credunt revera, de dato pharmaco ejusque effectu haud eruditi. Cujus rei hic annectere placet exempla, quæ propriâ experientiâ didici. Feſtum celebratur in Malabariâ mediterraneâ, in quo tempeſtatum & annonæ caritatis auctori, Idolo ſuo, ejusque Geniis obſidendæ offeruntur Virgines Veſtales, (Deo *Wiſthnu* ſacræ) ut hâc voluptate conciliatus parcat frugibus & armentis. Obſeſſio in campo publico ſpectanda exhibetur hôc annuo ritu ac ſerie: Virgines, ex templo Brahmenum comitatu eductæ, primum populo ſiſtuntur contuendæ, pulchræ, bene comptæ, vultibus ad modeſtiam compoſitis & nihil præ ſe ferentibus inſaniæ. Nec morâ, dum ex *Wedam* (Bibliis gentilibus) verborum formulam Sacerdos prælegit, puellæ leviter moveri, mox tripudiare, demum ſubſilientibus crebris & inconditis motibus fatigare corpus, torquere artus & oculos, ſpumare, & horrendas actiones edere: opinante populo, ita illas agitari ab inductis dæmonibus. Hæc

dum aguntur, cymbala tympanaque lætum reſonant, populo etiam voce & ſuſpiriis applaudente. Laſſatas Brahmanæ reducunt in templum & cubare jubent, elapſaque horulâ menti reſtitutas denuo educunt in publicum, ut turba gentilis liberatas à geniis videat, & idolum credat conciliatum. Sed ô lepidam fraudem! Illi Sacerdotes ante primum proceſſum propinaverant opiatum quoddam furioſum, cujus virtute ad hos præconceptæ intentionis actus efferabantur, eò quidem citius, quò fortiori motu fermentatio & facultas medicamenti exagitabatur. Alterum pharmacum reductis propinabant, prioris antidotum, quod fermentationem compeſceret: neutrum ſuſpicante turbâ, quia hæc myſteria peraguntur in adyto tenebricoſo, unicâ lampade illuminato, quod templorum tertiam ac poſtremam partem conſtituit, ut eſt tripartita eorum ſtructura. Hæc propinaſſe mihi referebat probatæ fidei Indo-Batavus, idiomatis bene gnarus, qui oſtiolo propior caput adyto ingeſſerat, fraudis intrò actæ attentiſſimus ſpectator. Aliud ſub eodem cœlo vidi: In præaltâ machinâ curuli, ex duabus ferreis uncis, per dorſi muſculos adactis, ſuſpendebantur alternè ſeptem nobiles athletæ, unâ manu inſtructi gladio, alterâ ingenti clypeo, ut in honorem Deæ *Rhauni* armis luderent: quia hæc victrix heroina maximè cruore & ludis palæſtricis delectari creditur. Sic illi, à bajulis ſpectatoribus Deæ illius templum tribus continuis vicibus circumvecti, arma ſua, laniſtarum more, fortiter vibrabant: tum etiam caput, axillas, crura hiſtrico lepore, velut per aërem natantes, motabant, ne minimum, ex actionibus & cruenta ſuſpenſione, præbentes doloris indicium. In circum, qui ſuſpendendos ſtringebat, me continuò intrudens, video à Brahmene propinari ex nucis Cocos putamine hauſtum aliquem, procul dubio narcoticum, qui dolores ſopiret, quos à Deo, templi præſide, aboleri credebat populus. Interroganti mihi reſpondebat ſacerdos: ſuccum eſſe *Lanſjes*, quem adverſus ſitim & deliquium propinarent. *Lanſjes* eſt nux Cocos immatura, liquorem dulcem continens, qui ſucceſſu temporis coagulatur in nucleum. Aliud in me ipſo & ſociis expertus ſum. Sex Europæi, cum Directore Domino *Lycochthone*, à Benjanis convivio excepti fuimus, in viridario, unâ extra Gamronum leucâ. Inter epulandum, ſingulorum dum bibimus in ſanitatem, Benjani abſtemii, in compenſationem, capiunt bolum inebriantis electuarii, recens ſibi miſſi ex patriâ. Guſtandi avidus obtineo buccellam non contemnendæ magnitudinis, & laudante me ambroſiam, ipſe capit quoque Dominus *Lycochthon*, ceteris exemplum Directoris noſtri imitantibus, præter Dominum *Verdunkium*, qui olim virtutem expertus ſolus repudiavit. Quid fit? Perfuſi & repleti ſumus, quotquot Nepenthe lactati, gaudio quodam inexplicabili, quali me nunquam in vitâ affectum memini. Nec aliud toxico illo delibutis licuit, quàm amplexus miſcere, loqui parciſſimè, arridere alloquentibus, & cachinnis ſe invicem laceſſere. Soluto ſub noctem convivio, ubi equos conſcenderamus, virtus pharmaci, quaſi mutata ſcenâ, alia cerebris noſtris creavit phantaſmata. Haud enim aliter nobis viſi ſumus, quàm cum Pegaſo volatu per nubes & irides ferri, lucidâ elegantiſſimorum colorum ſpecie undiquaque obverſante oculis noſtris. Appulſi domum, & cœnæ, quæ nos exſpectaverat, accumbere juſſi, quicquid quisque ante ſe invenit, capimus appetitu lupino, & ciborum qualiumcunque ſapore ita oblectamur, ut cum Diis ipſis cœnare nobis videremur. Poſtridie gravedo, qualiter ſolet poſt crapulam, (Ruſſi vocant *Pochméli*) nulla cerebrum infeſtavit: ſed diſcuſſis ſomno vaporibus in ſtatum ſuum reſtituta eſt ratio, & optime habuimus. Obliteratâ pridiè geſtorum memoriâ, (quam refricabat *Verdunckius*) minimè gaudiorum & incomparabilis, quæ nos foverat, lætitiæ immemores fuimus, recordati etiam (quod ſingulare noto!) metûs ruendi verſus latus dextrum, quo equitantes & euntes continuò angebamur, cujus idea tam fortiter impreſſa non poterat etiam mente excidiſſe. Habes, Lector, crapulam magicam, à pharmaco inductam: quale ſub noctem ſi propinaveris Melancholico, credet expergefactus, & tortus fatebitur per aërem ſe volitaſſe in Bructrum, feralem JCtorum vix elapſurus ſententiam.

CAPUT XVII.

DE

GUMMI LACCÆ, CERA HISPANICA ET ARTE INCRUSTANDI LACCA.

§. 1.

GUMMI LACCÆ dura, ſed friabilis ac rubicunda, reſina eſt, paulum pellucida, ſaporis reſinoſi, & odoris, dum accenditur, fragrante. Partim ex Japan Indiæ Orientalis, partim ex America venit.

§. 2.

De verâ iſtius origine variæ notantur opiniones,

niones, dum bene multi Scriptores, & quidem non ſolum Materialiſtæ & Pharmacopolæ: *Schurzius*, *Pometus*, *Vielheurius*, ſed etiam Doctores: *Aldrovandus*, *Schræderus*, *Wormius*, *Hoffmannus*, cum *Garzia*, *Bontio* aliisque credunt, iſtud à certis quibusdam beſtiolis, formicis aut muſcis ſimilibus, ex rore colligi, ramuſculisque quarundam arborum, in quibus obſervetur, applicari. Quod tamen *Hernandezio*, *Bauhino*, *Rajo*, *Daleo* aliisque videtur fabuloſum, iſtud ex arboribus ſui generis profluere exiſtimantibus: qui tamen iterum in arborum deſcriptione inter ſe diſcrepant. *Hernandezius* laccam, arborem Americanam, ita deſcribit: iſtam mediocrem & implicatam eſſe arborem, ramis purpureis, foliis valde exiguis, curtis ac tenuibus, inſtar Acaciæ veræ, quibus ſponte exſudans gummi adhæreat, ut ex Ejus figurâ apparet, in *Theſauro Rerum Med. Nov. Hiſp. Lib. 3. pag.* 58. reperiunda. Iſta contra arbor, quæ in India Orientali, præſertim in Malabara & Japonia Laccam progenerat, à Botanicis multo aliter deſcribitur, quod ſc. magna folia & fructus olivis vel jujubis ſimiles proferat: quamobrem etiam *Bauhino* & *Jacobo Breynio* jujuba Indica, Japonenſibus autem Namra vocatur, quam *D. Cleyerus* in *Miſc. Acad. Germ. Cur. Dec. 2. A. 4. pag.* 81. delineavit. Interea quæque vera eſſe poteſt opinio, dum variæ poſſunt dari arborum ſpecies, ex quibus iſtud gummi exſudet, ſimili modo, atque ex ceraſis, prunis, aliisque arboribus profluit gummi, ſibi prorſus ſimile, qua ratione antedictos Scriptores Clariſſimus Auguſtanorum Medicus & inclytus Præſes Academiæ Cæſareæ Nat. Cur. Germ. *Dn. D. Lucas Schræckius*, in *notis ſuis* in prædictam *Cleyeri* deſcriptionem, conciliavit.

§. 3.

Cæterùm hoc gummi Laccæ diverſis ſortibus affertur, quarum *Marxius* in *Mater. Muſ. pag.* 109. ſaltem duas recenſet, nempe granulatam ſeu in Granis, parvis ex flavo rubicundis granulis conſtantem, & Laccam in Ramulis, *Holtz-Lac*, ramuſculis digiti magnitudine adhærentem. Alii, utpote *Daleus* in *Phytol. pag.* 402. tertiam adhuc addunt, nempe Laccam in maſſis ſeu Tabulatam, *Platt-Lac* vulgo, latis tabulis venientem, & ex lacca in ramulis ita fuſam, pro cujus differentia ejusmodi tabulæ vel rubræ, pellucidæ, flavæ aut nigræ ſunt, è quibus ultimis optima tinctura extracta eſt, ut *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag.* 274. recenſet: qui quartæ inſuper ſpeciei meminit, olim ex Angliâ figura aurium in Galliam tranſportatæ, & Gomme en Oreilles (Ohr-Lac) vocatæ.

§. 4.

Quæ harum ſpecierum tanquam optima eligenda, quæritur? *D. Ettmüllerus* Laccam in Granis cenſet eſſe optimam: cui tamen Materialiſta *Pometus* exiguam laudem tribuit, *l. c.* ſcribens; Anglos Batavosque, poſtquam laccam in ramulis mola triverunt, ex optimaque extraxerunt tincturam, reſiduum cum viliſſima permiſcere, poſteaque in magnis ſarcinis aliorſum mittere, quam Laccam granulatam vocent. Quamobrem laccæ in ramulis plus tribuit, iſtamque tantum aſſumendam ſuadet, quæ illi propius accedat, clara ac pellucida ſit, bene fluat, nec multum lignoſi, nihil nigri, aut aliarum impuritatum permiſtum habeat, quæque manſa colorem rubrum relinquat, & aquam, in qua cum aliquo acido coquitur, rubore imbuat. Lacca tabulata eleganter clara, pellucida, non granulata aut grumoſa ſit, tamque rubra, quantum fieri poteſt, appareat ac tingat.

§. 5.

Valdè bona multisque rebus apta res eſt lacca, cujus in Medicina æque ac aliis artibus varius eſt uſus. In Medicina quidem interne ad reſerandam hepatis venarumque ſplenetica-rum obſtructionem, aliosque inde deducendos morbos, hydropem, ac ſimiles commendatur, quem in finem Veteres Trochiſcos de Lacca invenerunt. Hodiè verò ad hæmorrhagiam & ſcorbutum gingivæ utplurimum uſurpatur, cui intentioni Tinctura Laccæ Mynſichti ſatisfacit, de qua *Ettmüllerus l. c.* fuſius agit. Multum etiam à tinctoribus inſumitur, dum iſta non ſolum Japonenſes, Turcæ, aliique ad colorem rubrum, quo telam goſſipinam Cattun, aliasque res imbuunt, ne lavando perdatur, utuntur, & rubrum, vulgo vocatum Saffianum corium, ſeu Maroquin tingunt, ſed Angli quoque Batavique iſtam ad coccineum colorem uſurpant, uti *Pometus l. c.* commemorat; in Germania quoque iſta mediante fuſcus corio conciliatur color, ſecundum *Schurzium l. c.*

§. 6.

Præſertim vero ad

CERAM SIGILLATORIAM,

vulgò *Siegel-Lack*,

uſurpatur, quæ plerumque Cera Hiſpanica vocatur, quam tamen Hiſpani ignorare & epiſtolas ſaltem oblatis obſignare dicuntur, teſte *Pometo l. c.* qui ſimul refert, Gallicum Mercatorem Rouſſeau, incendio ad incitas redactum, perexiguo temporis ſpatio ultra vicies mille florenos iſta conficienda lucratum fuiſſe, quam, à Luſitana diſtinguendam, Hiſpanicam vocaverit. Maxima ars in malaxatione poſita eſt, multæque habentur ſortes, fina, mediocris & communis, nigræ, flavæ, rubræ ac variegatæ apparentes. Ejusmodi cera etiam ex China affertur, ex incurvatis crenatisque bacillis conſtans. Optima colore jucunda, frangendo pura, pondere levis ſit, candelâ incenſa non

nimis cito defluat, judicio *Marxii* in *Mater. Muſ. p.75.* Videndum quoque, ne ex viliori lacca cum aliis gummatibus miſta, foris vero bona incruſtata conſtet, quod ex frangendo poteſt obſervari, cum intus cineracea viſuque ingrata appareat.

§. 7.

Tandem iſta mediante Indorum artem incruſtandi imitari, ac non ſolum librorum involucris, ſed etiam baculis, ſcatulis, arculis & repoſitoriis ſecretioribus coloris conciliare gratiam poſſumus, quam artem vulgò

ARTEM INCRUSTANDI LACCA

ſ. *Lack-Kunſt*

vocant, adhuc ſecretam habitam, quam tamen cum Benevolo Lectore, quemadmodum iſtam adminiſtrari vidi, hic communicabo: Primum ex cineribus clavellatis forte conficitur lixivium: hinc optima lacca parum contuſa ſumitur, cum tantillo prædicti lixivii agitanda. Ita infuſa lacca in alterum diem relinquitur, tum puro lixivio aliquoties abluenda, donec ſubalbeſcere incipiat: hinc lixivium pura aqua eluendum, quoad grana alba maneant. Hæc in Sole exſiccentur, donec lacca ſicca, ab omnique humiditate libera evadat. Hujus ita præparatæ laccæ ¼ libr. inditur ſemilibræ ſpiritus vini rectificati: vitrum vero obturatum tres aut quatuor dies Soli exponitur, donec craſſum ſubſideat: quo facto clarum per inclinationem effunditur, & ad incruſtandum aſſervatur. Craſſum vero præparandis coloribus, rubro per cinnabarim, flavo, per farinã curcumæ finæ, nigro per atramentum tectorium inſtituendis, inſervit. Quibus dictis coloribus oblinitur lignum tertia aut quarta vice, in Sole probe exſiccandum: quod deinde pumice bene trito & oleo olivarum probe poliendũ. Poſtmodum ſanguine draconis picturæ in iſto fiunt pro lubitu, atramento tectorio maculandæ, ut teſtudinem repræſentent. Quibus omnibus peractis lignum claro gummi laccæ quater aut quinquies incruſtatur, per tres aut quatuor dies continuos: quod debite ſiccatum de integro bis aut ter politur, ſiccatur, atque ſic artis opus erit perfectum. Ad acquirendum colorem nigrum lignum atramento tectorio ſtatim ſuperſternitur ac politur, ut memoratum. Si arcula deſideratur flava, pulvere curcumæ: ſin fuſca, ſanguine draconis oblinenda. Aurum argentumque imponitur ſeu inſternitur pro cujusque beneplacito. Vitra ſemper bene cooperta ſint: lignum vero ſit probe lævigatum, cujus rimæ gummi occluduntur. Hæc ars tota requirit ſpiritus vini ℔ iß. gummi laccæ ℔ iiiß. ſanguinis draconis pulveriſati ʒiß. farinæ curcumæ ʒß. cinnab. præpar. ʒj. ſeptem vitra colorum, pumicis ʒi. magnumque vitrum pro ſpiritu vini. Cæterum *Kircherus* etiam vernicem ex gummi laccæ deſcribit in *China ſua illuſtrata*, ſed non tam perſpicuè, ut modò à nobis factum.

CAPUT XIIX.

DE

TRAGACANTHO ALBO ET NIGRO, ATQUE GUMMI AMMONIACO.

§. 1.

TRAGACANTHUM album ac diverſimode intortum gummi eſt, exiguos vermes referens, ſaporis mucilaginoſi & ſubdulcis. Ex Turcia, præſertim Creta, Achaja, Apuliaque affertur, ut *Marxius* in *Mat. Muſ. pag.* 203. refert. *Pometus* verò maximam partem Aleppo venire credit, quod maſtiche gallæque iſti reperiantur permiſtæ, vid. ejus *Hiſt. des Drogues pag.* 245.

§. 2.

Frutici ſui nominis debet originem, qui Germanis *Bocks-Dorn* dictus à *Dioſcoride* deſcribitur, quod latam lignoſamque radicem habeat, potiſſimum extra terram naſcentem, ex qua humiles ſolidique ramuſculi progerminent, ſe dilatantes, multis parvis, tenuibus anguſtisque foliis, binis ſemper ſibi oppoſitis, ornati, ſub quibus albæ duræque ſpinæ lateant. In Hiſpaniâ quoque & Galliâ creſcere dicitur, qui tamen tantum gummi non ſuppeditat, atque ille, qui in Aſia circa Peloponneſum naſcitur, ubi tragacanthum vel ſponte, vel ex radice ſauciata profluit, ut *Theod. Tabernæmontanus Lib. 3. de Herbis pag.* 245. retulit.

§. 3.

Quoniam verò tragacanthum utplurimum è prima manu in Sortis venit, à Materialiſtis poſtea cribrô depurgandum, & à pulvere & Parva, ut loquuntur, ſecernendum eſt. Reliquum in tres ſortes diſtinguunt, unde tragacanthum electum, finum & commune oritur. Tragacanthum Electum è pulcherrimis & candidiſſimis longis fibris conſtat: Finum ſeu Medicum incanum eſt: Commune vero rubicundè nigrum exiſtit, Tragacanthum Nigrum propterea, & à Materialiſtis Meſſana vocatum, vid. *Schurz. Mat. Muſ. p.* 37. Optimum clarum, pellucidum, læve, anguſtum, tenerum, purumque ac dulce eſt. Decem annos bonum manet: quo verò fit antiquius, eo magis tingitur, ac primum pallidum, poſtea flavum

vum tum denique rubrum evadit, quod parvi æstimatur. Materialistæ istud in sortis ementes, videant, ne candidissimum optimumque jam electum sit.

§. 4.

Quod ad usum tragacanthi attinet, optimum electumque à Pharmacopolis ac dulciariis ad confectiones insumitur: Finum à mulieribus ad flores tragacanthinos, ex solutô sericô glutinandos: Nigrum vero ab aliis artificibus, præsertim etiam ad istud gluten, quo studiosi Medicinæ exsiccatas plantas suis in Herbariis agglutinant, quod *Simon Paulli* in *Quadrip. Bot. Append. de Methodo conficiendi Herbaria pag.* 659. descripsit. Non minus interne tanquam medicina sumitur, & quoniam particulis suis mucilaginosis ad demulcendos acres catarrhos valet, facileque aqua solvitur, tussi, raucedini, phthisi ac hecticæ bonum probatumque existit remedium, quibus in morbis species Diatragacanthi à Veteribus juxta atque Recentioribus Medicis crebrius præscribuntur.

§. 5.

Ita Tragacanthum affectibus pectoralibus, à tenuibus salsisque humoribus oriundis, proficit; qui vero à spissa tenacique pituita oriuntur,

GUMMI AMMONIACO

possunt tolli. Id vero ex flavescentibus, partim etiam albis densis granis constat, sapore acri, amaro & resinoso, odore gravi, allium æmulante. Magnis frustis multa alba grana includentibus, ex India Orientali in Europam fertur.

§. 6.

Planta, è qua profluit, ab omnibus fere Scriptoribus plantis ferulaceis annumerata, ab *Schræ-dero* Metopia, à *Wormio* ex *Dioscoride* Agasyllis vocatur. In Lybia Regione circa Cyrenum, & juxta delubrum Jovis Ammonis, unde nomen habet, dicitur nasci, cujus figuram à *Pometo* in *Hist. des Drogues pag.* 258. delineatam, tamdiu valere putamus, donec de ipsa plantâ fiamus certiores.

§. 7.

Quùm verò hoc gummi è planta in arenam emanet, communiter arena, parvis lapillis lignoque permistum est, uti *Schurzius* in *Mat. Mus. German. pag.* 37. scribit. Quamobrem postmodum depurgatur, in variasque sortes distribuitur, quarum tres apud Materialistas inveniuntur, nempe Gummi Ammoniacum Finum, in Granis & in Pane. *Plinius* & *Dioscorides* duas saltem recensent, eleganter purum, Thrausma, & vulgare impurum, Phyrama vocatum, de quibus *Theod. Tabernæmontanus Lib. I. pag.* 221. fusius potest legi.

§. 8.

Optimum decenter magnum, album & flavum & instar olibani granulatum sit, odore molesto castoreum æmulante, nullis corticibus, ligno & arena fœdatum, secundum *Marxium* in *Mat. Mus. pag.* 20. Placentæ vero multa pura grana permista habeant, docente *Pometo l. c. pag.* 259. si quando sub digitis mollescit, bonum quoque est indicium, secundum *Sam. Daleum in Pharmacol. pag.* 184.

§. 9.

Quod gummi præstans remedium est', ad tenacem duram pituitam & saburram in stomacho, intestinis pulmonibus ac liene stabulantem incidendam leniterque educendam, propterea in diuturnis morbis, vulgò splenneticis dictis, anhelitu & difficultate spiritus crebrius usurpari solitum. Quem in finem quædam præparata & composita in officinis prostant, inter quæ PILULÆ de AMMONIACO Quercetani tenacem pituitam ex intestinis & mesenterio educentes, ac spiritus exinde destillatus impactam pectori pituitam resolvens, maximè innotescunt. Hic verò spiritus eo fit penetrantior, si quando gummi Ammoniacum cum ⊕ destillatur, unde celebris ille SPIRITUS ASTHMATICUS *D. Mich.* duxit originem, cujus veram descriptionem *D. Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 692. tradit. Externè quoque hoc gummi ad nodos colli, spongias articulorum similiaque emollienda & resolvenda commendatur, de quo *Schræderus* in *Pharmac.* videatur.

CAPUT XIX.

DE

OPOBALSAMO, CARPO-BALSAMO, ET XYLO-BALSAMO.

§. 1.

BALSAMUM VERUM seu OPOBALSAMUM (*der rechte Orientalische Balsam*) est limpidus oleosus liquor, principio mollis, postmodum durus evadens, vel prorsus albus vel subflavus, saporis acris & aromatici, odoris vehementis, sed tamen fragrantis. Interdum, sed rarò in parvis plumbeis lagenulis è Turcia ab Alcair per Massiliam aliaque loca transfertur, uti *Pometus* in *Hist. des Drogues p.* 275. commemorat.

§. 2. Par-

§. 2.

Parvus creditur eſſe frutex, è quô hoc balſamum profluit, duarum circiter ulnarum altitudine excreſcens, longis, anguſtis rubicundisque ac nodoſis ramuſculis præditus, qui inſtar vitium abſciſſi, inque faſciculos ligati à Turcis mittuntur, & Materialiſtis Xylobalſamum vocantur. Ex hiſce bacillis ſeu ramulis pauca folia rutæ haud multum diſſimilia, ſed candidiora ſemperque virentia progerminant. Floſculi vero exigui ſunt, albi ac teneri, fere inſtar florum acaciæ, quibus oblongè rotundæ, rubicundæ & fragrantes baccæ piſis paulo minores ſuccedunt, quæ in officinis CARPOBALSAMUM dicuntur, quæ omnia à *Proſpero Alpino*, qui ipſe in Ægypto fuit, atque ejusmodi fruticem ipſe coluit in *Tract. de Plant. Ægypti* & *Dialogo de hoc Balſamo*, deſcripta ſunt. Hodiè verò nemini iſtius potiundæ datur facultas, dum juſſu Turcarum Imperatoris, cum ſancta terra iſtius potentiæ ſubjiceretur, omnes balſami frutices transplantati, inque peculiarem exſtructum hortum balſamiferum, vulgo *Balſam-Garten*, Matareæ, quæ duobus à Cairo milliaribus abeſt, translati ſunt, quem ſemper occluſum Janitſchari cuſtodiunt, quemadmo... ex quibusdam itinerariis in *Malleti Coſmographia Part. 3. pag.* 32. in eleganti figurâ contemplandus ſiſtitur, ubi Lit. D. frutices balſamigeros, Lit. A. Introitum una cum Turcarum cubiculo, & appoſito alveo pro aſſervanda aqua B. ex fonte mirabili C. ſcaturiente indicant, de quibus omnibus Coptæ varias habent traditiones, *loco cit.* legendas.

§. 3.

Balſamum Junio, Julio Auguſtoque menſibus æſtivis calidis colligitur, eſtque triplex, dum vel ſponte ſua ex frutice profluit, quod principio album exiſtens, poſtmodum ſubviride ac tum flavum evadere dicitur: vel ex ſauciatis prius fruticibus nigricans emanat, in appenſa vaſa inſtillans. Præterea ejusmodi balſamum ex abſciſſis coctisque ſurculis artificioſè præparatur, quocum priora permiſcentur, uti *Marxius* in *Mat. Muſ. pag.* 38. recenſet. Cujus recentis balſamici olei licet tam fortis perhibeatur odor, qui hæmorrhagiam narium excitare valeat, multum tamen cum tempore imminuitur, teſte *Wormio* in *Muſ. pag.* 223. Cæterum ſequentia bonitatis indicia habeat à *Schrædero* recenſita *Lib. IV. Claſſ. II. No. CCCLXXIII.* nempe 1. aquæ tepidæ infuſum, totam iſtius ſuperficiem tegat, refrigerata vero aqua, ſeſe rurſum contrahat. 2. Lacti inſtillatum coaguletur & inſpiſſetur. 3. In veſtem laneam effuſum, nullam linquat maculam. Num verò integrum per manum tranſudet, quod experimentum *Schurzius* in *Mat. Med. German. pag.* 16. addit, nunc inquirere nolo. Fructus ſeu Carpobalſamum recens, aromaticus fragransque ſit, aſpero & quatuor ſtriis interſtincto cortice cinctus. Xylobalſamum nodoſum, extrinſecus rubicundum, intus album, reſinoſum & fragrantis odoris ſit. Bina plerumque ſunt inveterata. Alias *D. Joh. Frid. Weismann* in Diſp. Inaug. *de Balſ. vero ſeu Opobalſamo* ſub Præſid. *Dn. D. Slevogti* A. 1705 Jenæ habita balſamum hoc dividit in liquidum (quod hactenus deſcriptum) & ſolidum, quod inſtar gummi ceraſini ſiccum coloris ruſſi, friabile, fragrans & inſtar maſtichis, ſi maſticetur lenteſcens, ad Nos ſæpe in corticibus cucurbitarum & nucum cocorum adfertur.

§. 4.

Quod balſamum num hodiè integrum verumque haberi poſſit, quæritur? qua ſuper quæſtione olim inter Materialiſtas & Pharmacopolas inſignis orta lis eſt: Nempe *Cardinalis Barberini* mandaverat, ut in officina pauperum Theriaca conficeretur, cujus præparationem *Antonius Manfredus*, Medicus Romanus in ſe ſuſcipiens, balſami veri ℔ iß. Venetiis afferri curabat, quod à multis Medicis ac Pharmacopolis bonum & genuinum habitum ad Theriacam ſumeret. Quod cum alii Materialiſtæ & Pharmacopolæ Romani audirent & vererentur, ne ſibi hoc ipſo accreſceret damnum, non approbandam eſſe theriacam dicebant, quoniam verum balſami veri ſuccedaneum, quod prorſus haberi nequeat, non ſumſiſſent, ſed falſum aliquod balſamum miſcuiſſent. Res ad ipſum Papam delata, quam iſte Cameræ Apoſtolicæ ſuisque Archiatris dabat dijudicandam, quô factô, nunc verè ludi comœdia cœpit, dum quæque pars doctiſſimos Medicos habebat, opinionis ſuæ patronos. Cum verò res examinaretur, adverſarii hocce balſamum non ſtare experimentis dicebant, quoniam 1. hæmorrhagiam non excitet, 2. lac non coagulet, 3. nec maculam in veſtibus relinquat; quibus alii reſpondebant, 1. de recenti ſaltem dici, 2. non eſſe neceſſarium, ſed ſufficere, modo balſamum in lacte coaguletur, 3. gutram ſaltem veſti inſtillandam, non vero magnam quantitatem, ut Pharmacop. ſoleant, quæ non poſſit, quin veſtem maculet. Quo ipſo etiam obtinuerunt locum, quæ omnia à Doct. *Joh. Georgio Volkamero* quondam Medico Norimbergenſi, & Academiæ Cæſareæ Nat. Cur. Germ. Præſide, in peculiari *Tractatu*, cujus titulus eſt: *Opobalſami Orientalis in Theriacæ confectionem Romæ revocati Examen Veritasque reddita:* quem in *Hiſtoria* mea *Lit. Cont. IV.* in *App. Dec. 3. A. 1. Miſc. Ac. Nat. Cur.* recenſui, ſecundum omnes circumſtantias deſcripta ſunt. Quamobrem non prorſus impoſſibile videtur, iſtud apud Magnates horumque Legatos, quibus à Turcarum Imperatore condonatur, inveniri poſſe; quoniam vero difficulter aut nunquam haberi poteſt, plerumque bona idemque præſtantia ſuccedanea uſurpantur, utpote ℞ Caryophill. vel ℞ expr. nuciſtæ, eum in finem ab ipſis Pharmacopolis probè præparandum, docente

cente *Charaſio* in *Tract. de Theriac. Ingredientibus pag.* 109. Alii Terebinthinam Cypriam aut liquorem ſuum è rad. petaſit. inciſis ſcaturiens ſubſtituunt. Sic etiam pro Carpobalſamo cubebas, & pro Xylobalſamo lignum aloës veteres compoſitiones ſumunt, ut loco modo citato legimus.

§. 5.

Quod tandem ad Vires veri Orientalis balſami attinet, miræ & incomparabiles iſti adſcribuntur virtutes, ut pro oleô in Gilead, cujus Sacra Scriptura meminit, merito habendum ſit. Naturam ſpiritusque vitales confortat, ſenſus excitat, corpus ejusque membra à putredine defendit, quam ob cauſam ad condienda ſeu balſamanda Regum cadavera, & ad mumias præſertim uſurpatum, & ad theriacam ſumtum fuit. Vi ſua balſamica in phthiſi & hectica prodeſt, aſthmati aliisque moleſtiis fert opem, ac vulnera ſanat, qua de re *Schræderus*, *Lobelius* aliique pluribus legendi.

§. 6.

Carpobalſamum ſeu fructus arboris, vi ſua aromatica ſtomachum calefacit, appetitum excitat, digeſtionem promovet, atque theriacæ ingrediens eſt, rarò noſtris in officinis reperiundum.

§. 7.

Arboris lignum ſeu Xylo-balſamum ſimiliter ob vim ſuam balſamicam non negligendum, iisdemque cum fructu virtutibus pollet, modo non inveteratum fuerit. Trochiſcos Hedychroi ingreditur, de quibus *Charaſius l. c.* pluribus agit.

§. 8.

Tandem & Balſamum quoddam minerale in Oriente, & cumprimis in Perſia, invenien-dum, hic addi meretur, de quo Nobiliſſ. Dn. *Kæmpferus* in *Amœnit. Exotic. Faſc. 2. pag.* 408. ſequentia refert:

KODRETI BENNA ſeu BALSAMUM NATIVUM

montis Bennà ſeu *Bonnà*, anticolicam Buchonenſium medicinam cum venum aliquoties obtuliſſet Venator, depromptum, quod dicebat ex arcano deſerti montis loco, ſociis cognito ſaltem duobus; qui, ne concivibus indicarent, ſacramento ſe obſtrinxerant. Ego non tam poſſidendæ rei quàm videndi natalis loci cupidus virum pecuniâ (quâ omnia hoc cœlo ſunt venalia) facilè conciliavi, ut revelaret & mercede etiam conduxi, ut nos eò perduceret. Primô igitur, diluculo aſinos conſcendimus & per ſaxorum impedimenta, viâ quidem toties calcatâ, luctamur in planitiem prædicti montis Bonnà. Planitiem hanc qualemcunque editiores utrinque limitabant rupes abruptæ: inde à pago noſtrô continuâ ſerie productæ, intervallo diſſidentes quadrantis leucæ. Harum, quæ ſiniſtram reſpicit, ab antro balſamino vocabatur *Kubi arâk*, id eſt, mons ſudoris, ſc. balſaminei, quæ dextram *Kubi berf*, vel ut per metatheſin hic loquuntur, *Kubi befr*, i. e. mons nivis, videlicet à conglaciatâ nive, quæ ibi in ſcrobibus, ſub præſidio eminentis petræ, perennis jacet, cœlo à rigido polo quidem remotiſſimo. Aëris hic ea temperies eſt, quæ dormienti umbram arboris ingratam reddiderit ipſo meridie; cum in aprico tamen radii ſolares moleſtiam parerent. Montium totus hic inhoſpitalis tractus eſt, qui leopardis, urſis, hyænis, lupis aureis, hyſtricibus (capricervas & feras vulgatiores taceo) ubique indulget luſtra & luculentum vivendi pabulum: de qu. alibi prolixius. Plantis ſolum dotatur paſſim fragrantibus, ſaporis aromatici & eximiæ virtutis: in quas verò, ne relatio nimium protrahatur, calamum hoc loco non ſtringemus. Sufficiat monuiſſe, præter Cedro-Sabinam utriusque ſexûs, quæ hic copioſiſſima & ad Ceraſi altitudinem latiſſimè fronteſcit, nullam magis luxuriare quàm arborem *Ben* ſive *Wen*, id eſt, Terebinthum, ſive Piſtaceam ſylveſtrem; ex quâ mons ipſe, voce depravatâ, *Kubi Bennà* vel *Bonnà*, id eſt, mons Piſtacearum ſylveſtrium nomen ſortitus eſt. Ad ſpeluncam igitur. Eam qui adire volunt, notant partem culminis depreſſiorem, in quam crepido utrinque deficit, (*vid. in Tab. num. 5.*) per eandem etiam tranſitus eſt in ulteriorem plagam, prout ſemitæ teſtantur veſtigia. Inde ſiniſtrorſum, ſecus rupem, octingentis circiter paſſibus regreſſi, Sabinam obſervant in ſummo culmine, & loco aliquot orgyjis depreſſiori, fruticem quodammodo pendulum, ſub quô ipſe patet obſcurus & anguſtus antri aditus; (*vid. in Tab. num. 6.*) cum inde, ad teli jactum, paludoſa vireat areola, inibi ſcaturientem exhibens aquam limpidiſſimam. His non apprimè obſervatis, ob ſinuoſam rupis conditionem & ſoli ſalebras, locum non inveniunt. Ipſa ſpelunca obliquè rupem dividit, anguſta, ſeſquiorgyjam alta, duas ſupra dimidiam longa. Petra ejus, ex albido in flavum pallens, ſolida & dura eſt, ſine conſpicuis poris & ſulphure. Cavitas interior eſt ſinuoſa, aſpera, intranti cautibus hinc inde protuberantibus infeſta. Unum inſigne tuber implebat mediam cavitatem, ne ad finem niſi cum difficultate & offenſione proriperem. Omnem pene ſuperficiem, præſertim ad dextram, ſuccus noſter obſidebat: ſub introitu paucus, ſiccus & firmiter adhærens; in proceſſu modicus & humidior; in fine copioſus & liquidus, paulò tamen quàm rob Sambuci ſpiſſior. Accedenti denſum occurſabat examen muſcarum puſillarum, quæ fauces, oculos, nares improviſo opplebant, ſuffocaturæ, credo, niſi receſſiſſem; ingreſſum tentare non auſus, priusquam eas iterato

ſtrepitu penitus evocaſſem. Antro dimidiam horam, invito licet ductore, immoratus, cochleari meo & ligno cuſpidato libram paulò minùs integram, ob loci tenebras & anguſtiam moleſtè corraſi, ſpoliumque, pyxide reconditum, mecum reportavi ex ſpelæo. Balſami hujus color niger eſt, ſubſtantia quaſi mucoſa, aquâ facilè ſolubilis, inodora & pene inſipida; uſus eſt ruricolis diſtrictûs *Farchonaad* hactenus non alius, quàm ut bolum drachmæ unius, vel duarum, deglutiant, ad diſcutiendam colicam & ventris qualiacunque tormina. Virtutem ut igne explorarem, particulam balſami prunis injeci, quæ fœtorem ſpiravit urentis cornu ſimilem. Retortæ commiſſa trium unciarum portio, primò modicum phlegmatis, deinde ſpirituum ſub nebularum formâ, ac poſtremo olei ſpiſſi, atri coloris, inodori, acerrimi drachmas mihi reddidit quatuor. Ex capite mortuo elixato ſal fixum copioſum, nitroſi ſaporis, obtinui, ut petram oculatus examinarem, avulſi etiam librarum aliquot fragmentum, quod ſpelæo laxius adhærebat. Id, cum inter curioſa ſeruta depoſitum, extra meum conſpectum lateret, inſpectio neglecta eſt. Biennio poſt, reclusâ thecâ, lapidem, quem deterſum & probè ſiccatum recondideram, nunc atro ſucco oblitum humentemque invenio: quò iterum ſtudioſè abluto & repurgato, obſervavi partes quasdam poroſas, quodammodo ſulphurei coloris; intra quas materia poſt primam abſterſionem effuſa, latuiſſe potuit.

CAPUT XX.

DE

BALSAMIS AMERICANIS, UTPOTE BALSAMO DE TOLU, PERU ET COPAIBA.

§. 1.

QUùm verum opobalſamum præcedenti capite deſcriptum, adeò rarum ſit, ac fere haberi nequeat, in iſtius locum alia ex India Occidentali venientia, poſſunt ſuffici, inter quæ

BALSAMUM DE TOLU

Orientali omnium proxime accedit, dum omnia iſtius ſigna ſuſtinet, quæ *Thomas Bartholinus* experimentis in iſtò demonſtravit, atque in *Actis Haſſnienſibus Vol. I. pag.* 5. deſcripſit. Vel Album balſamum eſt, aut aureum valdeque limoſum ac tenax, conſiſtentia mediocri, ſapore bono ac dulci, odore grato, limonia vel jaſminum æmulante, ſecundum deſcriptionem *Schræderi* in *Pharm. Medico-Chymica Lib. IV. Claſſ. 2. No. CCCLXXIV.* Ex Hiſpania Nova in Luſitaniam Angliamque, ubi etiam magis quam aliis in locis reperitur, tranſportatur, uti *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag.* 281. refert.

§. 2.

Arbor, ex qua profluit, ſecundum relationem *Hernandezii* in *Hiſt. Rerum Med. Nov. Hiſp. Lib. 3. pag.* 53. Pini dicitur ſpecies, ac propterea etiam inter pinus in *Dalei Phytol. pag.* 357. deſcribitur, quanquam folia ceratiæ ſint ſimilia. Quando nunc incolæ certa parva vaſa ex cera nigra, caudibus applicant, iſtosque fauciarunt, balſamum profluit ſtatimque coit, ut tanquam recens confectum gluten poſſit trahi. Recens eligendum & conquirendum eſt.

§. 3.

Vires iſtius eædem ſunt atque veri Orientalis balſami, ad omniaque utile eſt, ad quæ iſtud commendatur, teſtibus *Schræderô* & *Bartholinô l. c.* Hujus igitur eſſe ſuccedaneum poſſet, modo integri, minus adulterati daretur copia. Reſolvit, calefacit ſanatque internè & externè, nec adeò nauſeabundum eſt, atque alia, id quod in eo *Pometus l. c.* commendat.

§. 4.

Quùm verò nec hoc balſamum ſemper haberi queat, eo in caſu

BALSAMO PERUVIANO,

quod alii ſimpliciter Balſamum Indicum vocant, ſimus contenti, quod ponderoſum, reſinoſum & inſtar mellis apparens balſamum eſt, album aut rubicunde nigrum, ſapore acri, odore fragrante. Similiter ex Americâ affertur.

§. 5.

Arbuſcula, cui hoc balſamum debet originem, magnitudine malo aurantiæ ſimilis eſt, cujus folia paulò majora ſunt, quam in amygdala, latiora etiam, oblonge rotunda, magisque acuminata. Flos ſimiliter eſt atque in digitali, ac tandem in longum folliculum mutatur, in quibus unum ſaltem, & quidem incurvum ſemen eſt reconditum, id quod *Rajus* partim ex *Piſone* in *Hiſt. Plant. pag.* 1757. partim etiam *Pometi* Figura demonſtrat, quæ tamen collectionem magis quam arboris figuram ſiſtit contemplandam.

§. 6.

Qui modò citatus Auctor, licet Medicamenta Americana aliâs ex profeſſò ſummoque ſtudio deſcripſerit, de vulgari ſaltem ac nigro balſamo Indico meminit, *Schræderus* tamen duas,

duas, *Pometus* verò tres vel quatuor recenſet ſortes, nempe 1. balſamum album, ſponte ex arboribus ante ſauciatis profluens, ac Balſamum Inciſionis vocatum. 2. Durius, ex abſciſſis ramis emanans, quibus certi cortices, in quibus etiam venit, applicantur, vocatur Balſamum Siccum. 3. Nigrum, ab incolis, è ligno ramisque arboris coctum, Balſamum Lotionis vocatum, quod nihil aliud eſt, quam notiſſimum Balſamum Peruvianum nigrum, quod alii 4. ex aliis reſinis atque aromatibus imitantur, cujus deſcriptio in *Pometi Hiſt. des Drogues pag.* 278. reperitur.

§. 7.

Interea Balſamum Peruvianum Nigrum vulgò crebriori in uſu eſt, quod prædictus Materialiſta in *Appendice ſui libri pag.* 3. pro efficaciſſimô fortiſſimóque vult haberi, inprimis ſpiſſum, vere nigrum & odore fragrans, Quod cum aliis ſæpe rebus adulteretur, ad dolum manifeſtandum, pauxillum papyro inſtillandum; ſi rubicundum eſt, promptèque defluit, adulteratum judicatur; ſin nigrum contra & unitum manet, purum eſt. Non tamen tam facile atque alia, expreſſis oleis ſe adulterari patitur. Hinc eſt, quamobrem *D. Hoffmannus* in Diſp. nuper Halæ *de Balſamo Peruviano* habita, hoc balſamum præ aliis æſtimet, prorſusque falſum eſſe demonſtret, iſtud de quorundam opinione oleo amygdalarum adulterari.

§. 8.

Ratione qualitatum verè mirabilis res eſt, quod neque oleo, neque aquæ nec alii cuidam poteſt permiſceri, niſi Soli oleo betulæ. Calido ſpiritu vini ſolutum, ſtatim tamen ſuperius iterum innatat, quando refrigeratur; quemadmodum etiam à ſaccharo in aqua ſtatim diſcedit, cujus rei experimentum fecit *Thomas Bartholinus* in *Act. Haffn. Vol. I. pag.* 3. In ovo ſorbili igitur, in quo ſolvitur, ſumendum, aut cum ſaccharo ſiccum permiſtum. Externe etiam vitello ovi ſubigendum, alias enim ob glutinoſitatem non facile à cute ſeparatur, ut *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 694. oſtendit; ubi de viribus quoque hujus balſami Orientalis qualitatibus ſimilibus copioſius agitur. Externè omnia recentia vulnera ſanat, iſtaque à putredine defendit. Cancrum aliaque ulcera mundificat, quæ omnia fuſius in Deſcriptione Arabici cujusdam Medici, in *Pometi Appendice* reperiunda, expoſita ſunt. Quæ exinde conficiuntur præparata, apud *Dn. D. Hoffmannum l. c.* poſſunt videri.

§. 9.

Quemadmodum Balſamum Peruvianum Nigrum plerumque externe uſitatum ac utile eſt; ita contra

BALSAMUM DE COPAIBA

vulgò *vveiſſe Americaniſche Balſam* magis interne præſcribitur. Album vel aureum, limpidum & reſinoſum balſamum eſt, inſtar terebinthinæ, ſapore acri & amaro, odore fragrante. Similiter ex America per Luſitaniam in fictilibus acuminatis lagenis affertur, in quibus plerumque aliqua humiditas reperitur, balſamum ſeroſum ſæpe viſuque injucundum reddens.

§. 10.

Arbores, unde oritur, in diverſis Braſiliæ locis naſcuntur, ſcilicet Rio de Janeiro, Fernambourg, S. Vincent &c. ac propterea à Clariſſ. *Rajo* in *Hiſt. Plant. pag.* 1759. Arbor Balſamifera Braſilienſis fructu monoſpermo vocatur, quoniam, ut ſuperior, unum ſaltem in fructu ſemen generat. Balſamum ex ejus cortice emanat, poſtquam tempore æſtivo prius ſauciatus eſt.

§. 11.

Hujus inventio apris adſcribitur, quos ſauciatos arborem dente incidere, exſtillansque balſamum naturæ impulſu vulneribus excipere perhibent, quod deinde Feri ſeu Barbari imitati ſunt, ut *Pometus l. c.* recenſet. Poſtmodum in internis quoque læſionibus, utpote phthiſi, nephritide ſimilibusque fuit uſurpatum. Hodie ad gonorrhœam, ardorem urinæ, luemque ♀ eam commendatur, de quibus *Ettmüllerus l. c.* cumprimis autem & ex profeſſo, quod dicitur; egit *Dn. D. Nebelius* in Diſp. Grad. à *D. Hoppio* A. M DCC X. Heidelbergæ *de Balſamô* hoc *Copayba* ventilatâ.

CAPUT XXI.

DE

TEREBINTHINA CYPRIA, VENETA ET COMMUNI, RESINA PINA, NIGRA, LIQUIDA, TARCO COLOPHONIO &c.

§. 1.

TEREBINTHINA clarus & pellucidus reſinoſus ſuccus eſt, ex arbore hujus nominis profluens. Quod nominis tamen hodie aliis quoque oleoſis fluidisque reſinis imponitur, ex multis pini & abietis generibus exſtillantibus, iisdemque partim albis, partim flavis, partim craſſis ac turbidis, partim claris ac limpidis. Quarum

rum tres ſortes potiſſimum notæ ſunt, Cypria ſcilicet, Veneta, & communis terebinthina, de quibus nunc in ſpecie agemus.

§. 2.

TEREBINTHINA CYPRIA

dura, pallide flava & fere inſtar ſubcœrulei vitri apparens ac pellucida reſina eſt, parvis fruſtis conſtans, ſaporis reſinoſi, acris & ſubamari, odoris fragrantis. Utplurimùm ex Inſula Chio, unde etiam interdum nominatur, provenit, ubi ex parvis arboribus ejusdem nominis profluit, quas longos cineraceos ramos, foliis, lauri foliis ſimilibus, præditos, ac partim magnas nuces, partim baccas baccis juniperi accedentes, proferri perhibent, in quibus reſinoſi ac mucilaginoſi nuclei reperiuntur, ſicut iſtæ partim ab *Rajo* in *Hiſtor. Plant. pag.* 1577. partim *Pometo* in *Hiſt. des Drogues pag.* 283. deſcriptæ ac delineatæ ſunt. Et quanquam interdum etiam in Hiſpania Italiaque & Gallia reperiantur, nullam tamen, dicuntur generare terebinthinam, ut Clariſſimus Halenſium Profeſſor, *D. Hoffmannus*, in *Diſp. de Terebinth. pag.* 4. ex aliis recenſet. Vera igitur & genuina terebinthina ex Chio Cyproque Inſulis per Venetias venit, ac propterea olim terebinthina Veneta vocata fuit. Quæ tamen, quum perrara caraque ſit, in noſtris officinis fere nunquam reperitur, niſi quod curioſi ingenuique Materialiſtæ magnis iſtam ſumtibus ad confectionem Theriacæ afferri curent, quam etiam *Pometus l. c.* & *Charaſius* in *Tr. de Theriacæ Ingred. pag.* 164. requirunt. Craſſa ſit, nec dentibus aut digitis glutinoſitate adhæreat, ac viridiuſcule album appareat. Videndum verò, ne ex terebinthina laricis, ab impoſtoribus colore viridiuſculo imbuta, artificioſe compoſita ſit, quod tamen partim ex gravi odore, & quoniam dentibus adhæret, facile cognoſcitur, præſertim ſi vilis ſimul exiſtit; dum contra veræ therebinthinæ ex Chio advectæ libra quinque vel ſex florenis vilius haberi nequit.

§. 3.

Ex quibus nunc facile colligere licet, quid de hodierna

THEREBINTHINA VENETA

ut apud nos divenditur, judicandum ſit, nempe iſtam pro vera therebinthina olim ſuper Venetias ex Oriente tranſportata, neutiquam poſſe haberi, quin potius è larice aut pino oriri, ac propterea majori jure Leonenſem, ſ. Lugdunenſem aut cum Gallis Terebinthine du bois de Pilatre vocandam eſſe, quoniam partim ex his locis, ſecundum *Pometum*, partim è Tyrolenſibus montibus in caprarum hircorumque pellibus affertur, teſte *Marxio* in *Mat. Muſ. pag.* 202. Cæterum ſi bona eſt, valde limpida citrinaque mollis reſina eſt, inſtar craſſioris olei ſeu balſami, quam propterea quidam maleferiati homines pro balſamo Peruviano albo dicuntur divendere, recentem inprimis, ac ſponte ex arboribus profluentem, quam Galli ad differentiam craſſiuſculæ Bijou vocant. Hæc terebinthina vere autumnoque à pauperibus è larice collecta, orcisque vel pellibus hircinis indita Lugdunum fertur. Memorabile vero, larices multum ſpongiarum ſeu agarici progenerantes, nullam plorare terebinthinam, quippe in nutrimentum agarici inſumendam, uti *Hermannus* ſuis in ſcriptis prodidit. Optima vere clara & quoad ejus fieri poteſt, alba appareat, videndumque, ne arte compoſita, nec oleo terebinthinæ adulterata ſit, quod colore partim, partim etiam odore manifeſtatur, dum adulterata in papyrum ſtillata, & incenſa, nigram flammam ſuſcipit ac fœtet: genuina contra reſinam redolet, nec tam cito deflagrat. In Ungue etiam probatur, in quo adulterata coit ſeu unita manet; genuina vero defluit, ut *D. Hoffmannus* & *Pometus pag.* 6. oſtendunt.

§. 4.

Quod tertio ad

TEREBINTHINAM COMMUNEM

attinet, craſſa & albicans eſt, à pino & abiete trahens originem; ita tamen ex arboribus non profluit, ſed ex reſina pini, Gallis Gallipot vocata, præparatur, quæ liquata, in magnas orcas ſive dolia pondere vel centenariorum infunditur, è ſylva Hercynia, Thuringia aliisque regionibus, ubi magnæ pinus & abietes creſcunt, allata. Eleganter clara nec ſordibus inquinata ſit, atque iſta eſt, quæ è ſtrobilis excoquitur.

§. 5.

Ratione virium hæ ſortes omnes valdè conveniunt, vique calefaciente, emolliente, purificanteque ac ſanante pollent, qua ad ſanandos læſos in phthiſi pulmones, ad ſananda vulnera interna externaque valent, renes ac veſicam à calculo defendunt, iſtumque una cum urina promovent, & aliis quam plurimis morbis medentur, ſive per ſe in ovo leviter cocto ſumantur, ſive præparata, utpote pilulæ de Terebinth. ſpiritus aut oleum uſurpentur, de quibus *Hoffmannus*, *Ettmüllerus* aliique pluribus agunt. Equidem

OLEUM TEREBINTHINÆ

(quod copioſe ſuper Hamburgum venit, ac OLEUM TEMPLINUM vocatur, teſte *Marxio l. c.*) magis ex reſina Pini, quam ipſa terebinthina deſtillatur, ut ſæpe dictus *Pometus l. c. pag.* 287. oſtendit. Quam vero crebrius hoc oleum æque ac terebinthina ipſa Chirurgis inſerviat, ac iſtorum maturantia ſanantiaque unguenta & emplaſtra ingrediatur, ſatis innoteſcit. Nec in Chymia carere iſta poſſumus, dum terebinthina quaſi communis clavis eſt, qua oleoſa reſinoſaque corpora

pora ſolvantur, ut in reſina copal apparet, quæ aliis non facile permiſcetur, niſi terebinthina prius ſoluta fuerit. Tandem ab aliis quoque artificibus, ac iis præſertim, qui ignes artificioſos præparant, crebro uſurpatur, mercibus vetitis propterea annumerata, ut adeoque belli tempore alias in regiones non debeat tranſportari.

§. 6.

Similis reſinæ piceæ ratio eſt, quæ etiam diverſa eſt. Pulcherrima puriſſimaque eſt ſupra dicta

RESINA PINA, *das vveiſſe Hartz*,

quæ vel ſponte, vel facta inciſione ac perforatione pinuum & abietum, profluens, mox in eleganter clarum gummi induratur, & quoniam thus refert, THUS ALBUM ſeu commune vocatur. Eleganter alba, pura vereque ſicca ſit; quando vero cortices, ſegmenta arborum ac ſimilia ſuo ex arboribus effluxu recipit, benzoini (pro quo impoſtores ſæpe divendunt) ad inſtar quaſi marmorea ſit, quæ alias *Schell-Hartz* vocata, à cereviſiariis cereviſiæ imponitur, ut ruſticos inebriet.

§. 7.

Prior poſtea cum terebinthina communi hujusque oleo permiſcetur, ac tum

PIX LIQUIDA, *das Spiegel-Hartz*

vocatur, quæ plerumque Argentorato & è Batavia venit, quam ob cauſam etiam Terebinthina Argentoratenſis dicitur nominari, ſecundum *Daleum* in *Phytolog. pag.* 354. Eleganter ex albo flaveat, pinguis non fluida nimis ſit, nec nimium habeat aquoſitatis; ad multa opificia ignesque artificiales uſurpatur, & à nonnullis externe loco emplaſtri attractorii applicatur, quod tamen nimis moleſtum evadit emplaſtrum, difficula cute decedens, ac calido oleo removendum.

§. 8.

Quando reſina Pini ſine additamento in craſſiorem conſiſtentiam coquitur, & vel in fruſta majora ſ. placentas pondere 50. vel 100. ℔. vel in ſitulas infunditur, dura reſina exinde reſultat ſive

RESINA

alias vulgò *Schuſter-Pech* & *Kübel-Hartz* vocata. Decenter ſicca, flavaque ſit, omnis arenæ, aquoſitatis aliarumque ſordium expers. A bractearis & ahenariis ad res ſtanno obducendas, ab ſutoribus, vietoribus aliisque ad ſua opificia à Chirurgis ad multa emplaſtra uſurpatur.

§. 9.

Simili ratione olim diuturniore coctione è Galipoto ſeu reſina Pini notum

COLOPHONIUM (*Geigen-Hartz*)

præparabatur, quæ propterea olim reſina liquata & Pix Græca vocata fuit, quoniam principio è Græcia, ubi è Mari dicitur ejici, venit, ut *Schurzius* in *Mat. Muſ. German. pag.* 22. ſcribit. Hodie vero potiſſimum è terebinthina conficitur, nihil aliud eſt, quam id, quod poſt deſtillationem olei terebinthinæ reſiduum eſt. Quando autem ex ipſa terebinthina coquitur, vocatur TEREBINTHINA COCTA, ex qua pilulæ de Terebinthina conſtant. Finum, ſubflavum ac pellucidum ſit, magnisque fruſtis conſtet. Parva fruſta non poſſunt uſurpari, quæ propterea ſenſim fundi, in aliquod vas infuſione unum in fruſtum redigi poſſunt, quod exemtum alii poteſt addi, ſimiliter à multis artificibus uſurpatur.

§. 10.

Huic picì Græcæ, quam Galli Arcançon vocant, Septentrionales *Tarc* ſeu *Teer* addunt, ut nigreſcat, ac tum

PIX NIGRA

dicitur, cujus duas ſortes habent, haud tamen aliter diſtinctas, niſi quod una altera paulum ſit durior. Optima è Norwegia Sueciaque venit, inprimis Stockholmia, quæ vere nigra nitidaque ſit, ac bitumini Judaico valde prope accedat. Maximam partem ad naves pice muniendas uſurpatur, ex iſtaque oleum deſtillatur ob vim balſamicam balſamum picis vocatum.

§. 11.

Ex iſta una cum reſina vulgari, ſapone & Tarc ſeu Teer,

PIX NAVALIS

(quæ alias ZOPISSA & Gallice *Goudran* vocatur) conficitur, qua non ſolum nautæ ad naves, ſed Pharmacopolæ quoque ad antiqua quædam compoſita utuntur, qui ultimi iſtam à navibus abradunt, ut *Schræderus Lib. IV. Claſſ. II. No. CCCXCVII.* memorat.

§. 12.

RESINA LIQUIDA (ſeu *Teer*)

quam Galli TARC vocant, pingue, clarum ac reſinoſum oleum eſt, in Norwegia Sueciaque ab antiquis pinubus magna copia præparatum. Iſtæ ſcilicet abſciſſæ, certis fornacibus quatuor canalibus inſtructis, induntur, quibus ſi ignis ſubditur, hæc reſina liquida è canalibus profluit, uti *J. C. Axtius* in *Tr. de Arboribus Coniferis* ſcripſit. Quanquam *Pometus l. c.* exiſtimet, iſtam ex arboribus quoque exſtillare. Ad picem pro ſignandis ovibus ſumitur, quæ vera & Stockholmienſis ſit, non adulterata, quam nonnulli ex pice nigra turbidoque oleo præparant.

§. 13.

Coronidis loco hîc addo, quæ *Dn. D. Kæmpferus* in *Amæn. Exot. Faſc. 2. p.* 413. de Terebintho & Terebinthina Perſica tradit, verbis ibi: De Terebintho ſeu Piſtacea ſylveſtri, unde mons denominatus, pauca adjiciemus. Ea Piſtaceæ hortenſi,

quam *Theophraſtus* Terebinthum Indicam vocat, tum magnitudine, tum totius ac partium figurâ perſimilis eſt, niſi quòd floſculos ferat fragrantiores, nuces verò præparvas, inſipidas; unde à deſcriptione botanica abſtinemus. Copioſa creſcit in receſſibus montium brumalis genii, petroſis ac deſertis, circa Schamachiam Mediæ, Schiraſum Perſidis, in Luriſtano & Larenſi territoriis. Mihi nullibi conſpecta eſt copioſior quàm in petroſo monte circa *Majin*, pagum celebrem, unâ diæta diſſitum Sjiraſo: in quo mihi duplicis varietatis indicarunt arborem; unam vulgatiorem, quæ generis ſui retineat appellationem *Diracht Ben* ſeu *Wen*; alteram rariorem, in ſpecie *Kaſudaan*, vel, ut ruſtici pronunciant, *Kaſudèn* dictam, quæ à priori fructuum rubedine differat. Ego, menſe Decembri transvectus, differentiam non obſervavi, quod præter folia alata (hoc cœlo vix perennia) ſaltem in pauciſſimis fructus invenerim, eosque marcentes & rariſſimos, pericarpio donatos vinoſi ſaporis, nucibus verò caſſis. Obſervavi in quibusdam arboribus notabilem extuberationem, extremis ferè ſurculis ſine pediculo adhærentem, magnitudine quæ pugnum implebat figurâ rotundam, ex pluribus tuberculorum ſpiris, ad inſtar criſtæ galli gallinacei concretam, carmeſino colore gratioſè nitentem, & aſpectu elegantiſſimam. Subſtantia erat duriuſcula, quodammodo fungoſa & fragilis, intus albicans, ſucco dotata lento fragrantiſſimi odoris, planè qualis eſt Opobalſami veri, quod ex Meccâ obtinui. Utrum hæc pila ſaltem habenda ſit pro ἀνάφυσι, quæ promiſcuè terebinthis, ſive omnibus, ſive hôc ſaltem loco creſcentibus, ex fundi genio adnaſcatur, an verò pro varietatis charactere, à monticolis meis nomine fructuum deſignato, reputanda ſit, idiomatis tunc parum gnarus, nec niſi in Turcico verſatus, explorare haud potui. Uſum præſtat Majinenſis Piſtacea non contemnendum: quandoquidem accolæ liquorem terebinthinoſum, qui, vel ex arbore ſauciatâ prolicitur, vel ex rimis nodisque ſtirpium putreſcentibus, æſtuante Syrio, ſponte promanat, copioſum excipiunt: corió & pellibus ſubligatis alii, alii luto ſubducto in forma nidi hirundinini. Exceptum hunc liquorem in ipſo monte, vel qui prope habitant, domi ſuæ, ſine adfuſa aquâ, parum lenteque coquunt, antequam ebullire incipiat effundendum; ita refrigeratus colorem & conſiſtentiam referet picis albæ ſutoriæ. Coctione inquam brevi opus eſt, ad ſpiſſationem: nam ut ipſa Terebinthus cum Lentiſco maſtichifera valde cognata eſt; ita verò ipſa, quam fundit, terebinthina ex loci hujus genio de maſtichinâ indole plurimùm participat; quod præter conſiſtentiam & candor pellucidi tatis expers, & ipſe quoque ſuffitus teſtatur, dum prunis injicitur. Spiſſationem quin crederet *Renodæus*, clariſſimus ſui temporis de re pharmaceuticâ Scriptor, perſuaderi haud potuit: *Vix*, inquit, *ſuſpicor, nonnullos adeo eſſe mentis inopes, ut terebinthinam coquendo deteriorem reddant, & à longinquis regionibus adferant; terebinthina enim qualiscunque fuerit, ſemper pluris emitur, quàm ea ipſa reſina, induſtriâ qualibet concreta.* Mat. Med. L. 1. §. 8. c. 3. Neſciebat auctor, uſum terebinthinæ liquidæ illic, quò inſpiſſata adfertur, ignorari, & per cautes & montium receſſus difficilimè & vix ſine jacturâ transportari poſſe, & in urbes tandem delatam, emptores non invenire, ſecus ac ſi inſpiſſata fuerit. Uſus, quod ſcio, inſpiſſatæ non eſt alius, quàm ut pro maſticatorio ſerviat, quo mulierculæ citra Indum maxillas ſine intermiſſione exercent, ut ægrè, ſi ei adſueverint, carere hâc reſinâ poſſint. Dicitur lympham proliciendo catarrhos tollere, albedinem & firmitatem dentibus conferre, appetitum ſuffl aminare, ac gratum ori conciliare halitum. Proſtat ubique in officinis & myropoliis Turcorum, Perſarum & Arabum, ſub *Sakkis* Turcico, & *Konderuun* Perſico nominibus; vel etiam ſub appellatione *Sekkis Sjiriin*, i. e. Sekkis dulcis, ad differentiam *Lubaan* Arabis, ſeu *Kondûr*, Perſis ſic dicti Thuris ſive Olibani, quod ex *Mochâ* huc delatum vulgò appellatur *Sekkis talch*, i. e. Sekkis amarum. Majinenſes ruſtici referebant, ſe unum reſinæ *man* (libras Belgicas novem) petentibus vendere unico *Sjahi* (groſſis Marianis quatuor,) liquidam minori pretio daturi. Accolæ montis *Bennâ*, ex ſtipite vulnerato terebinthinam prolicere neſciunt: ipſa verò ligna comburendo, reſinam extorquent, quoad nigredinem plusquam ſpadiceam acquiſiverit toſtam, quæ pro coloris ſpecie ſervit pictoribus. Eſt enim dura, friabilis & ſplendida, quæ inſtar gummi Guttæ, vel Sanguinis draconis, aquâ dilui ac temperari patitur. Proſtat in officinis ſub nomine *Sijah Bennâ*, i. e. nigredo montis, vel arboris, Benna; vel ſub dubiæ appellationis vocabulo *rengi ſulâh*, i. e. coloris *ſulah*. Fructuum quoque uſus eſt: Hos immaturos unâ cum racemulis, quibus inhærent, aceto ſaleque condunt, ut fiat *Atſjaar*, ſive ſalſamenti genus, menſa ſecundâ inter bellaria apponendum. Familiare ferculum eſt Armenis, in obſervatione ſui *paris*, ſive jejunii, quo ſe hi Chriſtiani crebro macerant. In Caucaſiis circa Caſpium conditi, quòd nucleis dotentur pinguioribus, in mediterraneo creſcentibus præferuntur. Alia extat in deſerto *Tſjaask* (capo de Jaques) Piſtacearum ſylveſtris ſpecies, Perſis *Bergjès Piſtâi* dicta, cujus nuces ad aſſem hortenſibus ſimiles, interdum majores ſunt; nuclei verò ob amaritudinem mandi reſpuunt, niſi coctione cum aquâ dulci elixentur. Ex his nucleis venale in officinis proſtat oleum expreſſum, quod tumoribus duris, articulisque dolentibus inductum, illos emollire, his inſigne præſtare levamen dicitur.

HISTORIÆ SIMPLICIUM REFORMATÆ
LIBER TERTIUS,
DE
VARIIS, ANIMALIBUS, AVIBUS, PISCIBUS, VERMIBUS, HORUMQUE PRÆPARATIS.

CAPUT I.
DE
MUMIIS, PINGUEDINE HUMANA, CRANIO, VESICÆ FELLEÆ ET URINARIÆ CALCULIS.

§. 1.

MUMIA est nigra, dura & resinosa substantia, ab hominum, aromatibus conditorum, corporibus proveniens, sapore subacri & amariusculo, odore fragrante. Ex Ægyptó advehitur, ubi in foveis admodum profundis, incisisque albo in lapide sepulchralibus cameris, penes celebres pyramides sui inveniendi dat copiam, quæ utræque in *Malleti Cosmogr. Part. 3. pag. 36. & 37.* descriptæ depinguntur.

§. 2.

Quâ ratione verò modoque Ægyptii cadavera condiverint, in *Kircheri Oedipo Ægyptiaco*, ac *D. Andreæ Tr. de Balsf. veterum* uberius explicatur. Tres scilicet balsamationis habebant gradus, quorum primus isque pretiosissimus Talento, i. e. amplius quadringentis florenis, hodie verò quater mille florenis forte constaret, dum exenterata corpora primum palmæ vino, deinde 30. dies pretiosissimis balsamis terebantur, denique etiam optimis speciebus, utpote myrrha, nardo Indica & similibus implebantur, id quod saltem summæ conditionis hominibus contingebat. Hinc vera Ægyptiorum exsurgit mumia, Benzoinum ac Opobalsamum redolens, sed usque eo rara, ut nusquam, nisi in Magnatum thesauris reperiatur, teste *Dn. D. Kampfero* de *Mumia Nat.* Alter modus saltem dimidio ipsis stabat, quoniam non adeo magno labore, nec tam pretiosis balsamicis rebus conficiebatur, myrrha saltem asphaltoque & similibus in istum insumtis; ad eos pertinebat, qui vivi mediæ erant conditionis. Tertius balsamandi modus in pice & bitumine Judaico consistebat, maceratis prius calce, sale, similibusque cadaveribus, quin imo in oleo fictis, quo omne humidum exhalaret, ac balsamica penetrare melius possent. Quæ forte causa est, quamobrem etiam ossea partes à balsamo penetrentur, ut ex nigro istarum colore videre est, quem *Nehem. Grevv.* in iis Mumiis, quæ in *Museo Regiæ Societatis Londini* in Greshamensi Collegio conspiciuntur, & ab ipso in istius *Historia* describuntur, observavit, quâ de re etiam *Act. Lipsienf. A. 82. Mens. Jan. Num. 1.* possunt legi. Tandem peracta conditura seu balsamatione, mumiæ multis linteis fasciisque involvebantur, & characteribus signatæ juxta Deos suos in foveas reponebantur; de quo prædictus *Kircherus* agit pluribus.

§. 3.

Præter has veras nigrasque mumias, quidam Scriptorum etiam albarum mumiarum faciunt

faciunt mentionem, quæ ex iis humanis corporibus conſiſtant, quæ mare ejecerit, arenaque marina Libyæ contegerit, ſub qua à Sole ita arefacta ſint, ut nihil præter cutem & oſſa, ſuper quæ cutis inſtar membranæ extenſa ſit, relinquatur. Quamobrem etiam tota mumia ſupra 30. libras non pendet, qualis Pariſiis olim in *Dn. Budeti* Muſeo videbatur. Et quoniam ſic nihil balſamici in iſtis invenire licet, nec in uſum medicum trahuntur, nec jure mumiarum venire nomine poſſunt, quod Arabum vel Perſarum lingua proprie balſamum corpus ex antiquis ſepulchris ſignificat, ut *Frid. Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 673. docet.

§. 4.

Quoniam autem veræ Ægyptiorum mumiæ in iſtorum Regionibus nimis magni æſtimatæ, ab incolis publice non divenduntur, ſed furtivè temporeque nocturno ab remigibus in naves transportandæ ſunt, ut *Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Mat. p.* 181. ex aliis Materialiſtis oſtendit, hinc artis legibus iſtas ex carne humana imitari ſibi ſumſerunt; nec tamen eo modo, qui perdito cuidam Judæo Alexandriæ Ægypti, mumiarum mercaturam facienti, poſitus in more fuit, qui mortua corpora humana, minime curans, contagioſane lue, an alio morbo extincta fuerint, præparata & illinita pro veris mumiis vendidit, eoque ipſo inſuper Chriſtianis ejusmodi merces quærentibus, illuſit, ut certus quidam Gallus, qui omnia ipſe apud Judæum viderat, Materialiſtæ Gallo, *Dn. Pometo*, narravit, hicque in *Hiſt. des Drogues Lib. I. pag.* 6. recenſuit: ſed ea methodo, quam *Schræderus* ejusque Interpres, *D. Ettmüllerus*, in *Comm. pag.* 790. nec non *le Febure* in prima parte *Chym. pag.* 231. communicarunt.

§. 5.

Sunt interim quidam Doctorum, qui per mumias non conditam carnem humanam ſeu corpora ipſa, ut apportantur, & in ipſorum Materialium Muſeis repræſentantur, ſed illud ſaltem bitumen ſeu aſphaltum, quod cum ſanguine unitum, à conditorum corporum ſepulchris emanat, volunt intelligi, uti in *Wormii Muſeo pag.* 30. videmus. Imo inveniuntur, qui etiam loco mumiarum ſolo aſphalto utuntur, quum contra Materialiſtæ ipſam quoque conditam carnem pro iſtis ſibi dari patiantur, & in emendo in id ſaltem intenti ſint, ne pulveris minorumque partium ſ. quisquiliarum adeo multum aſſumant, nec etiamſi magna fruſta emant, ſaltem arefacta oſſa ſint, ſed ut oſſa extrinſecus pinguedinem carnemque, intus vero medullam adhuc habeant, quemadmodum *Schurzius pag.* 59. & ex eo *Marxius pag.* 126. in ſuis *Mat. Muſeis* Germanicis obſervant. Optimam decenter nigram, aut minimum glaucam, ſimulque levem ac nitidam, boni etiam odoris eſſe oportet, piceî vero expertem, auctore *Pometo l. c.* Minores partes ab arena, quacum permiſtæ ſunt, depurgentur.

§. 6.

Quod ad vires operationemque attinet, mumia calefaciente, reſolvente ac balſamica prædita qualitate eſt, qua abdominis flatus diſſipat, & grumoſum coagulatumque ac reſtitantem à caſu & contuſionibus ſanguinem diſſolvit. Utilis eſt adverſus phthiſin, lienis laterisque dolorem, ſuffocationem uterinam, & externa vulnera. Quamobrem etiam permultas veteres compoſitiones, nempe pulv. contra caſum, Empl. Apoſtolorum & ſimiles ingreditur, & in officinis variis modis præparatur, in quibus ex iſta eſſentia, elixir, oleum ſimiliaque conficiuntur, de quo *Schræderus* in *Pharmacop. Medico-Chym. L. V. Claſſ. I. Num. XXIII.* poteſt videri. Quam verò inſignem minimeque vulgarem vim habeat MUMIA NATIVA ſeu MUMINAHI in Perſia reperiunda, doctus curioſusque Lector perſpicere poterit ex iſtius deſcriptione, quam *Dn. D. Kæmpferus* in *Diſſ. ſua Inaug.* ſ. *Decad. Obſ. Exot. §. 3.* cum eruditis communicavit, & nos in *Appendice* hujus Tract. ſc. *Indiæ Orientalis Epiſtolis* olim tradidimus, quæ tamen Auctor Eruditus aliquot ante annos in *Amœnitat. Exot. Faſc.* fuſius proſecutus eſt verbis ſequentibus:

MUMINAHI
ſeu
MUMIA NATIVA PERSICA.

VErnaculis Margaritarum & Turcheſiarum opibus, queis Perſarum ſuperbiunt Gazæ, multis regio hæc paraſangis anteponit nativum quendam mirandæ virtutis liquorem, quem propriô nomine *Muminahi*, id eſt, Mumiam appellant: vel in eminenti ſignificatu, vocabulo generali *Beleſſoon*. i. e. Balſamum: vel appellatione laudativâ *Kodreti*, quod ultroneum à Deo & naturâ munus, i. e. Mumiam naturalem inſinuat.

Hiſtoriam ejus dignam judico, quæ Latio noſtro, me relatore, innoteſcat, cum à Viatorum paucis cognita, à nemine deſcripta ſit, tantum abeſt, ut ipſum nobiliſſimum medicamentum ad officinas noſtras unquam penetraverit, quippe quod ex durâ rupe parciſſimum emanans Soli ſacratur poſſeſſioni Regiæ & intra ſereniſſimæ familiæ orbitam conſumitur, rarò ſaltem particulæ ex Regis clementiâ dimanant ad Magnates, ſi quem reſciat præcipitem cum equo actum (prout contingit in venationibus) cum vitæ diſcrimine decumbere. Hæc eſt illa, ex opinione popularium, vera & genuina Mumia antiquorum, quâ apud priſcos Ægyptios corpora Principum condita, atque inde apud Noſtrates Mumiarum appellatio-

lationem ſortita fuerunt. Quod ipſam deinde nomen in balſamo artificiali ex aromatibus facto veræque Mumiæ in conſervandis cadaveribus ſuppoſito, retentum eſt. Eapropter Perſæ Ægyptiam ſic dictam Mumiam, ceu indignam nobiliſſimo nomine, vocarunt *Enſaani*, vocabulo Arabicæ originis, Humani quippiam deſignante; ſive ſubſtantivum reſpiciant *muum*, quod ceram, ſive *Muminabi*, quod liquorem balſamicum noſtrum, veramque Mumiam ſignificat, ut nimirum ab hac genuinâ ſuâ, adulterinam Mumiam Ægyptiorum diſtinguerent. Et noſtra, quam inducimus, Mumia, ſuccus bituminoſus, ex petroſâ montis ſuperficie exſudans; fœdâ ſutoriæ picis facie, colore, denſitate, & quodammodo quaſi lentore; recens dum rupi adhæret eâ liquidior: ad calorem tractabilis eſt, olei gaudens conſortio, aquæ miſturam reſpuens, inodorus prorſus, & Ægyptiacæ Mumiæ ſubſtantiâ perſimilis. Carboni injectus ſulphuris ſpirat graveolentiam, ex Naphthâ nonnihil attemperatam, naribus non omnino moleſtam; odore affini, quem vel Naphtha arida, vel Aſphaltus, vel veterum Mumia Ægyptiaca, addo vel Ambra nigra ſuffumigando ſpirant: Nam omnia hæc non omnino diſſimilis ſubſtantiæ bitumina ſunt, majoris graveolentiæ aut ſuavitatis gradibus à ſe invicem recedentia, ob diverſam ſulphuris, vel ſi mavis, ſalis ſui diſpoſitionem & copiam.

Duplicis Mumia differentiæ eſt; Una primaria, quam eximia virtus, & paucitas nobilitant, ea, quam hic potiſſimum laudamus: Altera ſecundaria, quam largiori manu impertiens natura, minori efficaciâ inſtruit, ſupponi in illius locum & pro virtuoſâ venundari ab impoſtoribus ſolita. Natalis locus Mumiæ primariæ, ab hominum aditu, pagis, fontibus eſt remotiſſimus, & maximè deſertus, ſitus in provinciâ *Daràab*, unius diætæ intervallo, ab urbe *Darà*, ita à Dario conditore nuncupatâ, Perſarum Monarchâ ultimo, ex victoris ſui laudibus ſatis inclyto. Incunabula ei hic præbet caverna quædam anguſta, geminam orgyjam inſtar putei demiſſa in petram ſub radice montis præruptæ Caucaſii. Nam hic (Caucaſus) ex Iberiâ ſurgens, Aſiam, ut *Curtii* verbis utar, perpetuo jugo dividit, ſparſis ubique ramis Perſidem pererrans, locis plerisque ſterilis, at hoc potiſſimùm incultus & aſperrimus.

Ejus collectio aliquot retro ſeculis intermiſſa dicitur, vel quòd proventus ceſſaverit, vel quòd locus bellorum turbis amiſſus & oblivione obliteratus fuerit. Inventus iterum, & collectio redauſpicata eſt, in principio ſeculi à Chriſto ſexcenteſimi ſupra milleſimum; à quo tempore magnâ pompa & ſplendore Mumia inde quotannis petitur. Et ne pretioſo rori legitimæ originis fides deficiat, quippe inter cariora Domûs Regiæ adoptando, ab ipſis ibidem ſupremis Provinciarum Directoribus excipiendus eſt, eâ quidem æſtatis parte, quâ ex intenſis Syrii caloribus maximè molleſcit, ac laterum aſperitatibus faciliori opere abſcedit. Ritus & colligendi modus hic eſt: Supremus provinciarum *Laar* & *Daraab* præfectus, cum ceteris ex utroque territorio Regiis adminiſtris, indicto tempore ad montis radicem conveniunt, luſtrant & referant ſigilla, quibus cavernam ſuperiori anno obſignaverant. Tum ſaxo ingentis molis, quod ingreſſum claudebat, viginti bajulorum lacertis devoluto, unus ad extergendum bitumen intromittitur, inſtructus cochleari ferreo, ad rimanda latera, probè roſtrato. Ne verò colligenti, in obſcurâ ſolitudine, latebræ ac veſtimenta furandi occaſionem ſuppeditent, his totus exuitur, & præter pudenda nudus dimittitur: datâ priùs, quâ ingluviem claudat, aquâ limpida, plenis buccis continendâ, donec redeat. Speluncam ingreſſus, abradit quicquid ſuperioris anni decurſu petra eliminavit, circiter horam unam in illo opere conficiens; Dum interim deputati, id tempus epulando daturi, repetunt tentorium, quod eum in finem è regione cavernæ magnificè expandebatur. E puteo redux, & Mumiam deponit Inſpectoribus, & retentam ore aquam in patellam argenteam egerit, ab omnibus cenſendam, an pro acceptâ lotium ſuum ſubſtituerit: quin papilione eductus, in ano ipſo immiſſis digitis viſitatur, ſi vel inter ſterquilinia gemmeum rorem condiderit. Tum verò Mumia igni illico liquatur, ut lapidoſa excrementa unà cum bitumine abraſa ſubſideant, limpida ejus ſubſtantia in pyxidem argenteam, eam in rem noviter fabricatam, inclinatione effunditur, quantitatem plerumque referens viginti quinque *Meſcalium*, id eſt, unciarum paulò plus quatuor; nam *Meſcaal* drachmam unam cum granis paucis continet. Obſignata pyxis, à præſentis coronæ primoribus quinque, hemerodromo porrigitur, ſine morâ in Regiam Iſphahanenſem exportanda. Quæ impura remanet portio, eam inter ſe, connivente Rege, curatores dividunt. Dehinc, clauſo rurſus ſignatoque aditu, concio dimittitur.

Secundaria Mumia ſparſim ex rupibus deſertorum in eodem montium tractu, *Laram* inter *Darabum*que urbes, exſudat. Hæc, ut pari naturæ ſtudio non eſt elaborata, ſic multis paſſibus ignobilior & virtute inferior eſt, adeoque hæc, ſi inveniatur, cuivis promi permiſſa eſt, modò ob præcipitii difficultatem poſſit. Celeberrima ex his eſt, & pro pretioſa ſupponi frequentius ſolita, quam loci ſui nomine colligentes agricolæ *Sebebbenaad* vocant: Adhæret prærupto cacuminis dorſo, quò fune, qui abradat, horrendo ſpectaculo demittitur; ſagittarii etiam telis infernè miſſis particulas disjungunt. Redolet ſuffitu ſulphur crudum ex Naphtha, gravius quàm pretioſa; venum no-

bis oblata à poſſeſſore ſuo, tanto argenti pondere, quantum ipſa in lance librabat. Alia ab ignobili loco, nomine agreſti *Tſjenpèh*, aliis *Tſjampèh*, dicebatur, quæ quadruplo argenti pondere conſtabat; expers crudæ illius graveolentiæ; fumigata Ambram nigram ex Aſphalto referebat, proximâ ſuavitate, vel majori penè, ac ſpirat Mumia nobiliſſima Ægypriaca veterum, cujus quoque exhibebat friabilem conſiſtentiam. Per Mumiam *veterum*, non intelligo dubiam illam fœdamque hujus nominis miſturam, quam officinæ exhibent; aut à vulgo ita appellata humana cadavera, in arenis deſertorum exſiccata, ſed veterum illud Balſamum, quo nobiliorum corpora replebant Arabes atque Ægyptii. Hujus duplex genus reperio: *Unum* pretioſiſſimum & multò rariſſimum, è Principum cadaveribus depromptum; cujus particulas in citeriore Aſiâ inter rariora Magnatum invenire nonnunquam licuit: hoc, & ſubſtantiæ ſimilitudine, & pretio, & vel ſolâ nominis parilitate ſe genuinam Mumiam Darabenſem teſtabatur; ſuffitu verò (quo Mumiam Tſjampenſem magis redolet) cum Benzoino, Styrace, vel Opobalſamo ſe permixtam prodit: à quo & illud fortaſſe obtinet, (niſi id debeat antiquitati) quòd comminutum in colorem rufum nonnihil inclinet. *Alterum*, quod pro verâ veterum mumiâ paſſim & copioſè in Europâ aſſervamus, ut exuvias ignobiliorum corporum infarcivit, ſic & viliorem, ex quâ conflata fuit, materiam exhibet. Aſphaltum eſſe crederem, nam ejus ſuffitum ſpirat ſatis genuinum.

Nativæ mumiæ perſimilem liquorem fundi vidimus in Naphthiferæ Caſpii maris peninſulæ monte quodam, ſito tribus milliaribus ab urbe Mediæ *Backuu*. Emanat ex ſummitate, liquidiori primùm ſubſtantiâ, ſenſimque defluendo congelaſcit, ignaris ruſticis ſolùm pro igne balneario ſerviens. Sed quæ inde ab uno circiter milliari puteis extrahitur Naphtha nigra, ea negligenti tractatione perpetim in terram profuſa, in conſimilem reſinam indureſcit. Hæc ab illâ ſecundariâ Mumiâ, per graviorem ſulphuris ſui & Naphtham nigram ſpirantis fœtorem dignoſcitur, quem recens redolet, etiam non accenſa, ſed facta antiquior deponit. Ejusdem notæ ac farinæ eſt Bitumen congelaſcens aridum *Strabonis Lib. XVI. de Sit. Orb.* cujus fontem eſſe in agro Babylonio prope bitumen liquidum, ſeu Naphtham, ex Eratoſthene adducit. Ego locum non vidi; ſuſpicor ibidem & nunc reperiri, quia liquidum inde petitur. Prædictarum Mumiarum cum Naphthâ aridâ, Aſphalto, Ambrâ & Mumiâ veterum tanta eſt in ſubſtantiâ, colore & conſiſtentiâ parilitas, tanta in odore & virtute affinitas, ut vix non audeam prædicta omnia ejusdem generis bitumina affirmare: quarum, quæ intercedit, major vel minor odoris ſuavitas & virtutis præſtantia, partim ex loci natalis diverſo colo, partim ex ſubterranei ignis diverſo gradu & uſtione dependeat; ita, ut in illâ ſeu percolatione, ſeu ſublimatione, paulò aliam ſui ſulphuris depurationem, & particularum diſpoſitionem nanciſcantur.

Ad Mumiam primariam ut redeamus; hæc omni illâ pollet virtute, quâ ſcribitur veterum, ſeu Arabica, ſeu Ægyptiaca, olim excelluiſſe: Oſſibus verò glutinandis tantâ claret efficaciâ, ut fracturas crurum in animantibus paucis diebus, in pueris quidem triduo, in pullis gallinaceis intra diem vertentem, modò ritè reducta ſint, firmare & ad uſum ſtabilire credatur. Quæ medicamenti efficacia in vulgus Perſarum innotuit adeo, tantâque fide creditur, ut vel quicquam de eâ dubitare ipſis religio ſit. Uſus ejus internus & externus eſt. *Internè* balſamum præſtat vulnerarium eximiæ virtutis, in viſcerum apoſtematibus & ulceribus ſanandis, reſolvendo ſanguine coagulato, rupturis & ceteris malis, quibus à caſu ab alto præcipitantium viſcera violantur, ſi ejus particula, cum modico butyri liquata, propinetur; cavendo, ne dentes medicamento imbuantur, quos offendere ac vacillantes reddere perhibent: creditur que hæc nobiliori Mumiæ non admiſſi adulterii nota eſſe. *Externè* valet in luxatis articulis, qui poſt reductionem, artis lege inſtitutam, loco emplaſtri, prædicto liquamine ſemel tantùm inunguntur: quæ verò inunctio, ſi ante reſtitutionem fiat, tendines, interpoſitâ unius noctis morâ, ſic arctari ajunt, ne reduci poſtea transmota pars ullâ arte valeat. Utrovis verò interno & externo uſu potiſſimùm, quod dixi, in fracturis oſſium graviſſimis locum obtinet, ſi Mumiæ portiuncula liquetur in ſufficiente quantitate butyri, pars liquata plus minus granis Mumiæ quinque impregnata, deglutienda detur, reliquum linteo illitum fractutæ probè reductæ applicetur; ſic factâ ſemel deligatione, non ſolvuntur faſciæ ante uſum membri. In pullis gallinaceis, ſi crus frangitur, duo vel tria grana pro utroque uſu ſufficiunt. Hanc ſtupendam in fracturis efficaciam non dubitavi ego (ut ſoleo miracula naturæ) inter ea referre, quorum veritas conſtare debet ex tribunali αὐτοψίας & experientiæ. Experimentum igitur in Gallinis inſtituo, non ſemel, ſed quoties Mumiæ particulam pretio vel dono obtinere contigit, & in applicatione omnia ad præſcriptum exequor. De Mumiâ autem primariâ conſequendâ, cum fruſtra laboraſſem; Secundariam ſubſtituo, vel eam, quæ pro primariâ falſò venditabatur. Pollere enim eâdem virtute dicitur, ſed ſegniori ſaltem. Quid tum? ſucceſſit aliquis ſemper effectus non illaudabilis, verùm longè infra deſiderium noſtrum & ſponſorum jactantiam, ut vel ſine bitumine obligata pullorum crura ſolidari non multò tardius, comperiverimus. Accidit poſtea, ut cum forte fortuna in nobilium coronâ exprobrarem ultra vires jactatam Mumiam; diffidentiæ extemplo vindex me adoriretur quidam domeſticus Guberna-

bernatoris Larenſis: virtutem Regiæ Mumiæ, cujus particulâ gaudebat, in conſolidando oſſe probaturus, antequam me, ut ajebat, dimiſſurus ſit. Rem magnâ fiduciâ aggreditur, turbâ hominum ſpectante, cujus hic integram rem ſiſtam Lectoris cenſuræ. Recipiebat Darabenſis Mumiæ pretioſæ quantitatem cicerculæ, id eſt, gtana duo vel tria; cui de ſecundariâ pro majori corpore addebat quantitatem triplam; junctas liquari jubet cum butyri modico (circiter drachmâ unâ) in cochleari argenteo, quod illi negotio exhibui utenſile meum. Hoc dum fieret, producitur in ſcenam pullus gallinaceus ſemeſtris, cui frangi crus alterum mihi committitur. Fregi penitus, ita ut feſtuca è cute pertuſâ promineret; reduxi, & ligulam balſamo noſtro inunctam fracturæ calidam circumpoſui, ſpleniolisque firmatam obligavi: quod balſami liquefacti ſupererat, gulæ ejusdem infudi deglutiendum; ſic ſervavi gallinam loco anguſto tenebricoſo: omnia ſic jubente, qui Mumiæ ſuſceperat patrocinium. Poſtero die convocatis in idem tempus, qui pridiè ſponſores & ſpectatores adfuerant, gallina è tenebris producitur, ſolvitur ligulis & dimittitur. Quæ tunc expanſis alis quatiens, ſuæ applaudit libertati, & expeditè diſcurrit, ut eſcam quærat; tantillâ cum claudicatione tamen, quantula vel in ſano pede inferri offenſa potuiſſet ex ſpleniorum preſſurâ. Mox ſparſis granis aſſiliens, doloris ſe amplius expertem, vel hôc ipſo teſtata eſt, quod ceteras gallinas audacter impetiverit, & ab eſcâ depellere conata ſit. Mirabundi ſtetimus, quicunque de Mumiæ dotibus dubitabamus. Poſtulatus ego, ſponſorum ſententiis ut ſubſcriberem: niſi, ajo, ſcriniariorum arte fracturas quis conglutinaverit, naturali certè nondum combinari: quippe licet Mumiæ eximiam virtutem videam & prædicem, neutiquam tamen me credere, naturam quocunque etiam fortiſſimo remedio jutam, uno vertente die tantum præſtitiſſe opus in exſangui crure, ſecreviſſe calli materiam, glutinaſſe, induraſſe. Nec moror, crure, diſſecto, fracturam oculato examini ſubjicere: in quo offendimus externam cutem, ſub balſami liturâ, plus ſolito craſſiorem, oſſis fracturas firmiter ſtringentem: quâ ipſâ ſcalpello remotâ, periofteum prodit mirè quoque conſpiſſatum, quod fracturam faſciæ inſtar obvolvens, feſtucas loco ſuo retinebat & firmabat: abraſâ verò eâ membranulâ, tantum abeſt, ut intermedio callo, quod credebant, fracturæ cohæſerint, ut potiùs levi attactu disjungerentur: comparente in oris fracturarum cruore exiguo, pro ferramenti primordio: Ex quo conſtabat, naturam opus ſuum laudabiliter inchoaſſe quidem, neutiquam perfeciſſe. Hujus experimenti fiduciâ cum deinde virtutem Secundariæ in ſubjecto humano explorarem, (nam ejus copiam per natalem locum peregrinatus coemeram) callum quoque celeriùs, quàm quovis medicamento porotico obtinui, excreſcentem plerumque ultra deſiderium.

§. 7.

Cæterum etiam

AXUNGIA HUMANA

Materialiſtarum & Pharmacopolarum mercaturam ſubit, quæ optima in publicis ſectionibus manuque carnificis interemptorum hominum colligitur. Quam propterea plebs apud carnifices quærit, magna tamen ſubeſſe fraus poteſt, quod certa nos indicia deſtituunt, quibus axungiæ rectè diſcernantur. Interea humana pinguedo quid præcipui præ aliis habere videtur, dum vim anodynam ſecum vehit, & non contracta ſolum membra emollit ac mitigat, ſed nervos quoque ac tendines, ſi ſpina aliave re puncti læſique fuerint, ac magno propterea dolore ſe contrahunt, in priſtinum reſtituit, luxatoque pedi admodum proficua eſt. Sic commendatur quoque adverſus partium ariduram, cui & oleum, quod deſtillatione quidam inde proliciunt, valde conducit.

§. 8.

Porrò

CRANIUM HUMANUM in Materialium Muſeis aſſervatur, ex morte mulctatis reis, aut bello interemtis deſumendum; quamobrem in ultimo Turcico bello integri ſacci, Turcarum capitibus pleni, Lipſiam apportati ſunt. Sunt tamen Materialiſtæ & Pharmacopolæ, qui cranium morbo oppreſſorum divendunt, ſicut meis ipſe auribus percepi, aliquando certum quendam Materialiſtam, aliqua ſibi procuranda ex oſſuaria humana crania petiiſſe. Quæ turpis fraus eſt, minime toleranda, quod ejusmodi defunctis corporibus nec ſuccus, nec vis ulla ineſt, è contrario in iis, quæ violenta occumbunt morte, vitales ſpiritus quaſi intercepti, & in corporis partibus concentrati ſunt, à quibus vis maximam partem dependet, quæ manifeſte melior in craniis reorum quam mortuorum obſervatur, quemadmodum haud ita pridem Anno 1701. hic Gieſſæ quùm tenello infanti epilepſia tentato (ad quam cranium præcipue commendatur) cranium humannm præp. ex officina præſcriberem, effectu inſequente nullo, expertus ſum: quùm verò aliquid de collapſo vetuſtate ſceleto parentibus darem, feliciter infans convaluit. Quod ſi vero fruſtuli nobis daretur copia de homine, capite læſo, & adhuc vivente, ſine comparatione erit efficacius, id quod *D. Hoffmannus* in *Comment. Schræd. pag.* 675. ſua experientia teſtatur. Quidam præſertim os triquetrum ſ. triangulare magnifice jactant, quod interdum, ſed perrarò inter ſuturam Sagittalem & Lambdoideam inventum, pro certiſſimo Antiepileptico habent; in iis de *Paracelſi* ſententia invenitur, qui morbo caduco ipſi afficiuntur

untur. Equidem ipſe teſtari poſſum, id ipſum in quodam parricida, qui Ao 1677. ſecuri cervicem ſubjiciebat, & poſtea publicam ſubibat anatomen, quique epilepſia nimis crebro graviterque erat afflictatus, verum fuiſſe deprehenſum, ſuper cujus cranio triangulare iſtud oſſiculum pulchre reperiebatur, & usque adhuc in ſceleto, quod *Dn. D. Strauſſius*, Medicus Rotenburgenſis aſſervat, videre eſt: num vero in omnibus ſubjectis inveniatur, in medio nunc relinquo, & ipſa rerum magiſtra certi quid docebit. Cæterum valet etiam cranium ad curandos alios morbos, ſtrumas, nodos colli, in quibus pro ſalutari remedio à Clariſſ. *Hartmanno* habitum, & à *D. Michaële* uſu comprobatum fuit. Sic *Dn. D. Widtius* olim Cameræ Imperialis Spirenſis Medicus, & tandem Electoris Mogunt. Archiater, cranium humanum pro experto adverſus icterum remedio habuit. Quod autem quidam milites ſibi perſuaſum habeant, hauſto ex cranio potu corpora fieri impenetrabilia, ut *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 791. memorat, ea vero ridicula ſuperſtitio eſt; ſic enim omnes Medicinæ ſtudioſi, quando peracta cadaveris ſectione, expoliendo ſceleto intenti, plerumque è cranio potum hauriunt, fierent impenetrabiles, id quod experientiæ minime reſpondet. Quæ ex cranio præparentur, vide apud *Schræderum l. c.*

§. 9.

Quæ etiam de

USNEA CRANII HUMANI

concitetur opinio, ſimiliter notum eſt, rarò tamen vera & ſincera habetur, cum nonnulli muſcum à craniis in oſſuariis ac cœmiteriis deradant, eumque pro vera uſnea divendant, quæ potius ex capitibus humanis in ſtipitem adactis, patibulo affixis, aut rotæ impoſitis deſumenda eſſet. Præcipuam quandam vim in hæmorrhagiis quibuscunque habere perfertur, quas non interne ſolum, ſed etiam extrinſecus manibus detenta, compeſcere perhibetur. Eaque ipſa uſnea quoque baſis eſt unguenti ſympathetici, & celebrati *lapidis Buttleri*, de quo *Helmontius* integrum *Tractatum* conſcripſit, cujus deſcriptionem à Sene quodam Chymico, cui *Kriegsmanno* nomen erat, olim accepi.

§. 10.

Ultimò in quibusdam Materialium Muſeis

CALCULUM HUMANUM

præſertim veſicæ invenimus, qui præter cæteros (quamvis in omnibus corporis humani partibus generari poſſit, annotante variis ex Scriptoribus Clariſſ. Daniæ Regis Archiatro *Dn. D. Franco* in *Lapicidina Microcoſmi*) ad medendum conquiritur. Qui, quoniam lapidis adinſtar bezoardici, è variis ſibi invicem incumbentibus lamellis conſtat, eandemque etiam in contagioſis febribus peſtilentiaque ipſa vim bezoardicam exerit; non immerito à *Chriſtiano Hieblino*, in Tract. Germano *de Lapide Bezoar*, lapidibus bezoardicis annumeratur, indito ipſi Bezoar Microcoſmici nomine. Multum is & quidem prorſus volatilis ſalis in ſe continet, ſicut *D. Muzius*, Profeſſor Lugdunenſis, dum viveret, quam ſæpiſſimè, in iſtius loci Laboratorio Chymico me inſpiciente, oſtendit; cujus conſideratione etiam ad renum ac veſicæ calculum commendatur.

§. 11.

Quùm intereà multi ea teneantur opinione, *Paracelſum* atque *Helmontium* per vulgò ita dictum LUDUM, intellexiſſe humanum veſicæ lapidem, ſciendum eſt, verum

LUDUM HELMONTII

prorſus diverſum eſſe lapidem, qui juxta Scaldem non procul Antwerpia effodiatur. Infra cineraceam baſin habet, inſtar lapidis calcarii, ſupra pellucida cruſta tanquam ſuccinum, conſpicitur, de quo haud ita pridem quædam clara ſtirpe orta matrona, eademque hominum ſermone celebratiſſimi diuque defuncti copiarum Ducis Rabenhaupti, Chymiæ amantiſſimi, olim uxor, *Dn. D. Schleyermacherum*, Sereniſſimi Principis Haſſo-Darmſtadini Archiatrum, certiorem fecit, ipſumque ſæpius tractaſſe ſe manibus commemoravit; cujus pariter *Miſcellanea Germ. Cur. Dec. I. Ann.* 7. & *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. p.* 802. & 806. mentionē injiciunt, & pro lapide calcario habent. Hicce Ludus valde volatilis eſſe lapis perhibetur, qui per ſe intra biduum mediante igne in aërem evolet, id quod multo citius contingit, ſi quid de nitro ipſi addatur. Et quoniam acidulum amarumque inde haberi ſal poteſt, à *Paracelſo* fel terræ vocatur, de quò in iſtius *Tr. de Morb. Tart. cap.* 20. conſulatur, ubi obſcura ſcribendi ratione de eo agitur. Quam vehementer verò clariſſ. *Helmontius* iſtum extollat, & quam infallibilem ex illo medicinam adverſus calculum aliosque affectus conficere intendat, in ipſius *de Lithiaſi libro* poteſt evolvi.

§. 12.

Inveniuntur etiam interdum aliqui lapilli in veſica fellea corporum humanorum, qui utplurimum flavi, amari & leves ſunt, quales olim in veſica fellea cujusdam carnificis filiæ, quæ amputato ob varia delicta capite, publicè anatomicum ſubibat cultrum, videbantur, & usque adhuc meo in muſeo cuſtodiuntur. Sic etiam *D. Beckerus*, Medicus Alsfeldenſis & hujus operis Interpres, aliquando hic Gieſſæ in veſicula fellea cujusdam fœminæ, ex morte chronico defunctæ, centum quinque & quadraginta calculos invenit, foris ſubflavos & tactu pingues apparentes, intus dentem carioſum referentes, decagonæ partim, partim octagonæ figuræ, eosque ſingulos ſuo in ordine ita ſibi

ſimi-

similes, ac si de industria, manuque opificis quam aptissima, tornati fuerint, ut in *Dodecade Observ.* quam suo *de Submersorum morte sine potu aqua, Tractatui* subjunxit, *pag.* 137. ipse testatur. Ad eum præcipue icterum valent, qui ab ejusmodi lapillis oritur, & in cæteris qualitatibus cum iis conveniunt calculis, qui in vesica fellea adultorum boum inveniuntur, dequibus agetur proxime.

§. 13.

Id verò unum omnium est rarissimum, totos etiam fœtus in utero materno posse lapidescere, cujus rei curiosum exemplum in *Museo Regio Hafniensi Sect. I. pag.* 1. annotatum invenimus, ubi fœtus humanus lapidefactus, quem sartoris cujusdam uxor Senonii in Gallia octo & viginti annos gestaverat, legitur, qui primum à Parisiensi mercatore Gemmario Veneto, ab istoque Anno 1653. Potentissimo Daniæ Regi, Friderico III. venditus est, cujus figura è memorato Museo Regio in Germanicâ Musei hujus editione exprimitur. Peculiares de eô Tr. scripsêre Mons. *d' Aliboux*, *Rousſetus* & *Baubinus*, teste *Guidone Patino* in *Epist. select. n. IX. pag.* 34. cui LITHOPÆDIUM SENONENSE audit.

§. 14.

CUTIS HUMANA

partum difficilem faciliorem reddere dicitur, de qua *D. J. P. Bruno* de *Medicam. ex homine* desumtis eleganter scripsit. Videtur tamen multum superstitionis latere, cùm fortè ipsa strictura aut ligatura tonum fibrarum & partium nervosarum quodammodo irritans & ad labores in partu necessarios excitans, aliquid contribuat; quod ab omnibus aliis vinculis & fasciis expectari poterit.

CAPUT II.

DE

DENTIBUS ELEPHANTI, EBORE CRUDO ET SPODIO.

§. 1.

DENTES ELEPHANTI permagni, longi crassique dentes sunt, exttinsecus flavi, intus albi, quorum singuli interdum duorum centenariorum pondus habent, qualis à Pharmacopola *Vielheurio* in *Descript. Exot Mater. pag.* 189. delinearus visuique propositus est. Magna quantitate ex India Orientali veniunt, & integri æque atque in fragmentis à Materialistis divenduntur.

§. 2.

Quemadmodum nunc leo ex unguibus dignoscitur, ita vel ex solis hisce dentibus miranda magnitudo hujus bestiæ, quæ

ELEPHAS

vocatur, facile potest æstimari, ex cujus superioribus maxillis hi dentes in utroque proboscidis latere, octo ad decem pedes foras prominent, ut sine ulla bestiæ molestia insidere singulis homo queat, uti *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 782. commemorat. Quam tamen longitudinem tantùm mares habere, eaque à fœminis dignosci dicuntur. Bini verò octo, decem & plures alti pedes sunt, tantoque pondere, ut Elephas plus carnis, quamquinque nostrates boves habere dicatur; ut prægrandia ponderosaque ossa nunc silentio præteream, quæ partim in integro sceleto, quod Parisiis juxta Theatrum Anatomicum in Horto Regio videtur, cujusque ante XIV. annos à *Dn. du Verney* una cum ossiculis auditûs, videndi mihi facta copia est: partim solo in capite, quod in mola ferraria Lugduni Batavorum suspensum est, cum admiratione videntur, vivoque adhuc capite aures sex pedes latæ sunt. Alias valde prudens docilisque bestia est, quæ variis artibus, agitandis vexillis, exhibendæ reverentiæ, displodendis tormentis aliisque exercitiis militaribus potest assuescere, qualis elephantus Anno 95. hic ostensus fuit, de quo Clariss. *Sturmius* Aldorfinus Anno 1696. elegantem *Disputationem* habuit, in qua de omnibus reliquis Elephantum qualitatibus uberius agitur, de quibus *Gesneri*, *Aldrovandi* & aliorum egregii *de Animalibus libri* consulantur.

§. 3.

Id saltem prorsus intactum prætereire nolui, quo scilicet modo fera ista ac immanis bestia capiatur, & mansueta fiat, id quod Eques *de Chaumont*, olim Galliæ Regis Legatus, in Regno Siam ipse vidit, & in *Ambassade de Siam Lib. I pag.* 98. secundum circumstantias ita commemoravit: Regem istum elephantum fœminarum mansuetarum aliquem in sylvam mittere numerum, quibus feri se associent, qui tricies aut quadragies mille militibus, multisque elephantis bellatoribus circumdati, ingenti igne displosisque tormentis perterriti, alius post alium capiantur, posteaque in peculiari fovea, injectis vinculis, cicurentur, donec post XV. dies procuratorem seu promum suum agnoscant, eique in omnibus pareant. Quod de iis saltem, qui ex India Orientali veniunt, intelligendum est, dum, qui in Æthiopia & Abessina sunt, minime mite-

ſcere dicuntur, ut Clariſſ. *Dn. Ludolffus* in *Hiſt. ſua Æthiopica* teſtatur, ſub eleganti tamen figura videndum ſiſtit, quemadmodum fructus agrorum cuſtodiant.

§. 4.

Quam magnum ipſi elephanti uſum in Oriente militaribus aliisque officiis præſtant, magnas ſufficiente militum copia munitas turres portando: eo majus ex iſtorum dentibus in Europæos proficiſcitur commodum, quod non ſolum ita dictum

EBUR, *Helffenbein*

ſuppeditant, ſed ad Medicinam quoque adhibentur. Hoc vel in integris dentibus eſt, & Ebur integrum vocatur, vel in fruſtis & fragmentis affertur; è quo artis periti torniones res perpulchras, vulgò *Galanterien*, præſertim majores minoresq; clyſteribus inſervientes fiſtulas, quarum etiam Materialiſtæ faciunt mercaturam, tornant, ſculptores quoque, pectinarii aliique artifices opera ſua conficiunt. Unde tantum Norimbergæ multa millia librarum opificio conſumuntur, ut Materialiſta Norimbergenſis, *Marxius*, in *Mater. Muſ. German. pag.* 92. confirmat. Optimum ex Ceylon venit.

§. 5.

In Medicina primum habemus

RASURAM EBORIS,

quæ haud ſecus atque raſura CC. ad ptiſanas utilis eſt, & ob ſal ſuum volatile in omnibus febribus, ictero, jecoris ac lienis moleſtiis conducit: quibus in morbis etiam pulvis prædicatur. Interdum quoque ebur adinſtar CC. evaporatione friabile redditur, ac philoſophice calcinatur, quod

EBUR SINE IGNE

vocatur, cujus uſus cum priore convenit.

§. 6.

Quando vero ebur recte calcinatum uſtumque eſt, EBUR USTUM dicitur, quod rurſus duplex eſt, unum in aperto igne tamdiu uritur, donec albeſcit & alias

SPODIUM ex EBORE

vocatur, quod foris intusque eleganter album, grave, friabile eſſe, pulchrasque lamellas easque non parvas oportet habere. Vi adſtringente præditum, ut Trochiſci de Spodio, ad fluxum alvi quemcunque, hæmorrhagiam ac fluorem album mulierum prædicatur. Si quando vero in cooperto calcinatur lebete, inſtar carbonis nigreſcit, ut *D. Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 660. oſtendit; è quo cum aqua parvæ rotulæ conficiuntur, quas pictoribus inſervientes Galli Noir de Velour vocant. Ante tamen quam ebur hoc illove modo calcinatur, ſal volatilis ſpiritusque inde prolici poſſunt, poſteaque, quod reliquum eſt ſ. ♀ calcinari, quo nihil pereat.

§. 7.

Interdum etiam magni ejusmodi dentes ac oſſa ſub terra reperiuntur, quæ quod eboris ſimilitudinem exprimunt,

EBUR FOSSILE

vocantur. Similiter extrinſecus flavum, intus album eſt, in lingua tamen flavum. Utrum verò ejusmodi fragmenta à ſepulto in terraque calcinato ebore proveniant, an è pingui aliqua terra ſeu marga Naturæ luſu ita formentur, Naturæ indagatoribus decidendum relinquimus. In lingua friabile, immodice trahens & eleganter album ſit, commemorante *Marxio l. c. pag.* 93. Aliâs ſua & ſubſtantia & virtute cum unicornu foſſili valde convenit, quo de alio in loco agetur.

§. 8.

Ad extremum Simia, quam in figura edit. German. ſe in elephantum noſtrum recepiſſe vidimus, non omnino negligenda, ſed ejus quoque paucis facienda mentio eſt, ſiquidem in iſta valde præſtans pretioſusque lapis ſeu bezoar, qui

BEZOAR SIMIARUM

vocari poſſet, invenitur, cujus grana ſex ſemidrachmam veri bezoar præſtant, adeo, ut unus centenis pretioſior ſit, ut *Tavernierus Lib. II. Itinerarii ſui pag.* 319. commemorat. Hi lapides plerumque vere rotundi ſunt, cum bezoar Orientalis ſæpe longiuſculus aliusque figuræ ſit. Utplurimùm in Inſula Macaſſar reperiuntur, quorum duos *Pometus*, Materialiſta Pariſienſis, poſſidet, quos ſimul cum Pedra Porco pro aliqua maximarum curioſitatum ac divitiarum Europæ habet, ut ex *Appendice ipſius Libri p.* 2. apparet. Aliæ ſimiæ valde noxiæ beſtiæ ſunt, quæ fructus campi valde perdunt, auctore prædicto *Dn. Ludolffo l. c. Lib. I. cap.* 10. *num.* 52. Quæ cauſa eſt, quamobrem iſtius loci incolæ de induſtria iſtis inſidias ſtruant, variisque inſidiis capere ſoleant, quam materiam *Malletus Lib. III. Coſmograph. pag.* 77. pereleganter deſcripſit, aliqua in figura ſiſtit contemplandam.

CAPUT

CAPUT III.

DE

CORNU RHINOCEROTIS.

§. 1.

CORNU RHINOCEROTIS, *Naſen-Horn* craſſum, denſumque ſine cavitate cornu eſt, extrinſecus nigrum vel cæſium, intus albidum & fiſſile, ulnam forte longum, ſed admodum firmum ac grave, & inſtar dimidiæ lunæ incurvatum, infra craſſum, ſupra acutum, ut magnum bovis cornu repræſentet. Per Bataviam Angliamque ad nos venit, & ſicut olim ſingulare quid rarumque erat, ut ex *Schræd. Pharmac. Lib. V. Claſſ. I. Tit. XXXII.* colligitur, ita hodie nihil amplius rari eſt, quum apud omnes Materialiſtas iſtius habeatur copia, uti *Marxius* in *Mater. Muſ. pag* 169. ſcribit.

§. 2.

Hoc cornu è naſo exotici cujusdam animalis creſcit, quod ipſum

RHINOCEROS

propterea vocatum fuit. In India Occidentali reperiundum, magnitudine ſua elephanto parum cedere perhibetur, quanquam breviores dentes habeat, propterea non tam altum ſit, cum elephanto tamen dimicat, quem mediante ſuo cornu, quo iſti abdomen incidit, vincere aptum natum eſt, unde etiam elephanti magiſter vocatur, quamvis & hic ſuum habere magiſtrum dicitur, cujus cornu in *Dn. Nicolai Muſ. Witteberg.* videndum eſt, & cum ipſo animali à *Pareo pag.* 79. ſ. ſ. *Majolo, Camerar. Æliano, Schrædero, Geſnero* aliisque deſcribitur. Ejus forma vere ſingularis & miranda eſt, dum capite apris aſſimilatur, & præter deſcriptum cornu, quod in proboſcide gerit, aliud in dorſo habet, idque multo brevius & ſaltem ſpithamam longum, quemadmodum *Geſnerus* in *Hiſtoria* ſua *animalium* ea in figura, quæ à vivo rhinocerote, Regi Luſitaniæ ex India Lisbonam miſſo, deſumta ac deſcripta fuit, videndum ſiſtit. Iſtius vero corpus multis durisque teſtis inſtratum, & tanquam cataphracta eſſe armatum, ut non ſolum quidam Materialiſtæ & Pharmacopolæ v. g. *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 26. & *Vielheurius* in *Deſcriptione Exot. Mater. pag.* 175. ſed quidam etiam Doctorum ſcribere non dubitant, merum commentum eſt, quod inde exſtitiſſe putatur, quod cutis animalis inſtar elephanti obſcure cæſia ac ſine pilis eſt, in lateribus dorſoque multas profundas rugas habet, quas pictores ſculptoresque rarii ejusmodi conchiformi adumbratione volunt effingi. Unde alii exiſtimarunt duras eſſe teſtas & cataphractas, qualis error jam pridem à curioſo *Wormio pag.* 336. *Muſei ſui* è *Jacobo Bontio, Naturalium Hiſtoriarumque Scriptore Indo* eſt detectus.

§. 3.

Eadem iſtorum opinionis ratio eſt, qui cum *Æliano* credunt, omnes rhinocerotes maſculini eſſe generis, nec ad modum aliorum animalium utriusque ſexus congreſſu propagari. Licet enim nusquam recte deſcriptum legamus, quomodo coëant, ſuosque pullos educent; communi tamen Naturæ curſui adverſatur, ſecundum quem etiam minimum inſectum nonniſi per utrumque ſexum propagatur, id quod *Franciſcus Redi*, doctus Italus, jam pridem in eleganti *Tract. de Generatione Inſectorum* oſtendit. Quis igitur aliam tam immanis beſtiæ generationem ſibi finget? Ut jam non dicam, iſtam S. Scripturæ adverſari opinionem, ac *Plinium* quoque *Lib.* 10. *cap.* 36. de generatione rhinocerotis feciſſe mentionem, ut *Ulyſſes Aldrovandus* in *Hiſtoria Quadrupedum Biſulcorum Lib.* 1. *pag.* 366. obſervavit, diverſas ſimul hujus beſtiæ ſpecies narrans, vel à diverſa regione aut diverſitate duorum cornuum deſumtas, ſiquidem cornua iſta vel ſimul in naſo conſpiciuntur, vel unum ſaltem è naſo prominet, alterum dorſum armat, ut *l. c.* pluribus legitur.

§. 4

Vires hujus cornu cum unicornu conveniunt, in cujus etiam locum nonnunquam ſufficitur, teſte *Zacuto Luſitano Lib.* 4. *Med. Princip. Hiſtor.* 51. Sicuti vero nullum eſt dubium, quin cornu cervi ad inſtar multum ſalis volatilis contineat; ita credibile eſt, iſtius intuitu promovere ſudorem, omnique veneno ut ferunt, ac contagioſis febribus adverſari, iſtasque curare, ſive ejus raſura pulverata detur, aut alio modo uſurpetur. Pretioſa quoque aqua, ut & eſſentia exinde poteſt deſtillari, ut ex *Fabri* & *Bartholeti* ſcriptis *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 796. refert. Non minus calices & pateræ ex illo tornantur, vid. *Wormius* in *Muſ. pag.* 381. è quibus nonnulli vel propterea bibunt, quo ſe ab omni veneno defendant; ubi tamen fides plurimum præſtat.

§. 5.

Cæterum magna datur avis cornifera, ſ. naſo cornu gerens, propterea

AVIS RHINOCEROS

vocata. Quam *Mich. Rup. Beslerus* in *Gazophylacio* eleganter deſcripſit, ibidemque etiam roſtrum una cum cornu delineavit, quæ bina Francofurti ad Mœnum in *Dn. Banſæ* Materialiſtæ Officinâ in Naturâ ſiſtuntur videnda.

§. 6.

§. 6.

Tandem ſimilis aliquis piſcis RHINOCEROS PISCIS vocatus, dicitur inveniri, à *Caſparo Enſen* clariſſimo Luſitano *Lib. 2. Hiſt. Ind. Occid.* deſcriptus. In Medicina, ſimiliter atque avis rhinoceros, non uſurpatur.

CAPUT IV.

DE

CAMELO ET SALE AMMONIACO.

§. 1.

QUam magnum CAMELUS domino ſuo uſum œconomicum præſtat, dum & parciori victu ſuſtentatur, & ſub graviore labore neceſſitate urgente, eſuriei ſitisque patiens eſt; tam parum Materialiſtis Medicisque prodeſt, quippe quibus nihil ſuppeditat, niſi quod quibusdam in locis Camelorum capilli à Materialiſtis vehantur, ad pretioſos pannos pileosque conquirendi, qui de dorſo beſtiæ ſumti, albosque pilos hinc inde admiſtos habentes, cenſentur optimi, uti *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Part. II. Lib. I. pag.* 28. recenſet. Qui tamen quùm hic loci ab aliis mercaturam facientibus vendantur, non opus, ut iisdem immoremur, aut camelum ipſum verboſius deſcribamus, quippe qui partim non adeo rarus eſt, partim à *Geſnero, Aldrovando, Bocharto* aliisque ſufficienter eſt deſcriptus.

§. 2.

Unum ſaltem hic memorandum, ex Veterum innoteſcere ſcriptis, vulgatam fuiſſe opinionem, quemadmodum SAL AMMONIACUM NATIVUM in Libya vel Arabia ex urinâ camelorum calida in arena ſolis radiis coquatur & generetur, quando ſc. peregrinatores ac mercatores ibidem quieſcunt, uti *Marxius* in *Mat. Muſ. Germ. pag.* 188. ſcribit, atque *Pometus* figura æneâ oculis ſubjicit, qui etiam gloriatur, ejusmodi ſal ammoniacum ſe à *Tournefortio* accepiſſe. Equidem diffitendum non eſt, *Plinium Lib.* 12. *c.* 3. ☉X nativi feciſſe mentionem, atque ejusmodi ſal olim inde fortaſſe proveniſſe; Num verò ab urina camelorum generetur, nondum ſufficienter probatum eſt, videturque ſal iſtud majorem cum ſale gemmæ habuiſſe affinitatem, quam cum ☉X co noſtrate, id quod ex proxime præcedentibus ſequentibusque verbis *Plinii* non temerè ab juniore *D. Wedelio* in *Diſp. Inaug. de Sale Ammoniaco pag.* 7. colligitur. Quod ſi verò urina camelorum quid contribuiſſe videatur, nitrum potius uti apud nos, exinde potuiſſet oriri. Minimum certum eſt, Arabicum ac nativum ☉X. hodie ignorari, ejusque ne feſtucam quidem in officinis ac Materialium Muſeis inveniri, ſecundum confeſſionem *Schræderi* in *Pharm. Med. Chym.* ac omnium Materialiſtarum.

§. 3.

Intereà non prorſus inficiandum, hodieque aliis quoque in locis nativum ☉X. reperiri, dum non ſolum Ætna mons in Sicilia ſal nunc album mox flavum exſpuit, teſte *Boconio aux Recherches & Obſerv. Naturell. pag.* 47. 247. ſed ſimile quoque juxta Puozzolo, haud procul Veſuvio, in Italia copioſè invenitur, de quo *Fracaſſatus Diſſert. de Ling. Epiſt. Anatom. ad Malpigh. pag.* 145. meminit, cujusque particula primum à *Dn. D. Schellhaſſio* Cameræ Imperialis Medico, communicata eſt. Quod ſal in omnibus cum ☉X vulgari convenit, atque multo fortiorem ☌ urinoſum ſuppeditat, quam iſtud, quod nonnulli propterea flores ☉X nativos vocant, alii verò flores ſulph. nat. quoniam aliquid ſulphuris continet, ac propterea flaveſcit florum ſulphuris modo. Optandum eſſet, ut ad nos afferri curaretur, iſtique in officinis ac materialium muſeis concederetur locus.

§. 4.

Quùm verò haberi nequeat, ubique SAL AMMONIACUM FACTITIUM uſurpatur, quod ſtriatum, amarumque & acre ſal eſt, ex ⊡, fuligine ☉eque culinari factum, rotundis orbibus ollarum opercula referentibus, fuſum ſeu ſublimatum, hinc inde transvehendum. Utplurimum Venetiis & Antverpia venit, illud tamen habetur melius, ut *Schræderus* jamdum monuit.

§. 5.

Quemadmodum præparetur, *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 349. docet. Recipiunt ⊡ partes quinque, ☉ communis part. j. fuliginis part dimidiam, coq. in maſſam, poſtmodum in ☉X ſublimandam. Quidam equidem exiſtimant, urinam è publicis canalibus Venetiis, aut etiam ab ægris in noſocomiis ſumi; prædictus tamen Auctor id falſum eſſe oſtendit, dum recens ſaltem ſanaque urina ſumitur, quod putrida fœtensque cum cæteris partibus incoqui nequit, ☉ volatili in quo plurimum poſitum eſt, continuo avolante, quo recens urina nondum deſtituitur.

§. 6.

Optimum vere ſiccum eſſe decet, eleganter candi-

candidum, intus & in medio eleganter clarum, nitidum, non nigrum, nec multum ſedimenti habens, uti *Schurzius* in *Mat. Muſ. pag.* 81. loquitur. Quod contra extrinſecus pingue eſt, ſupra infraque nigrum, intus vero cæſium, nigricans & ita pellucidum atque murus ſex pedes latus, necquicquam prodeſt, ut *Pometus* oſtendit. Sal ammoniacum in orbibus melius eſt, atque id in campanis, vid. *Marxius l. c. pag.* 188. Quo fortioris ac penetrantioris odoris eſt, cum calce viva aut cinere clavellato in manu tritum, eo eſt melius.

§. 7.

Valde utile ſal ammoniacum ſal eſt, quò non ſolum tinctores, aurifabri, ærarii, acicularii aliique artifices ad ſua opera, ſed Medici quoque utuntur, quod aperiendi reſolvendique virtute pollet, ac propterea in omnibus à pituitoſo ventriculo ac meſenterio profectis morbis, utpote febribus erraticis, macie, hectica ac ſimilibus perutile eſt, atque externe quoque in angina, ungue oculorum opem præſtat, quo in caſu Oculiſtæ ac Chirurgi aquam ſapphirinam exinde præparant. Sudorem quoque ciet, præſertim ſi alio quodam alkali ſolutum, ſal ejus volat. vel in flores ſublimatur, vel deſtillatione

SPIRITUM ⊖ AMMONIACI

ſuppeditat, qui nihil aliud eſt, quam ☁⊡æ, vi valde penetrante præditus, quam mediante ſanguinem coagulatum ſtagnantemque efficaciter reſolvere, nervos ſpiritusque vitales confortare, ſudoremque pellere valet, atque adeo nobile ad apoplexiam, arthritidem ac paralyſin, ſcorbutum, febres, ipſamque peſtilentiam remedium eſt. Externe quoque naſo admotus, apoplecticos, epilepticos, ac mulieres ſuffocatione uterina affectas exſuſcitat, cum inſtrumento *Glauberi* pudendis muliebribus applicatus, menſes promovet. Ex ejus ☿ SAL HYPOCHONDRIACUM elixiviando poteſt præparari, de quo aliisque præparatis *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd.* in *Chymia Experim. Collegio in Ludov.* aliisque locis copioſè accurateque agit. Conf. *Laboratorium Pariſienſe* cum Annot. noſtris propediem typis imprimendum.

§. 8.

Quam miram hoc ſal virtutem in Chymia & Alchymia præſtet, iis quoque notum eſt, qui vel digitis extremis carbones attigerunt, dum vel ipſum aurum poteſt ſolvere, ſi quando cum ☁⊙ aut ▽ miſcetur, indeque ▽ REGIA præparatur. Imo tam efficax ac volatilis eſt ut etiam tincturas è lapidibus & metallis ſecum in altum trahat, ac propterea à *Baſilio Valentino* aliisque Aquila cœleſtis vocetur. Ejus igitur flores vere ſublimantur, ſi quando vel corallia rubra, lapis hæmatites, aut ♂ aſſociantur; ſublimatum vero ⊖ ☓ cum terra ⊕li dulc. indutum SULPHUR ⊕ ANODYNUM ſuppeditat; cum ære viridi permiſtum ac ſublimatum, ENS ♀ Helmontii acquiritur, à *Boyleo* tam vehementer ad rhachitidem commendatum. Alios labores ſecretiores jam prætermus.

CAPUT V.

DE

UNGULA ET CORIO ALCIS.

§. 1.

UNGULÆ ALCIS, *Elends-Klauen* fuſcæ ungulæ ſunt, de poſterioribus alcis pedibus deſumtæ, ungulis cervinis haud multum diſſimiles, una cum pedibus è Lappia, Suecia & Norwegia, ubi hæc beſtia potiſſimum invenitur, afferri ſolitæ. Olim etiam in ſylva Hercynia vixiſſe creditur, unde fortaſſe permagnum illud cornu alcis, aliquando prope Durlacum in Rheno antiquo repertum, provenit, uti clariſſ. Theologus *Dn. D. Majus* olim Concionator Aulicus Durlacenſis nunc Profeſſor Gieſſenſis, in *Hiſtoria* ſua *animalium* teſtatur.

§. 2.

ALCE non eodem ab omnibus modô deſcribitur, utpote *Julio Cæſare* ratione magnitudinis capræ, ab aliis vero ſcil. *Plinio* aſinis comparatur; qui utrique tamen ex aliorum fortaſſe relatione, quam ex ipſo animalis intuitu id ſcripſerunt. Iis igitur major habenda fides eſt, qui in locis Septentrionalibus vixerunt, beſtiamque ipſi viderunt, quibus *Olaus Magnus*, *Gœbelius* *D. Leopoldus* Junior (qui Diſput. Inaug. de eâ habuit) aliique annumerandi, utpote fidem nobis facientes, alcem non parum cervo majorem eſſe, & fere equum lato cornu præditum referre. Quæ cauſa eſt, quamobrem à quibusdam CÆVICERVUS, ab aliis vero ANIMAL MAGNUM vocetur, & hoc ſub nomine ab *Andrea Baccio* Medico Romano, in peculiari *Tr. de Beſtia Magna* fuſius deſcribatur.

§. 3.

Cæterum permulta de mira natura & proprietate hujus beſtiæ leguntur, quod in terram prolapſa, erigere ſe nequeat, quoniam artubus pedum deſtituatur. Item epilepſia crebrius affici, à qua intruſo ſ. immiſſo in aures ſiniſtro poſteriore pede, continuo liberetur, qui

propterea tanta virtute curandæ epilepſiæ valeat, & quæ ſunt alia ejusdem farinæ. Quæ tamen relationes omnes fabuloſæ ſunt, dum ſupra citatus *Olaus Magnus*, in *Hiſt. Septentrionalium*, teſtatur, alcem valde velocem eſſe beſtiam, quæ ſpatio XXIV. horarum centum milliaria Italica aliquoties emetiri poſſit. Quis vero credet, pedibus minus articulatis id fieri poſſe? quales olim etiam elephanto adſcripſerunt, quem tamen genubus ſe inclinare poſſe, Anno 1695. hic Gieſſæ ipſe vidi. Et qua ratione miſera beſtia, ſi de vulgari ſententia tam crebro epilepſia afficeretur, inque terram prolapſa ſe erigere nequiret, ſibi ferre opem ſponteque ſurgere poſſet? ſiccine ſemper in terra proſtrata jaceat? quî ſiniſtrum pedem auri poſſet applicare? Quanquam hoc ipſum & omne quicquid de iſtius epilepſia dicitur, falſum, purumque ac putum commentum ſit, dum ii, qui naturam hujus morbi intelligunt, facile judicare poſſunt, tanta in paroxyſmo beſtiam nec vi nec prudentia pollere, qua ſibi opem ferat, quippe qua hominem epilepticum ſcimus prorſus deſtitutum. *Gæbelius* quoque qui beſtiam ipſe vidit, de iſtaque integrum librum conſcripſit, valens ſanumque animal eſſe teſtatur. Quamobrem ſatis mirari nequeo, quod non plebs ſolum, ſed clariſſimi quoque doctiſſimique Scriptores, qui de animalibus commentati ſunt, *Geſnerus*, *Aldrovandus*, *Jonſtonus*, imò & curioſus *Wormius* (qui tamen Hafniæ loco Septentrionali docuit) avitæ huic ſuperſtitioni, à veritate ac quotidiana experientia prorſus alienæ, in pretioſis ſuis tractatibus habuerint fidem, quicquid etiam *Baccius* ad iſtorum excuſationem proferat. Qua occaſione Theologos junioresque Paſtores volo admonitos, ut inpoſterum in ſuggeſtu ab ejusmodi fabulis ac mendaciis ſe abſtineant, nec, ut *Franzius in Hiſt. Anim.* fecit, militantem & anguſtatam Eccleſiam cum hac beſtia comparent, neque alia myſteria utpote paſſionem Chriſti, mortemque ac reſurrectionem cum Pelicano, Phœnice aliisque fabuloſis avibus explicent. Hi ſiquidem articuli fidei è verbo Divino ſufficienter probati, ut mendaciis illuſtrentur, non opus habent.

§. 4.

Ex quibus facile colligere licet, nulla intereſſe, dextrine ejusdemque poſterioris pedis ungula ſumenda, ut *Schræderus* ejusque interpres *D. Hoffmannus* volunt, an de ſiniſtro poſteriore decidenda, ut *Pometus* & *Marxius* in *Mat. Muſeis* & *Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Mater.* exiſtimant, dum utræque *Ettmüllero* probantur. Num verò pedes poſteriores anterioribus præferendi ſint, in illosque ſolos virtus redundet, ut prædictus auctor vult colligere, ſuo loco relinquo, mihi certe ejusdem videntur virtutis, modo veri ſint atque ingenui, nec ungulæ cervi, quas circumforanei pro iſtis divendunt, ſubſtituantur, quæ tamen ex pilis pedum dignoſcuntur, qui propterea cum iſtis ſimul veniunt. Non cariosæ ſint, ſed integræ, ſolidæ, ex fuſco nigricantes ac nitidæ, ſecundum *Pometum* in *Hiſt. des Drogues Lib. I. pag.* 24.

§. 5.

Virtus ejus ab ſale volatili pendet, cujus intuitu omnino in epilepſia utilis eſt, ſive ejusdem raſura, ☌, ☉, eſſentia ſumantur, ſive annuli vel amuleta externe uſurpentur, quem in finem ab annulariis ac matris perlarum inciſoribus Norimbergæ conquiritur, uti *Marxius* in *Mater. Muſ. Germ. pag.* 217. commemorat.

§. 6.

Eædem quoque vires

CORNU ALCIS

adſcribuntur, quod ad modum CC. & Unicornu ad variolas ac morbillos, aliosque morbos venenoſos utile eſt, teſte *Hoffmanno* in *Clav. Schræd. pag.* 641.

§. 7.

CORIUM ALCIS, *Elends-Leder*

num eandem opem atque annuli ſolent, in convulſionibus præſtet, ulterius relinquo experiendum; alias ob ſoliditatem & craſſitiem ad loricas & chirothecas Magnatum ſumitur, magnique venditur.

CAPUT VI.

DE

CORNU CERVI CRUDO, USTO, PHILOSOPHICO, OSSE DE CORDE CERVI, AC SIMILIBUS.

§. 1.

EX cervô tam multa in officinis ac Muſeis habentur medicamenta, ut *Pometus* iſtum mundum medicamentorum ac commoditatum humanarum (un monde de remedes, de commoditez & d'avantages pour l'homme) vocaverit; id quod artificialium Muſeum, quod Dresdæ eſt, reipſa oculis ſubjicit, in cujus ultimo conclavi integrum ex cornu cervi uſtô confectum ſcrinium (vulgo cabinet) ſiſtitur videndum, in quô tam multa præparata cornu cervi aſſervantur, ut Pharmacopolium peculiare conſtituere poſſint. Quod *D. Joh. Adolpho Torckenio* cauſa extitit, quamobrem *Diſput. Inauguralem de Cervo* ejusque partibus in Medicina uſualibus conſcribe-

ſcriberet, in qua hoc cæteroquin notiſſimum animal ita deſcriptum, ut verboſior iſtius deſcriptio ſit ſupervacanea, præſertim cum *D. Graba* Acad. Germ. Cur. Collega, in *Elaphographia* ſua pluribus verbis de iſto jam ante egerit. Quamobrem de quibusdam vulgaribus cervi partibus, utpotè axungia, medulla & priapo nihil commemorabo.

§. 2.

Quo iſtarum ſaltem partium plerumque in Materialium Muſeis reperiundarum faciam mentionem, primum crudum

CORNU CERVI ſ. *Hirſch Gewyehe*

multis rebus perutile eſt, quod pro diverſa cervorum ſpecie vel latum, vel ſimplex vel ramoſum obſervatur, ipſisque in ramis tam varie Natura ludit, ut totum muſeum iſtis poſſit adimpleri; quemadmodum arcis Haſſo Darmſtadinæ Metlau, prope Grunbergam omnia conclavia ejusmodi rariſ mirisque cornubus cervinis usque eo referta & exornata ſunt, ut arx pro artificialium Naturaliumque Muſeo poſſit haberi. Similiter etiam in vicino Dillenburgico theriotropheo vivis in animalibus videri queunt. In Medicina ea cenſentur optima, quæ cervi ſponte deponunt, utpote multo ſale volatili prædita, cujus intuitu vim ſudoriferam & alexipharmacam nobilem in ſe continent, & ad morbos contagioſos, febres petechiales, variolas & morbillos conducunt. Quem in finem etiam

RASURA CORNU CERVI

apud Materialiſtas invenitur; quanquam conſultius ſit, ut nobis præſentibus limetur, quoniam cum raſura cornu bovilli poteſt adulterari, id quod prælaudatus *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Part. 2. Lib. I. pag.* 35. non diffitetur.

§. 3.

Inter Præparata ejus

CORNU CERVI PHILOSOPHICE CALCINATUM

valde celebre eſt, duplici modo confici ſolitum; 1. extremitates cornuum perforatæ ſiloque trajectæ, ſi quando aquæ deſtillantur, ſupra in alembico ſuſpenduntur; incredibiliter melius evadit, ſi cornu in deſtillatione herbarum antiſcorbuticarum, utpote naſturtii, cochlear. &c. ſuſpenditur, ut iſtarum ſal volatilis CC. ſe aſſocict. 2. Quando CC. tamdiu in aqua coquitur, quoad friabile fiat; qua occaſione ſimul

GELATINA CORNU CERVI

ex aqua poteſt acquiri, ſæpius præſcribi ſolita. Utrumque ita calcinatum CC. ſ. △. aliquid ſalis volatilis adhuc continet, propterea que multo efficacius eſt, quam

CC. USTUM,

ubi nobilis ſal volatilis in auras abit, niſi

SAL VOLAT. CC.

prius ex iſto ſublimetur, poſteaque caput mortuum uſtione prorſus album evadat; ſuper quod ſal vol. cum tantillo ſpiritus vini altera vice poteſt ſublimari, quo penitus candeſcat. Quo labore

SPIRITUS & ♁ CC.

ſimul ſublimantur, ex quibus cum ſale vol. CC. & ſal vol. ſuccini LIQUOR CC. SUCCINATUS præparatur.

▽ è TYPHIS CERVI

deſtillatione è typhis cervinis teneris, mollibusque ac piloſis acquiritur, quam cordialibus medicamentis annumeratam, ad modum aliorum præparatorum ad venenoſos contagioſosque morbos putant conducere.

§. 4.

Præter CC. apud Materialiſtas etiam reperiuntur

LACHRYMÆ CERVI,

quæ in oculorum angulis, ritu parvorum bezoar lapidum naſcuntur & indureſcunt, quibus cum eædem vires adſcribantur, à nonnullis pro vero bezoar habitæ ſunt, quarum figura in edit. Germ. ſiſtitur contemplanda. Quum vero *Ludovicus*, *Ettmüllerus* aliique iſtas tanquam excrementitias æſtiment, conſultius eſt, ut in morbis contagioſis

BEZOAR CERVINUM (*Hirſch-Kugel*)

ad modum bezoar Occidentalis, in ventriculo & inteſtinis cervorum naſci ſolitum, uſurpetur, cujusmodi lapidem pugni magnitudine haud ita pridem apud amicum quendam vidi, qui foris ex albo pallidus apparebat, & ex multis ſibi invicem impoſitis lamellis, tanquam bezoar, erat coagmentatus.

§. 5.

Porro ad materialia pertinent

OSSA DE CORDE CERVI,
(*Hirſch-Kreutzlein*,)

quæ in cordibus annoſorum cervorum reperiunda, ex induratis fibris circa aortam poſitis conſtant; hæ ſiquidem cartilagineæ aut etiam oſſeæ factæ, cruciformes apparent, quemadmodum ab *Ulyſſe Aldrovando* in *Hiſt. Quadrup. & Paralipom.* delineantur ac deſcribuntur. Utplurimum ex Italia veniunt, atque numero millenario venduntur, uti *Schurzius* in *Mater. Muſ. German. pag.* 67. refert. Eleganter candida, non nimis magna ſint, alias enim ſuſpicio eſt, ab annoſis bobus illa proveniſſe, in quibus ejusmodi oſſa ſimiliter inveniuntur, quibuscum oſſa cordis cervi adulterantur. Hinc eſt, quamobrem in Materialium Muſeis duæ ſortes inveniantur, oſſa de corde cervi vera, & oſſa de corde cervi ſpuria. Pro cordiali ac bezoardico remedio habentur, id quod olim hac in Academia à *D. Adami* in *Diſſ. Inaugur. de Oſſe cordis cervi* uberius demonſtratum eſt.

§. 6.

Num tandem fungi isti, qui vulgo BOLETI CERVINI (*Hirsch-Brunst*) vocantur, huc referendi sint, non temerè quidam Physicorum dubitant, dum ejusmodi terræ nascentia iis in locis etiam inveniuntur, quo cervi nunquam venerunt, & propterea prorsus à vero alienum est, ex cervorum semine æstu ♀eo in terram lapso, istos pronasci, id quod *Jordanus* apud *Ulyssem Aldrovandum Lib. I. de Quadrup. pag.* 346. & *Cordus* in *Wormii Museo pag.* 138. aliique à *D. Hoffmanno* in *Clav. Schræd. L. 4. Sect. 11.* citati Doctores demonstrarunt. Cæterum rotundi, nigri, durique fungi sunt, foris coriacei apparentes, intus nigro pulvere adimpleti, quo mediante quidam balsamum apoplecticum tingunt. Istos vero ♀is excitare cupidinem, falsæ ac præsumtæ opinioni supra memoratæ innititur, istisque salva veritate nihil aliud adscribi potest, quam quod ad modum omnium fungorum paulum inflent, flatus excitent, hocque modo membra genitalia interdum erigere faciant.

CAPUT VII.

DE

FELLE ET LAPIDE BOVINO, SAPONE VENETO ET COMMUNI.

§. 1.

QUoniam in officinis etiam nonnulla medicamenta à bobus orta, inprimis fel tauri exsiccatum, ejusque lapis, in vesica fellea interdum reperiundus, usui necessario asservantur, istorum mentio hic loci non sit omnino nulla. Qui tamen cum ad modum omnium pecorum domesticorum, usque eo noti sint, ut fortasse ridiculum videatur, istorum si fusius describere formam naturamque velimus; pro istis cum curioso doctoque Lectore figuram

BUBALI INDICI,

prout à *Dn. Vito*, Materialista Wormatiensi, qui istam ex India Orientali secum sumserat, mihi data est, in *Museo Museorum Germanicô* communicare volui. Præsertim quum in veterum Zoologiis hæ cæteroquin feri boves non adeo perspicue fuerint descripti, ac propterea à quibusdam recentium Scriptorum sæpe cum uris aliisque confundantur, ut *Joh. Faber* in Collegio Lynceorum Romæ in *Notis* suis in *Nardi Hist. Animal. Nov. Hisp. pag.* 894. observavit. Potior differentia, qua à domesticis nostris aliisque feris bobus distinguuntur, à cornubus desumitur, quæ prorsus retrorsum reflexa seu reclivia sunt, & quasi cervici incumbunt, ut ex figura apparet; quibus propterea tantum nocere nequeunt, atque boves nostrates, quos scimus erectis suis cornubus iisdemque acutis, sæpe hominibus lædere abdomen, ut omentum ac intestina procidant, id quod aliquando in Palatinatu fœminæ quacum mihi cognatio est, accidit. Istis tamen etiam bubali se defensuri dicuntur, potissimum vero pedibus tundendoque nocere, è quorum ungula quidam annulos ad spasmum sibi confici curant, testibus *Schrædero* & *Hoffmanno* in *Clav. Schræd. pag.* 644. Fœminarum vero vulvam moschum redolere, ab exteris propterea unguentis fragrantibus permisceri scribunt, uti *Thom. Bartholinus Cent. I. Epist. Med. 49.* recenset.

§. 2.

Quod ad boves nostrates attinet, nolo jam pluribus verbis de cartilaginibus, in annosorum corde potissimum reperiundis, commemorare, quoniam jamdum Pharmacopolæ nequam istas pro vero osse de corde cervi divendunt, sicut ipse *Pometus* in *Hist. des Drogues Lib. I. pag.* 32. confitetur. Sic quoque opera, quæ describendo

FELLI TAURI INSPISSATO
&
PRIAPO TAURI

datur, supervacanea est, cum omnibus lanionibus innotescant, ab istisque copiose possint haberi. Id saltem non inutile, nec benevolo Lectori ingratum erit, si lapidis vesicæ felleæ in bobus sæpe reperiundi, & à quibusdam

BEZOAR BOVINUM,
Lusitanis *Massang de Vaca*

dicti, paucis adhuc facimus mentionem. Valde levis & spongiosus lapis est, foris intusque obscure flavens, amarus, diversa magnitudine, dum non solum magnitudine ciceris, ut *D. Major* in *Anat. Chilon. fol.* 9. scribit, sed etiam multo major atque ovum columbinum aut gallinaceum reperitur, & sæpe pondere ℥ ij. observatur, qualem haud ita pridem *D. D. Spenerus*, Medicus Berolinensis celeberrimus, mihi ostendit, atque in meo Museo asservo. Verè siccus, colorequè saturatus sit.

§. 3.

Vis horum lapidum in curando ictero, præsertim à lapidibus orto, nobilis est. Et quoniam multum salis volatilis continent, nullum est dubium, quin veri bezoar adinstar ad febres conducant, & magni æstimato pedra porcas substi-

tui

tui queant, id quod in *Polychrestis Exot. Disp. 3. pag. 44.* pluribus ostendi. Qui cum externè etiam sternutationem excitent, & epilepticos expergisci faciant, non adeò mirandum, Turcas ac Judæos summo studio hunc inquirere lapidem, nullumque mactare bovem, in quo istum non quærant. Quanto autem apud Persas in pretio sit vid. apud *Dn. Kæmpferum* in *Amœnit. Exot. Fasc. 2. pag. 393.* Quamobrem optandum, ut lanii Germaniæ, ubi non spernenda boum Hungarorum copia mensam lanioniam subit, diligentius inquirerent, præsertim cum ejusmodi lapides etiam picturæ miniatoriæ tanquam gummi guttæ, usurpari posse perhibentur, secundum *Pometum l. c. pag. 32.*

§. 4.

Ex SEBO BOVINO, sapo conficitur, quanquam etiam ex oleo simplici cum lixivio forti & cinere clavellato possit coqui, utpote sapo niger unctuosus, vulgò *Schwartze Schmeer-Seiffen*, qui tamen ob fœtorem pro pauperibus saltem avarisque præparatur. Durus contra probatusque sapo partim apud nos conficitur, partim ex Hispania & Venetiis affertur.

SAPO VENETUS

iterum diversas sortes habet, distinctis signis notatas, quarum hic loci lunaris (vulgò *Mond-Seiffen*) alibi ungula ursi notatus habetur optimus, ut *Schurzius pag. 105.* & *Marxius pag. 185.* suorum Museorum scribunt. Optimus verè durus, siccus & elegantèr variegatus est, de quò *Pometus Lib. 7. pag. 244.* pluribus agit.

§. 5.

Modum, quò sapo præparatur, saponarii nolunt evulgari. Quoniam verò perutilis & usuraria scientia est, istam in usum matrum familias hic loci volo communicari. Recipe primum septè mensuras (vulgo *mesten*) boni & per cribrum trajecti cineris, in quo in acervum redacto effice profundam foveam. Sume deinde duas mensuras bonæ & recentis calcis vivæ, quam pala in foveam inde & aspergè, & quoties pala calcis una cum aqua inditur, probe ista cinere curetur operiri, eo potissimum in loco, ubi vapor videtur erumpere. Calce prorsus soluta, omnia continuo misce, ac 3. cupæ inde, vel duplici perforato fundo præditæ, qualis cupa ad zythopœiam requiritur, vel farmenta prius imponantur, hisque insternè fœnum, aut stramen, crasso panno tegendum, quod stratum superimpositò circulo muniendum ac deprimendum est. Sume 4. permistum cinerem, eumque in cupam ingestum probe contunde, ut aqua, quæ semihoræ spatio tepide affusa relinquatur, penetrare necesse habeat. Primum lixivium, quod optimum est, seorsim pone, alterum similiter seorsim linque. 5. Ad viginti libras sebi sume quatuor situlas lixivii, inque aheno face incalescere; sebum vero minutim incisum solvatur & tamdiu ebulliat, donec gluten accipiat. Tum 6. sale separa, qui manipulatim injiciatur s. inspergatur, ante vero semper aliquid infundatur aquæ; ad 100. libras sebi mentura salis circiter requiritur. Quando nunc sapo se separavit, ac lixivium clarum de rudicula defluit, vel cum aheno ab igne removetur, ac refrigerari permittitur, vel 8. in cistam quadrangulam, multis foraminibus præditam, intusque panno vestitam funditur, qui refrigeratus sapo mediante filo ferreo in tabulas aut frusta scinditur. Si instar marmoris variegatus desideratur, sub effusione ex aheno aliquid soluti Indici aspergitur, cum illo permiscendi, quo instar papyri Turcicæ striatus evadat. Plura de sapone reperiuntur in *Tachenii Hippocr. Chymicò*, quem hoc in puncto *Zwelferus* temerè ludibrio læsit.

§. 6.

E VACCIS præter butyrum majale haud ita pridem SACCHARUM LACTIS contra podagram & alios morbos innotuit, cujus descriptionem & usum, cum Tractatulo *Ludovici Testi* de eò impresso vid. in *Medicina* nostra *Nov. Antiqua in Append.*

CAPUT VIII.

DE

PELLIBUS VITULINIS ANGLICIS, CORIO GALLICO, ANGLICO, HOLLANDICO ET VULGARI GLUTINE.

§. 1.

POstquam capite præcedenti de bove egimus, vaccarum quoque ac vitulorum faciendæ est mentio, qui Materialistis ac officinis suum quoque communicant. Quùm verò vituli hic locorum nimis citò, & ante 3. hebdomadum ætatem lantantur, ac propterea multis nauseam excitant; non erit operæ pretium, istos si delineare ac describere velimus. Istorum igitur locò vituli Hollandici, ante aliquot annos in Relationibus memorati, qui biennium lac fugerat, delineationem, quam persona aliqua Illustris mecum communicavit, in *Museo* meo *Germanico* dedi contemplandam, præsertim cum frusta, ad assandum sumi solita, pondere 50. vel 60. librarum, multis fortasse appetitum excitârint.

§. 2.

Quoniam verò in Angliâ plerumque magni vituli, ſecus atque in Germania, ubi vituli juſto juniores, felibus haud diſſimiles, mactantur, adeò mirandum non eſt, pelles vitulinas Anglicas præ aliis quæri, pro optimisque haberi, quorum etiam quibusdam in locis mercatura Materialiſtis licita eſt, teſte Materialiſta Pariſienſi *Pometo* in *Hiſt. des Drogues Lib. I. pag.* 32.

§. 3.

Exinde poſtmodum bibliopegi aliique artifices vulgò ita dictum corium Gallicum (*Frantzöſiſche Leder*) ſolent præparare, quando nempe ejusmodi pelles aceto, in quo ferrum vel limatura ferri infuſa eſt, calamò aſpergunt, aut alias maculas imprimunt, ac poſtmodum vernice laccæ oblinunt, quo corium teſtudinem referat.

§. 4.

Non minus Pergamentarii magnas ejusmodi pelles amant, ad iſtam inprimis pergamenam, qua tympana obducuntur; ad reliquam enim, quâ bibliopegi utuntur, vulgares etiam tenuioresque pelles ſufficiunt. Ex pergamenæ inciſuris apta feminarum turba elegantes albos flores, cynosbato pleniori ſimiles apparentes, conficere norunt, quam artem cum valde ſecretam habeant, hic quoque cum curioſis communicabo. Primum igitur ex filo cupreo circuli formantur, ea quidem magnitudine, qua expectantur folia, in iſtis verò relinquuntur hamuli, quibus glutini immergi ac poſtmodum ſuſpendi poſſint. Hinc pergamenæ raſuræ vel inciſuræ, quæ eleganter albæ ſint, in aqua maceratæ coquuntur, donec gluten oſtendant, cui levis candidus pulvis miſcetur, (qui neutiquam ceruſſa eſt, uti quidam impoſtores volunt, dum ſuſcepta materia glutine tegitur, ac continuo excidit,) quo folia ex nubilo candida fiant. Tum prædictos annulos immitte, quo glutinoſa materia inſtar vitri adhæreat: quos de fune ſuſpende, donec foliola fiant ſicca; hæc effringe, eaque ſaliva viridi globulo, ex holoſerico aut alio aliquo agglutina, ut roſa ſylveſtris repræſentetur, quæ & comprimi & explicari ſe patitur, niſi pluviæ injurias experiatur, quæ iſtam inſtar panni lorricum prorſus concidere facit. Gluten mediante ligno Braſilienſi evadit rubrum, flores vero tum centifolia referunt. Si flavi expetuntur flores, pulvis curcumæ addatur, atque tum flavas roſas ſylveſtres repræſentant, cæteris multo rariores.

§. 5.

E modo dictis pergamenæ fragmentis elegans, album purumque gluten ore humectandum (vulgò *Mund-Leim*) poteſt coqui, ſi quando glutinoſum juſculum coctione inſpiſſatur, ac pro lubitu aliquid ſacchari additur; quamvis maxima pars è vulgari glutine quoque ſoleat confici.

§. 6.

Quod ad gluten vulgare attinet, ex ejusmodi pelliculis, quas coriarii & alutarii de variis pellibus deradunt, ſi & è cartilaginibus, tendinibus ac ſimilibus pedum partibus coquitur, certis in formis quaſi in longos aſſeres fundendum, & ſuper expanſis retibus in Sole exſiccandum. Ejus variæ habentur ſpecies, inter quas Anglicum & Hollandicum gluten cenſetur optimum: quanquam etiam Polonicum hic loci valde æſtimetur, quod ſcriniarii, ſi probè quid glutinare volunt, potiſſimum conquirunt. Omne gluten bene coctum ex ſicco vere clarum, pellucidum, ex fuſco rubrum, ſolidumque ſit, neutiquam impurum, grumoſum, nec facile friabile. Prorſus rubrum & flavum foris quidem pulchrè apparent, plerumque verò non ſatis cocta ſunt, ſecundum *Pometum l. c. pag.* 32.

§. 7.

Cæterum in officinis habetur MEDULLA CRURUM VITULI, iisdem fere virtutibus cum ſevô cervinô pollere credita, dum non ſolum emollit, ſed vi etiam leniente & anodyna pollet; quam ob cauſam in febribus calidis ſæpe temporibus inungitur, vid. *Ettmüllerus* in *Comment. Schrad. p. m.* 802.

CAPUT IX.

DE

HIPPOLITHO ET AXUNGIA COLLI EQUINI.

§. 1.

QUemadmodum equi in itinere, bello & agricultura perutilem operam præſtant, ita in Medicina quoque aliquem habent uſum, ut propterea aliquis locus iſtis ſit concedendus. Quoniam verò figura naturaque juxta unicuique innoteſcunt, ac propterea verboſior tractatio ſuperflua videtur; curioſo lectori equum Perſicum, artis equeſtris peritum, in *Muſeo* noſtro *Germanico* dedi intuendum, ex qua apparet, quemadmodum in Perſia equi aptari ſoleant. Scilicet ſimiam aut alacrem canem ſaltare ac præcurrere faciunt, quo equi iſtorum geſtus æmulentur, ut amicus quidam, qui

qui hancce figuram in charta bombycina è Perſia attulerat, mihi narravit.

§. 2.

De differentia equorum jamdum alii, utpote *Geſnerus*, *Ulyſſes Aldrovandus*, *Abſyrtus* &c. verboſius ſcripſerunt, ut hoc ſuperſedere labore poſſimus. Unum monere neceſſe eſt, quod non olim ſolum, ſed hodie quoque exiſtimari, quin imo literis mandari voluit, Equas Luſitanas ſine admiſſione equi à vento imprægnari, quod non ſolum *Columella*, *Varro*, *Plinius*, *Socinus* & *Homerus* &c. de Luſitanis, ſed *Auguſtinus* quoque de Cappadociæ equis narrat. Enimvero meritò admirandum, ejusmodi præclaros doctiſſimosque viros tam apertis fabulis habuiſſe fidem, utpote ſanæ rationi æque ac quotidianæ experientiæ è diametro adverſis. Percontemur Luſitanos, aut eos, qui aliquando ibi fuerunt & audiemus rem pronunciari iſtis inauditam. Imo duo nobiles, (quorum alter Inquiſitionis Fiſcalis erat) Londino Pariſios mecum proficiſcentes, temperare ſibi à riſu non potuerunt, cum id ex iſtis quærerem, id quod etiam Clariſſimo *Le Grand Hiſt. Nat. pag.* 356. accidit. Fabulæ hujus origo fortaſſe à Poëtis provenit, Neptuni equo ob velocitatem ventorum nomina imponentibus, ſecundum *Statii* verſum:

\- - - - - ſtupuere relicti
Nubila certantes Eurique Notique ſequuntur.

§. 3.

Similis vulgatæ fabulæ ratio eſt, pullos modo in lucem editos, lienem linguæ habere impoſitum, quo celeri manu demto, antequam iſtum deglutiant, equum evadere curſu celerrimum. Quod purum commentum eſt, uti cuilibet, qui lienis ſitum naturamque novit, facile eſt judicare. Quæ opinio inde fortaſſe oritur, quod equæ ſtatim poſt partum ſecundinas devorant, quarum fruſtum interdum pulli fronti adhærere obſervatur, quod nonnullis Hippomanes vocatum, ad induranda corpora aliasque illicitas artes perverſe uſurpatur. Quanquam hoc ſub nomine apud *Virgilium* aliud quid intelligatur, quando aliquo in loco ita ſcribit:

Hinc demum Hippomanes vero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum deſtillat ab inguine virus
Hippomanes, quod ſæpe malæ legere Novercæ
Miſcueruntque herbas & non innoxia verba.

§. 4.

Quod ad uſum in Medicina attinet, multa quidem de ſtercore & verrucis equinis poſſent dici, quorum iſtud à vulgo ad colicam, hæ ad ſuffocationem uterinam, epilepſiam &c. non ſine fructu uſurpantur; cum vero omnes libri Medici vernacula ſcripti iſtis pleni ſint, & pharmacopolia ſtercorea typis evulgata, de certis ſaltem partibus memorabimus, quæ vel in muſeis aut in officinis ab equis deſumtæ aſſervantur. Ex iſtis

HIPPOLITHI ſ. *Roß-Stein*

meritò primum locum occupant, utpote lapidibus bezoar forma virtuteque juxta valde ſimiles, ac propterea Bezoar Equinum vocati. In ſtomácho & inteſtinis equorum generantur, ita quidem, ut lamella lamellæ ſemper inſtrata ſit, uti in vero bezoar apparet. In ſtercore equino interdum inveniuntur, ſicuti haud ita pridem Illuſtriſſimus Comes Leininga-Harteburgenſis, glorioſiſſimè Regens, mihi retulit, aluiſſe ſe equum, qui ſæpius lapides bezoar excreverit: id quod in aula Laubacenſi quoque ſæpius obſervatum Collega meus, *Dn. Liebknecht*, Prof. Matheſeos Ord. Giſſenſis, mihi aliquoties teſtatus eſt. Iſtos etiam carnifices in demortuis equis ſæpe inveniunt, qualis mihi oblatus eſt, bezoar Orientali prorſus ſimilis. Alias forma ad Occidentalem magis accedunt, qualem *D. Horſtius* apud Comitem Stollbergenſem ſe vidiſſe in *Notis* ad *Schræd. Pharmac. Lib. I c. 1. pag.* 317. recenſet. In Muſeo quoque Brackenhoferiano quod Argentorati eſt, duo aſſervantur, de equo deſumti, quorum major 45. uncias, alter 12¼. & ⅞. uncias ponderæ æquat.

§. 5.

Cæterum in officinis habetur

AXUNGIA EQUI ex Juba,
ſ. *Kamm-Fett*, *Kamm-Schmaltz*,

quæ hactenus à nonnullis pro equorum ſudore in jubis relictò, habitus fuit, quam ſententiam in *Germanicò* noſtro *Muſeò* quoque ſecuti fuimus. Nunc verò Amicus literis ad me datis aſſeverat, anxungiam hanc è tumore illo ſteatomicò, quo Equi nonnulli in collo corripiuntur (quem vulgus *den Kamm* & *Speck-Hals* vocat) proficiſci, ita ut poſt mortem Carnifices axungiam hanc inde eliquare ſoleant. Laudatur aliàs in luxatione artuum, cumprimis autem pedum ſubluxatione. vid. *Schræderus c. l.*

CAPUT

CAPUT X.

DE

TORNA SANGUINIS ASININI, BEZOAR MULINO, CORIO GRANULATO INDORUM SEGREIN ET EJUS PRÆPARATIONE.

§. 1.

MUltis fortaſſe videbitur iniquum, ſi quando in hoc Amphitheatro Societatis frugiferæ, nempe aſinorum domeſticorum, nullam omnino facere mentionem velimus, ſiquidem nec in Principum aulis, in quibus iſtorum lac ad phthiſin & hecticam bibitur, deſpiciuntur, ſanguis etiam aſininus in officinis aſſervatur, qui longis, tenuibus & convolutis fragmentis linteis tornæ ſolis adinſtar, exceptus, propterea etiam

TORNA SANGUINIS ASININI

dicitur. Quem in finem tamen probe depurgata nec aliâs uſurpata lintea ſumenda, quibus pone aures aſini extractus ſanguis, excipiendus exſiccandusque eſt, qui ultra annum non durat, uti *Hartmannus* in *Praxi Chymiatrica pag.* 30. commemorat.

§. 2.

Huic ſanguini, præter vim diaphoreticam, peculiaris certaque virtus furorem maniamque curandi adſcribitur, quando poſt vomitum, V.S. &c. hocce linteum duorum digitorum latitudine, pollicis verò longitudine aquæ fontanæ vel anagall. infunditur, iſtaque aqua tres dies continuos ægro ad expectandum ſudorem exhibetur. Quò remedio prædictus *Hartmannus* fabrum lignarium, *D. Michael* Lipſienſis Maniacum in aula Altenburgenſi curavit, teſte *Hoffmanno* in *Clav. Schræd. pag.* 642. De ungulis aſini cæterisque partibus *Dn. D. Paullini* in curioſo *Tract. de Aſino* poteſt legi, ubi iſtarum deſcriptio & uſus uberius reperitur.

§. 3.

De mulo tanquam illius ſpurio, parum aut nihil officinas & materialium muſea ingreditur, niſi quod in quibusdam muſeis magnus lapis, in iſtius ſtomacho interdum reperiundus, appareat, qui quod è multis ſibi invicem impoſitis lamellis lapidis bezoar adinſtar, conſtat, iisdemque fortaſſe virtutibus præditus eſt,

BEZOAR MULINUM

poſſet vocati. Talis mihi aliquando oblatus eſt, qui foris quaſi aliquo reti ex albis fibrillis obductus, intus vero glaucus apparet, de quo jamdum in *Diſp de Pedra Porcas* memini.

§. 4.

Huc etiam pertinent

ASINI SYLVESTRES (*Wald-Eſel*)

quorum diverſæ ſunt ſpecies. Pulcherrimus in Æthiopiâ inveniundus ZECORA vocatur, quem *Dn. Ludolffi* in *Hiſt. Æth.* eleganter deſcriptum delineavit, cujus caput Francofurti in Materialiſtæ *Banze* domo videre eſt. In Arabia quoque aliqua datur aſini ſpecies, duobus longis nigris cornubus, fere inſtar unicornu formatis, è fronte prominentibus; PIRASSOIPI vocant. Cornua ſimiliter à curioſis aſſervantur. Alius adhuc ſpeciei aſini in Perſiâ & Indiâ reperiuntur, ex quibus

CORIUM GRANULATUM INDORUM, vulgò SEGREIN,

Schagren & chagrin præparatur, quod tamen non ab uno, ſed diverſis animalibus, utpote equinis, mulinis & aſininis pellibus, ſive onerarii, ſive ſylveſtres ſive montani aſini ſint, JURAGAR dicti, conficiuntur, uti ex Clariſſ. *Herberti de Jager*, Societatis Hollandicæ in India Orientali Inſpectoris ſ. Præſidis Mſc. qui hujus rei prorſus peritus erat, intellexi. Unde apparet Pariſienſem Materialiſtam Petrum *Pometum* id nominis certo cuidam aſino ſylveſtri temerè adſcripſiſſe, quem in *Hiſt. des Drogues P. 2. Lib. I. pag.* 39. ſiſtit delineatum. Certum tamen eſt, præter equos & aſinos, aliorum animalium pelles minus eſſe idoneas, quæ debito modo præparari, impreſſionemque ſeminis recipere & retinere poſſint.

§. 5.

Quâ vero ratione hæ pretioſæ pelles præparentur, hucusque à nemine quod ſcio, accuratè deſcriptum eſt; cum curioſo igitur Lectore totum Proceſſum una cum neceſſariis inſtrumentis, in Perſia ab amico quodam notatis hic communicabo, quem *Dn. Kampferus* prædicto *Dn. Jagero* è Perſia attulit, verbis Germanicis à nobis nunc Latinè redditis, comprehenſum:

1. Pellis ſuper ſcabello coriario, mediante ſcalpello coriariorum, more ſolito depurgatur, & ab reliquiis carnoſis carnoſi panniculi ſparſim adhuc adhærentibus, à cauda etiam & pedibus liberatur. Quæ inciſuræ in hac prima & ſequenti præparatione decidentes, à coriariis parietibus agglutinantur, & exſiccatæ linteonibus divenduntur, qui iſtis ad defricanda fila lintea ipſamque telam utuntur, ſi ex iſtis coctione prius aquam glutinoſam confecerint.

2. Pellis una aut pluribus noctibus in aqua maceratur. Id quod in magnis lapideis ollis, eum in finem terræ impoſitis peragitur. Quando

do ſufficienter macerata eſt, pili modo vulgari abraduntur.

3. Hinc de integro maceratur, ac poſtea ſuper ſcabello coriario per partes iterum raditur, & in latere cicatricoſo (*Narbe-Seiten* vulgo) tam profundè, ut fere dimidia pars & usque ad fundum tenax membranoſum abſcedat.

4. Quando nunc pure & æqualiter raſa, & ab omni heterogeneitate depurgata eſt, ſine ulla mora, & dum adhuc humida exiſtit, ſuper terra in Sole expanditur, & mediantibus ſudibus ligneis, per foramina ſub fine prædictæ operationis jamdum inciſa, eademque ſpithamæ longitudine ab ſe invicem diſtantia, attrahitur affigiturque, ita quidem, ut latus cicatricoſum, ubi cicatrix ſ. inæquale fuit, ſupra reſpiciat. Quoniam autem pellis in medio ſæpe cavernoſa ſ. declivis fit, globulus è terra vel pulvere infra conceditur, quo pellis ſecundum omnes partes bene ſit expanſa.

5. Tum pauca aqua aſpergitur, ferroque dentato vel lamina (arré vocant) de novo ſcalpitur, quo glutinoſæ reliquiæ, firmiter adhuc adhærentes, penitus abſcedant. Ne vero dentium impreſſiones ſ. veſtigia relinquantur, ultimo iterum aqua aſpergitur, & æquali prædicti inſtrumenti dorſo fricatur.

6. Quando fundum ita album & æquale evaſit, continuo, dum adhuc humet, aliquot manipuli Iſperecki ſeminis, ex Kermann advecti, medio pellis imponuntur, ac ſcopulis ſetaceis celeriter & tarde diſtribuuntur & diſperguntur, ita ut ſemen ſuper iſta nec coacervatum ſit, nec ullum relinquatur punctum, quod ſemine non ſit tectum. In margines tamen abdominis, quoniam vel nimis tenues ſunt, aut nulla impreſſione queunt notari, nullum diſpergitur ſemen. Rotundus igitur margo relinquitur, à ſemine vacuum cordisque formam repræſentans, uti ex figura in *Muſ. Germ.* apparet. Scopulæ vero ſetaceæ, quibus ſemen dividitur, pars ſunt cutis de cauda equina vel mulina deſumtæ, cujus pili ſibi inſtrati tam curte abſciſſi ſunt, ut inferiores longiſſimique pili digiti longitudinem non excedant. Diſtributo ſemine, quod reliquum & ſuperfluum eſt, & non adhæret, ſcopulis & ferro dentato caute removetur. Tum pelli duplicatæ coactæ lanæ inſternuntur, ſemenque nudatis pedibus firmiter attruditur, ſed tamen caute, ne coactæ lanæ diſcedant, removendoque ſemine pellis deſœdetur. Quæ tamen calcatio non in omnibus pellibus neceſſaria eſt, ſed in iis ſaltem, quæ nimis craſſæ ſunt, ſibique imprimi à ſemine veſtigia, aut impreſſa retinere recuſant.

7. Exſiccata in Sole pellis, quod dimidium æſtivum, totum vero hiemalem diem requirit, laxatur ab expanſione, ſemen decutitur, quod cribro à pulvere depurgatum in futurum uſum aſſervatur. Quæ firmiter inſident grana, arido baculo decutiuntur. Cum verò ſemihoræ ſpatio pellem verberare ſoleant, propterea id fieri exiſtimo, quo iſta evadat tractabilior.

8. Hæc pellis ita ſiccata eo in latere, in quo ſemen inſperſum erat, ſuper ſcabello coriario, quam tenuiter fieri poteſt, iterum abraditur, ut fere pellucida fiat. Quem in finem aliud inſtrumentum adhibent, anſa præditum, quod Tiſchti vocant; ſub uſu circa aciem ſæpius cote atteritur, ſicuti ſtraminiſecæ noſtrates perpetuo falces ſuas ſolent acuere.

9. Deinde convolvitur & complicatur, atque utraque manu ita per ſe, qua poteſt laboris vehementia ſuper genubus terendo tractatur, haud ſecus atque caligæ coriaceæ poſt lotionem ſolent conteri, quo fiant complicabiles & tractabiliores. Moleſtus & fortaſſe tædioſiſſimus labor eſt, qualis in toto proceſſu non datur.

10. Quò factò, aquæ immergitur ſ. humectatur, quo prorſus molleſcat, atque tum Schuræ ſ. ut alius vocat, Schurækat (album nitroſum minerale eſt, quod haud procul Iſpahan aliisque locis multis Perſiæ hunc in finem effoditur) in latere carnoſo, in latere autem cicatricoſo Maſu aſpergitur, aqua humectatur & teritur. Nulla tamen refert, ſi quando aliquid prædictæ materiæ in alterum latus decidit. Tum pellis complicata, tanquam linteum in lotura, ſuper depurgato pavimento utraque manu volvitur, agitatur, quo materia eo melius penetret. Prædictum Maſu albus vel potius cineraceus pulvis eſt, de quo nihil certi mihi cognitum eſt, niſi quod tritus quidam fructus ſit, à certa quadam arbore in Meiſtan & circa Hamadan reperiunda. Gallæ eſſe videntur, vel nuces cupreſſi, Faſel, vel ſimiles fructus adſtringentes.

11. Hæc pellis ejusmodi materiâ macerata ſuper exiguo flammæ igne à duabus perſonis tenetur, & per partes trahitur, quo mediante mediocri calore ſe contrahat, & ſignaturæ ſe elevent. Qui labor cito abſolvitur, ita ut vix tanto temporis ſpatio, quo Oratio Dominica poteſt recitari, ſuper flamma teneatur.

12. Tunc tertiò adjicitur, qui iſtam ita calide complicatam ſuper terra utraque manu, ut ante, volvit & tractat. Ubi notandum, proceſſum à numero 10. ad finem magnam requirere pellium copiam, unoque die abſolvi. Hinc duæ perſonæ radunt, binæ infoſſas pelles ſuper igne trahunt, easque tertiæ adjiciunt, quæ pelles volvit.

13. Poſt hæc iterum in latere carnoſo probe deraditur, quoniam ſe contrahit, & in prædicto latere inæqualis facta eſt. Tum de integro Maſu & aqua (non verò cum Schuræ) aſpergitur, quo ſignatura mediante hac adſtringente materia magis elevetur; quibus factis de novo ſuper igne extenſa tenetur, removetur, & ut Num. 12. porro ſuper pavimento volvitur.

14. In latere carnoſo iterum ſcalpello coriariorum raditur.

15. Soli exponitur, & ſiccatur.

16. Scalpello coriariorum ſicca hinc inde inciditur, præſertim in extremitatibus, ubi rugæ ſe elevarunt, verbo: ubi pellis ſe nimium contraxit, & inæqualis facta eſt.

17. Quæ rugæ porro ſuper alabaſtro alio quodam lævigato lapide cuduntur & æquales redduntur.

18. Poſtmodum fruſto fractæ ollæ tinctorum (ejusmodi enim fragmenta convexa ſunt iſti operationi apta) teritur, utrinque per partes volvitur, coloresque (qui plerumque Kermauſch-herbæ ſunt, ac pinguedinem in momento tingunt) ſimul illinuntur, atque iterum teſta agitatur, non tamen adeo vehementer, ne cicatrix foveoſormis lædatur. In volvendo ſimplici, ſed commodo, artificio utuntur, interponendo coriaceum rotundum lorum, ut ex figura apparet.

19. Tinctura pellis denuo pauliſper Soli exponitur.

20. Tandem ſuprema manus pro complemento ultimam cocco dat unctionem, iſtique ſplendorem conciliat. Adeoque in hoc proceſſu artificium leve, inſtrumenta ſimplicia, laboratorium vulgare, operatores inferioris conditionis, labor ſordidus, productum purum præſtansque eſt.

§. 6.

Aliàs duplex è Turcia venit corium granulatum, unum prorſus glaucum eſt, & melius habetur, alterum album, quod vilius. Optimum Conſtantinopoli venit, magis æſtimatum præ illo, quod Alkairo & Tripoli mittitur. Aliquod etiam è Poloniâ affertur, quod tamen nec quicquam prodeſt, quoniam ob nimiam ſiccitatem alumen non recipit, ſi quando colore debet imbui, eoque nigro, viridi vel rubro, qui ultimus cariſſimus eſt, utpote è Vermillon & Carmino oriundus. Quo majores planioresque ſunt pelles, eo magis æſtimandæ, præſertim quando pulchra, pura ac rotunda grana, nulla ſpecula, i. e. glabras maculas, habent. Videndum etiam, ne Corduanum, corii granulati in modum præparatum, pro iſto ematur, quod inde cognoſcitur, ſi quando cutis ſeparatur ac decidit, id quod in corio granulato non contingit, uti *Pometus c. l. pag.* 40. docet.

§. 7.

Uſus ſatis innoteſcit, dum pretioſi libri & pugillares iſto mediante compinguntur, varia integumenta (vulgo *Fuderalen*) pro horologiis itinerariis, cochlearibus & ſimilibus vaginæ gladiorum cultrorumque, aliaque pretioſa ornamenta inde conficiuntur, quæ Londini in loco conveniendis Mercatoribus deſtinato, (Exchange dicitur) Pariſiis au Palais, & alibi copioſè inveniuntur.

CAPUT XI.

DE

MOSCHO.

§. 1.

MOSCHUS (*Biſam*) ex nigrô glauca ſ. ſubfuſca grumoſa materia eſt, inſtar ſanguinis grumoſi apparens, ſaporis ſubacris & ſubamari, odoris fortis & fragrantiſſimi. In fuſcis & piloſis marſupiis (in quibus vel naſcitur, vel inſuitur) è Chinâ, Perſiâ & India Orientali affertur.

§. 2.

Quanquam quidem certum & jam ſatis notum eſt moſchum exotico cuidam animali debere originem, de indole tamen formamaque animalis juxta atque origine moſchi in iſto valde diverſæ foventur opiniones. Quidam iſtud feli comparant, prout *Zeilerus* in *Itinerario Italico* illud catum moſchiferum vocat. *Amatus Luſitanus*, habitâ ratione magnitudinis, illud lepori aſſimilat, ab aliis tamen propterea valde irridetur. Plurimi ad capreolum accedere exiſtimant, illudque propterea CAPREOLUM & GAZELLUM MOSCHIFERUM vocant: quanquam nec ad capras, nec cervos pertineat, quin potius peculiaris animalis ſpecies appareat, ſecundum judicium *Sam. Dalei* in *Zoologia pag.* 570. Variæ interea iſtius habentur delineationes, è quibus à Clariſſimô *Dn. D. Schræckio*, Præſide Societatis Cæſareæ Nat. Cur. in *Hiſt. Moſchi p.* 45. communicata, optima & maxime accurata eſt, quam de pelle Gazelli moſchiferi, (qualem etiam *Dn. Ludolfi* Francofurti poſſidebat) Auguſtam Vindelicorum delata, deſumſit. Ex figurâ verò Ejus apparet hanc beſtiam acuto capite, curtis auribus, ac duobus longis dentibus ornato, qui haud ſecus atque apris ex ore prominent, præditam, corpus habere anguſtum, obſcure fuſca pelle, ea quidem maculoſa, circumdatum, valdeque longos macilentos pedes, ut adeoque vehementer celere ac fugitivum eſſe animal videatur. Quæ cauſa eſt, quamobrem prædictus *Schræckius* iſtorum amplecti nolit opinionem, qui huic animali pigrum tardumque curſum volunt adſcribi: quæ ſententia inde fortaſſe oritur, quoniam in hyeme, deficiente

ob

ob altam nivem nutrimento, valde macilentum ac debile evadit, ut facilimè possit capi. Fructibus, utpote oryzâ ac similibus, partim etiam peculiari ac fragrante radice, qualis mihi oblata est, se sustentat, quam prominentibus suis dentibus è terra excidit, uti in supra citata *Historia Moschi Schræckiana pag.* 43. fusius docetur.

§. 3.

Quod ad ipsum moschum attinet, variæ de istius generatione sunt opiniones, dum multi existimarunt istum in ulcere seu folliculo purulento inferius in abdomine animalis generari. Alii ex testiculis putant consistere, quibus marsupia, in quibus venit, quodammodo similia sunt. De quorundam sententia ex sanguine coagulato, aliisque Gazelli moschiferi partibus, artificiosè creditur componi. Quæ tamen sententiæ omnes ita simpliciter non admittendæ, dum certum indubiumque est verum moschum à Natura in rotundo isto folliculo, quem animal naturaliter & ordinarie infra in abdomine pone posteriores pedes gestat, mediantibus glandulis, in isto reperiundis, à sanguine separari generarique, ac per certas venulas in cavitatem folliculi distribui, in quam moschus tum ita confluat, ac fuscæ pelliculæ intergerinæ adhæreat, id quod supra laudatus *Dn. Schræckius l. c.* eleganter examinavit. Folliculus plerumque foris pulchris, obscure fuscis ac splendentibus pilis cingitur, qualem, eumque integrum, possideo. Interea credibile, est Indos testimonio plurium fide dignorum Scriptorum, verum moschum vel cum sanguine coagulato, aut aliis animalis partibus miscere, formaque verorum moschi folliculorum istius animalis cuti insuere, atque adeo pro veris folliculis ad nos transmittere, præsertim quum Pharmacopolæ varias fibras carnosasque partes in istis inveniant, moschum diversis aquis soluturi, uti *Joh. Faber* in *Annotat. in Hist. Animal. Nov. Hispan. Recchi p.* 561. ex relatione recenset. Ejusmodi fragrantissimum moschum, sola bestiæ verberatione, ex sanguine, sine additione veri moschi, oriri posse, nondum demonstratum est.

§. 4.

Num verò præter moschum Orientalem, hactenus descriptum, etiam Occidentalis ex India Occidentali ferendus existat, de sententia *Schurzii* in *Mat. Mus. Germ. pag.* 65. & *Catelani* Pharmacopolæ, vel propterea prorsus incertum est, quod ne ullus quidem Americæ Historicus ejus facit mentionem. Lusitani autem, qui istum transmittere dicuntur, æque facile genuinum moschum ex Oriente possunt habere. Si quis vero istum postea Occidentalem vocare velit, cuique integrum est. Tres igitur sortes, quas Materialistæ constituunt, possunt admitti, nempe Moschus de Levanti, carissimus: Moschus Alexandrinus, mediocris, & Moschus de Ponenti, vilissimus ac permistus creditus, teste *Schurzio l. c.* Omnes, quanquam in suis adhuc sint folliculis, probè custodiantur, ac de quorundam Materialistarum opinione in plumbeis pixidibus asserventur: cui tamen intentioni etiam stanneæ ac vitreæ satisfaciunt, uti *Dn. D. Schræckius pag.* 91. ostendit.

§. 5.

Quoniam autem moschus sæpe etiam in Europâ ab Judæis aliisque adulterari, ac cum muscerda, sanguine hirci, pane usto, ladano similibusque solet permisceri, id quod in *Pharm. Aug. Proleg. c.* 17. fuit observatum, diversa fieri solent experimenta, quibus fraus possit detegi, quæ tamen tantæ fidei non sunt, quibus omnino fides sit habenda. Vulgatissimum est, ut moschus super igne teneatur, qui si omnis avolat, bonus, sin aliquid relinquit, adulteratus creditur. Quod tamen tunc solùm procedit, quando terra permista est: quodsi vero sanguis aut aliud quid additum fuerit, pauxillum remanet. Eadem aliorum experimentorum est ratio. Quamobrem *Pometus*, Materialista Parisiensis, in *Hist. des Drogues Lib. I. pag.* 17. melius dare consilium nescit, quam ut moschus ab ingenuis probisque hominibus ematur, neutiquam à Circumforaneis, Nautas ac similes homines se profitentibus, qui ex India Orientali modò veniant; hi enim non æstimando pretio moschum divendunt, ex quo tamen, utpote adulterato, satis habent lucri. Interea curemus, ut ne in emendis integris folliculis pellis nimis crassa sit, nec nimium habeat pilorum, hi autem vere fusci sint: albi enim folliculi minus probantur. Id vero observetur, num tenuis fusca pellicula, cujus supra facta est mentio, per medium moschi extensa sit, quod indicium est moschum ita natum esse. Qui extra folliculos ex nigro glaucus existit, non humidus & tenuis est, præterea fortissimo odore (in multis hæmorrhagiam narium excitante) pollet, habetur optimus, uti *Marxius* in *Mat. Mus. pag.* 125. scribit; qui vero nimis suaveolens est, non probatur, quoniam aliis rebus permistus & debilitatus est, secundum *Pometum l. c.*

§. 6.

Virtutes moschi maximam partem in valde volatilibus salinis oleosisque particulis consistunt, iisdemque valde calefacientibus, resolventibus, spiritus vitales confortantibus, istosque ac sanguinem in motu progressivo perpetim conservantibus: quo nomine moschus ad lethargum, apoplexiam, melancholiam similesque capitis affectus egregiè proficere creditur. In multis etiam pectoris morbis, utpote asthmate, syncope, palpitatione cordis utilis est, quippe cui nullum fere medicamentum præferendum, quod ad roborandum cor magis valeat; nota quoque confectio alkermes virtutes suas potissimum moscho & ambræ refert acceptas. Num vero etiam in pestilentia conveniat,

uti quidam existimant, aliis videtur dubium, adeo, ut *Guibertus* in *Medico Officioso pag.* 212. moschum in pestilentia magis noxium esse credat, cui *D. Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. p.* 795. assentitur. Non minus stomachum confortat, flatus dissolvit, colicam sedat, aliosque abdominis dolores. Membra quoque genitalia virorum mulierumque, nisi naturâ ab rebus fragrantibus abhorreant, calefacit; quæ causa est, quamobrem multa pretiosa medicamenta, ad varios morbos, in officinis ex isto præparentur, à *D. D. Schræckio* sæpius laudato fusius *l. c.* adducta & descripta. Quam præstantia vero pretiosaque ornamenta & suffumigia exinde conficiantur, unicuique notum est, dum isto mediante non solum diversarum specierum cortio, linteo aliisque similibus mercibus odoris conciliatur gratia, sed etiam libri rudes, si aqua glutinosa unico saltem moschi grano impregnata fuerit, odore grato imbuuntur; ubi tamen notandum, ne in prædictos usus nimium sumatur moschi, alias enim odor evadet nimis fortis & adversus, uti *Pometus l. c.* bene monuit.

CAPUT XII.

DE

BEZOAR ORIENTALI.

§. 1.

LAPIS BEZOAR ORIENTALIS valde tener, friabilis ac lævissimus lapis est, diversæ magnitudinis & figuræ, foris viridiusculus, vel ex viridi nigricans, intus ex multis tenuibus tenerisque lamellis, sibi invicem incumbentibus, ut cepa, constans. Non adeò notabilis odoris est, atque ex Persia & India Orientali affertur, teste *Philippo Baldæo*, in *Beschreibung der Küsten Malabar & Coromandel. c. 16.*

§. 2.

De origine horum lapidum olim diversæ fuerunt opiniones: Nonnullis videbantur lacrymæ cervorum, quæ in canthis oculorum tanquam gummi indurescant, & ejusmodi lapides evadant. Enimverò quanquam diffitendum non sit inveniri ejusmodi lacrymas, quæ alibi una cum cornu cervi sistuntur delineatæ: hodie tamen extra controversiam positum est, lapides bezoar longe aliam rem esse & ab exoticis quibusdam animalibus provenire, in Persia Indiaque Orientali reperiundis, iisdemque partim capræ, partim cervo similibus, quæ propterea vocantur

CAPRI-CERVÆ.

Hæc animalia valde fera fugitivaque esse, ab una rupe in aliam prosilire, capite corporeque instar hirci, sed parvis pilis ornata, curta & versus extremitatem quasi crispula cauda prædita, pedibus capram referre, ac bina nigra eaque crispa cornua gestare perhibentur, quæ una cum pedibus *Dn. Pometus* Parisiis suis ipse manibus tractavit, istaque juxta ac totum animal, ex itinerariis fide dignis, in *Hist. des Drogues Lib. I. p.* 10. delineavit ac descripsit.

§. 3.

Quoniam autem hæ Capri-cervæ ad ruminantia animalia referuntur, horumque ritu 4. habent ventriculos, fieri solet, ut in primo ventriculo nodulis caulibusque herbarum aromaticarum, quibus vescuntur, mucilaginosæ pellicullæ sensim adhæreant, & lamellatim sibi invicem increscant: unde est, quod pro varia nodulorum cauliumque figura lapides Bezoar nunc rotundi tum oblongi fiant. Qui lapilli magnine an parvi sint, & quot istorum uno in animali inveniantur, incolæ, qui ista capiunt, ex externo intuitu judicare, istorumque respectu æstimare animalia dicuntur. Clarissimo *Taverniero* aliquando 6. animalia ab incolis clam fuerunt adducta, in quibus 17. lapides reperti sunt, id quod in *Itinerario suo p. 318. part. 2.* fusius descripsit.

§. 4.

Hic verò adhuc notandum, ejusmodi lapides (juxta nonnullos) non ita nudos in ventriculo aut excrementis inveniri, sed in piloso quodam sacculo seu pellicula, foris asperis curtisque ac fuscis pilis consita, magnitudine ovi anserini. Præterea cum alia tenui, albo duroque putamine crescunt, quod *Pometus*, qui istud ipse vidit manibusque tractavit, in figura æneâ sistit intuendum, ubi Lit. A. exteriorem asperamque cutem, Lit. B. album durum putamen, Lit. C. inclusum lapidem significat. Hinc est, quamobrem prædictus Materialista conjiciat in quocunque animali unicum saltem inveniri lapidem, huncque tam rarum carumque esse, præsertim cum nec omnia animalia lapides contineant: cui tamen opinioni supra laudatus *Tavernierus*, quoad sacculum autem pilosum *D. Kampferus* contradicunt.

§. 5.

Quùm interea hi lapides bezoar in Europa majori copia & minori pretio haberi possint, atque in ipso Oriente, teste *Ettmüllero* in *Comm. Schræd. pag.* 775. non potest non fieri, quin ab impostoribus per artem conficiantur, vel adulterentur

rentur, qui vel bezoar equinum, ad Orientale similitudine prorsus accedens, istius loco divendunt, aut ex certis gummatibus, radice contrayervæ permistis & lamellatim agglutinatis, artificiosè, sed fraudulenter parant, uti *Ulysses Aldrovandus* in *Mus. Metallico pag.* 808. & *Worminus in Museo pag.* 112. testantur, qualis in *Museo Calceolarii* sistitur videndus.

§. 6.

Ad quam evitandam fraudem varia excogitata experimenta sunt, quibus genuinus & naturalis lapis bezoar ab adulterato & artificiali dignosci debeat, quæ partim ab *Sarazeno* in peculiari *epistola de Notis Bezoar*, partim etiam à notis Materialistis: *Schurzio*, *Marxio* & *Pometo* in suis Materialium *Museis* fusius adducuntur. Verus & genuinus quasi lævigatus & viridiusculus apparens, tritus & pulveratus plerumque ex nigro viridis manet. Chartæ, creta aut cerussa signatæ, affrictus viridiuscule flavet. Aquæ injectus istam quasi ebullire facit & sudorem cict. Lapides contra si calida in manu vel calida aqua graviores aut leviores fiunt, adulterati putantur & artificiosi, sicuti supra memorati auctores atque *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. p.* 651. pluribus ostendunt.

§. 7.

Cæterum in officinis & Materialium Museis duæ habentur sortes s. species, nempe integrum bezoar, & ejus fragmenta, isto paulum viliora: quanquam Materialistæ sæpe etiam ex frustis integros conficere lapides possint, dum quidam mihi confessus est, se, cum Pharmacopola quidam sibi cognatus, emendo officinam aliquam, multum bezoar Orientalis pulverisati assumsisset, ex isto integrum bezoar formasse, & ita divendisse. Tanta hominum detescere volentium fraus est! Mundus vero vult decipi.

§. 8.

Qui similisque dolus causa extitit, quamobrem multi clarissimi Medici parum in Bezoar ponant fiduciæ, istud sua in praxi prorsus postponant, adeo, ut *Zwelferus* in *Append. ad Disp. Aug. pag.* 65. ingenuè confiteatur, in praxi sua quadragenaria se ne unciam istius usurpasse; id quod etiam *Simon Paulli* in *Quadrip. Botan. pag.* 16. de aliis clarissimis Practicis commemorat. Quin imò nonnulli, utpote *Guibertus* au *Discours de la Peste pag.* 478. ex multis aliis affirmandum sumit, istum ipsum lapidem in pestilentialibus aliisque contagiosis morbis non solum inefficacem esse, sed etiam prorsus nocivum.

§. 9.

Nihilò tamen minus plebs, ac ii potissimum, qui nisi earum non æstimant, bezoar tanquam idolum venerantur, cujus gratia Medici fortasse omnia alexipharmaca, sumto ab isto nomine, bezoardica vocarunt, licet ne unicum quidem granum sit permistum. Quam ob causam plures Doctissimi viri inducti sunt, ut integros *Tractatus de Bezoar* scripserint, è quibus *Barbinus*, *Deusingius*, *Hyeble*, *Monardes* Latinè, *Catelanus* verò, Pharmacopola, Germanice scripserunt, qui ultimus supra meritum mercem suam commendat. Multò verò prudentius priores judicant scriptores, qui ad unum omnes huic lapidi vim sudoriferam & alexipharmacam adscribunt, quam, si genuinus est, intuitu herbarum aromaticarum salisque sui volatilis, nemo prorsus illi denegabit, modo vera dosi, non vero ad aliquot grana, sumatur, quæ mira non præstabunt. Num vero etiam externe alligatus aut suspensus venenum attrahat, hominemque à peste ac similibus tutum præstare possit, uti *Boëtius à Boot pag.* 368. *Lib. de Gemm. & Lap.* scribit, nunc non sumo inquirendum.

§. 10.

Cæterum cum uni testi oculato plus tribuendum sit, quàm auritis decem, addo hic ea, quæ *Kempferus* meus (qui venationi horum animalium interfuit) in *Amæn. Exot. Fasc.* 2. *de Lap. Bezoar* Orientali habet, cujus verba ita sonant: *Lapis Bezoar Orientalis* verus & pretiosus *Pasahr* Persis dicitur, ex quo nobis vox *Bezoar* enata est. Sceptici nostri Philosophi nomen petunt ab Hebræo בזהר *bahal*, quod dominum, & Persico *Sahr*, quod venenum significat, & lapidem veneni domitorem vocant. Sed hæc ex similitudine vocabulorum efficta derivatio est. Patria ejus præcipua est Persidis provincia *Laar*, & in eâ montium illud jugum, in quo nunc versamur: dehinc vicini montes urbis *Daraab* & vici *Sjaharum*. Ferax præterea *Chorasmia* esse dicitur, iis præsertim in montibus, qui occupant districtum urbis *Sabsavvar*. Genitrix est fera quædam montana caprini generis, quam incolæ *Pasen*, nostrates capricervam nominant, destituti voce, quæ utrumque sexum exprimat. (*Iconem vide in Tab. ad Lib.* 3. *cap.* 18, *num.* 1.) Animal pilis brevibus ex cinereo rufis vestitur, magnitudinem capræ domesticæ, ejusdemque barbatum caput obtinens. Cornua fœminæ nulla sunt, vel exigua; hircus longiora & liberalius extensa gerit, annulisque distincta insignioribus, quorum numeri annos ætatis referunt. Annum undecimum vel duodecimum rarò exhibere dicuntur, adeoque illum ætatis annum haud excedere: reliquum corpus, à cervinâ formâ, colore & agilitate nihil distert. Timiditissimum & maximè fugitivum est, inhospita asperrimorum montium tesqua incolens, & ex solitudine montanâ in campos ratissimè descendens. Et quamvis plures regni regiones inhabitet, lapides tamen bezoarticos non gignit. *Casbini* (emporium est regionis *Irak*) pro coquinâ nobis capricervam, vel ut rectiùs dicam, hirco-cervum prægrandem, vendebat venator, qui à me quæsitus: non audivisse se, respondebat, bestiam illic lapidem unquam fovisse, quod & civium, quotquot per-

cunctatus ſum, teſtimonia confirmabant. Vidi illic in Magnatum manibus bezoarticos eximiæ magnitudinis, nec minùs probatiſſimi coloris & figuræ, quos ſe obtinuiſſe affirmabant ex *Coraſaan*, ſive Choraſmiâ. Præſens jugum, in quo feras inſidiari ſumus, longè in Auſtro Occidentem, longiùs in Orientem protenditur: ibi in partes diſtinctum, *Kuhi Bonnà*, *Debrefiò* & *Murkumeh*, dictas, hîc in *Kuhi Sjaaskèn* (cui ad auſtrum jungitur *Kuhi baas*) *Gelleſtaan* & *Baarſi*, ſive *Tenguun*, velut jugi Orientalem, ab una vel ampliùs diætâ, terminum. Quæ verò partes, tametſi capricervas alant promiſcuè, non omnes tamen herbas ferunt, ex quibus depaſtis lapides generari, atque ii quidem æquè nobiles poſſint: ſed ſolus ex earum numero eſt mons *Baarſi*, qui ut pluribus aliis, ita quàm maximè abundare dicebatur herbis reſinoſis alexipharmacis, generando lapidi materiam foventibus, quarum eſu caprarum ſylveſtre genus maximè delectatur: nimirum *Serringiâ* ſucco glutinoſo referta, qui apprehenſam paleam illico tenaciſſimè involvat: *Iſſirachù*, ſpecie quadam nobiliore ejus plantæ, quæ reſinam tribuit Perſicæ compoſitioni laccæ obſignatoriæ, & *Dermînâ Turki*, i. e. Sementina Turcica, alterâ illâ, quam Perſicam appellant, multò præſtantiore. Hinc nulla ibi ex prædictis beſtiis datur ætate provecta, quæ lapidem non contineat, cùm in ceteris hujus jugi partibus (Ductorum verba refero) ex denis, in montium diſtantioribus ex quinquagenis, in ceteris, extra Larenſem provinciam, ex centenis vix una ſit, quæ lapide dotetur, eoque utplurimùm exigui valoris. In hircis lapides majores & frequentiùs inveniuntur, quàm in fœminis. Lapidem ferre judicantur annoſi, valde macilenti, colla habentes longiora, qui gregem præire geſtiunt, circumſpectiùs incedunt, & inſidias, magis atque ſodales, metuunt: quod idem de fœminis affirmabant. Addebat alius, incertæ auctoritatis, etiam ſupercilia ac lineamenta frontis obſervanda eſſe, quæ ſi inſigniter nigricent, præſentiam lapidis confirmare. Beſtiæ utprimum perfoſſæ linguam inſpiciunt, quæ ſi ſolito deprehendatur aſperior, de præſente lapide nihil ampliùs dubitant. Locus natalis eſt pylorus, ſive productior quarti, quem vocant, ventriculi fundus, cujus ad latus plica quædam, ſive ſcrobiculus, mucoſo humore oblitus, lapillum ſuggerit. In aliâ ventriculi claſſe, (prout in ruminantibus diſtinguuntur) quàm ultimâ hâc, inveniri negabant. Utrum caſu hîc ſibi hoſpitium paret, jam alibi formatus, an in eo loco generetur, ſive illapſus retineatur & augmentetur, non habeo, quod ex Venatorum obſervatione referam. Credunt, quos plicarum alveoli non ſatis amplectuntur, elabi pyloro poſſe & cum excrementis excerni: quin formatos interdum diſſolvi rurſus, præſertim longiori animalis inediâ. De diſſolutione non poſſum, quin obſervationem hîc inferam Cl. Domini *Jageri*, Viri ob inſignes in linguis & rebus Aſiaticis notitias nunquam ſine veneratione nominandi. Is mihi teſtatus eſt, ſe, dum in regno *Gólkonda* degeret, gazellas vivas recenter captas manu ſuâ perquiſiviſſe, & contrectato abdomine lapillos palpaſſe, in unâ geminos, in alterâ quinos, vel ſenos. Has ille beſtias pro contemplatione ſuâ alere decreverat, camerâ hoſpitii ſui incluſas. Verùm quòd ab omni pabulo abſtinerent & quaſi perire quàm ſaginari captivæ mallent, mactari eas juſſit, inediâ aliquot dierum marcentes. Tum verò, lapillos ubi exemturus erat, eorum ne veſtigium ampliùs invenit; ex quo illos à jejuno viſcere, vel alio quocunque modo, diſſolutos credebat, cum nec excrementa diligenter perquiſita eos redderent. Diſſolutionem nullo poſſe negotio fieri perſuadeor, ſiquidem certum eſt, lapides, in loco natali viventis bruti dum latent, nondum gaudere petroſa, quam nobis exhibent, duritie, ſed molliores eſſe & quodammodo friabiles, ferè inſtar vitelli ovi, fervente aquâ ad duritiem longiùs excocti. Hoc propter recenter exſectus, ne improvidè frangatur, vel attactus nitorem perdat, ab inventoribus conſuevit ore recipi & in eo foveri aliquandiu, dum induruerit, mox goſſypio involvi & aſſervari. Aſſervatio nî primis diebus cautè fiat, periculum eſt, ne, adhuc dum infirmior, importunâ contrectatione rumpatur, aut labem recipiat. Generationem fieri conjiciunt, cùm reſinoſa quædam ex herbis depaſtis concoctisque ſubſtantia ventriculorum latera occupat, quæ, egeſtis cibis jejunoque viſcere in pylorum confluens, circa arreptum calculum, lanam paleamve conſiſtat & coaguletur. Ex primo circa materiam contentam ſtamine efformandi lapidis figura pendet, cujus anguli blanda compreſſione, quam à cavitate hoſpitii patitur, in pulvinatam cogitur lævitatem: niſi etiam rotunditatem obtineat ex motu, tum fermentantis alimenti, tum viſceris periſtaltico, qui eum continuò agitabat, dum interim, acceſſione novi glutinis, lamellis aliis atque aliis per intervalla temporum augetur, & in aliqualem molem accreſcit. Ratò hic plures uno uni innaſci beſtiæ dicebant: ſi contingat parvos eſſe, quales mihi à ductore datos dixi, geminos repertos à ſe in uno ventriculo. Bezoarticum tunicatum *Cl. Domini Pomet. Hiſt. des Drogues Lib. 1.* rariotis exempli eſſe judico, qualia etiam de calculis extant, repertis in veſica humanâ. De virtutibus lapidum quid tenendum ſit, ex dictis quodammodo pateſcit: nimirum eximias, Perſarum judicio, poſſident illi, qui originem debent plantis alexipharmacis montium: exiguas, qui herbis inodoris & campeſtribus. Signum ex colore ducunt, & viridantes, cœruleos, vel in alterutrum colorem nigricantes, ex præſtantiſſimis herbis genitos & virtute efficaciſſimos prædicant: pretioſiſſimos etiam, ſi forma acceſſerit æqualis & rarior, qualis eſt rotunda,

poſt

poſt eam ovata, denique cylindracea. Qui lutei, rufi & diſcolores ſunt, aut qui tuberculis lanam produnt incluſam, eos natura ex viliori luto finxit, haud magnam præſtituros efficaciam. Ceſſat proinde *Ambroſii Parei* obſervatio, quâ, ad explorandam virtutem lapidis alexipharmacam, reo mortis arſenicum primò, mox pro antidoto lapidis pulverem propinabat, deteriori, quam quisque expectaverat, eventu. Non enim omnes bezoartici lapides æquè ſunt virtuoſi & alexipharmaci, & qui ſunt, facultatem non tam adverſus venenum minerale, quàm animale & vegetabile exſerunt, quale miſero non fuerat propinatum. Notam legitimi lapidis profitentur, ſi volæ manus cinere aſperſæ, vel cretâ oblitæ affrictus lineam inducat luteam, vel ex luteo viridantem: Hæc illis Lydius eſt, quo veritatem ſimul ac bonitatem explorant. Acûs candentis admiſſio, quæ Cl. *Joh. Sebrædero* placet, fallax bonitatis teſtis eſt, quia, ſi adulterini ex reſinoſa conſtruuntur maſſa, acum utique admittent: legitimi verò plerique ita indurati ſunt, ut acum candentem reſpuant. Mei certè, quos in natali monte comparavi & genuinos ſcio, vix candentis acus veſtigium recipiunt, ſed attactu ignis diſſiliunt. Non eſt nota factitii lapidis, ſi interiores laminæ deterioris ſubſtantiæ & coloris fuerint: ea enim ex diverſitate alimenti diſparitas provenit, dum genitrix beſtia locum paſtûs mutat. Pro genuinis ego habeo eos, qui inter reſinæ & lapidis ſubſtantiam ita ambigunt, ut contuſi, in acido nitri vel ſalis ſpiritu diſſolvantur, ac menſtruum colore ſatis rubente ſimul ac virtute ſuâ imbuant; quâ ratione ex iis paro liquorem bezoarticum, cujus paucas guttulas cum aquâ Cinamomi, Julapio, aliove vehiculo commodiſſimè exhibeo. Virtutes lapidi easdem Perſæ, quas noſtri tribuunt; quin facultatem etiam declinandi morbos, & prolongandi vitam, ſi à bene ſanis ſub auſpicio faventis aſtri aſſumatur. Multis hinc ſolenne eſt, ut ſub ipſo anni ingreſſu (quo cœlum creditur proniſſimô vultu mortales aſpicere) modicam pulveris doſin confidenter aſſumant, perſuaſi, hoc remedio radicale vitæ humidum, quod dicunt, foveri in annum poſſe. Ceterum uſus in curationibus apud hujates Medicos non æquè creber eſt, quàm apud noſtrates: margaritas ſubſtituunt, ubi nos lapidem præſcribimus. Nec enim in Pharmacopœiâ *Muſaffr ibn Mahhammed el Hoſſein*, quæ illis, prout Germanis *Auguſtana*, in uſum recepta eſt, ullam invenio compoſitionem, quam bezoarticus lapis nobiliret. Interim tamen digniori in loco eſt apud ipſos, quàm apud Europæos. Vix incidi in hominem alicujus nominis, qui rariorem lapidem inter cariora ſua non aſſervaverit. Pretio lapides hîc conſtant admodum caro, ſiquidem ſelectiori forma & colore gaudeant. Ex his, qui unius *Meſcal*, ſeu drachmæ, pondus obtinent, à gemmariis *tumæno*, ſive quindecim uncialibus veneunt: quod verò pretium, exemplo unionum, diſpari aſſurgit proportione ponderis, ita ut omnem aliquando æſtimationem exſuperet. Ex lapidis raritate & pretio facile colligimus, bezoarticos, quibus in pharmacopœjis Europæi utimur, non eſſe Perſicos, vel ex eorum numero, qui à capris bezoarticis *Paſen* nomen ſortiuntur, ſed vel ex aliis animalibus, vel ſub alio cœlo degentibus depromtos & ſuppoſitos.

Ad hanc claſſem refero illos, qui in capris *Abù*, quanquam rarius, inveniuntur: plerumque lutei, rufi & diſcolores, ſæpe tubere uno vel gemino bullati, inæquales & informes ſunt, minoris adeoq; virtutis & pretii. Ipſum animal (*vid. in Tab. 2. & num. 2.*) à cervis nihil habet diſſimile, præter barbam & cornua non ramoſa, quibus ſe caprino generi adiociat. Cornua ſunt ſimplicia, atra, rotundis annulis ultra mediam usque longitudinem diſtincta, lævia & quaſi ad modulum tornata, in mare quidem ſurrecta, pedalis longitudinis, in medio levi arcu disjuncta, faſtigiis rectis, mutuò utcunque imminentibus: in fœminâ verò perparva vel nulla.

Inter ſuppoſititios etiam numero exemtos ex variis brutis ſylveſtribus Indiæ Orientalis: quale ex caprina claſſe eſt animal, quod bezoarticum vocat *Bontius*, à ſe viſum in arce Bataviæ. Ego ſimile vidi in areâ præliminari ejusdem arcis, quod verò ab *Abù* Perſico nihil differebat, niſi quòd maculæ candidiſſimæ, more tigridum, totum corpus pingerent: qualis etiam decor venuſtabat duas capreolas, totidemque platycerotes, eidem areæ, velut vivario, incluſos. Ex his & ſimilibus cornigeris montium Indicorum, præſertim eorum, qui verſus ſeptentrionem Malabariam claudunt, & ad promontorium *Comerein* protenduntur, ſequioris conditionis lapides, vulgo *bezoar* dicti, copioſi eximuntur, & in manus Europæorum, illic viventium, non rarò confluunt. Chirurgus, in illo littore diu moratus, lapidum, quos ſucceſſivè coëmerat, integram libram venalem mihi offerebat, ſed quos inter nullum reperi, qui genuini Perſici bonitatem colore ſimul ac figurâ exprimeret. Huc ſpectat Lapis omni Indico ac vulgari Perſico præſtantior, recepto à Luſitanis nomine *Pedra bugia*, i.e. lapis Simiæ dictus, de quo *alibi*.

CAPUT

CAPUT XIII.

DE

BEZOAR OCCIDENTALI.

§. 1.

LAPIS BEZOAR OCCIDENTALIS ſcaber & plerumque cineraceus lapis eſt, diverſa magnitudine & figura, ex multis ſibi invicem impoſitis lamellis, multo craſſioribus quam in Orientali, concretus, intus vel cavus, vel ſemina, aciculas ac ſimilia continens. Ex India Occidentali, præſertim Peru, ab Hiſpanis ac Luſitanis affertur.

§. 2.

Hi lapides in diverſis animalibus inveniuntur, quos *Fonſeca* ſeptuplices deſcribit, ex iſtoque *Barth. Ambroſinus* in *Muſ. Metallico Ulyſſ. Aldrovandi pag.* 806. Utplurimum vero in aliqua rupicapræ ſpecie invenitur, ab *Hernandezio*, hujusque interpretibus, in *Hiſt. Rerum Med. Nov. Hiſp. pag.* 325. in figura oculis ſubjecta, optimeque deſcripta. Iſtæ vero rupicapræ ſuperius ex flavo fuſcæ ſunt, inferius albæ, parvis iisdemque acutis cornubus præditæ, uti ex figura apparet omnium optime; & quanquam *Boëtius de Boot Tract. de Lap. pag.* 365. huic beſtiæ nulla velit adſcribere cornua, *Hernandezio* tamen, rem accuratiſſime deſcribenti, potior habenda fides eſt.

§. 3.

Hic autem notetur Bezoar lapidem non in omnibus reperiri animalibus, ſed in annoſis ſaltem rupicapris, dum ſtomacho adhærens ſuas ſibi invicem inſtratas lamellas ſucceſſive multorum annorum ſpatio acquirit & nanciſcitur, à bonis efficacibus herbis, quibus animal veſcitur, oriundas. Quæ cauſa eſt, quamobrem hic lapis non ubique, ſed iis ſaltem in regionibus, in quibus ejusmodi herbæ creſcunt, his in beſtiis reperiantur, aut certe non ejusdem omnes lapides ſint efficaciæ, uti *Hernandezius l. c.* fuſius ſcribit.

§. 4.

Lapidum differentia partim à colore, partim ab externa figura, à magnitudine partim deſumitur. Ratione coloris plerumque incani ſunt, interdum nigricant, coloreque albo permiſti ſunt, aut ex viridiuſculo variegati, teſte *Schrædero* in *Pharmac. Medico-Chym. Lib. VI.* Externa figura variat, propterea, quod nonnulli rotundi ſ. ovales, quidam quadranguli, qualis ſupra dictâ in figura delineatus eſt, plures autem apud Aa. citatos ſiſtuntur contemplandi. Non minus magnitudo variat, qua fere omnes lapidem Bezoar Orientalem ſuperant, ovum columbinum, interdum gallinaceum æquantes: qualem in Tabernis Gemmariorum Perſiæ & Arabiæ ſe vidiſſe teſtatur *D. Kæmpferus* in *Amœnit. Exot. Faſc.* 2. *pag.* 397. Imo *Georgius Segerus* in *Epiſtol. Bartholin. Cent.* 2. *Ep.* 79. commemorat ſe vidiſſe Hamburgi Bezoar Occidentale magnitudine capitis humani, 23. digitorum latitudinem tranſciſſum continens, pondusque 6¾. ℔. adæquans: quod adeoque majus eſt iſto, cujus, utpote ovum ſtruthionis æquantis, *Wormius in Muſ. pag.* 110. meminit.

§. 5.

Hic verò quæritur, adulteraríne Bezoar Occidentale & per artem præparari poſſit? Sunt, qui negant, quoniam intus forisque variegatum, & ex variis coloribus permiſtum eſt, uti in *Muſ. Metall. Ulyſſ. Aldrov. l. c.* commemoratur. Enimvero *Hernandezius* contrarium affirmat, perſpicuis verbis pronuncians lapidem Bezoar Occidentalem æque ac Orientalem artificioſè præparari: de quo tamen non æque atque de Orientali timendum, dum hi lapides copioſius inveniuntur, nec tanti veneunt, atque Orientales, niſi inſigniter magni ſint, qui Magnatibus Principibusque raritatis cauſa divendendi pretio affectionis æſtimantur, ſicuti *Boëtius à Boot* in *Hiſt. Gemmarum pag.* 371. ſcribit; hinc inſignis iſte lapis bezoar, ſupra memoratus, primum Hamburgi 6000. Imperialibus, poſtmodum verò dimidio fuit æſtimatus.

§. 6.

Experimenta hujus bezoar cum iſtis, quæ Orientali ſuſtinenda ſunt, maximam partem conveniunt, excepto colore, qui in hoc diverſus eſt. Qui ſubviridiuſculus Orientalis adinſtar apparet, pro optimo vult haberi, uti *Schrœderus l. c.* meminit, præſertim ſplendentibus ſtriis intus ornatus, more ſacchari ſaturni, quod *Pometo* in *Hiſt. des Drogues l.* 1. *c.* 14. bonum apparet ſignum. Qui ex Peru Inſula veniunt, multo habentur meliores iis, qui ex Hiſpania Nova afferuntur. In defectu verò Bezoar Occidentalis genuini bezoar cervinum, vel lapis in cervis reperiundus, ac ſimiliter fere formatus ſecure in uſum trahitur, utpote iisdem virtutibus præditus, ſecundum *Ettmüllerum* in *Comment. Schrœd. p.* 776.

§. 7.

Virtutes hujus lapidis cum Orientalis qualitatibus valde conveniunt, dum hujus ad modum omnibus venenoſis ac peſtilentialibus morbis adverſatur, epilepſiam juvenum ſenumque curare, vires roborare, calculum partumque ciere, etiam in digito geſtatus, ac ſomnum procurare dici-

dicitur, adeo, ut à nonnullis tanquam panacea ſ. medicina univerſalis ad omnes morbos commendetur, exiſtimantibus, optimi Medici ſe defungi poſſe partibus, hunc ſi poſſideant lapidem, teſte *Hernandezio l. c.* Num vero hic Occidentalis etiam laxet, uti *Schræderus l. c.* putat, jam inquirere nolo, dum ejusmodi virtus fortaſſe ab artificioſo & cum gummatibus adulterato fuit obſervata, neutiquam veris & genuinis aliis lapidibus, qui intuitu ſalis ſui volatilis diaphoretica magis ac nervina virtute pollent, ex qua prædictæ operationes omnes derivantur.

CAPUT XIV.

DE

ÆGAGROPILIS, LAPIDE DAMARUM ET SANGUINE HIRCINO.

§. 1.

PILÆ DAMARUM ſ. ÆGAGROPILÆ, *Gemſen-Kugeln*, oblonge rotundæ ſunt, & interdum quodammodo compreſſæ pilæ carneæ, magnitudine fortaſſe nucis avellanæ, foris glauca ſeu fuſca coriacea pellicula cinctæ, intus autem è multis fibrillis conſtantes, odore valde grato aromatico, ſapore ſubamaro. Ex Tyrolenſibus Helvetiisque montibus afferuntur.

§. 2.

Damæ, in quibus inveniuntur, vehementer feræ naturæ ſunt, valdeque altos montes rupesque aſcendunt, Rupicapræ propterea vocatæ. Magnitudine capram noſtratem æquant, nigra, exigua, extremitatibus hami adinſtar incurva cornua habent, usque eò acuta, ut iſtis ſe ſcalpturæ, iſta ipſa interdum ita podici immittant, ut exinde mori dicantur. Alias rupibus, iſtis mediantibus, ſe adhærent, quas acutis pedibus currendo aſcendunt. Veſcuntur aromaticis herbis & radicibus, præſertim doronico, ex quo ægagropilæ dicuntur naſci, uti Clariſſ. *Welſchius* in peculiari *Tract. de Ægagropilis* docet.

§. 3.

Iſtæ Ægagropilæ ex relictis herbarum ac radicum fibris naſcuntur, & quidem in primo & ſecundo ventriculo, dum damæ ad modum omnium ruminantium animalium quatuor ventriculos habent, à ſupra laudato *Welſchio l. c.* æri inciſos & oculis ſubjectos. Interea notandum ejusmodi pilas non in omnibus animalibus, ſed in iis ſaltem inveniri, in quibus ad iſtarum generationem neceſſarium acidum, pilas conſtringens, & quaſi coagulare faciens, invenitur, uti Auctor citatus in *Appendice* ad *Schræderi Pharmacop. pag.* 5. explicat.

§. 4.

Ejusmodi pilæ ex India quoque afferuntur, in rupicapris Indicis reperiundæ, qualem perelegantem magnamque *Marxius* Windsheimiæ apud Kornefferum Pharmacopolam vidit, magnitudine infantilis capitis, rotundam, levem, pondere aliquot unciarum, ſplendenti lapidi bezoar, quam pilæ damarum ordinariæ ſimiliorem, uti in *Mater. Muſ. pag.* 160. refert. Inter vulgares tamen ægagropilas etiam interdum quædam inveniuntur lapidea cruſta quaſi circumdatæ, more bezoar lapidum, nunquam fere pugno majores. Qua in re *Welſchium Schrædero* videmus contrarium, has pilas nunquam nuce juglande majores eſſe exiſtimanti.

§. 5.

Vis harum pilarum calefaciens eſt ac reſolvens, qua ſtomachum, caput ac nervos confortant: ut adeoque iis, qui vertigine per eſſentiam & per conſenſum ſtomachi orta afficiuntur, optime conveniant, cum etiam doronicum, ex quo conſtant, in ejusmodi morbis commendetur. Simul etiam convulſionibus nervorumque contractionibus medentur, partumque promovent, teſte *Ammanno* Tr. *de Mat. Med.* Inprimis ſudorem ac venenum pellunt, ad modum lapidum bezoar, ac propterea etiam BEZOAR GERMANICUM vocantur. Optandum eſſet, ut, quoniam melius viliusque poſſunt haberi, ac multo efficaciori odore pollent, pro lapide bezoar uſurparentur, utpote iisdem, imo melioribus, virtutibus prædita, in febribus continuis & contagioſis perutiles, in dyſenteria quoque aliisque alvi fluxibus non contemnendæ, quoniam ſimul paulum adſtringunt. Ad X. vel XII. grana aſſumuntur. Num de collo ſuſpenſæ à fame ſitique defendant, imo corpora impenetrabilia præſtent, uti quidam, neſcio qua ſuperſtitione ducti, exiſtimant, riſum magis quam fidem excitat. Qui vero de uſu harum pilarum plura ſcire deſiderat, is relationem legat ab amico quodam Saltzburgenſi cum *Dn. de Hochberg* communicatam, & ab hoc *Lib. XII. dem Adelichen Land- und Feld-Leben pag.* 731. inſertum.

§. 6.

Cæterum aliquem damarum lapidem, ſed rarò, dari exiſtimant, qui in peculiari pellicu-

la prope hepar reperiatur, foris albicet, intus verò prorſus albeſcat, quoniam, de iſtorum ſententia, ex albo chylo ibidem coaguletur & induretur. Inprimis in partu difficili & epilepſia commendatur, uti *Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 774. ſcribit. Cùm verò apud Materialiſtas & in officinis nondum inveniatur, in iſto explicando non morabimur.

§. 7.

Caprarum noſtratium domeſticarum lac interne ad podagram, phthiſin & morbos ſimiles utplurimùm uſurpatur, de quô in capite de lacte aſinino jam actum fuit. Externè ſtercus caprillum ad tumores hydropicos & ſimiles adhibetur, in officinis tamen neutrum extat.

§. 8.

SANGUIS HIRCINUS

adhuc memorandus eſt, qui ſiccatus in officinis extans non à vulgô ſolum, ſed à multis etiam doctis Medicis ad ſanguinem coagulatum, pleuritidem, calculum &c. valde commendatur, id quod *Dn. D. Ettmüllerus l. c. pag.* 773. fuſius explicuit.

§. 9.

Qui ſanguis ut vere efficax acquiratur, Clariſſimus *Helmontius* hircum pedibus poſterioribus ſuſpendit, & ex inciſo ejus patrimonio ſanguinem colligit, in Sole poſtmodum vel in vaporis balneo ſiccandum, vid. Ejus *Tr. Septupl. Digeſt. alim.* §. 75. Alii etiam ſanguinem ſumunt ex collo, ſi quando hirci laniantur, qui æque bonus eſt. Nulla quoque refert, iſtene ſanguis qui primum profluit ſero ſtipatus, an medius, aut ultimus ſumatur, modo lente & ſine uſtione exſiccetur, uti *Dan. Ludovici* in *Pharm. pag.* 167. Tenax ſit, tritus autem fuſcus appareat.

§. 10.

Quò verò hic ſanguis præſtantiorem vim antinephriticam acquirat, hircos quidam plantis calculum pellentibus, utpote ruta muraria & ſimilibus, aliquamdiu alunt, quod *D. Oswaldi*, Medici Oenipontenſis, arcanum ad veſicæ renumque calculum fuiſſe, *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 748. refert. Quamobrem etiam *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Part.* 2. *Lib.* 1 *cap.* 13. *pag.* 35. ſanguinem hircinum Julio Menſe ſuadet colligendum. Hunc ſanguinem tantæ eſſe efficaciæ, ut adamantem molliat, ſecundum traditionem veterum, ego ſane ne quidem ulli perſuadere queo. Stagnantem contra coagulatumque ſanguinem ſale ſuo volatili diſſolvere, propterea que adverſus omnes contuſiones, caſus, dolores lateris, inflammationem pulmonum morbosque ſimiles conducere experientia confirmat. Melior habetur ſpiritus & ſal volatilis inde deſtillatus, quocum etiam oleum tranſit, externe in arthritide & contracturis commendatum.

CAPUT XV.

DE

ZIBETHO ORIENTALI ET OCCIDENTALI.

§. 1.

ZIBETHUM pinguis & unctuoſa materia eſt, inſtar mellis vel butyri apparens, colore ex albo flaveſcente, odore penetrantiſſimo. Utplurimum ex India Orientali Occidentalique affertur, poſtmodum in parvis ollis, quæ ſcriptura aut typis ornatis chartulis notatæ ſunt, à Batavis in Imperium transmittendum, ſecundum *Pometi* in *Hiſt. des Drogues cap.* 6. *Lib.* 1. *pag.* 18.

§. 2.

Animalia, à quibus Zibethum oritur, vulgo CATI ZIBETHICI, (*Zibeth-Katzen*) vocantur, vulpibus aut martibus quam catis figura ſimilioribus, uti ex figuris apparet, quarum altera à *Fabio Columna* in *Hernandezii* & *Ant. Recchii Hiſt. Anim. Nov. Hiſp. pag.* 580. altera verò à *Dn. Vito*, Materialiſta, (qui iſtam de vivo animali deſumi curavit) mihi communicata eſt, quæ cum *Klobii* figura juxta in *Hiſt. Ambr. pag.* 71. atque cum iſto cato zibethico, quem prædictus *Pometus*, à Siamicis Legatis Anno 1688. acceptum, totum annum ſervavit vivum, valde conveniunt. Et quanquam pro regionum diverſitate Orientales ab Occidentalibus facie externa paulum differant, in eo tamen binæ conveniunt, quod cutem cineracei coloris, nigris maculis ſtriiſque, in fœmellis tamen magis notandis, interſtinctam, acutum caput, brevesque pedes habeant, quemadmodum à prædicto *Columna l. c.* fuſius deſcribuntur.

§. 3.

Quomodò & in quibus animalis partibus zibethum generetur ac inveniatur, quæſtio eſt? Quâ de re diverſæ fuerunt opiniones, dum nonnulli zibethum pro ſudore, alii pro pure, pro alio quodam alii habuerunt, uti

apud

apud *Sam. Daleum Part.* 3. *Pharmacol. pag.* 583. & in *Caſtelli Tr. de Hyæna Odorifera* videre eſt. Id tamen inter eos convenit, in maribus penem inter & teſticulos, in fœminis vero in interioribus genitalibus inveniri, uti *Vielheurius* in *Deſcript. Exot. Mater. pag.* 199. ex aliis refert. Enimvero & in hoc valde erratum fuit: teſtibus enim ſupra citatis experientia conſtat, zibethum neutiquam ejusmodi excrementum ſive ſeminis eſſe profluvium, ſicuti quidam opinantur, ſed in peculiaribus folliculis ſ. cavitatibus, podicem inter & genitalia ſitis, & quidem in multis, in prædictis folliculis reperiundis, glandulis generari, iisdemque in maribus duplo majoribus atque in femellis; ut adeoque in illis plus etiam inveniatur zibethi, quam in iſtis.

§. 4

Quâ verò methodo zibethum colligatur? *Joh. Faber Lynceus* in ſupra memorati *Hernandezii Tr. pag.* 539. pereleganter deſcripſit. Scilicet hæc materia vel domi ex manſuefactis catis zibethicis colligitur, parvisque, formam auriſcalpiorum habentibus, cochlearibus ex ſupra deſcriptis loculis depromitur, vel in campo ab arboribus fruticibusque, quibus animal ſe attrivit, detergitur. Illud ſcil. exhauſtum æſtivo tempore alternis ſemper diebus, hyberno vero, quo materia non adeò fluxa eſt, qualibet hebdomade bis peragendum. Quod colligendi tempus ſi negligitur, animal muris poſtibusque clathrorum, quibus aſſervatur, ſe atterit, materia aliquot dierum ſpatio ſubacri evadente, animalque titillante ac pungente, terendo igitur movendoque liberare ſe pruriente materia quærit, niſi prædicto modo depromatur, id quòd tamen nec ſine doloris perceptione peragitur, uti *Pomet.* ſuo in animali obſervavit. Quum verò hæc operatio in catis zibethicis ſylveſtribus celebrari nequeat, iſtique zibethum ſuum in antiquos arborum ramos terendo deponant, Nigritæ ramos aridos probe inſpiciunt, oleoſasque maculas grumosque deſumunt, in aquâ coquunt, quo impurum ſeparetur, ac poſtmodum fundum petat, vero zibetho contra aquæ innatante & pro optimo habito, uti laudatus *Faber l. c.* judicat.

§. 5.

Cæterum non omne zibethum eundem habet colorem, ac propterea quidam diſtinctas volunt conſtitui ſpecies, dum *Sam. Daleus l. c.* præter vulgare nigri cujusdam zibethi, ex India Orientali venire crediti, meminit, quod prorſus rejicit. *Pometus* contra fuſci facit mentionem, quod Civette de Guinée, ou du Breſil ſ. Braſilienſe zibethum vocat: Hollandicum autem prorſus album apparet, quoniam catos lacte ovisque dicuntur alere. Interea prædictus Materialiſta non adeò multum colori tribuit, odore potiſſimum cæterisque qualitatibus bonis exiſtentibus, dum iſtud, quod ex cato ipſe collegit, fuſcum etiam apparuit, albumque apparens cum tempore flavum ac tandem fuſcum evadit. Nihilo tamen minus zibethum album, ſi quando ſimul pingue fragrantiæque ſummæ ſive fortis quidem, ſed quodammodo nauſeoſæ, ſaporis amari ac conſiſtentiæ rubræ fuerit, pro optimo habetur, uti *Marxius* in *Mater. Muſ. pag.* 219. ſcribit.

§. 6.

Quum verò, vel ipſo *Schurzio* non diffitente in ſuo *Mat. Muſ. pag.* 23. butyro ac pinguedine adulterari poſſit, quæritur, quomodo fraus iſta cognoſcatur? Quidam exiſtimant zibethum tum eſſe genuinum, quando iſto chartæ affricto nihilominus chartæ inſcribi literæ poſſint: quod tamen experimentum valdè dubium eſt ineptumque, dum vel ratione teſte nullæ pingi literæ poſſunt, ubi zibethum, tanquam pinguedo, fuit affrictum, quanquam optimum verumque fuerit zibethum, experimentum faciente ipſo *Pometo l. c.* Qui propterea melius dare conſilium nequit, quam ut cum probis notisque Mercatoribus faciamus mercaturam, nec ſemper teſtimoniis ſcriptis habeamus fidem; præcipue vero odoris rationem habeamus, quadantenus rancidi apparentis, quando butyrum aut aliud quoddam pingue eſt admiſtum, niſi miſtura adhuc recentiſſima ſit, ubi perdifficilis, imo fere impoſſibilis eſt butyri à zibetho ſeparatio. Quando verò aliis impuritatibus eſt adulteratum, aquæ bullienti injectum ſine ulla mora impurum demittit, bonum contra innatat, uti prædictus *Faber l. c.* bene annotavit.

§. 7.

Quod tandem ad uſum zibethi attinet, ratione partium ſuarum volatilium & oleoſarum virtute valde reſolvente, emollienteque ac confortante pollet, torminibus infantum, colicæ, ſuffocationi uterinæ ac doloribus uteti umbilico applicatum medetur, modo patientes (dum multæ fœminæ iſtius impatientes ſunt) illius ferre uſum poſſint. Maritos impotentes confortat, atque in ſterilitate mulierum utile eſt. Maximam partem ad balſama & unguenta odorifera ſ. fragrantia uſurpatur, multoque fragrantius eſt, ſi quando moſcho ambraque permiſtum eſt, præſertim cum non adeo multum ſumitur. Zibethum induſiis affrictum pediculos fugare creditur: quod tamen unguentum pediculorum pro pauperibus nimis eſſet pretioſum. Zibethum cum oleo aniſi miſtum, & chirothecis illitum, fragrantiſſimum odorem excitat, præſertim ſi tantillum moſchi additum fuerit. Quidam etiam pellem zibethicam ad calefaciendum ventriculum aliosque plures morbos utilem commendant, teſte *Hoffmanno* in *Clav. Schræd. pag.* 655. Nigritæ & Barbari etiam carne pro cibo veſci dicuntur, de quo aliisque uſibus *Caſtellus* in *Tr. de Hyæna Odorifera* agit fuſius.

CAPUT XVI.

DE

HEPATE LUPI, PULMONIBUS VULPIS, AXUNGIA TAXI, URSI ET MURIS MONTANI.

§. 1.

PULMONES VULPIS quanquam ubique à Venatoribus ſufficienter haberi poſſint, ac propterea non opus ſit, ut eosdem modo aliorum ex regionibus exoticis afferri curemus, iſtos tamen non penitus prætereundos duximus, utpote à Materialiſtis etiam vehi ſolitos. Ut hepar lupi calido aceto macerandi, inque eô tamdiu relinquendi ſunt, quoad refrixerint. Poſtmodum exſiccantur, & vel in pulverem piperis, vel abſinthii ponuntur, quippe quo à carie præſtantur tuti, ut *Schurzius* in *Mater. Muſ.* tradit.

§. 2.

Ipſos Lupos (quorum hepar officinas ingreditur) & Vulpes ut deſcribamus, prorſus cenſeo ſupervacaneum, utpote unicuique notos. Iſtorum igitur loco Vulpem, ſ. potius Lupum Orientalem, quem Perſæ *Sjecchaal*, Belgæ autem *Jak-Hals* vocant, in *Muſ. German.* delineatum & ab amico mecum communicatum ſiſto. *Dn. Kæmpferus* eundem vocat *Lupum aureum.* More noſtratium vulpium valde aſtuta dicitur beſtia, cujus tamen motiones neutiquam ab rationali anima, ſed artificioſa machina naturalique motu membrorum ac ſpirituum vitalium deducendæ, ut *le Grand* in peculiari *Tr. de Carentia ſenſus & Cognit. in brutis* omnia eleganter explicuit. Interdiu circa montes latet, noctu pervigil & vagus eſt, & catervatim prædatum excurrit in rura & pagos. Ex ipſis papilionibus, quos circa littus Caſpium expanderamus (inquit laudatus *Kæmpferus in Amæn. Exot. Faſc. 2. pag.* 413.) ocream, calceos & alia ex corio facta nobis abſtulit, quorum quæ graviora erant, non longè à dormitorio abducta recepimus. Ululatum noctu edit execrabilem, ejulatui humano ſimilem. *vid. cit. loc.*

§. 3.

Pulmones Vulpis, à veteribus præſertim, ad dolores pectoris, tuſſim, phthiſin aliosque thoracis affectus commendantur, ex quibus propterea varia in officinis habentur compoſita, utpote looch de pulm. vulpis, aqua aſthmatica &c. quæ tamen *Helmontius* in *Tr. de Tuſſi & aſthmate* ſumit irridenda, miraturque in ſcholis (ita loqui ſolitus eſt) talos leporis ad arthritidem non præſcribi, quippe quibus lepores celerem curſum promoveant. Ita etiam

AXUNGIA VULPIS, *Fuchs-Schmaltz*, in uſu eſt, quæ tremori artuum, indurationi nervorum tendinumque, ac horum quoque tremulo pulſui dicitur mederi.

§. 4.

Non minus in Materialium Muſeis & aliarum beſtiarum habentur axungiæ, utpote

AXUNGIA URSI, *Baeren-Schmaltz*, partim ex Polonia, partim ex Canada allata. Recens, glauca glutinoſaque ſit, forti & adverſo odore, conſiſtentia mediocri. Quæ nimis dura & alba eſt, haud multum prodeſt, ac ſebo eſt permiſta, ut *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Part. 2. Lib. I. pag.* 41. oſtendit. In dolore aurium harumque tumore commendatur, in umbilicali etiam aliisque herniis præſcribitur. Lumbis inuncta prolapſum uterum anumque dicitur retrahere, quâ ratione *D. Sultzbergerum* in ſcrotum prolapſa inteſtina retraxiſſe certoque ſuſtinuiſſe *Ettmüllerus* perhibet in *Comment. Schræd. pag.* 802.

§. 5.

AXUNGIA TAXI, *Dachs-Fett*, etiam materialibus annumerari ſolita, ad renum ac lumborum dolores, calculum &c. commendatur, & à Venatoribus refrigeratis membris affricatur, quo in caſu ipſe iſtam bonam expertus ſum. Hinc antiquus carminiſex Medicus *Serenus* non temere inquit:

Nec ſpernendus adeps dederit quæ beſtia melis.

§. 6.

Quantum tandem

AXUNGIÆ MURIS MONTANI (*Murmelthier-Schmaltz*) tribuatur, ſufficienter notum eſt: iſta quippe Circumforaneorum univerſale unguentum ac medicamentum exiſtit. Ex Italia Helvetiaque venit, ubi Mus Montanus ſ. Murmetum (magnus mus eſt, parvum cuniculum referens) in Alpibus reperitur. Virtute pollet vehementer reſolvente, ac propterea à *Paracelſo* tanquam peculiare medium ad dolorem lateralem commendatur; ſicuti etiam *Mynſichtus* unguentum habet antipleuriticum, in quô hæc axungia prævalet, vid. Ejus *Armament. Medico-Chym. pag.* 188. Non minus ad contracta membra aliosque nervorum affectus uſurpatur, qua de re vide, ſis, *Schræderum, Daleum*, & alios.

CAPUT XVII.

DE

DENTIBUS APRI ET MORTADELLIS.

§. 1.

QUanquam SUS, ſ. PORCUS, valde ſordidum fœdumque animal ſit, ſine ullô dubio propterea impuris animalibus in Veteri Teſtamento annumeratum: mira tamen potentia Divina in iſto etiam voluit prælucere, quippe qua non in noſtratibus ſeu domeſticis ſolùm, ſed etiam ſylveſtribus ſuibus quid peculiare ſcimus reconditum, in aliis pulchrioribus purisque animalibus fortaſſe non reperiundum. Præſertim vehementer admirandum, in ſordidis lippisque Suum oculis certam inveniri glandulam, quæ in ore manſa vero moſcho ſapore odoreque parum vel nihil cedat, id quod in porcellis aſſatis juxta ac magnis ſuibus ipſe aliquoties vidi & expertus ſum, ut in *Polychr.* meis *Exoticis Diſſ. de Lapide Porcinô* jam pridem memini.

§. 2.

Multo magis Aper Americanus, JAVARIS dictus, qui umbilicum in dorſo habere dicitur, admirandus eſt, præſertim ſi iſtius inteſtina examinantur, quæ omnia inverſa ſunt, ita ut inferiora ſuperius locata ſint, ſicuti non ſolum *F. Gregor. de Bolivar* in *Recchi Delic. Anim Nov. Hiſp. pag.* 648. refert, verùm etiam *D. Henricus Fuiren* in iſtius Lugduni Batavorum celebrata anatome ipſe vidit, idque Hafniam *D. Wormio* tranſcripſit, uti ex hujus *Muſeo p.* 340. videre eſt. Num verò è dorſô prominens ductus, inteſtinum mentiens, uti in Figura *Recchi* apparet, pro umbilico, quemadmodum vulgò vocatur, aut alio quodam haberi debeat? inter Doctores nondum convenit, quorum quidam iſtum papillam eſſe exiſtimant, ex qua lactentes à matribus alantur, dum ſub iſta quaſi mamilla & vena appareat, in abdomine vero, uti in aliis ſuibus, nullæ reperiantur mammæ, ſecundum relationem *Wormii*. *Dn. Rochefortius* in *Deſcriptione Inſularum Antillarum p.* 197. animal per hunc ductum reſpirare dicit pulmonesque continuò refocillare, ejusque intuitu à canibus venaticis capi non poſſe. De omnium verò teſtimonio conſtat per ſupra dictum vulgoque habitum umbilicum ſemper fœtentes expelli vapores, qui niſi continuo poſt beſtiæ mortem excidatur, totum ſuem fœtore inficiat, ut uſui ſit inidoneus, qua ſuper re *Joh. Faber Lync.* valdè curioſe fuſeque *in ſuis notis ſuper* antedictum *Recchum* in *Hernandezii Tr. de Reb. Med. Nov. Hiſp. pag.* 636. diſputat. Cæterum hic porcus forma externa quodammodo minor eſt ſuibus noſtratibus, cauda deſtituitur, ſetas habet variegatas, lana interdum comitatas: qualem paucis ante annis in ſue indigena Francofurti mactato obſervarunt, cujusque particula mihi transmiſſa. Aliter etiam cum præcedente Jagkal & aliis animalibus Exoticis Stereuntii ab Illuſtriſſ. Haſſiæ Landgravio, teſte *Winckelmanno* in *Topograph. Haſſ. Cap. de Caſſellis*.

§. 3.

Quoniam intereà præmemoratus Aper Mexicanus valde rarus eſt, & tantum in aulis Magnatum Germaniæ reperitur, noſtratibus apris dabimus operam, utpote reſpectu dentium, in Mat. Muſeis & officinis notioribus iſtis, in quibus ejusmodi longi magnique dentes non inveniuntur. Equidem in India Orientali quoque dantur apri, qui dentes immenſum magnos habent, ut naturaliter, neutiquam monſtroſè, uti *D. Jacobæus* in *Muſ. Haſſn.* exiſtimat, ex ore protenſi, inſtar cornuum ſupra caput incurventur: quales ante aliquot annos *Dn. Joh. Gothofredus Vitus* ex India allatos Clariſſimo *Dn. Ludolfo* Francofurti ad tuendam ſui memoriam reliquit. Sceletum, in *Muſeo Reg. Haſſnienſi Tab. II. Fig. V.* reperiundum, in *Muſeo* noſtro *Germanicô* ſiſtitur contemplandum. Equidem

DENTES APRI

indigenæ tam magni non obſervantur, quadantenus tamen ſupra incurvati. Tanquam peculiare remedium ad anginam, pleuritidem aliasque inflammationes internas, à ſtagnante coagulatoque ſanguine ortas, quem ſale ſuo volatili reſolvunt, prædicantur, & vel ſolitarie, vel cum mandibulis lucii piſcis ſimilibusque utiliter præſcribuntur, ſive RASURA DENTIS APRI, ſive DENS APRI ſine IGNE uſurpetur, dum ejusmodi dentes eôdem modô atque cornu cervi tractari, indeque SAL VOLATILE, GELATINA aliaque poſſunt præparari, vid. *Ettmülleri Comment.* in *Schræderum pag.* 766.

§. 4.

Sunt etiam, qui multum

URINÆ APRI

volunt tribui: quem in finem veſicam urinariam, in qua aliquid adhuc urinæ, tantillo olei miſcendæ, continetur, in camino ſiccari & tamdiu ſuſpendi curant, quoad urina mellis nacta craſſitiem fuerit. Iſta ſiquidem certum ad calculum renum perhibetur remedium, umbilico etiam affricta lumbricos infantum necare affirmatur, ſicuti iſtam bini auctores Gallici libri, cui Tit. *Maiſon Ruſtique*, tanquam probatam medicinam commendant. *Henricus ab Heer*,

in *Spadacrene pag.* 276. ita exſiccatam veſicam etiam ad epilepſiam valde commendat.

§. 5.

Sues noſtrates parum aut nihil materialium muſeis ſuppeditant, dum axungia ſuilla, lardum ſtercusque ac ſimilia ubique reperiuntur. Unum tamen dignum eſt, quod in iſta recipiatur, hucusque valde arcanum, certumque remedium adverſus epilepſiam habitum, id quod boni publici cauſa hic volo manifeſtari. In utroque capitis ſuilli latere quædam protſus alba & friabilia oſſicula reperiuntur, quæ nihil aliud ſunt, quam ſuperior pars meatus auditorii, quæ laniones rei expertes clam decerpunt, ac deſiderantibus divendunt. Iſta oſſicula quid peculiare continent, in quæ, ex incumbente cerebro ſine ullo dubio, ſal quidam volatilis ſe inſinuat, quo mediante in epilepſia ſane multum præſtant, ac propterea hucusque inter ſecreta fuerunt habita.

§. 6.

Cæterum Materialiſtæ ac Pharmacopolæ interdum farcimina Bononienſia, vulgò

MORTADELLE

vocata divendunt, ex parte à ſuibus quoque proficiſci ſolita, quæ & hic loci ita poſſunt confici: ℞. carnis bubulæ è lumbis ℔ vi. macera unius ac dimidiæ horæ ſpatio in recente aqua, deinde modice incide, nec tamen nimis minutim, carnis ſuillæ ℔ iij. lardi ℔ j. minutim cæde, piperis groſſè contuſi ʒij. ſalis minutiſſimè contuſi ʒß. omnia probe miſce: poſt inteſtinum bovis medium probe expurgari cura, quod fortiter infartum, baculisque ſecundum longitudinem conſtrictum, in aëre tridui tempore ſuſpende, quo exſiccetur paulum, poſtmodum 9. dies in camino, tum ultra annum farcimina durant. Quod ſi vero ab Italis farcimina hæc, qui iſta è Gallia, vel etiam Italia venire curant, emuntur, videndum, ne rancida inſipidaque ſint.

CAPUT XVIII.

DE

PEDRA DEL PORCO.

§. 1.

PEDRA DEL PORCO, ſ. LAPIS PORCINUS, valde pretioſus lapis eſt, paucis ante annos à Luſitanis ex India Orientali Lisbonam & Amſtelodamum allatus, magnitudine nucis avellanæ, varie formatus coloratusque; plerumque tamen colore eſt hepatico, vel ex albo nigricante, lævis, ſaponis adinſtar, cicatricibus nihilominus notatus, foveas à variolis relictas referentibus. Ab Indis Meſtica de Soho, è Luſitanis Piedra del Puerco, item Pedra de Vaſſar, ab Hiſpanis Pedra de Porcas, & ab Italis Pedra del Porco, vocatur. Multi iſtum Lapidem Malacenſem vocant, quoniam in Malaca Regno colligitur, de quo *Aldrovandus* in *Muſ. Metallico Lib. IV. pag.* 798. videatur.

§. 2.

Equidem ſunt Materialiſtæ, interque eos *Pometus* in *App. Hiſt. des Drogues pag.* 2. qui exiſtimant, quod Pedra del Porco aliud quid ſit, quam Lapis Malacenſis, credentes priorem in porcis Indicis, poſteriorem in hiſtrice inveniri. Quæ tamen differentia Doctoribus incognita eſt, cum Societate Indiæ Orientalis unanimiter exiſtimantibus, quod Pedra del Porco ex Pam Regni Malacæ de hiſtricibus proficiſcatur; iſte verò error inde fortaſſe veniſſe creditur, quòd nonnullis hiſtricem etiam porcum ſpinoſum & porcum marinum vocare cum vulgò in uſu ſit, quæ *Geſneri* in *Hiſt. Animal. Lib. I. pag.* 633. conjectura eſt.

§. 3.

Animal Hiſtrix German. *das Stachel-Schwein* vocatur: ut adeoque lapis iſte rectius LAPIS HISTRICINUS dici mereatur. Aliis animal Paracpy nominatur. Erinacei ſpecies eſt, inque India Orientali invenitur, magnitudine bimeſtris porcelli, capite cuniculum, pedibus anterioribus taxum, poſterioribus urſum, fronte longum ſertum repræſentans, cæterum toto corpore longos & acutos aculeos habens, articulatim nunc fuſcos, nunc albos, à pictoribus ad penicillorum manubria adhibendos; & quoniam iſti aculei calamo ſcriptorio haud diſſimiles ſunt, Circumforanei beſtiam iſtam Taran ſ. Seydan avem vocant. Ad iram commotum animal aculeos tanquam haſtas exerit: unde fortaſſe eſt, quamobrem in bello haſtæ aculeatæ (vulgò *Spaniſche Reuter*) pennæ ſuillæ (*Schweins-Federn*) vocentur.

§. 4.

Iſte verò lapis in perpaucis, & quidem ægris ſaltem, hiſtricibus invenitur, qui propterea tam rarus carusque eſt, dum rarò plures, quàm duo, aut tres, inter merces, quas Societates Indiæ Orientalis Lisbonæ & Amſtelodami in copia (*ins groſſe* quod dicitur) divendere ſolent, inveniuntur, unus etiam 135. ad 275. florenis Hollandicis divenditus poſtmodum à Materialiſtis quadringentis vel ſexcentis florenis redimitur, qui iſtum quoque in Hollandia mutuum dare, ac pro XXIV. horarum uſu ducatum ſumere ſolent.

Fig. 1.

n.o. 2 3 4
Petra de porco Spuria Ceylanica

n.o. 1.
Pedra de porco pretiosa Malaccensis






Fig. 2.



Pedra de Cobra

Pedra Bugia.





lent. Plerumque verò ditissimi Mercatores istum sibi asservant, vel Magnatibus præsentandum, aut hæredibus amicisque suis usurpandum; quem in finem aureis iisque perforatis pixidibus, aurea catenula præditis, lapidem muniunt.

§. 5.

Interea bene videndum, quò verus & genuinus lapis acquiratur, dum spurius quidam ejusdem nominis invenitur, quem olim apud *Dn. Vitum*, Materialistam Wormatiensem, modo ex India Orientali reducem, vidi, qui rotundus, niger, ponderosus, nec multum amarus erat, & *Rumphio* teste è porcellis sylvestribus in Sucutana proficiscitur. Verus contra usque eo amarus existit, ut à Chinensibus ejus amarities in dorso manus observetur, aliquamdiu in manu si tractetur teneaturque: quod ipsum tamen Belgis in Indiâ (obtusiore forte sapore præditis) non successisse cit. modò *Rumphius* in *Mus. Ambon. pag.* 298. testatur. Hanc amaritiem à bile, utpote in vesicâ felleâ genitus, nanciscitur. Cæterum ex tenuibus corticibus pelliculisque constat, sibi invicem instratis, ad modum veri bezoar lapidis; nondum usurpatus tenui s. tenera lamella, quasi agglutinata, cinctus apparet, quæ maceratione decedit.

§. 6.

Qualitatum virtutumque præcipua est alexipharmaca & diaphoretica, quam *Dimas Bosque Valentinus* primum in India in isto observavit, annotante *Boëtio de Boot* in *Hist. Lapidum t. 2. c. 8. pag.* 356. à multo sale volatili, (quem *Levvenhæck* Batavus in *Arcanis Nat. detectis pag.* 115. curioso quodam microscopio in isto vidisse se gloriatur) commode derivandam. Porro in colica prodest bilisque exundatione, indeque oriunda cholera, ab Indis Mordexin vocata, & pro pestilentia habita: quo in casu lapidis hujus usus istis est crebrior. Interdum etiam leniter laxare perhibetur, in obesitate nimia propterea commendatus. Ab apoplexia & epilepsia defendit, calculum conterit, & arthritidi medetur, auctoribus *Jac. Bontio*, *Fragosa*, ac *Tulpio*. Præsertim ad icterum ex calculis vesicæ felleæ ortum à *Dn. D. Albrechto* in *Disp. de Ictero ex calc.* valdè commendatur. Memorabile verò est, gravidas in Malaja ab isto tangendo arceri, quod menses vehementer ciere perhibetur, secundum observationem *Hoffmanni*, in *Clav. Schræd.* In Hollandiâ potissimum in febribus intermittentibus desideratur, quas certo curat, sive quotidie, sive altero, aut tertio die redeant, licet febris acuta fuerit complicata, ad quam ipsam curandam *Dn. D. Deckerus* istum sæpe feliciter usurpavit, uti in *Exercit. suis Pract. pag.* 262. testatur. Imò & in febribus petechialibus non solum à prædicto celeberrimo Practico, sed quoque à *Dn. D. Ruygero*, Archiatro Cæsareo, probatus repertus fuit, uti in *Misc. A.N.C. Dec.* 1. *An.* 3. *obs.* 283. legimus. Id verò memorandum, maculas ab istius usu statim evanescere. Tandem & variolis existit medicina.

§. 7.

Ejus infusum plerumque usurpatur; nempe in ℥ij l. iij vini Hispanici vel aquæ cardui bened. aliquot horas infunditur, quoad liquor amarescat, quem postea æger exhaurit. Qualibet infusione pondus grani unius aut dimidii lapidi decedit, secundum observationem *Deckeri*, per *Dn. D. Spenerum* id mihi referentis. Divitibus quinque vel sex grana ipsius lapidis, una cum aliis diaphoreticis, possunt propinari. Alii loco amuleti utuntur, Indique tantum isto in lapide ponere spei dicuntur, ut vel ex ipsius attactu se convalescere putent. vid. *Disp.* nostram *de Lap. Porcino* in *Polychr. Exoticis*. Plures ejus virtutes è MS. quodam Indico hausit *Rumphius lib. III. Mus. Ambonici pag.* 299. *seqq.* descriptas:

1. Valet contra calculum indeque aliquot P. Franciscan. Min. convaluêre.
2. Contra dysenteriam, de quâ plures eô liberati sunt.
3. Curat colicam, ut sæpius expertus sum.
4. Inservit etiam contra omnes affectus à flatibus ortos.
5. Veneno fortius resistit, quàm lapis bezoar.
6. Pleuritidem fugat, etiam vehementissimam.
7. Varios dolores stomachi alleviat.
8. Contra febres validum est remedium.
9. Contra palpitationes cordis varias militat.
10. Epilepsiam obtundit.
11. Omnes flatus in corpore humano dissipat.
12. Lumbricos pellit & enecat.
13. Apostemata interna sanat.

§. 8.

Cum prioribus concordant quæ curiosissimus *Dn. Kæmpferus* in *Amæn. Exot. Fasc.* 2. *pag.* 393. habet, cujus seqq. sunt verba:

PEDRA de PORCO

sive lapis histricinus coagulum est bilioſum, rotundum, utplurimum nucis myristicæ vel juglandis magnitudine, leve, coloris rufi, substantiæ quodammodò unguinosæ, saporis subtilissimè amaricantis. Reperitur in vesicula biliaria hystricum, terræ Malaicæ; unde à *Garcia ab Horto* sub titulo lapidis Malacensis describitur in *op. Clus. l. 1. c.* 46. Tales à *Sylvatico* Masatios, ab aliis Acherones vocari testatur *Aldrovandus*. Hoc coagulum bovino longè sui pretio ac virtutibus antecellit, prout Bezoar Orientalis Occidentali dicto, vel aurum cupro præstat. Rarius enim generari accidit: quod ipsum imprimis præter eximias & præsentissimas facultates pretium ejus extollit, ut in ditiorum duntaxat & Principum Nigritarum manibus versetur, qui illud sphæris aureis argenteisve armari curant, adnexa ex eodem

dem metallo catenula, cujus adminiculô tractari valeat. Usus ejus est, ut suspendatur per horas aliquot, vel unâ alteraque vice agitetur in hausto aquæ communis, quem vix grani pondere immunurus amarore imbuit. Haustus ita præparatus habetur summe cordialis & alexipharmacus, tum in ictero, febribus putridis malignisque, & in quibuscunque viscerum obstructionibus medicamentum efficacissimum. Novi Bataviæ, qui posthabitis Medicis quicquid sibi ægritudinis acciderit hôc solo eliminare remedio satagebant. Hystricem hanc, utut in multis Asiæ regionibus, in Africâ etiam & in his Caucasiis montibus invenerim, in ipsa tamen reperiri lapidem nunquam cognovi. Rusticus Bugunô à me venatum dimissus, cùm ab hystrice surâ vulneratus rediret, pinnum, quem in ipsum bestia exploserat, mihi offerens, â præsente quidem Patre edentulo ac grandævo monebatur nullam imposterum negligeret hystricem, quin sectione prius exploraverit an lapidem ferret, quem nosset aliquandô hic inventum fuisse incredibilis pretii. Adjecta tabula exhibet lapidem Malacensem, qui cinctu liberatus pendet aureos quinque cum dimidio, emptus à Possessore (Ill. Dn. Generali de *Camphuys*) trecentis Joachimicis.

Datur etiam *Pedra de Porco spuria*, in quale coagulum, priori quodammodò simile, sed nigrius, informe & pilis permixtum, in Ceylanâ incidi. Easdem, sed debiliores virtutes illi tribuunt, utut in majori dosi detur. Dicebatur inveniri in hystricum suæ terræ ventriculis prodereque bestiam ructu & vomitu crebro. Forte è bile in ventriculum effusa c. pilis ibi generatur. Icones quorundam vid. in TAB. adjecta. Non confundendus autem hic lapis est cum alio ex India allato, qui PEDRA BUGIA, id est, Lapis Simiæ dicitur & non tam in capite, quam ventriculo simiarum majorum, uti alii lapides bezoartici generari putatur. Asservari autem solet in vasculis doliola repræsentantibus & ex materia quadam leviſſima paratis, quæ cum ipso lapide depicta vide in *Tabula* lapidibus porcinis dicata & *Capiti XVIII.* annexa.

Tandem nec PEDRA CORDIAL, seu LAPIS CORDIALIS,

vel & Lapis de Goâ cum lapide porcinô est confundendus, qui plane artificialis est & à Rev. P. Soc. *Casparo Antonio* Goæ, ex speciebus cordialibus & alexitericis, quas & lapis bezoar ingreditur, componitur. Figura ejus ovalis vel rotunda est, color intus cinereus, extus nigricans, splendens aureisque maculis distinctus: nonnunquam totus deauratus. Usus frequens est & probatissimus inter Europæos Orientis. Venditur ad libellam. Inde pro variâ magnitudine variat pretium. Eundem hodiè componit R.P. *Nicolaus Memitius*, quem à priori dignoscimus literis N. M. in superficie impressis & in opposito latere signo capræ vel alius quadrupedis.

CAPUT XIX.

DE

AGNO SCYTHICO BOROMEZ, OVIBUS VULGARIBUS ET ORIENTALIBUS, LANA, OESYPO ET SIMILIBUS.

§. 1.

QUoniam oves istarumque usus varii unicuique innotescunt, ac propterea in omnibus cùm Theologicis, tum Physicis Zoologiis, ac in specie etiam à *Colero* in *Oeconomia* describuntur, in istis explicandis erimus breviſſimi: quin potius istorum saltem faciemus mentionem, quæ tanquam rariora & materialia in officinis reperiuntur. Præsertim vero in id, quod de AGNO SCYTHICO (vulgò *Frucht-Thier*) s. BOROMEZ

dicitur, accuratius inquiremus, quo tandem curiosus Lector certo sciat, quid de isto sentiendum.

§. 2.

Iste verò agnus, *Boromez* dictus, vulgô pro Zoophyto seu animali vegetabili, Germ. *Frucht-Thier*, (ut *Harsdörfferus in Deliciis Math. & Phyſ. T. 3. p. 10. qu. 40.* vocat,) quod supra in caule herbæ cujusdam in forma junioris agni crescat, habetur, quem ob finem etiam à *Deusingio* in peculiari Tractatu AGNUS VEGETABILIS alias verò AGNUS SCYTHICUS vocatur, quoniam in Tartaria, in regione Zanotha, dicitur nasci, ubi ex nucleo semini melonum haud dissimili coli perhibent. Caulis trium fere pedum altitudine loco umbilici est, uti ex figura, à *Kircherô* in *Magnetiſmo Plantarum* & *Dn. à Hochberg* in Tr. *vom Adelichen Feld-Leben Part. I. p. 760.* communicata, apparet, in quo agnum se vertere, gramenque in isto latere, quò se inclinat, consumi ac disperire credunt, haud secus acsi isto nutriatur. Fructu maturo facto caulis exsiccari, fructus vero agni adinstar asperam accipere pellem dicitur, quæ postmodum more corii perficiatur, & ad usum præparetur. Teneram crispamque habere reputant lanam.

Per-

Perdulcem etiam habere carnem referunt, cancros sapore æmulantem; ex fructu inciso ruber quoque profluere succus dicitur, quæ omnia *Erasmus Franciscі, im Oſt- und Weſt-Indiniſchem Luſt-Garten*, fusius descripsit.

§. 3.

Quæ relatio non apud vulgum solùm, sed Doctores quoque vel eò majorem invenit fidem, quoniam ista omnia omnium primò à Clariſſ. ac cæterum fide digniſſimo *Jul. Cæſ. Scaligero Exerc.* 181. *Sect.* 29. contra *Cardanum* fuerunt descripta: adeò ut famigeratiſſimus Botanicus, *Joh. Bauhinus*, primæ inventionis gloriam *Scaligero* aliquo in loco fere invideat, quasi omnia solus scire, nihilque aliis relinquere voluerit indagandum. Imo prudentiſſimus & alias oculatiſſimus Angliæ Cancellarius, *Franciſcus Baco de Verulamio*, in *Hiſt. Natur. Cent.* 7. *p. m.* 147. *num.* 609. hâc in re decipi se passus est, qui aliàs Naturæ Scrutatores ab simili credulitate dehortatur; & quanquam hoc ipsi videatur fabulosum agnum istum vegetabilem positum juxta se gramen consumere, ipsi tamen rei non prorsus videtur contrarius, existimans gramen in istam agni formam posse mutari. Quemadmodum etiam postea multi Doctorum inter se disputârunt, disquirentes, num ejusmodi fructus herba sit, & qualis existat? an verò animal, aut forte ex utroque quid compositum sit? quâ de re vide, sis, *Wormium* in *Muſ. pag.* 190. & *P. Sturmium* in *App. Curioſit. Nat. Calend. de anno* 1687. *N.* 5. ubi etiam figura sistitur intuenda & *Dn. Verulamii* opinio defenditur.

§. 4.

Quanquam verò in quibusdam Artificialium Naturaliumque Musеis pellis, tanquam de ejusmodi agno desumta, ostendatur, qualis in Dn. *Joh. Schwammerdammii*, Pharmacopolæ, Museo videtur, & præter superiorem relationem in Moscovia *Dn. Oleario* ostensa fuerit, uti in *Itinerario ſuo Perſico* memorat, meritò tamen dubitavit, num isti rei fidem habere debeat, quod pelli immaturi, vel recens nati agni videtur similior, id quod supra laudatus *Wormius* ex prædicto *Itinerario* annotavit. Atque hoc re ipsa ita se habere paucos ante annos *Dn. D. Engelbertus Kampferus*, tum ex Persia Indiaque Orientali redux factus, in *Decad. Obſerv. Exot.* sufficienter ostendit, idque partim ex voce Boranets, Russis pusillam juniorem oviculam significante, à Sclavonica voce Barán (ovis) cujus diminutivum est, derivata, vitioque sermonis in Boromez mutata: partim etiam ex Scythorum Persarumque consuetudine, qua magnis Orientalibus ovibus fœtus utero excidunt, quo istorum valde teneræ pellis, vehementer caræ habitæ, & vestibus Magnatum subsui solitæ, fiant compotes. Atque hæ pelles in materialium musеis asservatæ pro Boromez divenduntur. Istæ igitur pelles non à planta quadam, aut alio vegetabili (quæ opinio ex insciti interpretis, aut falsa relatione vulgi fortasse nota est) sed reverà à magnis ovibus proficiscuntur, uti modo laudatus Auctor in citata Anno 1694. Lugduni Batavorum pro gradu Doctor. habita Observ. pluribus ostendit, & in *Amœnit. Exoticarum Faſc. III. Obſervatione I.* repetiit, quæ ita se habet:

AGNUS SCYTHICUS, seu FRUCTUS BOROMEZ.

Sicut ex dactyliferæ arboris historiâ Phœnicem formavit prisca credulitas, ita curiositas ævi recentioris, pari nomenclaturâ decepta, contrariâ transformatione ex animali vegetabilem fœtum, plantamve *Borometz*, seu *Barannetz*, in exoticarum rerum historias intulit: plausibilem sanè adeo, ut magnus in Plantarum Regno Princeps, *Joh. Bauhinus*, magno *Scaligero* primæ relationis gloriam invidisse videatur, cùm recitatis, qui Plantæ ante ipsum meminerant: *Sanè*, inquit, *merebatur tanti miraculi recitatio auctoris honore mactari; ſed adeò nimirum omnia voluit ſcire, aut ſciſſe putari vir ille ſine æmulo maximus, ut vel in eo ſe ipſo fretus, noluerit alieni nominis ſubſidio gradum ſibi facere ad gloriam ſuam.* Plantam, idem scribit, crescere in Tartariâ, (*Baro de Herberſtein*, apud Zevolhenses: circa mare Caspium alii) agni figurâ, ad pedum fere trium altitudinem, corio tenuissimo obduci, cujus detracti usum incolis esse ad capitum regmina: depascere gramina, devorari à lupis, & plura alia, quæ transcribere nihil attinet: quippe vera satis, & legenti primâ fronte notissima, si, ut par est, de ejusdem patriæ, Usbeciæ scilicet, seu Tartariæ mari Caspio finitimæ, verissimo animali, puta Agno & agnino fœtu, neutiquam de vegetabili specie intelligantur. Hujus rei fecit fidem, non obiter inquirenti, mihi magistra rerum experientia, quam hic Lectoris candori evolvam.

Barán vox Sclavonicæ originis est. Polonis Russisque ovem significans, cujus diminutivum Polonicè sonat *barannek*. Moscoviticè *barannetz*, corruptè *borometz*. Abeâ non abludit Persicum *Barrèh*, prædictæ significationis vocabulum & cum Scythis finitimissimis commune. Ovium autem Scythicarum duplex genus est, unum vulgare & in Germanorum patria familiare: alterum singulare quoddam, in Provinciis quibusdam circa Caspium frequens, velut in *Choraſmiâ*, *Bocharâ* & *Nagajâ*, atque his potissimum nominibus notabile: (1) quòd mole suâ regularem aliarum ovium magnitudinem ita excedat, ut non raræ sint, quæ asinorum altitudinem referant, tripedalem omnes longè superent. (2) quòd caudâ donetur à nostratium abſimili: enormem enim pinguedinis massam, cui caudæ adhæret vestigium, clunibus suis gerunt, tanti ponderis, cujus circumductioni ipsæ aliquando deficiunt. Fidem, non veritatem, superavero,

ſi quadraginta libras interdum aſſequi dixero. (3.) Quòd donetur carne, præ omni ceterarum beſtiarum exquiſitâ: pinguedine verò, præſertim quam caudæ maſſa exhibet, longè dulciſſimâ, quæ in oryzæ & qualiumcunque ciborum coctione butyri locum bonitate ſuâ ſupplet, ſuavitate longè ſuperat. (4.) Quòd pelle tegatur prorſus eximiâ, quæ pilorum teneritate & cirrato decore ſingulariter ſe commendat. Harum pellium, ut ad rem veniamus, utrisque gentibus, Scythis Perſisque, uſus eſt trivialis: quoniam, ex lege religionis Mahhammedanæ ab aliarum pellium indumentis abſtinent, tanquam ab exuviis impurarum, vel impuritatis ſuſpicione non carentium, beſtiarum. Magnatum verò divitumque faſtus, ſupra vulgi ſortem amiciri cupiens, pullorum pelliculas expetit, qui annoſis multò teneriores ſunt, & eò quidem cariores, quò juniores fuerunt agnellæ, quibus detractæ ſunt; horum enim pili à pellionibus cogi patiuntur in ſubtiliores denſiores cirros, qui toti pelliculæ pretium & venuſtatem tribuunt. Inde fit, ut teneritatis & lucri inſidiatores non vereantur ipſam anticipare, crudeli lanienâ, nativitatem, & matribus uterum gerentibus, diſſecto ventre, partum ante partum eximere, ſolius gratiâ pelliculæ obtinendæ. Hæc, ritè elaborata, tam dubiam prorſus & prorſus delicatiſſimam teneritatem exhibet, ut, reſectis extremitatibus, vix agninæ cutis retineat ſimilitudinem, ſed ignaram credulitatem ſpecie quâdam membranæ cucurbitinæ lanuginoſæ poſſit decipere. Elaboratio in eo poſita eſt, ut interior facies vulgari artis modo liberetur ab impuritate & exteriori cuticulâ, piloſa verò magis atque magis incriſpetur; poſterius non ſuccedit, niſi ſub radiis Solaribus, & hôc modô perficitur: pellicula manibus à duobus hominibus vehementer expanditur, lanugo pectitur, ut diſſolvantur flocci, tum peniculo (*Bürſte*) laceſſitur & in gyros aſſiduò agitur; interim director operis aquam ore retentam ſubinde aſpergit: quoipſo pili agitati, reciprocæ perfuſionis & inductæ ſiccitatis ope, in cincinnos denſos ac minutiſſimos abeunt, quibus mox firmitas & planities leni prelo concilianda eſt. Pretium pelliculæ, pro bonitatis opinione, exſurgit ad aureos tres, vel ampliùs; ſervit ea pro duplicatione mitrarum, nec rarò, ornatûs gratiâ, togarum & amiculorum limbum conſtituit. *Kalema* vocant pelliculam, quæ exenteratis, *mimraas*, quæ in lucem editis detracta eſt, vocabulis in pellionum officinis ſaltem uſitatis, ignotis in foro publico, unde eadem charactere Perſico notare nolui. Idem ovium, & Scythicis par magnitudine genus eſt, quod alit Arabia deſerta verſus *Baſram:* pellium tamen minor illic dignitas & uſus eſt, fœtus verò exſcindendi ſævitia omnino inſolens & ignota. Quin ad Palæſtinam usque tota inferior Aſia hoc ovium genus alit, ſed quod pelle diverſæ indolis tegitur, & corpore giganteam illam molem neutiquam aſſequitur; æquè tamen dulce præbet ſebum. Hoc Orientis uti fercula cetera, ita frequentiùs oryzam, inungit, quæ inde ſapore imbuitur longè gratiori, quàm qui expectari poſſit ex butyro, vel quavis aliâ pinguedine.

His præmiſſis aſſerimus: quia de exiſtentiâ Zoophyti, gramina paſcentis, nullibi Tartariæ apud vulgum vel Botanicæ peritos extat notitia & memoria, prout ipſe ad riſum & nauſeam exploravi, neque ulla res *Borometz* dicta, præterquam ovinum pecus, ibidem poteſt reperiri, meram eſſe, quicquid de hâc plantâ proditur, fictionem & fabulam: ſive hæc natales debeat conjecturæ alicujus contemplatoris Philoſophi, ſive inſcitiæ tribuenda ſit primi relatoris, qui per linguæ ignorantiam, vel incuriam in parergô, rem auditam perperam intellexiſſe potuit: ſive cuicunque acceptam referamus occaſioni alii, quâ per longè diſſitas regiones paſſim provecta ambiguæ teneritatis pellicula integritatem hiſtoriæ ac nominis ſui amiſerit: donec tandem appulſa nobis cum prodigii lepore, in virum illuſtrem, curioſum & hujus peregrinæ lanuginis admiratorem incidens, vegetabili vultu ſuo fidem prodigii, ut ſolent mirabilia omnia, nullo negotio fecerit. Sic auctoritate illuſtratus error, mox ſcriptis quoque firmatus, ſapientiſſimorum ingenia & vulgi opinionem ita occupavit, ut hodie pro Zoophyti ſpecie inter rariora Muſeorum oſtentari ſoleat, quæ veriſſima cæſarei fœtûs pellicula eſt. Scitè *Barclajus: prodigia cum narrantur, excipi ſolent favore mirantium, & quanquam non ad verum exacta ſint, poſtquam ſemel ſcriptorem invenerunt, pluribus placent, veneratione creſcunt, vetuſtate commendantur.*

§. 5.

Præmemoratæ magnæ oves ſunt

OVES ORIENTALES,

quas clariſſ. *Dn. Ludolfi* in *Hiſt. Æthiopica* & *Comment. Lib. I. cap.* 10. deſcripſit, quod nempe verveces tam magnas pingues caudas habeant, quæ ſolæ ſæpe 40. libras æquent, ac propterea in peculiaribus iſtis ſubditis alligatisque rotis portentur, ut ex figurâ ejus omnium optime apparet. Prælaudatus auctor aliam præterea figuram ovis fœminæ exhibet.

§. 6.

De ovibus Europæis & indigenis Materialiſtæ vehunt

OESYPUM ſ. HYSSOPUM HUMIDAM,

quæ nihil aliud eſt, quam adeps ſ. pinguedo, poſt lotionem aut coctionem lanæ in aquâ, aquæ innatans, deſpumata, per pannum trajecta, & parvis doliolis indita. Interdum è Gallia fertur, quam oportet eſſe recentem, non fœtidam, ex cinereo albicantem. Ad membra paralytica morbosque nervorum commendatur, variaque ingreditur compoſita.

§. 7.

§. 7.

Quibusdam in locis Materialiſtæ diverſatum exoticarum lanarum quoque faciunt mercaturam inſignem, quas ex Hiſpania, Anglia, Polonia & ex locis aliis afferri curant, de quarum diſcrimine *Pometus* in *Hiſt. des Drogues* poteſt legi. Lanifici dulcem, i. e. teneram lanam eligunt: Pharmacopolæ unctuoſam ſeu *Lanam ſuccidam*, ad Oeſypum viribus accedentem.

CAPUT XX.

DE

OVIS STRUTHIONUM ET CASUARII.

§. 1.

OVA STRUTHIONUM valde magna, craſſitie caput infantis æquantia, ova ſunt, percraſſâ teſtâ, foris pallidè flavente, intus albâ, muniuntur, tantamque habent cavitatem, qua vel 36. ova gallinacea poſſunt contineri, commemorante, cum *Eraſmo Franciſci*, Dno *Vielheuerio* in *Deſcript. Exot. Mater. pag.* 182. In Africa, præſertim in Capo de bon Eſperance, ſeu capite bonæ ſpei, copioſè inveniuntur, indeque afferuntur, uti *Marxius* in *Mat. Muſ. pag.* 187. recenſet.

§. 2.

Ex magnitudine ovorum, quam inſigniter magnæ aves ſint ſtruthiones, facile colligitur, quorum quidam virum equo inſidentem altitudine ſuperant, & 7½. pedum habentes altitudinem inveniuntur, qualis olim Pariſiis in Regia Academia des Sciences cultro anatomico fuit ſubjectus, uti *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Part.* 2. *Lib. I. cap.* 17. *pag.* 43. commemorat. Et quamvis ritu aliarum volucrium alis præditi ſint, iſtis tamen ad volandum non utuntur, ſed ad accelerandum curſum citatiorem, dum fugati iſtas exporrigunt & explicant, iſtisque mediantibus tanquam velis à vento pelluntur. Unde etiam paſſibus ordinariis greſſus ſuos ita accelerant, atque equus ad curſum incitatus, id quod *Malletus* in *Coſmographia Part.* 3. *de Africa pag.* 84. deſcribit, atque in eleganti figura ſiſtit contemplandum. Ova quidem arena tegere dicuntur, ſub qua milites in Africa ſæpe 40. vel 50. inveniunt: iſta tamen etiam incubando excludunt, quô in labore ac officio mas fœminaque alternant. Quo verò pulli paratum ac ſufficiens inveniant nutrimentum, parentes quædam ova, mox fœtum emittentia, diffringunt, quo in iſtis vermes naſcantur, pullis loco nutrimenti inſervientes. Parentes hordeo, fabis, fœnoque & herbis veſcuntur, in iſtorum ventre, quinque ſeptis transverſis diſtincto & in quinque partes diviſo, reperiundis, auctore *Pometo l. c.* Quando vero *Scaliger* aliique olim affirmarunt ſtruthiones poſſe ferrum concoquere, prorſus falſum eſt, & jamdum antiquo *Alexandro Aphrodiſæo* ſuſpectum viſum. Fieri equidem facile poteſt, ut ejusmodi aves una cum arena & lapillis ferreos clavos ſimiliaque deglutiant, iſta vero neutiquam concoqui, ſed indigeſta iterum excerni teſtatur *Ulyſſes Aldrovandus Lib.* 9. *Ornithol. c.* 2. Quin imò ex deglutito ferro interdum ægrotaſſe obſervati ſunt, adeo ut *Th. Jordanus* propterea à ſtruthionum cuſtodibus fere magnam verberum vim acceperit, cum Tridenti Romæque olim ſtruthionibus antiquas monetas obiiceret devorandas, uti *Frid. Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 696. fuſius commemorat.

§. 3.

Quod ad uſum iſtorum ovorum attinet, in Africa non ſolum tanquam cibus uſurpantur, ut uno ejusmodi ovo ſæpe ſeptem perſonæ ſedent famem, ſed hic etiam loci Medicinam ingrediuntur, dum iſtorum teſtas, utplurimum craſſitie culmum æquantes, ad renum & veſicæ calculum commendatas, ad liquores pulveresque nephriticos adhibent; quanquam *Ettmullerus* in *Comment. Schræd. p.* 809. dubitet, num teſtis ovorum noſtratium multum ſint præferendæ? Alii, utpote *Foreſtus Obſerv.* 20. *Lib.* 20. adverſus arthritidem vagam quoque commendant. Integra ova raritatis cauſa in Artificialium Naturaliumque Muſeis aſſervantur, quæ etiam Mahometanos in moſcheis ſuis ſuſpendere perhibent, teſte *Malleto l. c.*

§. 4.

Ad memorata ſtruthionum ova magnitudine accedunt

OVA CASUARII,

quanquam non adeò craſſas teſtas, nec albas, ſed viridiuſculas habeant; quæ cauſa eſt quamobrem *Rumphius* in *Muſeô Amboinico* (*Amboinſchen Rariteyten-Kamer* dicto) virides conchas ova Caſuarii vocet. Vera autem caſuarii ova, ad modum ſtruthionum, argento muniuntur, & tanquam pocula uſurpantur, inque Medicina eundem cum præcedentibus habent uſum.

§. 5.

Avis, quæ iſta ponit, ab Indis EME, à *D. Wormio* CASEARIUS, ab aliis

CASUARIUS

vocatur, quæ Anno 1548. primum à Batavis in Europam advecta, in *Journael van de Reyſe der Hollandiſchen Schepen in Oſt-Indien*, folio ultimo ita depicta deſcriptaque fuit:

Icon & deſcriptio exoticæ avis Emé, ab his Hollandicis navibus ob magnam raritatem ex Inſula Java advectæ.

TAnquam magnam raritatem hic avem ſiſto, ad vivum depictam, duplo fere majorem cygno, colore nigram, dum ejus venter nigris pennis obſitus eſt, uni ſtipulæ inſidentibus, duosque apices habentibus, qui, ut in ſtruthione, apparent plumoſi. Hæc avis alis linguaque juxta deſtituitur. In capitis vertice ſcutum habet, duritie ſcutum teſtudinis referens. Robuſtis ſuis ungulis dimicat, quibus equi adinſtar recalcitrat. Rariſſimum eſt, quod lingua deſtituatur; quamobrem omne, quicquid comedit, integrum deglutit, adeò, ut pomum pugni magnitudine deglutire, & quod ratius eſt, prunas candentes innoxie devorare valeat. Ferri fruſta ad refrigerandum ventrem libenter deglutit. Ibidem vocatur *Eme*, capiturque in Inſulâ Banda, ubi hæc præſens ab Rege regni Cidayo inter alia dona *Joh. Schellinghero* nautæ, in nave Amſterdam inſignita, condonata eſt. Hactenus prædicta relatio. Qui plura cupit ſcire, *Aldrovandi*, *Cluſii*, *Nierembergii* & *Bontii* ſcripta evolvat, ex quibus *Wormius* in *Muſ. pag.* 292. & *Willughby Ornitholog. Lib. 2. pag.* 105. iſtam verboſius deſcripſêre.

§. 6.

Quoniam autem ſtruthionum & Caſuariorum ova majora ſunt, quam ut delineari poſſint, iſtorum locô in *Muſeo* noſtro *Germanicô*

OVUM COMETICUM,
(*Cometen-Ey*)

quod priori ſeculo, cum magnus cometa cœlo ſiſtebatur, Romæ à gallina, aſpectu cometæ territa, poſitum, poſteaque non ſolum in ære, una cum cometa, typis in lucem editum, ſed etiam à Dn. *du Blegny Zodiaco Medico-Gallico A. III. p.* 30. inſertum eſt, voluimus depingere, Ex quo apparet, non humano embryoni ſolùm, à terrore aliisque affectibus, varios imprimi poſſe nævos, ſed irrationalia quoque animalia ejusmodi affectibus eſſe ſubjecta: cujus cauſam D. D. *Brandius*, Prof. Marburg. in peculiari *Diſſ. de Ovo Cometico* explicuit.

CAPUT XXI.

DE

SPECULIS PAVONUM, AVIBUS PARADISIACIS ET MANUCODIATIS REGIIS.

§. 1.

SPECULA PAVONUM (*Pfauen-Spiegel*) ſunt extremitates pennarum pavonum, rotundis, eleganter formatis, & relucentibus cœruleo-viridibus maculis ornatæ. Maximam partem à pavonibus maribus oriuntur, qui unà cum fœminis usque eò noti ſunt, ut fuſior iſtorum deſcriptio videatur ſupervacanea, præſertim cum etiam *Colerus* in *Oeconom. Lib. XIII. c.* 48. *p.* 312. de iſtis ſufficienter egerit.

§. 2.

Iſta verò pavonum ſpecula à nonnullis ad epilepſiam commendantur; ſic in *D. D. Tackii*, Archiatri olim Haſſo-Darmſtadini, manuali, tanquam peculiare adverſus ejusmodi morbum remedium inveni, tria ejusmodi ſpecula uſtione in pulverem redigenda eſſe, hunc-que pulverem ægro propinandum, idque omni novilunio juxta ac plenilunio eſſe iterandum. Ad eryſipelas mammasque male habentes, quod iſtarum habent ſignaturam, ab aliis commendantur, ſecundum *Hartmannum* in *Praxi pag.* 157. Sic etiam, ut aliæ pennæ accenſæ, ad ſuffocationem uterinam laudantur, vid. *Schræderus*.

§. 3.

Prætereà in Medicina

STERCUS PAVONUM

vehementer commendatur, album præſertim, in quo *Williſius* in *Tract. de Anima brutorum* multum ponit fiduciæ, dum *pag.* 212. iſtud tanquam expertum remedium ad vertiginem præſcribit; id quod etiam *Borellus*, *Quercetanus*, *Henricus à Brabe* aliique exemplis confirmant, ad epilepſiam ſimiliter commendantes, à novilunio ad lunam plenam potiſſimum uſurpatum, de quo vide, ſis, *Ettmüller.* in *Comment. Schræd. pag.* 809.

§. 4.

Quanquam pavo pennarum intuitu valde elegans avis ſit, in hoc tamen tertio ab

AVIBUS PARADISIACIS

longe ſuperatur, id nominis ſuſtinentibus, quod vulgus iſtas ex terreſtri Turcarum paradiſô venire exiſtimat. Enimverò quùm indubium ſit iſtas non è Turciâ, ſed ex India Orientali, & quidem Inſula Moluccenſi provenire, quidam Latinorum iſtas MANUCODIATAS malunt vocari, quæ corrupta Moluccen-

luccenſis vox eſt, & MANOTTO TIWATTA, i. e. avem Dei dicitur ſignificare, quemadmodum Moluccenſes incolæ ſolent vocare. Viſu alias jucundæ ſunt, dum ſuperiores capitis pennæ valdè teneræ, molles & ex cœruleo virides ſunt, inferiores in mento, ſibi invicem proximiores, eleganter flavent ſplendentque, roſtrum parvum, totumque corpus pennis ex flavo rubentibus ornatur, quæ tamen in pectore & abdomine valde latæ ſunt ac ſplendide flaveſcentes. Alæ ex nigro cum rubro permiſto ſplendent, præterea in dorſo duo pennata fila ex nigro ſplendentia, tres ſpithamas longa, nec vera rotunda, nec tamen angularia, inſtar filorum ſutorum, apparent, prout in *Besleri Gazophylacio* delineata deſcriptaque ſunt.

§. 5.

Quum verò modò dictus auctor cum *Cardano*, *Aldrovando* vulgóque exiſtimet ejusmodi aves pedibus deſtitui, quæritur, quid hac de ſententia ſit ſtatuendum? ubi quidem negandum non eſt, olim plurimas, imo ferè omnes, ex Indiâ advectas aves Paradiſiacas pedibus caruiſſe, ſed illud hodieque certum eſt, iſtos ab Indis eſſe abſciſſos, quod vel ſine pedibus melius in faſciculum plumeum compinguntur, pileisque affiguntur. Poſtquam verò Inſulæ Moluccenſes Regimini Bantam fuerunt ſubiectæ, de inſtituto Batavorum pedes avibus reliquuntur, prout non ſolùm à *D. Wormio* in *Muſ. pag.* 294 delineantur ac deſcribuntur, ſed ſæpius etiam à me ipſo in multis Naturalium Muſeis viſæ ſunt, & in illuſtri Dresdenſium Muſeo quotidie poſſunt videri.

§. 6.

Gaudent verò aves Paradiſiacæ diverſâ magnitudine; unde quidam Phyſicorum, utpote *Aldrovandus*, *Jonſtonus* aliique iſtarum quinque, aut minimum duas recenſent ſpecies, magnas ſcilicet & parvas. Quanquam alii diverſam iſtam magnitudinem ætati tribuant, ac propterea diſtinctas nolint conſtitui ſpecies, quoniam cæteroqui figurâ prorſus conveniunt; niſi quis aves Regias (vulgo *die Königs-Vögel*) pro altera ſpecie velit habere, quæ propterea à quibusdam Latinis

MANUCODIATÆ REGIÆ

vocantur, quarum delineatio hîc occurrens à Manucodiata Regiâ, quam B. Theologus *Dn. D. Joh. Erneſtus Gerhardus*, Prof. Jenenſis, in Muſeo habuit, quamve *M. Dan. Grutzmannus* in *Diſp. de Avibus Paradiſiacis harumque Rege* ibidem Anno 1667. habita, fuſè deſcripſit, deſumta eſt.

§. 7.

Equidem quæ in prædicta Diſputatione habetur relatio, non eſt omnino nulla, benevolo tamen Lectori magis ſatisfacturum me exiſtimo, ſi accuratiorem harum avium deſcriptionem cum iſto communicavero, quam inter *Dn. Hrberti de Jager*, in Batavia Nova olim Societatis Indiæ Orientalis Inſpectoris, Manuſcripta repertam, ex lingua, qua conſcripta erat, Belgicâ primùm in Germanicam à me verſam, nunc tibi verbis Latinis dabo intelligendam: Altera avium Paradiſiacarum ſpecies (inquit) vulgò aves Regiæ vocantur, quoniam non ſolùm noſtra plebs, ſed Indi quoque ipſi exiſtimant iſtas prædictarum avium eſſe Reges, id quod tamen à quibusdam Arovanis non admittitur; certum autem eſt iſtas una cum cæteris avibus Paradiſiacis volare, atque circa iſtud tempus, quo magnæ veniunt, volare in Aru. Interea hæc avis multo rariot elegantiorque eſt vulgaribus, dum tantò non venit comitatu atque magnæ, difficilius quoque ſagitta petitur, unde pauciores ad nos feruntur.

§. 8.

Hæc itaque avis, multo minor vulgari magnaque avi Paradiſiaca, longitudinem habet 7. transverſorum circiter digitorum, non verò ejusmodi prolixam plumaceam appendicem ſeu caudam, qualis in magnis apparet, dum hæc avicula parva curtaque cauda, rigidis pennis conſtante, prædita eſt. Nihilo tamen minus etiam duo longa rigida fila habet, ex cauda protenſa, forte totius aviculæ longitudinem æquantia, quorum extremitates in duos rotundos circulos curvantur, albi vel groſſi magnitudine, qui è ſubtilibus pennulis conſtantes inſtar umbilici intorti ſunt, ſuperius ſmaragdina viriditate murinoque colore ſuperbientes: quæ duo fila hac in ave ſunt rariſſima. Capitellum ejus perexiguum ſuperius minii rubedine, in collo & cervice ſanguinea notatur, idque dilatatur. Ocelli ſunt perexigui, ſub quibus nigra macula obſervatur. Collum inferius cum pectore colore eſt puniceo, cui tantillum glauci interſpergitur. Inferius in pectore apparet area, lunam falcatam referens, ex ejusmodi ſubtilibus pennis congregata, ut nigrum ſericum appareat. Quæ luna falcata quibusdam in locis ſaturate & ſplendide nigra eſt, in aliis ſmaragdina viriditate permiſta & reſplendens, uti quarundam anatum colla apparent. Habito ad aviculam reſpectu alæ magnæ ſunt, totoque corpore multo majores: conſtant rigidis pennis, ſuperius obſcurè puniceis, quas tamen rubræ ac ſplendentes pennulæ interſtinguunt. Totum dorſum una cum cauda colore eſt eleganter ſanguineo: abdomen album glauco permiſtum: in lateribus longas habet plumas, ſuperius murino colore, ſecundum longitudinem ſmaragdina viriditate incluſas. Pedes longi ſunt anguſtique, & in quatuor longos digitos diviſi, acutis ungulis armati. Corpus parvum eſt, & perparum habet carnis, fere tanquam regulus.

§. 9.

Cæterum hæc avis, una cum avibus Paradiſiacis, plerumque in Inſula Arov naſcitur,

quæ 17. vel 20. milliaribus Nova Guinea abeſt, atque hæc pro vera iſtius habetur patria, dum Arovanenſium nemo unquam nec Paradiſiacarum nec Regiarum avium nidos vidit. Unò omnes ore profitentur, utrasque aves annuatim in calidis menſibus inde in patriam ſuam advolare, magnasque aves paradiſiacas in maximis altiſſimisque arboribus, Regias contra aves in humilibus fruticibus obſervari, de quibus parvas rubras baccas & ipſæ edant.

§. 10.

Aves Regiæ vel glandibus feriuntur, aut laqueis capiuntur. Illud poſt Solis fit occaſum: ſed rarò petitur hæc avis, partim quòd parvo comitatu volat, partim quod parva eſt & celer. Quæ cauſa eſt, quamobrem, ut ſupra dictũ, tam exiguâ ad nos copiâ venit. Hoc nigris hirſutis peragitur laqueis, quos de arbore Gomotbaum ſ. ſaguer dicta conficiunt. Simulac captæ aves ſunt, ſtatim, ut magnæ, inciduntur, ac interanea ſine mora eximuntur, parum enim cæteroqui habent carnis. Quo factò exſiccantur, quod vel in Sole, vel fumo peragitur, ac tum cavis canalibus induntur, in quibus avicula rotunda & longiuſcula evadit, prout in Banda vendendæ feruntur. Conſultius verò eſt, ſi diffinduntur, ac duobus anguſtis coriis interponuntur, quoniam hac ratione tota avicula infra ſupraque melius videtur. Quæ canalibus induntur ante, quam in fumò ſuſpenduntur, obturatis in utraque extremitate canalibus probe cuſtodiuntur, ne fumus penetret. Nec rectâ ſuper ignem ſuſpenduntur, ne incaleſcant, ſed ita, quo fumus iſtas ſaltem attingat. Diſſiſſæ camphora inficiendæ & papyro interponendæ ſunt, abdomen etiam oleo ſpicæ oblinendum. Quocunque modò præparatæ ſint, ſæpius aperiantur, in aëre expurgentur, iterumque cuſtodiantur, quoniam in India facile corrumpuntur, præſertim pedibus adhuc præditæ.

§. 11.

Quod ut antevertant incommodum, Arovanenſes olim de Paradiſiacis Regiisque Avibus non ſolùm interanea, ſed pedes quoque ſolebant abjicere, quò & melius præparari, & à putredine defendi poſſint. Poſtquam verò compererunt Batavos in erroneam incidiſſe opinionem, quaſi ejusmodi aves ne quidem unquam habuerint pedes, ſed perpetuo in aëre volitarent, noſtrò nunc periculò iſtis pedes relinquunt, præſertim, quum Aroenſes Inſulæ hodie Regimini Bantam ſint ſubjectæ. Hactenus *Herbertus de Jager*. Ex quibus apparet, nec clariſſimum aliàs *Olearium* acu rem tetigiſſe, quando *Lib. 3. Itiner. Ind. Mandel.* dicit: habemus in Muſeo Gottorfienſi aliquot aves paradiſiacas, perfecta crura pedesque habentes. Regulus vero iſtarum avium pedibus natura deſtituitur, in cauda autem duas longas habet ſtrias, pilos equinos æmulantes, in quarum extremitatibus pennæ virides eleganter incurvatæ ſ. intortæ videntur, quibus mediantibus adhærere arboribus poſſit. Quam bene hæc cum rei veritate conveniant, ex figura allegatâ apparet, Regiæ avi, ab *Dn. Vito* paucis ante annis ex India Orientali allatæ, prorſus conformi.

§. 12.

Multo adhuc rarior eſt avis, quæ inter prælaudati valdeque curioſi *Dn. de Jager* ſcripta reperta, in medio æris modò allegati ſiſtitur intuenda. A nemine auctorum adhuc, quantum ſcio, deſcripta eſt, quam tamen modo laudati *Jageri* verbis faciemus notam: incurvum roſtrum in hac avicula paulo longius eſt, quam in ave paradiſiaca, ſuperius paulum nigricans, ſubtus flammeum: criſta ſubflammea eſt, pennisque conſtat: pedes rubri & aliquantum longiores, atque in avibus paradiſiacis, tribus ungulis ornati. In dorſo gerit pennas obſcure virentes, in pectore quodammodò glaucas, easque de abdomine longiuſcule propendentes. Cauda eſt ut in ave paradiſiaca, præterquam, quod tam multæ pennæ non prodeant. Oculi opaci ſunt, pupilla rubra. Præterea nihil amplius potui indagare ac percipere.

CAPUT XXII.

DE

ANSERIBUS SCOTICIS.

§. 1.

VUlgarium domeſticarum juxta ac ſylveſtrium anſerum verboſior deſcriptio videtur ſupervacanea, præſertim cum ex poſterioribus necquicquam, è prioribus vero aliquæ ſaltem partes, pinguedo nempe & calami ſcripterii materialibus annumerentur, de quibus in fine hujus capitis agetur paucis. Nunc celebratos

ANSERES SCOTICOS,

aliàs Germ. *Baum-Gânſe* vocatos conſiderabimus, de quorum origine admirandâ magna inter Doctores eſt diſputatio. Speciem anſerum ſylveſtrium conſtituunt, & potiſſimum in Sco-

Scotia, unde nomen habent, inveniuntur, Scotisque & Anglis vocantur The BERNACLES ſ. CLARIS: Gallis autem MACQUEROLLES & MACREUSES. Paulum minores ſunt quàm anſeres noſtrates domeſtici, nigrum habent roſtrum, uti anſeres ſylveſtres, ſed multò curtius minusque. Collum & pectus ex glauco & nigro ſcutata ſunt, abdomen album, alæ & dorſum glauco nigro interſtinguuntur. Pennæ caudæ prorſus nigræ ſunt, iſtius vero extremitas candida eſt, id quod *Fr. Willughby Lib. III. Ornitholog. cap. 2. §. 3. pag. 274.* omnium optime deſcripſit, & in figura dedit contemplandum.

§. 2.

Iſti autem anſeres nec in Scotia ſemper & per totum annum obſervantur, ſed auctumno ſaltem & hyeme, quo tempore, uti anſeres ſylveſtres (vulgò *vvilde Schnee-* und *Hagel-Gänſe,*) magnis acervis veniunt, ibidemque hybernant: ut adeoque ibi neſciant unde proficiſcantur & ubi generentur, quemadmodum nobis fidem facit *Robertus Sibbaldus* in peculiari *Tr. de Anſeribus Scoticis*, quem *Scotiæ illuſtratæ* ſ. *Prodromo Hiſt. Nat. Scot. Part. 2. Lib. 3. pag. 38.* voluit annecti; Et quoniam plerumque littori maris Britannici, præſertim in Regione Lancaſter, iis in locis, ubi ita dictæ CONCHÆ ANATIFERÆ inveniuntur, aſſidere obſervati ſunt, orta opinio eſt, iſtos vel ex conchis, vel arboribus, quibus forte adhærent, generari, uti prælaudatus *Sibbaldus l. c.* non temere conjicit.

§. 3.

Quò autem veram hujus rei indagemus rationem, hac occaſione etiam modo dictas & ita vocatas

CONCHAS ANATIFERAS

breviter conſiderabimus, à quibusdam ſimiliter Bernacles, ab aliis, præſertim in *Muſ. Societ. Reg. Angliæ*, rectius Barnaclen Schels ſ. Bernakel-Muſcheln dictas, quas non in Scotia ſolum, ſed Norwegia quoque, teſtibus *D. Wormio* in *Muſ. pag. 257.* & *Jacobæo in Muſ. Hafnienſi pag. 21.* invenire licet. Iſtæ autem conchæ nihil aliud ſunt, quàm balanorum marinorum ſpecies, conſtantque ex triangulis concluſis ſcutellis, foris lævibus ac ſubcœruleis, ſubtus rugoſum mollem petiolum habentibus, quo mediante arboribus, navibus & aliis rebus ſe adhærent, & per quem incluſa beſtiola ſ. vermis, forte digiti craſſitiem, 5. vel 6. digitorum transverſorum longitudinem æquans & albicans, capit nutrimentum & propterea etiam vermis adinſtar ſe movet. Id verò præterea adhuc notandum, hoc in verme quasdam incurvas fibras inveniri, pennas quodammodo referentes, præſertim ubi explicatæ & è conchis exemtæ fuerint.

§. 4.

Quæ modò dictæ fibræ, pro pennis habitæ, ſupra memoratam opinionem, anſeres arboreos ſ. Bernacles ex conchis generari, magis videbantur confirmare, ut eam etiam multi Doctorum fuerint amplexi, quam potiſſimum *Michaël Meyerus* in *peculiari Tr. de Volucri arboreâ* ſumſit defendendam. Imo propterea Pariſiis in Sorbonâ communi ſententia judicatum fuit ejusmodi anſeres non avibus, ſed piſcibus eſſe annumerandos, ac iſtorum propterea eſum diebus ἀπαρχοις, memoriæ paſſionis Chriſti dicatis, eſſe licitum, id quod Gallus quidam fide dignus *D. Wormio* narravit, vid. *Muſ. ejus pag. 25.* Quæ etiam cauſa eſt, quamobrem iſti anſeres memorato tempore ex Scotia Angliaque Pariſios ferantur, teſte *Sibbaldo Prodrom. Hiſt. Nat. Scot. Part. 2. Lib. 3. cap. 6. pag. 21.* ubi loco piſcium venduntur & eduntur, auctore *Wormio l. c.* qui ab iſta opinione, unà cum *Scaligero*, *Aldrovando* aliisque, non videtur alienus.

§. 5.

Poſtquam verò hodiernis Phyſicis certiſſima habetur opinio, unumquodque animal proprio ſuo ſemine ſe multiplicare, atque adeo generationem æquivocam nec in abjectiſſimorum inſectorum multiplicatione habere locum, non temerè inde clariſſ. *Willughbejus l. c.* concludit, iſtam multo minus tam magnis volucribus poſſe convenire, priorem autem opinionem meritò eſſe fabuloſam, præſertim cum ſæpius laudatus *Sibbaldus*, qui omnia in Scotia ipſe vidit ac deſcripſit, hunc errorem refutaverit juxta ac oſtenderit falſo ita vocatos anſeres arboreos ibidem non generari, ſed aliunde advolare: ſimul etiam experientia teſtetur, ad modum aliarum avium & hos ex ovis fovendo excludi anſeres: ſiquidem non ſolum *Senguerdus* inſectione fœminarum ova obſervavit, ſed Batavi quoque in navigationibus Septentrionalibus reperierunt, anſeresque ex iſtis excludi teſtantur, auctore *Levino Hulſio in den Hollandiſchen Schiffarten de Anno* 1595. 1596. 1597. Cui ultimæ opinioni, utpote S. Scripturæ conformiori, ſecundum *Franzium* in *Hiſtor. Anim. pag.* 400. & nos meritò accedimus. Qui plura de hiſce anſeribus legere deſiderat, *Deuſingii Diſſ. de Anſeribus Scoticis* evolvat, ubi hæc fabula fuſius pertractatur.

§. 6.

Quod tandem ad ſimplicia à domeſticis anſeribus profecta attinet, in officinis axungia anſerina & calami ſcriptorii præparati habentur, quibuscum pennarum Mercatores magnam faciunt mercaturam: præterquam quod ex pennis ad lectos plumisque multum quoque lucrentur.

AXUNGIA ANSERINA

vi vehementer calefaciente, penetrante ac reſolvente pollet, & non ſolum internè duram alvum emollit, ſed tenellis quoque infantibus ſedes ciet, externè ſaltem umbilico applicata. Membra à pernione defendit, rhagadesque curat. Non minus ad convulſionem, paralyſin, & con-

& contracturam à scorbuto ortam commendatur, de quo vid. *Ettmüllerus* in *Comment. Schrad. p. m.* 803.

§. 7.

Calami scriptorii numero millenario crudi emuntur, posteaque modo sequenti præparandi: Calami in aquam ferventem, arenam calidam seu cinerem immittuntur, quoad mollescant, cultro deinde exterior pellicula detrahitur, ponendis super genu calamis, quo cultro liberentur à pellicula; Et quoniam hoc ipso labore calami concidunt & subsident, utrinque duæ pellucidæ oriuntur lineæ, quibus præparati à crudis distinguuntur. Quo facto, optimi maximique ac durissimi à mediocribus & vilioribus separantur, quorum 25. 50. vel 100. in fasciculum rediguntur.

§. 8.

Reliquæ minores pennæ ad lectos pulvinosque sumuntur: quibus tamen plumas Septentrionales, vulgò

EIDERDUNEN,

seu Steendunen & Otterdunen, longè præferunt, quæ valde leves teneræque, partim candidæ, partim glaucæ plumæ sunt, ex Islandia super Daniam ad nos transmitti solitæ. A specie sylvestris anatis, Eider vocatæ, oriuntur, quæ in Feroensibus Insulis reperitur.

§. 9.

Istæ anates in scopulis marinis dicuntur nidulari, & quoniam certo statoque tempore pennas abjiciunt, incolæ non sine vitæ periculo testibus se demittunt, cupidine colligendarum pennularum allecti: id quod *D. Wormius* in *Mus. pag.* 302. ipsasque anates optimè descripsit, cum Scotica Calca, cujus *Buchananus rerum Scotic. Lib. I.* meminit, ferè convenientes, quippe quæ similiter ejusmodi molles pennas calamis destitutas habet, quas etiam sponte abjicit, uti *Robertus Sibbaldus* in *Hist. anim. Scot. Part. 2. Lib. 3. p.* 21. recenset, istamque Tab. XVIII. in figurâ æneâ sistit intuendam.

§. 10.

Quam verò teneræ mollesque hæ plumæ sint, inde colligitur, quod tres libræ in globum vix pugni magnitudine possunt cogi, quæ postmodum ita se dilatant, ut plumæ primum discerptæ, & in aheno super carbonibus candentibus cautè detentæ, stratum superius seu lectum superiorem quinque pedum longitudine latitudineque juxta adimpleant, id quod à *Thoma Bartholino Cent. 2. Epist. 5. & Reybero Disp. de Aëre* annotatum est: cujus causam *D. Ettmüllerus* in *Disp. de Respiratione cap. 7. §. 3.* sumsit indagandam. Quam ob causam istæ Eiderdunæ à Magnatibus ad lectos itineratios & campestres conquiruntur, ac propterea longè lateque dive-huntur.

CAPUT XXIII.

DE

NIDIS INDICIS.

§. 1.

POstquam voluptas hominum hodie usque eò venit, ut ferè nihil tam absurdum vel nauseosum sit, quod non ad gratiam appetitus possit præparari, aliquot abhinc annis certi avium nidi raritatis & cupediæ gratia in Magnatum mensam ferri cœperunt, de quibus cum parum adhuc scriptum sit, nunc paucis memorabimus.

§. 2.

Id quidem apud antiquos etiam Medicos invenimus, interdum etiam avium nidos pro Medicinâ fuisse usurpatos, uti non *Andromachus* solùm, sed alii quoque apud *Galenum* recensent. Hodie quoque sufficienter notum hirundinum nidos in angina ac similibus inflammationibus externè cum successu applicari. Istos verò unquam tanquam escam usurpatos fuisse nusquam legitur, donec tandem in præcedenti seculo hi avium nidi primum in Europam allati, certoque modo præparati, inter alias cupedias edendi oblati sunt, eò delicatiores æstimati, quo sunt rariores carioresque; quod enim minoris constat, nihil etiam sapit.

§. 3.

Istos verò adeò caros esse, non mirum, cum non solùm in Indiâ Orientali jam cari sint, sed longô etiam itinerum intervallô ad nos veniant. In scopulis marinis inveniuntur, quorum multi in ea Indiæ parte, quæ Coromandel vocatur, perhibentur inveniri, ubi multa cerrarum avium millia illos exstruunt. Quæ verò avium sit species, nondum penitus innotescit: quanquam Clarissimus Danorum Medicus, *D. Wormius*, suo tempore multum in istis explorandis posuit operæ, propterea que ad *Dominum de Laet*, Clarissimum Indiæ Scriptorem, exaravit literas, nihil tamen ab isto potuit experiri, præterquam quod parvæ sint aviculæ, hirundinibus haud dissimiles, vid. prædicti *Wormii Mus. pag.* 311. *Pometus* istas Alcgones vocat: ex quô vero id nominis audiverit, non recensct. Teneræ dicuntur aviculæ, spatium vitæ metientes parvum.

§. 4. Col-

§. 4.

Collectos nidos incolæ quingentenos vasi indunt, tanquam thec, inque India mensura, dicta Catien, quinque circiter libræ quadrantes explens, Imperiali æstimatur, cujus rei *Dn. Vitus*, isthinc redux factus, & qui istos sæpe collegerat, mihi exiitit auctor. Per se magnitudine sua dimidium ovum anserinum æquant, albicant & natura sua ichthyocollæ haud dissimiles sunt, ex multis fibrillis congesti, quoniam ex meris algæ aquatilis fibris ipsæ aviculæ istos componunt, uti *Dn. D. Kæmpferus*, qui diu in India Orientali commoratus est, coram mihi retulit; quanquam alii, qui similiter in India Orientali fuerunt, affirmare velint istos ex alba & mucilaginosâ materiâ, ex qua ambra gryscea generatur, oriri, quam in mari aviculæ decerpant: & hinc vis eorum confortans dicitur dependere. In istis interdum etiam pennulæ testarumque ovorum fragmenta inveniuntur, quæ majorem nobis faciunt fidem, ut veros esse nidos credamus.

§. 5.

Quod ad istorum usum viresque attinet, ab Indis pro stomachico habentur: quod Legati Siamenses Anno 1687. Parisiis sumebant affirmandum, ac propterea Ministris quibusdam Regiis Primariis sibi obviam missis tales offerebant, id quod in *Itinerario Legatorum Siamensium*, tum temporis Francofurti in lucem edito, *pag.* 45. *Part.* 3. commemoratur.

§. 6.

Præterea isti nidi ad coitum valdè commendantur, prout plerumque omnia stomachica istum etiam promovent. Interea tamen, si res verè consideretur, ejusmodi vis ab aliis potius additis, quibuscum præparantur, fortè oritur. Quæ causa est, quamobrem Clarissimus Italorum Scriptor, *Franciscus Redi*, in *Experimentis suis p.* 167. id sibilo magis explodit, quam approbat, cum Veneris exercendæ vires, ex officinis desumtæ, facilè exhaient.

§. 7.

Præparatio fit sequenti modo: Nidi in gallinæ aut carnis vitulinæ jusculo coquuntur, quoad molleſcant, hinc butyro variisque pretiosis aromatibus ita inficiuntur, quo saporem gratum accipiant: post furcillâ distrahuntur edunturque. De præparatione & usu vid. *Adamus Olearius in der Gottorpischen Kunst-Kammer pag.* 24. & *Dominus de Hochberg* in fine *des Adelichen Land- und Feld-Lebens*, in peculiari capite.

CAPUT XXIV.

DE

HIPPOPOTAMO ET EJUS DENTIBUS.

§. 1.

DENTES HIPPOPOTAMI, *Wall-Roß-Zähne*, magni crassiq; dentes sunt, duorum fere pedum longitudine, superius semipedali crassitie, foris subglauci, intus eleganter candidi, & usque eo duri, ut ex iisdem collisis ignis prosiliat. Ex Æthiopia afferuntur, ubi hæc bestia juxta Nilum fluvium utplurimum reperitur, teste præter alios *Everh. Wilh. Happelio* in *Theatr. Exot. p.* 84.

§. 2.

HIPPOPOTAMUS amphibiorum est maximum, & à *Thom. Bartholino Cent.* 3. *Epist. Med. p.* 291. non immeritò phocis annumeratur. Quod verò à Græcis ἱπποπόταμος (*See-Roß*) dictus fuerit, inde fortasse venit, quoniam capite aliquo modo caput equinum æmulatur, præsertim quando istud ex aqua exporrigit, id quod Illustris *Ludolfi* figurâ æneâ in *Hist. Æthiopica, Lib. I. c.* 11. *num.* 2. ostendit: ubi simul totius bestiæ repræsentatur delineatio, quæ hippopotamo in circuitu Horti Medici Lugdunensis erecto infarctoque & à me ipso olim viso multum conformis est.

§. 3.

Thevenoti quoque delineatio cum priori figura bene convenit, quando *cap.* 72. *part.* 2. *Itinerarii* istum colore puniceum (quamvis prædicta cutis paulo nigrior sit) altitudine camelum æquare, & bovis magnitudinem bis continere pronunciat. Caput dicit æmulari equinum, quo tamen sit crassius, parvos oculos, nares vero magnos, patentes: crassos & pene rotundos, sed curtos habere pedes, quatuor ungulis, ut crocodilus, præditos: valde brevem caudam, ut elephantus, nullos aut perpaucos pilos in tota cute, quæ usque eo dura crassaque sit, ut non facile possit glandibus plumbeis transfodi, nisi in maxillis petatur, è quibus, præter cæteros, duo magni dentes oculares, quadantenus sursum torti, forte pedis longitudine, cornu bovilli crassitie ex ore prominent, quibus noctu piscibus, interdiu vero fructibus, magnum infert damnum.

§. 4.

Quoniam autè *Job. c. XL. v.* 10. ejusmodi proprietates Behemotho adscribit, hinc sunt quidã Doctorum, inprimis Clar. *Bochartus* in suo *Hie-*

rozoico Lib V. c. 15. qui exiſtimant per Behemoth non tam elephantum, ſecundum vulgatum interpretem, ſed potius hippopotamum debere intelligi, dum non ſolum fœnum, bovis adinſtar, paſcitur, ſed in arundine quoque lutoque ſe recondit, quæ ſimilesque proprietates, ab Jobo iſti tributæ, de elephanto neutiquam intelliguntur: quam controverſiam ſupra laudatus *Dn. Ludolfi* fuſius accurateque juxta compoſuit in *Comment.* in *Hiſt. Æthiop. pag.* 157.

§. 5.

Quod ad uſum hujus beſtiæ attinet, incolis Æthiopiæ non ſolùm in cibum cedit, quippe qui iſtius carne, ut nos bubula, veſcuntur, ſed in Medicinâ quoque ejus obvenit uſus, in qua non modò dentibus, ſed & priapo, tantum non oſſeo facto, magna vis pellendi fœtum vivum mortuumque juxta, ac ſecundinas & calculum adſcribitur. Maximè verò dentes ad nos vehuntur & conquiruntur, quippe qui ob ſalem ſuum volatilem & vim abſorbentem interne ad hæmorrhagias quascunque, & præſertim ad alterationem à terrore inductam commendantur, & externe ad convulſionem manuum pedumque prædicantur utiles; quem in finem vel annuli digitales, vel toti circuli cateniformes inde conficiuntur, qualem *Wormius* in *Muſ. pag.* 290. deſcripſit. Illi etiam, qui à reſarciendis dentibus vocati Medici optant, iſtis crebro utuntur, dum dentes ſuppoſititios, filo aureo reliquis connectendos, exinde tornant, quod non tam cito flaveſcunt, more eorum, qui alioqui ex ebore tornati ſunt.

§. 6.

Tandem cujusdam beſtiolæ facienda mentio, quæ ſimiliter à quibusdam Scriptoribus

EQUUS MARINUS, rectius autem HIPPOCAMPUS

vocatur, utpote capite equum quadantenus æmulans, præſertim in aperto mari natans, capiteque proſpiciens: Sic enim ſæpius ab iis, qui in Indiam Orientalem navigant, dicitur videri. Cæterum parva, ſquamoſaque & quodammodò aculeata beſtia eſt, nec adeò notabilem in Medicinâ uſum habet, præterquam quod cinis pinguedine aut molli reſina ſubactus alopeciæ dicatur mederi, uti *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Lib.* 1. *pag.* 87. ex *Matthiolo* recenſet.

CAPUT XXV.

DE

STINCIS MARINIS, LAPIDE CAYMANUM, ET CROCODILASTRO CRISTATO.

§. 1.

SCINCI MARINI (*Erd-Crocodillen*) ſunt quadrupedes beſtiolæ, parvam viperam referentes, fortè ſemipedali longitudine, & pollicis latitudine, foris cineraceæ & ſquamoſæ, oblongè rotundo capite & acuminato ore, longa rotundaque cauda, à qua ad caput usque fuſca linea excurrit, prædita. Olim ex Ægypto ſuper Maſſiliam veniebant, ubi prope Nilum reperiuntur. Hodie ex Italia ſuper Venetias exenterati exſiccatique feruntur, teſtibus *Pometo*, in *Hiſt. des Drogues P.* 2. *Lib.* 1. *cap.* 29. & *Marxio in Mat. Muſ. Germanico pag.* 186.

§. 2.

Optimi ſunt magni, craſſi longique, albi, ponderoſi, ſed tamen ſicci & adhuc integri, odoris mucidi expertes & recentes, propterea quod veteres facile carioſi evadunt caudasque amittunt; quem in finem in abſinthio volunt aſſervari, ſecundum monitum *Schurzii* in *Mater. Muſ. Germanico pag.* 91.

§. 3.

Quod ad vires iſtorum attinet, alexipharmacæ ac bezoardicæ habentur: quo intuitu ad Mithridatium ſumuntur. Iſtæ vero virtutes ſine dubio à Θe volatili proficiſcuntur, quo mediante potentiam virilem acuere coitumque promovere dicuntur. Hinc à Veteribus ad Elect. Diaſatyrionis, à *Mynſichto* autem & *Langio* ad confect. Pacif. & Morſulos Aphrodiſiacos fuerunt recepti. Nec dubium eſt, quin genuini Scinci marini ejusmodi virtute præditi fuerint, qui cum raro aut nunquam ad nos veniant, uti *Foreſtus* ſumit defendendum *Lib.* 26. *obſ.* 26. Scinci vero marini ab Judæis Venetiis transmiſſi, inque officinis noſtris reperiundi, ejusmodi virtute deſtituantur, ſecundum *Geſnerum* in *Hiſt. Animal.* & *Ettmüllerum* in *Comment. Schræd. pag.* 876. non tantum in iſtis ponendum fiduciæ, nec adeo neceſſaria curioſa diſputatio, num ad Mithridatium ſolus venter, ad aphrodiſiaca medicamenta vero ſimul cauda ſit ſumenda: qua de re vide *Ammannum*, *Hoffmannum* & *Daleum*. Multo minus *Plinii* fidendum eſt experimento, exiſtimantis cutem uſtione in cinerem redactam membris à Chirurgo abſcindendis inſperſam patientem à dolore præſtare liberum, vid. *Wormius in Muſ. pag.* 315.

§. 4.

§. 4.

Quâ occasione non possum, quin etiam LAPIDIS CAYMANUM injiciam mentionem, quem *Nicolaus Monardes* olim primus, & post istum *Wittichius* in *Descriptione quorundam simplicium Germanicorum p.* 26. *Boëtius de Boot in Hist. Gemm. pag.* 353. & *Malletus* in *Cosmogr. P.* 3. *pag.* 34. ita descripsêrunt, quod in ventriculô crocodilorum, in Africa Caimanes dictorum, reperiatur, lapidibusque in aqua fluviatili reperiundis haud dissimilis sit. Cum verô plures unô in animali inveniantur, colligi fortasse posset eos ante fuisse deglutitos. Interea Indi Hispanique ejusmodi lapides summô studiô solent colligere, quippe quos putant in curanda febre quartana præstans remedium, si istorum duo in paroxysmo, cuilibet tempori unus, alligentur. Sic enim febrim vel prorsus depelli existimant, aut certe æstum efficaciter deprimi: cujus rei *Monardes* aliquod adducit exemplum.

§. 5.

Alias Crocodili detestandæ bestiæ sunt, maximaque lacertorum species, quæ interdum 18. vel 20. pedum habent longitudinem, quoniam per totam vitam in magnitudinem accrescunt, ac propterea apud *Jobum cap. XL. v.* 20. per Leviathan intelliguntur, id quod *Dn. Ludolfi* in *Hist. Æthiopica Lib. I. cap. XI.* ejusque *Commentario pag.* 189. ostendit. In Nilo potissimum, Æthiopiæ fluvio, foventur, terram tamen simul petunt pabulatum, ubi etiam homines, si istorum compotes fieri possunt, devorant. Interdum tamen ita mansuefieri posse perhibent, ut hominum humeris insidentes cum istis ludant, de quo amicus quidam ex Oriente redux me fecit certiorem; qua verô arte capiantur, *Malletus Part.* 3. *Cosmograph. de Africa pag.* 34. in figura sistit contemplandum. Hâc nempe arte utuntur Venatores: sumunt uncum seu hamum, eundemque sui, verveci, vel capræ alligant, quod animal deinde ad crocodilum decurrere curant, quo ab hoc famelico facto, una cum unco, avide ingurgitetur, ex istoque intestinis adhærente moriatur, & isto mediante postmodum extrahatur. Albam sapidamque carnem, caponem æmulantem, habere dicitur, quam propterea in diebus passionis Christi edunt. Cæterum crocodili quadraginta dies à cibis se abstinere & tamen vivere posse creduntur; istos verô maxillam superiorem, non verô inferiorem, in mandendo movere posse, prorsus fictum est, dum hæc, ut in omnibus aliis animalibus, pariter mobilis cranio annectitur, id quod in sceleto ejus Londini Britannorum in Museo Greshamensi ipse vidi, aliique præterea exsiccati & in Museis asservati crocodili idem comprobant.

§. 6.

Quanquam crocodilus per totum corpus, superius præsertim, valde crassis squamis usque eo munitus est, ut nec bombardæ glandes plumbeæ possint penetrare, aliis tamen istis mediantibus non adeô nocet, atque similis lacertus

CROCODILASTER CRISTATUS, (vulgô KEMPHAANE)

cujus vera & à vivo animali desumta delineatio, uti in *Mus. Mus. Germanicô* sistitur, mihi haud ita pridem ab amico quodam ex India allata est; qui fortasse magnus ille lacertus aquaticus est, qui acuta sua cauda hominibus pedem præcidit, ac propterea ab Italis Caudiverbera vocatur, de quô supra laudatus *Ludolfi l. c.* pluribus potest legi.

CAPUT XXVI.

DE

CASTOREO, AXUNGIA ET PELLE CASTORIS.

§. 1.

SEquitur jam CASTOREUM, *Bibergeil* vulgo dictum, constans ex oblongè rotundis glandulis s. folliculis, fere ovi magnitudine, foris fuscis apparentibus, intus partim materia cinamomei coloris, partim pinguedine refertis, saporis acris & subamari, odoris fortis & gravis. Utplurimum ex Lithuania per Dantiscum venit, quamvis etiam in Germaniâ, Galliâ, locisque aliis reperiatur.

§. 2.

Hoc nominis ab ipsô animali, CASTOR s. *Biber* dicto, proficiscitur, quod mirum satis animal est, anterius animali quadrupedi, à partibus posterioribus pisci simile, & quòd in terra aquave juxta vivit ac nutrimentum quærit, amphibiis annumerandum. Ratione formæ partibus anterioribus taxum, capite autem murem montanum æmulatur, in ore anterius multos longosque habens dentes, foris aurei coloris, intus candidis, quibus non solùm corticem de arboribus detrahit, sed ad infringendas quoque arbores valet, nec ante à mordendo homine remittere dicitur, quam ossa audit crepitare. Mediocriter corpulentus est castor, forte ut porcellus dimidii anni, pedes habens curtos, tanquam taxus, quorum an-

teriores ungulæ pedes caninos, posteriores anserinos aut cygneos æmulantur. Pellis per totũ corpus obscurè fuscos valdeque teneros habet pilos, cauda vero inflata est cutis, squamis quasi interstincta, & foris cineracea apparens, quam semper in aqua dicitur retinere, dum cavernam suam valde artificiosè & cum aliquot contignationibus in ripa constructre, indeque piscibus cancrisque struere insidias didicit, quò istis se nutriat, prout *Johannes Marius*, Medicus Augustanus, in *Castorologia* sua posthuma, à *D. Joh. Franco* in lucem edita, fusius pertractat.

§. 3.

Quâ verò in parte animalis adeò commendatum castoreum crescat & inveniatur, hic meritò quæritur? Veteres unó omnes consensu id castoris esse testiculos existimabant, unde etiam istis Germanicè *Bibergeil* dicebatur. Quidam porrò fingebant animal optimè sibi conscium se propter testiculos à Venatoribus peti, istos ipsos sibi in fugâ evellere, eosdemque abjicere, quò à Venatorum insidiis sit tutum. Enimverò figmentum hoc esse ab omnibus Doctoribus recentioribus statuitur, præterquam quod *Schræderus* in *Pharmac. Med. Chym. Lib.* 5. de Castoreo, & *Vielheurius* in *Descriptione Mat. Exotic. Germanica p.* 172. veterum adhuc tueantur opinionem. Ut enim taceam castorem semper prope aquam circumvagari, visisque insidiis se continuò aquæ submergere, certum primo est testiculos, atque iis vocatum castoreum, tam profundè latitare in castore atque in suibus, ut animal istos evellere nequeat. Id quod *Dioscorides* jam suo tempore suboluit, & de vulgari dubitare cœpit opinione, quam postmodum *Rondeletius* aliquo studio sumsit rescindendam, quoniam castoreum in fœminis maribusque juxta invenitur, nullam cum partibus genitalibus habet communionem, ac præter istud veri testiculi in castore inveniantur, haud secus atque in aliis animalibus è multis funiculis & fibrillis constantes, cùm in folliculo contra, castoreum dicto, fusca saltem & aliquot pelliculis permista materia, pinguedo ac ejus generis reperiatur, id quod *Wormius* in *Mus. pag.* 321. *Thom. Bartholinus Cent. I. ep.* 9. *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. p.* 653. aliique quamplurimi Medicorum, præter *Gesnerum*, *Aldrovandum* aliosque, jam pridem ostenderunt. De quò eo minus dubitandum, quo clarius ista omnia Parisiis in publica anatome ac sectione castoris reperta sunt, ubi præter genuinos testiculos, vix testiculos gallinaceos magnitudine æquantes, quatuor folliculi prope os pubis fuerunt observati. Bini superiores fuerunt paulo minores, pinguedine repleti, inferiores majores, referti materia cineracea, omnes verò carnosa cute cincti: quæ omnia postmodum in Gallicâ Descriptione exposita sunt, cujus titulus est: *Description Anatomique d' un Cameleon, d' un Castor, d' un Dromedaire, d' nn Ours & d' une Gazelle*, quæ in summam contracta legenda sistitur in *Journal des Sçavans Tom. V. Ann.* 79. *Mens. Decemb.*

§. 4.

Isti hactenus descripti folliculi, receptum Germanis nomen retinentes, simulac excisi sunt, colliguntur, aliquamdiu in camino suspendendi, quoad exsiccati fuerint, contenta materia induruerit, ipsique folliculi foris evaserint fusci, teste *Pometo* in *Hist. des Drogues Lib. I. pag.* 21. Videndum verò, ut ne folliculi exsiccando nimis nigrescant, dum de quorundam Materialistarum opinione castoreum nigrum continere venenum putatur: quod licet non adeò verosimile sit, nigrum tamen non probatur, utpote sine dubio ad putredinem proclive, uti *Schurzius* in *Mater. Mus. Germanico pag.* 21. commemorat. Folliculi etiam non nimis pingues sint, aut pinguedine repleti, sed bene exsiccati purique: dissecti etiam ex flavo fusci appareant, neutiquam nigri. Qui in altero latere subalbicante pinguedine notantur, ac nondum aperti sunt, potissimum probantur, secundum *Marxium* in *Mat. Mus. German. pag.* 74. pondere uncias quatuor ad sedecim æquant, pro animalis magnitudine, uti *Pometus l. c.* ostendit, qui Dantiscanum castoreum castoreo de Canada, utpote nimis sicco & fere inodorò, multum censet præferendum.

§. 5.

Quoniam verò castoreum pretiosum est, ac propterea non solum è quibusdam gummatibus, utpote gummi ammoniaco, opopanace, sagapeno & similibus cum castoreo permistis arte componitur, & ejusmodi pinguibus pelliculis insuitur, sed etiam quidam impostorum frusta plumbi, glandium, arenam & id genus alia ejusmodi folliculis indunt, de quo supra citati Materialistæ ad unum omnes conqueruntur, bene videndum, num verum castoreum intus fibris parvisque pelliculis, crescendo insertis, distinctum sit, cum adulterinum contra ex unius generis materia constet, & ejusmodi fibras pelliculasque non contineat: id quod *Moyses Charas* in *Histoire Nat. des animaux & des Plantes, qui entrent la Composition de la Theriaque pag.* 253. pro infallibili signo habet, quo fraus possit detegi. Quod tamen in fragmentis castorei, quæ Materialistæ separatim à folliculis integris, & quidem paulo vilius divendunt, tantùm videre licet: quanquam sæpe ex meris pelliculis constent, nec multum prosint. Pondus etiam differentiam quodammodo indicat, dum veri folliculi ponderosi durique sunt, arte facti inflati, glabri ac splendentes, qui pressi flavescentem materiam dimittunt, teste *Pometo l. c.*

§. 6.

Cæterùm castorei odor salem istius volatilem oleosumque indicat, quo calefacit, resolvit ac nervos confortat, ac propterea in morbis capitis ac nervorum, utpote apoplexia universali

sali & hemiplegia, epilepsia, amisso auditu, vertigine &c. non minus & in omnibus ventris torminibus, præsertim vero colica & suffocatione uterina nobile existit remedium; menstrua quoque omnesque impuritates post partum promovet, uti omnes feliciores Practici confitentur, excepto *Zvvelfero*, receptæ opinioni in *Pharm. Reg. p.* 65. intercedente, qui unus solusque est, cui castoreum in morbis uterinis videtur minime laudandum: sed sine omni ratione, uti *D. Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 776. jam ostendit, omnesque uteri suffocationem passæ mulieres testantur, quippe quæ vel nudo castorei odore dolorem sentiunt mitigari. Internè potissimum istius essentia usurpatur, una cum & dest. & infuso, in *Schrædero* & *Dispens. Aug.* descripta.

§. 7.

Tandem & aliæ castoris partes, utpote DENTES ANTERIORES usurpantur, non minus in pleuritide atque dentes apri utiles. Item AXUNGIA CASTORIS ab AXUNGIA CASTOREI distinguenda, quæ binæ externè in prædictis morbis conducunt: quanquam posterior multò sit penetrantior, sed simul etiam carior. Quàm verò grata & delectabilis sit PELLIS CASTORIS, ob teneros purosque pilos, sufficienter notum est. Pinguis castoris pellis melior est ac pretiosior, quam quæ à macilento desumta est, quove est nigrior, eo æstimatur majoris. PILI CASTORIS à pileonibus conquiruntur, unde pilei castorini, vulgò *Castor-Hüte*, confici solent: potissimùm verò eliguntur breviores; à longioribus etiam texuntur tibialia (*Castor-Strümpffe.*) Combusti hæmorrhagiam sistunt.

CAPUT XXVII.

DE

MANATI EJUSQUE LAPIDE.

§. 1.

LAPIS MANATI (*See-Kuh-Stein*) oblongè rotundus lapis est, instar eboris apparens, magnitudine parvæ pilæ, inodorus insipidusque juxta. Utplurimum ex India Occidentali venit, atque in capite Manati invenitur.

§. 2.

Ipsum animal MANATI (Germ. *die See-Kuh*) ita vocatur, quia duo anteriores pedes manus referunt. Valdè deformis bestia est, foris fusca; capite caprillum imitatur, quod tamen magnitudine superat. Os vituli habet, nares magnas, parvos oculos, auribus caret, corpus ei est amplum, tanquam bovi, cauda ampla & rotunde curta seu obtusa, ut in *Hernandezii Hist. Rerum Med. Nov. Hisp. pag.* 323. describitur ac delineatur. Proprie amphibiis annumeratur, & quamvis à nonnullis inter cetos referatur, non tamen rapax piscis est, sed gramine marino se alit. XVI. pedes forte longus, 7. vel 8. pedes latus est, adeò ut secundum *Jonstonum* hæc bestia vix à duobus bovibus possit trahi.

§. 3.

Quâ arte hoc animal capiatur, *Pometus* in *Histoire des Drogues Lib. I. pag.* 83. ex aliis fusius descripsit, inque parva figurâ ostendit. Scilicet tres vel quatuor viri navem petunt, ac versus animal caute & sine ullo strepitu remigant, quod accuratiori auditu præditum est. Cui si appropinquaverint, qui in anteriori navis parte stat, omni conatu hastam in istius corpus intrudit, quo facto animal abit, alligatamque hastam sumit secum, istaque ipsa semicaptum est. Postquam natando lassum factum, & magnam in mari concitavit spumam, sensim retrahitur, altera vice hasta petitur, ac tandem vincitur, eodem fere modo, quo balænæ capiuntur, de quo alio in loco agemus pluribus.

§. 4.

In quo sic capto animali utplurimum duo magni lapides in capite inveniuntur, qui non tam in cerebro (ubi venas nervosque nimis premerent, ac sensus vitamque animali adimerent) quam sub isto, cranio adhærent, ac procul dubio nihil aliud sunt, quam superior pars meatus auditorii, in quo quippe *Oviedus* istos deprehendit, teste *Wormio in Musæ. pag.* 58. Simile quid etiam in capitibus suillis, uti alibi memoravimus, videtur, ubi ejusmodi friabilia & alba ossicula inveniuntur, ab externis internisque vaporibus quadantenus emollita, & quasi à Natura philosophicè calcinata.

§. 5.

Quùm verò etiam lapides, s. ejusmodi ossicula, è veris cetis, prope Spitzbergam capi solitis, desumuntur, atque sub nomine lapidis Manati venduntur, teste *Wormio l. c.* hinc bene observandum Pseudomanatos plerumque multo majores esse veris, nec tam candidos, sed subflavos. Simul ceti pinguedinem redolent: genuinus contra Manati lapis prorsus inodorus est, sive teratur, aut rundatur, cum etiam pinguedo hujus animalis tosta non adeò ingratum habeat odorem, uti pinguedo ceti. Durities etiam vulgo

ita habiti lapidis differentiam indicat, quæ in Pſeudomanato, quam in vero & genuino, multo major eſt: hic ſiquidem è multis parvis fruſtulis coagmentatus, percutiendo in ejusmodi parva fruſtula recidit, id quod in eo, quem vidi, apparet, & aliquam partem è figuris intelligitur, ab *Ulyſſe Aldrovando* in *Muſeo Metallico pag.* 798. communicatis.

§. 6.

Quod ad uſum animalis lapidisque attinet, caro barbaris Indis in cibum cedit, utpote grato ſapore prædita, ſive recens ſit, ſive ſale condiatur, uti *Hernandezius l. c.* refert. Lapis præſertim ad calculum renum ac lumborum dolorem valde commendatur, ſive uſtus, aut ſaltem pulveratus propinetur, auctore *Boëtio de Boot* in *Hiſt. Gemm. & Lap. pag.* 359. ex quo etiam in nobili Pharmacopœia Bateana peculiaris valdeque probatus pulvis adverſus calculum (quem minuere pellereque creditur) componitur. Ad convulſionem quoque, epilepſiam, colicam &c. internè externeque commendatur, annulo incluſus, aut tanquam amuletum ſuſpenſus.

§. 7.

Id verò quæri poſſet, iſtudne medicamentum tutò & ſine ullô periculô poſſit uſurpari? dum Materialiſta Gallus *Pometus l. c.* exiſtimat vomitus fortiores excitare, ſtomacho nocere, ejusque propterea uſum internum non eſſe tutum. Cujus tamen rei rationem video nullam, dum qui hoc ſuper lapide ſcripſerunt, ejusmodi effectum obſervarunt nunquam, iſte etiam ritu aliorum oſſium, præter copioſum ſalem volatilem, gelatinam continet, quæ potius de vi demulcendi, quam vomitum ciendi, teſtatur.

§. 8.

Num verò ſupra laudatæ lapidis virtutes à modo dictis particulis tantum dependeant, meritò dubitamus, cum & alius ſal volatilis eundem præſtare effectum poſſet. Quamobrem non poteſt quin aliud quid reconditum ſit, iſtaque operatio magis à peculiari textura, à Deo Naturaque lapidi communicata, dependeat, qua de re *Dn. D. Stahlius*, clariſſimus Medicus & Prof. Halenſis, in peculiari *Diſp. de Lapide Manati Membr.* 2. §. 6. *& ſeqq.* eleganter & ingenioſè judicat, ubi curioſus lector plura de hoc nobis adhuc ſatis incognito medicamento inveniet. *Lopezius* etiam in *Hiſt. gener.* 31. *Petrus Martyr. Fr. Gemara*, *Petr. Cieca P. I. Chronic. Peruan. c.* 31. & *Ferdinand. Oviedo L.* 13. *Hiſt. Nat. Ind. c.* 7. & 10. poſſunt evolvi.

CAPUT XXVIII.

DE

SPERMATE CETI, AXUNGIA CETI, ET COSTA SARTORIA.

§. 1.

SPERMA CETI (*Walrath*, *Wollram*, *Welſat*) eſt ſubſtantia prorſus alba, mollis, tenera, pinguis, quaſi è multis parvis ſquamis conſtans, ſaporis pinguis & mucilaginoſi, odoris oleacei. Societati Grönlandicæ è Gronlandiâ à piſcatoribus cetorum plerumque crudum affertur, in Hollandiâ poſtmodum depurandum & rectè præparandum.

§. 2.

Qualis verò proprie materia ſit, & unde oriatur, hic quæritur? cum diverſæ Doctorum ſint opiniones. Plurimis olim videbatur ſemen ceti, unde etiam nomen cepit, & huc usque retinuit: quæ opinio ab antiquo Medico, cui *Cordo* nomen fuit, in peculiari Tract. fuit ventilata. Alii, utpote *Geſnerus*, lac putant eſſe ceti. Alii ambram ab aqua marina maceratam albamque factam, propterea quod ſperma ceti æque mari innatat ac ambra, hæcque ſæpe in cetis invenitur, uti alibi oſtenditur. Quæ tamen opiniones omnes non ſubſiſtunt, poſtquam *Dn. D. Elſnerus* jam multos ante annos, ſtatim in principio Academiæ Nat. Curioſorum, in *Miſc. Dec.* 1. *An.* 1. *obſ.* 136. *pag.* 266. oſtendit, ſperma ceti vulgò dictum nihil aliud eſſe, quam cerebrum Orcæ, in quo ſæpe meninges invenerit: quam opinionem etiam *Thom. Bartholinus* in *Epiſt.* & *Ol. Wormius in Muſ.* confirmarunt, qui in Regionibus Septentrionalibus, Hafniæ ſcilicet, vixerunt, propterea que melius ea de re potuerunt teſtati. Hinc Clariſſ. *Ettmüllerus* iſtam tandem opinionem in peculiari *Diſp. de Spermate Ceti* fuſè accurateque defendit, quam videmus Iſtius operibus annexam.

§. 3.

Ubi notandum, iſtam materiam, ſive vulgò dictum ſperma ceti, à maribus ſaltem proficiſci, dum cerebrum cetorum fœminarum fluidius ad ſuppeditandum oleum alendæ flammæ deſtinandum utilius eſt. Duûm tamen generum piſces nimis magni vaſtique ſunt, ſiquidem Anno 1672. die 30. Julii Amſtelodamo ſcimus ſcriptum, prope Briſtolum in Anglia captum eſſe cetum, qui longitudine 24. ulnas Anglicas, & oris amplitudine 12. ulnas æquaverit. *Pometus* etiam in *Hiſtoire des Drogues Part.* 2. *Lib.* 1. *pag.* 31. recenſet, Anno 1658. ceti ſceleton Pariſiis viſum, cujus

Ad Lib. 3. Cap. 28.

AMBRA
GRYSEA.



...s Anschen eines Stücks Ambræ Grisææ wie es von der Seite anzusehen gewesen und hatte des ganze gewicht
182 Pfund.

cujus craniũ ſolum 16. l. 17. pedes longum fuerit, cujusque mandibulæ 4600. libras habuerint: & quoniam caput in maribus tertiam animalis partem conſtituit, facile colligere licet, quam inſignis cerebri quantitas in eo reperienda ſit, de quo plures urnæ una vice poſſunt deſumi, quando cetus captus necatusque eſt. Modus capiendi eſt ſequens: Simulac piſcatores Grönlandici in majoribus navibus cetum obſervant, quidam in naves minores (vulgò *Chalouppen*) continuo deſcendunt, (quarum tres quamque majorem comitantur,) ubi quidem ſex homines requiruntur, unus nauclerus, unus jaculator (vulgò *Harpœnier*) unus funis gubernator (vulgò *Leinenſchieſſer*) & 3. remiges. Iſti decem remis & diverſis armis inſtructi remigando ceto appropinquant, cui ſi ita proximi facti ſunt, ut iſtum petere non dubitent, Harpœnier dictus ferreum jaculum (Harpun vocatur & ſagitta eſt duobus uncis duos aut tres pedes longis prædita) in mare deſcendit, & ducentarum aut trecentarum emetitur profunditatem: quamobrem funis (*Lyne* vulgo) cui jaculum alligatum eſt, à funis gubernatore, eodem fere modo, quo dolia in cellas demittuntur, ſed multo celerius evolvitur. Haud multo poſt prodit iterum piſcis, ac per ſuperiorem tracheam tantum emittit ſonum, qui ultra dimidium vel totum milliare poteſt audiri. Tum tres naves minores iterum ad iſtum accelerant, fune, quo retinetur piſcis, monſtrante viam. Qui primus acceſſit iterum jaculum immittit, ex quo beſtia denuo fundum petit; tertiâ vice prodeuntem jaculo non petunt, ſed lancea tanquam venabulo ſæpe transverberant, quæ tamen, utpote uncis deſtituta, in iſto non immiſſa relinquitur. Multis vulneribus ſi defatigatus eſt, lanceam profundius immittunt, donec nobile aliquod viſcus perierint, quod ex eo intelligitur, quando ſanguis ex venis aëriferis fluvii adinſtàr profluit, ac piſcis mirum agitando ſibi mortem accelerat, cauda etiam pinnisq; ita aquam percutit, ut ad dimidium milliare audiri, & tanquam tormentum majus bellicum pulvere incenſo tonitruare perhibeatur. Quæ omnia tam viſu jucunda curioſaque eſſe dicuntur, ut iſtorum aſpectus nullum pariat faſtidium, quæ *Schurzius* in *Mater. Muſ. Germanico* fuſius *pag.* 98. memorat. Videri etiam poteſt *Frider. Martens Itinerarium Spitzbergicum, Anno* 1675. Hamburgi in vernacula editum.

§. 4.

Quoniam itaque cetus non in captura pugnaque ſolùm, ſed aliâs quoque à piſce enſifero, tanquam perpetuo hoſte, in capite vulneratur, ut cerebrum excidat, ſperma ceti mari quoque innatare obſervatur, uti *Olaus Wormius in Muſ. pag.* 34. rectè ſcripſit, quod alias quoque ex cranio deſumitur. Prius illud nautis notius eſt, cui tamen poſterius puritate pretioque antecedit, ſecundum *Th. Bartholinum cent. 3. Ep.* 70. Utrumque ſperma ceti crudum vocatur, quod prorſus impurum, flaveſcensque eſt, ac oleum redolet, & propterea artificioſe eſt præparandum ac depurandum: quod non ſolum perforando dolio & detrahendo liquore oleoſo abſolvitur, ſecundum *Schurzium l. c.* nec iterata fuſione, ſecundum opinionem *Elſneri* ac *Pometi*, ſed modo ſequenti, quem Danus quidam cum *Dn. D. Ettmüllero* communicavit, quemque in iſtius modo laudata *Diſp. de Spermate Ceti cap.* 1. §. 11. ita legimus deſcriptum: Conficitur lixivium acre ex cineribus & calce viva, ita tamen, ut hujus minor ſit quantitas, quam illorum; diutius vero lixivium filtrandum, quo clarum purumve evadat. Ubi præparatum fuerit, recipienda eſt maſſa, ex cranio balænarum ſupra dictarum exempta, eaque ſi pinguis, flava & liquamine oleoſo ſuperfluo perfuſa fuerit, per ſaccum ex pilis confectum mediocriter exprimenda, ut omne liquamen pingue ſuperfluum per ſaccum tranſudet: quo facto reſtitans in ſacco materia lixivio ſupra præparato immittenda, manibus in lixivio probe ſubigenda, & cum eodem permiſcenda, perque diem & noctem ita relinquenda eſt. Altero die mane per ſaccum piloſum lixivium denuo exprimendum & ſeparandum, quodque reſiterit, ſuper linteum explicandum & digitis blande diducendum, & in aëre libero, vel tepidioribus Solis radiis (ne ſcilicet liqueſcat) exſiccandum, atque ita præparatum erit, quod vulgo ſpermatis ceti venit nomine. Ejusmodi præparatio haud ita pridem Pharmacopolæ cuidam noſtrati, una cum ſpermate crudo, ex Hollandia transmiſſa eſt. Rectè & legitimè præparatum ſperma ceti probe candidum, pingue, recens, neutiquam rancidum ſit, nec flavum, auctore *Daleo* in *Zoolog. p.* 524. Et quoniam in aëre facile alteratur, in vitris probe aſſervetur.

§. 5.

Iſtud ſperma ceti præparatum vi reſolvente anodynaque juxta præditum eſt, ac propterea in affectibus pectoris infantum horumque tormínibus crebro uſurpatur; adultis quoque datur poſt caſum & contuſiones, ad ſanguinem coagulatum reſolvendum, doloremque leniendum. Multi ei quoque vim aphrodiſiacam adſcribunt, adeo, ut *Ettmüllerus l. c.* de quibusdam Francofurtenſibus ſcribat, iſtos cum in finem etiam ſperma ceti crudum cum pane, haud ſecus atque butyrum pani illitum, edere, quibus nolim eſſe conviva, cum vel ſolus aſpectus appetitum poſſet turbare. Externè in Empl. de Sperm. ceti adverſus induratas mammas & lac coagulatum lactantium, à fœminis quoque ad infucandam faciem uſurpatur, de quibus *loco citato* agitur pluribus.

§. 6.

Præterea etiam

PRIAPUS CETI

in officinis & Materialium Muſeis invenitur, qui longitudine fere humilis hypocauſti æquat altitudinem, cujusque pars ſuperior craſſi cruris virilis

rilis habet craſſitiem, qualem *Vielheurius* in *Deſcript. Mater. Exot. pag.* 188. apud Chirurgum quendam, qui capturæ balænarum interfuerat, ſe vidiſſe memorat. Vi demulcendi pollet, & ad dyſenteriam commendatur.

§. 7.

COSTA SARTORIA
(vulgò *Fiſch-Bein*)

ſimiliter à balæna proficiſcitur, quam propterea Batavi *Balainen*, & quidem rectius, vocant, dum proprie nec os animalis eſt, nec coſta, ſed ejus mandibula, quæ iſti pro dentibus, qua prorſus deſtituitur, inſervit, teſte *Joh. Schreyero, in der neuen Oſt-Indianiſchen Reis-Beſchreibung p.* 75. Iſtæ vero mandibulæ non extra corpus ſunt, ſed intra illud in palato continentur, numero fere 800. parvæ magnæque, longitudine 3. ad 16. pedum. In extremitate habent ſetas, inſtar pilorum equinorum, in quibus lingua conquieſcit, quæ barba ceti vocantur, qualis eaque magna in *D. Bæckleri* Muſeo, à *Dn. D. Peterſen* Francofurtenſi coemtò, poteſt videri. Coſta ſartoria aliàs triplex eſt, longa, mediocris & curta, uti ex ſchedula pretium currens deſignante apparet.

§. 8.

Tandem AXUNGIA CETI (*Traan*)

ex lardo cetorum conficitur; iſta vel ſtatim in Grœnlandia excoquitur, vel in Hollandia locisque aliis ex lardo doliis allato aſſatur. Illa alba eſt, Spitzberga venit & pro optima habetur, ſecundum *Marxium* in *Mat. Muſ. German. pag.* 192. & quoniam Galli iſtam axungiam in Grœnlandia præparant, Batavi vero domi, Gallica Hollandicæ ac Bergenſi præfertur, uti ex *Pometi Hiſt. des Drogues pag.* 74. videre eſt.

CAPUT XXIX.

DE

PISCE AMBROPHAGO, AMBRA GRYSEA ET NIGRA.

§. 1.

AMBRA GRYSEA (*graue Amber*), quibusdam Orientale ſuccinum dicta, ex albo gryſea, ſæpius maculis aſperſa, & nigris venis interſtincta & levis reſina eſt, ſummæ fragrantiæ. Utplurimum ex India Orientali aſſertur, ubi maſſis diverſa magnitudine in mari agitata invenitur, & apud nos majori quam aurum venditur pretio, dum una iſtius uncia 30. vel 40. Imperialibus æſtimatur, uti *Vielheurius* in *Deſcript. Mat. Exot. Germanica pag.* 23. commemorat. Nigra vero bituminoſa materia, qua in mari plerumque circundata eſt, pro nigra ambra poteſt haberi, ſecundum *Rumphium* in *Epiſt. VIII. Indiæ literatæ*, in *Appendice hujus libri* annexæ.

§. 2.

Quæ autem vera pretioſi hujus ſimplicis origo ſit, hodie adhuc dubium eſt, interque Doctores multæ diverſæ foventur opiniones, quarum *Juſtus Fidus Klobius* in *Hiſtoria Ambræ* minimum 18. recenſet, de quibus potiores, quæ hodie adhuc defenduntur, hic adducemus: Ubi multi inveniuntur, qui ambram gryſeam certarum avium putant eſſe excrementum, in ſcopulis maris nidulantium, quam etiam opinionem memoratus *Klobius* amplectitur, ſimul *pag.* 40. iſtarum avium tradens delineation : quæ opinio vel propterea non pror contemnenda videtur, quoniam iſti ſæpe roſtra pſittacorum aliarumque avium permiſta obſervantur, uti *Olearius* aliquo in loco teſtatur Hamburgenſem Materialiſtam, *Paulum Langermannum*, ſibi aliquando ambræ fruſtum obtuliſſe, cui tota avis cujusdam ungula fuerit impacta. Nihilò tamen minus hæc opinio *Frider. Hoffmanno* in *Clav. Schræd. pag.* 380. videtur fabuloſa, propterea, quod reſinoſa ambræ ſubſtantia longe aliud quid teſtetur, & ejusmodi avium partes ideo in iſta inveniantur, quoniam aves illa delectentur, eamque deglutiant. Quo ipſo & iſtorum cadit opinio, qui ambram balænarum eſſe excrementum ſibi perſuaſum habent, cui opinioni etiam *Fallopium* in *Tr. de Comp Medic. p.* 180. legimus addictum, quoniam in balænis ſæpe invenitur: quod ut non ſine ratione dicitur, in eo tamen certiores facti ſumus, piſces quoque, præſertim certam cetorum ſpeciem, iſtam reſinam magis in mari conquirere ac deglutire, quos *Cleyerus* in *Miſc. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 8. p.* 69. deſcripſit, & delineatos exhibuit: de quibus piſcibus quoque *Joh. Faber Lynceus* Romæ in *Deſcr. Animal. Nov. Hiſp. N. A. Recchi p.* 570. *& ſeqq.* fuſius agit, iſti tamen opinioni adverſus exiſtens, utpote quam Clariſſ. Medicus & Præſes Collegii Med. Imperialis, *D. Schræckius*, in *Not. ad Cleyerum* ſimiliter fictam pronunciat; quanquam nec impoſſibile nec incredibile ſit iſtam materiam in ventre cetorum aliquo modo maturari mutarique, uti amicus quidam ex India refert. Et quamvis

vis hodie quidam Galli, utpote *Monconisius Part. 2. Itinerarii pag. 71. Le Febure & Pometus pag. 57.* in *Histoire des Drogues*, glorientur multo verisimiliorem ambræ originem se invenisse, dum istam induratum in mari mel vel ceram esse existimant, apud paucos tamen hucusque invenerunt consensum, postquam à *Dn. D. Lentilio* in *Notis ad D. Mezgeri Ambrologiam pag.* 295. sufficientibus argumentis fuerunt refutati. Quamobrem plurimi iidemque clarissimi Scriptores, sc. *Ulysses Aldrovandus*, *Faber*, *Mezgerus*, *Schræderus* hujusque interpretes uno omnes animo credunt ambram, utpote ritu aliarum resinarum solo spiritu vini solubilem, potius pro bitumine, à certis Naphthæ fontibus subterrestribus in mare profluo, ibidemque ab aqua marina coagulato, esse habendam: quam opinionem etiam *Rumphius* in *Epist.* quadam *ad D. ten Rhyne*, ut & *Musεô* suo *Ambonico* sequitur, cujus epitome inter epistolas Indiæ Orientalis apparet. Nec etiam impossibile est resinosas quasdam arbores suas in mare extendere radices, harumque resinam cum aqua marina misceri, uti curiosus *Boyle* in *Transf. Philos. Angl.* 97. ex relatione Socii cujusdam de Societate Indiæ Orientalis commemorat. Unde & *Philosophus in Cunis*, uti se vocat, in *Epist. ad Nat. Cur. de Ambra Meteoro*, ambram dicit effluvium sulphureum ex arboribus & plantis, sicque ad regnum vegetabile referre conatur. Vid. *Nova liter. Hamburgensia* 1707. *Mens. Jan. p.* 10. Id ad minimùm certum est, ambram gryseam fluidam primum ac resinosam esse humiditatem, è terra exstillantem, & guttarum sub facie ripæ adhærentem, quæ vero sensim longius accrescat: cujusmodi indicia in magno isto ambræ frusto 185. librarum pondere, quod Indica Mercatorum Societas Amstelodami Anno 1694. ex India Orientali accepit, adhuc apparent, quod *Nicolaus Chevalier*, in *Descriptione de la piece d' Ambre Gryse, que la chambre d' Amsterdam à receue des Indes Orientales*, una cum Societatis figuris, subjecit oculis.

§. 3.

Cæterum duæ recensentur species, nempe prorsus alba & grysea; quoniam verò alba vel prorsus haberi nequit, imo adhuc immatura est, dum omnis ambra primum alba, & tanquam progerminantes seu incipientes lapides apparere dicitur, sæpe etiam præterea gypso adulterata est, hinc sola grysea apud nos in usu est, quæ præter nigram saltem in officinis & materialium musεis reperitur. Binæ in loco ab aëre libero volunt asservari, uti *Schurzius* in *Mater. Mus. Germanico pag.* 9. memorat.

§. 4.

Optima ambra grysea in finis frustis, intus numerosis punctis iisdemque flavis nigrisque juxta notatis, non mollis, sed dura, levis tamen & suaveolens sit. Quum verò sæpe adulteretur, Materialistæ hoc plerumque utuntur experimento: nempe subulam calidam trajiciunt, quo facto, si oleum exsudat, bona habetur; præsertim si odor simul gratus existit, quod *Schræderus* quoque annotavit. Enimvero *Marxius*, Materialista Norimbergensis, adulteratam id similiter præstare observavit, uti in *Mater. Mus. Germanico pag.* 8. confitetur. Hinc majore cautela aliisque experimentis opus est, quæ *Wormius in Mus. pag.* 34. communicavit juxta ac retulit, genuinam ambram non tam facile in aqua emolliri atque adulteratam seu artificiosam, nec tam cito mollescere digitis tractatam, falsa contra ceræ adinstar liquescente.

§. 5.

AMBRA NIGRA

naturane ita crescat, an artificiosè ex moscho, zibetho, styrace, ladano ac similibus, quæ multorum est opinio, præparetur, inter Doctores ac Materialistas nondum convenit. *Schurzius* Compositum pronunciare non erubescit, testaturque *Dale pag.* 57. in *Pharmacol.* istam in Anglia à Pharmacopolis ita componi, simul tamen etiam ex India Orientali asserri. Id quod quidem *Marxius* ita simpliciter non vult affirmari, existimat tamen istam plerumque ex modo dictis rebus adulterari, simul testans parum istius apud Materialistas inveniri, quoniam rarò vendatur quæraturve, quanquam priore multum sit vilior. Mihi frustum aliquod ostensum fuit, in India in mari repertum, quod pro immatura ambra gryscea vult haberi.

§. 6.

Quod ad usum ambræ gryseæ attinet, ob volatiles sulphureasque particulas, vi valde calefaciente confortanteque pollet, qua ad motum spirituum vitalium reficiendum valet, adeò ut Angliæ Cancellarius, *Baco de Verulamio*, istam aliquo in loco ad vitam sanam longamque tuendam commendet. Quamobrem in multis capitis affectibus, ut & aliis totius corporis, præsertim cordis morbis, senibus commendatur, id quod *D. Mezgerus*, olim hic Giessæ, postmodum Tubingæ Professor, in *Tract. de Ambra*, quem ejus Gener *Dn. D. Lentilius* post mortem illius edidit, uberius ostendit, ac supra laudatus *Chevalier l. c.* tradidit. Quum verò ob nimium pretium per se & in substantia (ita alias cum saccharo sumta senibus perutilis est) non facile potest præscribi, cum spiritu vini rectificato essentia aurea exinde paratur, vulgo præscribi solita. Aliàs etiam multas compositiones, interno externoque usui dicatas, ingreditur, & præsertim ad odoris fragrantiã pulvinis, chirothecis, marsupiis, pulveribus pro crinibus, suffumigiis &c. conciliandã consumitur. Ad quos usus nigra ambra magis utilis est, quæ internè fere nunquam præscribitur, quanquam externe in balsamis gry-

ſeæ ſubire vices poterit, ad cujus quippe virtutes fere accedit. *Joh. Limberg.* in *Itiner. ſuo pag.* 531. candelabri ex ambra conſtantis & auro incluſi memorat, quod 12000. coronis æſtimetur. *Talander* quoque in *Itinerario pag.* 390. recenſet in templo Loretti crucem, candelabrum, pelvim & gutturnium ex ambra inveniri, maximi æſtimanda.

Ad majorem ſuperiorum confirmationem & illuſtrationem ſubjungere hic placet ea, quæ Curioſiſſimus *D. Kæmpferus* in *Amœnit. Exot. Faſciculo III.* de Ambra habet, cujus verba ſunt ſeqq:

AMBRA VINDICATA.

Obſervationis cancellos transgreſſam ſuperioris materiæ prolixitatem breviori nunc exhibitione pretioſi & deſideratiſſimi bituminis compenſabimus. Quid enim *Ambra* ſuavius? Eam humano generi parcâ manu ex abdito ſuo ſinu largitur Oceanus; nam ſolenne eſt naturæ, ut quæ maximè nobilia ſunt, ea valde recondat & parcius impertiatur. Eſt verò de nativitate & materiâ ambræ non levis autorum inter ſe diſſenſio, quorum alii eam genus bituminis: alii terræ credunt: alii ſpongiam marinam: excrementum balænæ: ſtercus avium, vel quid non aliud eſſe, perſuaſi ſunt. Ex omnibus ſententiis, experientiâ noſtrâ, nulla minus fundata eſt, quàm quæ nuper ex ſola materiæ vel odoris ſimilitudine concluſit: *Ambram eſſe mixturam mellis & ceræ, circa maris littora ab apibus congeſtam, quæ à Sole excocta marique illapſa in hanc nobilem ſubſtantiam ab agitatione fluctuum ſpirituque ſalino elaborata & converſa ſit.* Vid. *Journal des Sçavans de l'An.* 1672. *conference 2. préſenté par Jean Baptiſte Denis.* Conjecturam medius fidius inanem! quippe quæ ſola ſui novitate placere cupit & magni Principis freta præſidio exauctorare ſententiam ab interioris hiſtoriæ Inſpectoribus probatam, quæ dudum oſtendit Ambram bitumineum terræ genus eſſe, vel, quod idem eſt, pinguedinem ſubterraneam in bitumen excoctam, ex venis alveisque terræ in imum mare depoſitam & à ſale ac Sole condenſatam. Ab erroris igitur novitate Ambram hîc vindicabimus poſitionibus quibusdam circa hanc materiam, quas ab hujus coaguli colligentibus, ex curioſis Sinenſium obſervatis, à Cetariis Japonicis, & ab ipſâ demum inſpectione provinciarum littorumque, ambram ferentium, petimus.

1. Pluribus in locis ambra colligitur, ubi nec circa littora, nec intus in regione melliferæ volucres nidificant; at plurimæ regiones apibus abundant, quarum littora ambram nunquam recipiunt.

2. Piſcatores, qui ex rupibus littorum, circa Sinam & Javam, halcyonum nidos edules colligunt, (ſunt nidi illi hirundinum marinorum, quos ex particulis holothuriorum conſtruunt) alvearia inibi latentia, quæ à fluctibus deturbari putat *Deniſius*, nunquam ſe vidiſſe teſtantur. Apes quippe evitare ripas & tempeſtuoſa loca provida mater natura docuit.

3. Mel, cera, favi, cum liquore humido agitata, non coëunt in unum corpus, ſed ſecedunt & diſſolvuntur.

4. Favi cum melle ſuo, uſtionis ope, ubicunque inſpiſſati, ejusdem ſubſtantiæ coagulum referunt. Ambræ verò, ex venarum ſubterranearum diverſitate, multa varietas eſt, & ſuis quæque regionibus propria, adeo, ut ex ejus inſpectione etiam natale littus, quo recepta ſit, à gnaris cognoſci poſſit, perinde ut exercitatiores Oenopolæ vini deguſtati provinciam indicant. Alia enim bitumini crudiori, aſphalto, vel naphthæ atræ exſiccatæ ſimilior eſt, adeoque nigrior, denſior, gravior, vel minùs: alia, ex nobiliorum particularum admiſſione, candidior, carior, levior, vel minùs; alia ſæpè fungoſa admodum, ut acutiſſimus *Scaliger*, Serapionem amplexus, ambram non ineptè pro fungo maris habuerit.

5. Ambra, ex Oceani antris recentiſſimè appulſa, mollis eſt, vaccino ſtercori aſpectu ſimilis. Atqui tunc nidoroſum halitum exhibet, qualis à mellificii naturâ omnino alienus eſt.

6. Non rarò conchas nitentes atras & alia ſubmarini generis fragmenta in ambrâ deprehendimus, nonnunquam & earum rerum particulas, quas mollior, in littus projecta, involviſſe potuit: apes verò mel & favos nunquam. Falſus eſt Cl. *Deniſius*, qui favos cum cerâ & melle (eccur non cum apibus etiam?) illatuiſſe relatori ſuo credidit, falluntur que Scriptores Galli recentiores, qui idem credunt *Deniſio*.

7. Magnæ molis ambra nonnunquam invenitur, longè ultra alvearis capacitatem. Taceo fragmenta monſtroſæ magnitudinis, quæ citavit *Garzias* ab Orta A. H. *L.* 1. *c.* 1. Pro meâ ſententiâ maſſæ ſufficient minores & propriæ obſervationis. Cum apud Indos verſarer, inveniebatur in littore Japonico provinciæ *Kinokuni* maſſa ambræ gryſeæ, *Catti* amplius centum, vel libras Belgicas circiter centum & triginta pendens, quæ cum tota emptorem non inveniret, in partes quatuor, formâ crucis, diviſa & diſtracta eſt: mihi quoque advenæ venum reliqua ejus quarta pars oblata fuit, ex quâ integram ejus magnitudinem facilè conjiciebam. Superabat hanc magnitudinem quæ Anno 1693. Ill. Societati Belgicæ à Rege *Tidori* vendebatur Joachimicis 11000. miſſa anno ſequente ad Amſtelodamenſem Cameram: moles inquam 185. librarum Belgicarum accuratè penſiculata, modicè gryſea, non poſtremæ dignitatis, figuram referens teſtudinis, truncatæ caudâ & capite: eo pacto empta, ut pecunia reſtituatur, ſi quicquam adulterii in eâ comperiretur. Iconem ejus maſſæ propoſuit Excellentiſſimus Gieſſenſium Profeſſor *Valentinus in Muſ. Muſ. Lib.* 3. *cap.* 28.

De

De Ambræ adulterio, bonitatis notâ, ac virtute ſequentia accepimus:

Recens cum in littus deponitur, maſſæ farinaceæ inſtar mollis, & adulterio recipiendo aptiſſima eſt. Nihil verò eidem felicius ingeritur, (prout ipſi adulteratores mihi faſſi ſunt) quàm gluma oryzæ in pollinem redacta; nam hæc & levitatem & colorem glaucum ei conciliat: ſed quam fraudem teredines, illatâ carie, poſſeſſori detegunt. Ambra ex ſtorace, benzoino aliisque odoriferis augmentata, tum pſeudo-ambra, ex pice, cerâ, reſinâ, ſtorace & ſimilibus compoſita non rarò venales mihi oblatæ ſunt: illa paulò difficiliùs, hæc nullo negotio tactu, oculis & vel ſolo ſuffitu cognoſcitur. Inventores particulas ambræ recentis in unam maſſam majorem, expanſas nimium & informes in figuram aptiorem cogunt: unde ambræ ſæpe rotunditas, ſemper gravitas conciliatur, quæ bonitati nihil detrahit. Non eſt melior bonitatis & conſtantior nota, quam ſi candenti laminæ ejus granula aliquot imponantur: quo ipſo ſuffitus prodit adulterium, & cineris paucitas bonitatem. Faciunt id Orientales Trans-Gangetici in aurea ovatæ magnitudinis & figuræ monetâ tenui, *Koobang* dictâ, quam cum raſurâ ambræ imponunt carbonibus, nam hic nummus ipſis ad manus eſt. Ex ambris bonis optimam reputant Sinenſes, cujus raſura aquæ calidæ immiſſa & operculata exactiùs disjungitur & liqueſcit. Vidi inſervire huic operi patellas murrhinas, ex quibus infuſum theæ ſorbillant, & in ſympoſiis diſcretiones illas per otium inſtitutas. Poſtremæ notæ ea cenſetur ambra quæ in inteſtinis balænarum invenitur, virtute quippe ſuâ plurimùm ibidem imminutâ. *Mokos*, ceti genus, trium & ad ſummum quatuor orgyiarum longitudinis, circa Japoniam capitur, cujus inteſtina frequentiſſimè ambram exhibent: eſtque latentis nota, ſi inteſtinum ſolventibus illico occurrat grumoſa calcique ſimilis materia. Frequens eſt in Japoniâ quæ in balænæ extis inventa, vel cum excrementis, dum viveret, in mare egeſta fuit; unde vulgari linguâ Japones ambram appellant *Kuſura no fuu*, i. e. ſtercus balænarum. Oceanus meridionalis fruſta peregrinæ pinguedinis nonnunquam evomit, quæ externâ facie ambram referentia inventoribus imponunt. Mihi ejusmodi maſſa, in Luconiæ littus depoſita, pro recentiſſimâ ambra gryſea obtrudebatur: Albida erat, fungoſa, fragilis, inſtar lardi rancidi, nidoroſa & unguinoſa, quam ego, ex balæna lardum judicans, longâ in ſalo morâ ſic mutatum, repudiavi. Ex Bandenſi littore maſſam informem poſſideo, trium circiter librarum, ejusdem tituli donum: ſed quod ego ſebum reor ejus generis, quod *Schröderus* dignatur nomine *Ambræ ſubalbidæ*, vulgo *Sperma Ceti* dictum, à fluctibus, dum mari innataret, alicubi (fortè ad rupem) congeſtum & à Sole in unam maſſam colliquefactum. Spermatis ita dicti triplex mihi innotuit ſive genus, ſive collectio: unum, quod in mari Septentrionali natans vimineis corbibus hauritur, prout ex oculatis relatoribus dudum innotuit: alterum, quod ex cranio alicujus balænæ, Latinis Orca, Belgis *Potvis* dictæ, copioſum depromitur, teſte *Bartholino*, *Wormio* & ipſis qui Gronlandiam ad capturas navigant: tertium, quod in Inſulis *Ferre*, ſeu *Fero*, ultra Scotiæ fines boreales poſitis, colligitur ab incolis piſcatoribus, hominum pauperrimis, ex ſuperficie longum caput habentium piſcium, quos linguâ ſuâ *Buskoppe* nominant, à quorum copiâ inſula, inter multas extima, idem nomen adepta eſt. De poſtremo hôc nullius ſcriptoris auctoritate quicquam mihi conſtat, ſed ex relatione viri fide digni, qui ad inſulas naufragium paſſus, ei labori oculos & manus per ſemeſtre commendaſſe mihi teſtatus eſt. Piſcem ajebat humanâ magnitudine grandiorem, cujus monſtroſum caput mucoſâ hujus pinguedinis copiâ, præſertim circa maxillas, circumfuſum ſit, quæ abraſa lixivio forti & inſolatione à rancore repurgetur. Ex capite piſcis *Haye* (latronis marini poſt crocodilum perniciosiſſimi) depromunt epibatæ maris Indici materiam candidiſſimam, quam Spermatis Ceti nomine venditant, neglecto cerebro, quod in medio capite inveni parvulum. Hæc materia virtutem Spermatis Ceti diureticam egregiè præſtat: verùm, quod pulverulenta ſit, & ſevotæ pinguedinis exſors, à nomine & ex cenſu Spermatum meritò rejicienda eſt. Coagulum verò meum, quòd Spermatis Ceti, ſed depurati, notas omnes & requiſita habeat, ex allegatâ primâ claſſe eſſe videtur, modò in ſurfuream ſubſtantiam, qualem Sperma Ceti refert, rurſum disjungatur: unde idem aliquando hujus uſui feliciter ſuppoſui. *Succinum* Phyſici minùs ineptè ſub Ambræ cenſum recipiunt: eſt enim parilis, ſed limpidior pinguedo terræ, à ſalo & aëre indurata. Vidi illud in littore Pruſſico non modo colligi appulſum fluctibus, ſed in eodem ex terræ venis & viſceribus etiam effodi; at hoc, cùm ſæpe molle ac friabile ſit, marinæ aquæ injicitur, ut ab eâ duritiem acquirat. De quo ſi clariſſimo *Deniſio* conſtitiſſet, Succinum loco ſupra citato non tam operoſa viâ ex Sueciæ ſylvis in hæc deduxiſſet littora. Extremi Orbis nationes Succinum longè præferunt ambræ veræ, imò longè etiam anteponunt (ſi corallia rubra excipias) lapidibus pretioſis noſtris, quorum illis nec uſus, nec exiſtimatio eſt; præſertim verò Succinum pellucidum illud flavum, quod Europæis in dignitate ferè poſtremum eſt, illis ob antiquitatem, quam ei tribuunt, & ſummam perfectionem, multò habetur carius atque præſtantius: ceteræ Succini varietates ipſis exiguo loco ſunt. Ego id aliter illis demonſtrare niſus riſui me expoſui, & tantum profeci, quantum faceret, qui nobis perſuadere vellet,

argentum ut credamus aurô præſtantiùs eſſe. Ambræ nullus eſt nigritis inventoribus uſus: major Europæis in medicinâ: maximus regno Mogolis, Perſiæ Arabiæque, in confectionibus ſaccharo conditis & dulcidulis quibusque. Sinenſes, Japones, Tunkinenſes pene alium in finem ambram non expetunt, quàm ut odoriferis compoſitionibus admiſceant, pro figendâ & exaltandâ odoris ſuavitate, ſine illius conjugio fugax ac debilior futurâ: nam utrumque eximiè præſtat, cùm ſola exiguum habeat odorem. Virtutes, utpote ſatis cognitas, omitto. Unum ex ambrâ ſecretum magnanimitatis placet apponere, quod ab experientiſſimo Medico Japonenſi edoctus ſum. *Rec.* Opii crudi q. l. involve linteo, & in vapore bullientis aquæ ſuſpende: id quod circa nodulum poſt horam unam aut alteram exſudavit, opium præſtat correctiſſimum: cui admiſce duplum ambræ optimæ, ut fiat maſſa, ex quâ formentur pilulæ minutiſſimæ, in remedium virilitatis exiguâ doſi ante noctem concubitûs aſſumendæ.

CAPUT XXX.

DE

UNICORNU VERO ET FOSSILI.

§. 1.

UNICORNU MARINUM, ſive unicornu crudum & verum vocatum, valde longus, ſtriatus & quaſi intortus dens eſt certi cujusdam Grönlandici ceti, foris flavus, intus albus apparens. A Grönlandicis Vectoribus, una cum cutibus canis marini, axungia ceti & id genus aliis ex Grönlandia advehitur, ubi iſtud cultris, forficibus, ſpeculis ſimilibusque redimunt, ſæpe etiam ipſi capiunt, uti *Olearius* in *Itin. Perſ. Lib. III. pag.* 175. pluribus recenſuit.

§. 2.

Piſcis, unde oritur, NARHUAL vocatus, quoniam cadaveribus, ibidem Nar dictis, ſe alit, à *Thom. Bartholino* in *peculiari Tr.* delineatus deſcribitur, quod ceteris cetis haud multum diſſimilis, & 30. ulnarum forte longitudine ſit, duas in lateribus pinnas, tria tubera in dorſo, in ferius in ventre ſaltem unum habeat, ex cujus ſiniſtra ſuperiore mandibula longus dens recta promineat, quo glaciem dicitur perfringere, ut propterea ita dictum cornu in principio ſæpe infractum ſit. Hic igitur dens non ex naſo prominet, ut *Olearius l. c.* loquitur, iſto enim piſcis caret, & ad modum aliorum cetorum per duo foramina, in nucha apparentia, non per naſum, reſpirat, per iſtaque aquam alte projicit: ſed ſuperiori maxillæ inſidet, uti dentes in aliis animalibus; id quod jam pridem à *Tulpio* in *Obſerv.* & ab *Olao Wormio* fuſius in *Muſ. pag.* 282. *& ſeqq.* deſcriptum, & aliquot figuris oculis ſubjectum fuit, quæ cum cranio, quod olim Amſtelodami vidi, valde conveniunt. Num verò quilibet piſcis duos ejusmodi dentes habeat, quæ *D. Jacobæus* in *Muſ. Reg. Hafn.* conjectura eſt, qualemque vidit, tempus docebit. Id vero certum eſt, inferius in magno cornu ſ. dente ſæpe parvulum adhuc latere, quod *D. Reiſelius* in Muſ. Stuttgardienſi viſum in *Miſc. Nat. Cur. Dec.* 3. *An.* 8. *pag.* 351. ſiſtit intuendum. Quamobrem *Simon Uries Lib. I. Grönlandiæ Antiq. fol.* 285. non ſine cauſa concludit huic ceto, haud ſecus atque hominibus, excidere dentes, hisque ſucceſcere novos.

§. 3.

Num verò præter modò deſcriptum unicornu aliud adhuc UNICORNU VERUM reperiatur, quod è fronte quadrupedis & equo haud diſſimilis animalis, (ut multi hucusque crediderunt) excreſcat, à prudentioribus Naturæ Scrutatoribus non immeritò dubitatur, licet *Catelanus* in *Tract. de Unicornu* in adducendis pro iſtius exiſtentia rationibus valde operoſus ſit. Et quanquam in S. Scriptura unicornu ſæpe memoretur, per iſtud tamen non ejusmodi fictum animal, ſed rhinoceros intelligitur, uti *Andreas Baccius* in *Tract. de Unicornu* defendit. Non enim video, quomodò componi poſſint hocce animal adeò rarum ferumque & in locis deſertis ſaltem reperiundum in gremio caſtæ virginis, quæ tamen iſtuc nunquam veniet, capi. Et ſi tam rarum eſt, unde iſta centena multa venient, quæ ubiq. reperiunda ac quotidie uſurpantur cornua? dum præter unicornua in Regio theſauro à S. Denys prope Pariſios, Hafniæ in templo aulico, Dresdæ in Pinacotheca ſ. Muſeo & alibi in thecis & catenis aureis ſuſpenſa, quilibet Materialiſta & Pharmacopola aliquod poſſidet: ut adeoque unicornu nunc tam vulgare factum ſit, uti unum olim mille imperialibus æſtimatum nunc duabus dodecadibus imperialium, quod nuper factum, poſſit divendi. Prorſus igitur à veritate alienum eſt iſtud à tam rarò animali provenire, quod mere fictum eſt, ac propterea à doctis indoctisque juxta tam diverſimode deſcriptum delineatumque ſiſtitur, ut tota plagula poſſit repleri: quemadmodum in *Pometi Hiſtoire des Drogues Part.* 2. *Lib.* 1. *p.* 9. videmus, ubi hæc in cerebro nata animalia quaſi concentrata luſtrantur. Tutius itaq; eſt, ut iſti opinioni nos neutiquam præbeamus patronos, utpote quæ jam multos ante annos à *Deuſingio*

Tract.

Tract. de Monocerote egregiè eſt refutata, præſertim cum etiam hodierni Materialiſtæ, utpote *Schurzius*, *Marxius*, *Pometus* aliique ipſi confiteantur iſtud unicornu, quod divendunt, à prædicto piſce proficiſci. Æquum igitur eſt rectumque, ut in officinarum taxis nimis magnum pretium mutetur, cum uti dictum, unicornu hodie minoris ematur. Hinc non eſt, quamobrem Pharmacopolæ iſtud adulterent, & loco minorum fruſtorum ebur addant, à quô in eo diſtinguitur, quod ſubtiliores habeat ſtrias & fibras, denſius etiam ſit ac ponderoſius, id quod *Schræderus* in *Pharm. Medico-Chym. in h. l.* jam oſtendit.

§. 4.

Virtutes iſti olim & hodieque juſto majores adſcriptæ ſunt, dum tanquam certum antidotum adverſus fortiſſimum venenum, utpote arſenicum & ſimilia usque commendatum fuit, ut Medici Auguſtani, facto in infante experimento, anno 1593. Manifeſtum eum in finem exſtruxerint, cui omnes ſubſcripſerunt, quod in *Wormii Muſ. pag.* 286. invenitur, qui in junioribus catis & columbis idem tentavit, attamen tantum ei non tribuit fiduciæ. Ego ſane tantum in unicornu poni fidei iſtiusque rei in homine facere experimentum nolim, dum notum acidum ventriculi in beſtiis veneno magis adverſari, hocque iſtis non tam facile atque hominibus nocere poſſe. Ut dicam quod res eſt, plurimum ſali unicornu volatili tribuitur, cujus intuitu iſtius vires cum CC. & ebore conveniunt, uti Anglorum Cancellarius, *Verulamius*, in *Hiſt. Vitæ & Mortis pag.* 85. recte ſcripſit. Interim tamen ad epilepſiam infantium, variolas morbillosque, febres acutas, dolores ventris, aliosque morbos, ſed largiori quam hactenus doſi, poteſt uſurpari, de quo *D. Sachſius* in *Monocerologia* agit uberius. Exinde etiam gelatina, ſpiritus & ſal vol. uti ex aliis dentibus, poſſunt cogi, niſi nimirum obſtaret pretium, etſi plus præſtarent, quam gelatina, ſpiritus & ſal vol. CC.

§. 5.

Aliâs ejusmodi dentes & cornua etiam in terra inveniuntur, quæ

UNICORNU FOSSILE

vocant, vel oſſa hominum ac beſtiarum, vel dentes & cornua repræſentans. Foris vel flavum, gryſeum aut fuſcum eſt, diverſa magnitudine, friabile, leve, poroſum, ſapore terreo, linguæ facile adhærens: Intus interdum cavum, interdum aliam aliquam molliorem pinguem terram continens. In cavernâ Bumanniana (vulgò *Baumanns Höhle*) in Comitatu Stolbergenſi, in Sileſia, Haſſia, Palatinatu, tractuque Würtenbergenſi & alibi copioſè invenitur & Materialiſtis divenditur.

§. 6.

Hic verò quæritur, à verisne animalibus, utpote monocerote, elephanto & ſimilibus oriatur, an ex terra creſcat? qua de re inſignis inter Doctores ad hodiernum usque diem exorta lis eſt, de quâ in *Tentzelii Monatlichen Unterredungen, Act. Erud. Lipſ. An.* 82. *pag.* 150. & in *Kircheri Mundo ſubterr.* multa invenies & paucos ante annos in Ducatu Würtenbergico multum à curioſis privatim publiceque de ea diſputatū fuit. Quid quod ante laudatus *Tenzelius* à Sereniſſ. Saxoniæ Duce FRIDERICO humilimè petierit, ut in Concilio Medicorum Gothæ inſtituendo, hæc inter illum & *D. Schnetterum* fervens diſceptatio examinaretur & decideretur, licet adhuc ſub judice lis ſit. Multi enim unicornu cognominis animalis, aut gigantum putant eſſe oſſa, tempore diluvii aliorſum translata, inque terra lapidefacta, præſertim cum omnes partes appareant, uti in ſceleto, olim in monte Sebichenberg, prope Quedlinburgum, ita reperto, poſteaque ab *Johanne Majero*, Aſtronomo & Camerario Quedlinburgenſi deſcripto, videre eſt. Aliquando etiam prope Marburgum Haſſiæ oppidum, aliquo in ſpecu fruſtum elephantis capiti haud diſſimile, ſed ſupernaturali ferè magnitudine, repertum fuit. Aliis contra, utpote *Boëtio* & *Wormio in Muſ. p.* 54. videtur marga, aut lapis ex iſta induratus, quæ Naturæ luſu ejusmodi figuram acceperit, haud ſecus, atque haleces aliique piſces in lapidibus ſciſſilibus Islebicis delineantur: cui etiam ſententiæ *D. Bauſchius* in peculiari *Tr. de Unicornu Foſſili* accedit. Quam utramque opinionem *D. Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. pag.* 810. ſumit componendam, exiſtimans iſta fruſta, quæ magnitudine formaque animalium oſſa referant, ab his proveniſſe lapideamque duritiem accepiſſe putari poſſe, comprobantibus id *D. Joh. Sam. Carl*, Amici noſtri & Collegæ integerrimi, experimentis, quibus oſſa hæc, ut alia viventium oſſa, igni commiſſa aperta flammâ alba, operta verò nigra reddantur, imò ſpiritum quoque urinoſum volatilem, ſal. vol. cum oleo fœtido ſubminiſtrant: quæ omnia è Margâ obtineri non poſſunt. Unde & hæc inter reliquias diluvii numerantur à *Scheuchzero*, *Woodwardo* & aliis, vid. *J. S. Carlii Lapis Lydius Philoſophico Pyrotechnicus, ad Oſſium Foſſilium Decimaſiam analyticè demonſtrandam:* Quæ verò nimis magna ſunt, per luſum Naturæ è marga eſſe generata credit. Nos interea in his recenſendis non erimus verboſiores, quin potius rem officinarum lance expendi neſciam Academiarum relinquimus cathedræ. Id nobis ſufficiat, bonum ac vendibile id eſſe materiale, quod hodie ad multa medicamenta ſumitur.

§. 7.

Præter qualitatem adſtringentem etiam vi diaphoretica poller, propterea que, ut terra ſigillata, in acutis & contagioſis febribus, diarrhœa comitatis, nobile eſt remedium. Omne præternaturale acidum edulcorat, omnesque alvi fluxus, dyſenteriam &c. ſiſtit, a ℈j. ad ſemidrachmam in aqua appropriata propinatum. Sunt,

qui ſpiritum exinde volunt cogere, qui tamen aliud nihil eſt, quam acidiuſculus liquor, cum ſpiritu terræ ſigillatæ conveniens, iisdemque virtutibus præditus. Quidam etiam monent ut unicornu foſſile ante in canibus aliisque animalibus experiamur, quam hominibus propinetur, quoniam interdum aliquid venenoſi contineat, uti *Frid. Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 191. pro conſcientia admonet.

CAPUT XXXI.

DE

OSSE SEPIÆ, TESTUDINIBUS ET CANE MARINO.

§. 1.

OS SEPIÆ (*das vveiſſe Fiſch-Bein*) candida lævisque cruſta eſt, utrinque tumida & convexa, in uno latere duriuſcula & glabra, in altero aſpera, inſtar pumicis tamen friabilis, ſapore ſubacri. Ubique locorum in litoribus maris invenitur, uti in Hollandia haud procul Lugdunô, juxta Cadvvic op See, apparet, ubi Batavi illud *Zee-Schuym*, i. e. ſpumam maris vocant. Tyrolenſes etiam elegantiſſimum ex Italia dorſo ſuo afferunt, numeroque millenario iſtud divendunt, quod *Marxius* è *Schurzio pag.* 146. ſui *Mat. Muſ.* Germanici commemorat.

§. 2.

Sepia, Germanicè *Black-Fiſch* ſeu *Black-Küttel*, huic piſci, cui originem debet, nomen eſt, qui licet ob deteſtandam ſuam figuram & aranea marina vocetur, cedit tamen etiam in cibum. Hic piſcis dorſo ſuo prædictum os ſepiæ circumfert, cujus fruſta majora putantur optima, quoniam utplurimùm ab aurifabris ad formas imaginum uſurpantur, quippe quibus fruſta minora parum conducunt: iſta vero ceroplaſtæ & comarum fictitiarum artifices pulveri pro crinibus addunt. Omnium maxima fruſta nunquam ſemipedalem longitudinem excedunt, uti *Pometus* in *Hiſt. des Drogues pag.* 92. *Part.* 2. annotavit.

§. 3.

Præter uſum modò dictum aliquem quoque in Medicinâ uſum præſtat, dum ad modum omnium marinorum & concharum quodcunque acidum edulcorare & quadantenus adſtringere dicitur; quam ob cauſam tanquam appropriatum remedium in fluore albo mulierum uſurpatur, ſecundum *Ettmüllerum* in *Comment. Schræd. p.* 816. Externè pulveres ophthalmicos & dentifricios ingreditur, in ſcorbuto oris, præſertim quando ſucco cochleariæ aut hujus ſpiritu maceratur. Hinc etiam Lacca Florentina dentibus conducit, quippe quam os ſepiæ ingreditur, quoniam coloribus vernicique ſplendorem conciliare creditur, id quod *Vielheurius* in *Deſcr. Mat. Exot.* Germanica *pag.* 182. obſervavit.

§. 4.

Quemadmodum autem ſepia tenerum os dorſô ſuô geſtat, ita

TESTUDINES (*die Schilt-Kröten*)

contra valde dura teſta & ſcuto in dorſo armantur, ſub quo ſe prorſus abſcondere poſſunt: quæ ita beſtiolæ hujus formam exprimit, ut ulterior iſtius deſcriptio putetur ſupervacanea. Reſpectu partium internarum perparvum habent cerebrum, vix fabæ magnitudine, licet majorum capita vitulorum æquare capita perhibeantur. Prorſus igitur obtuſæ ſimpliceſque exiſtunt, niſi quod oculorum valeant acie. Cor figura ſua tria corda mentitur, quod quoniam tria lilia repræſentat, *Pometus l. c. p.* 85. popularibus ſuis Gallis magnam in Inſulis Americanis, ubi copioſè inveniuntur, fortunam promittit, quaſi vero totus terrarum Orbis Galli venerari lilia debeat. Sed defunctis vatibus antiquis novos nequiquam valere conſtat.

§. 5.

Variæ dantur ſpecies, dum quædam aquas amant, *See Schild-Kröten*, h. e.

TESTUDINES MARINÆ

vocatæ, aliæ terram, TESTUDINES TERRESTRES nominatæ: quanquam marinæ etiam terram petant, amphibiis propterea annumerandæ. In Germaniâ plerumque in locis paludoſis, v. g. circa Philippiburgum inveniuntur. Maximæ in Africa, in Inſula Mauritii, habentur, ubi tanta ſunt magnitudine, ut duos ſeſſores homines ferre poſſint, inque una teſta ſeptem vel octo perſonæ, una juxta aliam, ſedere poſſe dicatur, uti *Malletus* in *Coſmographia Part.* 3. de Africa *pag.* 55. recenſet, atque in figura ſiſtit contemplandum. Id quod eo eſt veriſimilius, quoniam *D. Wormius* aliquod teſtudinum ſcutum habuit, quod longitudine 4. pedes, latitudine duos cum dimidio, craſſitie unum pollicem æquavit, quod una cum minoribus in *Muſ. pag.* 316. deſcripſit.

§. 6.



Leguaan Ind: Orient.

Aráas Indorum.



Lacerta volans contractis alis.

Lacerta volans expansis alis.



Salamandra seu Seco


Lacertus Domesticus Ind. Bali Victus



Chamæleon



Chamæleon Amboinicus.



§. 6.

Quâ ratione magna illa animalia in India capiantur, ex *R. T. du Tertre* relatione prædictus *Pometus l. c. pag.* 86. oſtendit. Nempe 1. eo tempore quo coeunt Venerisque ſtimulo cohærent, vel mas & fœmina ſimul capiuntur, vel mas ſolum, quod fœmina plerumque aufugere dicitur. 2. Haſtis quoque, ut Manati, per teſtam infixis, læduntur. 3. Eo tempore, quo ova interram ponunt, iis ſtruuntur inſidiæ, licet ea dicantur eſſe providentia, ut aliquot dies ante, nocturno tempore lunaque lucente, in terram è mari aſcendant, ſecurum ſibi ſpatium electuræ, quod aliquo ibidem animadverſo continuo relinquunt. Altera nocte de integro ſibi locum quærunt, pedibusque anterioribus foveam pedis latitudine, duorum ac dimidii profunditate conficiunt, in quam una vice 200. ad 300. ova ponunt, quæ terra tecta poſt quadraginta dies dicuntur aperiri ſ. excludere juniores.

§. 7.

Quod ad uſum teſtudinum attinet, iis in locis, ubi inveniuntur, cedunt in cibum, & quidem majorum caro bubulæ adeò perhibetur ſimilis, ut ab iſta, niſi pinguedine ex viridiuſculo flavente, diſtingui nequeat: una vero teſtudo carne ſua, capite colloque & ovis exceptis, quippe quibus 30. homines ſedare ſitim poſſunt, dimidium dolium replet. Imò XV. vel XX. menſuræ olei, ejusdemque aurei coloris, exinde præparari valent, in quo adhuc recenti alii cibi poſſunt coqui; inveteratum lampadibus inſervit. Iſta

AXUNGIA TESTUDINUM

ab Indis habetur peculiare probatumque remedium adverſus omnes artuum, præſertim coxendicum genuumque, dolores & catarrhos, convulſionem morbosque nervorum. Caro ejusque juſculum hecticis phthiſicisque conducunt. Ex ſcutô & inferiore teſta varia ornamenta, utpote ciſtulæ, thecæ, tabellæ ſcriptoriæ, pectines, manubria gladiorum, forficum, cultrorum &c. conficiuntur, magno omnia pretio.

§. 8.

Ad ejuscemodi ornamenta uſurpatur quoque cutis piſcis cujusdam,

CANIS MARINI (*See-Hund*)

vocati, quæ valde aſpera duraque, prorſus etiam criſpa, inſtar corii granulati Anglorum, apparet, quo etiam multis venit nomine: ac propterea etiam à ſcrinariis artificioſis ad poliendum lignum poteſt uſurpari. Optima lata magnaque ſit, gryſeo-fuſca, aſpera & eleganter granulata, auribus pinnisque adhuc prædita. Variis rebus inſervit, libris compingendis, thecis, potiſſimum vero manubriis cultrorum; quem in uſum quoque alius cujusdam piſcis, ROUSSETTE vocati, cutis ſolet uſurpari, de quo ſæpe memoratus *Pometus l. c.* poteſt legi.

CAPUT XXXII.

DE

ICHTHYOCOLLA, CAVIARIO, BOTARGO, ANCHOVIIS ET SARDELLIS.

§. 1.

ICHTHYOCOLLA, *Hauſſen-Blaſen*, ex albis & in coronam convolutis veſiculis conſtans, ſaporis eſt glutinoſi ac limoſi, odoris nullius. In Moſcoviâ è magno piſce, HUSO (*Hauſen*) vocato, præparatur, indeque per Archangelum civitatem in Hollandiam locaque alia transvehitur, ſecundum *Pometum* in *Hiſt. des Drogues Part.* 2. *Lib.* 1. *cap.* 32 *pag.* 75.

§. 2.

Ex quâ verò piſcis hujus parte Ichthyocolla præparetur, nunc quæritur? qua de re diverſæ ſunt opiniones. Multis videtur piſcis veſica, à capite per totum corpus extenſa credita, uti *Vielheurius* in *Deſcript. Mater. Exot. Germanica pag.* 173. narrat, à quâ opinione nec *D. Willughby* doctus Anglus, & noviſſimus de piſcibus ſcriptor, alienus eſt. Alii utpote *Schræderus*, *Ettmüllerus* & *Pometus* exiſtimant iſtam non ex veſica ſolum, ſed aliis quoque membranaceis nervoſisque partibus, imo & cartilaginibus oſſibusque (quippe quibus etiam conſtat) præparari, dum omnes illæ partes inciſæ & aqua maceratæ poſtmodum leni igne in pultem & gluten coquuntur, abhinc primum in tenues pelliculas, deinde in rotundos circulos & coronas formantur. Fieri tamen etiam poteſt, ut eadem ratione ex aliis piſcibus ejusmodi materia præparetur, quæ *Raji* apud *Daleum* in *Zoologia pag.* 517. non temeraria eſt opinio.

§. 3.

Optima Ichthyocolla alba, pellucida & minime flava ſit, ſecundum *Schurzium* in *Mat. Muſ. Germ. pag.* 27. *Marxius* itidem in *Germanico Mat. Muſ. pag.* 26. etiam friabilitatem requirit. Id verò detur curæ, ut ne flavo glutine aliisque ponderoſis ac fœtentibus rebus repleta infarctaque ſit. Qui igitur tota vaſa illa repleta emunt, non ſolum unam & alteram dodecadem, ſed totam quantitatem ſumant viſitandam. Et quoniam ſub maximis coronis ſ. circulis maxima fraus latet, alii minores anguſtioresque coronas, unius unciæ, aut ſiſ

pon-

pondere eligunt emendas, quæ tam multum infarciri nequeunt. Enimverò nec his semper habenda fides est: tutius autem censetur, ut coronæ explicentur, & quemadmodum intus comparatæ sint, & num male oleant, videamus. Quùm verò hæc merx ab aëre facile corrumpatur, bene custodiri vult & claudi, uti *Pometus l.c.* fusius docet.

§. 4.

Usus Ichthyocollæ in Medicina non adeò notabilis est, nisi quod istam nonnulli internè ad hæmoptoën, & externè in emplastris consolidantibus usurpent. Aliàs ab Oenopolis in Gallia ad clarificandum vinum crebrius usurpatur, dum omne impurum isti adhæret, ac cum ista simul fundum petit, secundum *Pometum l. c.* Cæterum bonum gluten pro testudinibus aliisque instrumentis musicis, atque fractis vasis murrhinis exinde conficitur. Coqui ad gelatinas quoque usurpant, & fœminæ ad flores & corollas, dum istam dissolutam ligni agitatione s. concussione in spumam redigunt, & vel albam vel ante tinctam, per filum argenteum in florũ figuras jam intortum, & ab ichthyocolla pelliculam nactum, ingerunt. Alii perlas exinde per artem fingunt, textisque vinculis splendorem ista mediante firmitatemque conciliant.

§. 5.

In Hollandia Angliaque alia insuper ichthyocollæ species foliis parvis in libris reperitur, quã nonnulli ex reliquiis ichthyocollæ in corollis putant confectam: alii verò ab aliô quodam eoque magno pisce, quem STURIONEM, SILURUM s. Stör vocant, volunt derivari. Quoniam verò modo dicta ichthiocolla in libellis minus libenter fluit, raroque verè candida habetur, apud nos nihili æstimatur. In ista igitur recensenda non erimus verbosi, sed paucis saltem cujusdam cibi delicati, à prædicto Siluro oriundi, faciemus mentionem, quod vulgò Caviaro s.

CAVIARIUM

vocatum in frustis tanquam sapo viridis Hamburgensis apparet, atque è Moscoviâ in Italiam transportatur, ubi pro cibo delicato habetur.

§. 6.

Hoc Caviarium ex ovario seu ovis Silurorum componitur, ac Germanis propterea *Stör-Rögen* vocatur, ut *Olearius* in *Itinerario Persico pag.* 204. ostendit, ubi istius præparatio ita describitur: ova ab adhærente pellicula separant, sale condiunt, istaque sex vel octo dies ita relicta cum pipere & minutim incisis cepollis miscent. Quidam acetum & oleum olivarum affundunt, & ad edendum proponunt. Non spernendus est cibus, præsertim si loco aceti succus citri additur, qui & appetitum acuere & naturam stimulare dicitur. Ista ova in Wolga, plerumque juxta Astrachan, sale macerantur, partim in Sole siccantur, istisque centenæ orcæ replentur, in alias regiones, præsertim Italiam, transvehendæ, ubi pro delicato cibo, cui Caviario inditur nomen, habentur. Sunt etiam certæ personæ, quæ istam mercaturam certa pecuniæ summa à Principibus sibi redimunt propriam. Hactenus *Olearius*, qui ipse omnia vidit. Plures tamen circumstantiæ præparationis habentur apud *Gesnerum*, ex quo illas *Sam. Dale l. c. pag.* 515. adduxit. *Bellonius* etiam meminit

CAVIARII RUBRI,

ex ovis Cyprini pro Judæis præparandi, quod tamen non æque notum est atque prius.

§. 7.

Eadem methodo vulgò dictum Boutarque s.

BOTARGUM

ex ovis alius cujusdam piscis, qui Latinis MUGIL vel CEPHALUS dicitur, præparatur, quod Tunisii in Barbaria & in Mattegne, 8. milliaribus à Massilia distante, compositum, in Italiam mittitur, auctore *Pometo l.c. pag.* 96. Modum præparandi tradit *Sam. Dale pag.* 521. *Zoologiæ* suæ: totum sumunt ovarium, istique inspergunt grossum salem, sicque 4. vel 5. horas tegunt. Postmodum per diem & noctem duobus asseribus interpositum premunt, lotum 13. vel 14. dierum spatio in Sole siccant, ac singulis noctibus recipiunt sub tectum: aut etiam in fumum suspendunt, sed paulo remotius à flamma, ne incalescat. Edendi bibendique excitare desiderium, vino etiam gratiorem dare saporem perhibetur. Optimum est rubellum, temporeque passionem Christi in memoriam revocante, cum oleo olivarum ac succo citri, editur.

§. 8.

Ita Caviarium Botargumque Italia æstimat: nos contra parvi Italiæ pisciculi, *Anchovii* & *Sardellæ* dicti, magis delectant, qui utrique in Mari Mediterraneo & Provincia Languedoc Hispaniaque, & quidem nocturno tempore, Majo, Junio & Julio mensibus capiuntur, quo quippe tempore è magno apertoque mari in mare Mediterraneum ascendunt & versus Levantem properant. De quorundam opinione acervatim, ductu Regis sui, uti apes, dicuntur natare. In captura plerumque ignis accenditur, crucibulo imponi solitus, quo excæcantur. Qui sine igne capiuntur habentur meliores, cum igne enim capti minus bene durant. Finita captura

ANCHOVIIS

capita præciduntur, quo facilius exenterentur, simulque à Sardellis, quibus capita non amputantur, possint distingui; quamvis etiam ab his distinguantur rotundo dorso, & quod minores sunt,

SARDELLÆ

contra crassiores magisque depressæ. Utrique pisciculi parvi, recentes, duri, foris albi, intus rubicundi sint, vasisque apertis non male oleant,

oleant, sed sapido jusculo jaceant. Plerumque in doliis 25. vel 26. libras continentibus veniunt, binique grata suppeditant acetaria, cum corticibus citri, aromatibus & oleo olivarum præparati: ante vero pellicula à capite deorsum trahenda liberentur, beneque purgentur, uti *Schurzius l. c. pag.* 82. In Germaniâ multæ minutim incisæ haleces pro Sardellis edunter. Induratæ sardellæ nequicquam prosunt, sed haleces infumatas imitantur, vid. *Pometus l. c. pag.* 90.

CAPUT XXXIII.

DE TORPEDINE, REMORA, GLADIO ET SERRA.

§. 1.

OMnes quidem modò nominati pisces non adeò notabilem in Medicina usum præstant, nihilque de istis in simplicium habetur catalogo; quoniam verò in quibusdam Naturalium Museis inveniuntur, nec satis accurate adhuc descripti sunt, aliquem istis concedere locum voluimus, quo videamus, quid de uno alterove credendum, quid dubitandum sit?

§. 2.

Quod ad TORPEDINEM, *Zitter Fisch* vulgo dictum, attinet, id in utraq; lingua sustinet nominis, quoniam non artus solum trementes, sed aliquamdiu etiam quasi torpedine affectos & insensibiles præstat, uti omnes ex India Orientali Persiaque reduces, ubi potissimum reperiebatur, testantur, mihique *Joh. Gottfried Vitus* paucis abhinc annis retulit, vidisse se, cum adhuc in India Orientali esset, cum recens advenientibus Europæis institutum sæpe fuisse pecuniæ certamen, num huncce piscem sine tremore stuporeque membrorum tractare manibus possint, hocque illos semper privatos.

§. 3.

Piscis hujus formam *Dn. D. Engelbertus Kempferus* ex oculari intuitu in *Decad. Observ. Exotic.* §. 4. ita descripsit, quod externô intuitu Rajis haud absimilis sit, caudam si exceperis, nisi quod corpus ipsum magè rotundum sit, dorsumque plurimis maculis distinguatur. Adhæc piscis hic duplici gaudet palpebrâ, quarum interior è pellicula translucidâ constat, quâ sub aqua nictis sæpe oculis respicere observatur. Cauda, dorsum quodammodò ascendens, carnosa est, & dum binos circiter pollices à corpore protenditur, in transversum, ut in aliis piscibus observatur, in duas pinnas abit, quæ circa finem decussatim sibi incumbunt. Mas duram, cartilaginosam & acuminatam virgam habet, pollicis transversi longitudine, cujus apex binis foraminulis perforatus est, è quibus pinguem, albicantem & viscidum semen exprimi potest. Fœmella in utroque ventris latere plurima ovula pallescentia recondit, vitello ovi gallinacei similia aquæque pellucidæ innatantia. De aliis piscis hujus partibus *Matthiolus* & cumprimis *Rhedus* poterunt consuli; quapropter de ulteriori ejus Anatomiâ non erimus prolixiores, qualitates ejus paulò attentius adhuc consideraturi.

§. 4.

Ante omnia vis tremefaciendi stupefaciendique hoc in pisce notanda, quæ non ita simpliciter comparata est, acsi pes aut aliud membrum stupet, aut vulgari loquendi more dormit, sed torpedine tacti repentinum simul frigus sentiunt, quod totum corpus penetrans omnes spiritus vitales afficit, & non solùm omnia membra externa, sed cor quoque tremere ac palpitare facit, & hoc quidem eò vehementius perhibetur palpitare, quando pes à pisce tangitur, minus verò, si percutitur manus. Quod præ aliis tangitur membrum, quasi luxatum apparet, crepat & tremit, ut qui manu prehendit piscem, hunc continuo excidere cogatur. Id quod non ita simpliciter à nudo vapore, quem piscis emittit, proficiscitur, dum non quocunque tempore, nec tam validè sub aqua, quam extra istam, vim tremefaciendi exerit, ac mortuus ejusmodi vi prorsus privatur: sed omnia illa operatur valde celeri, improvisa & tantum non fulgurante percussione s. contorsione, qua uno motu conatur evadere, eumque in finem tanquam fulgur se movet, ut Indorum histrix, quando aculeos exporrigit, aut tanquam petulantes simiæ, quando ad injiciendum terrorem derepente & ex improviso tremunt. Hinc Eruditus quidam Italus, D. *Stephanus Lorenzini*, in Anatomia Torpedinis sub Tit. *Osservationi intorno alle torpedini* Florentiæ A. 1678. edita, non incongrue torpedinē vim stupefacientem non in toto, sed binis musculis falcatis habere scribit. Vid. *Miscellan. Acad. Germ. Cur. Dec. I. An. IX. & X. Obs.* 173. *pag.* 400. ubi contenta illius libri habentur. Quò nunc piscis vivacior est fortiorque, eo majorem excitat tremorem, quoniam fortius fulgurat, atque adeo vapores

ſuos ſtupefacientes fortius imprimit, quibus non ſolum homines ſe comprehendentes ac irritantes facit trementes, ſed & ab aliis piſcibus ſe defendit, quos eodem prorſus modo reddit ſtupidos. Similem autem tremorem injicere piſcatoribus, iſtum mediantibus funibus, baculis aut remis attingentibus, quæ *Plinii* fuit opinio, prorſus falſum fictumque eſt. Quanquam diffitendum haud ſit, eos, qui ſemel atque iterum ab iſto fuerunt tacti, admotis prope ad iſtum manibus, citra quod ipſum attingant, frigore ſtupefaciente affici, quod à terrore ſine dubio proficiſcitur.

§. 5.

Hic verò quæri poſſet, nonne aliquod invenire liceat remedium, quo nos ab ejusmodi piſce præſtare tutos queamus? & quo excitatus ab iſto tremor poſſit curari? ubi ſciendum, quod ad primam quæſtionem attinet, operationibus piſcis poſſe reſiſti, quando ſpiritus fortiter diuque retinetur, quod certus quidam Africanus, qui piſcem ſine ullo damno tenere poterat, laudato *D. Kæmpfero* manifeſtavit, qui ipſe poſtea id probatum eſſe judicavit, exiſtimans inhibita aliquamdiu exſpiratione halitus è corpore ſuo emiſſos nocivos piſcis vapores disjeciſſe ac repulſiſſe. Ad alteram quæſtionem reſpondemus, nos de curatione non adeo debere eſſe ſolicitos, eo quod artuum tremor cæteraque ſymptomata ſponte & mox ſine ullo damno abeunt ac recedunt, uti omnes & ſinguli tactum piſcis experti teſtantur.

§. 6.

Quam verò hæc de torpedine relatio vera eſt, tam incertum falſumque eſt, quod de ECHENEI ſeu

REMORA (*Hemm-Fiſch,*)

vulgò ſcribitur, quod navem, inflatis velis medio in mari actam, è pleno curſu revocare unaque vice impedire ac ſiſtere poſſit, iſti infra ſi adhæreat: id quod *Plinius*, *Scaliger*, *Aldrovandus*, *Olearius* aliique plures credunt, atque exemplis ſumunt demonſtrandum. Qui verò tam parvus piſcis (cujus figuram *Olearius* in *Pinacotheca* ſ. *Muſeo Gottorpienſi Tab.* 25. *N.* 2. eleganter delineavit) vehementiſſimum tam magnæ navis curſum poſſet remorari, cum ipſe in motu ſit, nec habeat ubi firmiter ſubſiſtat? Quod iis videbitur impoſſibile, qui vel pauliſper Mechanicam introſpexerunt. Id quidem poſſibile eſt, corpora minora majora peculiari artificio poſſe movere, atque in motu etiam impedire: utrobique tamen firmum requiritur fundamentum; unde Archimedes aliquando fertur dixiſſe: Da mihi ubi ſubſiſtam, & totam movebo terram! hic tamen id non ſuccedit, dum piſcis æque in mari fluctuat, atque navis, quemadmodum *Franciſcus Boyle* in *Problematibus* ſuis *Phyſicis pag.* 95. *Probl.* 62. bene monuit. Et quanquam *Hugo Lindſchot* in der *Orientaliſchen Schiffart cap.* 48. memoret, quod, cum aliquando è Luſitania verſus Moſambique navigare voluerit, ventumque habuerit ſecundum, navis tamen ſubſtiterit, hoc à piſce detenta, utpote quem cauda nauclerus puppi, capite arundini firmiter inſidentem viderit: citius tamen arundo evelli, aut truſtum de navi potuiſſet decerpi, quam navis ſecundo vento agitata ſiſteretur. Quamobrem ab alia prorſus cauſa id ſine dubio provenit, præſertim cum prædictus auctor addat navem non ſolum ſufflaminatam, ſed pauliſper retractam fuiſſe, quod è fundo maris aſcendentibus vaporibus, hujus fluctibus, æſtuationi, aut aliis cauſis adſcribendum poſtmodùm huic piſci ſuperſtitioſè fuit attributum; ut taceam, quod nullus fere Scriptor id ſe vidiſſe affirmet, ſed omnes ſe id audiviſſe ſcribant, adeo, ut *Ariſtoteles Lib.* 2. *Hiſt. Animal.* poſtquam de remorandi virtute dixerat, addat, uti nonnulli volunt: *Plinius* etiam *Lib.* 9. expreſſè ponat: id credi: unde *le Grand in Hiſt. Nat. Art.* 7. *pag.* 389. non temerè conjicit omne, quicquid huc usque de hoc piſce dictum fuit, purum putum eſſe figmentum.

§. 7.

Multo facilius autem quæ de Gladio Serraq; piſcibus ſcribuntur inveniunt fidem, quippe quorum arma, quibus natura donantur, unicuique in oculos incidunt, quanquam etiam plura dicantur, quam experientia confirmat: quando v.g. *Oppianus*, antiquus Græcus Poëta, gladium prioris piſcis adamante putat duriorem, à *D. Hannæo* in *Miſcell. Acad. Nat. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 8. *obſ.* 107. *pag.* 243. meritò refutatus. Ne igitur in exceſſu peccemus, ambos breviter conſiderabimus piſces.

§. 8.

Prior piſcis propterea

XIPHIAS & GLADIUS,

der Schwverd-Fiſch, vocatur, quoniam iſtius ſuperior maxilla in longũ latumque os enſiforme exporrigitur ſ. excreſcit, ſæpe quinque ſpithamarum longitudine, inferius circa radicem latitudine quinque pollicum, ſuperius in cuſpide verò latitudine unguis; atque iſtum gladium unius ac dimidiæ manus latitudine in navem perhibetur imprimere poſſe, ut *Olearius l. c. pag.* 37. recenſet. Qui piſcis ſuum ſi applicare ſciret robur magnum fortaſſe ceto, quem alias reformidat, parare poſſet damnum. Aliàs piſcis valde tenuem habet cutem, ut iſtum propterea parvi piſces pellant, certaque hirudo ipſi periculoſa exiſtens iſtius latus petat, quam una cum piſce *Bocco* aux *Recherches & obſerv. Naturelles pag.* 287. eleganter deſcriptam delineavit. Cæterum non ſpernendæ magnitudinis piſcis eſt, plerumque 4. ulnarum habens longitudinem, gladio neutiquam ad longitudinis menſuram ſumto. Partes iſtius internas externasq; juxta ſu-

ta supra memoratus *Hannæus l. c.* ex oculati contemplatione valdè accuratè ac perspicue descripsit. In nullum alium cedit usum, nisi quod vel totus piscis, vel ejus gladius hinc inde in Pinacothecis seu Musæis ostendatur.

§. 9.

Eadem alterius piscis ratio est, loco gladii serram gestantis,

SERRA,

PRISTIS, Germanis *Säge-Fisch*, propterea vocati. Similiter permagnus & exoticus piscis est, qui maxime in mari Occidentali invenitur, celerique cursu, instar serræ, rostro suo utrinque serrato scindit. Hoc rostrum serratum diversa habetur magnitudine: majora duas fere ulnas longitudine æquant, supra, ubi capiti insiderunt, semiulnari latitudine, quale in *Museo Gottorpiensi* reperiundum ab *Oleario* in illius *Descriptione Tab. XXV. Num. 1. p.* 28. commemoratur. *Wormius* in *Mus. pag.* 288. aliud rostrum describit, quod trium pedum ac dimidii habet longitudinem, pondus vero $4\frac{1}{2}$. librarum: quod cum eo, quod *Jacobæus* in *Museo Regio Dan. pag.* 15. describit, convenit, in quo prædictus auctor duos canaliculos, per longitudinem extensos, observavit. Fusca sunt rostra, & multis in locis inveniuntur. Ipse etiam piscis apud quosdam Materialistas inflatus & infarctus videtur, prout *Dn. D. Hermanni*, olim Prof. Lugdunensis celeberrimus, in domus suæ introitu aliquot suspenderat. Quædam etiam non spernendæ magnitudinis Serræ Francofurti ad Mœnum, in Domini de *Resæ* & *Heusii*, Materialistarum, domibus suspensæ observantur.

CAPUT XXXIV.

DE

OVIS RAJARUM.

§. 1.

AD ea medicamenta, quæ in Germania nondum prorsus innotescunt, pertinent etiam ova, vel rectius secundinæ Rajarum, vulgò *die See-Mäuse*, in Hollandia apud quosdam Materialistas reperiunda: quæ nihil aliud sunt, quam duplicatæ, & intus cavæ, ex nigro fuscæ pelliculæ, latitudine circiter unius ad dimidii pollicis, glabræ, striatæ & quadrangulæ, instar pulvinaris: quamobrem etiam illa ab *Rondeletio* pulvinaria vocantur. In quatuor angulis oblongas angustasque caudas habent, uti in figura 1. *Musei Museorum Germ.* sub literis a. b. c. d. apparet; in parte breviore aperturam lit. e. notat: cæterum ubique clausa sunt, licet facile possint separari, uti in fig. 2. videre est.

§. 2.

In Seelandia Hollandiaque potissimum inveniuntur, ac propriè non mures sunt, sed à vulgò ita vocantur, quia cum nudo, exporrecto aut compresso mure aliquam habent similitudinem, quanquam non murini sint coloris, sed ex nigro fusci. Meliore jure eruditis ova Rajæ piscis (*Rochen-Eyer*) vocantur, quoniam in istis, tanquam secundinis, juniores rajæ nascuntur, interdum adhuc in illis reperiundæ, quæ si per anteriorem aperturam exierunt, mare vulgo dictos mures marinos, rectius ova Rajarum, tanquam illarum domicilium & tegumentum, ad litus projicit, quam ob causam sæpius luto paululum oblinuntur. Hinc fortasse est, quamobrem à Physicis æque atque Medicis ipsis nihili æstimata, silentioque usque eo præterita fuerint, ut in Germania ne istorum quidem nomen fere sit auditum: quanquam Aristoteles jam suo tempore illorum fecerit mentionem, *Gesnerus* quoque in *Tr. de Piscibus pag.* 74. *Aldrovandus Tr. de Piscibus Lib. XIII. p.* 380. & *Rondeletius*, *Jonstonius*, *Cerutus* aliique perspicuè illa descripserint juxta & partim delineaverint, quorum tamen figura cum re ipsa non æque convenit, ac nostra. Omnium clarissime curiosus ac celeberrimus Senator Argentoratensis, *Dn. Brackenhöferus*, in *Msc.* de suo Natur. & Artificialium Museo ista ita describit: Ova piscis Rajæ sunt quadrangula, longitudine latitudinem paulum superante. Longitudo unum & dimidium pollicem æquat, latitudo existit pollicaris. Depressa sunt, in medio tamen convexa, instar pulvinaris, & ex tenui pellicula paululum spumosa utrinque constant, quæ circumcirca simpla eaque tenui membrana, qua totum pulvinar secundum quatuor latera cingitur, videtur munita: hæc verò membrana prominet s. propendet, tanquam in vestibus holosericum subsutile, aut cui denticulatum palagium insuitur; color est ex nigro fuscus, in angulis apparent quasi cornua, longitudine forte sesquidigitali. Ista cornua ejusdem coloris, substantiæ & materiæ sunt atque pulvinar: nempe tenui membrana constant, non simpla, qualis est circumcingens pellicula, sed dupla vel cava, ea tamen depressa, & in extremitate paulum acuminata. In pulvinari anterius semper apparet apertura, per quam animal egreditur. Multi hanc rem raritatis causa asservant, quid vero sit ignorant. Hactenus *Dn. Brackenhoferus*, cujus multa curiosaque scripta, quibus omnia &

ſingula ſuo in Muſeo reperta naturalia accuratè deſcripſit, digna ſunt, quæ ab hæredibus in uſum publicum emittantur.

§. 3.

Sunt equidem nonnulli Doctorum, qui ſupra laudatos Scriptores non tam ova Rajæ, quam iſtius uterum, in quo illa generentur, deſcripſiſſe defendunt, qui tamen jam pridem à Clariſſ. Danorum Anatomico, *Nicolao Stenone*, in *Epiſt. ad Piſonem de Rajæ Anatome* refutati, & non tantùm idoneis argumentis, ſed & *D. Simon. Paulli* autoritate convicti ſunt, ejusmodi pelliculas non Rajæ uterum eſſe poſſe, ſed aliud quid eſſe debere, quibus Clariſſ. Daniæ Medicus *D. Oliger Jacobæus* in *Muſ. Reg. Dan. p.* 17. aſſentitur. Nec obſtat, teſtam aut vitellum, ut in aliis ovis, in iſtis non inveniri: dum notum animal quadrupes ipſumque hominem ex membranaceis veſiculis generari, hodiernis Anatomicis ovula vocatis, quamvis in iſtis neque vitellum, nec teſta dura inveniatur.

§. 4.

Quod tandem ad iſtorum uſum attinet, à vulgo in Batavia optimo cum ſucceſſu ad hæmorrhoides cæcas furentes uſurpantur, quippe quibus locum dolentem fumigant, ex quo dolor continuò dicitur remittere; id quod *D. Chriſtianus Maximilianus Spenerus* in peculiari *epiſtola*, Amſtelodamo *de Moribus Marinis* anno 1700. ad me data, teſtatur, iſtam operationem ſali volatili ſulphurique narcotico, in illis pelliculis recondito, incenſione vero exhalanti, non temere adſcribens, cujus epiſtolam in *Polychreſtis* noſtris *Exoticis* curioſus Lector inveniet.

CAPUT XXXV.

DE

OCULIS CANCRORUM, ASTACIS MARINIS, SQUILLIS ARENARIIS ET CORONIS SERPENTUM VULGO ITA DICTIS.

§. 1.

LAPIDES CANCRI (*Krebs-Augen*) albicantes, duri ac rotundi lapilli ſunt, ſuperius convexi, ſubtus plani, parva foveola notati, ſaporis terreſtris, odoris nullius. Secundum relationem *Marxii* potiſſimùm ex Marchionatu Brandenburgico veniunt, ubi cancri & lapides cancrorum in tantâ inveniuntur copiâ, ut ex illis ærarium Regium annuatim reditus multorum milliarium Imperialium habere dicatur, de quo Regius quidam Boruſſiæ Miniſter me fecit certiorem.

§. 2.

In ASTACIS FLUVIATILIBUS potiſſimum reperiuntur, & quidem circa illud tempus, quo veteres teſtæ volunt decedere, in Majo circiter, Junio & Julio menſibus, dum albeſcens iſte liquor, quo replentur, in iſtis indureſcens in hujusmodi lapillos abit, qui ita in ventriculo marium, vel prope iſtum generati, pro oculis neutiquam poſſunt haberi. Si quando verò novæ ſuccedunt teſtæ, lapilli iſti non amplius inveniuntur, quoniam ex eodem iſto liquore ſeu lacte, aut ex pellicula iſtorum lapillorum creduntur generari, uti *Helmontius de Lith. c.* 7. *§.* 32. & *Ettmüllerus in Comm. Schræd. p.* 811. ex illo docet.

§. 3.

Iſtos verò lapillos vel ſponte cancri projiciunt, qui ſub-cœrulei ſunt, & à Materialiſtis *Schurzio*, *Marxio* aliisque habentur meliores iis, qui ex cancris coctis ſumuntur, & candidiores exiſtunt, quoniam ab injecto ſale paulùm alterantur, auctore *Hoffmanno* in *Clav. Schræd. pag.* 698. Et inde eſt, quamobrem duæ plerumque apud Materialiſtas oculorum cancrorum habeantur ſpecies, nempe OCULI CANCRORUM ALBI & COERULEI. Quos poſteriores ſub nomine *lapid. cancri è vivis* in quotidianâ Praxi præſcribere ſolet Nobiliſſ. *Brunnerus*, Archiater Electoris Palatini. Interea cautione opus eſt, ne adulterati & arte facti emantur, propter quos certus quidam Pharmacopola Hanovienſis in jus vocatus, & ferè in paupertatem redactus eſt, quamvis eum nominare Materialiſtam potuerit, à quo iſtos acceperat. Qui ſine dubio ſuam excuſare ſortem novit, dum quidam Pharmacopolæ plerumque non tam optimam materialium ſpeciem, quàm mediam, aut viliſſimam, quæ utplurimum nec quicquam prodeſt, coëmunt. Oculos verò cancrorum in Hollandia ex alba terra, aut contuſis tubulis, hauriendo Nicotianæ fumo aptatis, artificioſè præparari, atque certo inſtrumento aut typo formari, non ſolùm experientia teſtatur, ſed certus etiam Medicus, qui apud Legatum Polonicum Pariſiis commoratus eſt, Materialiſtæ *Pometo* fidem fecit, noſſe ſe Amſtelodami duas perſonas, quæ nihil aliud quam oculos cancrorum conficerent: id quod *Pometum*, hoc ex omnibus audientem, usque eò dubium fecit, ut neſciret, artificioſinè omnes oculi cancrorum an naturales habendi, præſertim quod in *Charaſii* officina viderat ſalem volatilem exinde poſſe acquiri, quem terra dare nequeat, vid. ejus *Hiſtoire des Drogues Part.* 2. *Lib. I. p.* 95. Enimverò

hoc





Urinator Piscaturæ Unionum destinatus

hoc dubio facile expedire se Materialista potuisset, modò inter veros ac naturales & inter adulteratos artificiales feciſſet diſcrimen, quod partim experimento Chymico, partim etiam per ſpiritum acidum, oculis cancrorum contuſis affundendum, dignoſcitur, qui veris affuſus fermentationem excitat, non item affuſus artificioſis, niſi ex conchis ſint præparati. Curioſiſſimum verò eſt, quod de ocul. ☉. figuratis refertur in *Actis Hafnienſibus Vol. III. & IV. pag.* 107. ubi in quodam nomen Regis Chriſtiani V. & in alio Fortuna expanſis velis à natura depicta cernitur.

§. 4.

Genuini ac naturales oculi cancrorum vi dulcificandi pollent, qua omne p. n. acidum in corpore humano infringunt, abſorbent præcipitant, ac propterea ad ardorem ſtomachi, colicam, pleuritidem, calculum veſicæ & renum, febres continuas & erraticas, internas externasque læſiones quotidie in Medicina præſcribuntur. Sic & ipſi cancri ſanis ægrisque juxta in cibum cedunt: his præſertim juſcula, ex contuſis cancris teſtisque confecta, valde conveniunt. In uſu quoque ſunt

CINERES CANCRORUM,

apud Materialiſtas reperiundi, variasque compoſitiones ingredientes; de quibus omnibus D. *Sachſius* in *Gammarologia Lib. II.* agit uberius

§. 5.

Huc etiam pertinent

ASTACI MARINI (*die See-Krebſe*)

ſæpe tam magni fortesque exiſtentes, ut chelis ſuis arreptum hominem interficere valeant. Tam dura cinguntur teſtâ, ut ſecuri iſtos diſcindere neceſſe ſit. Nigri, nec dum cocti vehementer deformes apparent, meminique unum Londini ſterlingiô ſ. capitato eſſe divenditum. Valde duram ac difficulter digerendam carnem habent, quam propterea cum ſucco citri ac pipere edunt. In Medicina

APICES NIGRI CHELARUM CANCRORUM

in febribus calidis & contagioſis peculiarem vim habere creduntur, quô reſpectu in PULVERE BEZOARDICO Anglorum, valde celebri, ſ. pulvere Cantiano fere baſin conſtituunt ac ingrediens præcipuum: cujus variæ ſunt deſcriptiones, quarum ferè optima eſt, quam *Charas* in *officina Reg. cap.* 19. tradit, utpote cum Anglorum deſcriptione valde convenientem, quæ habetur in *Pharmacopœia Bateanâ pag.* 126.

§. 6.

Loco iſtarum chelarum magnæ Indorum SQUILLÆ, *Rumphio* ARENARIÆ, *Rondeletio* Mantis vocatæ, alba ramoſaque oſſicula habent, palmæ ramos referentia, admodum lævigata & elegantiſſimum ebur mentientia, quorum duo, cum accurata animalis delineatione B. L. in *Muſ. Germ.* communicata, mihi ad manus venerunt. Iſta oſſicula

CORONÆ SERPENTUM (*Schlangen-Cronen*)

à quibusdam Circumforaneis vocantur multumque commendantur, quamvis nullam ſimilitudinem cum coronis habeant. Quamobrem alii ejusmodi coronas ſerpentum mendaces ex dentibus lacteis porcellorum ablactatorum conficiunt, de quibus utrisque *Dn. Schræckius* in *Not. ſuper* 106. *obſervat. Ann. V. Dec.* 2. *Miſc. Acad. Nat. Cur. pag.* 212. poteſt videri.

CAPUT XXXVI.

DE

MARGARITIS ET MATRE PERLARUM.

§. 1.

UNIONES, ſeu MARGARITÆ parvi & granulati lapilli ſunt, aut prorſus rotundi vel angulares, albicantes & quodammodò pellucidi, ſapore terreô, ut conchæ, in quibus generantur. Dicuntur Margaritæ, quia in conchulis marinis hoc genus lapidum invenitur, judice *Iſidoro* Hiſpalenſi *in Origin. L.* 16. *c.* 10. An autem ab eodem rectè uniones dicantur, quod unus & nunquam plures in una concha reperiantur, experientiæ non reſpondet. Utplurimùm è Perſia Indiaque Orientali & Occidentali veniunt, quanquam etiam in Livonia Bohemiaque dicantur inveniri, teſte *Balbino* in *Hiſt. Bohem. Part. I. pag.* 74. Cui eò magis habenda fides eſt, quoniam etiam *Dn. Weberus*, Profeſſ. Juris & Hiſtor. Gieſſenſis, olim in Comitatu Schwartzburgenſi, & *Dn. Waldſchmidius*, Bibliothecarius Francofurtenſis, in iſtius loci foſſa urbica, in vulgaribus conchis perlas invenerunt, id quod ambo mihi retulerunt, partimque oſtenderunt.

§. 2.

De origine & accretione perlarum variæ notantur Doctorum opiniones, dum multi cum antiquo *Plinio* exiſtimant iſtas ex rore, in apertas conchas ſtillante, generari. Quæ tamen opinio prorſus à veritate aliena eſt, dum certius eſt quam quod certiſſimum, matrem perlarum ex imo maris aliorumque fluviorum, quo ros nunquam pervenit, evolvi. Quamobrem alii, utpote *Petrus Joh. Faber*, perlas pro lepra oſtrearum

volunt haberi, quod ſimiliter haud veriſimile eſt. Paulò melius judicat *Anshelmus Boëtius Lib.* 2. de perlis *pag.* 167. ſcribens, animalculum in conchis contentum certo tempore tenacem humiditatem evomere, ex qua teſta, propterea lamellata apparens, oriatur, ſi quando autem animalculum viribus privetur, ad evomendam humiditatem neceſſariis, iſtam ſaltem adhærere, quo exinde generentur perlæ, atque adeo ejusdem cum conchis eſſe naturæ: cui etiam opinioni *Wormius* in *Muſ. pag.* 109. ſubſcripſit. Omnium vero optimè acu rem tetigiſſe videntur, qui perlas concharum ovula eſſe exiſtimant: de quo *Dn. Barthol. Craſſelius*, Paſtor olim Niddanus, nunc Veſalienſis, valdè curioſam relationem ad *Dn. Schillingium*, Paſtorem Gieſſenum fidelisſimum, transcripſit, quam hic cum curioſo lectore integram volo communicari:

Quæ de perlis, & inprimis iſtarum generatione & origine, ex ſpeciali certaque relatione, ſecundum circumſtantias mihi cognita ſunt, & in meliorem certioremque iſtius tam vehementer hominibus commendatæ creaturæ cognitionem meritò libenterque, præſertim rogatus, nunc manifeſto, ſequentibus comprehenduntur: Quùm Anno 1700. tanquam peregrinator in Livonia eſſem, & aliquamdiu Rigæ commorarer, fortè in hoſpitium meum Regius Sueciæus Miniſter veniebat, piſcaturæ perlarum in Livonia & Ingermanlandiâ, tanquam Inſpector præfectus, cui Krey nomen erat, qui mihi in convivio accubabat. Multum iſte de perlarum piſcatura variaque iſtarum habitudine diſputabat, ſpecies ſimul varias oſtendens, ac inprimis perlarum originem probabiliter docens, cum ſumma teſtificatione, iſtas nihil aliud eſſe quam ova concharum, à quibus proveniant, & è quibus viciſſim conchæ generentur. Quâ de re etiam ſubmisſiſſimam officioſamque relationem, cum circumſtantiarum commemoratione, ad Regiam Majeſtatem Sueciæ conſcripſerat, quam mihi legendam deſcribendamque dabat. Ex quâ præcipuè ſequentia & ad rem facientia momenta annotavi, & quidem, quod iſtius loci perlarum piſcatus non in mari, ſed in parvis fluviis rivisque peragatur, ac olim ruſticis ſaltem innotuerit, qui iſtum clam peregerint, perlasque expiſcatas omnes in Moſcoviam vexerint divendendas. Quod cum poſtmodum Regiæ Majeſtati innotuit, mandato ab Ipſa ſancitum eſt, ut ne quis inpoſterum perlas in Moſcoviam vehat vendendas, quin potius iſtas Regi per deputatos Miniſtros transmitti curet, dato pro iſtis certo aliquo pretio. Hinc quidem parcior factus perlarum piſcatus, ac conſequenter pauciores in Moſcoviam fuerunt deportatæ, parum tamen etiam aut nihil Regiis Commiſſariis fuit exhibitum, piſcandi labore magis decreſcente, quam auctò, aut promotò. Magna igitur Regiis Commiſſariis impendenda cura erat, quoad ante omnia explorarent loca, ubi conchæ margaritiferæ inveniantur, poſteaque homines piſcaturæ perlarum gnaros conquirerent. Cui rei pauperes ſimplicesque agreſtes maxime idonei aptiſſimique fuerunt, quippe qui iſtius rei præ aliis gnari ſequentia manifeſtarunt, experientia poſtmodum comprobata. Nempe

1. Conchæ margaritiferæ in nullis inveniuntur rivis, niſi in iis, in quibus pura recensque aqua ſcaturit, & in quibus cobites barbatulæ truttæque aluntur.

2. Ibi verò locum, ubi conquieſcunt, in profundis cavernis valde abſcondunt, maximè arenoſum ſabuloſumque fundum, in quò ſe profundè tegunt & juxta ſe invicem proxime jacent, ſequuntur.

3. Inde, ſi perlas acquirere animus eſt, non citius debent diſturbari, quàm à medio Julii usque ad medium Auguſti: ante id tempus enim nullæ adhuc perlæ adſunt, poſt illud verò ex iſtis, tanquam ovulis, juniores conchæ generatæ ſunt; per totum ſiquidem annum hoc tempus iſtarum generationi deſtinatum eſt.

4. Iſtis in locis utriusque ſexûs conchæ reperiuntur juxta ſe invicem, tantaque inter iſtas viſu tactuque obſervatur differentia formæ externæ, ut perlarum piſcatores certò ſciant, masne an fœmina ſit, antequam iſtas aperiant.

5. Mares nullas apud ſe continent perlas, ſed ſaltem fœminæ; hæ in dorſo gerunt inteſtinulum, ponendis ſeu excludendis ovis dicatum, quod ab eo loco, ubi concha teſtæ ſ. matri perlarum adnata eſt, ex corpore prominet, & ad caudam usque protenditur. In iſto tres aut quatuor perlæ, diverſa magnitudine, ſucceſſivè continentur, quarum anterior maxima, altera paulo minor, tertia iſta ſimiliter minor, quarta omnium minima eſt; haud ſecus atque in aviculæ aut gallinæ ovario ova ante vas excretorium gradatim inveniuntur accreta.

6. Iſtis fœminis perlarum piſcatores celeriter ſciteque ſe approximare ſciunt, antequam ſe firmiter claudant, quo ſine vehementi apertione ex iſtarum inteſtinulo oviparo perlas leniter exprimant, ipſasque conchas illæſas aquæ reddant, in qua non ſolum ſuperſtites manent, ſed ſequenti etiam anno iterum perlas generant. Iſtud ſiquidem non magis iſtarum vitæ ac fœcunditati obeſt, quam cancro, ſi remotis ſub iſtius cauda ovis ipſe aquæ redditur.

7. Mares, qui, ut ſupra dictum, certo cognoſcuntur perlisque deſtituuntur, non aperiunt, ſed in aqua relinquunt. Quædam fœminarum interdum etiam ovis carent, quoniam vel ſteriles ſunt, aut ova jamdum poſuerunt. In iſtis, quæ jam ponere ova cœperunt, tres ſaltem aut duas inveniunt perlas, imo interdum unam.

8. Simulac poſita à conchis perla eſt, repente creſcit, aperitur, viveſcit, ex iſtaque junior con-

concha generatur. Quamobrem extra concham vix una, imo nulla dicitur inveniri, quæ adhuc usurpari possit.

9. Quibus probandis inservit certa veraque historia, quando perlarum piscator Nobili cuidam Livono eique præcipuo, & Regis Sueciæ Summo Vigiliarum Præfecto exclusam elegantem perlam obtulit, quam hic in mensa ante se positam magna delectatione admiratioque animi diu contemplatus est, ac tandem, se non opinante, istam sponte se aperire iterumque claudere, ac speciem junioris conchæ repræsentare observavit. Id quod sanctè testificatum affirmatumque est. Quod etiam ex concharum testis seu matre perlarum, intus perlis prorsus similibus apparentibus, perlæ formari queant, quæ pro veris bonisque margaritis possint haberi, ex superioribus facile colligitur, quæ istius rei sit ratio.

10. Præterera nullus unquam modus inventus est, nec excogitari poterit, per quem generatio concharum fieri possit, nisi per margaritas. Quæ etiam causa est, quamobrem perlarum piscatores certa quædam loca, concharum margaritiferarum domicilia, in rivis intacta relinquunt, quibus perlas non sumunt, quo generentur juniores, speciesque conservetur. Hinc postmodum in ejusmodi intactis locis plurimas juniores conchas inveniunt, principio foris colorem perlarum egregie referentes.

Hæc sunt, quæ in adjumentum veritatis de verâ perlarum origine in lucem proferre debui, quæ, ut spero, sufficienter demonstrabunt perlas concharum esse ova, illasque neutiquam, ut temere alias affirmatur, è rore, sed ex ordinario congressu conchæ maris cum fœmina generari. Sic enim & hic loci in conchis vulgaribus similiter ova reperiuntur, perlis aquaticis dictis similia, quæ tamen, ut ova concharum margaritiferarum, non statim, simulac ex istis exempta sunt, eam nanciscuntur duritiem, ut, quæ ad trajiciendum satis magna sunt, à perlarum tornionibus trajici seu perforari, ac rotunde possint tornari. Si quæ fortasse contra hanc opinionem objici possint dubia, plures ad ista tollenda proferre possem circumstantias. Interea spero adducta hic momenta pluribus videri sufficientia. Hactenus relatio amici.

§. 3.

Quâ verò ratione perlarum piscatus in India Orientali & Occidentali peragatur, *Tavernier* in *Itiner.* fusius descripsit, cujus etiam verba *Pometus* in *Hist. des Drogues Part. 2. c. 46. p. 97.* adduxit; quæ dum omnia cum jurejurando confirmatâ relatione ac delineatione, quam *Isaac Baardt* A. 1681. d. 30. Decembr. è Tutucoryn, ubi optimæ inveniuntur perlæ Orientales, ad *Herbertum de Jager*, Superiorem Mercatorem transcripsit, quamve in hujus Manuscriptis inveni, conveniant, atque in *Malleti Cosmogr. Part. 1. p.* 113. communicata sint, hinc breviter istam relationem hic repetam: Quando iis in regionibus, in quibus margaritæ crescunt, Costa de Pescaria dictis, perlarum piscatio notificatur, Indi ac Mahumetani copiosè veniunt, qui soluto Batavis certo tributo (qui illos propterea durante perlarum piscatione quatuor navibus bellicis à Corsaris & Piratis defendunt) navi minori se committunt, & quidem istorum saltem aliquot, quorum unus mare intrat, conchas conquisiturus. Cujus urinatoris thoraci primum robustus funis A. A. uti in præsente figura æneâ videre est, circumjicitur, cui superius excavatus lapis annexus est, in navi relinquendus. Pedibus alius isque ponderosus alligatus lapis est C, fune D. quo urinator in mare demittitur, firmatus, ille vero coriaceis chirothecis B. instructus est, ne ab acutis conchis, (ibidem adeo copiosè reperiundis, ut sibi instratæ montes repræsentent, ac facile colligantur,) possint lædi. Qui si reticulum F. superius ferreo annulo apertum detentum, conchis adimplevit, ac respirandi necessitate urgetur, fune BB. sociis suis significat, quo istum sine mora extrahant, cui ob impeditam respirationem sæpe sanguis ex naso auribusque dicitur prorumpere, ut adeoque difficilis sit horum hominum conditio. Quamobrem alibi perlarum piscatores caput densa vitta, longo canali, per quem inspirare possunt, instructa, munire dicuntur, uti *Vielheurius* in *Descr. Mat. Exot. Germanica p.* 176. commemorat. In Bohemia conchas margaritiferas retibus extrahere aqua perhibent, ubi etiam perlarum fontes habentur, teste supra dicto Jesuita *Balbino* in *Histor. Bohem. l. c.*

§. 4.

Simulac perlarum piscatores concharum quantitatem conquisiverunt, pauperes pecuniaque indigi istas divendunt: alii expectant, quoad perlarum piscatio prorsus fuerit finita, nec conchas aperiunt, ne perlas lædant, sed tamdiu jacere sinunt, donec sponte dehiscant; quanquam istâ morâ perlæ sæpe flavescant. Quæ perlæ deinde in Sicilia, Hollandia & alibi aliquo instrumento, à *Bootio l. c. p.* 181. delineato, perforantur, atque in Europa pondere Carat dicto, & quatuor grana æquante, quo etiam adamantes divendi solent, venduntur, vid. *Pometo l. c.*

§. 5.

Quod ad pretium attinet, perla perfecte elegans semper numero granorum, quot pendet, multiplicatur, & quot per multiplicationem grana numerantur, tot coronis æstimatur, uti memoratus *Bootius de Lap. & Gemm. p.* 177. & *Kunckelius* in *Epist. de Natura, Cognitione ac Bonitate Gemm. pag.* 114. docent. E. g. Granum unum taxatur una corona, 2. grana

cum

cum duobus multiplicata faciunt 4. unde tot coronarum oritur æſtimatio. Unum Carat continet quatuor grana, quæ cum 4. multiplicata 16. grana, atque ita tot coronas ſignificant, uti ex ſequenti tabella innoteſcit:

Gran.	*Coronat.*
1.	1.
2.	4.
3.	9.
Carat.	
1.	16.
1 1/4.	25.
1 1/2.	36.
1 3/4.	49.
2.	64.
2 1/4.	81.
2 1/2.	100.
2 3/4.	121.
3.	144.
4.	256.
5.	400.
6.	576.
7.	784.

§. 6.

Ubi notandum, præpoſitum pretium ſaltem Orientalibus perlis conſtitui, dum Occidentales ſeu

MARGARITÆ OCCIDENTALES

vix decimam iſtius pretii partem æquant, & quoniam non tam claræ, albæ ac pellucidæ ſunt atque priores, ac propterea parum æſtimantur, hinc 1. carat vix quarta thaleri parte emitur, ſicut *Bootius l. c. p.* 179. oſtendit; quanquam in Medicina Orientalibus parum cedant, de quo infra agemus pluribus.

§. 7.

MARGARITÆ ORIENTALES

alias vulgò in *rotundas* (*Zahl-Perlen*) quæ decenter magnæ ac rotundæ ſunt, & *ſeminales* (*Saat-Perlen*) quæ parvæ & angulares ſunt, dividuntur, quarum minimæ, oculos non adeò delectantes & imperforabiles, *Stos-Perlen* vocantur, Materialiſtis divendendæ. Hi verò iſtas rurſus in 3. ſortes dividunt, Electas prorſus candidas, Finas paululum nigriores, & Medias ſeu Meſſanas, vulgares, nigras, contritas variisque quisquiliis inquinatas, teſte *Schurzio* in *Mat. Muſ. Germanico p.* 58. Optimæ vere candidæ, claræ ac pellucidæ, & Orientales genuinæ ſint, uti *Pometus l. c.* ex Materialiſtarum opinione ſcribit.

§. 8.

Quidam ex parvis magnas conficere ſibi ſumunt, qua de re elegantem probatumque proceſſum in *Dn. D. Tackii* Mſc. inveni, ſequentibus comprehenſum; ℞. acet. vini, deſtilla & pone ad purificandum in ℳ. 20. ☌. ☿. tunc præcipitabitur alba materia, de qua acetum decantetur nunc eſſentificatum. Hanc eſſentiam aceti affunde perlis contritis, inque cucurbitula alembico cæco munita expone Soli, & ſic ſolventur perlæ, oleum vero eſſentiæ ✣ innatabit. Iſtud oleum cochleari argenteo removendum, inque aqua frigida bene aſſervandum. Hac ratione tot ſolvere tibi licebit perlas, quot placet, & quod ✣ non amplius ſolvit, ei recens affundere tibi eſt integrum. Tandem abſtrahe à perlis & maſſa acetum, indeque perlas forma, qua optas magnitudine, & poſtquam tibi formam & forſiculam comparaſti, pertunde ſeu trajice acum auratam, & fige in auratam thecam foraminibus multis præditam, omnia ſimul in amplo cooperto vitro ☉ 4. ☌ ☿ expone, quo à radiis ☉ribus bene feriantur, perlæque exſiccentur, manibus adhuc non tangendæ. Si quando exſiccatæ ſunt, ſume iſtas, & quamque ſeorſim proprio oleo immerge, illamque ſeorſim in peculiari loco fige: quod toties repete, quoad tibi colore commendentur vereque Orientales appareant; nam poſt quamcunque immerſionem ab anima ſua, ſ. oleo, cuticulam induunt. NB. Hic proceſſus inter Pentecoſtes ac D. Jacobi feſtos dies eſt inſtituendus. Inſtrumenta quibus oleum deſumitur, una cum ſpatula cultelloque, argentea ſint, forſicula etiam aurata, ut & acus. Antequam maſſa formatur, calx perlarum ♋ lil. alb. eſt imbibenda.

§. 9.

Interdum etiam margaritæ flavæ viſuque injucundæ evadunt, quæ ☌ ☉l. iterum albeſcunt, quippe quo exterior cuticula exeditur. Quoniam verò hac ratione minores, levioresque ac pretio viliores fiunt, alii alabaſtro iſtas terunt, coralliis albis, vitriolo albo, tartaro & ſimilibus. Alii oryza ſaleque iſtas depurgant. Quidam columbis dant deglutiendas. Maculatæ ſaltem per ☌ rore majali macerantur, in lactuca collecto, vid. *Wormii Muſ. pag.* 110.

§. 10.

Quod tandem ad perlarum uſum attinet, Orientales non ſolùm divitibus Magnatibusque ad ornamentum inſerviunt, ſed iſtis quoque egregiam virtutem naturam, cor, ſpiritusque vitales confortandi, imo & hecticam, phthiſin pulmonum, aliosque periculoſos ac contagioſos morbos curandi volunt adſcribi. Quod partim credi poſſet, modò in lac proprium, ex quo natæ, poſſint reſolvi, auctoribus *Helmontio* in *Tr. de Febr. cap.* 8. §. 7. & *Tachenio* in *Clav. Hippocr. pag.* 121. Quem in finem cum peculiaris & nondum cognita clavis requiratur, ut adeoque margaritæ, prout hodie uſurpantur, fortaſſe ſaltem acre acidum in corpore edulcorent abſumantque, iſtis ſupra memoratæ vires non niſi cum temperamento quodam adſcribantur. Interea

divites

divites pauperesque juxta multum in istis ponunt spei, ac propterea non solùm multa exinde præparata præscribuntur, quæ in *Schrædero* hujusque Interpretibus *Hoffmanno* & *Ettmullero* leguntur, sed multa etiam ingrediuntur vetera novaque composita, in Dispensatoriis ac Practicis invenienda.

§. II.

MATER PERLARUM, s. *Perl-Mutter* cum ex eadem materia constet, ut supra dictum, ac sine dubio iisdem polleat virtutibus, optandum esset, ut, præsertim pro pauperibus, notissima aqua perlarum, aliaque ejusmodi pretiosa medicamenta, non ex ipsis margaritis, sed ex matre perlarum conficerentur, hujusque intuitu taxarentur, cum etiam dubitandum sit, num veræ perlæ ad ista sumantur, quarum præsumtione tamen magni venduntur. Nec multum refert, veræne conchæ margaritiferæ, in quibus crescunt, eligantur, an magnæ ita dictæ matres perlarum, è magnis, latis, foris gryseis & inæqualibus, intus candide splendentibus testis constantes, in quibus nunquam aliqua perla fuit, quæque saltem ob splendorem ita vocantur, auctore *Pometo* in *Hist. des Drogues pag.* 73. *cap.* 48. *pag.* 104. In istis interim magnitudinem, crassitiemque & lævitatem respicimus, uti *Marxius* in *Mater. Mus. German. pag.* 124. scribit.

§. 12.

Virtutibus ad perlas valde accedit, notumque specificum antisebrile exinde præparatur. Externè ad Unguentum Nihili sumitur. Quæ ornamenta matrum perlarum incisores inde conficiant, non ignotum est, prout Amstelodami in tophaceâ mensa, (*Tuffsteinernen Tafel*) corona, ex matre perlarum vermiculata, quæ in artificiosi Magistri *Dieterici de Reisvvig* domo videre est, ejus rei egregium exemplum apparet, id quod *Vielheurius* in *Descript. Exot. Mater. Germanica pag.* 179. fusius descripsit.

CAPUT XXXVII.

DE

UMBILICIS MARINIS, BLATTA BIZANTINA, SOLEN, ENTALIIS, DENTALIIS, ET CONCHIS VENEREIS.

§. I.

UMBILICI MARINI (vulgò *Meer-Bohnen*,) rotundæ & depressæ conchæ sunt, superius æquales & fuscæ, rotundis striis, subtus albæ, colore aureo distinctæ, & quodammodo concavæ, ritu umbilici humani, unde etiam id habent nominis. Ut plurimùm ab Italis ad nos feruntur, qui eleganter puri existentes, ac coloribus ornati, magni æstimantur, secundum relationem *Marxii* in *Mater. Mus. pag.* 95.

§. 2.

De istarum origine auctorum varia est opinio. *Augustino Scillæ* Tr. *de Corpor. Petrificatis* videbantur immaturæ & collapsæ conchæ, recensente *Sam. Dale in Zoolog. pag.* 49. Enimvero hodiè extra dubitationis ponitur aleam istos umbilicos marinos nihil esse aliud, quàm certa opercula, quæ foramen conchæ cujusdam marinæ, cui cochleæ cælatæ inditum nomen sit, cujusque in Mari Mediterraneo detur inveniendæ copia, claudant. Hoc operculum inferius, ubi foveola s. umbilicus apparet, pisci s. cochleæ, in concha habitanti, firmiter adnatum est, ut à cochlea attractum tam accurate concham operire valeat, ut ne quidem aquæ gutta istàm possit subire, quamvis prorsus fundum petat: prout Rajus ejusmodi conchas, una cum cochlea, in Italia ipse invenit, egoque illas, cum operculo s. faba marina, accurate claudente, apud Dn. Bibliothecarium *Waldschmidium* Francofurti vidi, eo prorsus modo, quemadmodum alias à curioso *Buonanni* in *Recreatione dell' occhio è della mente Part.* 2. *pag.* 178. *num.* 14. describitur ac delineatur.

§. 3.

Admodum omnium marinorum vi edulcorandi pollent, morbosisque oculis conducunt, si minutissime contusi purique aquis ophthalmicis adduntur. Num verò etiam extrinsecus, tanquam amuletum (prout argento inclusi tenellis infantibus appenduntur) istis opem ferant, suo loco relinquo. Mihi sane parum spei excitant, multoque minus istæ conchæ, quæ

NERITÆ

vocantur, atque pro umbilico marino usurpantur, uti *Pometus* in *Hist. des Drogues Lib. I. c.* 52. *pag.* 106. recenset.

§. 4.

Eadem ratio est

BLATTÆ BIZANTINÆ, (*der Indianischen Muschel-Schale,*)

quæ similiter conchæ cujusdam operculum est. Longa angustaque est & fusca, ungulam s. unguem referens. Unde fortasse est, quod vulgus sibi persuasum habet, quasi Materialistæ

majores ruſticorum ungues coëmant, quippe quibus hæ teſtæ ſere ſimiles ſunt, candela etiam accenſæ fœtore iſtos æmulantur, ad ſuffocationem uteri propterea commendatæ.

§. 5.

Quum verò Blatta Bizantina plerumque etiam

UNGUIS ODORATUS

vocetur, magna inter eruditos exorta lis eſt, num duo iſta pro uno poſſint haberi? Qua de re diverſæ inveniuntur opiniones, à memorato *Daleo l. c. pag.* 500. pluribus adductæ. Enimverò quia Antiquorum unguis odoratus vel nimis fragrans fuit, aut minimum caſtoreum redoluit, Blatta Bizantina autem cornu ad inſtar valdè fœtet, hæc pro illa haberi nequit: præſertim cùm ex antiquis innoteſcat, unguem odoratum oblongam & bivalvem conchām fuiſſe, uti ejusmodi in rebus probè verſatus *Liſterus l. c.* in *epiſtolâ quadam ad D. Daleum* uberius demonſtravit.

§. 6.

Majori jure alia quædam concha, Scriptoribus

SOLEN

dicta, cum antiquorum ungue odorato poteſt comparari, utpote ſimiliter formata, & è duabus longis valvis ſ. teſtis conſtans, prout iſtam ſupra laudatus *Buonanni l. c. pag.* 164. fiſtit contemplandam. Quanquam odor iſtam fortaſſe deſtituit, cujus intuitu multi opinantur verum Unguem Odoratum hodieque in Europa non reperiri: quamobrem Solen nunc ſimpliciter Unguis & Onyx vocatur. Ad calculum & urinam ſuppreſſam commendatur, uti in *Wormii Muſ. pag.* 216. ſcribitur.

§. 7.

Ad has medicinales conchas pertinent etiam ENTALIA & DENTALIA, vulgò *Purpur* & *Zahn-Schnecken*, inter quæ tamen non levis obſervatur confuſio. Illa longiuſculi, ſtriati & in utraque extremitate obtuſi canaliculi ſunt: hæc autem paulum longiores & in altera extremitate acuminati tubuli, quibusdam certorum piſcium dentes habiti, quibus propterea id inditum nominis eſt: quæ tamen opinio minime conſiſtit, quoniam neutiquam dentes ſunt, ſed tubuli ſeu conchæ, in quibus plerumque vermis ejusdem magnitudinis reperitur, ut laudatus *Buonanni l. c. Part. 7. p.* 141. *num.* 9. oſtendit. Iſtorum loco hodie vel alius ejusmodi canaliculus, BUCCINUM vocatus, vel aliæ parvæ Conchæ Venereæ ſub iſto nomine venduntur, alias capitella ſerpentum, *Schlangen*-und *Otter-Köpfflein*, vocatæ. Ad reddendum dentibus rebusque aliis nitorem magis uſurpantur, quam ad medendum: quanquam minimæ, Porcellanum referentes, ac propterea Gallis Porcellaines en Coquillage dictæ, forte pro matre perlarum & margaritis ipſis poſſent uſurpari. In quo etiam Entalia cum iſtis conveniunt, ad emplaſtrum attractivum citrinum ſumta: unde Itali omnia ejusmodi ſtriata ligna & ornamenta Entaglie vocant; de quibus in *Act. Angl. N.* 197. agitur pluribus.

§. 8.

Quod ad cæteras conchas & marina attinet, ſolent

in conchilia { Univalvia, Bivalvia, Turbinata } *Einſchüſſel-und Zweyſchüſſelichte Gewundene*

diſpeſci, in quibus Natura, tam mirabiliter pulchris coloribus, quam variis figuris ludit, ut tota Artificialium Naturaliumque Muſea iſtis repleta, ac integri Tractatus de iſtis ſcripti inveniantur, quos inter *Aldrovandi*, *Buonanni*, *Liſteri* & *Rumphii* ſcripta palmam tenent.

CAPUT XXXVIII.

DE

OLEO CUMANI, SCORPIONUM ET LACERTORUM, UT ET DE SALAMANDRA ET CHAMÆLEONTE.

§. 1.

OLEUM CUMANI ex flavo rubra pinguedo eſt, ſ. balſamum, à mirabili beſtiola cognomine, cujus forma ad cancrum, poſterius ad ſcorpionem accedit, quæ concharum marinarum incola eſt. In India Orientali invenitur, unde oleum interdum in Europam fertur.

§. 2.

Hoc animalculum 3. aut 4. pollicum latitudinem circiter æquat, anteriore corporis parte teſta, uti ſquillæ, ſed duriore paulum præditum, duas etiam chelas habens, quarum una major latiorque eſt alterâ, quibus conchas ſe includentes accurate occludit. Altera pars corporis mollis eſt & cutanea, in quâ, uti in cancris, materia prorſus rubra eſt, juxta ignem carbonum, aut Solem, in oleum liquabilis, ab Inſularibus magni æſtimatum. Quanquam vero Cuman in ſaxis arboribusque, ubi putridis foliis fructibusque

que ſe ſuſtentat, hoſpitetur, annuatim tamen ſemel litus maris aſcendit, ſive ut ova ponat, aut ſe lavet; ſi quando prior concha minor facta eſt, quàm ut iſtud amplius complectatur, aliam circumſpicit, quam tanta celeritate occupat, ut poſterior iſtius pars fere videri nequeat. Quando plura ejusmodi animalcula congregantur, morſu de conchis dimicant, quas ea occupant, quæ victoriam deportant. Ad defenſionem ſe etiam præparat adverſus eos, qui iſti inſidias ſtruunt, dum non ſolum gré, gré, gré clamitat, ſed majorem quoque chelam vibrat, qua ſi quem prehendit, citius ſe necari patietur, quam ut chelam aperiat: cujus intuitu Gallicis Scriptoribus *P. du Tetre*, *P. du Plumier* aliisque le SOLDAT vocatur.

§. 3.

Simulac Indi iſta animalcula ceperunt, capitibus filum trajiciunt, quo in Sole poſſint ſuſpendi, inque memoratum oleum, butyri craſſitie, reſolvi, quod tamen male olet. Quod oleum valde præſtans ac prorſus infallibile eſſe perhibetur ad omnes catarrhos, artubus impactos, reſolvendos, recentiaque vulnera, ritu optimi balſami vulnerarii ſananda: magni propterea à barbaris æſtimatum, uti ex ſupra citato Jeſuita *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Part. 2. pag. 94.* recenſet. Carnem Cumani cum cocculis ſ. baccis levanticis Indi permiſcent, ad ſtupefaciendos capiendosque piſces, teſte *Rumphio im Amboniſchen Kräuter-Buch Cap. de Tuba Baccifera*, uti ex *Appendice hujus libri* apparet.

§. 4.

Quemadmodum verò prædictum oleum hic loci adhuc prorſus incognitum eſt, ita

OLEUM SCORPIONUM

eſt notius, ex oleo olivarum, in quo vivi ſcorpiones ſuffocati ſunt, conſtans. In officinis duplex habetur oleum ſcorpionum, ſimplex & compoſitum. Utrumque ad calculum renum & veſicæ, pellendam urinam, & ſanandam ſcorpionum punctúram commendatur, qua de re vid. *Schræderus*.

§. 5.

Eôdem modô præparatur etiam

OLEUM LACERTORUM
(*Eydexen-Oel*,)

quando nempe vivi lacerti in oleo olivarum ſuffocantur, qui tamen in iſto non, ut ſcorpiones, relinquuntur, ſed mox iterum eximuntur, quoniam iſtorum vis potiſſimum in terrefaciente mumiali ſpiritu conſiſtit, quæ cogendis in unum in corpore humano ſpiritibus vitalibus efficit, quo hi à præternaturali motu deſiſtant, judicante *Zwelfero* in *Pharmacop. Regia p. 267.* ubi hoc oleum tanquam peculiare myſterium, Principibus Magnatibusque hucusque uſitatum & ſecretum habitum, ad hernias commendatur. Extrinſecus affricatur, uti *Ettmüllerus in Praxi de Hern. p. 206.* oſtendit.

§. 6.

Quùm verò vulgares virides lacerti, è quibus conſtat, usque eo noti ſint, ut iſtorum deſcriptio hic ſit ſupervacanea, quosdam Indiæ Orientalis lacertos curioſo Lectori delineatos ſiſtit Vir doctus, *Herbertus de Jager, in Mſc.* quorum primus isque maximus Batavis in India Leguaan dictus, ſemper diffiſſa & dupliciter acuminata lingua ludit, ritu ſerpentum, id quod in aliis non obſervatur.

§. 7.

Proxime ſub iſto ſiſtuntur

LACERTI VOLANTES,
fliegende Eydexen,

partim ut in terra ſerpunt, partim ut alis explicatis ſe in altum agunt, de quibus poſterioribus jamdum in *Miſc. Acad. Germ. Cur. Dec. 2. Anno 2. p. 488.* icon invenitur, à *D. Grimmio* ex India Orientali allata.

§. 8.

SALAMANDRA

etiam huc pertinet, quam Veteres in igne certiſſime incombuſtilem eſſe referunt, id quod tamen purum putum figmentum eſt, experientia quippe teſtante ſalamandram quidem in igne ſe aliquamdiu defendere, iſtumque emiſſo è ſuo corpore lactiformi ſuccо parum exſtinguere, tandem tamen combuti, quod *D. D. Wurffbain* Norimbergæ in indigenis ſæpe obſervavit, Batavi etiam in India eaq; magna Salamandra, JECKO dicta, viderunt. Hæc ſalamandra longitudine ſpithamam æquat & ſubcœrulea cute cingitur, latis ſubrubicundis maculis conſperſa, in quarum ſingularum medio luteum punctulum apparet.

JECKO

vocatur, quoniam talem vocem ſonumque edit. Unde *Adamus Oſiander* in *der Orientaliſchen Reis-Beſchreibung Jürgen Anderſen Lib. 1. c. 7.* recenſet aliquando juniorem Concionatorem in Batavia Nova, auditô ſub concione ſonô, Jecko, Jecko, quem inſidens muro ſalamandra ediderat, præ terrore obmutuiſſe, exiſtimantem hanc Satanæ eſſe vocem, aut ſe, (ut alius ex India redux *Dn. Ludolfi* pro vera hiſtoria narravit,) vocari à quodam *Gek oh! Gek oh!* i. è. ô ſtulte, quod in iſtius *Comment. ad Hiſtor. Æthiop. p. 167.* legere eſt. Num verò adeò venenoſa ſit, uti alii ſcribunt, laudatus *D. Wurffbain* in *Salamandrologia curioſa* ferè in dubium vocat, dum nec ſerpentes nec lacerti aliquod venenum habent, niſi ad iram irritentur, prout alibi de ſerpentibus memoratum fuit.

§. 9.

CHAMÆLEON (*der Ratten-Eydex*)

tandem ſilentio non prætereundus, qui omnium rerum, quibus appropinquat, repræſentare co-

lores dicitur, rubro alboque exceptis. Id quod inde fortaſſe venit, quod valde macilentus eſt, & fere ex puris oſſibus & cute conſtat, ut ex ejus delineatione apparet; ut adeoque colores facile per iſtum translucean; quanquam *Monconiſius* in ſuo *Itinerar.* teſtetur, id ſuo in chamæleonte ſe vidiſſe nunquam. Quando verò Majores noſtri ſcripſerunt iſtum nihil edere, ſed ſolo ſe ſuſtentare aëre, prorſus à veritate eſt alienum, cum *Voſſius Libr. de Ortu & Progr. Idololatriæ* teſtetur, iſtum muſcas & erucas comedere, quæ etiam in illius anatome Pariſiis in ſtomacho inventæ ſunt, uti in *Tr. Deſcription Anatomique d'un Cameleon &c.* legitur.

CAPUT XXXIX.

DE TROCHISCIS VIPERINIS, HEPATE ET AXUNGIA VIPERARUM.

§. 1.

TROCHISCI DE VIPERIS (*Natter-Küchlein*) rotundi, tenues valdeque leves trochiſci ſunt, capitati magnitudine, panem bis coctum ſapore æmulantes, quocum cocta viperarum caro permiſta in ejusmodi trochiſcos formatur. Plerumque ex Italia ſuper Paduam Venetiasque, verboſiore teſtimonio comitati, veniunt, quo in præparatione theriacæ fidem mereantur, némoque de genuina ſui præparatione dubitet, teſte *Vielheurio* in *Deſcript Mat. Exot. Germanica p.* 193.

§. 2.

Ad quos trochiſcos præ aliis Italicæ viperæ, in locis calidis captæ, conquiruntur, in quarum tamen defectu etiam ſerpentes & viperæ noſtrates, prope ædificia antiqua, ichthyotrophia, molas ſerrarias & dumos reperiundæ, non inutiles ſunt, uti *Marxius* in *Mat. Muſ. pag.* 214. poſt alios ſcribit. Secundum *D. Hoffmanni* opinionem in *Clavi Schræd. pag.* 689. nulla intereſt, mares ne an fœminæ ſumantur, quæ poſteriores aliàs à plurimis habentur optimæ, ob eam ſine dubio cauſam, quoniam ex depreſſo latoque capite & fulminantibus oculis melius à cæteris ſerpentibus diſtinguuntur, à quibus mares ob parvum rectumque caput non tam facile poſſunt diſtingui, uti *Charaſius* in *Hiſt. Ingredient. Theriac. pag.* 30. opinatur. Omnes tamen vere, vel auctumno, & quidem, exponente *Marxio l. c.* ante & poſt Georgii diem, ante Solis ortum capiendæ ſunt: tum enim pingues exiſtunt, poſt illud tempus autem pinguedo diſperit, quippe quæ omnis ad generationem ovorum conſumitur. Ova ritu aliorum ſerpentum arena tegunt, iſtaque à Sole ſinunt excludi, niſi iſta forte nimis diu in corpore retineant, quoad juniores excludantur; unde opinio profecta eſt, juniores viperas matrum perforare corpora, ſive ſolas viperas eſſe viviperas, cum tamen & alii ſerpentes interdum fœtus vivos excludant, uti *Frid. Hoffmannus l. c. p.* 688. ex *Redi Obſerv. de Viperis* adduxit. Quam erronea vero ridiculaque iſtorum ſit opinio, qui viperas oribus coire, ac per ora imprægnari affirmant, in *Wormii Muſ. p.* 263. legere eſt, ubi oſtenditur iſtas ritu aliorum animalium ſe multiplicare, exercendoque Venerem ſe ſaltem lambere & quaſi oſculari.

§. 3.

Viperæ (*Welſche Nattern*) poſtquam captæ ſunt, vel vivæ deſiderantur transmitti, vel ſtatim necantur, exſiccantur & diverſimode præparandæ. Illæ vivaces, pingues craſſæque & recens captæ ſint, & ſimulac transmittuntur, aperienda vaſa ſunt, ac demortuæ abjiciendæ, viventes autem cum muſco cupis indantur, locoque temperato aſſerventur, utpote frigoris calorisque juxta impatientes, ſic enim ſex menſium ſpatio ſine cibo manent ſuperſtites. Id tamen detur operæ, ut ne exitum inveniant, hinc inde ſerpant, magnam forte noxam illaturæ. Si quando eximuntur, leniter cauda prehendantur, quod fortiter preſſæ & ad iram irritaræ mordent: quas propterea alii forcipe eximunt, uti *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Part.* 2. *Lib.* 1. *c.* 27. *p.* 61. fideliter monet.

§. 4.

VIPERÆ EXSICCATÆ olim & hodie quoque quibusdam in locis ita præparatæ ſunt, ut vivas viperas ante flagellent, quam caput caudamque iſtis præcidant, quo ad iram commotæ ſuum venenum evomant, quoniam exiſtimatum fuit venenum hac ratione ex toto corpore in caput ſe retrahere, hocque propterea tum cum cauda tutius incidi. Quàm verò abſurda ac irrationalis hæc opinio ſit, ſupra memoratus Gallus *Moyſes Charas* non ſolum *l. c.* ſed in peculiari quoque Gallico *Tract. de Viperis* egregiè oſtendit, docens iſtarum morſus haud aliter evadere venenoſos, atque nimis malorum iraque excandeſcentium hominum, præſertim cum jam olim *Helmontius* docuerit, *Ettmüllerus* etiam in peculiari *Diſſ. de Morſu Viperæ* fuſius oſtenderit viperas, à Magnatibus innoxie edi ſolitas, in ſe non eſſe venenatas, ſed ſaltem per accidens, quando ad iram irritentur. Et quanquam



Exorcista Indiæ orientalis qui serpentib⁹ inhiando fistula dulce canit

f. 1

A. B. Fistula ex cucurbitâ Lagenaria



f. 2

Paxjiri-pamu Serpens viridis Indiæ orientalis in arboribus latitans



f. 3


Amphisbæna



Fig. 4.



Serpens Indiæ orientalis Bovem sugendo deglutiens.



quam clariſſ. Italus *Franciſcus Redi*, in *Obſ. de Viperis*, certis experimentis voluerit probare in ſaliva iſtarum reconditum eſſe venenum, illamque puncturis ac vulneribus hauſtam necare hominem, laudatus tamen *Charaſius* aliis iſtum refutavit obſervationibus. Cùm igitur dicta præparatio falſo innitatur principio, modo nominatus Pharmacopola memoratam flagellationem prorſus intermittit, quin potius Viperis caput, collumque ac caudam abſcindit, non quod veneni ſint receptacula, ſed quod carne deſtituantur, ☉ volatili tamen ac ☋ non carentia. Poſtmodum excoriat iſtas, & exenterat, corde, hepate ac pinguedine in alios uſus ſeorſim poſitis: reliquam carnem & corpus deinde in aëre, & quidem in umbra, exſiccat. Ita exſiccatæ viperæ in faſciculos, quorum quilibet XII. dodecades continet, colligantur, aliorſum transmittendæ. Vere ſiccæ, magnæ, longæ, gravesque ac ponderoſæ, ſimul etiam recentes, ſint, neutiquam carioſæ, ſecundum *Pometum l. c.*

§. 5.

Non minore correctione indigent TROCHISCI DE VIPERIS, in Italia ita præparari ſoliti: Primum flagellatas excoriatasque viperas in aqua coquunt, cui manipulum ſalis & tantundem ſeminis anethi injiciunt, & quidem tamdiu, quoad caro à ſpinis decedat, quam deinde vetulæ digitis deglubunt, in juſculo atterunt, & ex tribus iſtius partibus unaque parte panis biſcocti maſſam depſunt, ut ex iſta formentur trochiſci, id quod *Zvvelferus* ipſe ſæpius vidit, atque in *Animadv. in Pharmac. Aug. p.* 210. uberius deſcripſit. Enimverò quilibet, qui parum officinas introſpexit, judicabit facile, quæ in hiſce trochiſcis recondita vis ſit, dum operario carnis viperinæ & omnium ab hac ortorum à ☉ volatili oleoque balſamico dependet: utrumque autem in juſculo, in quo viperæ coctæ ſunt, quodve abjicitur, relinquitur, adeo, ut ex hoc citius ☉ volatilis oleumque, quam ex enervata carne poſſit acquiri. Ut taceam carnem quoque ſale communi & anetho, ad reliquum venenum corrigendum additis, corrumpi ac figi, ut proinde ita præparati trochiſci nihil aliud, quam panis biſcoctus, isque inutilis viribusque exhauſtus, ſint, id quod prælaudatus *Zvvelferus l. c.* & in *Pharmac. Regia pag.* 133. jam pridem oſtendit: cui *Charaſius l. c.* in omnibus aſſentitur, qui proinde ex ſupra deſcriptis exſiccatis viperis, iisdemque pulveratis, vel cum tragacanthô in vino Hiſpanico ſoluto, vel cum gummi Azor ejusmodi trochiſcos format, quibus cor ac hepar permiſcet. Atque hi rectius ad Theriacam ſumuntur quàm vulgares, qui vel ex Italia, aut Monte Peſſulano in Galliam portantur, quorum illi ex albo flavent, hi verò nigricant, quoniam in Gallia balſamo Peruviano nigriuſculo, in Italia oleo nucis ſtæ dicuntur aſpergi, uti *Pometus l. c.* refert. Bene debent aſſervari, neutiquam aëri liberioti exponi, in quo quippe facile evadunt carioſi, teſte *Marxio l. c.* Id quod etiam in aſſervatione exſiccatarum viperarum, cordisque ac heparis eſt obſervandum, quibus *Pometus* etiam abſinthium & Mercurium, ad arcendos vermes, addit.

§. 6.

Vires viperarum ac ſerpentum alexipharmacæ ac ſudoriferæ ſunt, in ☉ volatili fundatæ: quamobrem non ſolum caro ad ſcabiem, lepram, luem ♀eam &c. commendatur, ſed etiam

SPINÆ VIPERARUM

ad iſtos aliosque calidos morbos, febrem petechialem, peſtem & ſimiles uſurpantur. Quo reſpectu præmemorati Trochiſci de viperis præcipuam Theriacæ partem conſtituunt, quorum virtutes *Fabius Paulinus* in peculiari *Tr. de Viperis in Trochiſc. præparatis* deſcripſit; qua de re etiam *Abbatius* de *Admir. Vit. Nat. & mirif. Facult.* poteſt videri. Et quoniam lapidis Bezoar virtutem æmulantur, caro pulverata in officinis BEZOARDICUM ANIMALE vocatur, de quibus, aliisque præparatis, utpote ☉e vol. ☋u ol. vip. &c. *Schræderus* ejusque Interpretes, *Charaſius* aliique videantur. Externè non ſolum

AXUNGIA VIPERINA

ad omnes oculorum affectus, tanquam probatum remedium, commendatur, ſed in Italia quoque certæ habentur viperarum cavernæ, in quibus leproſi ſolo viperarum attactu ad ſudorem diſponuntur, atque ita ſanantur, quas *Kircherus* in *Art. Magn. Lib.* 3. *pag.* 7. & *Caſpar Ens Tr. de Singularibus in Italia inveniendis* eleganter deſcripſerunt.

CAPUT XL.

DE

PIEDRA DELLA COBRA.

§. 1.

PIEDRA DELLA COBRA ſ. *Indianiſcher Schlangen-Stein*, niger, lævis ac ſplendens lapis eſt, diverſa magnitudine, attamen groſſi ſ. duodenarii magnitudinem attingens, lenti figura haud diſſimilis, in medio quippe paulum craſſior ſ. elatior exiſtens quam in margine, jam in uno, jam in utroque latere albicante macula inquinatus, ſæpe etiam prorſus niger, tanquam lapis lydius obſervatus, cujus figura diverſa

magnitudine è *Muſeo Muſeorum Germanico* in principio hujus capitis apparet. Latini Lapidem Serpentinum Magneticum vocant, quod venenum, tanquam magnes ferrum, attrahere creditur: quam ob cauſam iſtum *D. Ettmüllerus* in *Comment. Schræd. pag.* 797. Magnetem venenorum cum aliis vocat.

§. 2.

Serpens, in quo hic lapis dicitur inveniri, jam pridem à *Garcia ab Horto* deſcriptus, à Luſitanis COBRA DE CAPELOS vocatur, non quod pilis tegatur, nec quod capite operculum, tanquam depreſſum pileum, gerat, hinc inde mobile, ſub quo prædictus lapis inveniatur: ſed quoniam caput nimium inflat, contra ſui inſidiatores captoresque ſe defenſurus. Propterea à Luſitanis Cobra Capello (*Haupt-Schlang*,) ab Indis Naga-pamu vocatur. Cæterum quando ſe non inflat, ab alio ſerpente figura non differt. In India Orientali in Magni Mogolis Regno hinc inde invenitur, quanquam in certo aliquo tractu lapides in iſto generentur, uti ex *Flora Sinenſi* D. *Frid. Hoffmannus* in *Clav. Schræd. p.* 681. recenſet. Nullos etiam, relationis fide, lapides generant, niſi duos minimum pedes longitudine æquent; interdum vero 25. pedum habere longitudinem dicuntur, uti in cute, in Batavia Nova aſſervata, videre eſt, cujus ſerpens puellam XVIII. annos natam dicitur deglutiviſſe, *Pometo* in *Append. p.* 8. ex aliis teſtante.

§. 3.

Num verò hæc vera lapidis habitudo ſit, non ſumo diſceptandum. Non enim prætereundum, præcipuos quosdam Scriptores dubitare, num naturalis inque ſerpentibus ſupra deſcriptis natus lapis ſit? dum *Dn. Tavernier* in *Itiner.* ſuo ipſe exiſtimat ejusmodi lapides ab Indicis Sacerdotibus, iſtorum mercaturam facientibus, artificioſè præparari, credulæque ac ſuperſtitioſæ plebi pro lapidibus ſerpentinis divendi: qua re audita, navales Portugalliæ milites cum tranſportato in Europam lapide ipſam quoque ſuperſtitionem diſſeminarunt. *Tavernierio* ſubſcribit *D. Kempferus* in *Amœnit. Exot. Faſcic. 2. p.* 396. Delinationem vid. in *Tab. Pedræ del Porco.* Id minimum certum eſt, inventis licet in ſerpentibus ejusmodi lapidibus, multos tamen etiam per artem præparari & ſub iſto nomine divendi, quorum deſcriptionem *Pometus l. c.* modo ſequenti detexit:

℞. Bezoard. animal. Gallorum ℥j.
Pulv. bufon. } menſ. Jun. præp. ana ℥ß.
cancr. }
▽ ſigill. in Decoct. rad. Scorz. & Contrayerv. præp. ℥j.
Unicorn. foſſil. ℥j.

Ex his ſpeciebus, minutiſſime pulveratis, cum gelatina viperarum, ad modum pulv. Anglici, quocum magnam habent affinitatem, fiant lapides, eundem atque naturales effectum præſtantes. Quales magnetici & alexipharmaci ſerpentini lapides etiam à Clariſſ. Medico *D. D. Cnöfelio* præparati in *Miſc. Acad. Curioſ. Germ. Dec. I. Ann. VI. pag.* 29. deſcribuntur.

§. 4.

Quod ad vires uſumque hujus lapidis attinet, tanquam univerſale remedium ad omnes venenoſos ſerpentum aliosque morſus & vulnera commendatur, quibus adhærere, nec citius decidere dicitur, quam omne venenum extraxerit: prout *P. Kircherus* Jeſuita non ſolùm in *Regno Nat. Magnetico cap.* 5. *p.* 58. ſed etiam in *illuſtrata China pag.* 80. recenſet, id ſe non potuiſſe credere, niſi experimentum in cane, à vipera læſo, ipſe fecerit; id quod poſtmodum etiam *Tachenius* in *epiſtola* quadam *ad Sereniſſimum Ducem Johannem Fridericum*, Ducem Brunſv. & Luneb. pro certo retulit, quæ in *Journal des Scavans Eph. VII. Ann.* 68. *die* 17. *Septembr.* ſiſtitur legenda. Similem gloriam iſti tribuebant tres Franciſcani Monachi, quorum *Franciſcus Redi*, doctus Italiæ Eques, in *Experim. ſuis Phyſ. p.* 4. multis meminit. Iſti ſiquidem ex India Orientali ejusmodi lapides ſecum allatos in magnorum Principum aulis vehementer commendabant, quorum efficaciam cum prædictus *Redi* in diverſis animalibus, in præſentia multorum curioſorum Doctorumque hominum, experiri vellet, Domini Patres ut butyrum ſub Sole ſibi conſtabant, dum applicatis licet venenoſis vulneribus ejusmodi lapidibus omnia fere animalia moriebantur, pauca verò, Naturæ potius beneficio quam lapidis efficacia, ſervabantur, id quod ſupra laudatus ac cæterum fide digniſſimus ſcriptor fuſius recenſet. Plus fortaſſe præſtabit, ſi, ut globuli pulveris Anglici, internè uſurparetur, prout uſum ejus internum adverſus hauſtum venenum, ex *Tavernierii Itinerario*, alii ad peſtilentiam commendant.

§. 5.

Alias hic lapis ab iis, qui in iſtius vi magnetica aliquid adhuc fiduciæ ponunt, ſequenti modo applicatur: vulnus nimis anguſtum facta inciſione ampliant, quo aliquid ſanguinis effluat: deinde lapidem ſuſpendunt aut vulneri applicant, qui tamdiu perhibetur adhærere, quoad venenum fuerit extractum: tandem lapidem lacti humano, aut, hoc deficiente, vaccino imponunt, in quo 10. vel 12. horarum ſpatio relictus omne in iſtud venenum demittere dicitur, ut lac apoſtematis materiam repræſentet, lapis verò à veneno liberetur, priſtinamque virtutem adipiſcatur. Pro dextro autem & felici uſu oportet adeſſe geminos, ut, cum primus veneno ſaturatus decidit, alter ſurrogari poſſit. Hinc Indi ſemper duos, in capſula goſſypio involutos, aſſervant, vid. *D. Kempferus c. l.*

§. 6.

§. 6.

Experimentum, quo lapidis veritatem bonitatemque probant, duplex est, 1. lapidem ore excipiunt, qui, si verus est, palato statim adhæret firmiter. 2. Vitro aquæ inditus ebullit, & à fundo ad summitatem usque vesiculas excitat, nisi fuerit adulteratus, de quo vid. *Pometus* in *Append. ad Hist. des Drogues pag.* 8. Alium lapidem, instar silicis durum, uncialis longitudinis, figuræ quodammodo tornatilis & annulosæ (quem in capite maximorum serpentum generari putat vulgus) depingit laudatus sæpe *Kæmpferus*, in Tab. modò dicta, qui eundem pro apophysi alius petræ habet.

§. 7.

Cæterum varii insuper in India Orientali dantur serpentes, utpote Amphisbæna biceps, quæ cum Pasjiri pamu, *der grünen Baum-Schlange fig. 3. & 4. Tab. maj.* sistitur contemplanda. Imo tantæ magnitudinis serpens ibidem inveniri perhibetur, qui totum bovem forti suctione comminuat deglutiatque, ut ex fig. 4. apparet, & in *Miscell. Germ. Cur.* pluribus legitur: quod ipsum tamen pro vulgi nugis habet *Dn. D. Kæmpferus*, *Amœnit. Exot. Fasc. III. obs. IX. pag.* 573. qui serpentes ejusmodi CONSTRINGENTES vocat, quia constringendo bestias suffocant. Quemadmodum verò serpentum captatores in India serpentes certis fistulis, ex ampullariis cucurbitis confectis, alliciant, prima allegatæ Tabulæ figura ostendit.

CAPUT XLI.

DE

MELLE COMMUNI, CERA ET CANTHARIDIBUS.

§. 1.

QUemadmodum vulgare & cuique notum MEL COMMUNE (*Bien-Honig,*) duplex est, album, in Sole ex favis sponte profluens, mel virgineum dictum, quod optimum: & flavum, super igne detentum & per saccum acutum s. manicam Hippocratis duobus baculis, aut torculari expressum: ita duæ etiam habentur residuæ ceræ species,

CERA FLAVA,

plerumque ex antiquis alvearibus desumenda, quæ similiter atque mel in magna quantitate è Moscovia ac Polonia super Dantiscanum, & è Provincia Languedoc in Galliam venit: &

CERA ALBA,

quæ vel naturaliter è recentioribus alvearibus seu junioribus apibus proficiscitur, CERA VIRGINEA tum vocata, vel à ceræ apricatoribus artificiosè dealbatur: qualis non solum in Hollandia, in Italia Venetiis, sed hinc inde quoque in Germania, Hamburgi, Ratisbonæ, Augustæ Vindelicorum, Norimbergæ, Stuttgardii & alibi copiosè præparatur. Est tamen aliqua istius differentia, dum Veneti ceram suam in magnos orbes, reliqui in parvas partes redigunt, teste *Marxio* in *Mater. Mus. Germanico pag.* 75. Optima in Italia conficitur, quam decet esse elegantem albam ac duram, prorsus simplici odore præditam, sebo destitutam, quocum sæpe adulteratur, testibus *Schurzio* in *Mater. Mus. pag.* 24. & *Vielheurio* in *Descript. Mater. Exot. Germanica pag.* 172.

§. 2.

Apes, quæ ceram juxta ac mel verno æstivoque tempore in alvearia sua congerunt, proprio semine, ritu aliorum insectorum, se multiplicant, ex quo quippe primum albus vermiculus, post alba musca oritur, quæ deinde flava & fusca apis evadit. Prorsus igitur falsum est, quando *Virgilius* aliique existimarunt apes ex putrescente boum ac leonum carne generari, cum generatio, æquivoca dicta, jam pridem à Doctoribus explosa fuerit, ac certus quidam Gallus eum in finem bovem fustibus interfici, ac putrescere curans, nullum apum examen acceperit, quin potius magnum detestandorum vermium acervum, insigni fœtore comitatum, adeptus fuerit, uti *Pometus* in *Hist. des Drogues Part.* 2. *Lib. I. pag.* 48. fusius descripsit. Quando nunc juniores apes in alvearibus veterum sufficiens spatium non inveniunt, instituendo examine proprium domicilium sibi quærunt, quo tempore tum istarum habenda cura est, ne juniorum examen avolet. Quod incommodum alii ampliandis alvearibus prævertere student: qua de re peculiare secretum, plus 200. imperialibus æstimatum, in *D. Joachimi Jungii Historia Vermium pag.* 43. in vernacula describitur. Qui apum labor sit, quave ratione tractari debeant, non solum quidam curiosi in diversis linguis, præsertim *Buttlerus Tr. de Apibus* descripserunt, sed apud veteres quoque integri ista de re inveniuntur libri, à *Colero Lib. XIII. Oeconomiæ pag.* 328. uberius adducti.

§. 3.

Vis mellis calefaciens est, exsiccans ac purificans, cujus intuitu tam interne, in omnibus pectoris affectibus internisque læsionibus, quam externe in clysteribus & epithematis usurpatur, sive mel commune sit, sive anthosatum, aut mercuria-

curiale, aut ſimile. Ad affectus oculorum deſtillatur quoque aqua mellis; ſpiritus mellis à quibusdam ad tincturam coralliorum, tincturam & ol. mellis aliaq; uſurpatur, de quo *Schræderus* hujusque interpretes videantur. Quem in Oeconomia, ac potiſſimum dulciariis, uſum præſtet, ſufficienter notum eſt; præ aliis vero

NORIMBERGENSES PLACENTÆ

multum æſtimantur, ſequenti modo præparandæ: ℞. Mellis ℔j. ſyrupi ¼℔. coque, donec miſtura evadat fuſca; tunc recipe corticem citri minutim inciſum, cardamom. macer. ā. ℥j. piperis ʒß. farinæ ſiligineæ ac triticeæ ana, donec bona fiat maſſa, quæ deinde in fruſta incidatur, pendatur, quo æquale ſit fruſtorum pondus, quæ tandem impreſſa forma leniter coquantur, & ſic placentæ erunt præpatatæ.

§. 4.

In uſu ceræ hæc obſervetur differentia, ut ad reſolvendum flava, ad refrigerandum alba ſumatur: unde illa in affectibus pectoris, hæc in renum morbis præferenda, uti *Ulyſſes Aldrovandus Lib. I. de Inſect. pag.* 186. bene monet. Cujus cauſa *Hoffmanno* in *Clav. Schræd. p.* 702. videtur eſſe apricatio, qua volatiles & calefacientes particulæ è cera flava evolant, quarum reſpectu cera flava ac propolis albâ ſunt calidiores. Hinc eſt, quamobrem flava magis ad emplaſtra & unguenta ſumatur, quam alba, niſi quod hæc, præſertim granulata, Gallis Cire Grenee dicta, etiam ad Unguenſum Pomatum ſolcat ſumi, de quo *Pometus l. c.* poteſt videri. Sic etiam cera ſigillaris ex flava conficitur, ac CERA SIGILLATA RUBRA cinnabari vel orcanetta: CERA SIGILLATA VIRIDIS viridi æris: CERA SIGILLATA CITRINA orleana: CERA SIGILLATA NIGRA atramento fabrorum tingitur, varie formanda. Quando autem terebinthina additur, cera pro lectis inde oritur, qua Præfecti aulæorum (vulgò *Tapiſſirer*) pannos, matresfamiliâs autem tegumenta lectorum, ne plumæ aut pennæ tranſeant, ſolent incerare; ad ceram arborum quoque poteſt uſurpari. Tandem etiam cereæ faces, ac candelæ, cum rectæ, tum in globum intortæ, exinde conficiuntur; candelæ vero cereæ, ad calculum veſicæ uſurpari ſolitæ, magis ex cera alba præparantur.

§. 5.

Apes in catalogo inſectorum ſequuntur CANTHARIDES, *die Spaniſche Fliegen*, quæ parvi & oblongi canthati ſunt, foris virides & pulchre ſplendentes, haud aliter ac ſi aurati eſſent. Odore ſunt valde fœtente, ſapore acriter urente, atque non ſolum in Hiſpania, unde nomen obtinent, ſed interdum etiam Germaniâ, in roſariis, quercubus, ſambuco & ſimilibus, ſed non ſingulis annis, inveniuntur, quoniam uno aut altero anno non apparent, ut *Schurzius* in *Mat. Muſ. Germanico pag.* 24. obſervavit. Quamobrem *D. Geierus* in peculiari *Tr. de Cantharidibus cap.* 2. vult exiſtimari cantharides hic locorum ſe non multiplicare, quoniam nunquam iſtarum inventa ſunt ovula: quin potius exiſtimat iſtas ex aliis regionibus advolare, præſertim quod mox iterum diſparent. Arborum ſuceo ſe ſuſtentant, interdiu circumvolant & noctu iterum ſe congregant. Tum cantharides colligi, vaporeque aceti ſolent necari, uti Pharmacopola *Vielheurius l. c. pag.* 171. recenſet, quarum ingratus odor, in exſiccando obſervari ſolitus, arcetur, ſi aliquamdiu ſub Sole relinquuntur, teſte *Marxio* in *Mat. Muſ. pag.* 73. Recentes adhuc vereque ſiccæ & totæ ſint: duorum enim aut trium annorum ſpatiô ſponte conſumuntur, inque vermiculos abeunt, vid. *Pometus* in *Hiſt. des Drogues Part. 2. Lib. I. pag.* 46.

§. 6.

Ex hiſce cantharidibus omnia ferè veſicatoria conficiuntur, abſciſſis nempe exterioribus alis, capite ac pedibus, utpote inefficacioribus, reliquo autem cum fermento aut emplaſtro citrino aut Baſilico permiſto; quæ deinde magnitudine capitati nuchæ, pulſibus aut locis fonticulorum impoſita cutem rubefaciunt ac veſicas excitant: quæ operatio acri ſali vol. acutisque particulis accepta ferenda, quas *Borrichius* in *Act. Hafnienſ. Vol.* 4. *Obſerv.* 18. *pag.* 186. microſcopiis in iſtis vidit. Quæ veſicatoria in omnibus oculorum affectibus, convulſionibus, febribus contagioſis, podagra ac ſimilibus egregiam opem præſtant, quod *Geierus l. c.* fuſius oſtendit. Nonnulli, utpote *Thom. Bartholinus Cent. IV. Epiſt.* 54. *p.* 346. cantharides etiam internè ad gonorrhœam &c. commendant, quo in caſu *Ettmüllerus* in *Comm. Schræd. p.* 820. integras cantharides præfert. Quam verò periculoſa ſymptomata exinde induci poſſint, ſenex illæ amator apud *Henricum ab Heer* expertus eſt, qui loco confortatæ virilitatis in mictum cruentum incidit; unde *Langius Lib. I. Epiſt.* 47. pomorum hortorumque expilatores iſtis docet detegi.

CAPUT

CAPUT XLII.

DE

SERICO HUJUSQUE PRÆPARATIONE.

§. 1.

SERICUM CRUDUM oblonge rotundi tenerique folliculi sunt, ovi columbini forte magnitudine, colore albi, flavi vel viridiusculi, in quibus sæpe bombyx, tanquam filis constrictus, includitur. Plerumque ex Hispania & Italia venit, quanquam etiam in Germania reperiatur.

§. 2.

Ipsum bombycem, & quemadmodum se multiplicet, neat alatque, Francofurtensis Pictoris uxor, *Maria Sibylla Gräfia*, nata *Meriana*, in curioso *libro de Erucarum mira transmutatione pag. 1. & seqq.* scitè admodum descripsit ac depinxit, quem librum *D. D. Hennike* olim Latinè reddidit. Quia verò prædicta fœmina haud multò post cum familia sua in Indiam Occidentalem (ubi plura quoque notatu dignissima observavit & depinxit) profecta est, memorata versio nondum lucem aspexit publicam. Res verò ipsa ita comparata est: Bombyx primum alba eruca est, quæ natura flava, flaccida & parum pellucida evadit. Tunc caput, hinc inde motitat, sericumque ex ore emittit: hinc papyro complicatæ inditur, quo labor ei facilitetur. Qui verò bombyces magna copia alunt, arborum ramos in peculiari conclavi exponunt, in quibus fila ducant. Si quando appropinquante nendi tempore bombyx locum nendo minus idoneum invenit, aut cibo obruitur, nere prorsus desistit, sed in se redit sive flacceseit, & citra quod neverit, evadit dactylus. Aliàs net sedulo, ac nendi laborem protrahit, quoad ovum suum perfecerit, quod longiusculum, vel album, flavum aut viridiusculum est. Si album existit, rotundi istius petioli ejusdem etiam fuerunt coloris: sin flavum, pedes similiter ita apparuerunt. Perfecto seu elaborato folliculo evadit Chrysalis, vulgò dactylus audiens, qui motus strepit, atque tum sericum separandum, antequam bombyces, mordendo exitum parantes, sericum ad devolvendum reddant ineptum. Iste dactylus deinde in papilionem se transmutat, id quod in omnibus aliis erucis libro citato observatum ac depictum est. Et quemadmodum quælibet eruca peculiarem aviculæ speciem constituit, ita bombyces evadunt albi papiliones, qui dimidium diem requirunt, donec distinctas siccas alas seu perfectam formam acquirant, quâ sex petiolos, duo fusca cornua, duos similiter fuscos ocellos, atque quatuor albas alas habet, subfuscis striis notatas. Indici multo sunt majores ac prorsus variegati, quorum iconem haud ita pridem depictam vivis coloribus accepi. Mas subtilior minorque est fœmina, hæcque crassius, ille tenuius habet corpus. Simulac robur nacti sunt, coëunt, istoque ipso die, aut sequenti, atque sic aliquot diebus pariunt flava & rotunda ovula, instar granorum milii, tumque aviculæ moriuntur. In quocunque ovulo parvum punctulum est, idque subfuscum. Facile etiam dignoscitur, quid ex istis expectandum: si enim collapsa, depressa aut tanquam inanitæ glumæ apparent, nihil ex istis provenit, quoniam corrupta sunt. Quum verò juniores bombyces nullam edere lactucam optemus, loco frigido asservantur, aliàs autem calido; adeoque aut in Sole ponuntur, aut hypocausto calefacto, & tum vermiculi è prædictis punctulis egrediuntur, utpote ipsi sibi mordendo exitum parantes. Tempus verò in quem mensem incidat, ex modo dicta relatione determinandum, dum pro calore citius tardiusque accepto vel in Aprili, vel Majo egrediuntur. Simulac excluſi, lactuca istis apponitur, inque istis expurgandis, novo cibo alendis adhibenda cura est, quod ob teneritudinem subtiliter volunt tractari; hinc alii pennas columbinas, quidam penicilla adhibent. Nec humida folia istis præbenda: simulac enim putridum quid aut humidum edunt, ægrotare incipiunt ac moriuntur. Vermiculi quatuor dies nati cutem mutant, quo sub conatu multi morte defunguntur. Appropinquante tempore, quo mororum folia ipsis præbentur, diversis vicibus iterum cutem alterant. Suborta fulgurum tempestate tegendi, alias enim ictero afficiuntur lethifero. Consultius est ne folia mori albæ & rubræ permisceantur, sic enim, ut perhibent, folliculos faciunt perfectiores. Folia etiam mori albæ quam rubræ magis appetunt, quod illa subtiliora sunt ac dulciora. Quando nunc nova esca mori foliorum diligenter ei prospicitur, sensim major evadit, tandemque eam acquirit magnitudinem, quæ octo artubus constat, in quibus singulis utrinque nigri circuli, & ultimo duo adhuc vascula apparent. Tantum non pellucidi clarique facti nere incipiunt, posteaque evadunt dactyli, ac, ut supra memoratum, mutationi suæ fiunt proximi, qua se multiplicant.

§. 3.

Cæterum certus quidam Gallus *Isnerus* in peculiari valdeque curioso *libro de Bombycibus* (des vers à Soye) scribit, magnam bombycum

cum copiam per artem posse comparari, si quando vaccæ gravidæ, vitulum mox enixuræ, tempore verno nihil præter mori folia præbeatur edendum, isteque cibus octo post partum dies continuetur, ac postmodum vaccæ vituloque juxta folia aliquot dies dentur edenda, tumque vitulus in frusta cædatur, in domus porticu sibi tamdiu imponenda, donec putrescant. Inde enim parvi vermiculi generantur, qui mori foliis alti similiter sericum conficere dicuntur; & quoniam in majore istud nere quantitate perhibent, de istius testimonio sericarii singulis decem aut XII. annis istum processum reiterant, id quod *Pometus* è prædicto auctore in *Hist. des Drogues Part. II. Lib. I. cap.* 30. *pag.* 71. adduxit, inque figura ostendit. Quæ num vera sint, experientiæ relinquo indagandum. Sine semine aut ovulis minimum ista fieri generatio nequit, quæ papiliones in mori foliis posuerunt, quæve à vacca & vitulo comesta postmodum mediante putrefactione possunt excludi.

§. 4.

Confecti à bombycibus folliculi à fœminis deinde devolvuntur, dum serico exteriore s. superiore separato prius plures postea in pelvi imponuntur aquæ, qui unum omnes filum constituunt, uti ex figura *Pometi* apparet. Hocque crudum ac naturale sericum album tantum aut flavum est. Omnes alii colores sunt artificiales. Utriusque in Hispania Italiaque & alibi magna est mercatura, uberius à *Schurzio* in *Mater. Mus. pag.* 101. *& seqq.* descripta. Qua tamen ad Materialistas non spectante crudum sericum nobis sufficiat, in folliculis adhuc contentum, quorum ii optime in Medicina possent usurpari, ex quibus papiliones mordendo se liberarunt, utpote morsu ad devolvendum inepti redditi. Integris in Medicina non habenda fides, nisi innexus s. innetus dactylus fuerit exemtus. Quoniam difficulter pulverantur, *Pometus l. c.* istos minutissimè incidit, quoad per peplum aut tenue linteum possint cribrari.

§. 5.

Crudo serico vis cordialis adscribitur, quam ob causam etiam species liberantes, diamoschi dulc. & plerisarchontic. ingreditur, ut Pharmacopola *Vielheurius* in *Descript. Exot. Mater. pag.* 186. observavit; quem in finem etiam sericum coccineum commendatur, ad Confectionem Alkerm. propterea sumendum, cujus tamen loco *Hoffmannus* in *Clav. Schræd. pag.* 703. succum gran. cherm. quippe quo sericum alias tingitur, commendat, de quo *Eichstadius* in *Tr. de Conf. Alkerm.* potest legi. Sericea vero & duplicata fila ad omnis generis hæmorrhagiam valere, à constrictione potius artuum provenit, quam ipso serico. Ex eô c. ⊖ & CC. parantur Guttæ Anglicæ, quarum occasione analysin serici tradit *Dn. Tournefort* in *Histor. Acad. Scientiarum Reg. Paris. A.* 1699. *p. m.* 293.

CAPUT XLIII.

DE

ARANEIS, ET IN SPECIE TARANTULA.

§. 1.

ARANEÆ vulgo notum insectum sunt, cujus variæ inveniuntur species: *Plinius* octo, *Avicenna* XII, alii plures paucioresve numerant, de quibus vide, sis, *Aldrovandum* & præsertim *Listerum Tract. de Aran.* quorum posterior etiam erucas, muscas, scarabæos aliaque insecta in certa genera ac classes distinxit. Plerumque araneæ in duo præcipua genera possunt dividi, araneas scilicet bioculares & octoculares, quarum illæ nullam telam, hæ vero araneam texunt, pluribus propterea oculis forte indigentibus. Singuli generis iterum magna notatur differentia, quæ vel ab istarum magnitudine, colore, numero formaque pedum, & aliis circumstantiis desumitur. Omnes tamen suis se ovulis multiplicant, quæ fœminæ, in parvis globulis innexa, aliquamdiu gestant, postmodum in angulis absondunt, quo tempore æstivo à calore externo penitus foveantur & excludantur, atque sic minimæ juniores araneæ magno numero prodeant.

§. 2.

Ad octoculares spectat famosa TARANTULA, etiam in Magnatum Musæis raritatis causa asservari solita, uti ex *Jacobæi Mus. Reg. Hafnienſi pag.* 24. apparet. Huic araneæ à Tarento, Græciæ oppido in Apulia, inditum nomen est, quod non solum ibidem plerumque invenitur, sed isthic etiam maxime nociva & venenosa est, cum in aliis contra Regionibus, utpote Persia, ejusmodi tragœdiam non ludat, auctore *Kæmpfero* in *Observ. Exoticis* §. 4. Quanquam etiam circa oppidum Kashan & alibi inveniatur, teste *Oleario in Itiner. cap.* 35. *pag.* 496. ubi istius quoque habetur icon.

§. 3.

Quamvis verò nonnulli de mira hujus araneæ operatione raraque cura dubitari velint, haud ita pridem tamen clariss. quidam Medicus Romanus, *D. Georgius Baglivius*, ex Parentis, diu in Apulia Medicinam facientis, suaque juxta experientia omnia confirmavit, atque ipsam simul

ſimul araneam cum accidentibus, quæ excitat, curaque in peculiari *Diſcurſu de anatome, morſu & effectibus Tarantulæ* eleganter deſcripſit, quæque *Kircherus Lib. 3. de Arte Magnet. p. 8. c. 2.* uberius recenſuit, maximam partem affirmavit, ex quo utiliſſima & maxime neceſſaria hic notabimus.

§. 4.

Quod primò ad aranеæ hujus figuram attinet, glandis forte magnitudinem habet, per totum corpus piloſa, uti ex figura apparet. Ritu aliarum aranearum texentium octo oculis, & anterius in ore duobus curvatis aculeis prædita eſt, qui è regione poſiti forcipem æmulantur & ab curioſo Jeſuita Philippo *Buonanni* in *Micrographia* pereleganter delineantur: iſtis verò mediantibus mordet, ac venenum communicat. Ratione faciei externæ vel gryſea eſt, vel albicans, nigriuſculæ inſtar pulicis, interdum etiam maculis ac ſtellulis notata. Quemadmodum vero intus in corpore conſtituta ſit, ob teneram mollemque texturam non adeò accurate licuit obſervare; cum cæteris tamen araneis fortaſſe conveniet, quarum partes internæ canorum viſcera dicuntur imitari, uti *Hoockius* in *Micrographia Obſ.* 47. microſcopiis ſuis obſervavit. Præſertim filorum, quæ texunt, domicilia valde curioſa ſunt, à *Fr. Redi Tr. de Generat. Inſect.* ingenioſè deſcripta.

§. 5.

Quod deinde ad morſum tarantulæ attinet, ſciendum iſtum non quovis anni tempore eſſe venenoſum ac periculoſum, ſed æſtivo ſaltem eoque calido, utpote diebus caniculariibus ac meſſis tempore, ubi meſſores ac viatores indifferenter, ſive dormiant, ſive vigilent, etiam non laceſſita invadit, & ut cætera animalia mordet: quamobrem meſſores cuttas ocreas induunt, quibus ſe ab iſta defendunt. Morſus cum ſentit dolorem, quem apis pungendo relinquit; vulnus flavus aut niger annulus cingit, quem deinde cætera ſequuntur ſymptomata, quæ pro diverſitate tarantulæ, prout magna aut parva, hujus aut illius coloris fuit, varia ſunt. Utplurimum in parte vulnerata primum inſignis dolor percipitur, donec illa prorſus inſenſibilis evadat: deinde magna cordis ſequitur anxietas & triſtitia, ut ſemper gemant: interrogati, ubi doleant, vel prorſus non reſpondent, vel pectus feriunt. Multi hunc vel illum ferre colorem nequeunt, quippe quo afficiuntur. Aliis tumet abdomen, & cum ructibus vomituritio eſt moleſta. Aliis frigidus ſudor erumpit; luto ſe volutant, vapulare amant, loca deſerta petunt, aut ſepulchris inſident &c. quæ omnia à ſanguine tardiore, à veneno iſto tantum non coagulato, uti in febribus venenatis, proficiſcuntur. Quæ cauſa eſt, quamobrem etiam ejusmodi medicamenta, quæ ſanguinis ac ſpirituum vitalium priſtinum motum redintegrarent, ac venenum expellant, uſurpantur, uti ſupra laudatus *D. Baglivius* fuſius oſtendit.

§. 6.

Si quando verò omnia medicamenta fruſtra applicantur, eum in finem inſtructi Muſici accerſuntur, quo varias melodias fingant, quoad in verum ſonum incidant, dum non quilibet ſonus patientem afficit & ad ſaltandum invitat, quem ſiquidem magnitudini colorique tarantulæ decet eſſe proportionatum. Quamobrem non uno omnes ægri inſtrumento moventur: alii ſiquidem ad buccinũ, ad chelyn alii, alii ad aliud inſtrumentum Muſicum ſaltant, quamvis illud unquam nec viderint, nec audiverint. Plerumque celeriter brevibusque intervallis ludere amant, quam melodiam Tarantellam vocant. Ejusmodi enim ſono ipſa tarantula ad ſaliendum invitatur, prolectaque capitur. Invento vero ſono ſemi-animes ægri ſe ſenſim movere incipiunt, ex profundo gemunt, proſiliunt, mirisque corporis geſtibus ſaltant, duarum aut trium horarum ſpatio, deinde vero in lecto quieſcunt, ac ſudorem abſtergunt. Poſt parvam quietem ſaltationem de integro repetunt, adeò, ut quotidie fere XII. horas ſaltando conſumant, quo ipſo non defatigantur, ſed robuſtiores evadunt. Quæ ſaltatio fere quatriduum continuanda & ſingulo mane ſub exoriente Sole inchoanda, quoad revaleſcant. Et quoniam annis ſequentibus circa id tempus, quo ægri mordebantur, morbus recrudeſcit, aliquot iterum dies ad Tarantellæ ſonum reaſſumenda eſt ſaltatio, donec morbus prorſus deſinat.

§. 7.

Quò autem ad araneas indigenas revertamur, paucis uſum iſtarum commemorabimus, in febribus erraticis à nonnullis commendatum, dum araneas in nuce avellana de collo ſuſpendunt, aut pulſibus applicant, atque ſic etiam quartanas ferunt curari. Simili ratione araneam ſ. telam ejus cum albumine ovi & fuligine pulſibus imponunt, quod remedium in febre tertiana non omnino nullum obſervavi. Aranearum telæ etiam ad hæmorrhagiam commendantur, quam brevi ſedant. Vulgus quoque multum de aranearum lapide loquitur, iſtum tanquam peculiare antidotum ſ. alexipharmacum commendans, certumque ſcio hortulanum, qui magnas araneas cruce notatas in ſcatulis aſſervavit, quo ejusmodi lapidem adipiſceretur. Quùm verò *Boëtius* aliique Doctores, qui de variis lapidibus commentati ſunt, iſtius nullam faciant mentionem, de rei veritate dubito; & quanquam haud ita pridem apud amicum quendam lapidem aranea notatum viderim, dubium tamen eſt, ab aranea ne profectus, an in terra ita formatus fuerit.

CAPUT XLIV.

DE

COCCIONELLA, CARMINO, LACCA FLORENTINA &c.

§. 1.

COCCIONELLÆ, ut apud Materialiſtas inveniuntur, parva, plana & partim quadrangularia, partim triangula grana ſunt, foris argentei coloris, & aſpera inſtar corii granulati, intus rubedine ſanguinem bubulum æmulantia. Alias Cochinillie & Gallice Cochenille, Germanis *Kutzenellen* vocantur, ſolentque ex India Occidentali, ſuper portum Cadix dictum, Maſſiliam, Angliamque ac Hollandiam, & inde in alias regiones transvehi, & magno pretio divendi.

§. 2.

Secundum relationem Indicorum Scriptorum ac Materialiſtarum in Indicis ficubus inveniuntur, notiſſimo Germanis vegetabili, quod folia digiti forte craſſitie & aculeata, flavos rotundosque flores, ac primum virides tandemque rubras ficus profert, de quibus Mexicani & incolæ in Peru has coccionellas magna cura deſumtas Hiſpanis vendunt, cum navibus argentiferis in Europam vehendas.

§. 3.

Quæ coccionellæ utrum pro ſemine aut alia quadam re habendæ, non una hodieque auctorum eſt opinio. Quibusdam videntur eſſe ſemen, unde etiam plurimi Pharmacopolæ coccionellas ſuis in catalogis tanquam ſemen coccionellæ adducunt: quod licet à doctis quibusdam Medicis hucusque pro errore habitum fuerit, *Pometus* tamen, Materialiſta Gallus, in *Hiſt. des Drogues Lib. I. cap. 25. p. 30.* ſemen iſtud ſumit defendendum, partim quoniam coccionella à cocco deſcendit, ac Hiſpanis parvum granum ſignificat, uti in *Append. pag. 13.* videre eſt, partim quod non ſolum *Wilhelmus Piſo* in *Hiſt. Braſilienſ. vegetab.* aliquam Indicarum ficuum ſpeciem, cujus germen ſeu vegetabile Jacamaru ſignificat, & *à Pometo* delineatur, fuſius deſcribit, in qua coccionellæ dicantur creſcere, ſed etiam, quod à noto quodam Gallo, *Rouſſeau* nominato, & in India Occidentali diu commorante, certior factus coccionellas nihil eſſe aliud quam ſemen & grana Indicarum ficuum, cujus *epiſtola loc. cit.* invenitur legenda. Enimverò cum iſte ipſe Materialiſta valde verboſam relationem à Theologo quodam, ſimiliter longo temporis ſpatio in Hiſpania Nova degente, acceperit, in qua coccionella pro certo animalculo, hoc in vegetabili reperiundo, habetur, uti *l. c.* legimus, ſua in opinione prorſus videtur dubius, dum etiam omnes iſtius rei certo gnaros in *Appendice pag. 13.* vult rogatos, ut ſe accuratius erudiant, quo ſibi tandem certo conſtet, pro quo hæc pretioſa merx proprie habenda.

§. 4.

Alii iidemque plurimi Scriptorum rerum cum medicinalium tum Indicarum coccionellam certum aliquod putant eſſe animalculum, prout *Eraſmus Franciſci* hanc opinionem ex omnibus ita collegit: Vermiculi ſunt, foliis arboris ficus ſpeciei adhærentes, tenui pellicula tecti. Iſtos Indi celeriter deſumere norunt, qui exſiccati in Hiſpaniam vehuntur, ibidem magni vendendi &c. Id quod mihi vero videtur ſimilius, quoniam non ſolum Clariſſ. *Hernandezius*, omnia vegetabilia ac naturalia in Hiſpania Nova creſcentia proponens, in peculiari eodemque pretioſo ac perraro libro, Romæ multis cum figuris typo evulgato, *Lib. 3. c. 45. p. 75.* teſtatur coccionellam nihil eſſe aliud quam in Indicis ficubus reperiundos rotundos vermiculos, foris albos, intus rubros, qui in iſtis vel ſponte, prout apud nos tales in gallis generantur, creſcant, vel ab incolis data opera iſtis imponantur ac ita alantur: ſed etiam incluta inque indaganda Natura quotidie occupata Regia Angliæ Societas iſtam opinionem in tantum amplectitur, coccionellam pro animalculo quam ſemine quodam rectius habendam, uti *Sam. Dale in Pharmacologia pag. 491.* oſtendit. Quam ſententiam etiam comprobat Regia Societas Pariſienſis, utpote edocta coccionellas ab Indica ficu Opuntia proficiſci, in Guatemala fructus ferente, qui maturi facti & diſcerpti magnam iſtorum animalculorum copiam effundant, quæ incolæ ſuper linteis exſiccent, prout ex *Dn. du Hamel Hiſt. Reg. Scient. Acad.* iſtud in *Act. Erud. Lipſ. A. 1703. Menſ. Maj. pag. 219.* deſcribitur.

§. 5.

Quod verò animalculi genus ſit, inter auctores non convenit. *Marxius*, Materialiſta Norimbergenſis, in *Muſ. ſuo Germanico* commemorat coccionellas muſcas eſſe, quæ in Hiſpania in extenſo melleque illito panno, cui agglutinatæ maneant, capiantur. Alii hexipedalem cimicem eſſe exiſtimant, alii vermis nidum: quæ tamen opiniones omnes admitti nequeunt, poſtquam doctus quidam Anglus

D. Ed-

D. Edvvardus Tyſon expertus eſt aliquam eſſe Scarabæi ſpeciem, quam delineatam in *Actis* ſupra laudatæ *Regiæ Societatis Num. 176.* ſiſtit intuendam: id quod vero videtur ſimilius, quod alæ ſcarabæorum coccionellis interdum obſervantur permiſtæ. Quin imo *Ammannus* in *Libello de Mat. Med.* ſcribit, quod ſi putatitia iſta coccionellæ grana in aqua fervente macerentur, iſtorum pedes etiam appareant, quos tamen ego neque in aqua calida, neque microſcopiis videre potui; ut adeoque olim crediderim, caput alasque ac pedes juxta iſtis animalculis eſſe detritas: Donec tandem in *Georgii Friderici Richteri Diſputat. de Coccionella*, in Vernaculam etiam translatam, inciderim, qui plurimis, iisque plauſibilibus ſatis, argumentis oſtendit Coccionellam non tam perfectum animalculum, ſed chryſalidem ejus eſſe, quod & figura Comitis *Marſigli*, microſcopio detecta, adſtruit, quam in *Tab. I. Fig. 2. Obſervat. natur. circa mare & grana Kermes* ob oculos ponit; vid. *Tab. ad Lib. 2. Sect. 5. cap. 10. hujus Muſei* ſub ſigno *.

§. 6.

Qua ratione aliâs iſta animalcula generentur, & ab incolis collecta depurgentur, in Relatione antiqui cujusdam Hiſpani, qui multos annos iſthic locorum vixit, in *Actis Angl.* citatis reperiunda, legimus. Primum in foliis ficus Indicæ parva veſicula apparet, in qua, haud ſecus atque in recentibus gallis contingit, exiguus vermiculus, ſine dubio ex proprio ſeminio aut ovulo, adjuvante Solis calore, generatur, qui ad modum aliorum vermium & erucarum primùm in chryſalidem & ſucceſſivè in ejusmodi ſcarabæum mutatur. Quos ſcarabæos ad perfectionem evectos olim craſſiuſculô fumô (ut apes ſulphure) enecari, ſubſtratis lodicibus excipi, deinde in Sole exſiccari, manibus, quoad alæ pedes & ſimilia detrita fuerint, teri dicebant: quæ omnia tamen ſtante de chryſalide ſententiâ *Richteri* minus neceſſaria ſunt.

§. 7.

Intereà ſciendum, tres vel quatuor Coccionellæ apud Materialiſtas inveniri ſpecies, quarum prima Gallis dicitur la Cochenille Meſteque, hactenus à nobis deſcripta: Secunda Coccionella Campeſchana vocata, ex puris præcedentis ſpeciei fruſtulis conſtat, quibus tamen alia grana, folliculi & rubra animalcula, infantibus noſtratibus *Herr-Gotts-Kälber* vocata, aliæque quisquiliæ miſcentur. Prior quoque, ſemel licet ad tingendum uſurpata & iterum ſiccata, ſub hoc nomine venditur. Tertia Coccionella Tetrechalla nihil aliud eſt quam mera terra, Campeſchanæ permiſta. Tandem quarta eſt coccionella ſylveſtris, conſtans ex granis, radicibus pimpinellæ ſanguiſorbæ adhærentibus, de qua egimus alibi.

§. 8.

Iſtarum prima eſt optima, quam craſſa, ponderoſa, puraque & bene ſiccata oportet habere grana: foris argentei, & quaſi ex gryſeo ſplendentis coloris, quæ ore confricta ſalivam rubram efficiunt. Coccionella levis, macra & minutim granulata neutiquam aſſumenda; id quoque videndum, ut ne lapilli eidem ſint permiſti, quod ſæpius, merce exiſtente cara, ſolet contingere.

§. 9.

Quod ad uſum Coccionellarum attinet, hucusque adeò in Medicina non fuerunt uſurpatæ: quanquam *Sam. Dale l. c.* vim cordialem, alexipharmacam & diaphoreticam iſtis adſcribat, qua ad febrem petechialem ipſamque peſtilentiam depellendam apta nata ſint. Id quod eo magis credendum, quo notius eſt ejusmodi animalcula permultum ſalis volatilis continere, cujus intuitu etiam urinam ſuppreſſam in dyſuria cient, auctore *Ettmüllero* in *Comm. Schræd. pag.* 543. Iſtis contra Pharmacopolæ noſtri crebrius utuntur, quippe quibus aquam vitæ dictam rubedine imbuunt, granulaque pro pane Martio inficiunt, dum nempe ſaccharum cum cremore tartari, aut aliis acidis, permiſtum, mediantibus coccionellis tingunt. Utplurimum verò à tinctoribus ad colorem coccineum conquiruntur, qui ad libram unam filorum, tibialium, aut panni coccionellarum ſemiunciam, XV. albis conſtantem, ſumunt, resque alumine & tartaro prius maceratas coccionellis, in aqua furfurum triticeorum ſolutis, tingere norunt. In Oriente Turcæ ſumunt coccionellarum part. ij. Bazgendge (exoticus fructus eſt, in aliqua quercûs ſpecie natus) & tartari aa. part. j. ex quibus contuſis colorem faciunt coccineum percelegantem.

§. 10.

Aliæ inſuper pretioſæ merces ex coccionellis præparantur, utpote Carminium, Lacca Florentina, Pezettæ &c.

CARMINIUM

optima coccionellæ pars eſt, conſtans ex valde tenera ſubtilique farina ſeu pulvere, colore ſaturatè rubro & quaſi holoſetico. Quæ fæcula peculiari aqua, acidiuſculo falſo ſemine, ſemini cinæ haud diſſimili, Chouan vocato, infecta & exotico quodam, cinamomum repræſentante, cortice, Autour dicto, præparatur, ſecundum *Pometum* in *Hiſt. des Drog. Lib. I. pag.* 34. Nec verò mihi eſt dubium, quin hæc fæcula etiam apud nos ſine ejusmodi exoticis vegetabilibus poſſit præparari, quando coccionellæ vel aqua communi, cinere clavellato acuata, extrahuntur ac poſtea præcipitantur, prout clariſſ. ac curioſus Anglus *Rob. à Boyle* non ſolum ex curcuma, ſed ex aliis quoque herbis, quin imo ipſis coccionellis tales ſubtiles pulveres, pictoribus Laccæ vocatos, acquiſivit, ut in Ejus *Tr. de Coloribus Exper. XLIX. p.* 464. videmus: quales ſimiliter notiſſimus Italus *Neri* aliis modis docet præparandos, in *Arte vitriaria pag.* 160. ubi *Merreti*

ac *Kunckelii* notæ plura oſtendunt. Alii Carminio aliquid orleanæ addunt, qua mediante tamen nimis lucidum aureumque evadit. Ad picturam miniatoriam dictam, ad pannos rubros pretioſiſſimos, aulæaque magno pretio æſtimanda uſurpatur.

§. 11.

LACCA FLORENTINA

id propterea ſuſtinet nominis, quod primum Florentiâ, Italiæ loco, per Venetias in Galliam & Germaniam fuit tranſportata: hodie verò Pariſiis locisque aliis æque bona, imo melior, præparatur. Diſtinctæ iſtius habentur ſpecies, pro lubitu diverſo pretio emendæ. Optima ſeu finiſſima levis eſt, tenera, facile friabilis, colore ſaturate rubro. Cæteræ ſpecies multo gummi aliisque rebus permiſtæ ſunt, ac colore exiſtunt ex nigro purpureo. Omnes autem ex unâ maſſâ conſtant, ex oſſe ſepiæ ac rubra quadam tinctura, quæ ex coccionellis, Fernambucò, ligno Braſilienſi, alumine & arſenico, mediante forti quodam lixivio extrahitur, Indici inſtar confecta, & in parvos rotundos orbiculos formata. Ad picturam, colores oleoſos aliosque deſiderantur.

§. 12.

Si quando Laccæ Florentinæ præparatio ex voto minus ſuccedit, creta gummique additis

LACCA IN GLOBULIS, *Kugellac*,

exinde formatur, ex rotundis globulis pallide purpureis conſtans. Et hic tamen magna fraus ſubeſt, dum quidam plus juſto cretæ addunt, globulosque foris ita infucare didicerunt, ut genuina eſſe lacca videri poſſit: videndum igitur, num interna facies externæ conveniat. Similiter picturæ inſervit.

§. 13.

Habetur etiam lacca plana (*platt Lac*,) nonnullis

LACCA COLUMBINA

vocata, ſequenti modo præparari ſolita: recipitur id quod panni tonſores de pannis coccis detondent, hoc in forti lixivio coquitur, tinctura deinde cretæ albæ & alumini Anglico affunditur, ex quibus maſſa præparatur, in quadrangula & digitum craſſa fruſta, aut pro lubitu majora, formanda, quæ exſiccata ſimiliter pro pictoribus aſſervatur. Veneta Hollandicæ Gallicæque præfertur, quoniam creta, in Italia tenerior exiſtens, tincturam citius, quam alibi aſſumit. Colore ſaturata ſabuloque prorſus deſtituta laudatur.

§. 14.

Præterea etiam habetur

LACCA FLUIDA,

de qua ex ligno Braſilienſi parata egimus alibi.

§. 15.

Tandem huc pertinet

PEZETTA RUBRA,

quæ vel ex optima crepona, vulgò *Creſpon*, vel puriſſima ſindone Hollandica, coccionellis bene tinctis, conſtat, noſtratibus propterea vulgò *Läppens-Farb* vocata. Optimæ notæ pannoſa fragmenta Conſtantinopoli veniunt, colore ſaturata, quæ, ſi bona ſunt, rubedinem impertiunt. A gynæceo ad infucandam faciem adhibentur, alias verò etiam ad tingendas confecturas & aquam vitæ inſerviunt. *Pezetta cærulea* aliorſum ſpectat.

§. 16.

Loco pezettæ alii utuntur

LANA RUBRA LUSITANICA,

è Luſitania advecta, quæ nihil aliud eſt, quam goſſypium coccionellis infectum, in orbiculos magnitudine craſſitieque imperialis formatum ſ. redactum, & ita divendi ſolitum. Non tamen adeo innoteſcit atque pezetta. Eleganter rubra, vere ſicca puraque ſit, quoniam ad colorem fructibus & gelatinis impertiendum uſurpatur. De CARTA DI SPAGNA, vulgò *Spaniſch roth auf Blättern*, quacum Hiſpanicum rubrum in porcellanis vel in conchis convenit, alibi jam actum eſt: bina vero apud fucatores, qui rebus odoris fragrantiam conciliant (vulgò *Parfumierer*) inveniuntur, quos ſcimus iſtas merces peculiari exhibere catalogo, cujus Benevolum & Curioſum Lectorem hic pro coronide ſimiliter participem reddere voluimus, adjectis aliis pretium ſimplicium concernentibus.



APPEN-

APPENDIX I.
D. JOH. GOTHOFREDI GEILFUSII,
Archiatri Haſſiaci,
DESCRIPTIO
TERRÆ SIGILLATÆ LAUBACENSIS.

I. N. D. T. O. M.

ANimus non eſt in præſenti hac tractatione omnes terræ ſigillatæ in Wetteravia creſcentis, prope Laubacum, unde & nomen habet, virtutes bezoardicas & cordiales apponere: multo minus, ut ſymptomata, quæ morbis ſubinde ſe comitum inſtar in via proficiſcentibus adſociant, & non uno ſemper æqualique æſtimari poſſunt ac debent modo, multis phaleratisque recenſeamus verbis, inſtituti permittit ratio: præſertim labaſcente hoc ævo, ubi morbi ſæpius novas, vix antea cognitas, larvas induunt, & ita probant, ut etiam probatas olim curandi vias invertere, &, quod inde eſt, experientiſſimos non minus at prudentiſſimos in Arte Medica viros illudere poſſe & circumvenire, adpareant. Libet itaque in præſentiarum dictæ modo terræ ſigillatæ egregias & per triginta abhinc annos utiliſſime expertas virtutes, præſertim in morbis epidemicis, omni omnino laude digniſſimas, humilibus verbis, at vero argumentis firmiſſimis exponere, adnexo ſubinde uſu neceſſario: & id quidem quam maxime ob communes uſus, & egenos, qui à Pharmacopoliis remotiores degunt. Sit itaque ſermo

I. De Globo Terraqueo ipſo, tanquam matrice omnium, quæ ad vitæ caducæ conſtitutionem, iſtius conſervationem, ſanitatisque deperditæ reſtitutionem ſpectant.

II. Hanc conſiderationem excipiat ſolida celebratiſſimæ hujus Terræ Sigillatæ deſcriptio, & quidem juxta quasvis proprietates, natales præſertim, ut & diverſos colores, ac conjecturalem, inde ex aſſurgentibus metallorum, profunde in terra latitantium, exhalationibus, ſolaribus, lunaribus, cæterisque metallicis venientem imprægnationem inſtituta. Mox

III. Sermo erit de provida terræ iſtius præparatione, ut & medicamentis inde, ubi neceſſitas urget, compoſitis. Ne autem quis heic à vera aberret via, dicendum erit

IV. De vero uſu in morbis contagioſis, peſtilentioſis, ceu ſunt Pandemii, Endemii, Epidemii, Sporadici, Febres Petechiales, Cephalalgiæ, Variolæ, Morbilli, Dyſenteriæ, Epilepſia, Lypothymia ſ. Eclyſis, nec non Hæmorrhagia quæ per nares, os, urinam, Hæmorrhoides, Exulcerationes pulmonum, hepatis, renum, &c. ut & Faſcina, Philtra, imo externa & patentia mala. Denique

V. De Utilitatibus aquarum, Terræ Sigillatæ montes transmeantium, atque fontium, quorum ſcatebras Illuſtriſſimus COMES effodi & recens parari juſſit. Quam intentionem optimam atque metam utut non ex omni parte attigiſſe videar, nihilominus β. Lector non iniquo illam æſtimabit animo; ſed potius ſummi Statoris inæſtimabile dignabitur artificium, & hæc talia, ubi etiam neceſſitas poſtulat, inde compoſita medicamenta, grato ſemper accipiet animo, illaque in recenſitis atque aliis corporis humani imbecillitatibus ad divinum mandatum absque omni contemptu adhibebit, probe cogitans, ſummum cœlorum pariter ac terrarum Monarcham, ob peccata varia, homines, mediantibus terribilibus morbis, ferire ita, ut vel ſuas eo creaturas armet, vel permittat, ut innumeri & imperſcrutabiles morbi illos invadant: adverſus quos tamen ſimul ex infinita & conſolante ſua gratia fortiſſima è terra remedia prodire jubet, quorum ſubſidio, & non amplius miraculoſo modo, ſicuti Hiskiam per ficuum emplaſtrum, Tobiam per incenſi jecoris piſcis illius fumum, & ligare & ſanare amat.

PARS

PARS I.

De Terra ipſa.

DEUS non ſolum globum terreſtrem, cujus peripheria 5400. & ſpiſſitudo 1720. ferme milliarium Germanicorum eſt, ex infinita ſua ſapientia creavit, atque illum in medio, absque ullo fulcro, immobilem fundavit, ſed & aëre, non ſterili & effœto corpore, atque igne, libere pendentem circumdedit & ita miſcuit, ut una iſtarum rerum alteri cedere, ſpatiumque permittere queat. Hunc inſuper globum, aqua permixtum atque aëre circumdatum, Deus ex immerita bonitate hominibus, ceu ditiſſimum penarium, pandit, & in hoc agros pro futuris pecuariis, aquas, ut ichthyotrophia, continentem terram, ut habitacula dent, ſylvas & ligna, ſub libero ſuo imperio conceſſit. Et, quod magis eſt, terra iſthæc irrequietis aſtralibus ſpiritibus, illo maximè univerſali macrocoſmico & igne æthereo, ſic efficaciſſime imprægnata eſt, ut percepto modo non ſolum ad caducæ vitæ conſtitutionem & durationem, ſed etiam ejusdem refectionem, ſanitatisque conſervationem, veluti fertiliſſima & ditiſſima mater, per communem ſummi Statoris legem, ſaluberrima germina, innumeras herbas, tot ac diverſis fragrantiis claras, coloribus non minus, quam virtutibus calefacientibus, refrigerantibus, & ad ſingulos caſus & complexiones adcommodatis, imbecillitatesque hominum mulcentibus, uberrime proferat. Præterea cuilibet addictus Planeta, veluti patronus, olim obſervabatur, cujus ope nonnullæ progenies Saturninam, aliæ Jovialem, Martialem, Solarem, Mercurialem &c. nanciſci proprietatem & ſecundum ipſos planetas, quam maxime in his certis, ſi colligerentur ſignis, efficaciores operationes non absque Sympathiæ & Antipathiæ ſuſpicione habere videbantur & ſic, in ipſis coloribus & odoribus notabiliter diſtinctæ, prodeſſe. Dat etiam terra mineralia valde neceſſaria, uti ſal, nitrum, ſulphur, vitriolum, alumen, antimonium, (verum Solis balſamum) &c. ex quorum inexhauſta commixtione hinc inde in Europa egregiæ oriuntur ſcaturigines, ſubterraneis virtutibus varie tinctæ, quas acidulas vocant, majorique ſecuritate, (ſi modo non ulceroſæ in viſceribus ſuſpicantur diſpoſitiones,) quam illæ aquæ ex limatura Martis, ſpiritu vitrioli & ſalis paratæ, aliique minerales clyſſi, ſi curativa indicatione adplicantur. Siquidem acidulæ iſtæ omnes ac ſingulas ſub diaphragmate, jecore, ſplene & pancreate latentes obſtructiones ipſo facto ſolvunt, & à moleſtiis, quæ inde proveniunt, variis, non quidem per opinatum illarum calorem & refrigerationem, ſed potius per alias virtutes innatas minerales liberant, rigidosque gypſeos, quin & tartareos humores efficaciſſimè diſſolvunt, ſalia ſylveſtria domitant, & tandem per ſpiritum vitriol. martialem non tam ſtomachum, quam reliqua, minus temperata, perque atoniam infirmata viſcera ad convenientem craſin redigunt. Ejusmodi paſſim in Germania adhibentur aquæ, nuncupatim egregiæ Haſſiacæ illæ in vicinia temperatæ, & non minus efficaces in Naſſoviæ tractu thermæ balſamicæ & quæ ad quodvis temperamentum & malum accommodatæ Embſam nobilitant, cum acidula è muro proſiliente calidiori, quæ vel ſola per ſe, vel junctim cum thermis intra iſtarum uſum & tempus non aliter, & minori periculo, quam acidula alia ab illis, qui frigidas & molliores complexiones habent, imbibitur; & id quidem quod primò ob calorem hæcce acidula non adeo rigida eſt, ſicuti illa Schwalbacenſis & Pyrmontana, nec ſecundò ſtomacho gravitatem, attamen majora tertiò anteriori thoracis parti frigidiori adfert commoda, nec minus denique ſpleneticas, diaphragmatis, & huic conterminas, partes aperit, indeque peccantes humores, pro cujusvis complexione & ratione, per alvum, urinam, maxime vero ſudorem ejicit. Inſuper huc ſpectant longe illæ thermæ lateque celebres in tractus Moguntini Rheni confinio ſitæ, variæ, prout magis nitroſæ, ſulphureæ, aluminoſæ &c. Wisbadenſes, quæ ſuum calorem non ex ſubterraneo ſulphure, ſed repugnante habent, ſicuti in ſpiritu vitrioli, ſali tartari infuſo, effervescentia, diſtentione, flammis, aduſtione, abunde videre eſt. Verum in genere (1. ex balſamica virtute, quam habent, focillant, 2. conſumunt magis ex congeſtione, quam transmiſſione, in habitu corporis collectos humores, & 3. corroborant quævis ad motum deſtinata inſtrumenta, niſi ex ebrietate exiſtant rigida, aut calor actualis potentialem inſitum exſuperet, qui tunc facile conſumitur; denique 4. iſtæ thermæ, partem majorem ſulphureæ, aperiendo educunt biliosos & ſalſuginoſos humores, & ſitim illam ex ſalſuginoſis humoribus, non vero ex interiori calore ac inflammatione ortam, extinguunt, ſi quando intra curationis dies aliquot mane in ipſis thermis ad 1. 2. imo & 3. menſ. imbibuntur. Oportet autem curationem ipſam debita præparatione inſtitui, & finiri conſtantia, nec ullo modo illam negligi decet diætæ rationem, in aëre, cibo & potu, motu & quiete, ſomno & vigiliis, excretis & retentis animi paſſionibus conſiſtentem, quemadmodum in mea & aliorum Medicorum inſtitutione pluribus videre eſt. Nec tamen in hiſce ſuppeditandis quieſcit terra imprægnata, ſed ex ditiſſima ſua amplius matrice unam poſt alteram abundantiam promit, & quidem ex metallis aurum cordi appropriatum, capiti argentum, jecori, lieni, ferrum &c. quorum ope tinctuæ martiales, ☉res & ☽res parantur, ut & meus ſic dictus SANGUIS MARTIS, idemque Bezoardicum Solare, Lunare, Martiale &c. quæ ſingula cor, caput, jecur & lienem efficacius multo, quam reliqua vegetabilia medicamenta corroborant,

contra

contra ſymptomata periculoſa defendunt, & quæ bona cunque exiſtunt, conſervant, quæ mala, arcent, nec viſcera diſrumpi ſinunt. Profert ulterius terra pretioſiſſimas gemmas & cimelia, uti Sapphirum, Granatum, Adamantem &c. ex quibus & aliis lapidibus in Veteri Teſtamento pectorale illud, ſecundum duodecim Iſraëlitarum tribus paratum, legitur non ſine myſterio, quod ſcilicet Deus omnium Dominus Iſraëlitas æſtimare tanquam peculium ſuum & monile pretioſiſſimum ſervare, multoque minus velit, quam quis pretioſiores gemmas ſoleat, abjicere. Denique ditiſſima iſta matrix nobis exhibet Terram, multum unicornu minerali affinem, quam uſus vocat Sigillatam, qua de etiam in ſubſequentibus partibus tractare breviter libet.

PARS II

Quæ deſcriptionem Terræ Sigillatæ exhibet.

MUltæ ac variæ Axungiæ, Medullæ, Margæ, ſive Bolares, Terræ Sigillatæ ab impreſſo ſigillo ſic dictæ, varia à ſolo natali, pro diverſitate matricum, ſua nomina habent, vixque comprehenſibiles operationes & virtutes. Veluti Japponica, quæ catarrhos & urinæ profluvium ſanat, quo præſertim tympanites, *die Windſucht*, ſpectat. II. Aceldema, quæ intra 24. horas demortua corpora deſtruit & calcinat. Tertio Damaſcena in vulneribus, ſclopetis inflictis, ſalutaris habetur. Quarto Chia ex Aſia, quæ admodum pura & candida externam cutem efficit lævem, candidam & valde gratam. Quinto Norwegica, haud procul à Berga, regni illius oppido, obvia, alias antiſcorbutica audit, quia præ aliis in ſcorbuticis morbis prodeſt. Sexto Terra Martialis, quæ maxime obſtructos menſes, vel retentiones menſtrui ſanguinis, ſive quod idem omnino eſt, amiſſa Catamenia ſequiori ſexui reddit & è ſanguine ſalia ſylveſtria eximit, præcipue tinctura rubini coloris exinde per irrorationē ſolaris ſpiritus parata. Septimo terra Orleana ex Italia, quæ tantum pro ſucco expreſſo habetur & pro ſuculata adhibetur. Octavo Melitenſis ex Inſula Malta. Nono Turcica à caracteribus Turcicis; Decimo Strigenſis, à Striga Sileſiæ urbe ſic dicta, & plures aliæ, quas in præſenti præterire & tantummodo Laubacenſem, ad Wetteraviæ tractum obviam, breviter conſiderare placet. Iſthæc terra magna in copia invenitur ad Laubacum, Illuſtriſſimi Comitis ac Domini CAROLI OTTONIS, Comitis Solmenſis, Domini in Münzenberg, Wildenfels & Sonnenwald &c. Comitis mei ac Domini Gratioſiſſimi, ſedem: eſtque oppidum hocce ſex milliaribus à Francofurto, & duobus à Gieſſa, quinque à Marburgo & Hannovia, totidem horis à Butisbaco diſtans, in peramœno tractu gratiſſimis montibus, agris, collibus ac ſylvis fructiferis cincto, ſitum, ubi effoditur, & divenditur. In hanc, quæ humanis oculis exilis videtur, Terram Sigillatam Laubacenſem Deus per naturam ſingulares virtutes bezoardicas ita abſcondidit & circumclauſit, ut in ſupra memoratis & adhuc complurimus morbis verum exiſtat antidotum; id quod non tam ex Vitriolato, Nitroſo, Aluminoſo, aut Sale alio, quorum nullum nempe per deſtillationem aut probationem aliam reperitur: quam potius ex halitibus ſeu ſpiritibus volatilibus, penetrabilibus admodum & excitatiſſimis ortum trahit, partim Solaribus, Lunaribus partim, quin & Martialibus, è metallis immaturis, auro, argento, ferro &c. in imo, ut ſuſpicor, terrarum fundo ebullientibus; qui ab ejusmodi axungia quaſi irretiuntur, figuntur, alterantur & exaltantur, ut mox ab auri ſulphure calorem rubrum, fuſcum, mox à ſulphure argenti glaucum, albidum & ab aliis alios colores, & hoc modo virtutes Cephalicas, Cordiales itemque valde penetrabiles, reſolventes, obſtruentes, nanciſcatur. Quarum deinceps, vere cardinalium virtutum, ſubſidio reſolvuntur (1.) omnes ac ſingulæ tartaricæ, ſulphureæ, ſalinæ in genere venoſo ſcoriæ, contrectabiliter, (2.) efficacius, quam ſupra adductæ (quibus ſuum tamen relinquimus pretium) terræ ſigillatæ humores peccantes per urinam & ſudorem, ubi non adſpectabili modo, attamen inadſpectabili, eximunt. (3.) Balſamicam ſalſedinem intemerate conſervant, nec non (4.) ob attrahentem pauliſper, terreum, dulciculum, adſtringentemque ſaporem, exoticas conſocias omnes in ſiſtendis ſputis ſanguinis, hæmorrhagiis per nares & alias partes, ab interna præſertim ulceroſa diſpoſitione venientibus, ſi modo debita ratione adhibeatur, exſuperat: quandoquidem nullus vernaculus morbus eſt, cui materna tellus non pariat aptum remedium. Parili ſane modo Deus ſummus, optimus, ſicuti nobis loco penarii & Pharmacopolii regiones iſtas clementiſſime conceſſit & ſimul ditavit, varii generis fructibus, plantis, muſto, oleo, &c. ex abundanti ornavit: ita cuicunque climati vernaculis medicamentis efficaciſſimis benedixit: quemadmodum ſcripta authentica & tam bene fundata, quam infallibilis experientia ipſo facto confirmat, vernaculas noſtroque adſuetas climati herbas, ſuccos terreſtres (*Erdſäffte*) & ſic alia, longe majores, quam quidem exotica medicamenta pretioſa præſtare effectus. Quid? quod exoticis ſeminibus & medicamentis tutius atque magis fidere licebit, ſi quando in noſtri climatis obtinente agrorum aëriſque temperie procreata illique prius, quam adhibeantur, adſueta fuerint, experientia teſte; ubi contra qui ſolis exoticis fidunt, ſæpius corpora cauſaria, morbida & valetudinaria inter illos, qui domeſticis uti ſolent, corporaque robuſta atque vegeta habent, circumferunt

ferunt: variant enim regiones, variant incolæ, variant potulenta & esculenta.

PARS III.

De genuina Terræ Sigillatæ Laubacensis præparatione & inde rite compositis medicamentis.

POsteaquam, commonstrata ratione, ista omnino probata Terra Sigillata Laubacensis post destillationem, præcipitationem, & porro alium, huic non absimilem, laborem Chymicum, ne minimum vitriolati, nitrosi, aluminosi salis (*Saltzart,*) sed tantum bolarem terram relinquit solam, & consequenter ab adsumtis & irretitis spiritibus volatilibus virtutes suas penetrantes, igne mediante, ad modum fumi, non solum evolantes, sed & cum tempore avolantes, habet ac possidet: necesse est, ut debita cura, leniter, absque adsumptorum istorum spirituum jactura, tractetur, & non ultra modum, sed pluviali aqua, tempore tonitruali, vel rore Majali, ob Sal centrale, quod in aëre est, vel decocto quodam ex scordio, angelica, bistorta, (*Natter-Wurtzel*) viperina, tantum leniter, abluatur, & ad pulpam redigatur, quæ dein, non vero ad Solis radios, sed saltim ad aërem, qui neutiquam sterile & effœtum corpus est, exsiccetur sicque quoad vires ex astris adaugeatur. Ex terra ista cum aqua pluviali, vel etiam decocto alexipharmaco per Retortã spiritus, aut potius phlegma, leniter elicitur & postea capiti mortuo rectificatus vini spiritus adfunditur, denuo abstrahitur, (*abgezogen*) sicque à sale volatili fixum illud corripitur & cohibetur; porro ex capite mortuo sal aliquod ex terra sigillata, Spiritu Vitrioli, vel Nitri, vel Salis, singularis liquor s. tinctura cordialis paratur, quæ in morbis Epidemiis, cum Diarrhœa, s. Dysenteria conjunctis, egregios effectus præstat, atque illud vilissimum Magisterium longe superat. Utut vero Terra Sigillata omni se tentamine probet, inque se ipsa egregias monstret virtutes, nec minus in malignis atque suspectis morbis verum existat antidotum, nihilominus ob symptomata sibi invicem repugnantia (*um der neben wieder einander lauffenden Kranckheiten willen,*) quæ etiam experientissimis Medicis imponunt subdole & fallunt, necesse est, ut hi sibi ingenua medicamenta composita omni comparent studio, seque, necessitate urgente, contra occurrentes mutationes præmuniant. Et inter ista composita est clyssus terræ sigillatæ, qui non raro laudabiles exhibet effectus: veluti est illa ante annos aliquot inventa percelebrata tinctura bezoardica, quæ cum spiritu vini præparata, in nimia ebullitione sanguinis & cum tartari spiritu, in malignitatibus prodest. Debet itaque non absque omni discrimine adhiberi; vel etiam alia, exinde composita, prostant medicamenta, quorum nonnulla jamjam vel ideo nominare libet, quia natura, unicâ medicinâ, cui cum tempore assuescit, se vinciri haud patitur. Sic

℞. Unicorn. mineral.
Terræ Sigill. Laubac.
Cornu cerv. sine igne
calcin.
Pulveris è chelis an. ʒß.
Antimonii Diaphor. ʒij.

cum decocto alexiphatmaco viperino fiant globuli

S.

Globuli Bezoardici.

℞. Unicorn. mineral.
C. C. Solaris.
Lapid. Bezoard. Orient.
Alcool Margaritarum Orientalium.
Antimon. Diaphoretici ana ʒj.
Terræ Sigill. Laubacensis.
Confect. alkerm. compl.
de hyacintho an. ʒß.

cum gelatina viperarum Italicarum fiant globuli,

S.

Bezoardici globuli confortantes, qui & præservationi & curationi inserviunt.

℞. Pulv. è chelis cancrorum.
Terræ Sigill. an. ʒj.
Confect. alkerm. compl.
Theriacæ And. an. ʒß.

Misc.

Cum syrupo acetositatis citri & contrajervæ composito.

S.

Commixta Theriaca in epidemiis s. graſſantibus morbis, mane *eine Messer-Spitze voll*, & in curatione 2. quint. in Chylostagmate Diaphoretico adhibenda.

℞. Olis margaritarum.
Corall. rubr. an. ʒij.
Theriacæ incitratæ ʒij.
Conf. scordii,
calendulæ,
Flor. bugloss. an. ʒj.
Extr. Contrajerv. Torment. an. ʒj.
Terræ Sigill. Laubacensis ʒj.
Oss. de corde cerv.
Flor. sulphuris an. ʒij.
Olei destillat. Citri
Camphoræ,
Macis an. gr. Vii. M.

S.

Bezoardica Mixtura confortans.

℞. Spir. terræ sigill. ℔ß.
Tincturæ Bezoard. Vitriolatæ ʒiij.
Electuarii Alkermes compl.
de hyacinth an. ʒiß. Misc.

Digere triduum, & tandem ex vitreo organo æquali ignis gradu destilla. S. Bezoardicus terræ sigillatæ Spiritus, ad ʒj. cum aqua sudorifera post 8. horas in febribus ardentibus adhibendus.

PARS

PARS IV.

De Terræ Sigillatæ uſu rationali in ſingulis ſupra dictis morbis.

QUia in peſte, tenebras perambulante, petechialibus, aliisque ardentibus ac malignis febribus nulla peculiaria proſtant remedia, & ideo, ut analogice loquar, ad arſenicale, auripigmentale & antimoniale venenum recurrendum, oportet inſimul cum antea adductis ex terra ſigillata compoſitis, clyſſo, ſpiritu, globulis diaphoreticis & adhuc pluribus, ſine mora, inſtante periculo, fideles ægrotis manus præberi, ipſisque, poſt. 8. ſemper horas in viribus oppreſſis, non vero languidis, ejusmodi liberaliter porrigi medicamenta, utut etiam ægrotantes ſudore manare (*hefftig ſchwitzen*) appareant: nihilominus ut continuetur, iſtaque malignitate adorta natura, intellige robuſta, ſtimulis quaſi excitetur, medicamenta efficacia in majori quantitate propinentur, ſicque malo efficacius reſiſtatur oportet. Cum enim anno 1486. in Anglia febris ardens ſudorifera (*das Schwitz-Fieber*) admodum, tempore præſertim autumnali, graſſaretur, ut vix centeſimus inde convaleſceret, mox Belgium, Brabantiam, Friſiam, Daniam, Norvvegiam perambulavit, tunc pauciſſimi ex morbo iſto ſurrexerunt, qui Orientale Bezoar in exigua doſi ſumebant: contra plures evaſerunt ſani, qui dictum Bezoar ad 40. imo 60. gran. convenientibus hauriebant vehiculis. In naturis vero mollioribus viribusque facile reſolubilibus infantibus, qui facile exhauriuntur, it. ſenibus, in quibus balſamum naturale deficit, adducta ſudorifera medicamenta cum diſcretione debita adhiberi, hisque perpetuo confortantia & reſtaurantia admiſceri, magisque convenientia ſudorifera, ſecundum tempora, initium, augmentum, vigorem & declinationem adſumi condecet. Siquidem alia medicamenta in morborum initio eligenda ſunt, alia in declinatione: quandoquidem nonnulla pauliſper contrahunt, ut terra ſigillata, hiacynthus, ejusq; ſpecies, *roth Gifft-Pulver*: alia penetrant ceu bezoar, acetum: alia refocillantem habent proprietatem, uti petaſitis, (*Peſtilentz-Wurtzel*) angelica, & ſimilia, quæ tantum in declinatione permittuntur. In quibus omnibus & ſibi & aliis male conſulunt, qui Academica ſcientia deſtituti ſic miſere in præparatione medica & applicatione verſantur, vel falſis medicamentis nocent, etiam ſine diſcrimine falia volatilia non minus temerarie applicant, quam certo certius eſt hæc talia in fluida ſanguinis compage nimios calores, ſalibus cauſticis errores, imo in augmento & ſtatu exitialem ac triſtem habent exitum: ſic atrociſſimum facinus, temerare corpus humanum, perpetuæ animæ domicilium. Eſt itaque ante omnia, dictis graſſantibus morbis peſtilentialibus, in fontem eorum ac cauſam inquirendum, probeque diſtinguendum. Etenim Endemii morbi ex malis humoribus, è terra ſurgentibus, proveniunt: Epidemii ex inordinatis aëris mutationibus: Sporadici ex putri apparatu proprio, diu collecto, invadunt & deſæviunt; hinc omnino quam maxima urget neceſſitas, ut diverſæ inſtituantur curationes. Præ omnibus vero debita obſervantia in ſporadicis morbis cacochymiam, ut cauſam reſpicere, & illum humorum apparatum, in prima forſan corporis regione exiſtentem, expellere lenioribus emeticis (*mit einer gelinden Spey-Artzney*) ubi vomendi deſiderium adeſt: aut, ſi de inteſtinis certior quis eſt, per proximiorem viam emittere oportet; contra autem, quotiescunque humores pravi per corpus & ſanguinem diſperſi obſervantur, neceſſe eſt, ut iſti ſufficientibus, eoque maxime reſpicientibus, purgantibus ejiciantur; quod ſi vero contumaces, aut nimis putridi ſentiuntur humores, tunc aqua mea gentianæ, itemque mea eſſentia catholica exporrigi, & ulterior putredo abarceri poteſt: in reliquis vero epidemiis & morbis acutis malignis hæc ſubſcripta tinctura applicata juvabit:

℞. Extract. l. a. croci, rutæ
elenii an. ʒß.
diaſcord. ʒj.
elect. de ovo ʒß.
ſpec. diambr. ʒij.
ſpirit. terræ ſigill. ℥iij.
CC. ana.
mixt. ſimplic. ℥iiß.
extrahatur tinctura.
S.
tinctura.

In morbillis & variolis omnes dogmatici Medici quoad hanc ce percelebrem terram, præſertim in nimio fervore & humorum tenuitate, nimirum nimiâ ſanguinis acrioris & ſubtilioris ebullitione, conſentiunt, quod illa non in exigua doſi, & quidem in juſculo lenticulato (*Linzen-Brühe*) porrigi debeat & repeti; nec heic cum præcipitantibus, corallis, cancrorum oculis præfeſtinare liceat, priusquam vernaculis remediis (*Einheimiſche Mitteln*, ubi tamen ſæpius committuntur errores) inſtitura ſit expulſio. Præter iſta expellentia media ſequentes terræ ſigillatæ ſpecies renoventur crebrius, & quocunque triduo, inque ordinario potu ſuſpenſæ, adhibeantur:

℞. Rad. ſcorz.
aceroſæ an. ʒj.
Raſur. C. cervi
alcis an. ʒij.
Flor. aquilegiæ
Trinitatis an. m. j.
Terræ ſigill. Lauban. ʒj.

incide S.

Terræ ſigillatæ ſpecies.

In epilepticis & ſpaſmodicis ſymptomatibus, (variolarum & morbillorum non raro prodromis,) itemque in magna ſanguinis ebullitione, ex probata hac terra, circumſpecta venæſectione præmiſſa, non minus egregium peti poteſt ſolamen; quare & illa à ʒß. ad ʒj. cum aqua florum tiliæ, primulæ veris, fumariæ & ſimilium ſæpius adhibenda & appropriatæ terræ ſigillatæ ſpecies in potu ordinario infundendæ ſunt, ex radice primulæ veris, graminis, taraxaci, viſc. quern. coryl. flor. tiliæ, aquilegiæ, terr. ſigillat. &c.

Seroſas deſtillationes ſeu catarrhos, ex quibus per fauces labor & ulceroſa diſpoſitio pulmonum, quid? quod ipſa peripneumonia exſpectanda venit, iſthæc terra, cum hordei decocti cremore aut jujubarum ſucco inſtillata, ſolet incraſſare. Acidas vero deſtilllationes terra hæc, ſumpta cum oculis cancri, matre perlarum &c. efficaciter edulcorat, & ſic quoq; contra omnem hæmoptoicam paſſionem, narium, urinæ, nec minus hæmorrhoides, cum eſſentia millefolii & traumatica ſumpta, ſiſtit, ut & grumeſcentiam & coagulationem ſanguinis, adhibita cum ſequenti tinctura:

℞. Rad. tormentill.
rubiæ tinctorum aa. ʒj.
Flor. bellid. minor.
hyperic. aa. ʒij.
Aceti q. ſ. extrahe tincturam,
addatur
Spiritus terræ ſigillat. ʒij.
Syrupi cerefolii ʒj.

in tempore diſſolvit & conſequenter apoſtemata & abſceſſus præcavet, etiam in orgaſmo ſanguinis acrioris & fervidioris, præmiſſa in ſtatu plethorico, ubi opus eſt, venæſectione, in brachio evacuandi, in pedum uno refellendi fine, ſic prodeſt.

In languore, lipothymia, modo non ex humorum crudorum copia, aut flatibus hyſtericis proveniant, imo quoque in melancholia, anguſtiis præcordialibus, ex obſtructionibus lienis ſæpe oriundis, terra iſthæc ſingulare remedium præbet, ſumpta cum aqua è typhis cervorum, aut ſequenti, quotiesque opus eſt:

℞. Aq. cordial. temp. ſax. ℥iij.
Tinct. hyperici compoſ. ʒj.
Spirit. terræ ſigill. ʒij.
Man. chr. perlat. q. ſ.

In dyſenteriis, præponderata prius illarum cauſa & origine, ſi malignæ ſint, tunc absque purgatione præmiſſa ad terram hanc, & præſertim ad ſequentes ſpecies, recurrendum:

℞. Terræ ſigill. ʒj.
Cornu cervi ſolar.
Spec. de hiacynth. an. ʒj.

Ubi vero putres, acuti & arrodentes humores præſentis mali autores exiſtunt, tunc cum aliquo commodiori Rhabarbarino præcaute ordiendum eſt, eductis hiſce ſine exagitatione humoribus, mox pedetentim adſtringentia ad manus ſumenda: qui humores alias incaute ſuppreſſi & retenti apoſtemata, arthriticos dolores, quin & gangrænam & varia in partibus nobiliobus luctuoſa dramata ludere poſſunt. Quem in finem majori cum præcautione & promotione ejusmodi ſpecies pro potu ordinario, per integrum curationis tempus, cum moderamine continuandæ, vel aqua bene chalybeata, quæ habet vim attenuandi & detergendi, tam ex ſplene, quam ex venis meſaraicis humores aduſtos, vi adſtrictoria ventriculum roborandi, alterattice in hypochondriis ex obſtructione introductam emendandi. Species in potu ſunt ſequ: Raſur. corn. cerv. corn. cerv. uſtum, lignum ſantal. rubr. Braſilienſe, rad. filipendulæ, plantag. ſanguiſorb. biſtort. flor. granat. galeopſ. lyſimachiæ, bacc. myrt. exſiccat. Terra ſigillata Laubac. Hiſce interne cum debita præcautione adhibitis externa remedia ſuccurrere debent, nec minus cataplaſmata ex Terra ſigillata rob. ſambuci, theriaca, unguento lunariæ, ol. myrtillor. maſtichino, vel empl. diaphœnic. adplicata juvant.

In morbis à faſcino & philtris &c. patili ratione ex iſta omni laude digniſſima terra multum ſolaminis levaminisque exſpectandum eſt, quando ſcilicet in illis, cum herbis ſaturninis, ſive eſſentia hyperici, eſſentia baccarum paradis, ſive decocto pyrolæ Mynſ. &c. porrigitur, & inſuper loca dolorifica cum unguento Carrichteri, vel etiam balſamo hyperici Rabenſteinii illiniuntur: in hiſce autem cum naſturtio aquatico, & aqua caſtitatis adhibetur.

Denique externum Terræ ſigillatæ uſum quod attinet, prodeſt omnino illa in quibusvis inflammationibus, eryſipelate, exanthematibus cutis & pruritu &c. exſiccat etiam ſordida & fluentia longo tempore ulcera admodum; ubi iſthæc ulcera verbi gratia cum Terra Sigillata, ſequenti modo præparata, lavantur, linteolis probe tinctis ſuperimpoſitis: quo etiam modo in oculos, inflammatione & lippitudine laborantes, inſtillatur:

℞. Vitrioli albi ʒj.
Salis Armoniaci ʒij.
Terræ Sigillatæ ʒiiß.
Cretæ albæ ʒj.

infundatur in aq. communis menſuris duabus, in vaſe bene munito, agitentur & addatur eam phoræ uncia una; vel in ſequentem modum:

℞. Lithargyrii Solaris ʒiß.
Olibani ʒij.
Acet. ℔. ʒix.
Aqua plantag. ℥vij.
Perſicariæ ʒß.

Coq.

Coq. ad tertiæ partis conſumpt. Colat.
adde Onis
Ceruſſæ
Terræ ſigillatæ
Sulphuris aa. ℥iß.
Mumiæ transmarinæ ℥j.
Olei tartari per deliquium ℥iß.
iterum coque & cola.

Præcipue ſi commoda emplaſtra, (quorum unicum modo nominare libet,) heic in ſubſidium vocantur, & ſic prius balſamica ſanguinis ſalſedo & viſcera per atoniam turbata, ad convenientem & meliorem ſtatum redacta fuerunt:

℞. Ol. olivarum ℥xii.
Terebint. ℥vi.
Ceræ ℥iiij.
Ceruſſæ, lithargyrii aa. ℥ij.
Terræ ſigillat. ℥j.
Virid. æris.
Camphoræ.
Olei petræ aa. ℥ß.
F.
Emplaſtrum.

PARS V.

De virtute & effectu nuperrime effoſſi & inſtaurati terræ ſigillatæ fontis.

NOn ſolum celebratæ iſti, ſic brevi ac ſimplici ratione deſcriptæ, Terræ medicæ, ſed etiam aquis inde promanantibus, fontibusque prope Laubacum ſcaturientibus, ſimiles omnino, utut non æque magnæ, virtutes & operationes adſcribi poſſunt, & ante omnia gratioſa mente agnoſci debent, quod etiam communes aquæ miranda exiſtant Dei opera, quibus remotis nulla creatura conſiſtere, vivere ac commoveri queat. Siquidem aquæ non ſolum quotidiano uſui inſerviunt, ſed etiam in nimio æſtu ſitim & languorem extingunt, itemque in ardentibus febribus, cum moderamine hauſtæ, refocillant, & calori præternaturali reſiſtunt, quousque nulla in viſceribus & vaſis meſaraicis obſtructio, nec ipſum genus nervoſum debile eſt: nam alias in ejusmodi obſtructionibus retentiones aquæ, largius hauſtæ, tumores aliæque difficiliores, ſera morte expiandæ, ſubſequuntur moleſtiæ. Porro ſolent ejusmodi communes aquæ, ut opera omnium creaturarum Domini, ex ſingulari decreto, ob certas nobisque occultas cauſas, tam efficaces reddi, ut illæ, non tamen ſine omni omnibus diſcrimine, ſaluberrimas virtutes & operationes, modo ad ſalutarem finem adhibeantur, ſuppeditent. Veluti tale exemplum II. Regum caput V. monſtrat, ubi ſimplici aquarum illarum uſu ſanus receſſit, nempe ſimpliciſſima Jordanis aqua, illius Naëmanni leptam, id quod nec ante illum, nec poſt ullibi factum legimus, ſanavit; & ſimiliter Carolus V. Imperator Heilbrunnæ quondam à ſimplici aquarum illarum uſu ſanus receſſit, quemadmodum in lapide Teutonicæ ibidem domus legitur. Breviter: Deus, quibus bene vult, illis omnia, etiam minima, debent eſſe ſalutaria: è contrario quos ob peccata, quamcunque dehiſcentia benedictionem, odit, illis & vel ſaluberrima medicamina debent eſſe nocifera. Secundo etiam ex naturalibus cauſis accedunt mirabiles quibusdam fontibus virtutes, & quidem ob mineralia & metalla in prima adhuc exiſtentia generatione, quæ permanare ſolent ſcaturiginum aquæ. Tertio à nonnullis ſat clare probatur, quod aquæ medicæ è vero ſale centrali (anima terræ, ut vocatur, ſale Hermetico, inæqualiter tantummodo ſalis culinaris bonitatem ſuperante,) utilitates ſuas ac virtutes, quaſi è terrarum abyſſo, deducant, quæ dein' in agris nigricantibus, atris, pinguioribus & pratis abundantius infixæ ac retentæ, quieſcunt: quo inſuper fit, ut ejusmodi agri majorem fertilitatem habeant, quam quidem alii, in quibus centralia iſta ſalia vel deficiunt, vel etiam certo modo extracta obſervantur. Quæ à veritate haud alienæ ſententiæ, nec minus probabiles, nullo modo negari, ſed potius infallibilibus confirmari poſſunt argumentis; ita quoque conſtat Laubacenſem Gratioſiſſimi Domini, Domini Caroli Ottonis, Comitis Solmenſis, Domini in Münzenberg, Wildenfels ac Sonnenwald &c. Comitis ac Domini mei Gratioſiſſimi, indultu gratioſo reparatum & claris aquis ſcatentem fonticulum, qui ab immemorabilibus inde annis deſolatus, inque vili & exili pretio habitus, jacuit, ejusmodi habere vias ac vires, ut permanando terras ſigillatas, quæ per integrum iſtum montem in maxima copia glebatim diſperſæ jacent, earum etiam proprietates ac virtutes ſecum trahat, ſibique adproprier: ſicque his mediantibus virtutibus penetrabilibus ad conſervandam ſanitatem magis faciat atque proſit, quam aliæ aquæ, quæ nihil de iſtiusmodi virtutibus participant. Nec minus exinde cocta, vel per ebullitionem in vinorum doliis depravata cereviſia, ubi non, ut aquæ ipſe, inconvenienti tempore, nimia abundantia, nec in æſtu nimia hauriatur ſubito, ſed ad neceſſitatem imbibatur, virtutes iſtas habebit, ut tartareas ſcorias ejiciat, coagulationes ac concretiones calculorum impediat, morbos contagioſos febresque ardentes majori ſecuritate arceat. Multa & magnifica, quæ fecit ſapientiſſime omnia: impleta terra bonis tuis, imo miranda opera Naturæ in terræ viſceribus, ſpecioſiſſime ludentis!

APPENDIX II.

Marchandiſes curieuſes & parfumées, que vend Jean Rey, Marchand Parfumeur de Montpelier, de preſent à Francfort.

Ouvrages en broderie parfumés.

Toillettes en broderie, or & argent parfumées.
Carreaux piqués, appellés Sultans grands, en broderie parfumés, pour mettre la Chemiſe.
Carreaux piqués, appellés Sultans petits, en broderie parfumés, pour mettre le mouchoir.
Carreaux de lict parfumés.
Carreaux de poche en broderie parfumés.
Carreaux de poche de ſatin unis.
Poches de taffetas piquées & parfumées.
Caſſettes à la Romaine en broderie parfumées.
Caſſettes ordinaires en broderie parfumées.
Caſſettes pour mettre les peruques parfumées.
Toilles parfumées ſervant à mettre les habits.

Gands parfumés.

Gands de Chien parfumés.
Gands de Rome parfumés.
Gands de Chamois parfumés.
Gands d'Eſpagne parfumés.
Gands d'ambrette.
Gands de toute ſorte de fleurs.

Peaux parfumées.

Peaux d'Eſpagne à l'ambre.
Peaux petit d'Eſpagne à l'ambre.
Peaux pour les Eſvantails à l'ambre.

Poudre de Chypre parfumée.

Poudre de Chypre griſe ambrée.
Poudre de Chypre blanche ambrée.
Poudre de Franchiſpane ambrée.
Corps de Chypre gris preparé.
Vazes dorés pour mettre les poudres de Chypre.

Poudres pour les cheveux parfumées, & paſte pour les mains.

Poudre d'ambrette.
Poudre demy ambrette.
Poudre à deſecher les cheveux.
Poudre de Jaſmin.
Poudre d'Orange.
Poudre de Jonquille.
Poudre de Tuberuſe.
Poudre de mille fleurs.
Poudre de Violette, ſervant à mettre parmi le linge pour ſe parfumer.
Paſte pour blanchir les mains.

Eſſences pour parfumer.

Eſſence d'ambre gris.
Eſſence de Nerolly.
Eſſence de Cedrac.
Eſſence de Bergamotte.
Eſſence de Muſque.

Eſſences & Pomades de fleurs.

Boëtes aſſorties de toute ſorte d'eſſences, pomades, & eaux de ſenteur.
Eſſence de Jaſmin.
Eſſence d'Orange.
Eſſence de Tuberuſe.
Eſſence de Jonquille.
Eſſence de la Caſſie.
Eſſence de Violette.
Eſſence de mille fleurs.
Eſſence de Roſmarin.
Pomade de Jaſmin.
Pomade d'Orange.
Pomade de Tuberuſe.
Pomade de Jonquille.

Paſtilles de bouche parfumées.

Paſtilles à l'ambre de toute ſorte.
Muſcadins ambrés, ſervant auſſi à parfumer.
Paſtilles de Citron.
Paſtilles de Violette.
Muſcadins de Violette.
Paſtilles de Roſé.
Muſcadins de Roſé.
Paſtilles de Giroffle.
Muſcadins de Giroffle.
Suc de Regliſſe blanc ambré.
Suc de Regliſſe jeaune de Violette.

Parfums des chambres.

Caſſolettes de cuivre, à mettre ſur un rechaud, pour parfumer la chambre.
Paſtes pour mettre dans les caſſolettes.
Paſtilles à brûler.
Oyſellets de Chypre à brûler.

Parfums des poches.

Caſſolettes d'argent à 4. eſtages garnies.
Beaume apoplectique.
Beaume de Giroffle.
Beaume de Canelle.
Beaume de Thin.
Miſtions d'ambre.
Carreaux de poche.

Bourſes parfumées & ſans parfume.

Bourſes peaux d'Eſpagne en broderie garniés.
Bourſes peaux d'Eſpagne en broderie.
Bourſes peaux d'Eſpagne unies.
Bourſes peaux d'Eſpagne en broderie à la Cardinale.

Bour-

Bourſes peaux d'Eſpagne à la Cardinale unies.
Bourſes à fonds d'or avec perles.
Toute ſorte de bourſes ordinaires.

Bijoux ou toute ſorte de Galanterie.

Eſvantails parfumés.
Eſvantails en mignature parfumés.
Eſvantails peaux d'Eſpagne.

Pour l'embelliſſement & conſervation du taint des Femmes.

Pomade de beaume blanc, qui unit & conſerve taint, bonne encore pour les enfans gâtes de la petite verole.
Pomade de blanc de perles.
Pomade de porcellaines.
Pomade de blanc d'Eſpagne.
Pomade pour les leures.
Pomade pour les dents
Eau de beaume blanc.
Eau de blanc de perle.
Eau de porcellaines.
Eau de blanc d'Eſpagne.
Laict virginal blanc.
Eau de la Reyne d'Hongrie blanche pour le viſage.
Laict virginal ordinaire.
Eau de Citterée.
Verjus preparé.
Fiel de bœuf preparé.
Eau de mirrhe.
Rouge d'Eſpagne en porcellaine.
Rouge d'Eſpagne en feuille.
Mouches fines & communes.
Gomme d'Angleterre.
Loups de Velours avec une peau preparée pour le viſage.
Toilles des maſques preparée pour le viſage.
Blanc de perle.
Blanc de porcellaines preparées.
Blanc d'Eſpagne.

Pour blanchir les dents.

Oppiatte pour blanchir les dents.
Oppiatte en bâtons.
Poudre de Corail preparée.
Bâtons de Gimauve.
Eſponges pour les dents.

Eaux pour faire ſentir bon.

Eau d'ange muſquée.
Corps d'au d'Ange.
Eau de la chartreuſe.
Eau de mille fleurs.
Eau de fleur d'Orange.

Eaux pour la ſanté.

Eau de la Reyne d'Hongrie.
Fioles de Cryſtal.
Eau de Thin.
Eſprit de Vin.
Eaux de vie.

Sirops pour rafreſchir.

Sirop de capillaire parfumé.
Sirop de capillaire à la fleur d'Orange.
Sirop de capillaire ordinaire.
Sirop de Grenade.
Sirop de Viollete.
Aigre du Cedro.

Savonnettes parfumées.

Savonnettes groſſes à l'ambre.
Savonnettes ordinaires à l'ambre.
Savonnettes groſſes de Nerolli.
Savonnettes ordinaires de Nerolli.
Savonnettes communes.
Eſponges pour le viſage.

Boiſſons & Liqueurs.

Roſſoli de Turin de toute ſorte.
Roſſoli d'eau de fleurs & ambré.
Angelique ambré.
Eau de mille fleurs.
Eau de Cette rouge ambré.
Eau de Cette blanche ambrée.
Eau de Canelle rouge parfumée.
Eau de Canelle blanche parfumée.
Chocolat, Cophé & The preparé & parfumé.

Tabac en poudre parfumé.

Tabac de pogibonci à l'ambré.
Tabac de pogibonci muſqué.
Tabac de pogibonci aux fleurs.
Tabac de Franchiſpane ambré.
Tabac de Franchiſpane muſqué.
Tabac de Franchiſpane aux fleurs.
Tabac de Malthe ambré.
Tabac de Malthe muſqué.
Tabac de Malthe aux fleurs.
Tabac d'Eſpagne ambré.
Tabac d'Eſpagne muſqué.
Tabac d'Eſpagne aux fleurs.
Tabac de Nerolli.

Parfumes d'herbes fortes.

Toillettes en broderie d'herbes fortes.
Carreaux piqués appelles Sultans grands d'herbes fortes.
Carreaux piqués appelles Sultans petits d'herbes fortes.
Carreaux de licts d'herbes fortes.
Carreaux de poches d'herbes fortes.

APPENDIX III.

Pretium Exoticorum in Belgio.

BAlſ. d. Rakaer ℥j. Floren. 1. - 4. Stuver.
Vulnerar. Ind. rubr. ℔j. Fl. 12.
Quint. Eſſ. de benillæ ℥j. Fl. 3.
Herb. acmella ℥i. Fl. 12.
Spir. acmellæ ℥j. Fl. 1. - 4. Stuver.
Herb. paragrai Ind. ℥j. Fl. 2.

Herb.

Herb. Origan. Cret. ℔j. Fl. 1. - 10. Stuver.
puleg. Cretic. ℔i. Fl. 1. - 10. Stuv.
Rad. Pareira brava ℥j. Flor. 5.
Hypocacuann. ℔j. Fl. 8.
Serpentar. Virg. ℔j. Fl. 8.
Sinica virtuoſa ℔j. Fl. 24.
Ninzi ℔j. Fl. 38.
Cort. Culilaban. ℔j. Fl. 4.
canell. d. Malt. ℔j. Fl. 1. - 8. Stuv.
jubeba ℔j Fl. 12.
maſſaji ℔j. Fl. 4.
ſcacarill. ℔j. Fl. 1.
Winteran. ver. ℔j. Fl. 1.
timiana ℔j. Fl. 1.
Lign. Carabaccin. ℔j. Fl. 3.
Sem. aniſi ſtellat. ℔j. Fl. 10.
daturæ Ind. ℔j Fl. 6.
amomi ℔j. Fl. 1.
carpobalſ. veri ℔j. Fl. 6.
caryophyll. pleni Fl. 2.
anthophyll. Fl. 3.
Nuc. moſchat. mas Nr. j. - 3. Stuv.
Faba S. Ignatii N. j. - 18. Stuv.
Placenta Catagambir. N. j. Fl. 1.
Lap. de Pedr. Porc. verus, van na d. proportie 200. 300. 500. à 1000. Flor.
Bezoar Orient. elect. ℥j. Fl. 36. à 40.
dito Occid. 40. 50. à 60. Stuv.
Cormandele verus Fl. 5.
Lap. de Goa vel Cordial. Fl. 6.
Lap. Comitiſſ. de Kent c. ambr. Fl. 4.
dito ſ. ambr. Fl. 3.
Lap. Cobera d. Capell. N. j. - 12. à 20. Stuv.
Ægagropilæ ℥j. Fl. 6.
Linum Catharticum ℔j. Fl. 5.
Sal Cathartic. Epſon. ℔j. Fl. 1. 16. St.
Gumm. Kiekekamalo ℔j. Fl. 2.
Galiæ ℔j. Fl. 1.
Ol. macis expr. liquid. Ind. ℥j. Fl. 3.
N. Moſchat. expr. ℔j. Fl. 12.
dito Ind. ℔j. Fl. 12.
℥j. Ol. anodyn. Ind. Fl. 2.
arboris vitæ Fl. 2.
℥j. Ol. aromat. Ind. Fl. 14.
aurant. expr. Fl. 3.
caphur. ex rad. Cinam. Fl. 1.
Cardamom. Ind. Fl. 4.
Canang Ind. Fl. 12.
Caſaminar. Ind. Fl. 4.
Cinamom. Ind. Fl. 18.
dito noſtr. Fl. 14.
Citr. Italic. Fl. 3.
cochlear. Fl. 10.
cubebar. Fl. 3.
Culilaban Ind. Fl. $3\frac{1}{2}$.
dracunculi Fl. 3.
Embryon. Fl. 3.
Galangæ Fl. 4.
Gratiæ albæ Ind. Fl. 2.
Kikekamalo Ind. Fl. 2.
Lign. Rhod. opt. Fl. 6. à 7.
macis Ind. deſtill. Fl. 5.
Cedro Ind. Fl. $3\frac{1}{2}$.
nuc. moſchat. Ind. Fl. $3\frac{1}{2}$.
Neroli Italic. Fl. 4.
Origan. Cretic. Fl. 2.
meliſſæ ver. Fl. 8.
malabatr. Fl. 3.
piperis Ind. Fl. 4.
pomor. Ind. Fl. 3.
pulegii Cret. Fl. 4.
podagric. Ind. vel anod. Fl. 2.
Puirat ex flor. Ind. Fl. 6.
ſantal. citr. Fl. 6.
ſaſſafr. Ind. Fl. $1\frac{1}{2}$.
ſquinanth. Ind. Fl. 5.
Vini ver. Fl. 4.
Zedoariæ Fl. 4.
Zerreæ Ind. Fl. 4.
Zinziber. Fl. 5.
Balſ. d. Mecca vel Opobalſ. Ver. Fl. $2\frac{1}{2}$.
Tolutan. liquid. Fl. $1\frac{1}{2}$.
dito ſiccum ℔j. Fl. 10.
Copaivæ ℔j. Fl. $1\frac{1}{2}$.
Peruvian. nigr. ℔j. Fl. 8.
Indic. alb. ℔j. Fl. 3.

MI-

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI

INDIA LITERATA;

SEU

DISSERTATIONES EPISTOLICÆ

DE

PLANTIS, ARBORIBUS, GEMMIS ALIISQUE RARIORIBUS, AD SCRUTINIUM NATURÆ ARTEMQUE MEDICAM SPECTANTIBUS,

AB

EUROPÆIS CURIOSIS ET ERUDITIS,

CLEYERO, RUMPHIO, HERBERTO de JAGER, ten RHYNE, KÆMPFERO ALIISQUE IN INDIA RECIPROCATÆ

ET

EX AUTOGRAPHIS ILLORUM BELGICIS

antehac in linguam Germanicam translatæ, nunc verò Exterorum gratia Latinitate donatæ

à

CHRISTOPHORO BERNHARDO VALENTINI M. B. Fil.

FRANCOFURTI ad MOENUM

Proſtat apud HÆREDES ZUNNERIANOS.

MDCCXVI.

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI INDIÆ LITERATÆ

PROOEMIUM.

INter alia ſubſidia & adminicula, quibus tam in perſcrutatione rerum naturalium, quàm inventione pharmacorum probatiorum utimur, haud minimum eſt indefeſſum commercium literarium, cum Amicis inter Exteros viventibus inſtituendum, utpote quod non tantum Mercatoribus & Negotiatoribus, cumprimis autem Aromatariis, ſummè proficuum & neceſſarium eſt, ſed & Eruditis ad quamplura, antea prorſus incognita, obtinenda viam ſternit. Quemadmodum verò illi, qui mercaturam exercent, commercium ſuum literarium (correſpondentiam vulgò dictam) utplurimum clam aliis reciprocant & in arcanis habent: ſic ècontra Eruditi non tantùm alios Amicos literarum aliunde obtentarum participes reddunt, ſed & typis publicis haud rarò committunt, ut tot Epiſtolarum Scriptores *atteſtantur, quorum integrum & prolixum catalogum in Præfatione Epiſtolarum, à Thoma Bartholino in itinere conſcriptarum & abhinc III. Centuriis editarum conſpicere licet: quibus Illuſtris Carteſii Epiſtolas, ad principia ſua Philoſophica contra Gaſſendi aliorumque objectiones defendenda conſcriptas, Bocconi Inquiſitiones naturales & Levvenhœckii epiſtolas ad Societatem Regiam Londinenſim, Timæi item à Güldenklee, Dolæi & VValdſchmidii Epiſtolas Amœbeas, Diſſertationes noſtras Epiſtolicas & (ſi & fictas in ſpeciem literas addidiſſe licet) nuper admodum in Saxoniâ editas & ſub Tit. Epiſtolarum interceptarum (aufgefangene Briefe) in vernaculâ conſcriptas literas quis addere poſſet. Quam maximè autem commercio hôc epiſtolicô intuitu rerum naturalium in diſſitis longè regionibus, India v. g. Orientali & Occidentali, provenientium, indigemus admodùm, dum illi, qui aliorum negotiorum & mercaturæ cauſâ eò proficiſcuntur & abhinc in ſuis Itinerariis illorum mentionem faciunt, parcam vel omninò nullam eorum informationem habent, ſed tanquam auriti ſolùm teſtes omnia referunt, &, ſi falſiloquia è longinquô ſpargant, intus & in cute ſæpe gaudent. Quæ fortè cauſa eſt, cur Illuſtris Societas Indiæ Orientalis Belgica, non ſine laudabili cautelâ, Legatos illos, aut (ut vulgò audiunt) Commiſſarios, ad plantationes ſuas aliosque locos transmittendos, primùm ſacro jurisjurandi vinculò adſtringat, ut in Relationibus ſuis nil niſi veritatem illibatam proferant, quibus*

eâ de causâ major semper fides adhibenda est. Quandoquidem verò & hi tales sæpissime rerum naturalium prorsus sint ignari, atque de iis, quæ ad res mercatorias magè faciunt, solliciti tantùm sint: hinc tutius ab Eruditis & Curiosis, in locis Indiæ viventibus, ea, quæ Studium Naturæ Artisque Medicæ concernunt, & ab iis curatius & perfectius explorari possunt, expetere æque ac expectare possumus. Quem in finem tot Membra Celeberrima S. R. I. Academiæ Naturæ Curiosorum in Germaniâ, Volckamerus sc. Schrœckius, Menzelius (à Potentissimo Borussiæ Rege hunc in finem lautissimo stipendio donatus) Schefferus, ut & Inclytus Ludolphus aliique, cum Eruditis in Orientali India, Cleyero, Jagero, Rumphio, ten Rhyne similibusque commercium literarium aluerunt; quorum observationes & epistolæ jam ex parte in Miscellaneis Curiosis occurrunt. Majorem verò lucem illæ nobis literæ atque scripta fœnerari possunt, quæ posteriores in ipsa Indiâ Orientali inter se reciprocârunt, quibus se mutuò æmulando & in multis contradicendo se ad uberiorem & curatiorem inquisitionem excitârunt & stimulum non inutilem addiderunt: quô fieri non potuit, quin ea, quæ alioquin in abscondito mansissent, in apricum deducta fuerint. Exemplum hujus rei, notatu dignissimum, in hâc ipsâ nostra India Orientali Literata *se trudit, & quidem in Sandalo rubrô, cujus origo atque patria nunquam tam exactè & dilucidè detecta fuisset, nisi Doctissimus Dn. Herbertus de Jager cum sedulo & curiosissimo Rumphio contentionis serram toties & tam fervidè de eo reciprocasset. Quoniam verò in illorum literis adhuc alia, eaque curiosissima & hactenus ferè inaudita, continentur, non destiti, nec prius arquiescere potui, quàm manuscripta utriusque & autographa, ex hæreditate B. Dn. de Jager in Germaniam allata, à Dn. Johanne Godofredo Vito, Aromatario VVormatiensi & ex Indiâ Orientali reduce, utut non sine prece pretioque, obtinuerim, ut eadem, cum aliis juratis Relationibus, è linguâ, quâ conscripta erant, Belgicâ, in Vernaculam Germanicam primùm, nunc verò simul in Latinam transferre & cum Eruditis per typum publicum dividere possem, eoque magis, quòd ob analogiam argumenti* Musæo *nostro* Musæorum *haud ineptè combinari possent. Quemadmodum ergò nullus dubito, haud paucis harum rerum æstimatoribus, & Curiosis Naturæ Scrutatoribus non ingratum hoc ipsô officium fuisse præstitum, ita simul operam daturus sum, ut quamprimum aliis, consimilibus monumentis, cumprimis accuratissimâ* Descriptione Concharum Ambonensium, *quam sæpius laudatus Rumphius (à perpetuâ illarum inspectione tandem oculorum lumine privatus) in scriptis reliquit, iisdem complacere valeam. Hâc vice autem pro coronide adjicio curiosissimam non minus, quàm accuratissimam* PALMÆ DACTYLIFERÆ, *seu* PHOENICIS PERSICI, Descriptionem, *ab Anonymo erudito (quem Excellentiss. Dn. Engelbert. Kæmpferum, in Persiâ & India Orientali diu versatum, esse, binæ literæ initiales nominis me credere jubebant) ad Illustrem Dominum van Reede in India Orientali (unde eandem per amicum obtinui) olim Latinè sic perscripsit: quam nuper admodum cum Figuris æneis ipse Dn. Autor in* Amœnitatibus *suis* Exoticis *in lucem edidit. Accesserunt etiam APPENDICES aliquot, ad Historiam Simplicium fundamentalem & reformatam apprimè facientes. Omnia in honorem Creatoris commodumque Proximi!*

INDIÆ

INDIÆ LITERATÆ EPISTOLA I.

DN. GEORGII EBERHARDI RUMPHII

Ad

DN. HERBERTUM DE JAGER.

OCcasio hactenus mihi tantum non favit, ut Tibi, Vir Honoratissime literis quibusdam inservire potuerim: quod ipsum diutius differre nequeo, quùm in diversis Amicorum, Bataviæ novæ viventium, literis Tuo nomine salutatus fuerim, simulque relationes & descriptiones aliquot plantarum, in australi Indiæ parte provenientium, & erudito Tuo calamo descriptarum, obtinuerim, è quibus pace Tuâ nonnulla opusculo meo de Plantis Ambonicis (utut Tuó sub nomine) sparsim inserui & quantum ad illarum explanationem necessarium videbatur, applicavi: quem conatum meum haud iniquè feret Dominus Honoratissimus.

Inter alia à Dn. Cleyero descriptio seminis contra vermes, vel, si mâvis, *seminis sancti*, communicata fuit, quod Nob. Tua pro Abrotoni specie, vulgares autem Botanici pro Absinthio Seriphio venditant. Nonnulla item de *Catsio*, vel *Lycio Indicó*, aliaque ad considerandum transmissa, quæ tamen parum aut nihil ad meum propositum facient, siquidem de nullis ego plantis sollicitus ero, nisi quarum species aut genera quædam in Amboina propullulant. Magis autem Descriptio *Palmeiræ bravæ*, popularibus nostris *Palmeer*, aut *Jagar-boom*, hîc locorum autem *Lontar* dictæ, inservit. Relationes de arboribus *Camphoram Benzoinumque* fundentibus etiam desideraveram, quò videre possem, an illarum species quædam heic in Amboina reperiantur: quæ omnia superiori anno à Dn. Jacob de Vicq mihi tradita sunt, qui simul descriptiones plantarum quarundam Ambonensium pro Nobilitate Tua desiderabat. Summoperè tunc, ut denuò repeto, me excusari petii, quod mutuo, prout decet, officio defungi non potuerim, cum prolixæ admodum descriptiones illæ sint & nonnisi unicô Amanuensi gaudeam, qui nullis aliis laboribus, quàm manuscriptis meis in ordinem redigendis mundandisque dicatis, vacare potest, quibus ob ingruentem ætatem meam decrepitam non multum temporis supereſt, dum interim necessarium, utut concisum, literarum commercium satis mihi negotii facessit. Cæterùm hisce testari volui, me, si unquam fieri poterit, brevibus subindè relationibus & responsionibus Tibi ὁλοκαρδίως gratificaturum esse. Interea temporis Domino meo Honoratissimo ea, quæ Dn. de Vicq à me obtinuit, in quamplurimis argumentis servire poterunt; quò etiam genuina & naturalis descriptio arborum *nuces moschatas* & *caryophyllos* ferentium, quam præsentium exhibitor, Fiscalis Noster, Dn. Abraham Boudens (prout ipse, ut asserit, consignavit) offeret, numerari poterit. Huic ipsi quoque aliquid de *Caryophyllis Regiis* Ambonensibus tradidi, qui à decem jàm annis heic in Amboina in duabus vel tribus arboribus observati sunt: attamen notabiliter à veris Ternatensibus Caryophyllis Regiis differre videntur, de quibus post generalem illorum eradicationem ne ulla quidem arbuscula per universum Orbem amplius reperitur. Harum tamen tres illi simul insinuavi, Tibi quidem adferendos, & per XXVI. annos à me asservatos, qui utique mererentur, ut ad speciem externam salvandam depingerentur, aut delinearentur. Nos hâc vice Pictore destituti sumus, & ni futurò annô aliquem hîc obtinuerimus, opus meum, intuitu figurarum æneārum, mancum & mutilum manebit.

Aliquoties hactenus fragmenta quædam *ligni sandali rubri*, una cum descriptione, è quâ regione proveniat, quæsivi, aſt nihil certi usquedum obtinere potui, cùm illud, quod è Batavîâ Novâ mihi transmissum fuit & antea hinc inde vidi, utplurimum à ligno Caleaturico non differat. Quoniam igitur Dominatio Tua superiores Indiæ Antiquæ tractus trajecit, speciatim autem partem Coromandel & Orixam, (cui Lusitani Tanassarim, unde Garzias aliique Sandalum rubrum derivare conantur, quod illic circa urbem Caleaturum succrescere dicitur, adjiciunt;) hinc Eandem etiam atque etiam rogare cogor, ut aliquid certi solidi-

que de eô mihi communicare & si fieri posset, frustulo sandali veri mihi prospicere haud gravetur. Meam quod attinet tenuitatem, lignum Calcaturicum pro sandalo rubro agnoscere non possum, utut D. Cleyerus mihi testatus fuerit ab omnibus Medicis & Physicis Bataviæ pro eô venditari. In eam potius sententiam inclinarem, verum sandalum rubrum in universa Orientali India non reperiri, quod Veteres Arabes è tractibus Africæ Orientalibus illisque vicinis Insulis, cumprimis Insula Madagascar attulerunt; quapropter usquedum adhuc à Malaijanis cognomine Arabico, *Tsiendana Zangi* vel *Zingi*, h. e. Sandalum Æthiopicum vocatur, cui qualitates refrigerandi, validè adstringendi venenoque resistendi adscribuntur, de quibus virtutibus in ligno Calcaturico ne ipse quidem propriâ observare licuit experientiâ, verius autem contrarium. Ad hæc à Domino meô Honoratissimo informari desiderarem, an in Veteri India alius *Calamus Aromaticus* inveniatur, quam is, qui Malaicè Deringo, Malabaricè autem Vasomba dicitur & nihil aliud quàm Acorus verus est. Apud Garziam ab Hortô adeò confusè & obscurè describitur, ut nihil certi inde concludere possim: quemadmodum & in duobus, qui hactenus lucem viderunt, Tomis Horti Malabarici nequicquam de eô reperire licuit: quod Opus vastissimum mihi aliisque Malabaricorum vocabulorum ignaris obscurum minusque intelligibile videtur. Alias ipse mihi Clavim aliquam in Opus isthoc formavi, cumprimis quoad illas plantas, quas ex descriptione & figura æneâ dignoscere licet, quâ ratione sc. in hisce Insulis & Malaijanâ Linguâ vocentur.

Per supradictum Dn. Boudens Dominationi Tuæ fasciculus seu corbis minor Lit. H. D. I. signatus tradetur, in quo *Tuber Regium*, seu *Ubi Radzja*, una cum Fungis infundibuli-formibus & apertis reperitur, & à Dn. de Vicq proficiscitur. Constat id è tuberibus crassis, è terrâ pinguiori sponte, magnitudine unius vel alterius pugni, provenientibus, extus atrogryseis, ita quidem, ut sub effossione pro lapidibus habeantur & propterea non facile obtineantur, antequam fungos infundibulo-formes habeant, quod tamen rarò & tantùm Mense Novembri, sicco admodum tempore accidit. Intus cretæ instar albicant, prorsus exsucca, nullius saporis aut odoris notabilis. Ab Incolis hujus Regionis pro medicamentis contra diarrhœam habentur, cum validè adstringant. Comeduntur vel è manibus, vel in rasurâ cum oryzâ, aut farinâ arboris Sagu miscentur. Utplurimùm similitudinem aliquam habent cum radice Sinicâ Hochin, quam P. Martinius in Atlante suo Sinico tanquam genuinam radicem Chinæ describit & Folin nominat. De supradicta *Ubi Radzja* duo specimina cum fungis, & duo sine fungis obtinebis, quæ in horto terræ imponenda sunt, ubi suo tempore, calido sc. & pluvioso, Fungi se trudent, qui teneri adhuc & recentes culinæ & cibo inserviunt. Quodsi Honoratissimus Dominus meus, ut Amici nonnulli famaque communis ferebant, hanc Provinciam ipsemet invisere potuisset, sub diversis conventibus stomachum iisdem implere potuissemus, quod nunc alia negotia vetârunt. Malaijanum aut Javânense nomen illius *Cynosbati*, qua Batavia obsepta est, scire quoque averem, cùm mediante semine, ex Java nobis transmissô, etiam hic in Amboinâ nostrâ illam vegetari vidimus. Quibus, præmissa prius salute cordiali, Divinæ Nos protectioni, Tuo autem favori me commendans æternum persevero

T. T.

Amboinæ die 20. Maji 1683.

RUMPHIUS mpr.

EPISTOLA II.

DN. HERBERTI de JAGER

AD

DN. GEORGIUM EBERHARDUM RUMPHIUM.

Honoratissime Dn. Rumphi

Scrutator Naturæ penetrantissime æquè ac Æstimatissime!

IN votis habuissem, ut navi hâc altum maris conscendente tantis Nobiliss. Societatis negotiis (contra omnem expectationem) obrutus non fuissem, vel potius (ne me ipsum excusare videar) tamdiu non distulissem, quò me fusius & dilucidius explicare Tibique magis satisfacere potuissem, quùm juxta modulũ scientiæ & cognitionis (quam exiguam in me esse novi)

vi) rerum Botanicarum lubentiſſimè iis, quæ Nobilitas Tua in literis ſuis partim Mercatori, Dn. de Vicq, Amico meo intimo, partim Dn. Clevero commendârat, quoad omnia gratificaturus ſim.

Quod jam ea, quæ me concernebant, attinet, Dn. de Vicq materias mihi commiſſas è literis ſuis prælegit, Dn. Cleyeri Commiſſarius autem puncta me concernentia legenda dedit: è quibus magnâ cum voluptate percepi, ea, quæ Nobilitati Tuæ per ſupradictos Dominos & Amicos transmiſeram, haud ingrata fuiſſe. Nil ergo magis in votis haberem, quàm ut impoſterum aliis quampluribus deſiderio Tuo ſatisfacere poſſem, dum me obſtrictiſſimum eſſe ſentio omnia ea ſponte conferendi, quæ ad nobiliſſimum, quod meditâris, opus aliquid contribuere valeant. Interim doleo eò præcisè tempore per Amicos illos Te meo nomine compellatum fuiſſe, quò tot negotiis obruebaris, dum ipſe fateri cogor, quod tempus & aſſiſtentia Amanuenſis majori cum emolumento in Boni Publici uſum, quàm propoſitarum à me quæſtionum reſolutionem, elocari poſſint, ſanctè promittens me poſthâc libertate Te interpellandi non abuſurum, neque tot moleſtiis obruturum eſſe; quemadmodum Tuo ſimul arbitrio benevolo relinquo, petiris meis neutiquam diutius, quàm res ipſa requirere videtur, inhærendi, ne ἐγγρ illud quovis modò impediatur aut ſuffla-minetur.

Interea gratias, quas mente concipere poſſum, ago maximas, quod Domino de Vicq indulſeris, ut Deſcriptionem Tuam *Nucis Myriſticæ & Arboris Sagu* (cujus copia mihi jamdum facta eſt) mecum communicaret, quæ me ſummè recreavit, ita ut ex hoc fragmento, tanquam ex ungue leonem dignoſcendo, prævidere potuerim, quàm egregium & proficuum opus id omnibus Eruditis in Europa futurum ſit. Vehementer autem doleo, quod ob aſthma aliquod & moleſtiſſimum pectoris affectum, cui indies magis magisque obnoxius reddor, tantum mihi vitæ reſiduæ promittere non poſſim, ut Opus hoc typis expreſſum etiam videre liceat, providentiæ & neceſſitati naturæ me hâc in parte patienti æquove animô ſubmittens. Quodſi verò DEUS T. O. M. me in vivis ſuperſtitem clementiſſimè voluerit, certus & omninò ſecurus ſis, obſecro, me ne ullo quidem apice literarum, niſi qui me Autorem agnoſcat, in publicô compariturum eſſe; quemadmodum obſervo Tuam pariter Nobilitatem hanc ſibi legem poſuiſſe & in reliquis omnibus candidum & ſincerum ſe præbere. De nullo quoque argumentô ſum acturus, niſi cujus exactiſſimam notitiam & experientiam habuero, & plenariam informationem ipſemet obtinuero. Quodſi autem aliorum quoque laboribus uſurus ſim, non tamen aliô, quàm Ejus fiet nomine, cujus benivolæ communicationi eos in acceptis fero, modò pace quoque Ejus fieri poſſit: quemadmodum & Nobilitas Tua iis, quæ de Palmeira arbore conſcripſi, in quantum ad ſcopum ſuum videbitur inſervire, tutò & audacter uti poterit, dum me feliciſſimum æſtimavero, ſi Dn. meo honoratiſſimo iis ſervire potero.

Ut verò rem ipſam aggrediamur, inter nomen ad Dn. de Rheede poſitum atque noſtrum tanta differentia neutiquam intercedit, quanta ſub primo intuitu iis, qui linguarum ſunt ignari, videri poſſet, cùm arbor hæc in lingua Malabarica proprie *panè* & non pana, ut Dn. de Rheede ſcribit, vocetur, quod ipſum tamen parum importat. Vox *metem* verò, in tractatulo meô addita, in eâdem notat arborem, non ſecus ac vocabulum Wruksjam, quod in Sanskritica, h. e. docta Brachmanum linguâ, voci *Talaba* vel *talæ* jungitur, eandem ſignificationem habet; quapropter illud prius utplurimum voci Malabaricæ *panè*, & poſterius in altera lingua verbo *tala* conjungitur; quod Brachmanum vocabulum ubique patiter in Macaſſar uſitatum eſt, ubi arbores hæ *tala*, ſicut in Inſulâ Java *Tal* vocantur, ut Nobilitati Tuæ ſatis ſuperque cognitum erit: haud aliter ac nomen *Lavvang'am* aut *Lavvang*, quod in eâdem eruditorum linguâ caryophyllos aromaticos denotat, ſimiliter in Inſulas Moluccas & ipſam Amboinam translatum fuit, prout Paganiſmus è tractu Coromandel olim tam in Javam, Baly &c. quam in Malajam haud exiguam linguæ ſuæ partem derivavit. Cæterùm ut ſine ulterioribus ambagibus negotio huic inſiſtamus, vox *carim*, quam Dn. de Rheede voci panà jungit, in linguâ Malabaricâ mixtum notat, ad differentiam alius ſpeciei panà, cujus folia quodammodô candidiora ſunt, quàm prioris ſortis.

Quod autem vocabulum *Tamado*, priori Talà ſubjunctum, attinet, ejus ſignificatio me latet, & ſine dubiô vocabulum Canarienſe, aut aliud in Kaukan uſitatum, nec eruditæ Brachmanum linguæ proprium eſt, in qua ex parte & in tantum ad minimum verſatus ſum, ut idem neutiquam Sanskriticum eſſe dignoſcere valeam: utut Dn. de Rheede in toto ſuo opere hanc ipſam generaliter pro ipſâ Brachmanum linguâ venditet. Interim in quamplurimis vocabulis illi congruit, aut interdum parum inde deflectit, imò & iisdem literis utitur & in ſcribendo inſignem ſimilitudinem habet, qua lingua Sanskritica & Indoſtanorum exprimitur. Huic ergò arbori in lingua Indoſtanorum nomen *Taar*, cum additione vocabuli *dzjaar* (quod in eadem linguâ arborem notat) tribuitur. Quando jam particula *hi*, quod genitivi ſignum eſt, nominativo præfigitur, combinando *Taar hi dzjaar*, h. e. Palmam, ſonat. Ab hoc vocabulo *Taar* vulgatum *Tari* derivatur, potum ab hac arbore petitum denotans, & non tantùm ſucco huius arboris, ſed & palmæ ſylveſtri, dactylos ferenti, imò & aliis arboribus, ſuccum aliquem fundentibus, commune eſt,

quem-

quemadmodum in Suratta vocabulum hoc eandem ubique ſignificationem habet. Lingua Telingaſica, cujus in tractatulo meo pariter mentionem feci, à Malabarica quoque differt & tantùm in tractu bozeali regionis Coromandel, verſus Bengalam, obtinet & longis aliis literis utitur quàm priores linguæ. Aliàs arbor hæc linguâ Javanica & Malaijanâ quoque *Lontar* dicitur, ejusque maxima copia in Bataviâ nova, cumprimis in urbe Bantam, obſervatur, ubi & foliis ejus utuntur pro literis inſculpendis; quâ de cauſa denominationem hujusque derivationem, quoad ultimam linguam, acu tetigiſti. Licet autem fieri potuerit, ut arborem hanc Lariquiæ quoque videris, attamen fœmina à mare, antequam fructibus ſuis ſuperbiant, difficulter admodum diſtinguitur, adeoque adhuc in dubio manet, an illic *Carim-panè* vel *Am-panè* h. e. marem aut fœminam palmam reperieris, quod ipſum fructus, Javanis *Sibalon* dictus, docere debet. Quoniam verò deſcriptio & depictio utriusque arboris Lib. 2. Horti Malabarici à Dn. de Rheede prolixè fuſeque ob oculos ponitur, hinc ulteriore deductione ſupersedere poterimus. Hoc tantùm adhuc monere volui, quod, ut mihi quidem videtur, Luſitani arbori huic nomen *Palmeira bravva* dederint, quoniam absque ullâ cultura atque plantatione propullulat & in denſiſſimas ſylvas ſuccreſcit: quemadmodum & in tractu Coromandel talia arboreta ad aliquot milliarium longitudinem inveni. Similiter ſilentio (antequam argumentum hoc prorſus derelinquamus) involvere nequeo, vocem *Jagra*, aut *Saccharum Jagar* non tantùm ſaccharo ab arbore hâc proficiſcenti unice & propriè attribui, ut opinari videris, ſed & ſaccharo ab arboribus Nuces Cocos ferentibus parato, imò & aliis ſpeciebus ſacchari nigri, in maſſis conſervati & ex ipsâ cannâ ſaccharifera expreſſi, communem eſſe: utut majori jure ſaccharo ab arboribus provenienti competat. Quibus jam diverſis nominibus hujus arboris me ſatisfeciſſe puto, prout in literis ad Dominum de Vicq à me deſideraveras.

Species *Caldeiræ*, ſeu magis propriè *Cardoeiræ*, in his Inſulis quoque ſatis frequens eſt, quam lingua Malaijana *Bangkovvan* & illam ſpeciem, quæ muſcum floridum & fragrantem præbet, *Pandum* eâdem linguâ vocant, quò nomine quoque flos inſignitur. Duæ autem ejus ſpecies reperiuntur, quarum altera folia ſpinoſa, altera verò non ſpinoſa habet, quæ poſterior hic utplurimum reperitur, ita ut Javæ Incolæ è foliis Bankovvan hic & in Palimbang notiſſimum *Kudzjang* (quod ſpecies mattæ junceæ, in uſum tegminum cedentis, eſt) ut Nob. Tuæ non minus, quàm mihi conſtabit.

Ubi radzia potius ſolani tuberoſi, ſeu tuberum terræ, ſpecies videri poſſet, quàm ſpecies Oebi, ita ut radix ſit ſpecies tuberis eſculenti, Italis Tartofoli & Gallis Truffles dicti, capitulum ſuperius autem fungus appareat, quantum ex eò, quod apud Dn. de Vicq videre licuit, concludere potui. Interim examen hujus meæ opinionis Tuo, Vir Honoratiſſime, judicio committo tuamque de hâc re ſententiam expecto.

Quandoquidem & vocem *Culit Lavvang* in epiſtolâ ad Dn. de Vicq adductam viderim, intuitu vocis Lavvang, quæ juxta Brachmanum & Indoſtanorum linguam caryophyllos aromaticos denotat, in eas cogitationes incidi, annon cortex hic potius cortex arboris caryophylliferæ ſit, ut vis hujus vocis inferre videtur, aut à ſpuria quadam arboris hujus ſpecie proficiſcatur, cujus alia, quam veræ forma ſit? quemadmodum Golkondæ, in Pharmacopolio aliquò ſub caryophyllorum ſylveſtrium nomine ſimiles fructus vidiſſe mihi videor, unde ſpecimina quædam conſervavi & neſcio in quem locum repoſui. Quoniam verò tempus jam non patitur, ut in eosdem inquiram, non deſinam impoſterum eosdem quærere, & ſicubi invenero Nob. Tuæ transmittere, ejus deſuper judicium expectando, an opinio me fefellerit nec ne? ſi & ipſemet inſtructus eſſes de ſylveſtri quadam caryophillorum ſpecie, obnixè peterem, ut quosdam mihi communicares, quò cum illis, quos è Golkonda obtinui, conferri & quousque à ſe invicem differant, obſervari poſſint.

Ex eâdem quoque epiſtolâ Tua certior ſum redditus, lignum *Ringò* ab arbore Angſana proficiſci, quam optimè novi, utut nuſpiam (in quantum recordari poſſum) eandem viderim, quàm in Bataviâ. Fundit is aliquam *Sanguinis Draconis* ſpeciem; quamvis optimum gummi hujus nominis in arbore Ligni Caleaturici reperierim, coloris intensè rubicundi & quovis etiam Rubino de Pegu clarioris; quemadmodum & Golkondæ in gloſſario quodam, in quo medicamenta Arabica linguâ Indoſtanorum (quot ſc. in horum regione proveniebant) literis Perſicis expreſſa & deſcripta erant, obſervavi, ſanguinem Draconis pro gummi aut ſucco coagulato arboris ſandali haberi, quod è tractu Coromandel, per Indoſtan, & ſecundū noſtram opinionem ab arbore ligni Caleaturici obtinetur, quam arborem ſandali rubri vocant, ut ſæpius ſum expertus & in regionibus illis ſatis conſtat, ipſaque probatio & odor, ſi lignum lapidi impingitur, atteſtatur, cumprimis, ſi vetuſtum inſimul & intensè rubrum eſt. Quodſi fortè arbor hæc etiam in Madagaſcar proveniret & è numero trium illarum eſſet, quas Dn. Flacourt in Deſcriptione hujus Inſulæ enumerat & perhibet, quòd Sanguis Draconis inde exſudet, non tam facile adduci poſſem, ut crederem, illud, quod in Palimbang

limbang è certo cannæ fructu, illîc obviò, vi ignis ſupra aquam ferventem elicitur, genuinum & ſincerum Sanguinem Draconis eſſe, utpote qui ab omnibus omninò Medicis, quantum mihi conſtat, pro gummi aliquo habetur; ut taceam hoc *Dzjerenàng*, quod è fructu illius cannæ paratur & Malaijana linguâ ita vocatur, quoad externam quoque formam ab illo Sanguine Draconis, quem in Pharmacopoliis Perſicis Golkondæ vidi, immane quantum differre, optimè autem cum illa gummatis ſpecie, quam ex arbore ſandali rubri obtinui, convenire. Ad minimum Tibi, Vir Honoratiſſime, dare non poſſum, lignum ſandalum rubrum è regionibus Africanis, circa Sofalam, in quædam Indiæ loca, & exinde in Arabiam transportari, dum notatio hujus ligni, quæ in Malaijana Lingua *Tſiendana Zeng'gi* ſonat & Nobilitati Tuæ ad hanc ſententiam amplexandam anſam dedit, ſufficiens fundamentum non ſuppeditat, cumprimis ſi originem hujus vocis & qua ratione in linguam Malaijanam irrepſerit, conſideraverimus. Derivatur nempe, quantum mihi conſtat, exinde, quod ſinus Æthiopici, ad latera maris rubri, ubi Sinus Arabicus eſt, Arabum linguâ *Zendgi* vel *Zenri*, & juxta Gallicum ſcribendi modum *Zengi* nominatur, ubi litera j, ceu conſonans, vim & expreſſionem g, aut i cui d præfixum, habet, quod vocabulum à Zingis derivatur, in Geographiâ Ptolomæi jamdum obviis, qui extimam ejus partem ad Sinum Barbaricum ponit, ſicut Arabes in deſcriptionibus ſuarum regionum Geographi hujus denominationibus quoque uti conſvevêrunt. Ab hac voce *Zendzj* jam nomen gentile *Zendzji*, Perſonam ex eâ regione, & talem Æthiopem denotans, derivatur, quod & Perſæ in linguam ſuam adoptârunt, ſolitâ tamen iis mutatione lit. z. dziem aut dzi in Ga vel g, quod facere aſſolent, ſi voces quasdam Arabicas, literâ z vel dziem gaudentes, in propriam linguam ſuſcipiunt, quemadmodum idem Linguarum Orientalium Amatoribus in Europâ, qui vel eviter in linguâ Perſicâ verſati ſunt, ſufficienter conſtat: ut adeoque non opus ſit pluribus d exemplis declarare & demonſtrare. Vi modò dictorum ſupradictum vocabulum Perſis *Zengi* dicitur, quô omnes Nigritas, qui criſpis & lanuginoſis crinibus inſtructi & Æthiopes (quos Luſitani & nos ipſi Cafares appellamus) unt, nullos autem alios infideles denominare olent: à quibus tamen illos, qui ex Abyſſina eniunt, nomine *Hhabaſſi*, vel juxta Gallorum ylum, *Hhabachi* diſtinguunt, omnibus verò liis, capillis lanuginoſis, ut dictum, inſtructis omen Zengi tribuunt, ut in Perſiâ ſatis ſuperque obſervavi. Licet verò Perſæ vocem anc, cum pluribus aliis, in Malaijanam Linuam transplantaverint, attamen in hâc, per opum Rhetoricum ſatis notum, aliam ſignicationem eſt nacta, ita ut à nigro colore in illorum corpore conſpicnô in linguâ Malaijanâ nigri quid ſignificet: quô ſenſu quoque in Hiſtoriâ Malaijanâ Hhamrah reperitur; quemadmodum & optimi quivis Malaijani, hunc in finem à me conſulti, in eô concordant, quod vocabulum hoc Zengi, illorum ſtylo Zeng'gi depicto, tantum nigri quid denotet, nulli verò regioni aut nationi applicetur, aut applicari poſſit. Quid quod & regiones aut Inſulæ illæ, quæ linguâ Malaijanâ gaudent, ne minimum quidem de tractu Africanô nórunt, nec unquam (in quantum conſtat & credibile eſt,) navigationem aliquam verſus illum inſtituerunt, ſiquidem in hiſtoriis illarum nihil de eô occurrit, quæ tantùm atteſtantur, quòd olim regionem Coromandel frequentaverint, & tantum aut to. dierum itinere inde diſtantem. Imò & reliquiæ Religionis & inſignis vocabulorum numerus, in Malaijana & Javanorum Lingua occurrens, idem confirmare videtur; ut adeoque vox *Tſiandana Zengi* Malaijanis nihil aliud, quàm nigrum ſeu potius intenſè rubrum Sandalum (quod optimum & ſelectiſſimum) denotet, prout doctiſſimi quidam Malaijani me docuerunt, adeoque à quadam regione ita vocari nequeat, de qua in univerſo hôc nequicquam conſtat. Adhæc incertum quoque eſt, an in regione illâ Sandalum rubrum inveniatur? cùm, ſi illîc inveniretur, oræ Arabicæ profectò nullo modô illud ex Indiâ peterent, regione Zengianâ (ſi quæ daretur) illis vicinâ & adjacente: imò accuratius, quam Malaijani, noſſent, quænam in iis tractibus, quos Coloniæ, ab illis oriæ inhabitarent eorumque linguam maximam ad partem adhuc retinuiſſent, provenirent, cum Malaijani in tantum ab inde diſtârent & per mare adeò proficuum à Zengianis ſeparati & remoti eſſent; & quî, amabo! neſciviſſent, dum aromata & ſimplicia utplurimum nomen ſuum ab iis locis, ubi prima illorum venditio & diſtractio inſtituitur, obtinent: haud aliter ac Luſitani Nuces Myriſticas à primô venditionis locô, in Malaccâ quondam celebri, Nozes de Malacca vocârunt. Imo iidem Malaijani nomen Sandali Zengitici neutiquam à Perſis mutuâſſent, quod, ut ſupra demonſtratum fuit, inde cognomen ſuum obtinuit, nec Arabes ipſi nomen Indicum retinuiſſent, quòd radicaliter è docta Brachmanum (*Bramíner*) Lingua derivatur, quibus Tsjandanam, correptâ mediâ ſyllabâ, aut abſciſſa ultimâ an (ut in Indiâ haud inſolitum eſt) Tsjandam ſonat & in genere quodvis lignum odoratum, ſuccum quendam depingendis aut inungendis corporibus idoneum fundens, denotat. Inde enim nomen Malaijanum Tſiandana provenit, quod Arabes (alia quoque Indorum nomina, ut Myrobolanam, exiguâ mutatione intercedente, ad poſteros traduxere) utplurimum retinuêrunt, niſi quod ultimam literam n in l, primasque literas Tſi, aut Gallorum Ch in Tſ mutârint: Ut adeoque lignum hocce fragrans penes Arabes nomen

nomen *Tſandal* obtinuerit, ab Europæis usque dum retentum; & quoniam Sandalum rubrum eò melius & charius eſt, quò intenſiorem rubedinem habet, hinc Malaijani quoque optimam ejus ſpeciem cognomine *Tſjandana Zeng'gi* donârunt, haud aliter ac Indoſtani *myrobalanos nigros* Zengi harareh, h. e. Zengianos harare, vel nigros myrobalanos, à colore, neutiquam à natione, vocarunt, cùm ex eadem regione proveniant. Hinc Nigritæ & Malaijani hèic in Bataviâ nova tantùm non omnes in eô conveniunt, quod lignum Calcaturicum nihil aliud quàm Sandalum rubrum ſit, quod alioquin Sanskriticè Rakka Tſandanam & Indoſtanis Rahat Tſiandan, h. e. Sandalum ſanguineum, à colore ſanguini ſimili, aliis autem Sandalum rubrum dicitur. Quid quod Sandalum hoc rubrum, non ſecus ac Sandalum flavum & album (ab unâ eademque arbore provenientia) pars interior & qs. cor eſt arboris ejusdem, ipſumque lignum primò album, abhinc pallidè rubrum eſt, eoque intenſiorem colorem & efficaciorem vim acquirens, quò plures annos nanciſcitur. Inde enim eſt, quòd Sandalum Rubrum in Golkonda & aliis Indiæ locis occurrens & in Pharmacopoliis venum proſtans longè intenſius tinctum multoque efficacius ſit, ac commune Calcaturicum, ſicut portio ejus, (quæ mihi adhuc ad manus erit, & quamprimùm invenietur, Nobilitati Tuæ pro ſpecimine inſerviet) ad oculum oſtendit. Quòd autem Sandalum rubrum in uno loco elegantius & efficacius habeatur, id non illi tantùm peculiare, ſed aliis utplurimum ſimplicibus commune eſt, eoque ſolum & externus aër quamplurimùm contribuere videntur, ut in *caryophyllis aromaticis* videre licet, quæ nuſpiam tam efficaces & elegantes ſuccreſcunt ac in Moluccis Inſulis & Amboina, licet & his in locis plantati & majori ferè diligentia exculti fuerint. Similiter *Sandalum Album* ac *Citrinum* Timorenſe omnibus aliis, ubicunque demum provenerint, virtute, odore & efficaciâ palmam eripit, cui ordinarium Coromandelicum longis paraſangis cedere cogitur, licet hoc ſpecies ſit earum arborum, quæ in Inſula Timor creſcere ſolent: ita quidem, ut in Coromandelicô ingratus quidam & ſylveſtris odor inveniatur, qui ferè teſtatur idem in excelſis & apertis montibus tantâ in copiâ reperiri, ut eô pro focô inſtruendô utantur, quod his oculis meis obſervavi. Interim & in eô quandoque fruſtula quædam reperiuntur, quæ ſic ſatis bona & Timorenſi quam ſimilima ſunt, ita ut huic quoque intermiſceantur, cum primis in illô, quod in montibus inter Meiſuranas & Tzjinſianas ditiones ſituatis, ut & in decantatô Monte de Gattam, vel, ut Luſitanis audit, de Gatto propullulat; ut adeoque Sandalum Rubrum non tam juxta maris litora, ad radices montium, ut Garzias ab Orto perhibere ſatagit, quàm potius in terris interioribus & tantùm in excelſis montibus, ad minimum 25. ad 30. milliaria ab Oceano diſtantibus, ſuccreſcat. Quapropter Nobilitas Tua pel denominationem ligni Calcaturici, à loco Calcaturo, mari adjacente, deſumtam, eò ſe minimè deduci patiatur, ut credat lignum hoc circa eum locum provenire & ſuccreſcere, minimè gentiũ! ſed notatio hæc inde provenit, quòd priſtinis temporibus Luſitani lignum hoc è montibus ad locum hunc maritimum, ob commoditatem illam, quâ hîc navibus ſuis onerariis imponi & aliorſum verſus evehi potuit, deportaverint: quod ipſum tamen à plurimis jam annis in deſuetudinem abiit, nec locus ille hoc nomine amplius eſt cognitus, ſed à pluribus jam annis ab Incolis Kriſtnampatan aut Hiſtnampatan dicitur, niſi quòd prius ejus nomen ab Europæis adhuc in mappis noſtris conſervetur. Tam crudè etiam concedere non poſſum, quod lignum hoc, ut Garzias ab Horto & Matthiolus docent, inodorum prorſus ſit, in quô poſterior eò quoque devenit, ut aſſerere non dubitet odorem, in eô quandoque obſervabilem, albo citrinoque Sandalo, cui forte appoſitum eſſet, deberi, cùm tamen lignum hoc ſuâ natura ſat fragrans & odorum ſit, reliquæ econtrà binæ ſpecies, ut ipſemet obſervavi, odore ſæpe careant: quod inde fortè evenit, ſi arbores nimis vetuſtæ fuerint, de quô tamen certi quid aſſerere non audeo, quùm nullam ejus rationem habuerim. Ad minimum eas, in quas incidi, cogitationes usquedum deſerere non poſſum, quod ſcil. Sandalum rubrum etiam in Timor Inſulisque circumjacentibus inveniatur, quicquid etiam Garzias ab Horto in contrarium attulerit, dum Uxor cujusdam Meſticæ, à Luſitano progenitæ & Centurioni maritata, herbarum in his, ubi nata erat, tractibus provenientium ſcientiſſima, me docuit & propria experientia certiorem reddidit Sandalum hoc illîc reperiri; quemadmodum & è Magnatibus quibusdam Macaſſarenſibus percepi, hunc vel priorem Regem fruſtum ejus habuiſſe, quod in Timor ſuccreverit illîcque magnô in pretiô habeatur: id quod non ſine fabuloſis traditionibus, de virtute ejus & quòd modô prorſus extraordinariô, per miraculum, & quidem noctu, per lumen aliquod ab arbore editum ſparſumque, detectum fuerit, enarrare ſolebant: prout Orientales Nationes iis rebus, quas in pretiô haberi volunt, ſimiles circumſtantias viresque inſolitas adſcribere ſolent. Quin & in regione hâc de aliâ quadam Sandali ſpecie, inæſtimabili fere nec ullo ære ſolvenda, fabulari ſolent, *Sri Gandam* h. e. *Sandalum Sanctum* dicta, quocum vox *Sercanda*, quâ Garzias utitur, coincidit, Timorenſi Sandalo peculiaris & qs. propria; ubi ſimul perhibent, pretioſiſſimum illud Sandalum priſtinis temporibus Cæſari in Carnaticâ ab Europæo aliquo dono datum fuiſſe: quibus omnibus eò minorem fidem tribuo, quòd alioquin, ſi veritatis quid ſubeſſet, major ejus rumor ſpargeretur. Ut verò ad priorem, unde quodammodò delapſi ſumus, diſcurſum redeamus, illud quoque inſufficien-

ſufficiens argumentum eſt, lignum Caleaturicum non eſſe Sandalum, quòd in Medicinâ oculis, cumprimis in ophthalmia, ſeu inflammatione eorum, incommodet: cùm in quamplurimis ſimplicibus longè alias, quàm priſtinis temporibus, communi etiam conſenſu, illis adſcriptæ erant, vires invenerimus; quemadmodum communiſſimè ſtatuitur ∇. roſarum contra ophthalmiam militare potius quam ut illam inferat: qua ipſa tamen in ſimili morbo in locis his æquè infelix fui ac Nobilitas Tua Sandalo rubro, vel ſi mavis ita vocare, ligno Caleaturico: ita ut certò credam, quòd etſi tunc ſandalum illud ſanctum habuiſſes, non tam levamen aliquod, quam damnum inde ſenſiſſes, dum ſpirituoſa hujusmodi & fragrantia ſimplicia, qualia ſunt ſandalum, aqua roſarum &c. per motum internum particularum minutiſſimarum operationem ſuam exſerentia, oculis nociva videntur, utpote quibus adſtringentia potius & exſiccantia applicari debent, quæ in me ipsô non minus ac aliis feliciſſima compertus ſum: quale remedium contra ophthalmiam plus quam centies probatum & à Pagano quodam hic locorum obtentum Nob. Tuæ communicare valerem, ſi tantum mihi otii ſupereſſet, ut iſtud inquirere poſſem. Conſtat autem è limaturâ ♂. myrobal. citr. pompholyge, cacho vel Catſio &c. quæ principaliora ejus ingredientia, pro baſi habenda, ſunt, in quantum ejus recordari poſſum. Ad finiendum verò negotium, ſuſtinere quidem nolo in Madagaſcar & circa regionem Caffarum nullum ſandalum rubrum inveniri (quod Europæis tamen & Arabibus, multò minus Malaijanis uſquedum incognitum eſt) ſed è contra admitterem, ſi regio illa tantâ altitudine gaudet ac regio Indiæ Coromandel &c. quùm omnes ferè Indiæ noſtratis tractus, ne quidem Braſiliâ & Mexicô exceptis, maximam plantarum partem communem habeant, ut indies magis magisque obſervo, cumprimis heic in Inſula Javâ, quam plantis abundantiorem exiſtimo, quàm omnes Indiæ oras, Coromandel & Ceilon: utut quælibet regio propriis ſibi herbis gaudere poſſit, quæ in aliis ejusdem climatis tractibus nuſpiam inveniri poſſunt; & quis noverit, annon & in Amboinâ, vel ad minimum in Herbariô Nobilitatis Tuæ arbor ſandali rubri reperiatur? cùm percipiam lignum ebeni illic quoque reperiri, juxta quod ſandalum rubrum lætè ſuccreſcere ſolet. Quapropter à Te ab omnibus illis arboribus, quæ præter *Angſaan* ſuccum quendam ſanguineum conquaſſatæ fundunt, ramuſculum ſuis foliis inſtructum, una cum floribus & fructibus, gummatibus, additis nominibus, expeterem, ut obſervare valeam, an fortè arborem hanc odoram inter illas invenire poſſim, utpote quam ad unguem noſco. Omnes enim illæ ſpeciem aliquam *Sanguinis Draconis* fundent, quæ ſuccum ejusmodi adſtringentem aut coagulum ſudant. Ad minimum exiſtimarem crederemque in Inſula Timor, quæ arborem ſandali albi continet, arborem ſandali rubri etiam reperiri, cùm binas haſce arbores in eôdem monte propullulaſſe viderim: quod ipſum tamen non aliter ac conjecturam aliquam judicari velim; & tantum de arbore lignoque *ſandali rubri*, in quantum de illis comperi. Quæ omnia, nullô prorſus ordine, ut è crena fluxerunt, Nobil. Tuæ ulteriori ſpeculationi & disquiſitioni, pro informatione mea (ſi fortè majorem & dilucidiorem explicationem ſuppeditare poteris) committere volui, pro qua æternum obſtrictus ero.

De *Catſio* aut *Catto* ſententiam meam in Epiſtola ad Dn. Cleyerum ſcripta & ab hoc Tibi communicata expreſſi &, quantum de eô mihi conſtat, explicui: quamvis obſervem, me Tibi minus Garcia ab Hortô, à cujus partibus ſtare videris, ſatisfeciſſe, quoniam in deſcriptione arboris ab illô deflectam, quùm tamen ex miſerrima hujus deſcriptione arbor hæc ab aliis, quibuſcum coincidit, diſtingui nequeat, ejusque deſcriptio duabus diſtinctis arboribus, unde *Lycium* paretur, congruat, è quibus tamen una genuina eſſe debebat, quàm æque ac alias nonnullas ignoravit, cumprimis Myrobalanos prope ipſiſſimam Goam ſuccreſcentes & nihiloſecius tam frivolè ab Illo deſcriptas: quemadmodum alias plerasque Indiæ herbas cum Europæis ſatis crudè comparavit, ut in quamplurimis, in Herbario Tuo contentis, obſervaveris. Quapropter de hoc ſimplici certius quid, ex Autoribus Indicis & teſtibus oculatis, dediſſe mihi videor, quàm Garzias & alii, qui de illo ſcripſerunt; quod ipſum tamen non eum in finem dictum volo, aceſi perſuaſoriis quibusdam uti velim, ut ſententia mea præ aliis arriperetur; quin obligatiſſimum me profitebor, ſi adhuc propiorem de eô relationem mihi impertire valebis. Imò, ſi me ſolidis & fundatis in re ipſa argumentis taxare aut refutare poteris, me adeò indifferentem in opinionibus meis invenies, ut potius lubentiſſime easdem deferendi & prævia meliore informatione aliam recipiendi paratiſſimus ſim. Liberè ergo judica, citra tamen ſugillationem meorum momentorum, & Tuis ego rationibus, modò pondus habeant, libenter ſum ceſſurus: ſin minus, eadem libertate Tuis reſpondere meaque in contrarium argumenta proferre licebit. Interea certa me ſpes tenet, Dn. Cleyerum in hoc de *Catſio* argumento Tibi magis, quam potui, ſatisfacturum eſſe. Attamen vereor, ut demonſtrari poſſit *Catſio* aliquod ſub terra, Tuberum inſtar, reperiri, prout nonnulli Tibi perſuadere ſunt conati, dum pilæ illius

Catſio, quod cineribus & calce viva permiſtum erat, indicio ſunt, verum & genuinum ſic adulterari, quia ſpecies hæc utplurimùm terra mangoniſata fuit. Adhæc non credo hîc Bataviæ novæ Peguanos quosdam reperiri, quùm computatorium, quod Nobil. Societas illîc aluit, jam à duobus vel tribus annis ſublatum ſit. Fieri tamen poteſt, ut brevî rurſus Commiſſarii quidam ad Nos ablegentur: aſt Dn. Cleyerus hoc tempore in Japonia conſtitutus eſt, ut eô fortè tempore gratificari non poſſit. Quapropter & hæc de Catſio materia tantiſper differenda erit.

Ut verò duobus aut tribus verbis etiam aliquam *Sementinæ* mentionem faciamus, video Tibi non multum intereſſe, an ad abſinthia, an ad abrotana referatur: quùm tamen genera ſint diverſiſſima, ita ut unaquævis ex herbis his peculiarem ſibi characterem habeat eſſentialem, meô quidem judicio neutiquam confundendum: in quô, ad omnem plantarum confuſionem evitandam, quamplurimum ſitum eſt, noſtrisque temporibus in Europâ valdè & operoſè deſudatur. Celeberrimus ſanè Angliæ Botanicus Moriſonius ſummoperè occupatus eſt in eô, ut quamlibet herbam ad propriam claſſem aut characterem generalem reducat, ubi cujusvis generis & ſpeciei eſſentia probè prius conſideretur, oportet. Hæc quidem mea eſt ſententia, ſuam Honoratiſſimo meo Domino æqua libertate relinquens, quâ meam ſuſtineo. Interim mirum mihi viſum fuit Chirurgum illum eò audaciæ proceſſiſſe, ut Tibi perſuaderet Sementinam in Suratta aliam figuram, foliis fœniculi haud abſimilem, habere: quin de iis, quæ oculis meis hauſi probeque perpendi, eâdem mihi confidentia dicere poſſe videor, ac Chirurgus aliquis, nullam ſc. aliam Sementinæ ſpeciem in Suratta mihi occurriſſe, quàm in Perſia, hîcque non aliam, quàm in Europa, ſicque ubivis eandem: certò perſuaſus, ſi ſpecimen ejus inde Tibi procuraveris, de ea Te ipſum haud aliter judicaturum fore. Nôſti plures in India Chirurgos inveniri, qui vix ullum è vulgatiſſimis medicamentis dignoſcere valent, quod in Rabaço Indico obſervaveris, non tantum ab Ignorantibus hiſce Chirurgorum, ſed & Doctoribus quibusdam Medicinæ, à tot annorum decurſu, pro ſpecie cochleariæ habito: quæ tamen herba in noſtra Patria tam vulgata eſt, ut vel à Ruſtico quovis ſtupidiſſimo agnoſcatur. Hederæ terreſtri illud haud ita diu accenſui, in quo Te, ut video, conſentientem habeo. Multo minus ergo Rabaçum hocce cum herba Sio aut Lavere coincidit: neque rectè à Luſitanis in Dictionario pro Cardoſo venditatur. Non enim ignotum Tibi erit, quantum Luſitani in comparatione plantarum Europæarum cum Indicis aberrent, quod ad oculum in Piſang ſeu Muſa, quam pro Ficu arbore, & in Malis Cydoneis Bengalenſibus Bontii, pro cydoneis habitis, videre licet. Ut taceam eosdem totum pro ſpecie pomorum noſtrorum habere, quæ totô genere & ſpecie differunt.

Cæterùm è Literis Tuis ad Dn. Cleyerum, ſuprà jamdum allegatis, obſervavi pariter, Te nondum contentum eſſe ſurculo *Nucis Vomicæ Officinarum*, eaque de cauſa quosdam adhuc fructus deſiderare, ut pro re nata melius de iis judicare poſſis. Si taberna Inſtitoris mihi pateret, quamplures inde portiones Tibi ſuppeditarem & offerrem, tantiſper ſecurus, non alias, quàm ordinarias nuces vomicas fore. Credas, quæſo, infinitas nuces vomicas me noſſe & vidiſſe, è Coromandel proficiſcentes omnes, integris adhuc ramis adhærentes, quæ omnes figuram illam habent, qua Tibi transmiſſæ ſunt, ad ſupplenda ea, quæ in effigie Dn. de Rheede deficere videntur, cujus deſcriptio alias quoad omnia cum ipſa planta coincidit, & à mea figura quoad eſſentialia non differt: quod Nob. Tua optimè diſtinguere poſſet, niſi propriô oculorum uſu, cum deplorando profecto boni publici damno, deſtituta eſſet. Quòd autem nonnulli Tibi perſuadere ſuſtinuerint, non eſſe communes & vulgares, inde forte oritur, quod obſervarint fructum in Fig. & Herbariô Dnn. de Rheede in ſuprema parte non adeò depreſſum & inſtar mali aurantii ſupra æque ac infra (ut in mea fig. apparet) formatum eſſe, quod boni illi homines pro differentia quadam eſſentiali explicant, cùm tamen fibræ & figura foliorum prorſus coincidant. Aliâs verò de hac arbore Tibi hoc adhuc reticere nequeo, quod ſpeciem *Ligni Colubrini* præbeat, cùm lignum pariter amarum & multi uſus in Medicina ſit: utut à *Ligno Colubrino Timorenſi*, in quantum è foliis exſiccatis dignoſcere licet, omnino diſcrepet. Attamen fibrarum in foliis intuitu arborem Timorenſem pro ſpecie Nucis Vomicæ habere cogor, mihique videor vegetabile hoc illîc obſervaſſe. Quantum è foliis ſuſtinere audeo, fructus atro-purpurei ſunt, denſa & compreſſa, utut exigua margine inſtructi, ex altera parte concavi, ex altera verò convexi, ſubſtantia vulgares nuces vomicas æmulantes. Hæc ſi concordaverint (nullus enim dubito Te fructus illos, quorum communicationem ſimul peto, vidiſſe,) hæc ſpecies Ligni Colubrini copioſe quoque in Coromandel ſuccreſcit. Altera ſpecies Ligni Colubrini, cujus Garzias ab Hortô mentionem facit, herba tantùm, vel ad ſummum ſuffrutex eſt, qualem hîc in ſylva quoque reperi, utut deſcriptionem ejus ad manus jam non habeam, poſthac tamen Nob. Tuæ transmittendam. Quodſi & plura à me deſideraveris, omnia, quæ potero, ſum procuraturus, de quo nullus, quæſo, dubita: neque intermittam tunc aliam Nucum Vomicarum ſpeciem offerre, quæ vulgaribus minor & adhæc fuſca & nigricans eſt. Hanc in Golkonda mihi comparavi, à nemine, quantum mihi conſtat, adhuc deſcriptam & juxta Incolarum linguam *Nux Vomica nigra* dictam.

Exſiccatas chartæque impoſitas plantas à Nob.

Nob. Tuâ ad Dn. Cleyerum transmissas, pace hujus quoque vidi, & observavi Lit. A. signatam esse *Marrubium album odoratum Indicum*, quod in tractu illo & hîc locorum, imò & Moluccis Insulis (quibus neutiquam propria est) reperi: sicut & quoad genus mecum convenis.

Lit. B. *Ocymum caryophyllatum nigrum* mihi videtur esse, in Europâ domesticum, in Indiâ verò sylvestre: neque hîc genus à Te positum à meo differre videtur.

C. ad *Trichomanes* referendum esse videtur, quantum ex herbâ exsiccata colligere licet, quæ *Filix calamaria* Tua erit.

D. Magnâ copiâ in sylvâ nostra occurrit, quantum ex transmisso surculo dignosco, cujus & figuram delineari curavi. Folium habet trinervium, capreolos etiam & spinas, à Javæ Incolis *Tsjanar* dictum, neque cum genuina sarsaparillâ, quam Lugduni Batavorum in Horto Academicô vidi, concordat, multo minus Radici Chinæ, cujus folia è Chinâ obtinui, similis est. Unde judicare teneor Radicem Chinæ speciem Ubi Hœtanas esse, ut figura foliorum, oblonga & ovalia, ipsique nervi & fibræ indicant.

E. Heîc etiam abundat, cujus folia Mesticæ Folgas Cheirosas, h. e. Folia fragrantia nominant, quibus corpora sua fricant & inungunt, si semetipsas lavant. An verò planta hæc flores aut fructus quosdam proferat, usquedum experiri non potui; quemadmodum & me latet, cur eandem pro Melissa habeas, & unde denominatio hujus herbæ sumenda, quæ Malaijensibus *Davven dilam* audit.

Et hæc ferè sunt, quæ ad puncta Nob. Tuæ respondenda duxi, prolixius quidem, quam à fronte mihi proposueram. Quodsi & aliis nonnullis gratificari potero, non deero omnia illa conferendi quæcunque à me proficisci poterunt. Si & catalogum omnium illarum plantarum, quæ in oris vestris propullulant, obtinere possem, viderem an adhuc aliquid pro augmento Operis Tui communicare valerem. Cumprimis autem scire averem, quænam ex illis plantis, quas Dn. de Rheede Parti I. & II. Horti Malabarici inseruit, illîc inveniantur, it. quot species sint plantarum *Pandans* aut *Caldeiras?* quales flores aut fructus ferant? It. quænam folia spinosa habeant? cum specificatione omnium congenerum & assignatione differentiæ specificæ uniuscujusque &c. Quibus cum salute officiosâ & apprecatione cujusque desiderabilis æternum persevero

Nob. Tuæ

Bat. Nov. d. 20. Maji 1683.

Cultor & Amicus

HERBERT de JAGER.

P. S.

QUoniam adhuc aliquid temporis & spatii supereſse video, non possum non merces meas quodammodò augere & exiguam portionem Ligni Sandali, Golkondæ in Pharmacopolio coëmtæ, una cum Sementinâ Persicâ, Nucibus Vomicis nigris & supradicto Ligno Colubrinô, superaddere. Accedit & planta à Bauhino *Clematis Indica foliis Persicæ, fructu pericly-meni* dicta, quæ illîc, ut persuasus sum, non ignota erit. Addo & *Caryophyllos* quosdam *Sylvestres*, ut appareat, an ab arbore Cœlit Lavvan, an à specie arb. caryophyllorum proveniant? Tandem & fragmentum *Sanguinis Draconis*, quod in Golkondâ obtinui, adjectum est. Quibus promissis supra datis satis me feciſse puto & ea desuper, repetita salute, informationem Tuam, una cum specimine de Cocculis Indis, & Fagara expecto.

III.

DN. HERBERTI de JAGER *EPISTOLA*

Ad

DN. GEORGIUM EBERHARDUM RUMPHIUM.

P. P.

POstquam jamdudum literas quasdam ad Nobilitatem Tuamexararam, hasque nave onerariâ, versus Ternatam velificante, curatus eram, me omninò prævenisti, dum ab aliâ, ex Amboinâ redeunte nave, præter omnem spem Literis Tuis æstimatissimis dignatus sum, & quidem eôdem, quô meas transmiseram, die, qui XX. Maji erat, conscriptis. Ea, quæ adje-

cta erant, Dn. Boudens optime mihi tradidit: quapropter pro liberali & benevola Tuberis Regii omniumque ſpecierum caryophyllorum aromaticorum (quæ omnia pro rariſſimis æque ac curioſiſſimis rebus habeo & æſtimo) communicatione gratias Tibi ago maximas, eoque magis me obligatum ſentio, quo major illarum raritas & ſingularitas eſt; quemadmodum & honorem per literas adeò honorificas pro ſingulari quoque beneficiò reputo, vel eam quammaximè ob cauſam, quòd Te paratiſſimum teſteris ad commercium literarium in Studiô Botanicô mecum continuandum: quod tam gratum & acceptum mihi erit, ut quæcunque media & adminicula procuraturus ſim, quò in omnibus Tibi ſatisfieri poſſit, ut in priori jamdum Epiſtolâ ſtipulatus ſum. A fronte verò ſtatim rogito, ne liberum, quô uti ſolco, ſcribendi genus, ſiniſtrè explices, libenter ab illô abſtracturus, ſi vel minimum diſplicentiæ Tibi pariat. Perſuaſus enim fui Te pariter hujus ſententiæ fore, quùm è literis, ad Amicos Tuos datis, obſervarim & Tuam Nob. judicium ſuum liberrimum interponere, ſi opinio aliqua taxanda eſſet. Interim Tuæ me voluntati, ſi quæ placeant audivero, lubentiſſimè accommodaturus ſum, cum reſervatione liberæ ſententiæ in ventilatione opinionis Tuæ, eorumque argumentorum, quæ ad illam ſtatuminandam videbuntur apta, ſi fors à Nob. Tua diſcrepavero; quemadmodum, ut eâdem libertate contra me ſimiliter utaris, rogo, quod, ut in prioribus jamdum aſſerui, mihi haud ingratum erit: in quibus jam ſubſiſto.

Quod regulas illas attinet, quas, ut video, in eruditiſſimo Tuo opere obſervaſti, exiguas ſcil. illas relationes, quas per alios Amicos communicari & contribui curavi, ſub autoris, unde profectæ erant, denominatione allegando, & in hôc punctô me obſtrictiſſimum profiteor, certò aſſeverans & promittens, quod non tantùm omnia, quæ unquam vidi & probavi Tuæque Nobilitati grata futura cognovero, abſque ullâ reſervatione, candidè contribuere & ſimul ea, quæ mihi indulgebis, ſub nomine Tuo celeberrimo ſincerè & fideliter decantare velim. Eaque de causâ, ut in prioribus literis jamdum obtuli, omne id, quod à mea tenuitate proficiſci & è re ſuâ eſſe videbitur, absque ulla hæſitatione liberrime ſibi ſumere & appropriare poterit.

Ratio, cur *Sementinam* pro Abrotani magis, quàm Abſinthii, ſpecie habeam, in formâ & figurâ hujus plantæ radicatur, quam ſæpiſſimè vidi. Id quod in cauſa quoque eſt, quòd Arabicum nomen *Sjiehh*, vel *Sehehà*, ut Rauwolfius expreſſit, maluerim per Abrotanum explicare, quàm per Abſinthium, ſive vulgare, ſive Seriphium, quoniam, ut alibi jam dictum, non tantùm notabilis differentia in figurâ intercedit, ſed & in Perſiâ & in Golkondâ obſervavi utramque ſpeciem abſinthii in officinis non tam nomen Sehehe aut Seheha, quàm nomen Aſſintien gerere, quod à Græco ἀψίνθιον vi qs. tractum & deductum eſt, quo nomine quoque venum proſtat, ſicque ab ipſo Avicennâ vocatur, penes quem Abſinthium Seriphium magis uſuale, quod ferè unicè illic in officinis reperitur.

De *Catſjo* & *Palmeira Brava* pariter in priori mea epiſtolâ egi, & quoad hujus nomenclaturam tantum aperui, quantum per Dominum de Vicq à me deſiderâras. Quapropter ſolummodò quoad nomen Telinganenſe Tati-thitoe, ut tractatulo Tibi noto etiam allegatur, aut Tati-manoe hoc adhuc addo, quod vox Tſittoe aut manoe in hac lingua proprie arborem denotet voxque Tati genitivus vocis Tadu ſit, quo Palmeira in hâc lingua ſpecialiter exprimitur. Ubi hoc adhuc notari velim tria hæcce puncta ∴ ſub d aut t locata, hunc tantùm in finem à me addita eſſe, ut eô ipſô innuatur, utramque illam literam ſibilante modô, apicem linguæ admovendo dentibus, exprimenda eſſe.

De *Camphorâ*, vel potius *Caphura Baros*, pauca folia ab ora Occidentali accepi, de quibus dimidia portio, pro ulteriori ſpeculatione & meliori dijudicatione, Nob. Tuæ hiſce incluſa eſt, quò è figura foliorum ipſam arborem cò melius dignoſcere valeas, quæ & per foliorum odorem ſe manifeſtat, dummodo parum conterantur, cumprimis ſi adhuc recentia & viridia ſint. Additus ſimul eſt ſurculus de arbore Camphoræ Japonicæ, quæ inde ad nos delata & in hortô Nobiliſſ. Dn. Outſchoorn, Conſiliarii Indici plantata: truncо ramisque 2. circiter virorum longitudinem exæquat. Hujus arboris deſcriptionem formaturus ſum, quamprimùm flores & fructus feret, dummodò adhuc victurus & in Batavià novâ permanſurus ero: neque deſiſtam eandem Tecum communicare.

De *Arbore Benzaini* pariter folium aliquod obtinebis, & quidem eâ bonitate & ſimplicitate, qua illud inveniri potui, ſimileque nec melius mihi reſervo. Similiter nux ejusdem arboris adjecta eſt, cujus pariter unicum adhuc ſpecimen poſſideo, externe cortice nuci agreſti ſimili præditum, cujus flos, ut mihi relatum eſt, albicat: id quod pro ulteriori arboris hujus enodatione ſimul annectere volui.

Non minus Tibi ſimul fructus quosdam Thée his offero, quos Jeſuita haud ignotus, P. Couplet, dono mihi dedit, quibus ſimiliter curioſitati Tuæ ſatisfacere &, niſi jam poſſideas, Muſeo Tuo curioſo inferre volui.

E prioribus meis literis jamdum Tibi eluceſcet, quod Nob. Tuam libentiſſime excuſatam velim & nunquam non excuſaturus ſim, ſi ad nobiliſſimum & pretioſiſſimum, quod meditâris, opus urgendum & brevi abſolvendum, deſiderio meo non ſtatim & extemplo ſatisfacere poſſit, cujus nullam prorſus rationem habeat, niſi absque ulla temporis jactura fieri poterit. Interim contentus ſum valdè, quòd data occaſione

ſione deſcriptionibus aliquot & reſponſis me dignari velis, quod ipſum beneplacito & arbitrio Tuo relinquo, ſummoperè dolens valetudinem Tuam infirmam, quæ ipſa tamen, ut ſpero & opto, tamdiu duratura erit, ut tam decantatum opus ſuam perfectionem nanciſcatur, per cujus omiſſionem bonum publicum immane quantum amitteret, damnumque ex jactura tot tariſſimarum & inſolitarum rerum vix unquam reparari poſſet; quapropter optimè faceres, ſi ab eô Te nequicquam abſtrahere patereris, ſed tantô ardore maturares, quô undique deſideratur.

Vi oſtenſæ mihi permiſſionis, Dn. de Vicq, Mercatori & Amico meo Intimo traditæ, haud difficilem quoque Te præbuiſti deſcriptiones *Arboris Nucis Moſchatæ Saguque* mihi concedendi, quibus me obſtrinxiſti admodum. Interim conſulerem, ut quoad ultimam paulò fuſius Te explicares, cumprimis, quinam ejus ſint uſus? quot ſpecies eduliorum inde parentur? & ſimilia hiſtoriam ejus concernentia, quæ Curioſis in Germaniâ & univerſâ Europâ maximè grata & jucunda erunt, eoque magis, ſi omnia figuris æneis illuſtrarentur & exornarentur, quæ Nob. Tuæ non deerunt. *Speciem Arboris Sagu abſque ſpinis*, cujus mentionem facis, in urbe Bantam quoque vidi, & ut mihi refertur, arbor hæc in regionibus montanis quoque excolitur & pro tectis domuum inſtruendis adhibetur.

Alioquin laudatus modò Dn. de Vicq mihi plura non aperuit, quæ per communicationem Nob. T. poſthac obtinere potero.

Deſcriptiones Arboris caryophyllorum & nucum moſchatarum, quas Dn. Boudens formaſſe dicitur, nondum videre licuit. Forte in ſecretis illas habet, quapropter earum quoque nullam mentionem feci.

Pro communicatione Caryophyllorum Regiorum, quos una cum Tuberibus fungoſis, aut Fungotuberibus Dn. Boudens bene mihi tradidit, tantas ago gratias, quantas meretur raritas illorum. In perpetuam Nob. T. memoriam illa conſervabo, & quamprimùm occaſio ſe trudet & Pictorem accuratum mihi ſubminiſtrabit, qui omnia clarè & diſtinctè exprimere poterit, depingi curabo. Aliquot abhinc annis talem in famulitio meô alebam, ſed ob brutalem, cui deditus erat, ebrioſitatem vix tolerabilem: cujus intuitu jam ante annum in Patriam rediit ut adeoque non minus, ac Tua Claritas eô jam deſtitutus ſim. Interim inaudio hâc occaſione Te aliquem recuperaturum eſſe, quo factô in delineatione reliquarum adhuc herbarum, ſine remorâ, pergere poteris.

Tres ſpecies *Caryophyllorum Regiorum* Majoedæ cuidam noto (qui è numero Magnatum Ternatanenſium eſt) hîc oſtendi, qui ſuſtinet tres haſce ſpecies in unâ eademque arbore ſuccreſcere, cùm pro ratione ætatis in dies mutentur, ita, ut arbor Ambonenſis tandem genuinos ſurculos transplantatorios, imò Caryophyllos Mandarsjanenſium figuram habentes truderet: addens avem aliquam Caryophyllos Ambonenſes plantaſſe, qui ſucceſſivè immutati in veras transmutentur.

De *Sandalo Rubro* in prioribus meis literis longe lateque pariter diſſerui, inibiqe ad omnia, quæ à me deſideraras, tam aperte & prolixè reſpondi, quàm per meam q. experientiam fieri potuit, adjectô fruſtulo illius ligni, quod Golkondæ in Officinâ Pharmaceuticâ obtinui; quapropter brevitatis ergò me in memoratas modò priores literas jam rejicio, niſi quod in tranſitu hîc notare cogar, me ſumma teneri admiratione, Te in epiſtolâ Tua adhuc ſuſtinere, Vetuſtiores Arabes ſandalum rubrum ab Orientali Africæ orâ circumjacentibusque Inſulis, cumprimis Madagaſcar, reportaſſe: cùm tamen Arabum æque ac Perſarum Scriptores ſimplicium, quotquot ad manus meas pervenêrunt, unanimiter fateantur Sandalum rubrum ex Indiâ in Arabiam adferri. Quòd verò refrigerantem ejus qualitatem attinet, tanta, ut perhibetur, eſſe non poteſt, ut Fr. Redi, Celebris Ducis Florentini Experimentator, nuper admodum, in certo Tr. de plurimis ſimplicibus ex Indiâ provenientibus & qualitatum intuitu famoſis, oſtendit, ut è noviſſima quadam parte Diarii Gallici, Journal des Sçavans dicti, videre licuit; quemadmodum & illud, quod de certo Sandali rubri fragmento, à Rege de Macaſſar obtento & ut in prioribus meis literis adduxi, in Timor generato, perhibetur, mihi prorſus fabuloſum eſſe videtur, quòd ſc. ollæ, aqua fervente plenæ & jamjam ab igne remotæ, injectum, eandem in momento & unô quaſi ictu oculi, ut ſæpe probatû, ad ebullitionem naturalem deducere valeat. Tantæ & tam admirandæ vires, quàm plauſibiliter etiam extollantur, penes me ad minimum non tam facilem applauſum merentur, niſi ipſum illorum effectum videam, aut indubiam de eô relationem obtineam. Fortè deſcriptionem aliquam è meis adverſariis collecturus eamque cum figurâ ramuſculi Tibi oblaturus ero, quamprimum, ut jam ante petii, relationem quarumcunque arborum, Sanguinem Draconis fundentium, abs Te obtinuero. Hâc vice enim, quâ Contractus inter Societatem & Regem de Bantam & Ternatam, à me vertendus, ſat negotii mihi faceſſit, impoſſibile videtur. Hic enim operoſum admodum & diuturnum laborem exigit, quò omnia, juxta dialectum linguæ Malaijanæ, in fluidum & Batavorum linguæ convenientem & conſonantem loquendi modum redigantur. Adhæc aliquem adhuc Sandali rubri ramuſculum è Coromandel procuraturus ſum, hujusque Te quoque participem reddam, utprimum obtinuero.

Nomen *Calami Aromatici*, cannam fragrantem propriè ſignificans, ſponte ſua teſtatur, quòd

Diringo,

Diringo, vera acori ſpecies, pro illo haberi non poſſit, dum acorus exiguam aut omninò nullam cum arundine aut canna ſimilitudinem habet. Unde & genuinus Calamus Aromaticus Arabicè, penes Avicennam & alios, Kaſab Ezzarirah, h. e. arundo aromatica, & Acorus apud Eosdem Wadzi, vel Gallorum expreſſione Wagi, (quod ab Indorum Wedzi oritur) vocatur. Garzias ab Horto igitur in causâ eſt, quod Acorus pro calamo aromatico habitus fuerit, ut nomina ab illo poſita teſtantur, quæ ad unum omnia Acoro propriè conveniunt, niſi quod nomen Arabicum Caſſab Ezzarira, ex omnibus illis calamo aromatico etiam applicari poſſit. Ut taceam Illum genuinum nomen Arabicum acori prorſus omittere, ut tum ſuæ opinioni colorem addere, tum alios eò ipſo confundere poſſet. Meam tenuitatem quod attinet, in Perſia, Suratta & Golkondâ, in officinis Seplaſiorum, ſub nomine Haſab Ezzarira nonniſi unicum ſimplex inveni, radicem ſcil. cum portiunculâ caulis, unde ſatis ſuperque apparet verum calamum aromaticum arundinem quandam eſſe. Idem ſcil. vegetabile eſt, quod Paludanus ad Cluſium miſit, in Annotationibus ad Garziam ab Horto & pag. 201. Exoticorum depictum. Lubentiſſimè Tibi ſpecimen ejus transmitterem, niſi meum aut perdidiſſem, aut in locum jam incognitum abſcondidiſſem. Interea aliud è Suratta fragmentum mihi procurabo Tibique portionem aliquam communicabo. Ipſum aliâs vegetabile neque vireſcentem, neque omnibus ſuis partibus adhuc præditam videre licuit, quoniam in celebri monte Gato, in meditullio regionis Indoſtan, (quò iter meum non vergebat) propullulat. Hæc autem planta in lingua Indoſtanicâ & Decanica Tsjirajakahh aut tsjirajekah, Canarynaica Tsjirant, Sanskriticè vel Brachmanicè, ut & in regione Coromandel Tsjilaſatam vocatur & in binis prioribus Partibus Horti Malabarici (quas tantùm videre legereque mihi licuit) non habetur; quemadmodum & deſcriptio figuraque Caſſab Ezzarira, h. e. Calami Aromatici, quam Veslingius in Annotationibus ad Proſp. Alpinum de Plantis Ægyptiacis pag. 63. ex Exoticis dicti Alpini ob oculos poſuit, parum etiam cum arundine coincidit: ut adeoque plantam illam neutiquam pro genuinò calamo aromaticò habere poſſim, niſi fors ſpecies ejus vilior ſit, cujus Scriptor quidam Perſicus, in cognitione ſimplicium ſic ſatis verſatus, meminit, cujus verba, ſecundum meam interpretationem, ita „ſonant: Haſab Ezzarirah, h. e. calamus „aromaticus eſt arundo elegans, craſſitie jun„cum ſcriptorium præterpropter æmulans, „quandoque etiam tenerior. Duplicis autem „generis eſt, cujus una ſpecies, ut herba vel „caulis ſeſami, attamen brevis, ſpithamam cir„citer longa, vel paulò altior eſt: Altera ve„rò lævis & plana, ulnam ferè ſuperans, ſapo„ris amari & acris, coloris gryſei aut ſubfuſci, „intus telæ aranei inſtar apparens, ſi diffringi„tur: quæ de montibus Kilub & è regionibus „Indiæ adfertur & Berkinah vocatur. Altera „ſpecies herbæ ſeſami non abſimilis, in apici„bus ramuſculorum ſemen habet inſtar cice„rum, folliculo incluſum: ſed hæc nec acris, „nec amara eſt, ſimiliterque ex India profi„ciſcitur, ſed non tam valida, uti prior &c.

Ex hiſce tantùm uſualem & genuinum calamum mihi videre licuit, altera verò ſpecies mihi nunquam viſa eſt; adeoque parvum læveque ſemen, quod Alpinus herbæ ſuæ tribuit, ciceri neutiquam ſimile eſt, cui Perſa genuini ſemen aſſimilavit. Ut taceam alias diſconvenientias, illic obſervandas. Quò verò accuratiorem cognitionem hujus plantæ obtineamus, literas Surattam dabo & ferente ſic occaſione omnem curam & diligentiam adhibebo, ut utramque ſpeciem, cum omnibus ſuis partibus, expiſcari valeam: quarum ſi compos factus ero, veram illarum deſcriptionem & delineationem Tibi transmittam.

Similiter completam *Spicæ Nardi* plantulam indagabo, quæ pariter in vicinia noſtra non ſuccreſcit, nec unquam à me viſa fuit, ut-ut Bontius eandem in Java quoque reperiri tradat. Tam firmò enim talo Eundem inniti puto, ac cum *Schœnantho*, quod pro Sire, aut Gramine Meliſſæ odoro habet; quemadmodum & obſervo plures è Noſtratibus ejusdem eſſe fidei, ſed absque ullo fundamento, dum ſolùm in Perſia genuinum Schœnanthum innotuit, cumprimis in regione Coromandel, ubi integros campos trajeci, gramine hôc obſitos, quod una cum pedunculo aut caule ſuo duos circiter cum dimidio pedes altum eſt, odoremque ſuum longè lateque ſpargit, cumprimis noctu, cadente rore, imò & de die, ſed tempore pluvioſo, cùm tempore ſereno Soleque lucente nullum fere odorem edat. In Golkonda Schœnantho hoc, in pulverem comminuto, ad lavandas manus utuntur, ob odorem gratiſſimum, quem aqua promptè ſuſcipit: utut hic diutius non duret, quàm exſiccentur. Interim & pulvis hic, ob exſiccantem qualitatem, pinguia quævis & unctuoſa à manibus abſtergit.

Deplorandum ſanè in pretioſô nobilique opere Dn. de Rheede neminem, rerum Botanicarum expertem, manus auxiliatrices mutaſſe, quod alioquin aliis plumis ſuperbiret. Pater Matthæus enim, quem in Perſia familiariter novi, ne minimam quidem herbarum cognitionem habet, utut primum in hoc opere ſundamentum jecerit. Nec D. Caſearius unquam ſtudium hoc in Europa ex profeſsô excoluit. Ut taceam totum opus, prout mihi quidem videtur, nimis præcipitatum fuiſſe, exorbitantibus ſæpe figuris, & hiſtorica herbarum deſcriptione jam penitus omiſſa, alia vice autem parciſſimè delibata. Alias verò Icones

quam-

quamplurimæ ſatis accuratè ſe habent ipſæque deſcriptiones adeò completæ ſunt, ut & minutiſſimas quasvis particulas clariſſimè expediant: quapropter præſtantiſſimum hoc opus magni æſtimo totusque eruditus Orbis Illuſtri Dn. de Rheede ſummoperè obſtrictus eſt. Non poſſum tamen non fateri, haud paucas, notatu digniſſimas, illius jam nomine celebrari, quas tamen ſub aliis nominibus, penes noſtrates à me auditis, aut in aliis Autoribus obſervatis, jamdiu novimus. Hinc Botanico cuidam experto aliqua adhuc opera ſuperſtes eſt relicta, qua omnia è tenebris producta luci publicæ exponere omniaque à ſe invicem diſcernere valeat: id quod illi, qui per αὐτοψίαν herbarum indigenarum cognitionem ſibi comparavit, haud difficile foret, ſicut in hoc Te præ aliis expertum & exercitatum eſſe novi, utpote qui, ut certò mihi perſuaſus ſum, in quamplurimis denominationibus adhuc Criticum agere poſſes. Interim id ſpei adhuc ſupereſt fore, ut Celeberrimus Botanicus, Paulus Hermanni, Munere Profeſſoriò in Academiâ Lugdunenſi gloriosè fungens & in oris Malabaricis Verſatiſſimus, id, quod in Opere Dn. de Rheede adhuc deſiderari poſſet, ad omnium ſatisfactionem ſuppleturus ſit. Tertius allegati Horti Malabarici Tomus jamdudum ſub prelo fervet, neque dubito brevi eundem proditurum eſſe, utut de eô heic nihil quicquam innotuerit. Plurimas autem herbas, in primô & ſecundô Tomô contentas, hic in Javâ quoque reperi, quarum adhuc plures quis in hâc Inſula reperire poſſet, ſi tempus & otium hoc ſtudium ex condicto excolendi ſuppeterent, ſimulque unus aut alter Javanenſium ad manus eſſet, qui hæc talia è ſylvis apportaret. Aſt ad hæc & ſimilia homines illi non tam facilè moveri poſſunt, niſi à ſuperiori quadam autoritate imperetur, non obſtante honeſti, quod ſæpius tentavi, redhoſtimenti oblatione. Quid quod & tigridum oberrationes inſigne impedimentum adferant, ne ſylvæ campique longè lateque perluſtrari poſſint. Unde adhuc dubius ſum, an & quænam de plantis in I. & II. Tomo nominatis hic reperiri poſſint, quales ſunt: Aroatu, Marotti, Mail-anſclu, Cumelu, Canſchu, Curatu-pala, Codaga-pala, Tinda-parva, Appel, Schageri-Cottam, Panel, Nedum-Schetti, Schemnan-Cottam, Modera-canni, Peragu & Cudi-avanam, quas hic locorum nondum vidi, nec quòd hic ſuccreſcant audivi, utut de eô nullus dubitem, dum Javam plantarum adeò divitem inveni, ut illas omnes heic indagare liceret? quemadmodum & figuras aliquas illarum arborum & fruticum, quarum Dn. de Rheede meminit, una cum indigenis & Malaijanis denominationibus, oſtendere poſſum: in quas peculiarem quoque Clavem effeciſti, ut ex æſtimatiſſimis Tuis literis obſervavi.

Ex iisdem magnâ cum ſatisfactione quoque vidi Te ſic vocatum *Ubi-Radzia* pro Tubere, & ſuperterraneam excreſcentiam ejus pro Fungo habere, prout utrumque in priori meâ Epiſtolâ admiſi, ut adeoque in genere & ſpecie hujus plantæ conveniamus ambo: quamvis vox Ubi his in oris, Java, Malaija &c. in tantum non extendatur, ut & Tuberi huic applicaretur, quod, juxta Indigenarũ noſtrorum relationem, hic etiam reperiri dicitur, a Javanenſibus dzjamur taxis dictum, dubio procul fungi tritorio-formis intuitu, qui cuidam Taxis, h. e. Calapas, ſimilis eſt, dum humiditates nonnullæ emicant, quæ ob gravitatem in cavitatem conicam, apice deorſum vergente, extenduntur. Aliàs verò Malaijani plantæ huic Tſiandawam karang, h. e. Fungi lapidei nomen dederunt (unde Latinè quoque *Fungus lapideus infundibuliformis* vocari poſſet) idque vel ob nodos lapidiformes, vel quòd inter fiſſuras lapideas in radice arborum ſuccreſcat. Sic & Magiſter quidam Bandanenſis eundem ſuo idiomate Kulat rararu, h. e. profundum & cavum fungum nominabat, aſſeverando tales in arboribus annoſis reperiri & ſingulare medicamentum præbere. Quid quod Balierii & Javanenſes hic de alio adhuc Fungo-Tubere referunt, qui Dzjamor radzia, vel dzjamor aorſi, h. e. Fungus Regius vocetur, qui fungus albus & in formâ coni eſſe dicitur, in parte ſuperiori ollam, inſtar campanæ igneæ, aut mali cotonei, gerens, latitudine clypeum communem exæquans. Hic pro delicatiſſimo cibo habetur & non tantùm hujus intuitu, ſed & ob magnitudinem pro Regio genere inter omnes fungos habetur: de quô fortè pluribus acturus ſum, quamprimùm propriis illũ oculis uſurpare licuerit. Interea ſummas ago gratias, non tantùm pro transmiſſis tuberibus fungoſis, aut Fungo-Tuberibus, ſed & pro communicatione deſcriptionis literis Tuis inſertæ. Cum tuberibus nudis rem aliquando periclitabor, terræque, ut jubebas, inſeram, ut appareat, an eadem & hic locorum fungos hujusmodi infundibuliformes truſura ſint, cujus eventum Te neutiquam celaturus ſum.

Interim exiſtimarem inter terræ tubera ſimplicia, aut terræ tubera frugifera, & inter radices tuberoſas, caules, pampinos & folia ferentes, inſigne diſcrimen formandum eſſe, ſicque *Tuber Regium*, à Te Ubi Radzia dictum & propriè pro Tubere frugiferô habendum, à *radice Chinæ*, alius prorſus generis, multùm differre. Hæc enim in genuinâ Sinenſium lingua *Hok-lin*, & in Mandarinicâ linguâ *Folim* audit, cujus Sinenſes in Herbariis ſuis aliiſque de ſimplicibus agentibus libris duas ſpecies habent, ſc. rubram *Tu-fo-lim* & albam *Pa-fo-lim* dictas, quæ poſterior longè melior, quàm rubra habetur, eâque de cauſa majori pretiô venit. Antehâc mediante Dn. Theodorô Sas, Verbi Divini Miniſtro hujus loci (Viri libera-

libus Artibus faventiſſimi, admodum Curioſi & commercium literarium in Macaalentis) plantam hanc mihi procuravi, quam in tantum etiam obtinui, ut non tantùm partem rami aut pampini, cum rudi quâdam delineatione & brevi deſcriptione, ſed & ollâ ipſam plantam vivam continente donatus fuerim, quæ poſterior Dn. Cleyero conceſſa, mihi econtra ramus, fili longitudinem habens, relictus fuit, quem tamen prorſus inſuper habebam, ſperans, quòd ſi plantam hîc vegetantem haberemus, nunquam non folia recentia ramosque obtinere queamus. Aſt in calculo meô valdè erravi, cùm brevî poſt, præter omnem ſpem, ego Bantam vocatus, Dn. Cleyerus autem profectus fuerit, interea verò planta, antequam perfectionem ſuam nacta fuiſſet, perierit, ut ſub reditu magnâ cum diſplicentiâ expertus ſum. Hôc ipſô igitur omnis me ſpes deſtituit loco neglecti ramuſculi alium obtinendi, ſed & in plenariam hactenus plantæ hujus cognitionem penetrare non potui, ut ejus ſive deſignationem ſive deſcriptionem aliquam formare Tibique transmittere potuerim. Quò vero Nob. Tuæ plantæ hujus uſualis, talem, qualem potero, notitiam impertiam, hiſce ſupradictam Macaſſicam Figuram in originali, quod dicitur, transmitto, una cum ramuſculi parte, quæ ruditer ſatis delineata, dum folia econtra optime cum ipſa planta (quantum recordari poſſum) conveniunt: unde ſatis adhuc concludi poteſt, radicem Chinæ ſpeciem *Ubi* eſſe, quùm folia & pampini cum illis maximè conveniant, quæ à certa ſpecie *Ubi hutan*, quam in ſylvâ quandoque vidi, ſcaturiunt, id quod ante allegata conciſa deſcriptio quoque docet, quæ Latinis verbis, quibus R. Pater, qui eandem huc transmiſit, uſus erat, ita ſonat: Radix Sinica, aut, ut dicunt alii, Li„gnum Sinicum, non eſt arbor, ſed quidam ra„mus, qui longe lateque ſerpit per terram, ha„betque quasdam manus (a) ſeu fila, quibus ter„ram apprehendit illique intimè adhæret (ſicut „ferè habet vitis, quibus ſerpit per ſuſtentacula) „qui ramus quamvis tenuis, durus eſt & flexi„bilis, ſicque ſerpens per terram projicit frequen„tes & exiguas radices, in quibus naſcitur radix, „de quâ loquimur, quæ creſcit magis minusve, „pro ratione ſoli, magis aut minus proprii, aut „temporis, quô in eô fuit. Iſte modus excur„rendi per terram ferè poſſet comparari plantæ, „quam Indi vocant Batata. Folium (b) mitto „pictum ad vivum, ſimulque ramum ſiccum. „Præcipua ejus virtus, quantum potui cogno„ſcere ex Medicis Sinicis, ſervit iis, qui labo„rant morbo Gallico. Ponunt pondus unius „unciæ, aut ſiſaldæ, aut aliquid amplius, in duo„bus poculis aut curadis aquæ, fervereque il„lam ſinunt, usquedum redigatur ad unum po„culum & bibunt illam calidam, præſertim ma„nè, ut melius ſudorem provocent & per diem „uti poſſint eâdem aquâ, aut calidâ, aut ſubca„lidâ, aut etiam frigidâ, nec utuntur aliô potu „& ita continuant ad 15. 20. aut 25. dies. Illam „radicem faciunt in fruſtula, antequam ponant „in aquam. Habet etiam vim in iis, qui habent „membra malè affecta à frigore, quæ non bene „moveri poſſunt, quem morbum Hiſpani vo„cant Corrimento. Aliqui podagrâ affecti re„perêrunt in iſto potu ſingulare levamen. Pu„tant Sinæ magis notam virtutem iſtius radicis „noſtris Europæis, quàm ſibi; qui iſtum potum „bibunt, comedunt carnem aſſatam & panem bis „coctum: vult enim ſicca & abſumitur ab e„duliis & fructibus. Quando iſta radix eſt viri„dis, ponunt duplex pondus in quantitate aquæ „ſuprà aſſignatâ, quia non eſt efficax viridis, ut „ſicca. Planta eſt ſylveſtris, & naſcitur in ſolô „ſiccô & durô; fortè cura & cultus circa illam „eam faceret vegetiorem. Vas fictile, quod „mitto, habet iſtam plantam, quam poſt duos „aut tres digitos terræ reperies, cum ſuis radici„bus. Quod mihi placuit in eâ, fuit, aliquas „radices teneras & novas incipere pullulare: „iſtudque me movit ad abſcindendum ramum, „qui fortè excurrebat ad decem paſſus, putans „fore, ut, antequam Bataviam perveniret, det „novum. Non facilè credit Veſtra Dominatio, „quâ diligentiâ opus fuerit ad id inquirendum. Hactenus Pater ille; & hæc ferè ſunt, quæ ad elucidationem hujus plantæ Tecum communicare potui. Quodſi poſthac plura eaque certiora de illa ſim experturus, non deſinam & illa Tecum dividere, quòd eò firmius credere poteris, quò conſtantius mihi propoſui impoſterum Te nequicquam celandi. Alias de hac Radice P. Martinium quoque evolvi, & in eô reperi, ſub nomine *ſo-lim*, uſitatiori & radici Chinæ propriô, certam quoque Tuberis ſpeciem venire, quæ ante allegata *Pę-ſolim* eſt & cum *Ubi radzia* Tua inſignem affinitatem habet, niſi quod fungis careat, in quantum experiri potui: ut adeoque non ineptam hîc comparationem inſtitueris; quamvis alioquin ſimplex aliquod Tuber ab alia planta, foliis, floribus & fructibus inſtructa, magis differat, quàm ut ſub eôdem genere, tanquam ſpecies, locari poſſint, ut antehac jamdum annotavi. Vulgaris & uſitata magis Radix Chinæ penes Sinenſes Tu-fo-lim, h. e. folim rubra, audit, quoniam caro ſeu interior ſubſtantia ſubrutila eſt, cùm altera, è Tuberum familia, è contra Pæ-fo-lim, h. e. folim alba dicatur, quoniam caro interior, inſtar argillæ, fiſtulis tabaci deſtinatæ, candicat, quam Natio hæc pro nobili & pretioſô medicamentô venditat, magnique facit, dum eandem nonniſi pro dupla quantitate argenti divendit, ita ut vix magna induſtria portiunculam, hîc adjectam, obtinere potuerim, cui

(a) *Intelligit Auctor capreolos, quos clavicen vocant, ut pictura monſtrat.*
(b) *Hoc illud eſt, quod hîc adjicitur.*

cui de cortice parum adhæret colore intensè fusco prædito & rugoso, qui lignosior & radicosior videtur ac Ubi Radzia Tuæ Claritatis, utpote quæ gryſea magis ac lapidea apparet. Caro Tuberis Sinensis densa & compacta est, neutiquam fungosa, ut P. Martinius erroneè perhibet, candicans simul & quandoque gryſea, absque notabili & sensibili sapore, nonnihil tamen viscosa sub masticatione, neque tam sicca ut caro Ambonicæ, ita ut interior substantia Sinensis terræ Hispanicæ saponiformi (qua fœminæ Persarum capillos suos lavant eamque propterea Gil ser Sjuwi, h. e. Terram capitis lotoriam, vocant) haud absimilis videatur. Tubera autem hæcce non certam quandam & regularem, sed variam habent formam & figuram, rotundam sc. aut oblongam, attamen nodosam & interdum capitis humani magnitudinem præ se ferentem, ut è frusto, mihi ostenso, concludere potui. Interim in aliam adhuc Tuberum speciem incidi, cujus folia atque caulis cum vulgari radice Chinæ conveniunt; & quoniam carnem, colorem, saporem & alias qualitates sibi communes habent, utrumque vegetabile facile sub idem genus redigi posset, eoque magis, quod & vires in Medicinâ utrobique sint eædem aut similes. Quin & inter Tubera Sinensia, mihi oblata, unum reperi, in cujus meditullio, ceu corde, festuca lignea hærebat, in quâ supradicta materia viscosa magis observari poterat: quemadmodum & in reliquorum tuberum carne similes festucas reperi, in quibus, non secus ac in Ubi radzia, oculi quidam seu foramina apparent, si diffringantur: quod eò facilius contingit, quòd tubera à Te mihi transmissa & sub arbore locata in frusta quædam sponte collapsa sint, nondum apparente fungô aut cortice lapidiformi, quibus suum adhuc tempus relinquam.

His ergò exoptatissimis Tuis literis quoad omnia ferè puncta satisfeci, nec quid amplius restat, quam quòd in votis esset, ut iter meum versus plagas Orientales, sub qualitate secundæ Personæ, in Commissione Illustris Dn. Commissarii & Gubernatoris Padbrugge, suum progressum habuisset, quò summi illius honoris particeps fieri potuerim, ut eruditis Tuis sermonibus & multo rerum usu firmata, mihique tam proficua conversatione uti licuisset. Ast mutatio consilii Potentissimorum Statuum & permutatio meæ tenuitatis cum Secunda Persona, in Commissione versus Macassar, effectum hujus tantoperè exoptatæ felicitatis impedivit, utut res cum ultima Legatione adhuc frigidè succedat, ita ut persuasus sim me in Batavia nostra aliquantulum adhuc commoraturum esse, adeò, ut dubiis his temporibus nil certò statuere, sed ubique ferè ambigui hærere cogamur. Licet autem conventus noster, ut apparet, tam citò contingere aut sperari non possit, non tamen in eò penitus desperо, cùm juxta commune proverbium montes & valles quidem nunquam, homines autem toto die convenire soleant. Certa ergò spe detineor tempus & occasionem in tantum Nobis arrisura esse, ut tandem aliquando Nos coram exosculari, mihique tam felici esse liceat familiaritate Tua feliciter utendi. Interea verò amicitiæ nostræ vinculum literis firmabimus, quibus mea ex parte nunquam deero, modò dispositio, negotia, tempus & occasio nobis faveant!

Unius ferè oblitus essem, sc. Cynosbati hinc inde in oris hujus urbis plantatæ. In hoc frutice observatur, quod justo major non aptus natus sit ad formanda sepimenta, quùm trunci nimis crassi & alti evadant, sicque cum aliis non bene combinari possint. Alias arbor hæc magna in copia in hisce Insulis progerminat, quam voce combinata *Rhamnomorum* vel *Rhamno-rubum* nomino, quum virgæ ejus cum spinis & foliis Rhamno, & fructus baccis mori vel rubi similes sint, & ad minimum speciem arbori Tatai-iba affinem constituant, quem Piso p. 163. & Marggravius p. 119. quodammodò describunt & depingunt, quæ tantùm in eò à Rhamno in Batavia crescente differt, quod folia non subtiliter serrata, ut Piso loquitur, neque simpliciter serrata sint, ut Marggravius, habet, sed nec incisa, nec serrata, fructus autem non tam albi vel pallidi, sed flavi appareant, siquidem nec Pisonis nec Marggravii figuræ & picturæ incisuras aliquas aut serraturas in foliis, cumprimis ea quæ dextram tenet, præ se ferunt, altera sinistri lateris ex descriptione fortè coagmentata. Quodsi jam laudati modò autores in foliorum horum incisionibus serratis & colore pallido baccarum quodammodò erraverint (quod ab aliis in quibusdam plantis quoque observatur) nullus dubitarem, Brasilianum & hunc ipsum rhamnum eiusdem speciei arbores esse, quam Malajani & Javani hic locorum *Kadranw* vocant, & non tantum hic, verùm & illic ad tingendum adhibent, si flavus desideratur color. Ad hunc autem lignum & radix annosa expetuntur, è quibus fragmentum ad hoc negotium idoneum limando aut conscindendo usus tempore comminuitur, & tamdiu in aqua coquitur, donec tinctura extravertatur: quô factô decoctum per pannum trajiciunt, colaturam alumine acuunt, baculisque tamdiu exercent, usquedum color sat intensus est & sufficienter adhæret. Hic ergô usus hujus plantæ est, cujus pleniorem descriptionem addidissem, nisi securus essem ipseque crederes illic æquè reperiri.

Cæterum sub hac occasione etiam atque etiam exoptarem, ut cura Tua exacta & quoad omnes circumstantias perfecta descriptione mihi provideretur, qua ratione Tinctura è semine *Galugæ*, quæ alioquin hic locorum *Casamba Ambonica* vocatur, extrahatur, quomodo ad

do ad tingendum adhibeatur, cum omnibus & ſingulis circumſtantiis particularibus hîc obſervandis, cùm his in oris neminem hactenus invenire potuerim, qui accuratam hujus rei notitiam haberet. Aliâs verò è Piſone pag. 133. apparet arborem illam etiam in Braſiliâ, nomine *Urucu*, famoſam eſſe. Quodſi eorum particeps fieri poſſem, redhoſtimenti loco accuratam Deſcriptionem, quâ ratione *Indicum* vegetetur & tinctura inde extrahatur, quave ratione in Arte tinctoria adhibeatur & tractetur? ex propriâ obſervatione conceptam, Nob. Tuæ communicaturus eſſem, quam Dn. Cleyerus, cui ſpontè illam conceſſi, ſecum in Japoniam tranſportavit, me tunc in Bantam conſtitutô. Quamprimum verò manuſcriptum illud recùperavero, ejus Tibi copiam faciam, quam Nob. Tuæ ulteriori ſpeculationi anſam daturam credo, annon & planta

Fraxinus Indica.
Sambucus Indica.
Tangòmæ 2. ſpecies
Beccabunga
Champidaca, quam ignorat, ſed pro arbore habet.
Veronica Javana
Frutex Indic. incognitus.

Indici, ſeu Indigo, non ſecus ac hîc circa Batâviam in Amboinâ quoque ſuccreſcat? quæ lingua genuina Malaijana *Sarap*, Macaſſarica, *Taru*, Balica, *Tahum*, Javanica *Tom:* Tinctura verò ſeu color inde extractus Malaijanis *Nila* & Manangvaboſicè *Tarom* dicitur.

Quoniam de cæterò aliquid temporis mihi adhuc indulgetur, epiſtolam hanc aliquot adhuc quæſtionibus & materiis ampliandam puto, nullô ordine habito, ut mentem ſubibunt, recenſendas. Primò quidem ſcire deſiderârem, ad quas ſpecies referas plantas à Bontio adductas? aut quas de illis conjecturas vel ſpeculationes formes? de ſingulis ſimul ramuſculum ſuis floribus, fructibus & foliis inſtructum expetens, ut eò melius illas diſtinguere valeam, quales ſunt

Planta ſpinoſa incognita, cujus fructus manibus triti fœtidum edunt odorem.
Naſturtium aquaticum
Mangam, fructus apud Indos ſacer.
Mangianam arbor
Cardamomum majus, hyacinthi flore
Guananabanus
Lyſimachium Indicum:

quæ omnes, aut ad minimum quamplures obſcurè & quodammodò dubiè deſcriptæ & indicatæ, indiſtinctè etiam in figuris æneis depictæ ſunt.

Inter transmiſſa hæcce fruſtum ligni illius fragrantiſſimi quoque reperies, quod Indoſtanicè, Brachmanicè, Malaijanicè & Javanicè *Devvadarne*, h. e. *Lignum Deorum* vocatur, & procul dubio *Divvadaar* Avicennæ erit, utut illud nec figurâ, nec foliis aut fructibus cum pino aut ſabinâ conveniat. Interim error hic ab hoc æquè ac aliis Scriptoribus Arabicis, de ſimplicibus agentibus, in deſcriptione ſimplicium ex Indiâ proficiſcentum, ſæpiſſimè committitur. Interim lignum hoc, ob vires ſingulares Medicas, admodum decantatum eſt, quô Perſæ æque ac Arabes frequentiſſimè utuntur. E fragmentô hoc videre poteris, an & illic cognitum ſit?

Addo ſimul fructus quosdam *Sphærularum Saponariarum*, quæ in plaga Javæ Orientali & fortaſſis in ipſis Regionibus Orientalibus ſuccreſcent, & ad lotionem capitis non tantùm, ſed & hic & alibi Saponis loco adhibentur, pro Saraſſis aliisque criſpatis veſtimentis, ſaponem album communem non ferentibus, ſed eô ipſô colorem amittentibus, illis purgandis. Hæ ipſæ *Sphærulæ Saponariæ* in regione Coromandel quidem etiam proveniunt, ſed vix tam magnæ, quàm Javanenſes, magis quoque nigricantes & rugoſæ. Utrobique autem nunquam non tres baccæ ſunt conjunctæ, fibris piloſis ſibi cohærentes. De Coromandelenſibus jam nihil eſt ad manus, alioquin & iisdem Tibi ſerviiſſem. Parùm abeſt, quin ſtatuam, Monardem, fructuum horum mentionem quoque facientem, in figurâ hujus plantæ (ut in aliis quoque) ceſpitaſſe, dum humilem arbuſculam eſſe dicit, cujus folia filici ſint ſimilia: cùm tamen arbor hæc in Coromandel ſatis ſit procera, gravi trunco foliisque longis dimidiam palmam circiter longitudine & ſeſqui digitum latitudine æquantibus, prædita. Alioquin deſcriptio fructuum cum Javanenſi ſic ſatis coincidit, dum pariter 3. conjungit, quod ex aliorum fortè relatione habet. Oviedus altas quidem arbores eſſe dicit, attamen ſimiliter folia cum „filice comparat, hiſce verbis: Folia filicis non„nihil referunt, licet minora ſint. Interim hic in dubiô manet, an vox minora de foliis filicis, aut de foliis arboris ſit intelligenda? altera autem vox, nonnihil, innuit, ſimilitudinem utrobique tam magnam non eſſe, ſed claudicare admodùm; quemadmodum communiter Hiſpani & Luſitani in comparatione plantarum Indicarum cum Europæis infelices admodum & rarò accurati ſunt. Sic Cluſius quoque proximius adhuc ad notitiam hujus rei ſibi acceſſiſſe videtur, quando de fructu pag. 42. 43. Lib. 2. Exot. perhibet, ſe binos in eodem pedunculo inveniſſe. Jam bene quidem recordor, me antehâc in dictâ modò regione in tota quadam arbore fructum unum aut alterum è duabus baccis in duplici pedunculo obſervare potuiſſe: attamen, ut ſupradictum, ordinariè & communiſſime tres, ut dictum, uni eique craſſo pedunculo adhærent, quemadmodum & Bauhinus tres è regione ſitas eſſe ſcribit

ſcribit. Videtur autem non tantùm Bauhini fructus, à Platerô obtentos, è nigrorum & rugoſorum numerô, ſed & Cluſii fuſcos fuiſſe, cum magnitudinis intuitu Coromandelenſibus magis, quàm aliis, affines ſint. Adhæc Bauhini deſcriptio quoad folia majorem convenientiam habet cum Coromandelenſibus, dum foliis mali Perſicæ eadem aſſimilat, in quibus notabilius ferè diſcrimen radicatur, cùm folia reliquarum baccarum ſaponariarum arborum acuminata non ſint, ſed ubique obtuſa videantur, niſi quod pedunculum verſus in acumen oblongum deſinant, ut è figura ramuſculi videre eſt, quem, ob penuriam Pictoris, hac vice delineare non poſſum, ut Tibi eundem comunicare valeam, quod tamen alio tempore fiet: utut hoc ſuperfluum foret, ſi arbor & penes Vos inveniretur. Fructus hujus arboris alias communiſſimè heic in Batavia Nova *Bovval lang' it* audiunt, quoniam nempe Incolæ capita ſua iisdem lavant. It. *Sabondzjaxan*, h. e. Sapo veſtiarius, quia veſtes iis lavant. Malabares in regione Coromandel baccas haſce *Ponnanga-ja* & Telinganenſes *Kunkudu-kaja*, vulgò *Konkre-kaja*, juxta vulgi pronunciationem, vocant: Malaijani de Patani eademque vicinia eaſdem *Bovvaz Perkam*, Javani *Bovvaz Lanak*, & Siamenſes *Dikovve* nominant. In lingua Indoſtanica & Decanica *Uten* audiunt; id quod anſam mihi ſuppeditat, ut conjiciam nucleum ſeu nucem interiorem, quam continent, eſſe *Retab*, vel potius, *Ritab* Avicennæ, per *avellanam Indicam* commodè explicandam: utut fructus conditio, quæ, juxta Plempii verſionem, formam papaveris, quemadmodum Indica nux, habet, non benè concordat (quod in vegetabilibus Indicis illi non rarum eſt) dum nucula, excepto nigrô colore, ut & nucleus, pariter oleoſus, ad nucem avellanam quamproximè accedunt: horumque intuitu denominatio Avellanæ Indicæ tam inſigniter non abludit. Interim nec in hoc certi quid prius concludam, quàm *ritab* Avicennæ è Perſiâ aut Arabiâ obtinuero.

Quandoquidem & certior redditus ſum *Maſſoy* pariter in Siram, & juxta relationem de Macaſſar in Selebes quoque reperiri, hæc autem famoſa ſatis arbos aromatica eſt, quam inter alias Inſula hæc fovet: hinc curioſitate meâ coactus exoptarem, ut Tuo auxilió & favore intercedente ejus deſcriptionem curioſam, una cum ramis quibusdam, foliis, floribus & fructibus inſtructis, exſiccatis tamen & inter chartam, more conſueto, compreſſis, ut & folia quædam, fructus & ſemina ſeparatim obtinere queam, quibus me valdoperè obſtringes, cùm hæc talia magni faciam.

Non minori gaudiô perfundar, ſi parilem deſcriptionem ejus plantæ, unde *Raſamala* aut *Styrax liquida* erumpit, cum foliis, floribus, fructibus & ſemine, curâ Tuâ & proviſione nanciſci potero.

Dn. Hollenius, Eccleſiaſtes Malaijanus hujus loci, aliquando mihi narravit, quòd, cùm retro ædes ſuas, in quadam Inſulâ, aliquot grana de *Cardamomo Minore triangulari* in terram projecta eſſent, planta quædam propullulârit, quæ ſub ejus abitu altitudinem 3. pedum habuerit, apparente jam in ſummitate nodô, ceu floris veſtigiô. Hujus ſimiliter accuratiorem notitiam, tam quoad formam, folia, flores &c. quàm alias circumſtantias deſiderarem, ſi plenaria ejus diſquiſitio Tibi ad manus eſſet.

Interea cum ſalute officioſiſſima & apprecatione felicitatis perpetuæ nunquam non permanſurus ſum

Nobiliſſ. Tui Nominis

Batavia d. 6. Jul. 1683.

Cultor Servusque perpetuus
HERBERT de JAGER.

EPISTOLA IV.

DN. HERBERTI de JAGER
Ad
DN. GEORGIUM EBERHARD. RUMPHIUM.

P. P.

TErtiô hujus menſis die exoptatiſſimæ Tuæ, die 27. Septembris hujus anni ad me datæ, literæ, cum ſimplicibus eò pertinentibus, non ſine gaudiô ad manus meas pervenêrunt, è quibus libentiſſimè percepi, Tibi meas quoque literas, Menſibus Majo & Junio exaratas, unà cum adjectis naturalibus, benè traditas fuiſſe. De cætero autem Te utique excuſandum cenſeo, quòd non ad omnia & ſingula, à me propoſita, formaliter reſpondere potueris, quùm facilè ſupputare valeam, tam anguſtô & vix 6. vel 7. dierum intervallo, quô ob cumulum negotiorum

vix tantillum temporis ſupereſſe ſolet, & quod maximum erat, cum ſummô profectò boni publici damno, proprio oculorum uſu atque beneficiô proh dolor! cares, ſicque tantùm non omnia per aliorum manus, noctu diuque non ſemper paratas, expedire cogeris. Ut adeoque ſufficientes adhuc cauſas habeam Tuæ Nob. ſummas agendi gratias, quòd tantum temporis ſibi ſumere voluerit amandiſſimis ſuis literis me dignandi; quemadmodum & obſtrictus ſum, quòd non tantùm transmiſſa curioſa jungere, ſed & ſpem ſimul facere volueris, quòd & in reliquis deſiderio meo ſatisfieri debeat, cujus effectum, pro meritis ſuis, impoſterum magni æſtimavero, ſimulque non deero Tuis quoque deſideriis, in quantum poſſibilitas & occaſio permittent, gratificari, deque rebus Botanicis tantum communicare, quantum modulus capacitatis, notitiæ & experientiæ, tenuiſſimus licet, admittet. Quamvis Nob. T. magis forte ſatisfacerem, ſi his tantùm rebus vacare & ſine ulla diſtractione procurationes horum ſimplicium, quas inſtituere poſſem, verſus Indiæ oras ubicunque locorum obſervare liceret, cùm intuitu Illuſtris Societatis, hujusque commendatione, ad amuſſim omnia & quoad minima expediri ſoleant: aſt non obſtante ſpe de hôc concepta, promiſſione quoque Tuæ Nob. de omnibus illic procurandis & blandiente fortuna præſentia Tua exoptatiſſima fruendi, (ſi exitus acta probaſſet) ſummæ illæ, quæ in Indiis frequentes ſunt, rerum viciſſitudines & variationes tamen omnia rurſus irrita reddiderunt meque in opinione concepta fefellêrunt, dum iter verſus Occidentem deſtinatum cum alio verſus Orientem permutatum fuit. Quùm enim Illuſtri Dn. Caſember, Directori Perſico, ſub charactere Commiſſarii certum negotium in Perſia & Suratta obeundum collatum fuerit, ab expeditione hac nulla etiam diligentia & deprecatione me liberare potui, dum pro reſponſo obtinebam, exiguam illam, quam fortè mihi comparavi, linguæ Perſicæ notitiam heîc non tantùm proficuam, ſed & ita neceſſariam eſſe, ut ea carere nequeant, ſiquidem hac ipſa præcaveri poſſet, ne talibus fortè contractibus nobis imponatur, qui verbis ambiguis, nocivis clauſulis & formalibus ſuſpectis contra intentionem noſtram innitantur, ut olim Dn. Crinæo aliisque accidit; & quùm experientia mea qualiscunque his in terris ad id negotii quoque requiri videbatur, non potui tandem iter hoc declinare, eoque minus, quod hac occaſione ſimul dignitatem Mercatoris Primarii obtinuerim, cum aſſeveratione ſecuriſſima, me, poſt reditum in Bataviam, abhinc in pace & quiete victurum eſſe, ad ſtudium Botanicum & cultum linguæ Malaijanæ, per Grammaticam, Nomenclaturam & Lexicon è ſcriptis illorum & recentibus linguæ hujus obſervationibus (propriis illi characteribus typis imprimendis) tandem unicè tractandum: ad quæ omnia jamdudum talentum meum (quod novi quàm ſit exiguum) obtuli, dummodò media & requiſita, illic neceſſaria, mihi ſuppeditentur, in quo Illuſtres Societatis Viri ſe neutiquam difficiles præbuerunt.

Interim intuitu ætatis provectioris, aſthmatis & exiguæ ſympathiæ cum aëre marino, ſqualoris navium, deficientium herbarum & olerum recentium, tanquam cibi mihi ſoliti, cumprimis autem aëris peſtilentialis in Gamron & horrendi Oceani fœtoris, illic tunc graſſantis & dum eò pervenimus nobis incommodi, præter alias ibi devorandas moleſtias, nihil favorabilis aut conducibilis mihi promittere poſſum, ut ſub tanta corporis infirmitate omnes illos impetus ſuſtinere valeam. Attamen DEI T. O. M. gratioſiſſimæ diſpoſitioni me libenter ſubmittam, vocatione mea fretus, neque adſuetus ob tot tantaque infortunia, miſerrimæ huic vitæ conjuncta, aut triſtandi, aut ab illa, quæ in fatis ſunt, animum in anguſtias conjiciendi, quem contra illa dudum præparavi atque obduravi. Interim accuratam obſervo diætam, abſtinentiam & uſum eorum quæ pectus calefaciunt, bronchiã pulmonum à pituita liberant & expectorant, idque non tantùm de conſilio Medicorum, ſed & diutinâ experientia propria, quam per operationem diverſorum pharmacorum hôc in morbô mihi comparavi & ex parte ipſemet inveni. Alias niſi hic me affectus detineret, adeò moleſtum id mihi non ducerem, ut potius rem exoptatam reputarem, ut regiones illas, in quibus tot notabilia occurrunt, de novô frequentare & de hôc vel illô naturali curatiorem, quàm anteà vel occaſio, vel meditatio permiſit, inſtructionem mihi comparare liceret: de qua in tantum ſemper Te certiorem redditurus ſum, quantum deſiderio Tuo & ſpeculationi proficuum erit, certâ detentus confidentia, Nob. Tuam ſibi necquicquam, ab alio ſibi communicatum, nec à ſe ipſa obſervatum, arrogaturam eſſe, cujus ſinceræ & rotundo-candidæ rationis modique agendi, à me pariter obſervandæ, nunquam non ſecurus eſto.

Ne verò his profundius juſto immergamur & nimis extra oleas vagemur, paulò propius ad ipſum nos negotium accingamus, atque reſponſa ad Honoratiſſimas Tuas literas urgeamus, oportet, quæ tam citò impertiri non poterant, quoniam navigium priori Commiſſioni deſtinatum jamdum oneratum & præmiſſis epulis valedictoriis ad vela pandenda paratum erat, cùm Nob. Tuæ literæ mihi exhiberentur. Interim non deſtiti literis Bantam, ad Amicos quosdam, miſſis procurare, ut *Gitta Gambir*, quàm expreſsè petiiſti, unâ cùm aliis in literis Tuis memoratis, inquireretur & quantocyus transmitteretur. Equidem apparere poſſet illic rem ſegnius juſtô fuiſſe actam, cùm veriti forte ſint, ne ſerius omnia adventura ſint, cùm indies rumor ſpargeretur, iter noſtrum quamprimũ maturandum eſſe. Attamen

men id excusationis loco adfetuut, quòd istic admodum soliciti & occupati fuerint in præparatoriis ad circumcisionem Filii Regii necessariis apparandis, ipsique Javani non tam facilè adduci possint, neque tam officiosi sint, ut ad primum statim nutum se ablegari patiantur, licet ut primum illud expediri potuerit, satis illis temporis supperierit, cum ob literarum præstolationem dies 29. Novemb. adhuc illuxerit, priusquam de portu solverimus: quod ipsum tamen præter omnium opinionem accidit, alioquin Bataviæ majorem diligentiam adhibere potuissem ad plantas illas acquirendas. Ex votô sane accessissent, nisi 2. aut 3. ante abitum diebus suprà memoratus affectus me corripuisset, meque inhabilem reddidisset, quò minus Præfecto Pit valedicere potuerim, quem summâ, quâ fieri poterat, humanitate rogâram dictas modò plantas per Javanos procurandi, quas, ut per Mercatorem de Horn (qui priori Commissioni Nob. Dn. de Padbrugge interfuit & Tibi haud ignotus erit) sum certior factus, etiam obtinuit; & licet optimus vir omnes hasce plantas in curam suam susceperit, & donec redierim in ædibus suis asservari jusserit, ut Dn. Lycochton, Mercator Primarius & hujus Commissionis Membrum, refert, attamen is postmodum, non sine maxima displicentiâ meâ, peregrè abiit, quô ipsô cognitione & formâ harû plantarum omninò privatus fui, ut adeoque nullum illic experimentum facere, multo minus Tibi meam desuper sententiam aperire valuerim. Quoniam igitur nullum hîc remedium supererat, quàm ut penes supra laudatum Dn. de Horn feriò instarem, ut tria illa simplicia, sc. *Gitta Gambir*, *Bidaram-pute* seu Bidaram albam (quæ nihil aliud quam lotus, Bataviæ pro verô ligno colubrino habita, est) & *cannam Dzierenang* (à nostratibus pro vegetabili Sanguinis Draconis habitam) aut ipsemet Tibi transmitteret, aut Dn. de Vicq, Amico meo intimo & curatori meorum simplicium in Batavia Novâ, commendaret, ut ab hoc ad Te promoverentur. Quùm ergò laudatus Dn. de Horn ad hoc se paratissimum diceret, nullus dubito eundem promissis suis satisfacturum & desiderium Tuum impleturum esse. Quòd verò descriptionem Gitta Gambir concipere nequiverim, ob defectum antopsiæ factum est, adeoque eandem, usque ad adventum nostrum in Malaijam differendam duxi, quam die 9. Jan. hujus anni attigimus, ubi novô, eoque atroci paroxysmo asthmatis mei correptus fui, qui & post abitum per aliquot adhuc dies durabat: ut & tunc ad calamum ducendum prorsus inhabilis & impotens fuerim: Interim tribus, quos illîc consumsimus, diebus tantum obtinui, ut ramusculum de genuinâ arbore Gitta Gambir ferente nactus fuerim, quem versus Insulam Dinding, in tractu Malaijano sitam, & spatio 7. dierum à nobis transfretatam mecum deportavi, unde ramusculum foliis, floribus & fructibus tenellis præditum, in chartâ duplicatâ (quæ binis iterum asseribus interposita est) sub lit. A., per Malaijam, Bataviam novam ad Dn. de Vicq transmisi, ut eundem Tibi, quamprimum fieri posset, offerret, nullus dubitans Te convenienti tempore eundem obtenturum esse, quod auditu mihi gratissimum erit. Quodsi placuerit me literis quibusdam dignari, eô, quô Bataviæ non dego, tempore, modò laudato Dn. de Vicq commendari poterunt, de cujus dexteritate curaque jam securus sum, nec is deerit intentioni & desiderio Tuo quoad omnia assurgendi. Reliquas binas plantas, quarum mentio est facta, libenter etiam inquisivissem, ast quoniam in Malaijâ nullas moras nectebamus, nec illæ tam vicinæ crescebant ut arbor Gitta Gambir, adhæc quoque pluviosa tempestas urgebat, tum temporis fieri non poterat. Si pace commodoque Societatis Illustris fieri potuisset, ut tres aut quatuor menses in Malaijâ permanere & peculiarem herbarum inquisitionem instituere potuissemus, quamplures usquedum incognitæ plantæ potuissent detegi, cum regio hæc vegetabilium feracissima sit, ut non tantùm in Bataviâ novâ, sed & hic haud pauci illîc nati Malaijani retulerunt. Quandoquidem verò id ultra vires & dispositionem nostram erat positum, hinc ab ulterioribus de eô cogitationibus abstrahendo ad *Arborem Gitta Gambir* me converto, ad accuratiorem, quàm quæ è ramusculo, cum foliis, floribus & fructibus exsiccato hauriri poterat, notitiam Tibi impertiendam.

Arbor ergò, quæ ramusculum hunc ferebat, truncum 7. vel 8. pedes altum, sed vix ultra brachii crassitiem habentem, ramosque suos longè lateque, absque nemorosâ densitate, projicientem habebat. Cortex in ramis minoribus, foliis copiosissimis instructis, rubiginis ferè colorem habebat, de cujus forma & figurâ non est ut multa faciamus verba, utpote quæ ex inspectione oculari elucescit. Hoc tantùm præterire non debebam, in ramusculis, ob exsiccationem & compressionem præcedentem, forte minus observandum, colorem sc. in foliis conspicuum, tam in superiori, quàm inferiori parte cum foliis Cheiranthellæ convenire, quibus formâ etiam respondent, nisi quòd longiores quodammodò & corpulentiores sunt. Flosculi ejus parvi sunt & albicantes, constantes ex unico petalo, instar coronæ formato, quinque punctulis, & totidem fibris, sed exiguis & curtis, instructo, è quibus pedetentim nodulus rotundus protuberat, unde fructus rotundus, pipetis aut coriandri grani magnitudinem habens, enascitur. Hic, ubi ad maturitatem pervenerit, albus & in parte superiori quodammodò compressus est, gerens in medio spinam minorem, quam stellula incisa quinque radiorum ambit. Medulla, granulum ambiens & præterpropter grossi crassitiem æquans, tenuem & ex albo-gryseam pelliculam continet, in qua granulum nigricans abscon-

abſconditur, in quô nullum ſenſibilem ſaporem dignoſcere potui. Hæc modò ſufficiant de formâ hujus vegetabilis, quam ramuſculus exſiccatus, cum annexis foliis, magis magisque explanabit, ut arbor hæc ab aliis diſcerni poſſit.

Trochiſcos, inde parandos, quod attinet, ad hos tantùm folia, & interdum aliquid de cortice recipiunt, ſive jam in porphyrite eadem, cum pauca quantitate aquæ, comminuant & in pulv. ſubtiliſſimum redigant, ſive integros faſciculos macerent, aut integra fragmenta coquant: quæ ultima præparatio Malaijanis, ſecunda verò Javanis de Palimbang, Jamby &c. utplurimum familiaris eſt, ita ut poſteriorum trochiſci flavi magis ſint, quàm Malaijanorum, quorum placentulæ externè ex atro-fuſco ad ochræ rubedinem vergunt, &, prout mihi videtur, maſticando majorem gummoſitatem, quàm aliæ, præ ſe ferunt. Hoc credere me jubet ſuccum ob ſui viſcoſitatem tantùm nomen *Gitta Gambir*, h.e. Gummi, obtinuiſſe, dum Malaijani omnes ſuccos arborum, qui viſcoſi, mucilaginoſi & coagulati ſunt, ita nominare ſolent. De Trochiſcis illis Malaijanis hîc quosdam addo, ulteriori Tuæ ſpeculationi ſervituros, cum aliis nonnullis minoribus, intenſiore flavedine præditis, & Malaijæ me intuente paratis, ita, ut è foliis comminutis, cum pauxillo corticis, maſſam quandam formaverint & in trochiſcos illos redegerint, quæ per exſiccationem debitam abhinc conſiſtentiam nanciſcuntur; quæ omnia me certiorem reddidêrunt, plantam hanc genuinam eſſe arborem, unde Gitta Gambir proficiſcitur. Quid quod folia idem adſtruant, quæ cum *Betel* uſurpata eundem ſaporem habent & ſalivam eadem ratione tingunt ac Trochiſci.

Repentem fruticem quod ſpectat, cujus folia Amboinæ, loco Pinang, una cum Siri & calce ſumi ſcribis, de hoc certi quid experiri non potui, ut adeoque Tibi ſolidi quid de eô communicare jam non valeam. Interim percepi in plaga Occidentali de Sumatra, ut & Oris Malaijanis plantam quandam repentem inveniri, tenuibus, oblongis & extus colore cinereo gaudentibus foliis inſtructam, quæ loco Gittæ Gambir cum Betel & Pinang maſticata eundem ſaporem & effectum habere, & linguâ Malaijanâ *Gitta Gambir akra* dicuntur. Per nomen *akra* autem Malaijani non tantùm radicem, ſed & repentem & errabundam humi plantam exprimunt, ut procul dubiô obſervaveris.

Quamprimùm è regione Coromandel Bataviam redii, multa de plantâ quadam, *Gambir* dicta, audiebam, cujus elegantes & fragrantes flores laudabantur admodum: quod anſam mihi ſubminiſtrabat in eas deveniendi cogitationes, an forte genuina *Gitta Gambir* eſſet? Maximam ergo ſolertiam adhibens ut ejus compos redderer, redditus tandem vidi illam genuinum *Jaſminum Catalonicum*, in Hortô Eyſtattenſi depictum, eſſe, cujus arbuſcula à genuinis Malaijanis *Pohon Pakan* dicitur: quod hîc locorum ut obſervarem & monerem, è re eſſe duxi, ne quis nomine hoc Javanico Gambir ſeducatur, ut pro genuina arbore aliam minus genuinam eligat & venditet.

Quod portò *Lingô* Ambonenſium concernit, è comparatione foliorum, fructuum & granorum, à Tuâ Nob. mihi transmiſſorum, cum illis, quæ ab *Angſanâ* arbore ſcaturiunt, tutò concludere licet, utrumque hoc nomen uni eædemque arbori attributum eſſe: utut de aliâ adhuc ſpecie audiverim, quæ in Sillebar, ad oras Occidentales Sumatranas, reperiri & *Angſana Killing* vocari dicitur, quam tamen nondum videre licuit. Hujus poſterioris lignum multò elegantius flammatum dicitur vulgari, rariusque habetur, è quô Javani æque ac alii tubulos acubus recondendis deſtinatos efficiunt, quales à Primiceriis tantum geſtantur.

Quodſi omnes illæ arbores, quæ ſuccum ſanguineum fundunt, eumque coagulabilem & adſtringentem qualitatem habentem, pro arboribus Draconis (ut ipſemet ad minimum exiſtimo, præcipuique Botanici non abludunt) habendæ ſunt, craſſiuſculum & ſanguineum Angſanæ ſuccum profectò excludere nemo poterit: utut tam efficax, & quoad reliquas bonitatis notas, in ſanguine Draconis obvias & probandas, adeo bonus non ſit ac ſanguis aliarum arborum, lignum ſcil. Sandalum rubrum, ſive Caliaturicum (quam pro optimâ ſpecie habeo) præbentium, ut rationes in prioribus meis literis fuſè allegavi. Interim præcisè ſuſtinere nollem ſuccum ſanguineum Angſanæ pro illô ſanguine Draconis habendum eſſe, qui in regione Coromandel, Golkonda, Suratta, in Perſia & Arabia apud Pharmacopolas venum proſtat, indeque per Turciam in Europam tranſportatur. Multò minus induci poſſum, ut credam Dzjerenang, quod è ſpecie quadam fructuum, in arundinibus obviorum, in Palimbang paratur, ſpeciem uſualem illorum locorum eſſe, ſive jam in placentis compreſſis, ſive in panibus adferatur, ut illud de Palimbang, ſive in lachrymis foliis viridibus involutis, ut ſanguis Draconis in Bornêo aut aliis locis obvius: quæ ultima ſpecies utplurimùm melior eſt, quàm prior, colorem etiam intenſiorem & lucidiorem præbet, ad Icones commodiorem, in quem uſum Javani aliique populi eundem adhibent; quamvis & Palimbanicus inveniatur ejusdem bonitatis ac prior erat. Interim ultima ſpecies tam vulgaris non eſt ac prior, quæ valdè adulterari ſolet, una tamen magis, quàm altera. Quænam autem ſpecies pro genuino *Rotang* ſ. junco *Dzjerenang* habenda ſit, è ſupradictis & in Batavia collectis plantis, à Dnn. de Horn & Vicq bene transmittendis, obſervare & colligere poteris, (nî jam ante id detexeris) dum à diverſis Incolis, tam Europæis, quàm Inquilinis, qui in Palimbang & Jamby

Jamby olim vixérunt, pro certô mihi relatum eſt plantam hanc nihil aliud eſſe quam ſcipiones illas Jambynenſes, quæ copiosè olim diſtrahebantur, nunc autem ob deſuetudinem & aliarum introductionem ferè inſuper habentur. Si de Gummate aut Succo hoc accuratiorem deſcriptionem, in exoptatiſſimis Tuis literis mihi promiſſam, obtinere poſſem, gratiſſima mihi foret; quemadmodum & ipſe ſub reditu meo ex hoc itinere, poſt ulteriorem inquiſitionem, fuſior in communicando ero, ut Nob. Tuæ magis ſatisfacere poſſim. Interim ad contenta prioris epiſtolæ me rejicio, quæ de hác quidem materiâ fuſius agit. Quodſi eandem æquè ac adjecta ſimplicia probè ponderaveris, procul dubiô obſervaveris, placentulas transmiſſas, Nucum Vomicarum officinalium figuram habentes, quibus in Regione Coromandel aquas turbidas clariores magiſque limpidas reddere nôrunt, neque ratione magnitudinis, formæ, aut figuræ, neque aliarum proprietatum intuitu ab iis differre, quas Tibi in acceptis fero; quemadmodum & magnitudo, figura atque color illius carnis, in quâ placentula illa continetur, cum illâ, quæ è Coromandel adfertur, inſigniter convenit, quùm ex omnibus, à me viſis, inſignis ſimilitudo eluceſcat, adeò quidem, ut è foliis, ex Inſulâ Timor allatis & ſub primo in Bataviam adventu penes Dn. ten Rhyne exſiccatis à me viſis, ut & ex fructibus obtentis, Te ferè aſſecurare audeam, unam æque ac alteram ab una eademque proficiſci arbore: quemadmodũ & conformitas foliorum, tam figuræ, quàm coloris intuitu, inſignem convenientiam inter Coromandelicum & Timorenſe *Lignum Colubrinum* confirmat, quam inſpectio ocularis fructuum penes me firmiorem adhuc reddit. Nec dubito inter tranſmiſſa ſimplicia Te *nuces vomicas officinarum* etiam inveniſſe, utpote quæ meæ tenuitati non minus ac Veſtro Chirurgo Primario (qui anno præcedente casdem ex Inſulâ Ceilon attulerat) cognitæ erunt.

Ratione Deſcriptionis ipſius arboris Te ad Hortum Malabaricum Dnn. de Rheede ablegaveram, in quô ſatis accuratè, quoad omnes circumſtantias, unà cum figurâ fructuum & Nucum Vomicarum, reperitur, quam tamen elegantiorem, cum ſufficiente declaratione, transmiſi. Adhæc ſpecimen de Nucibus Vomicis Nigris (quas penes nullum hactenus Botanicum videre licuit) inveneris; ut adeoque exiſtimem me de his perfectam Tibi relationem impertiiſſe. Non minus allegavi, quod ex comparatione nucleorum, inſtar placentarum formatorum, poſiturâ item & venarum ramificatione in foliis, ſapore, & eodem ligni colore arborem Nucis Vomicæ pro ſpecie ligni Colubrini habeam: prout è primo fructuum intuitu ipſe quoque judicaſti, in quô prorſus unanimes ſumus. An verò ſupra memoratum vegetabile, ſc. Bidara puteh, vel Bidara alba, ſimiliter cum ligno Colubrino Timorenſi conveniat, ut Bataviæ communiter perhibetur, inſpectio ocularis Te docebit, ſi, uti ſpero, ejusdem particeps redditus eris: de quô judicium Tuum, ſi eô me dignatus fueris, mihi gratiſſimum erit.

De *Cardamomo triangulari Malabarico* nil amplius habeo dicere, dum aliter hic, quam Dn. Hollenius de ſemine è terrâ erumpente affirmabat, à Nob. Tua informatus ſum, cui eò majorem fidem adhibeo, quòd è familiariori converſatione hujus Doctoris haud ita pridem obſervavi narrata illa cum ejusdem memoriâ neutiquam concordare, ut illis tutò fidere queamus.

Ne E. figmentis tempus & verba perdantur, abrumpo hic, ſatis me feciſſe putans, quòd ad puncta in literis Tuis contenta quodammodò reſponderim, dum alia addere tempus non patitur. Quare cum ſalute officioſa & commendatione Divina permaneo

D. in Inſula Dinding die 25. Jan. 1684.

Servus Tuus Perpetuus
HERBERTUS de JAGER.

EPISTOLA V.

DN. GEORGII EBERHARDI RUMPHII
Ad
DN. HERBERTUM *de* JAGER.

P. P.

POſteaquam è literis Dn. de Vicq percepi Nob. Tuam de novô ad Commiſſionem aliquam in Perſiam deſtinatam eſſe, quæ procul dubio per 2. aut 3. annos duratura ſit, hinc ſpes & intentio mea me iterum feſellit, dum ramuſculos quosdam illarum plantarum,

quas à me deſideraveras, procuraveram, ut ad Te mitterentur: quod ipſum nunc fruſtraneum eſſet, quùm modò dictus Dn. de Vicq mihi retulerit, ſe in commiſſis habere, ut literas meas promovere Tibique transmittere debeat; quapropter ad minimum duplices Tuas literas ſine reſponſo relinquere non potui, ſed quæ ſequuntur chartæ mandare volui.

A frontè verò me ſtatim obſtrictiſſimum profiteor, gratiasque refundo maximas pro tot prolixis Deſcriptionibus vegetabilium mihi usquedum maximâ ex parte adhuc incognitorum, è quibus me ulterius informavi & perſpexi *Sandalum rubrum vulgare* à ligno Caleaturico planè non differre, id quod aliquô modô etiam è Cap. XVII. Lib. I. quem Garzias ab Horto de Arom. & ſimplicibus conſcripſit, elucéſcit, qui Sandalum rubrum in Indiâ, circa Provinciam Tanaſſarim in locis Coromandel ſuccreſcere ſcribit: quam Tanaſſarim tamen in nulla mappa Geographicâ reperire licet.

Hâc de cauſâ à ſententiâ meâ nondum abire poſſum, illud ſcil. non minus in plagâ Africæ Orientali (cujus Incolæ penes maximam partem Scriptorum Antiquorum *Zangis* vel *Zingis* vocati ſunt) cumprimis in Madagaſcar reperiri, licet jam non recordar, in quonam itinerariô illud legerim. Adhæc mea ſententia eò non vergebat, ut (quod è literis meis conjeciſſe videris) ſtatuam Malaijanos & Indos Orientales navibus ſuis puſillis & debilibus Africam olim petiiſſe illudque exinde deportaſſe. Hoc tamen me legiſſe memini, ipſique veritati veriſimile videtur, Veteres Arabum Mercatores circa mare rubrum idem illîc coëmiſſe & à loco fortè ſic denominaſſe. Neque enim per ſomnium mihi imprimi poſſet, vocem *Zingi* Malaijanis aliisque Indis nigrum colorem denotare, quòd nuſpiam audivi, ſed in Lexicis potius, tantùm non omnibus, vidi idem carottam nigram ſignificare, ſive jam Africana ſit, ſive Indica. Quapropter pace Tuâ ea me ſpes tenet poſthâc adhuc aliquem detecturum, unde genuinum Sandalum rubrum, à Luſitanis tantô in pretiô habitum & in minimis fragmentis hactenus divenditum, originem ſuam trahat: dum inter illos usquedum neminem invenire poſſum, qui lignum Caleaturicum pro Sandalo rubro acceptare velit, cùm tamen Chinenſes non minorem ejus notitiam habeant illudque *Tzidji* vel *Tzidoc* (è quô bacillos cibarios, Tibi non ingnotos, parant) vocent, perhibentes illud in Siam & Gambodiâ quidem ſuccreſcere, ſed à Sandalo Rubro diſtingui.

Imò, ſi nullum inter ligna hæc diſcrimen intercederet, inhumaniter profecto Amboinæ egiſſemus, quòd Amicis noſtris è Bataviâ Sandali rubri intuitu tantas moleſtias creaverimus, ut parcè illud, in fragmentis minoribus, obtinuerint. Facilimè ſanè quis tudites aut ſellas veteres, è ligno Caleaturico conſtantes, in fruſta comminuere potuiſſet, quales in omnibus ferè ædificiis inveniuntur, ſicque Sandalum rubrum magnâ in copiâ nobis ad manus fuiſſet, dummodò quis illud à nobis acceptaſſet. Interim ambabus etiam manibus largior ex arbore ſæpius jam adducti ligni Caleaturici ſuccum rubicundum obtineri poſſe, qui pro Sanguine Draconis haberi poſſet, dum utique videtur gummi hoc è diverſis ſpecie arboribus obtineri; quoniam verò illud nondum vidi, tantiſper illi inhæreo, quod vulgus hîc pro Sanguine Draconis venditat & lingua Malaijana Dzjerenang vocat. Apportatur autem è Sumatra & quamplurimùm è Palimbang, ita ut ſpecies vilior & communis in placentulis, optima verò in lachrymis appareat. Utraque, juxta relationem eorum, qui ſuis id oculis viderunt, à quadam ſpecie arundinum craſſiorum proficiſcitur, quales hîc in Amboina quidem reperiuntur, ſed rubrum ejusmodi ſuccum non ſuppeditant. Si Nob. Tua diutius in Batavia permanſiſſet, dubio procul non tantum ipſius ligni, ſed & gummatis, imò juxta relationem, ramuſculi alicujus particeps fieri potuiſſem, quod nunc differendum erit.

Schœnanthum genuinum & ſincerum, à Te in Coromandel obſervatum, à gramine odorato Sirce diſtinctum eſſe libenter etiam concedo. Interim mea opinione Sirce noſtras pro quadam ejus ſpecie haberi poſſet, dum radix ejus tam fragrans & aromatica eſt, ut crederem eandem genuino Schœnantho neutiquam ceſſuram eſſe, eoq; minus, quod roſeus illi odor junctus eſt. Unde & penes Scriptores quosdam obſervo radicem Schœnanthi ab illis pro Galanga minore haberi.

Ramuſculum transmiſſum è *Rhamno rubro*, qui juxta tenorem literarum Tuarum à Cynosbato circa Bataviam frequenti proficiſcitur, primô ſtatim intuitu pro illa ligni ſpecie agnovi, quam Malaijani *Cudrang* vocant, licet ab Amboinica quodammodò differat, cujus ramum Tibi transmiſſurus eram. Miror autem valdè è tot Incolis Batavis, huc annuatim venientibus, cumprimis fœminis illis quæ lignum Cudrang rotundes ad colorem flavum adhibent, nemo mihi dicere potuiſſe, illud nihil aliud, quàm Cynosbatum Batavicum eſſe, imò ejus loco aliam, toto genere diverſam, ſpinam paucos ante annos è Batavia huc attuliſſe, quæ baccas rubras profert & Cynosbato communi, in Patria noſtra frequenti, haud diſſimilis eſt.

Divadaroc hîc in Amboina ignoratur, eoque magis, quòd ſpecimen primum mihi transmiſſum tam exiguum erat, ut nullam inde traducem petere licuerit. Dubito an hoc Divadaroc non conveniat cum *Djudar* Bylbaridis, quod Golius in Lexico ſuô Arabicô per *Arborem Dæmonum* interpretatur & pro *Sabina Indica* habet. Alii arborem tympaniſtriam vocant, quoniam ramis ſuis, vento flante, tantum ſonum edit, ac ſi tympana pulſentur; quapropter noſtrates de ſimili arbore mentionem faciunt, quam pariter pro ſpecie Sabinæ habemus & arborem

Caſua-

Casuariam dicimus: de quâ ramusculum his inclusi, Tibi transmittendum, quò cum Persarum Djudar, si forte occurrat, conferri & comparari possit.

Tres Species *Caryophyllorum Regiorum* (quæ Tibi à Dn. Abraham Boudens ostensæ sunt & inter quas binæ rarissimæ species ante XXX. annos in Ternata succrescebant, tertia, vilior autem, hîc in Amboinâ reperitur) à certis arboribus proficiscuntur, quæ vegetatione & figura ligustro ferè similes sunt, nequicquam ferentes aliud quam fructus illos, utut Ternatenses blaterones Tibi aliud persuadere conati sint. Certissimus sum neminem ex illis genuinam caryophyllorum regiorum arborem, in Macquiam tantum crescentem, vidisse unquam, quùm ante XXX. annos eradicata fuerit. Hi autem fructus à Seniori nostro Gubernatore, Jacobo Hustaart, pro insigni donô concessi sunt, utpote quorum nulli amplius in hoc Universô reperiuntur.

Corticem & radicem vulgaris Caryophyllorum Arboris jamdum mihi procuraveram, ut Nob. T. transmitterentur, unde haurire potuisset nec in cortice, nec in ligno vim aliquam aromaticam aut oleositatem latere, unde gummi quoddam coagulari posset, ut in Europâ, quod inaudio, fabulantur. Ad minimum Tibi asseverare possum nondum gummi quoddam genuinum, aut resinam inde ortam, me vidisse, quæ & Incolis hisce prorsus incognita sunt.

Fortassis illud, quod pro gummi caryophyllorum in Europâ venditatur, arbori cinamomi Amboniæ debetur, quam sub exsiccatione caryophyllorum fortè adhibuerunt, quùm olim caryophyllos aliâ, quàm hodie fieri solet, ratione depuraverint.

Reliquis in Epistolâ Tua contentis simili ratione respondere hâc quidem vice justo prolixius foret, quapropter idem ad reditum Tuum in Bataviam differendum duxi.

Interim confido Te, ut jamdum sollicitavi, fasciculum *Schœnanthi genuini* allaturum, aut potius præmissurum, quod in oris superioribus affatim proveniet. Interim pars radicis adhuc cohæreat, oportet, ut cum nostra Sirce conferri possit. Quemadmodum & *Calamum Aromaticum* fide dignum expecto. Ramusculorum ligni Caleaturici verò transmissionem nec iter, nec conditio Tua admittent.

Gemmæ, quas *Oculos Cati* vocant, Tibi fortè haud ignotæ erunt, dum plurimæ in Insulâ Ceilon inveniuntur. Persuadere mihi sustinent easdem è Conchis, Matri Perlarum haud dissimilibus, obtineri, cùm tamen omnes Gemmarum Scriptores easdem hactenus pro lapidibus fossilibus habeant. Quodsi certiorem earum habeas notitiam, fac, quæso, ut & ejusdem particeps reddar.

Similiter in Regionibus à Te peragratis lapilli quidam, *Mesticas* dicti, reperiri dicuntur: quô nomine illi quidem lapides donantur, qui in certis fructibus, lignis, aut animalibus inveniuntur. Quemadmodum in quibusdam *Nucibus*, *Calappis*, dictis lapillum candidum inveniunt, quem *Mestica Calappa* nominant.

Scire item desiderarem, annon in aliis quoque Regionibus *Lapides fulminares metallici* inveniantur, ex auro, cupro, ferro, partim unius tenoris, partim mixti (metallico-lapidei) conflati? quales hîc ostenduntur. Binos ipse in Patriam misi, rubrum q. cuprum præ se ferentes, attamen mixta substantiâ gaudentes.

Non minus ab aliis certior sum redditus Nob. Tuam in Regione Coromandel certam arenam inveniisse, è quâ tantum orichalci extractum fuerit, ut integram civitatem eô muniri curaverit: quod prorsus insolitum mihi visum, cùm nunquam de *arena* ali *cuprifera* quid audiverim.

Suprà allegata *Arbor Casuaria* alta satis & procera est, tam in litoribus maris, quam montibus succrescens, fructus ferens squamosos, instar Nucum Cupressi, qui in campestribus arboribus rotundi, in montanis autem oblongi sunt, instar cylindri, Truncum habens durum, nigricante ligno præditum nullamque resinam fundens.

Scribas, quæso, an *Arbor Capoc* adinstar aliarum arborum lanam teneram submministret, ut Gossypium, cujus magna copia in Insula Tilos invenitur, differens tamen ab eô, quod in herbis invenitur.

His cum apprecatione felicissimi itineris & salute officiosâ DEI T. O. M. tutelæ Te commendo, restitans

Nob. Tuæ

Amboinæ, in Castello Victoriâ, die 6. Maji 1684.

Servus & Amicus

RUMPHIUS, Mercat. Senior & Consul Ambonensis.

EPISTOLA VI.

DN. HERBERTI de JAGER

Ad

DN. GEORGIUM EBERHARDUM RUMPHIUM.

P. P.

QUandoquidem Commercium Tuum literarium, cumprimis in rebus ad Botanicen ſpectantibus (de quarum inſigni notitiâ, experientiâ & obſervatione meritò gloriari vales) longè acceptiſſimum ſit; hinc ad ejusdem continuationem, pro meâ tenuitate, præſentibus literis primam occaſionem rurſus ſubminiſtrare volui, certò confidens Nob. Tuam pariter eò inclinaturam, ut ad renovandum illud & alendum omnia rurſus in priſtinum ſtatum reſtituantur, ſimulque illis quæſtionibus & petitionibus, quas jamdum in prioribus meis literis commendavi & nondum reſolutas novi, commodâ Tibi occaſione, ſatisfiat, & pro inſignis Scientiæ Tuæ modulo lux aliqua affundatur; quemadmodum & meâ ex parte non deero pro virili & abſque ulla reſervatione, quoad omnia à me deſideranda, ſincerè inſervire, de quo nullus, quæſo, dubitare velis.

Ut ergò, quoad priores res Botanicas, ad illos, ubi ſubſtitimus, terminos redeamus, literas antehâc inter Nos reciprocatas eum in finem non tantum percurri, ſed & omnia illa, quæ non tantùm Dn. de Vicq, ſed & Dn. Cleyero, amicis meis integerrimis, ut à me inquirerent, commendaſti, denuò quæſivi & reperii, quòd inter Nos ſequentia adhuc decidenda ſint, quæ ut recenti memoriâ reſerventur, breviter ſubjungenda duxi.

Primum, quod per B. Dn. de Vicq expetii, deſcriptionem aliquam & jungendum ramuſculum cum foliis, fructibus & floribus certæ ſpeciei *Ganitri Ambonici*, de quo jam ante fructus quosdam transmiſeram, nullam tamen Reſponſionem aut informationem receperam, concernebat.

Adhæc obſervo Te per Dn. de Vicq deſideraſſe, ut ratione *Semberani*, ſeu, ut Amanuenſis Tuus expreſſit, *Samberanæ*, percontarer, quale ſuffimigii genus ſit? & de quanam arbore illud profluat? Quoniam ergò me illud explicaſſe non memini, hinc me obſtrictum eſſe ſentio Nob. Tuam certiorem reddendi, quod in Regione Coromandel hôc nomine *Benzoinum* veniat, quò idola ſua ſuffire ſolent, ut certâ mihi experientiâ conſtat.

Porrò in Epiſtola meâ die V. Maji 1683. exaratâ & appendice die 20. annexâ Nob. Tuæ ſpecimen *Caryophyllorum Spuriorum*, ut & *Sylveſtre Macerus genus* (quæ utraque in Golkonda reperi) transmiſeram Tuumque ea deſuper judicium, cum ſuccincta manuductione ad dignotionem arboris, cujus cortex *Culit Lawang* dicitur, quæ & qualia ſint folia ejus & fructus? petieram. Verùm neque de his, neque de aliis nonnullis fructibus *Fagaræ*, ſeu, ut Avicenna loquitur, *Fagabari*, quicquam obtinui; quos ultimos fructus eam ob cauſam addebam, ut experirer, an eosdem penes Vos jamdum inveneris? an verò poſthâc inventurus ſis? dum in prima Parte Itinerarii Indiæ Orientalis (quod in quartô majori editum eſt) ſtatim poſt deſcriptionem urbis Bantam, ubi ſimplicia Inſularum Indicarum recenſentur, habetur illos in Javâ reperiri, in quâ eosdem uſque in hûnc diem indagare non potui, licet definire nollem, eosdem hic planè non ſuccreſcere, quùm hâc vice tantùm exiguam Plantarum Javanicarum quantitatem poſſideam, in quas ipſemet incidi. Interim è relatione Avicennæ patet hunc ipſum fructum è Sofalah, loco plagæ Orientalis Africæ, proficiſci, quem Luſitani hodie inhabitant. Interim uberiorem informationem de Caryophyllis ſupradictis ſylveſtribus, Macere ſylv. Culit-Lawang & Fagarâ (à Brachmanibus pro Cubebis habitâ) à Tuâ Nob. expeto & expecto.

Videris etiam inſtrui velle de primâ ſpecie Ligni Colubrini, quam Garzias ab Horto habet, & à Bauhino Clematis Indica foliis Perſicæ & fructu periclymeni vocatur, Luſitanis autem *Rayz de Moncus*, h. e. *Radix Monci* eam ob cauſam audit, quod ſpecies quædam Muſtelæ, Moncus dicta & Tibi haud ignota, radicem hanc, ſi inter luctam cum ſerpentibus morſu vulneratur, inquirere, & quò contra virus ejus ſe præſervet, maſticare dicitur. Unde & virtutes hujus radicis detectæ & ad uſus Medicos adhibitæ fuerunt. Hanc ergò plantam primus ego, quantum mihi conſtat, hic locorum in apricum protuli, idque non ſine admiratione ſummâ, quùm Javani, Malaijani aliique Indigenæ adeò nullam ejus notitiam habuerint, ut & nomen hoc ignorarint, multò minus inſignes virtutes contra venena experti ſint. E paucis audivi, eosdem radicem hanc, ob ſummum ejus amarorem, *Hampaddu Tannah*, h. e. fel Terræ, nominaſſe: quod nomen tamen aliæ herbæ tribuimus, quæ cum hâc ipsâ nullam planè ſimilitudinem habet. Antehâc Nob. Tuæ radiculam de verâ & genuinâ ejus ſpecie transmiſi, qualem & hâc

hâc vice de novô adderem, dummodo ejusdem particeps essem; quin imò plantam adhuc virescentem in fictili, cum floribus & fructibus, adjecissem, ut perfectam ejus ideam quoad omnes partes Tibi formare, & an illîc (ut nullus dubito) redundet, dijudicare potuisses; postquam verò navis hæc Ternatam abiens (quâ præsentes literas transmitto) jam in procinctu erat anchoram solvendi, hinc impossibile mihi erat hæc omnia procurare, propediem tamen, si Deus vitam & occasionem indulserit, certe & indubitato secutura.

Interim in transitu notari adhuc velim duas hujus plantæ species reperiri, alteram rubicundis, alteram albis floribus instructam, quæ posterior genuina & magis usualis est, dum pagani in regione Coromandel inter plantas congeneres tantùm præcipuas, è colore florum distinguendas, in usum adhibere solent, ita ut illas quæ floribus albis sunt præditæ pro efficacioribus habeant, ut in quampluribus observavi.

In Epistolâ mea die 6. Julii 1683. perscripta indicavi, quænam plantæ ex illis, quæ in I. & II. Tomo Horti Malabarici depictæ & descriptæ sunt, hîc in Batavia nondum à me visæ sunt, sc.

Aroalu	*Appel*
Murotti	*Schageri cottam*
Mail-anschi	*Panel*
Cumbulu	*Nodum-Schotti*
Canschi	*Schorunam Cottam.*
Curatu-pala	*Modera-canni*
Codaga-pala	*Peragu* &
Tinda parva.	*Codiavanacu.*

simul rogitans, ut reciprocè mihi aperire velis, quænam ex his illîc reperiantur & quomodo in lingua Malaijanâ, aut Vernaculâ illîc recepta, denominentur: quas inter & illas intelligo, quæ in III. IV. V. & VI. Tomo hujus Horti continentur, in quantum scil. opus hoc jam Typis est expressum, cujus ultimus Tomus arbores tantum & elatiores plantas comprehendit, minorũ & propriè sic dictarum verò nullam mentionem facit, cùm Nobiliss. Dn. de Rheede illi nondum colophonem impositurus esse videatur, eâdem methodo omnes frutices & arbores forte subjuncturus. Quodsi autem tandem aliquando accessuræ sint, non intermittam speculationes meas de iis, quæ hîc crescunt, annotare, Tibique (ut reciprocè expeto) communicare.

In eâdem Epistolâ (ut adhuc) in votis habebam, ut conjecturas Tuas de sequentibus plantis, quarum Bontius meminit, rescire valeam, quæ ita vocantur:

Nimbo 1. & 2.
Planta spinosa & incognita, cujus fructus manibus triti fœtidum odorem spirant.
Acacia
Duæ species Jangomæ.
Beccabunga.
Nasturtium aquaticum.
Mangam, fructus apud Javanos sacer
Champidacea, quam ignorat, sed pro arbore habet.
Cardamomum majus, hyacinthi flore.
Veronica Javana.
Frutex Indicus incognitus.
Gentianella Indica.
Guananabanus.
Lysimachium Indicum:

quæ partim obscurè, partim ambiguè descriptæ sunt, partim simplicissimè, sine delineatione nominatæ, vel ad minimum pessimè depictæ & descriptæ sunt. Quemadmodum igitur non dubito Te magnam illarum partem dilucidare posse, sic cogitationum tuarum me participem fore spero.

His expeditis effluxo nuper anno 1683. contra omnem intentionem & expectationem meam haud ignotæ Tibi Commissioni Persicæ irretitus fui, quæ cursum filumque studii mei Botanici denuò interrupit, ita quidem, ut ad præsentem horam in pristinum & consuetum antea stylum redire nequiverim; & quamvis illîc locorum optima quoque occasio se tulerit aliquid notabilis in hâc scientiâ lucrandi, attamen cum summo meo cordolio tædioque eandem derelinquere coactus fui, dum sub imperiô eorum vivere cogebar, qui speculationes ejusmodi non tantùm summo prosequuntur odio, sed & pro vitiis & criminibus habent, imò illarum intuitu me variis injuriis persecuti sunt.

Missa interim tædiosâ & adversâ hâc materiâ nostrum jam urgeo negotium, Teque celare non possum Dn. Laurentium Pitth, t. t. Præfectum Supremum, nunc autem Gubernatorem regionis Coromandel, precibus meis adductum, eôdem, quô navim conscendebam, die (qui 29. Novembris erat) ramusculos arboris Gitta Gambir, de Bidara portu (pro ligno Colubrino habita) & de Rotan Dzjerenang (unde gummosum succum elicere nórunt, quem pro genuino Sanguine Draconis habes) cum foliis, floribus & fructibus, curâ suâ ex sylvâ obtinuisse, nullô mihi tempore relictô, ut eosdem inspicere & considerare potuerim. Quapropter omnia Dn. Petro van den Hoorn, è Comitatu & Commissione Illustr. Dn. Padbrugge versus plagas Orientales destinata, me tunc ad Navim comitanti, commendavi, ut eadem aut Tibi immediatè, aut hunc in finem Dn. de Vicq, beatæ memoriæ, transmitteret. An ita factum, nec ne? & an plantas modò dictas obtinueris? usquedum rescire non potui; quemadmodum nec constat an ramusculum de Gitta Gambir, cum floribus & fructibus novellis, primò inter chartam duplicatam & abhinc denuo inter duos asseres compressam, sub lit. A. cum duplici specie rotularum de Gitta Gambir, alteram quidem Malaijanam communem, alteram in præsentiâ meâ elaboratam, de dato Dinding, die 25. Jan. 1684. sub commendatione ad supradictum Dominum de Vicq, una cum literis meis, acceperis.

Ab eô tempore in Spahan, Regis Perſiæ Sede, humaniſſimas Tuas, die 6. Maji A. 1684. ad me datas literas, effluxis jam 5. anni quadrantibus, præterea verò nullas amplius accepi, quibus ſub reditu meô ex Perſiâ ſtatim reſpondiſſem, niſi interea & reſponſorias ad Epiſtolam meam, die 25. Jan. A. 1684. ad Te perſcriptam, expectaſſem, quò ambabus ſimul ſatisfacere poſſem. Quandoquidem verò reſponſio Tua prorſus emaneat, dubito fere, an epiſtola mea, cum annexis, Tibi tradita ſit? quapropter è re eſſe duxi, ut tùm ultimis Tuis ſatisfieret, tum & copia prioris epiſtolæ, de novô deſcriptæ, adderetur, ne in omnem eventum illâ prorſus careres, ſimulque ea, quæ deſideraveram, adhuc complere valeas. Addidiſſem ſimul priores plantas, ſed usquedum easdem recuperare non potui, licet ſummam illic diligentiam adhibuerim. Poſtquam Nobiliſſ. Dn. Iſaac S. Martin, Conſiliarius Indiæ Ord. Major &c. (Vir non tantum noſtris, ſed & omnibus honeſtis ſtudiis faventiſſimus & ob merita quamplurima alibi laudandus) tam benignus fuit, ut pro inſigni, quâ penes Incolas hujus loci pollet, authoritate, quamplures easque rariſſimas plantas, in Sylvis Javanorum ſuccreſcentes, mihi procuraverit, aliàs nunquam fortè obtinendas: hinc certa me ſpes tenet, fore, ut durante hoc favore & benevolentiâ ſupradictarum herbarum rurſus particeps fieri poſſim, quô caſu certò illas obtinebis.

His pro introitu neceſſariò præmiſſis, ad reſtaurandum commercium noſtrum literarium illudq; in priori ſerie conſervandum, reſponſionem jam molior ad exoptatiſſimas Tuas literas, die 6. Maji 1684. ad me datas, è quibus perſpicio Nob. Tuam jamdum ramuſculos nonnullos eorum vegetabilium, quæ deſideraveram, in promptu habuiſſe mihique deſtinaſſe, absque tamen effectu, cùm iter meum Perſicum intervenerit; quapropter nullus dubito Te iis me aliâ vice, data tamen commodâ occaſione, dignaturum eſſe, cùm Bataviam meam repetierim.

Quòd verò tam prolixas pro communicatione & deſcriptione tot plantarum ante incognitarum gratias mihi agas, Tuæ potius civilitati & favori, quam rerum meritis adſcribendum duco, quùm me felicem æſtimare ſoleam, ſi quocunque Tibi negotio gratificari poſſim.

De cætero video Nob. Tuam jam plenius informatam certò credere Lignum *Sandalum rubrum vulgare* à ligno Caleaturicô diſtinguendum non eſſe, ad ejus confirmationem allegando Garziam ab Horto Lib. I. Arom. cap. 17. utpote qui expreſſè habet illud inter alia in locis maritimis regionis Coromandel ſuccreſcere; quamvis paulò poſt ſententiam hanc ironicâ quâdam objectione & irriſione rurſus evertere ſtudeat.

Ut ergò totum hoc de *Sandalo rubro* negotium (quô tantum chartæ jam ante replevi) brevibus & dilucidis terminis expediam & reſolvam, *Sandalum lignum* in *3. Species* diſtinguam, ſcil. 1. *Citrinum*, ſub quo & album comprehendo, ab una eademque arbore proveniens, ut abundè Tibi conſtabit. 2. *Sandalum Rubrum commune*, in Arte Medica uſuale, in Perſiâ, Arabiâ, Turciâ & Europâ ubivis obvium & 3. *Speciem* illam *rariorem & pretioſiſſimam*, cui tam mirandas & inſolitas virtutes adſcribunt, ut haud paucæ ingenium fidemque humanam ferè ſuperent: de quô multa quidem audivi, licet tam felici mihi eſſe non licuerit, ut vel unquam illud videre, vel, ubi proſtet, experiri potuerim. Quod jam primum attinet, citrinum ſcil. & flavum, de eô nulla nobis lis intercedit, idque hâc de causâ prorſus ſeponemus; ad ſecundum potius, ſeu Rubrum me convertens, repeto illud cum ligno Caleaturicô prorſus convenire & ab hoc nequicquam differre, utpote quod tum demum pro Sandalo rubro divenditur, ſi plures annos habeat, cùm arbores fragrantes Indiæ, tantùm non omnes, ultimis ætatis annis tam odorem quàm virtutem efficaciorem habeant, ut in Sandalo flavô ſatis ſuperque conſtat. Illud autem genuinum Sandalum eſſe ipſum teſtatur nomen, dum Brachmanes aliique Pagani in regione Coromandel, plantarum cognitionem aliquam habentes, in eô prorſus concordant, quòd lignum hoc Caleaturicum lingua Sanskriticâ *Rahka-Tsjandanam*, h. e. Sandalum Sanguineum ſeu rubrum: Decanicâ autem, h. e. ordinariâ Indorum linguâ, ab originali quodammodô deflectendo *Reket-Tsjandam*, eâdem ſignificatione dicitur. His ſanè in denominatione & cognitione ſimplicium, Regioni ſuæ propriorum & uſualium, tutò fidere poſſumus, eoque magis, quod vox *Tsjandam* per Arabes in *Tſandal* mutata ſit, ſicque ab iis ortum ſuum habeat, quæ cum ipſô lignô, per frequentationem Indiarum, primùm in Perſiam, Baſram & Arabiam traducta, & abhinc in Europam, pro uſu & commodo Artis Medicæ, delata fuit, de qua ab Anteceſſoribus noſtris ne ullum quidem veſtigium nobis eſt relictum.

Ratio autem, cur illud Sandalis annumeratum ſit, hæc fuit, quoniam annoſum exſuccum & calidum redditum odorem ſandalinum de ſe edit, qui eô fortior & penetrantior eſt, ſi circa id tempus feſtucam ſubtilem inde reſcindimus & extemplô naribus admovemus: utut lignum ipſum, ſi arbor cæditur, eô tempore ſenſibilem Sandali odorem ſpargat, eoque penetrantiorem quò vetuſtior eſt arbor, quem tamen odorem diu non ſervat. Quoniam igitur ligni hujus odor volatilis nimis & ſuperficialis eſt, hinc Paganis nuſpiam tanto in pretiô, quo flavum venit, habetur, ſed parvi conſtat. Inde quoque eſt, quod idem rarò, aut nunquam, ad inunctionem corporum ſuorum, ut alia Sandala, adhibeant, pereunte facilè

facilè & fatiſcente ejus odore, cujus intuitu Sandalo huic rubro quoque nomen *Hoë-Tsjandanam* dederunt, quod eruditâ Brachmanum linguâ Sandalum vile notat. Hoc fortaſſis movit Matthiolum, ut ſcripſerit lignum Sandalum rubrum in ſe & ſuâ naturâ nullum habere odorem, eumque, quem fortè ſpiret, Sandalo flavo alboque, quôcum fors involutum erat, in acceptis ferre. Quùm verò arbor Sandali rubri nullâ ex parte, ſicque nec foliorum, nec florum aut fructuum intuitu, cum Sandali albi aut flavi arbore conveniat, adhæc nullum quoque odorem ſpirare dicatur, quærerem ex optimo hôc Botanicô, cur & quô fundamento lignum ejus arboris (quæ lignum Caleaturicum ſuppeditat) nomine ligni Sandali donetur? quemadmodum è contra comprehendere non valeo, quâ ratione lignum hujus arboris, quæ & odorem & denominationem ligni Sandali (& quidem in illa regione, ubi creſcit & nomen ſuum obtinuit, ac ad Perſas, Arabes & abhinc ad Europæos transplantatum fuit) habet, pro ligno Sandalo agnoſcere renuere aut dubitare debeamus? quò & Tua Nobilitas ægrè ſe perduci paſſa eſt. Licet enim in ultimis ſuis literis conceſſerit Lignum Caleaturicum cum Sandalo coincidere idemque verbis expreſſis ſcripſerit, attamen verba inſequentia, de mercatura hujus ligni adhibita & ironicè expreſſa, clarè adſtruunt hanc Nob. Tuæ declarationem ſeriam non fuiſſe, ſed in contrarium potius inclinare; quem in finem & adjeciſti Luſitanos ipſosque Indos, quos conſulueris, Lignum Caleaturicum pro Ligno Sandalo rubro acceptare noluiſſe, Chinenſesque inter utrumque differentiam quandam conſtituere. Jam q. Perſonas has pro Viris expertis habere non detrecto: interim quæri poſſet, an quidam ex illis dictam arborem Caleaturicam, ut & alteram, quam pro verâ arbore Sandali rubri habent, propriis hauſerit oculis? & licet hæc omnia adſtruere audeant, non tamen omnia ſtatim in vado erunt, ſed quilibet exactiſſimè de figurâ & partibus utriusque arboris, una cum vegetatione & transplantatione hinc inde diſtinctiſſimè examinandus eſſet, cumprimis autem, an Lignum Caleaturicum annoſum odorem ſandalinum ſpiret, nec ne? Quodſi hoc negaverit, certiſſimum eſt neutiquam certam illum arboris cognitionem habere, ſed ſententiam ejus nullam eſſe. Sin odorem aliquem illi tribuat, porrò inquirendum eſſet, cur igitur Sandali arboribus eandem non accenſeat? cur alteram arborem (quam tantiſper dari ſuppono) illis accenſeat, priorem verò excludat? imò intuitu arboris Caleaturicæ porrò tentari poſſet, anne ipſi conſtet partem exteriorem hujus arboris, cumprimis ſi nondum annoſa eſt, albeſcat, conquaſſata tamen preſſaque ſuccum rubicundum inſtar ſanguinis ploret, qui colore rubinum Peguanum cum ſplendore vitreo qſ. referat & pro optimâ quavis Sanguinis Draconis ſpecie venditari poſſit, ut poſtmodum fuſius dicetur. Quodſi jam homunciones illi de duobus lignis his (quorum alterum certum, alterum tantum imaginarium eſt) ex omni parte, pro & contra, mox clarè & diſtinctè, mox per ὕστερον πρότερον examinaverimus, nullus dubito aſſertiones illarum valdè dubias & diſcrepantes fore, ita ut difformitate ſuâ haud obſcure ſe ipſos confuraturi ſint.

Sed quid pluribus huic de Sandalo tali, penes me adhuc prorſus imaginariô & putatitio, negotio immiſceo, cùm genuinum jamjam oſtenderim & derexerim? & cur meræ traditionis rationem adhuc habeo, quæ aut omnino non, aut paucis tantùm, iis in locis, ubi Sandalum rubrum reperitur, ſine omni tamen fundamento aut demonſtratione, innotuit? dum ex adverſô authoritatem tot Nigritarum Indigenarum (quos Chiolias vocant) qui aut Incolæ ſunt regionis Coromandel lignum Caleaturicum fundentis, aut ab illis oriuntur, illic etiam fuerunt hicque Malaijanis aliisque ſub communi Chadzias nomine notiſſimi ſunt, à mea parte ſtare video. Omnes enim illi, quotquot hac in re conſului, unanimiter fatentur lignum Caleaturicum idem eſſe cum eô quod ab arbore Sandali Rubri proveniat, nec præter hoc aliud oſtendere poſſunt: quibus, ceu Verſatiſſimis Mercatoribus, neceſſariò fidem adhibere cogor, utpote qui in omnibus mercium ſuarum ſpeciebus expertiſſimi & de ſimplicibus regionum ſuarum (è quibus nullum præterea commodum aut lucrum expectare poſſunt) optimè teſtari poſſunt; niſi dicere velimus nihil certi de his & ſimilibus poſſe ſtatui, quod tamen abſurdiſſimum foret & tot inventis fideique Nob. Tuæ, huic fundamento tantùm innitentibus, valde præjudicare poſſet. Quemadmodum igitur concorde & unanime teſtimonium illarum Incolarum de aliqua re, cujus illi gnari & experti ſunt, non tantùm penes Studii Botanici Cultores, ſed & alios rerum quarumcunque Scrutatores plurimum valet: hinc illorum allegatione in hac lignum Caleaturicum & Sandalum rubrum concernente cauſâ meritò pro argumentô quodam uti poſſum, ut ſententiam meam ſtabilirem; quamvis argumento hoc, ab authoritate deſumpto, ad id perſuadendum non indigeam, cùm propriâ id experientiâ & autopſia ejus certitudinem mihi jamdum procuraverim. Quid quod eadem ſententia per ſupra allegatum & ex Garziâ ab Horto petitum locum valdè confirmetur, quô claris & apertis verbis docetur arborem Sandali Rubri in Regione Coromandel ſuccreſcere? Quùm ergo non aliud lignum rubrum, odore Sandalino impregnatum, illic inveniatur, præter lignum Caleaturicum, hocque iis in locis nomine Sandali rubri penes Botanicos venire ſoleat, ut jam ante demonſtravi, evidentiſſimum ſane & in apricô eſt, intimam ligni Caleaturici meduliam ſeu ſubſtantiam

tiam nihil aliud, quàm Sandalum rubrum, eſſe, ita ut reputatio & fama hujus Scriptoris (cui tantam fidem habes) Te paulò ante epiſtolæ hujus ultimæ expeditionem ad condeſcenſionem & conſenſum (utut intus & in cute aliud recondere videaris) intuitu ligni Caleaturici pertrahere valuerit: cùm tamen in Literis meis, die 5. Maji 1683. exaratis, jamdum obſervaverim, hunc Simplicium Indicorum Scriptorem oram hanc illis quoque regionibus accenſuiſſe, à quibus Lignum Sandalum proficiſcatur, quod ſcil. in Indiâ adhuc, intra fluvium Ganges (quò Provinciam Tanaſſarim rejicit) inveniatur. Quoniam verò ultimum hunc locum in Mappis Geographicis invenire nequis, pace Tua Hodegi loco ero. Tanaſſarim ergò non tam in Regione Coromandel, ubi quæſiiſſe videris, quàm potius in Tractu Orientali Sinus Bengalæ, ad latus urbis Martavan, in Pegu ſitæ, inquiras, oportet, ubi locum hunc maritimum, Regi de Siam ſubjectum, invenies. Ex hac enim urbe plures etiam iter terreſtre verſus Zoddiam, Regis ſedem, ſuſcipiunt & utplurimùm quatuor aut ſex menſes, per meras ferè ſylvas, conſumere tenentur. Hæc urbs Tanaſſarim, intuitu ſituationis commodæ (ad evitandas ambages per viam Malaijanam ſumendas & jus tranſitûs lucrandum) communiſſimè à Nigritis & Paganis Coromandelenſibus, & juxta illos ab Anglis & Luſitanis, rarò vel nunquam verò à Societate Hollandica, frequentatur, utpote qui omnes illîc merces & ſimplicia, è Regione & Regno hoc obtinenda, magna in copia illîc inveniunt, & quæ noſtra fert terra rurſus diſtrahere valent. Lignum Caleaturicum quidem, idque firmiſſimum & compactiſſimum ſatisque durum, maxima ex parte ad illorum colores in Arte Tinctoriâ, ad ſpondas, ſellas & ſcamna &c. efficienda conſumitur, tantillum etiam ad rem Medicam adhibetur, cum omne id, quod in poſtremum uſum petitur & per univerſum Orbem diſtrahitur, intuitu & proportione vaſtiſſimi & latiſſimi circuitus harum Regionum, vix notabilem & conſiderarione dignam quantitatem conſtituat. Inde enim eſt, quod hîc utplurimùm illas portiones ligni eligant, quæ & vetuſtiores ſunt & colore ſaturato magis gaudent, conſequenter etiam odorem fortiorem quàm ordinarium & vulgare, quod ut ſupradictum, ad tingendum & Armeniani in Sjiranz & Spahan ad aquam vitæ rubedine inficiendam adhibent, præ ſe ferat. Interim, quod incidenter moneo, ſapor ligneus ſandalinus, aquæ vitæ inſimul hac ratione communicatus, ad minimum mihi non arridet, quam puram potius, quàm hoc ſimplici permiſtam expeterem.

Quemadmodum verò jamdudum ante detectionem Indiarum per Græcos, & abhinc quoque per Romanos (liberos quidem, ſed civiles ſimul) ita & poſtmodum à longis retroſeculis inter regiones Orientales & Perſiam Arabesque mutua commercia rerum Medicarum aliarumrumque inſtituta ſunt, Africæque ora cum Inſulis adjacentibus longè poſt demùm innotuit; utut ob barbariem Incolarum nil præter quosdam portus de Zangibar & de tractu Caffarenſium (ut Luſitani eum vocant) & nonnullas urbes, quales ſunt Melindo, Magadoxo, Sofala & ſucceſſivè Inſulas quasdam illîc obvias frequentarint, reliquas verò regionum harum partes craſſæ ignorantiæ nebulæ involutæ permanſerint. Simili ratione quoque Sandalum rubrum, utut longè poſt, ex Indiâ in Perſiam & Arabiam delatum fuit; quemadmodum eam ob cauſam Avicenna aliique Medici Arabes, quos videre mihi licuit, non alius Sandali rubri mentionem faciunt, nec aliud unquam nôrunt, quàm illud, quod ex Indiâ adfertur illicque ſuccreſcit, ipsô etiam Garziâ ab Hortô aliud neſciente, qui tamen in ſimilium inquiſitione ſatis curioſus eſt. Interim, quoniam India cum Inſulis ſuis in viciniâ ſita eſt, aut ad minimum easdem plantas trudit, quæ in tractibus Orientalibus Africæ, Madagaſcar &c. propullulant: hinc exiſtimavi, teſtibus literis ad Te datis, haud incredibile eſſe arborem Sandali rubri etiam in Africâ aut vicinis locis reperiri, prout hactenus quoque illîc reperta eſt, dum in Gamron conſtitutus percepi his temporibus Sandalum rubrum utplurimùm ex oris Arabicis apportari, & in Arabiam, Perſiam & ſimul Surattam abduci, idque ob compendium itineris, brevî admodum conficiendi: ut taceam illud tolerabili hîc pretiô venire. Fieri etiam poteſt, ut, quemadmodum aliâs ſolum & aëris diverſitas vires & efficaciam herbarum inſigniter promovere valent, lignum hoc ibidem efficacius & melius ſit, quam in India hujusque Inſulis: de quô tamen usquedum certi quid determinare, multò minus differentiam aliquam inter hoc vel illud conſtituere non audeo.

Quandoquidem verò, juxta regulam Doctorum, judicium quisque ſuum & opinionem, h. e. prædicatum, ulterius & amplius extendere non valet, quam juxta modulum cognitionis & notitiæ, quam eo tempore de re ipſa ſeu ſubjecto habet, abhinc verò latius dilatare poteſt, ſi temporis ſucceſſu plures circumſtantias de ipſo ſubjectô detexerit, juxta quas uniuscujusque ſententia dirigenda eſt, ut veritas ſalva ſartaque maneat, nec quicquam affirmetur & ſuſtineatur, de quô certò non conſtiterit: hinc eô, quô formam & debilitatem navicularum, Javanis & Malaijanis hodie familiarium, conſideraram, tempore Nationi huic longiores & remotiores navigationes adſcribere non potui, quàm eas, quæ conditioni talium ſcapharum marisque ſuperandi, imò & ventis & tempeſtati his in oris regentibus, proportione quadam habita conveniunt: vi quorum ambitus navigationum illarum ab integro, imò duobus aut tribus ſeculis, ultra potentiam ſeu capacitatem navicularum ſuarum extendi non potuit, quamdiu ſcil. illis majores

in

in uſu non fuerunt. Indè ergò eſt, quòd navigationes propriis illarum naviculis peragendas tam anguſtis terminis incluſerim, ne per ſomnium quidem de Nationis hujus transfretatione cogitando. Poſtquam verò in illorum Hiſtoriis obſervavi naves Dzjongs dictas, aliaque navigia capaciora Oceano ſulcando idonea, ad navigationes illorum adhibita fuiſſe, ſicque Eosdem inſignia commercia in regione Coromandel exercuiſſe: adhæc mutuatio religionis & linguæ Paganis propriæ (dum Archi-Javanica tribus ferè partibus Brachmanum & Malabaricæ linguæ permixta eſt) literarumque acceptatio clarè ſatis ob oculos ponit navigationum & commerciorum communionem inter utramque nationem olim floruiſſe: porrò in Hiſtoria de Madagaſcar, à Dn. de Flacourt A. 1661. edita, annotavi linguam in magna hac Inſula familiarem haud exigua vocabulorum Javanorum & Malaijanorum ſpuriorum quantitate permixtam eſſe, eaque majori ac in alia, quæ peculiarem & ab omnibus aliis diſtinctam dialectum habet, non potui non firmiter inſimul ſtatuere & concludere, Javanos non ſolùm Arabiam & Africæ oras, ſed & ipſam Inſulam Madagaſcar propriis ſuis naviculis frequentaſſe, quò non tantùm merces ſuas, in ſolo eorum patriò occurrentes, tranſportare, ſed & reciprocè alias inde obtinere potuêrunt; quemadmodum navigationes Javanorum eò tempore non tantùm verſus Orientem, ſed & verſus Occidentẽ ſe extendebant, ut neceſſarium non fuerit, ut Arabes aliique Mercatores maris rubri merces ſuas ab oris Africæ demum petere debuiſſent, ut Nobilitati Tuæ haud improbabile videbatur. Interim Scriptor & Hiſtoriographus Inſulæ de tali Javanorum expeditione nautica (quàm certa etiam ſit) ne verbo quidem mentionem injicit, cùm de ea vix per ſomnium cogitare potuerit, quùm & Javanicæ & Malaijanæ linguæ prorſus ſit ignarus, itineraque horum populorum, usquedum adhuc leviſſimis navigiis utentium, non probabilia fuerint. Econtra Johannes de Baros, Scriptor Luſitanus prorſus authenticus, relationem veriſſimam, ante ſeculum conſcriptam, obtinuit ſuisque Decadibus inſeruit, quòd Javanorum navigationes priſtinis temporibus verſus omnes plagas, usque ad Madagaſcar (quam Inſulam expreſsè nominat) ſe extenderint: ſive jam id ipſum ex traditione aut narratione Javanorum, aut populorum hanc Inſulam incolentium habuerit, aut è conſideratione inſignis illius influxus, qui è linguâ Javanorum in linguam Madagaſcaricam derivatur, concluſerit, perinde eſt. Quò ævò verò hæc illorum commercia in diſſitas regiones floruerint, ob certitudinis defectum, determinare non audeo. Quodſi tamen conjecturæ locus eſſet, concludere quis poſſet, navigationes has & commercia verſus regionem Coromandel, Ceilon, Malabar aliaque Indiæ, Arabiæ & Africæ oras tum primum cœpiſſe aut floruiſſe, poſtquam univerſam Sumatram, ut & Malaijam, ſubegerunt & poſſeſſione Malaijanæ æque ac Sondaſianæ viæ clavim mercaturæ verſus Orientem ac Occidentem obtinuêrunt. Enimverò tempore Marci Poli Veneti, Peregrinatoris celeberrimi & in terrâ marique verſatiſſimi, annis circiter 1280. 1290. oras Inſulæ Sumatræ Javani adhuc poſſidebant, idque non tam ſub Monarcha quodam aut Rege, quàm in certos Principatus diſtinctas: quemadmodum idem Autor hanc Inſulam pro Gjáva, h.e. Javâ, habet & nominat, aut ſub hac comprehendit. Ut adeoque vox *Java* priſtinis temporibus, intuitu conquiſitorum plurimorum à Natione hac factorum, ad longe plures tractus terræ, quam hodiè fieri ſolet, extenſa fuerit. Aliâs videri poſſet Ptolomæum aliosque Geographos veteſtiores eandem nomine *Jabadij* aut *Jabadiu*, Græcè Ἰαβαδίου, expreſſiſſe, quod (ut Interpretes optimè notant) *Hordei Inſulam* ſignificat; unde & noſtris temporibus adhuc vox *Jawa*, eruditâ Brachmanum linguâ, hordeum & *diu* Indicè Inſulam denotat. Quoniam verò frumentum hoc nuſpiam in omnibus Indiæ Inſulis alitur aut ſuccreſcit, hinc videtur Scriptores illos vocis ſignificationem magis, quàm etymologiæ cauſam indicaſſe, utut nomen *Jabadiu* eo non obſtante in id, quod Inſulam Jaba ſive Jawa denotat, transferri potuit.

Rationes quæ me ad hanc ſententiam, quod ſcil. Javani poſt ſubactam Sumatram aliorumque locorum in viciniâ, navigationes ſuas in Arabiam, oras Africæ & Inſulam Madagaſcar &c. primùm inſtituiſſe videantur, deducunt, ſequentes ferè ſunt, quoniam ſcil. 1. Voces Javanorum, quæ linguæ Madagaſcaricæ permixtæ ſunt, diverſis iisque abruptis nominibus Malaijanis ſcatent iisque pluribus, ac in linguâ Javanorum ordinariâ occurrunt. 2. Hanc ſententiam maximè ſtabilire valet, quod Arabes in hodiernum adhuc diem linguam Malaijanam Liſaan Dzjawi h. e. Javanorum linguam vocant: quemadmodum hæc ipſa penes Malaijanos quoque nomine Bahaſa dzjawi, parallelâ cum Arabica ſignificatione, venire ſolet, notabili indiciô, Javanos gentem Malaijanam ſub ſua jurisdictione habuiſſe. 3. Porrò ſententiam hanc confirmari poſſet, ſi merces, quas Javani inter alia in Arabiam deferebant & vendebant, intueamur, quæ, aromatibus & lignô aloës excepto, potiſſimum ex Camphorâ finâ & Benzoino conſiſtebant, quæ duo poſteriora conſideratu digniſſimam, imò & pretioſiſſimam, mercem conſtituunt, de quibus tunc temporis, ut noſtris adhuc annis, Inſula Sumatra optimam nobis ſpeciem ſubminiſtrabat, dum camphora hæc pretioſa eô tempore è tractu de Batas, aut, ſi mâvis, Bátahs, ubi arbor hæc copiosè ſuccreſcit, petebatur & in emporiô quodam maritimô *Pantſur* ſive *Panſur* dicto venum exponebatur, qui Sumatræ latus boreale, Atſiæ, quam Noſtri Atſim vel Achin vocant, partem attingit, & priſtinis temporibus commerciis & populis ditiſſimus, hoc verò ævo vix ulli cognitus eſt. In hoc

quoque loco vivebat quidem *HHamzah Panſuri*, h. e. *Hhamzah de Panſur*, qui Malaijanis ob Malaijana *Sjanir* (quæ carmina quædam ſunt) magni æſtimatur & tam proſapiæ, quàm habitationis intuitu locum hunc valdè celebrem reddebat: quapropter & à Marco Polo Veneto frequentabatur, qui eundem *Fauſur* vocaſſe dicitur, pro quo vocabulo typi *Fanſur* abuſivè ponunt: quales abuſus, per vitioſam lectionem & ineptam ſcriptionem originalium in nominibus propriis perſonarum & locorum exoticorum totò die frequenter occurrunt. Quid quod locus hic Sedes erat Radziæ, qui tractus hos & vicinos gubernabat, quos Scriptor hic Regnum de Fauſur vocat & ſextæ Javæ minoris ditioni Regiæ annumerat, & de illo, juxta meam è Linguâ Italica verſionem, ita loquitur: Fauſur Regnum „ eſt Regi ſubjectum, cujus ſubditi Idololatræ „ ſunt & Magnum Can ſive Chaan Tartari „ pro ſummo Imperatore agnoſcunt. Illic „ Camphora finiſſima reperitur, quæ *cam-* „ *phora de Fauſur* dicitur, omnes alias ſpecies „ bonitate ſuperans, quapropter æquali cum „ auro pondere permutatur & divenditur. Tantum è deſcriptione modò laudati Marci. Interim Scribarum inſcitia primam literam in voce Fantſur, Arabicum ſc. F, puncto quodam auxit, hac forma: ڤ qua ratione K cum aſpiratione ſive Kh præ ſe fert; ut vox illa in *Khantſur* mutata fuerit: unde ab eò tempore Camphora nobilior, per corruptionem nominis ab urbe deſumti, Kafur Khantſuri, h. e. *Camphora de Kantſur* aut Khanſur dicitur; quemadmodum adhuc nuper admodum in Perſiâ expertus ſum, Mercatores illius loci Camphoram finam, quæ in Baros hujusque vicinià, aut in regione Batakhs ſeu Batas, ſive in Inſulâ Borneo colligitur, *Kafur Khanſuri* nominare. Sic Avicenna non minus hujus Kafur Khanſuri l. Khantſuri eadem ratione in Exemplari Arabico meminit, quod Romæ impreſſum ſimilibus literis utitur & à Plempiò in verſione Latinâ Caphura Canſurenſis dicitur; ubi Bellunenſis notat, quòd in quibusdam deſcriptionibus Arabicis hujus Autoris Fanſuri legatur, quod idem ac Camphora de Fanſur, ſeu, ut ille loquitur, Camphora de Fanſor ſignificat, id quod cum pronunciatione ipſius emporii magis coincidit, quod propriè Pantſur vel Panſor, juxta linguam Malaijanam & Javanicam, dicitur, dum Arabes nullo P nec aliò conſonante gaudent, quàm ڤ vel F, quod cum ſono illius mage convenit. Omnium verò optimè Vetuſtiſſimus Arabs Serapio rem tetigit, dum pretioſi hujus ſimplicis nomen per Caphuram de Panſor expreſſit.

Altera merces, quam Sumatra utplurimum ſubminiſtrabat, erat *Benzoinum*, dùm illic elegantiſſimum & candidiſſimum, ut ullibi terrarum haberi poteſt, à Javanis colligebatur & in Arabiam transportabatur, quamdiù ſc. dominium in hanc Inſulam exercebant. Quapropter Arabes hoc Sumatranum ſuffimigium quoque *Lubaan dzjaabi*, h. e. Javanicum ſuffimigium appellarunt, unde per apocopen prioris ſyllabæ Lu & pronunciationem alteræ ſyllabæ *baan*, utrinque à primâ voce *Lubaan*, juxta Arabum conſuetudinem, quâ ſonus aa, ſeu duplicis a in ee, ſeu duplicatum e, vel & in Græcum η mutatur, & juxta pronunciationem hujus literæ Europæis familiarem nomen copulativum *Been-dzjavvi* exoritur; & quoniam Luſitani utplurimùm ſonum ee per e ſimplex exprimunt, adhæc quoque lit. dz. w. in alphabeto illorum non contentis, binas vocales ao ſurrogare ſolent: porro & expreſſio dzi cum Z hujus nationis fere coincidit; hinc nomen *Been-dzjavvi* juxta Linguam Luſitanicam in *Benzaoi* mutatur, quod tandem per omiſſionem literæ a & additionem literæ finalis n, tractu temporis in *Benzoin* mutatum fuit & in hodiernum usque diem perduravit.

Porrò, ut ex prioribus rationibus non verebar aſſerere navigationes Javanorum & Malaijanorum ſe ad oras Africæ hujusque Inſulas extendiſſe, penes illos quoque obſervare non potui, quod vel minimam cognitionem Regionis de Zengis aut Zengibar habeant, vocabulum *Zang'gi* voci Tzjandana, ad Sandalum Rubrum exprimendum, ſubnexum, ſignificationis intuitu vix amplius extenderem, quàm ut eô ipsô color tantum niger aut fuſcus exprimeretur, qui à cute nigricante Nationis Zengicæ ſic dictus fuit, cùm in Golkonda certior ſim redditus, plura, illic reperiunda, coloris atri exprimendi causâ ita vocari, non autem ipſam rem Nationi illi adſcribendi. Sic Myrobalanos nigros illic *Zengi harareh*, i. e. *Myrobalanos Zengiticos* vocant, non ob ſolum peregrinum, cùm fructus hic circumcirca in Golkonda ipſa ſuccreſcat ibidemque conquiratur, ſed tantùm intuitu coloris, ad quem ſignificationem vocis Zang'gi tantùm referebam, cumprimis, quòd Linguam Indoſtanicam & Decanicam ſimul ingreſſum aliquem in Malaijanam habere obſervarem. Quamprimùm verò ab eô tempore in Hiſtoriâ de Hhamzah, è Linguâ Perſicâ in Malaijanam translatâ, hoc ipſum vocabulum Zang'gi ſub denotatione Nationis Africanæ nigricantis & criſpipilæ obſervare licuit, paulò poſt etiam veſtigia quædam plenariæ demonſtrationis reperi, Incolas hos Indiæ plagas de Zangibar Inſulamque Madagaſcar frequentaſſe, mihi quoque haud ita pridem in Perſiâ narratum fuit, non tantùm in Oris his Sandalum Rubrum reperiri, ſed & inde transportari, ſententiam eousque etiam extendere licebit, ut cognomen *Zang'gi* intuitu Nationis Æthiopicæ huic ligno datum eſſe aſſeram, utut in nullis Perſarum, Arabum aut Indorum libris aut ſcriptis nomen *Sandal Zendji*, vel, ut Galli exprimunt

primunt *Zengi vel Sandal Zengi*, ultimam vocem juxta noſtram pronunciationem legendo, reperire potuerim. Equidem Marcus Polus Venetus Lib. 3. cap. 35. ſcribit in Inſulâ Madagaſcar magnas vaſtasque ſylvas ex arboribus Sandali rubri conſtantes reperiri, quod intuitu communionis, quam plantæ illius loci cum Indicis habent, haud ægrè conceſſero; utut Dn. Flacourt in Deſcriptione hujus Inſulæ hujus rei non meminerit, quùm nullam forte arborum cognitionem tunc habuerit. Quoniam tamen duarum arborum mentionem facit, harumque unam Endrachendrach, alteram autem Siramanghits vocat, quæ utraque ligni Sandali odorem ſpirat, & ſub illis arbor Sandali citrini quoque comprehendi poteſt, jam adhuc tutius concludere liceret Sandalum rubrum illic quoque ſuccreſcere, quùm in regione illâ audiverim utramque arborem in altis & montoſis locis juxta ſe invicem lætè provenire. Quapropter & iis, quæ Capitanei cujusdam Conjux, ſeu Meſtica, ex Inſula Timor oriunda & à Luſitanô prognata, in cognitione herbarum verſatiſſima, narravit, ut & Centurioni Juncker, qui, ut ipſe perhibet, tempore Dn. Vlamingii ſylvam ſandalinam illic frequentavit, plurimum fidei tribuo, dum in hôc concordant, quôd Sandalum rubrum uſuale illic non deſideretur, quod & alii mihi confirmarunt, & Veneto illi Peregrinatori Marco quoque innotuit, Indiam ſc. rubrum quoque Sandalum producere, dum cap. 17. lib. 3. Inſulæ cujusdam meminit, quæ in editione Italica, à Ramuſio editâ, Nocueran audit, quâ, ut è circumſtantiis concludo, Nicubares forte exprimitur: juxta quam in eodem exemplari aliam adhuc allegat, Anagamân dictam, quæ procul dubio Andamans erit, dum æqualem diſtantiam, 150. milliaria Italica habentem, à Metropoli quinti ſui Javæ minoris regni, Lambri ſc., aliâs Lamni, circa Atſich ſiti, obtinent. De priori Inſula re-
„ fert, quôd omnes ſylvæ, illic obviæ, arbo-
„ res nobiliſſimas inſignis pretii trudant & in-
„ ter alia Lignum Sandalum, tam rubrum,
„ quam album illic inveniatur, certiſſimo indicio utramque ſpeciem eandem amare regionem. Non minùs Hieronymus de Sancto Stephanô de Genouâ, in Epiſtolâ die 14. Septembr. 1499. in Tripoli de Soriâ perſcriptâ, refert, in certô quodam locô, Sogomentil dictô, genuinum Sandalum tantâ in copiâ ſuccreſcere, ut ædificia ſua exinde ſtruere ſoleant, quem ex Inſula Ceilon abiens die duodecimô attigit & paulo poſt inde verſus Pegu abiit, tandem ſesquiennio adhuc in regno hoc conſumptô ad Malaiam eſt delatus. Hæc ergò regio, quæ tot dierum itinere ab Inſula Ceilon præter propter ac inter hanc & Pegu ſita eſt, ob tantam Sandali rubri abundantiam alia eſſe non poteſt, quàm Regio Coromandel, unde nomen Sogomentil, per depravationem aliquam forte ortum eſt, dum per totius oræ tractum ad Pegu uſque non aliud (quantum mihi conſtat) nomen occurrit, quod ad hoc propius accederet. Impoſſibile quoque non eſt nomen hujus Regionis, ab hac perſona, metropoli cuidam, illic ſitæ, attributum eſſe, prout in Perſiâ plura hujus rei exempla occurrunt, ubi Nagapatan, Metropolis maritima Regionis Tandzjawur, ad Coromandelam ſpectantis, in Diariis negotiatorum Soc. Belgicæ, Coromandela (quæ ipſa Regio Coromandel erat) audit. Attamen, quùm tota provincia Tandzjawura plana & aperta regio ſit, omnibus montibus deſtituta, & illic æquè ac in Principatu Madurè hujuſque vicina nullum adhuc lignum Caleaturicum, h. e. Sandalum rubrum, inveniatur: hinc crederem potius ſub generali totius Coromandelæ nomine urbem potius Meilaxuram, ubi S. Thomas Apoſtolus inhumatus eſſe dicitur, eô propriè intelligi, cùm illic æquè ac in Paliacolto, Caliaturo aliisque locis maritimis illis, verſus Occidentem ad Regionem illam tendendo, adjacentibus lignum Caleaturicum tantùm, non verò aliis regionis illius locis, inveniatur. Inter illos autem primò nominatus locus, intuitu navigationum & commerciorum, cumprimis autem ob procurationem variegatorum illorum & artificiosè contextorum tegminum, eô quidem tempore frequentatiſſimus & celeberrimus erat inter omnes reliquos circumjacentes; quô pariter fluvius, qui eundem lambit, amœniſſimus, ſolum fertiliſſimum atque jucundiſſimum, portus & vadum anchoræ jaciendæ aptiſſimum, ad ſclopeti ictum tantum ab urbe diſtans, ſanctitas ejus, apud Paganos famoſa, multum contribuebant, ut inſignis Idolorum ſeu Pagodum numerus, illic obvius, teſtari poſſunt. Ut taceam communem illam traditionem de Martyrio & tumulo S. Thomæ urbem hanc valdè claram reddidiſſe, cujus intuitu tot Chriſtiani, cumprimis Neſtoriani & Armeniani, eô ſe contulérunt, adeò, ut tempore Marci Poli Veneti templum Apoſtoli hujus à Chriſtianis cuſtoditum & poſſeſſum fuerit, & Nicolaus Venetus, qui anno 1400. locum hunc frequentavit, eundemque, ut Conterraneus
„ ejus, ad regionem Malabar refert, atteſte-
„ tur, urbem Maliapor, ut eandem vocat,
„ tunc temporis à 20000. hominibus inhabi-
„ tatam fuiſſe, corpusque Apoſtoli S. Thomæ
„ in quodam ejus templo inhumatum eſſe, in-
„ colis maximâ ex parte Neſtorianis Chriſtia-
„ nis, mixtis tamen Armenianis, exiſtentibus,
„ utpote qui eô tempore per totam Indiam,
„ ut penes Nos Judæi, diſperſi fuerunt. Armeniani hi templum hoc ſuasque ædes illic tamdiu in poſſeſſione habuerunt, donec Luſitani advenérunt, qui eosdem expulerunt ac urbem non minus, quam inſpectionem tumuli, ob commoditatem commerciorum alio-

rumque proventuum, ſibi vindicârunt, cæterasque commoditates, ſupra attactas, arripuêrunt, ædificiis ſaxeis, templis & cœnobiis, modo Europæis conſuetô, locum exornando & abhinc operibus è lapidibus, tam montanis, quàm coctilibus, fortificando. Interim eô, quo Galli urbem nobis cedebant, tempore Biblia Sacra Armeniana in foliô, curioſiſſimè ſcripta, mihi ſunt oſtenſa, tegmine inauratô compacta, quæ è templô Divi Thomæ, à Luſitanis Chriſtianis Aſiaticis, cum plurimis aliis ornamentis, erepta fuerant.

Quemadmodum jam porrò ſupra laudatus Hieronymus de Genouâ Gemmarius & Mercator aliorum bonorum erat, hunc que in finem, lucri ſpe lactatus, iter hoc ſolus ſuſceperat, dum literæ ejus atteſtantur eum plures Mercatores Aſiaticos huc & illuc miſiſſe, ut ſibi gemmas, margaritas aliasque merces illorum ope conquireret, cum Armenianis etiam ſæpiſſimè familiariter converſatus eſt, utpote qui tum temporis Mercatorum Præcipui Venetiis erant: ita valdè credibile eſt, illum non alium locum, quam Meilaxurium ſeu S. Thomæ urbem elegiſſe, quùm inter Inſulam Ceilon & Pegu nuſpiam, quam illîc aut ejus confiniis, optimæ magisque proficuæ merces tolerabili adeò pretiô vendebantur, cumprimis Peguanæ, quibus ipſe commercium exercebat & in Europam transvehebat. Inter illas autem quammaximè eminebant elegantiſſimè contexta depictaque veſtimenta, Peguano more confecta, quæ nuſpiam terrarum tam eleganti ſerico nitent, quam in loco hoc S. Thomæ. Quâ de cauſa quoque Luſitanis, dum eundem adhuc tenebant, navigatio verſus Pegu conſideratione digniſſima & ex omnibus utiliſſima erat; ut adeoque utilitas & commodum hujus Peregrinatoris curſusque commerciorum ad Pegu eundem quàm facilimè ad regionem Coromandel & S. Thomæ deferre potuerint, unde navigatio verſus Pegu tunc temporis magis patuit; adeoque ad obtinenda tegmina illa variegata tempus illud 7. menſium dubio procul impendit, quæ ipſa, ut è ſequenti ejus narratione eluceſcit, ob bellum inter Regem Peguanum & Avanum, prioriRegi divendere coactus fuit, dum quosdam merces ſuas Avam, (ubi Rubini aliæque gemmæ, uti refert, proveniunt) tranſportare neglexerat. E quibus eluceſcit, quod, cum Gemmarius eſſet, lucrum ſuum (procedido vocant) in Rubinis & ſimilibus quæſiverit, quod optimum mercis genus, inde ſperandum, erat. Nam & noſtris adhuc diebus Armenianiin & circa Avam, ubi Rubini eruuntur, utplurimum potiores Negotiatores & Gemmarum harum (quarum gnariſſimi ſunt) Mercatores exiſtunt. Haud alia ratione nuſpiam terrarum, quàm in regione Coromandel, circa S. Thomæ, Paliacatto & Caliaturium, in locis montanis, verſus Occidentem intuitu ipſius regionis, *Sandalum rubrum* tanta in copia invenitur, ubi, cùm montes illos XVI. milliaria ab Oceano diſtantes tranſirem, obſervavi fulcra vaſtioraque ligna in ædificiis, quæ Pandel & Kamadæ vocantur, è ligno Caliaturicô (quod & ad alia ordinaria utenſilia adhibent) confecta fuiſſe paſſimque illîc arbores quamplures in promontoriis exſtitiſſe. Quoniam verò arbores majores & graviores (quarum cor ſeu interior ſubſtantia præſtat) in promontoriis exciduntur, hinc noſtris diebus lignum hoc ad diſtantiam 50. vel 60. milliarium à mari apportare coguntur, quod impoſterum ſemper difficilius obtinebitur. Interim inter tres ſupra nominatas urbes maritimas, montibus hiſce propiores, nulla commodior & aptior ad lignum per tantam intercapedinem adferendum & ad portum promovendum eſt, quam Caliaturum, idque eò magis, quod hic ſtatim navigia eô onerandi occaſio ſuppetat: quæ commoditates effecêre, ut priſtinis temporibus, imò hodiernô adhuc tempore, Luſitani lignum hoc ad locum illud deportarint & navibus intulerint. Quid mirum ergò, quòd ſuſtineamus inde cognomen ejus, *ligni Caliaturici* ſcil. obortum fuiſſe. Sanè ipſe Garzias ab Horto hanc ob cauſam in ſcriptis reliquit arborem Sandali rubri circa loca quædam maritima regionis Coromandel ſuccreſcere, quibus hic unice tractus inſinuatur, quùm nuſpiam, ut ſæpius dictum, quàm hic inveniatur: ut adeoque minus neceſſarium ſit ea quæ in priori mea epiſtola fuſe adduxi hic recoquere. Hoc ſaltem addere jam liceat, locum hunc præſenti tempore non amplius ſub nomine Caliturî venire, ſed potius *Kriſtnapatanam*, vel *Kiſtina-patan* vocari, ita ut prioris nominis memoria tantùm penes Europæos conſervetur. Supereſt etiam, ut indicem, quâ ratione vox & nomen Sopomantil altero Choromandel, ſeu, ut Luſitani loquuntur, Coromandel, & juxta noſtram pronunciationem Siolomandel (ut vera notatio ſonat) per transmutationem literarum ortum ſit? quod facilimè, naturaliter minusque coactè invenimus, ſi tantùm perpendamus, Genuenſes nomen hoc ab Armenianis, quibuscum frequenter converſantur, & qui tunc temporis in illis oris, cumprimis in Mellapur, tam numeroſi occurrebant, mutuaſſe, quibus in familiari uſu eſt conſonantem L in G transmutandi, ſicut inter alia nomen proprium Salomon, Paulus &c. evincit, quod juxta illorum pronunciationem in Sogomon, Bogos &c. mutatur: unde vox Sogomentil loco Salomontil oritur; quoniam autem T cum D eundem ferè ſonum habet, ſimul etiam a & e, ut e & i, ſi breves ſint, penes maximam Orientalium populorum partem indiſcriminatim fermè uſurpentur & una pro alterâ ſumatur, hinc nomen hoc levi negotio in Solomandel abiit, quod cum verô nomine Coromandel vel Sjolo-mandel propius coincidit, quam vox Coromandel more Luſitanico legenda, cum diſcrimen inter

ter S & Schi pronunciando tam exiguum ſit, ut nonnulli ex Hebræis ambobus tonum prioris literæ, ſc. S. conceſſerint, prout S. Scriptura id in pronunciatione binorum vocabulorum שִׁבֹּלֶת Sibbolet & שִׁבֹּלֶת Schibbolet ob oculos ponit. Ex quo fundamento etiam hæc vox Solomandel pro Sjolomandel ſumitur, ubi vox mandalam, ſive mandel (quæ in Linguâ Brachmanicâ provinciam, 40. Pagodium (pagody) proventus habentem, notat) prænomen ſuum à quodam Sjola-radziâ (qui Magnus & Illuſtris Rex, ejus Dominus, fuit) obtinuit.

Jam ad maximam & duriſſimam Clar. Tuæ difficultatem & objectionem, contra Caliaturicum lignum Sandalum allatam, devolvor, quæ ratione quaſi ironicâ per argumentum aliquod ab abſurdo & impoſſibilitate ob oculos ponitur, & reapſe eò tendit, quòd ſi hoc genuinum Sandalum rubrum eſſet, in Amboinâ iniquè prorſus egiſſent, ſi Amicis è Bataviâ Sandali rubri intuitu tot negotia faceſſiſſent, ut tam parcè, in fruſtulis minoribus, id conquirendum eſſet: cùm tamen facilimè tuditem aut ſellam obſoletam è ligno Caliaturicô conſtantem in fruſta confringere potuiſſent, quod tantùm non in omnibus caſulis & domibus reperitur, adeò, ut eâ quidem ratione Sandalum rubrum maximâ in copia obtinere valuiſſent, dummodo quis iſtud hoc titulô acceptaſſet. Huic ſatisfacere & reſponſionis loco ſervire poterunt ea, quæ jam ſupra ſtabilivimus, lignum ſc. Caliaturicum eſſe reverâ ſandalum, ut ipſemet haud obſcurè agnoſcis: adeoque mea nequicquam refert, ſi nonnulli illud pro tali habeant aut recuſent? dum partim ignorantia, partim vana perſuaſio in cauſa ſunt, quòd Lignum Caliaturicum ſub alio, eoque inſolentiori titulo, Sandali rubri pretio prorſus iniquô diſtractum fuerit. Interim tamen non eſt ut exiſtimes fragmentum aliquod à ſellâ aut truncô antiquo decuſſum tam facile & ſimpliciter pro ſelecto & uſu recepto Sandalo rubro, ut in Pharmacopoliis habetur, acceptari poſſe: ſed hoc ab antiquiori & maturiori arbore, & quidem hujus intimâ ſubſtantiâ & qſ. corde proficiſcatur, oportet, quod de altero, nullo habito ſelecto in uſus œconomicos arrepto, dici nequit, quô prius etiam rarius eſt. Ut taceam eos, quorum intereſt, ſolum natale etiam diſtinguere poſſe, ubi magis efficax cædatur, quod multum etiam ad diſcrimen hoc contribuit; quemadmodum nec Sandalum flavum tam carum eſſet, ſi ex arboribus juvenculis (quæ volatilem tantùm odorem ſpirant) idem obtineri poſſet. Quod tertiam ſupra ſuppoſitam Sandali ſpeciem (quæ Tibi ſecunda dicebatur) attinet, de quâ perhibent Luſitanos ipſosque Indos eandem tantô in pretio habere & nonniſi in fragmentis minoribus divendere: ambabus quidem manibus largiar hoc fruſtum præ alio melius & utilius eſſe, quamvis ſingulares adeò & tantas virtutes in Sandalo rubro, ex Æthiopiâ (ubi juxta Tuam opinionem pretioſa illa ſpecies ſuccreſcere dicitur) allatô non obſervaverim. Quantacunque verò utriusque differentia ſit, exinde tamen concludere non poſſumus duas easque diverſas ſpecies arboris Sandali rubri inveniri, dum experientia me docuit, ſolum, aërem &c. plantæ hujus virtutem, odorem & ſimilia notabiliter exaltare poſſe: quod inſigne diſcrimen etiam in Sandalo flavô, cumprimis inter illud, quod in Timor, & alterum, quod in Coromandel ſuccrevit, occurrit, cùm tamen utrumque ab unâ ſpecie arborum proveniat. Quemadmodum igitur Eruditi pro regulâ quadam habent, quod entia non ſint multiplicanda præter neceſſitatem: ſic ob fundamentum adeò ſiculneum novam quandam arboris Sandali rubri ſpeciem, de cujus exiſtentiâ ne minimum quidem conſtat, impunè in numerum plantarum aut Studium Botanicum invehere non licet. Mihi ſufficere videtur, quòd Sandalum rubrum uſuale expediverim ejusque originem detexerim, adeoque ſecundi Tui Sandali ulteriorem indagationem Tuo ingenio, ad altiora nato, tantiſper relinquo.

Quamprimùm occaſio ſe truſerit, inquiram, à quanam arbore lignum, pro bacillis eſui deſtinatis parandis, petant Chinenſes, & quale lignum per nomina Tzidi aut Tzidjœ intelligant. Interim Natio hæc in Bataviâ, ab aliis abſtrahens, adeò inhumana & ſingularis eſt omnique in arcanis habet, ut exigua ſpes mihi ſuperſit hoc ab illis obtinendi, licet etiam plenariam ejus cognitionem habeant & ſufficientem relationem dare poſſint.

Quibus tandem colophonem impono huic de Sandalo materiæ, quam primò quidem breviſſimis expedire animus erat: quoniam verò ſubjectum hoc me in hanc vel illam digreſſionem, ad rem ipſam eò dilucidius explicandum, quaſi vi quadam abduxit, hinc diſcurſus hic tam prolixus evaſit: quod Nob. Tuæ, uti ſpero, eò minus tædioſum erit, quò curioſiora in tranſitu ſemper attingenda erant.

Antequam verò ulterius progrediar, celare Te nequeo, me ſummoperè mirari, quòd tam ineptam opinionem de me foveas, aſi arbores quaſcunque ſanguineum ſuccum fundentes tam crudè & ſimpliciter pro arboribus Sandali rubri habeam: cùm tamen in epiſtolis meis, ad Te datis, ne minimum occurrat, unde id concludere quis poſſet. Supra allegatam ſanguinis ſudationem, quæ arbori Caliaturico familiaris eſt, neutiquam pro argumento quodam allegabam, quô eadem pro arbore Sandali haberi debeat, ſed eandem applicabam nomini, quod incolæ Regionis Coromandel illi tribuunt, ut & odori Sandalino, quo arborem Sandalinam ab omnibus aliis diſtinguo & dignoſco: neque omnes arbores ſic comparatas ad claſſem hanc referre ſubvereor, quæcunque odo-

rem aliquem ſandalinum de ſe ſpirant. Spero igitur Nob. Tuam ſententiam meam qualemcunque tandem penetraturam eſſe, obnixè rogitans, ne poſthac ullam mihi opinionem affricet, quæ non expreſſis verbis è literis meis eluceſcat, nec ullius relationi aut literis de opinione, quam in hâc vel illâ re foveam, aliquam fidem tribuat, priusquam me ipſum ea deſuper explicaverim: quod ita fore confido.

Ut verò ad ulteriorem reſponſionem, literis Tuis debitam, revertar, eò tandem deveniſti, ut & ea, quæ tam validè antea oppugnabas, indulgeas, ſanguinem ſcil. arboris Caliaturici pro *Sanguine Draconis* haberi poſſe: in quô punctô omnium illorum autoritatem ſequeris, qui eundem pro lachrymâ alicujus arboris habebant. Succus enim ſanguineus arboris Sandalini coagulatus optima & elegantiſſima criteria habet virium & virtutum, in ulla ſanguinis Draconis ſpecie obſervandarum. Equidem Dn. Flacourt in Hiſtoria Inſulæ Madagaſcar pag. 135. & 136. tres plantas ſanguinem fundentes recenſet, annectendo earum deſcriptiones, quas eum in finem hic inſero, ut, quemadmodum in hôc Scriptore omnia facilimè reperire poteris, de iis in Amboina Te informari patiaris. Verba deſcriptionis ſuccinctæ in vernacula ejus, linguâ ſcil. Gallicâ, ita ſonant:

89. „*Varaucoco* c'eſt une rampe, qui ſoutortil„le aux grands arbres. Il apporte un fruit violet, „qui eſt gros comme une peche, dans lequel il y „a quatre gros grains, ou noyaux: Sa poulpe „eſt douce & bonne à manger, mais il ſe pour„rit; au bout d'un année de l'eſcorce de la plan„te en ſort une gomme rouge, comme du ſang, „qui eſt un peu reſineuſe. Sa moyenne eſcorce „eſt eſpaiſe, comme une demy quart d'eſcu, de „couleur de nacarat: & quand elle eſt bruslée „à la chandelle, elle ſe fond, ainſi, que de la „gomme lacque, & en a l'odeur, je l'ay experi„menté.

90. „*Rhaà* c'eſt l'arbre, qui apporte le Sang „de Dragon. Ce mot Rhaà ſignifie ſang; il y en „a un autre ſorte, que l'on nomme Mafoutra, „qui jette du ſang, ainſi que celui-cy, dont ce „parleray cy-apres. Il jette le ſang de ſon eſcor„ce de ſes branches & de ſon tronc, lors qu'il „eſt ou piqué, ou coupé, ou bleſſé, ne plus, ny „moins, qu'une homme. Le ſang deſtille de ſa „playe ainſi rouge, que le ſang d'un animal. Son „bois eſt blanc & bientoſt ſujet à la pourriture. Sa „fueille eſt comme la fueille d'un poirier, un „peu plus longuette. Sa fleur eſt rouge, de cou„leur de feu, longue, comme un ferret d'eſquil„lette & de meſme forme. Son eſcorce en deco„ction arreſte le flux de ſang.

91. „*Mafoutra* ou *Voafoutra*, fruict prove„nant de l'arbre, qui produit le ſang de Dragon, „de la groſſeur d'un petite poire & de la meſme „forme, horsmi que le gros du fruict eſt du co„ſté de la queue & qu'il a cinq cornes. Dedans „eſt enfermé un noyau, qui n'a qu'une ſimple „peau, un peu ferme & dedans ce noyau eſt „contenue une amande de la meſme forme d'u„ne noix Muſcade, de la meſme couleur & en „approche de l'odeur. De cette amande ils en „font une huyle craſſe & l'eſpaiſſe, qui eſt un „tres ſouverain remede aux inflammations à la „bruslure, eriſipelles & de mangeaſons de „cuir. Elle eſt tres anodine. Au reſte c'eſt un „abus de croir, quæ ce fruict repreſente ſous „ſon eſcorce un Dragon: car j'ai pluſieurs fois „ouvert de ces fruicts & n'ay rien reconnu de „tant cela. Il y a trois ſortes de ces arbres, qu'ont „le fruict different, je n'en ay remarqué encores „que celui-cy.

Tantum Autor hic de arboribus Sanguinis Draconis, de quibus unam vel alteram forte illîc indagare poſſes; quemadmodum hâc occaſione priorem meam petitionem hîc repeto, ut de omnibus illis vegetabilibus, quæ ſuccum quendam rubicundum fundunt, ſpecimen aliquod foliorum, florum & fructuum, cum brevî informatione quoad omnes illorum partes, è quibus fortè dignoſci poſſunt, haud gravatim mihi transmittas. Ego viciſſim omnem movebo lapidem, ut quamprimum arundinem genuinum Dzjerenang fundentem Tibi transmittere valeam, quam certò expectare poteris, cùm de gummoſitate hujus Dzjerenang jam dudum fuſius agendi animus fuerit. Interim Te celare nequeo, quòd certior redditus ſim plures, qui ſanguinem Draconis pro lachryma aut gummi cujusdam plantæ habent, *Dzjerenang* h. e. Tuum Sanguinem Draconis pro eô acceptare nolle, quùm illis innotuerit Dzjerenang propriè ſuccum ſanguineum non eſſe, ſed tantum Tincturam è flore aut fructu hujus arundinis (quæ per conquaſſationem ne minimum ſucci rubicundi fundit) extractam & abhinc ſuper vapore aquæ ferventis in maſſam quandam redactam: quod ipſum paulò latius hîc deducere poſſem, niſi certus eſſem, Te exactiſſimam hujus rei cognitionem habere. Interim ſimul ſpecimen aliquod ejus arundinis, quæ priori ſimilis eſt, cum floribus & fructibus, expeterem, cum brevi quadam deſcriptione, quâ ab omnibus aliis ſpeciebus diſtingui poſſit, ut unam cum alterâ conferre & ulteriores ſpeculationes circa utramque inſtituere valeam.

Poſtquam jam ſub ultimô itinere in Perſiam in Couchin decantatum *Sirei* vel *Sire* in caule cum floribus in tranſitu obſervavi, in Batavia autem & aliis locis non inveni, hinc ob ſimilitudinem generis ſuſtinere non dubitarem Sirè ſpeciem genuini ſchœnanthi eſſe, de quô optimam ſpeciem, h. e. Schœnanthum Arabicum, pro Nob. Tuâ ex Perſiâ expecto & quamprimùm ejus particeps ero, transmittam, ut notabile, quod inter utrumque intercedit, diſcrimen ex odore radicis obſervare poſſis.

Cæterum gratiſſimum mihi eſt, quòd

Rhamno-

Rhamno-rubum, quem pro cynosbato, terminos hujus urbis cingente, habui Tibique transmisi, similiter pro Kudrang agnoveris. Mirari satis nequeo, tam paucis viridem hunc fruticem esse cognitum, cùm tamen lignum, quô ad colorem flavum utuntur, quamplurimis notissimum sit, unde & Tua nobilitas tam serò in veram ejus cognitionem pervenire potuit. Dum verò addis, Ambonicum à meô nonnihil differre, etiam atque etiam rogarem, ut me certiorem redderes, in quonam discrimen illud radicetur. Interim sepes ex hâc spinâ, quùm elapsis aliquot annis in truncum crassiorem abeat, nec in inferiore parte se claudat, penitus eradicatus fuit. Alius etiam spinæ mentionem facis, quæ Tibi pro Batavicâ obtrusa, baccis instructæ, quæ esui aptæ sint nec Cynosbato in Patria nostra occurrenti multum absimilis sit. Hujus quæso specimen, cum brevi descriptione, mihi mitte, ut videam, an & illa mihi cognita sit, nec ne?

Periculosum æquè ac fraudulentum reperi, si plantas Indicas tantùm juxta descriptionem & manuductionem Antiquorum, cumprimis Arabum & Græcorum, quoad formam & figuram, indagare & metiri velimus, ut inter quamplura id clarissimè è *Malabathro*, quod, ut certissimè mihi constat, nihil aliud, quàm folium Cinamomi est, elucescit, de quô expressis olim verbis perhibebant, folium hoc nuspiam quam supra aquam crescere & vigere, utut nulla ejus fibrilla ipsi fundo cohæreat. Sic quoque cum *Djudar* accidit, quæ in Lingua Persicâ idem significat ac *Dæmonum arbor*, aut *Dæmonum lignum*, Indis Dawadaro, Malaijanis autem Deorum Arbor dicta. Lignum est Græcis & Romanis incognitum, ex India verò in Persiam & Arabiam, pro usu medicinali deportatum, cujus Arbor, in Regione Coromandel aliquando mihi ostensa, nullam prorsus cum Pino aut Cupresso convenientiam habebat, multò minus autem cum Sabinâ, utut à Persis & Arabibus illis & annumerata & sub eadem ab iis formâ descripta fuerit. Sententiam hanc, dubiô procul, à constitutione ipsius ligni hauserunt, quod unctuosum quodammodò & qs. oleo quodam oblitum videtur, & sub accensione odorem haud ingratum spirat. Malaijanis sanè, cùm specimen ejus ostenderem, haud ignotum erat, qui idem & in Javâ reperiri adstruunt. Ejus si compos ero factus, Tecum id cõmunicaturus ero, ut & plenariam ejus notitiam obtineas. Quodsi tamen Dewadaro aut Djudar inter Cupressos aut Pinos esset quærenda, nullum huc usque arborem in totâ vidi Indiâ, quæ ad eandem propius accedat, quam arborem *Casuarii* dictam, quæ hic desuper Morondâ in orâ magnâ succrescit copiâ, fructibus in montibus obviis mihi nondum visis. Aliàs in Insulâ Malaija *Ru-ru*, rami verò ejus hic in Batavia *Davvon Tsjamara* audiunt, quô nomine Javanis ipsis quoque innotuit.

De *Calamo Aromatico genuinô* specimen aliquod è regione Coromandel huc accersere non intermittam, operam simul daturus, ut ramusculum de ligno Caleaturico inde obtineas, quamprimum illorum particeps factus ero.

Quandoquidem iter seu potius reditus meus è Persiâ Insulam Ceilon non attigit, in oculos catti, gemmas hujus nominis, ut desiderabas, inquirere non potui. Interim Capitaneus quidam hujus loci, Dn. van der Poel (qui diu in Ceilon vixit, hujus Insulæ insignem sibi notitiam comparavit, imò adstruit se aliquamdiu Inspectorem fuisse fodinarum gemmariarum omniaque propriis hausisse oculis) mihi retulit gemmas illas ex hâc Insulâ obtineri, sed neutiquam species quasdam illarum, quæ *Musticas* audiunt & ab animali quodam marinô vel conchis proficisci putantur, esse, ut nonnulli Tibi persuadere voluerunt. Me quod attinet, nullam harum gemmarum, Musticas dictarum, cognitionem habeo, multo minus cuneorum fulminarium metallicorum, quùm inquisitiones & speculationes meæ tantùm circa ejusmodi res naturales occupatæ sint, quas reapse vidi & cuilibet ob oculos ponere possum. Interim crederem sub nomine Musticas multas gemmas adulterinas & arte effictas venditari, dum iis in regionibus, quas peragravi, nequicquam de iis audivi, ut propterea Tibi certiorem de iis relationem impertire non valeam. Informari potius à Te desiderarem, in quibus fructibus aut lignis easdem inveneris, utpote qui in iis acceptandis aliàs satis scrupulosus sum, quoniam de præsenti Rege in Palimbang, ab Amicô, fide dignô, relatum fuit, quod ante annos aliquot omnes acervos arenæ navalis (vulgò Ballast dictæ) præ ædibus Societatis collectos, perquisiverit, & fragmenta duriora aut nitentia, illic intermista, poliri, accommodari & annulis inseri curaverit, quæ abhinc pro Mesticis & Panawar lapidibus, sub oblatione donorum aut aliis occasionibus, venditaverit; hinc parum abest, quin inter 400. illas Musticarum species, quas Centurio hujus loci in Meronda, Dn. Joncker, per conflagrationem ædium suarum, ut mihi quidem retulit, perdidit, quamplures adulterinas fuisse credam.

Porrò omnem meam admirationem superat, quod talia de me perhibeantur, quorum ferè nullum fundamentum in re ipsa habet. Ita se res habet cum eô, quod Tibi ab Amita dictum fuit, quòd sc. in Regione Coromandel certam arenæ speciem invenerim, unde tantum Orichalci, seu Cupri flavescentis, extraxerim, ut integram civitatem laminis inde paratis munire potuerim. Quâ occasione

mihi

mihi indulgebis, ut majori, quam anteà feci, inſtantiâ Te exorem, ne aliorum narrationibus de meis ſive reculis ſive opinionibus plus fidei tribuas, quàm à me ipsô percipias. Negotium hoc ita ſe habet: Poſtquam mihi relatum eſt in mediô regionis illius aliquid cupri genuini reperiri, curioſitate rei ductus nonneminem eò ablegavi, ut aliquid pro ſpecimine mihi procuraret, qui fragmentum aliquod inde mihi retulit, quô tamen nil quicquam efficere, multò minus utenſilia quædam cuprea inde parare mihi licuit. Bina ejus fruſtula, cum radicula *Rayz de Moncus*, Clemat. Indicæ foliis Perſicæ & fructu periclymeni, per Dn. Petrum de Worm, Amicum meum integerrimum, ea bonitate obtuli, qua nuperrimè obtinui, quæ ulteriori Tuæ conſiderationi relinquo.

Inſulam Tylos, cujus Plinius & alii mentionem faciunt, Tecum pro Bahhwin habeo. Quoniam verò iſtic neque *Capoc*, neque alia arbos lanifera, excepta lignoſa plantâ bombaciferâ, ſuccreſcit: hinc nihil aliud quam Goſſypium arborcum (de quô Proſper Alpinus & Veslingius egêre) pro côdem agnoſcere poſſum, quùm Goſſypium hoc iis in locis abundantiſſimè ſuccreſcat.

Hac ratione tandem ad finem reſponſoriæ meæ ad Epiſtolam Tuam exactiſſimam perveni-mus, quæ ab initiô prolixa ſatis, in ſubſequentibus verò rurſus conciſa nimis & impolita fuit, id quod nimiæ utrobique feſtinationi aliisque defectibus adſcribas quæſo.

Si tempus indulſiſſet, adhuc alias quasdam materias ſubjungere potuiſſem, ſimulque à Tua Nob. relationes aliarum nonnullarum herbarum petiiſſem. Ne verò unâ vice juſto plura cumulemus, aliis jamdum profundius nos immergentes, hinc reliqua aliæ occaſioni & tempori reſervo: hoc ſaltem addendo petendoque, ut herbam exſiccatam cum floribus & fructibus illius plantæ, cujus baccæ ad piſces inebriandos adhibentur, particeps reddar. Equidem unum è vehementiſſimis Tœbuſiis, ſeu venenis piſcatoriis, quæ ullibi occurrunt, id eſt, quod, ut audivi, in Ternatan *Boti* dicitur & inter alia copioſiſſime in altiſſimis Bandæ locis ſuccreſcit, ut & in Salayer, ad Macaſſar ſpectante.

Adhæc deſiderarem etiam duas plantas juniores de *Globa Kuſe*, ollæ terrâ repletæ inſertas, cum ſuccinctâ deſcriptione florum, fructuum &c. quæ hic terræ mandabo & ad ulteriorem meditationem adhibebo. Ego viciſſim omne ſtudium adhibebo, quò plantarum deſideratarum compos fiam ſuoque tempore Tibi iisdem gratificari valeam, qui interea cum votô omnigenæ proſperitatis permaneo

Nob. Tuæ

Batavia die 25. Febr. 1689.

Officioſiſſimus
HERBERTUS de JAGER.

EPISTOLA VII.

DN. GEORGII EBERHARDI RUMPHII
Ad
DN. HERBERTUM *de* JAGER.

P. P.

BInos hôc annô faſciculos literarum à Te obtinui, qui ejusdem ſunt tenoris & ambo die 25. Februarii expediti. Ultimus ex illis die 13. Julii mihi oblatus eſt, cui aliûs adhuc epiſtolæ, Anno 1684. Malacca ad me datæ, copia ſeu deſcriptio, una cum portiunculâ ligni Colubrini Ceilonici binisque fragmentis mineræ Coromandelenſis, quam pro cupro habeo, combinata erant.

Ex iisdem literis magno cum gaudeo percepi Te ex Itinere Perſico reducem Bataviam rurſus attigiſſe: quô ipſo dudum exoptata occaſio ſe de novô truſit, priſtinum, quod in ſtudio Botanicô reciprocavimus, commercium literarium renovandi, utpote quod tantiſper intermiſſum fuit. Quæ autem mearum illîc ſint partium, è Nob. Tuæ literis eruenda ſunt, cùm non ſine maximô dolore ſtatim à primâ fronte hîc monere teneat primos literarum mearum, ad unam omnium, conceptus, una cum eruditiſſimis Tuis Epiſtolis, ſucceſſivè obtentis, flammâ infelici & damnoſa periiſſe, quæ poſt antecedens & conſimile fere incendium alteram, quæ ſupererat, urbis dimidietatem, die XI. Jan. 1687. in cineres convertit, ſicque ædes, quas inhabitabam, cum omnibus utenſilibus, maximam Bibliothecæ meæ partem, Manuſcripta, omnes Figuras Herbario meo Ambonico inſerendas, aliasque eaque rariſſimas curioſitates penitus devoravit. Literæ Nob. Tuæ Malaccâ ad me conſcriptæ

ſcriptæ, ut & ramuſculus de Gitta Gambir, cum placentulis inde paratis, de quibus ne figuram delineaſſe licuit, idem fatum ſunt experta, unde omnis illic locatus labor quoque irritus fuit.

Juxta tenorem autem literarum Tuarum neceſſarium eſſe duco deſcriptionem Culit-Lawan, aut corticis Caryophyllodis, in Batavia nunc cortex aromaticus dicti, de Ganitris item, & Tuba bacciſera, vulgo Bori Bidji dicta, una cum ramuſculis quibusdam & fructibus plantarum modò dictarum, transmittendi.

Ultimo ex his ut ſatisfacere valeam nullum non lapidem movebo: eaque de causâ Nob. Tuæ his offero deſcriptiones trium ante laudatarum plantarum, cum pleniori relatione aliarum quarundam, in Horto Malabarico contentarum, quæ maximâ ex parte mihi ſunt incognitæ.

Explicationem Tractatûs Bontii ante 4. annos jam expediveram, ſub reditu Tibi mittendam, quæ ob incendium antea allegatum nunc in nihilum redacta eſt, ut eâ Tibi inſervire nequeam, eoque minus, quod & ipſo Bontio nunc caream, dum Præfectum noſtrum Seniorem, Dn. Padbrugge, permovere non potui, ut ſub abitu ejus hunc mihi Autorem pro debito pretio conceſſerit, quem valdè deſidero, ut & librum de herbis Braſilianis à Piſone conſcriptum.

Fructus recentes trium ſupradictarum plantarum hâc vice communicare non poſſum, anni tempore ad id minus opportunô exiſtente. Interim fructus Tubæ Bacciferæ exſiccati his adjecti ſunt, qui præcedente anno in hortô meô ſuccrevêrunt, in totâ hac Inſulâ aliàs rariſſimi. Pampini ejus, è radice protuberantes, bina horti mei latera cingunt, flores ſteriles pappoſos ferentes, cùm fructus non tam pampinis, quam pedunculis & caudici adhæreant, unde prætereuntes maximam illorum partem decerpendo mihi abſtulerunt.

Sub primô illorum intuitu ſtatim obſervabis illos nihil aliud quàm grana eſſe, in Pharmacopoliis & herbariis noſtris *Cuculi* ſeu *Coculi Indi* dicta, quæ juxta meam ſententiam in Inſulâ Javâ, ſub Balico & Javanico nomine *Boprang* quoque cognita ſunt. Nullus etiam dubito Ganitros Tibi melius quàm mihi ipſi cognitos eſſe, ſi binas illorum ſpecies, his additas, inſpexeris & conſideraveris, dum ab Incolis æquè ac Mercatoribus Europæis certior redditus ſum, ſpeciem minorem, quâ hîc deſtituimur, inter Benjanos & Codjas, qui cingulis ventris eam applicant, mercem inſignem ac proficuam conſtituere, cujus tamen pleniorem relationem à Tuâ Nobilitate expecto. Certum equidem artificium mihi detectum eſt, quô arbores ad minora tantùm grana producenda poſſint adſuefieri: aſt voluptate non capior multum temporis & laboris illic impendendi, quùm arbores ſint in promontoriô vireſcentes, pluriumque annorum decurſum requirunt ut in hortis alantur & ſuccreſcant.

Rami fructusque ſupra allegati ciſtæ ſunt inſerti, quàm hâc ipsâ navi ſub ſignô H. D. I. Tibi mitto.

In eâ ſimul ramuſculum de *Cubrang Ambonicô* invenies, qui in horto meo ſuccrevit, cujus truncus tamen, quàm craſſus etiam videatur, decantatum lignum tinctorium non ſuppeditat, inſtar ejus, quæ in Javâ reperitur. Notandum folia in Ambonico majora eſſe quam in Javanico, de cætero ſibi ſimilia. Quin ſpinæ in Ambonico retrorſum magis prominent, fructusque magni non evadunt, è ſquamis albicantibus, eſui minus aptis, maximâ ex parte conſtantes. Deſiderarem ergò pleniorem ſpeciei Javanicæ deſcriptionem, Tuo ſub nomine inclyto Ambonicæ maritandam.

Alter frutex ſpinoſus, qui pro cynosbati ſpecie habetur, ſicque à Tua Nobilitate allegatur, copiosè in Javâ, ſub nomine Ruccam & in Balis Cam reperibilis, à me nomine *Spinæ Spinarum* deſcribitur, quùm, in quantum mihi conſtat, nullam unquam plantam viderim, in quâ ſpinæ conjunctim, inſtar faſciculorum ſuccreſcant, ſolâ hac exceptâ; quapropter ramuſculum quendam, pro ulteriori informatione, ex hortô meô tranſmiſi.

Adhæc alium invenies fructum, haud ita pridem è Macaſſar, ſub titulo *Udani* mihi transmiſſum, incompto & hinc inde ſe volventi frutici innatum, unde grana è fructibus deſumpta ſaporem inſtar Catappan præ ſe ferunt, magnique uſus ſunt ad lumbricos ex adultis æque ac infantibus expellendos; & quoniam percipio hæc talia Malaijanis & Javanis quoque cognita eſſe, pleniorem de iis informationem, cumprimis autem nomen illorum Malaijanum expecto, ſi Chinenſes quoque ejus gnari ſint. Interim tam prolixa deſcriptione opus non erit, ut omnes mutationes, quas Proteus hic vegetando ſubit, mihique ſufficienter cognitæ ſunt, enarrentur chartaque tantum repleatur.

Fragmentum *radicis Colubrinæ Ceylonenſis*, quæ in Java, ut opinor creſcit, ibidemque *Hamba dutana* vocatur, optime agnovi, cujus amaritiem ſtatim animadverti, idque cum alia ferè radice, quam Cives Sinenſes huc attulerunt & à Javanis, hîc habitantibus, Pudra wali vocatur, convenit. Hæc *pudra wali* volubilis ſerpensque planta ſive *tali* eſſe dicitur, tam notabilis amaritiei, ut Javani eandem attingere detrectent, quùm amarities per iteratam etiam lotionem à manibus ſeparari nequeat; unde & exigui in Medicinâ uſus eſt, quamvis in latore ejus obſervare potuerim, quod eandem non ſine ſpe curationis alicujus attulerit.

Aliàs hîc in Amboinâ, in Inſulis Moluccis & Timor, arbuſculam aliquam finitimam habemus, quæ in omnibus ſuis partibus tam amara eſt, ut in ſcriptis meis Rex amaroris nomine-

minetur, quæ tamen linguâ Ternatanica *Soulamu*, h. e. Centurio medicamentorum, dicitur, Ambonicô & Malaijano ejus nomine uſque dum incertô. Mihi portio radicis eſt ad manus, una cum fructibus, qui figuram viridium & compreſſorum cordium habent, cujus Te in ciſta ſupradictâ participem feci, cum in finem, ut huic noſtro Regi amaroris concedatur cum Javanorum Hampa durana aut Pudrâ wali in arenam deſcendere, ut appareat, cujus amaritiès prævaleat. Si victas dare manus cogatur, nihil intereſt, cum vilis Ambonicus ſit, attamen Capitaneus, penes Moluccanos ſatis celebris contra morbos plurimos, cumprimis autem contra venenum animalium venenoſorum. Quodſi penes Vos ſit cognitus, nomen ejus Malaijanum à Te exorarem. Rarò reperitur, & quidem in lapidoſis tantùm locis & oris, magnis & oblongis foliis, flori Gulong tsjutsju ſimilibus, quæ jam ad manus non ſunt.

Nomen *Globbæ Kuſe* mihi non conſtat, ut ut tres ejus ſpecies, eſui aptæ, cum aliâ ſylveſtri in ſylvis proveniant, è quibus communiſſimam, in culinis magis uſitatam, hîc transmitto, de qua tantum recenter effoſſa radix Galangæ majori ſive Lanquas haud abſimilis eſt, quæ, uti ſpero, penes Vos germen aliquod trudet, ſi terræ mandata probeque curata fuerit. Fructus eſui inſervientes rarò è radice proveniunt, & non unâ vice hactenus ex Amboina à Curioſis requiſitæ fuerunt, ut in Bataviâ plantarentur.

Porrò fructus quoque maximæ ſpeciei *Palmijunci* ſeu *Rotang Calappæ* his obtinebis, quæ in hâc Inſulâ propullulat, utut citra commodum aliquod inde fœnerandum, cujus folia jam ad manus non ſunt. Conveniunt illi quodammodò cum iis (utut nonnihil majora ſint) quæ ante 4. vel 5. annos, prævià Tuâ ſine dubiô commendatione, è Javâ mihi tranſmiſſa ſunt, & quidem per Dn. de Vicq b. m. unde, juxta relationem Tuam, *Dzjerenang* in Palimbang paratur, cujus & cives quidam Sinenſes, hîc degentes, me certiorem reddiderunt, qui præparationi ejus ſæpius interfuêrunt. Præparationem ejus ſcire deſiderarem & à Te expectarem, dum Sinenſes modò allegati eandem dilucidè ſatis impertire nequeunt. Quòd verò pace Tuâ Dzjerenang, ſeu ut Macaſſares nominant, Dsjerenne, pro ſanguine Draconis habeam (quô titulo in Orientalibus Indiæ partibus venire ſolet) neutiquam eô fit fine, ut ſtatuam nullam aliam Sanguinis Draconis ſpeciem reperiri, aut aliis Orbis partibus innotuiſſe, cùm non ignorem in Pharmacopoliis Europæ alteram adhuc ſpeciem Sanguinis Draconis, in guttis dictam, reperiri. Interim trochiſcos inde paratos omnibus illîc præſentibus Pharmacopœis, ſi placuerit, oſtendere poteris, ut experiaris, an eosdem pro ſanguine Draconis acceptent, nec ne?

Ut omnes arbores & plantas, his in oris ſuccum ſanguineum fundentes, hac vice enumerem, ſupervacaneum eſſe duco, cùm vix aliæ mihi cognitæ ſint, quàm *Lingóo* arbor, Malaijanis *Ankana* dicta, Vobisque non incognita, cujus ſuccum intenſe rubicundum exſiccare, & in gummi, rubini inſtar pellucidum, indurare nôrunt. Non minus ſimilem ſuccum rubicundum obtinent è quâdam arbore nucis moſchatæ & tertiâ ſpecie *Metroſideros Moluccæ*, Ambonicè Samar dictæ, qui tamen non colligitur. In vetuſtis & excavatis truncis vulgaris *ligni ferrei*, hîc *Caju beſſi*, penes genuinos Malaijanos autem *Caju Carbu* dicti, ſiccum quoque gummi, ſed rariſſimè, inveni, ſubſtantiâ, colore & ſapore gummi acaciæ haud abſimile. De aliis ſuccis rubris hujus regionis nequicquam mihi conſtat.

Circa diſputatiunculam jamdudum inter Nos de *Ligno Sandalo rubrô* agitatam tandem eâdem oberrare chordâ poterimus. Interim aliquoties hactenus repetita civiliſque exprobratio, quòd ſc. in literis meis informationem Tuam, toties à me deſideratam, ironiâ aliquâ & ſcopticâ reſponſione remuneraverim, in epiſtola Tuâ omitti potuiſſet. Neque enim animus & intentio mea fuit, Domine & Amice Doctiſſime, ullius unquam relationem irridendi: verùm eâ libertate uti volui, quæ inter inſanos, vel potius canos, Diſputatores eſt conceſſa, ut ſc. una vel altera objectio in medium adferatur, quæ ad majorem rei dilucidationem facere poterat, quamdiu difficultas aut obſcuritas aliqua remanſiſſe videtur. Interim nulla uſquedum eorum, quæ ſcripſeram, pœnitentiâ ducor, eoque minus, quod objectioni à me propoſitæ nondum ſatisfactum ſit, cur ſc. Sandalum rubrum tam difficulter obtineri poſſit? cùm tamen certus ſim & à Nautis quibusdam audiverim Lignô Calearuricô naves in oris illis ad dimidietatem ferè impleri. Quâ objectione Tibi ſolùm calcar addere volui, ut plures adhuc easque curioſiſſimas res mihi communicares, quas nunquam aliâs obtinuiſſem, debitaque gratiarum actione ſemper proſecuturus ero. Maximô ſanè gaudiô perfuſus ſum, quamprimùm audivi Te multa in Itinere Perſicô de novô expertum eſſe, quæ lignum rubrum concernunt & hactenus inter nos ventilata ſunt. Unde Veteres Malaijani & Javani nomen Tsjendana Dzingi vel Zingi deſumpſerint, antea mihi prorſus incognitum & ceu mera conjectura relatum erat: nunc autem è literis Tuis prorſus certus ſum redditus illud ex Africa oriri. An verò priſtini Javani cum Africanis, cumprimis Incolis Madagaſcar, aut hi reciprocè cùm illis commercium quoddam aluerint? ſuô in locô jam relinquo. Interim non potui non in additamentis meditationi tuæ convenientiam linguæ uſitatæ Ambonicæ, Javanicæ & Madagaſcaricæ, in quantum numeros attinet, offerre, prout ab Indigenâ harum terrarum mihi tradita

fuit,

fuit, cumprimis inter Amboinam & Madagaſcar obtinentem. Nihilominus tamen vix credo ultimò nominatas has Nationes ſe unquam reciprocè viſitaſſe, citiusq; fieri potuit ut Javani genti huic aliquid de Lingua ſua ceſſerint. De Amboinâ quam certiſſimus ſum, ubi integræ familiæ, imò pagi, reperiuntur, qui ex Anteceſſorum traditione norunt ſe à Javanis originem duxiſſe; quemadmodum & ſub priori Belgarum regimine incolæ Ditu, cum diſplicentiâ noſtratium, cum incolis Chiri, retrò Griſſek ſitis, commercium literarium aluêrunt, à quibus, ut perhibent, originem ſuam habent.

Impatienti cum deſiderio expecto certiorem Tuam relationem, cum ſpecimine & foliis, decantati ligni *Devvadarne* ſive *Djudaar*, cumprimis quod audiam id in Javâ reperiri. Nudum ſanè nomen Dæmonis arboris in animum mihi revocat ea, quæ in Herbario meô, cap. de Arbore Caſuwaris ex Lexico Arabicô Golii ſcripſi & ulteriori Tuæ meditationi hiſce Tibi communicare volui. Verba ſunt ſequentia: Penes Arabes Betharides mentio quædam fit arboris Dejudar, quod Perſicum nomen eſt, tantumque ſignificat ac Dæmonum arbor, ſpecies Sabinæ Indicæ. Hanc noſtram Caſuwaris arborem eſſe conjicio, quæ *Tympanites* arbor dicitur, quoniam flante vento ſibilus & ſonitus auditur, qualis & in Abiete noſtrâ obſervatur, & à vulgô, veram ejus cauſam neſciente, volucribus illi „ inſidentibus tribuitur. Mihi hoc A. 1662. ac„cidit, quòd ab honeſta quadam Perſonâ ex „ Ternata ramus inde transmiſſus fuerit, quæ, „ cum me ejus rei ignarum putaret, cum admi„ ratione quadam addidit, arborem eſſe, in „ quâ Orpheus cum omni ſuâ Muſicâ audiri poſ„ ſit. Tantum de hoc extracto.

Multa de *Muſticas* ſeu *Meſticas* lapillis hîc verba perdere eò minus neceſſarium eſſe duco, quò magis apparet & Tuam Nobilit. ejus opinionis eſſe, tantùm non omnes eandem obtinere naturam, quâ Rex de Palimbang illos arte effecit. Mihi nequicquam inde compertum eſt, nec ullos in loco ſuô natali inveni: quemadmodum nec in omnibus, ſed certis regionibus reperiri dicuntur. Nihilo tamen minus non ſtatim pro fabulis reputabo, quæ ab aliis, fide dignis, de iis mihi relata ſunt, cùm neutiquam ex eorum ſectâ ſim, qui omnia Naturæ opera ſtatim negant & rejiciunt, quæ intellectu noſtro comprehendere non poſſumus. Quemadmodũ enim cuivis conſtat *Lapides Bezoardicos* vel millenis adulterari modis, nihilominus tamen certum eſt genuinos etiam reperiri, qui non tantùm in quodam genere caprarum, Nationi noſtræ perſpectarum, ſed & in quadam ſimiarum ſpecie in Inſula Borneo inveniuntur: ita ſimiliter cum aliis naturalibus comparatum eſt. Non unâ vice, per Sinenſem aliquem, diverſos lapides Bezoardicos in Bantham pro me coëmi, qui nomine Sinenſi *Gantſcho* & Malaijano ſpuriô *Cubgakees* appellantur, qui mea opinione aliorumque judicio genuini quoque erant. Quid quod Dn. Melchior Hurt, Frater Directoris Senioris Anthonii Hurt, Archi-Præfecti quondam oræ Occidentalis, A. 1672. lapidem mihi dono dedit, magnitudine pruni rotundi, maculis elegantiſſimè depicti corisque duritiem habentis, quem ex inteſtinis Tygridis, magno labore illic capti & interemti, extraxerant, ut propriis ſe oculis vidiſſe teſtatur. Hujus lapidis ſi jam adhuc compos eſſem, multum æris eô penes Javanos lucrari poſſem: verum ante 7. jam annos, cum aliis rarioribus meis, in Italiam miſſus fuit. Non ignoro pariter à pluribus Recentiorum Doctoribus pro fabulis haberi quæcunque de *auro*, è ſolo *lapide fulminari* habendo, traduntur: quî jam fidem penes illos mererer, ſi dicerem tale quid me ipſum poſſidere, quod Cives & Officiales hujus loci, fide digniſſimi, in meditullio arboris Isnoacki (vulgò *Eiſerholtz*,) hæſiſſe autoptæ teſtantur, utpote quæ paulò ante ictu fulminis tacta fuerat: imò, quod majus erat, ſi dicerem me aurum & cuprum obtinere, quod cum & à fulmine deſuper exploſum fuit &c.

Talia & adhuc longe rariora exempla à Javanis, Malaijanis & cumprimis Macaſſarenſibus ſine dubio perceperis, quibus unusquisque tantum fidei attribuere poterit, quantum capere valet. Ad minimum hoc aſſero, quod, ſi iis, quæ Veteres tradiderunt, fides adhibenda non eſſet, niſi propriis omnia oculis viderimus, aut comprehendere ſtatim poſſimus, magna pars ſcientiarum & artium liberalium, è libris hauriendarum, vana eſſet minusque neceſſaria. Me quod attinet, reapſe teſtari poſſum plures mihi ad manus eſſe lapides, in India repertos, quorum à Plinio & aliis mentio eſt facta, utut ab hodiernis Gemmariis pro fictis & fabuloſis, vel ad minimum pro incognitis, habeantur.

Per Dn. Latil, Civem hujus loci & Collegam meum in Senatu Minori, ciſtam quadrangularem ex aſſeribus, lit. H. D. I. notatam, obtinebis, in quâ primô loco 6. rami continentur, ſcil. N. 1. *Cudrang* Ambonenſium, utut ſine fructibus. N. 2. *Gamiter* majus Ambonicum, plenis, ſed ſemimaturis, fructibus & foliis. N. 3. *Spina ſpinarum*, Malaijanis Ruccam dicta, à Javâ in has regiones allata & epropter rarò fructifera, baccas aliàs rotundas, glabras & rubicundas ferens, eſui aptas & fructui Cynosbari noſtratis in Europa haud abſimiles. N. 4. *Anticholerica*, in vulgari Malaijanorum linguâ Oepas bidji dicta, una cum foliis & fructibus. Arbuſcula eſt in arenoſis oris proveniens & eum in finem Tibi transmiſſa, ut eandem Malaijanis oſtendere ejusque nomen Malaijanum indagare valeas, quoniam inſigne eſt antidotum contra varios cibos noxios, è mari provenientes, quos per vomitum ejicit: contra quos baccæ flaveſcentes & amaræ, ut & radices utplurimum adhibentur. N. 5. bini ſunt ramuſculi arboris *Culit-Lavvan*, è quibus alteruter,

minoribus foliis instructus ab arbore annosâ proficiscitur, cujus fructus inveterati & decidui, exsiccati tamen, seorsim sunt involuti: Alter autem, foliis majoribus gaudens, ab arbore juniori decerptus est. E fibris crassioribus foliorum facilè conjicere poteris eadem cum foliis Cinamomi & Lauro Japonensium quodammodò convenire. Fructus nostratis Culit-lawan primum baccæ sunt oblongæ, sub maturatione diffilientes, flavam & pinguem, attamen siccam, medullam exhibentes, qualem & arbor cinamomi continet. N. 6. Pampinus *Tubæ Bacciferæ* est, communissimè *Bori Bidji* dictæ & in Officinis Pharmaceuticis *Cucculi Indi* vocatæ, qui fructus ejus sunt, hic exsiccati adjecti. Additus est fasciculus fructuum viridium & semimaturorum, ut hoc tempore in horto meô succrescunt. N. 7. Radix est arboris, *Rex Amaroris* dictæ, mediocris magnitudinis, quæ in oris lapidosis propullulat, communi Malaijanorum linguâ Bon hati, Ternatensi verò Soulamu vocata. N. 8. *Grana* depurata *Ganitri* sunt, trium specierum & magnitudinum, inter quas tamen ne unica quidem genuina est. N. 9. *Fructus* sunt *Regis Amaroris*, seu Boa-hali arboris, qui cum supra allegatâ radice alexipharmacum egregium constituunt. N. 10. Fructus sunt exsiccati Tubæ Bacciferæ, seu *Cucculi Indi*. N. 11. *Fructus Udani*, anthelmintici Malaijanis usitati. Ex his quatuor postrema cucullis piperinis involuta sunt.

Portò ab Eodem Dn. Latil quadrangulatem & apertam cistam, è Gabba Gabba formatam & exiguâ quantitate terræ repletam obtinebis, cui tres species Globbæ implantatæ sunt. Hîc autem notari velim maximum Globbæ communis esse fragmentum, reliquas II. species autem, radicibus tenuibus instructas & Globba Durion l. Globba Papœa dictas, eas esse, quas sub nomine Globba Kuse desiderasti. Duplices autem fructus ferunt, altera radice mediocri instructa fructus unô fasciculô collectos habet, ad instar cardamomi, prope terram, cujus fasciculus exsiccatus N. 12. in cistulâ occurret: altera rotundis, spinosis & virescentibus fructibus est instructa, pariter prope terram, quos hâc vice non è tenuissima radice, d. mediocri transmitto. Omnes tres hâc ratione integræ solo duriusculo implantandæ sunt, in quô, uti spero, lætè succrescent. In summitate hujus cistæ corona adhuc è *Melckouvv* parata habetur, foliis gaudente farinaceis striisque crassioribus, quæ hîc in Amboinâ *Susuela*, h. e. Melckouw major, dicitur & à me pro Apocyno Indico habetur, coronam habens è floribus albis collectam, quæ Cravos, quos Mixstys in auriculis gerunt, æmulantur. Hos siliquæ oblongæ insequuntur, substantia lanuginosa, serico secundario (v. Plockseiden) haud absimili, refertæ, quæ à ventis difflatur. Eum autem in finem hæc addidi, ut experiamur an folia adhuc viridia Bataviam deferri possint & Javanis quoque cognita sint. Quibus hâc vice concludo & cum salute humanissima Te Protectioni Divinæ commendans æternum perstevero

Nob. Tuæ

Amboinæ Victoriæ d. 14. Sept. 1689.

Servus & Amicus Officiosissimus
RUMPHIUS mp.

EPISTOLA IIX.

DN. GEORGII EBERHARDI RUMPHII
Ad
DN. D. CHRISTIANUM MENZELIUM.

P. P.

E Literis Tuis humanissimis, Berolini die 2. Octobr. anni 1678. ad me datis, nihil aliud conjicere possum, quàm aut famam quandam fallacem, aut Amici cujusdam (Dn. Cleyeri fortè) nimis favorabilem relationem meam tenuitatem majorem, quàm meretur, depinxisse; quapropter haud ægrè feres, quæso, si me his detexero, cùm benignitate Tuâ excitatus diutius me abscondere non valeam. Sincerus sum Germanus, nec Illustri Rumphio, Hagiensi, Archiatro Principis Arausiorum, ullâ cognatione, quantum mihi constat, addictus, dum in Comitatu Solmensi natus, Hanoviæ verò educatus sum, ubi Pater, Augustus Rumphius, Ædilis fuit, idque anno 1666. Quandoquidem verò rerum exoticarum

earum cognoſcendarum cupidiſſimus ſemper fui, juvenili ſtatim ætate patriam meam reliqui, in Luſitaniam primò abiens. Inde triennio elapſo redii, & ante XXVIII. annos in Indiam Orientalem contendi, fatoque ſic volente in ultimas verſus Orientem Inſulas delatus hîc in Amboina, ubi nunc ſeniô confectus ſum, fixam mihi ſedem paravi. Quamprimùm in Indiam perveni, hiſtorico, ſed brevi ſcribendi genere, rariora vegetabilia, animalia, marina & mineralia harum inſularum, quotquot videre licuit, annotare & quoad per Incolarum communicationem experiri potui, illorum vires obſervare, imò pro virili figuras omnium deſignare, omnia q. linguâ Latinâ, cœpi. Erhapſodia hâc haud mediocris talium copia oriebatur, donec DEO (qui ſine dubio majorem curam adhibuit pro ſalute mea quàm ipſemet) ita volente, univerſus hic terrarum Orbis, cum omnibus illic contentis creaturis, oculis meis ſubtractus fuerit, ita ut guttâ ſerenâ oculos meos corripiente in decimum jam annum vitam in triſtiſſimis tenebris ducere cogar. Interim tamen Superiores noſtri, ſchedas meas neutiquam perire paſſi, unum vel alterum Amanuenſem quandoque mihi conceſſerunt, quorum adminiculo chaos ſupradictum in ordinem redigere & certis de cauſis è linguâ Latinâ in Belgicam transferre licuit, quamvis id non ſine notabili decremento prioris nitoris & dignitatis, ut plerunque cum iis fieri ſolet ſcriptis, quæ oculis manibusque mutuatis formanda ſunt. Herbis equidem X. libros deſtinavi, quorum VII. jam abſolvi. Quodſi DEUS vitam mihi indulſerit, alios V. libros de Animalibus præcipuis, tam aquatilibus, quàm terreſtribus, de Conchis, Lithodendris & Mineralibus quibusdam ſubjuncturus ero. Hac ratione ideam quandam & delineationem, Vir Honoratiſſime, vides Rumphii Indici, quisquis etiam & qualiacunque ejus ſint ſtudia. Jam Benevolentia Tua adeo me obſtrinxit, ut deſiderio Tuo toto ex corde ſatisfacturus eſſem, ſi tantum, quantum fama Inclyti Tui Nominis meretur, præſtare valeam. A fronte verò me quæſo excuſatum habeas, ſi non prolixus ero in deſcribendis *Caryophyllis*, quâ ratione ſc. plantentur & alantur, quùm à Superioribus id interdictum ſit. Pauca hæc ſufficere poterunt: *Arbores Caryophyllorum* per maturos jam fructus ſeminantur & plantantur, quibus neutiquam caryophylla aromatica, penes Aromatarios occurrentia, intelligo, utpote quæ tantùm rudimenta & principium ſunt fructuum genuinorum, qui triplô, imò quadruplo majores ſunt, & communiſſimè *Anthophylla* audiunt, internè duriuſculo, ut baccæ lauri, nucleô inſtructa. His de arboribus cadentibus novæ inde arbuſculæ exſurgunt, quæ effodi, & quocunque libuerit, transplantari poſſunt. Anthophylla ipſa ultra octiduum recentia & viridia domi conſervâri non poſſunt, dum mox exſiccantur & abhinc nullum de ſe germen emittunt. Quid quod nullâ hactenus arte aut culturâ effici potuerit, ut fructus hi extra Moluccas Inſulas in arbores ſuccreſcerent & fructus ferrent. Hi autem, dum ex viridi aut albicante colore quodammodò ruborem induunt, ad uſum aromaticum apti cenſentur. Circa illud tempus capitulum rotundum in ſummitate ſe aperit & in florem ſe induit, petalis, ut in flore ceraſorum, albicantibus exiſtentibus. Eô jam tempore colligenda ſunt; quô facto mappis junceis imponuntur, latioribus ari foliis obteguntur, per integrum diem fumo exponuntur & abhinc ulterius in Sole exſiccantur, unde color ille nigricans, in iis conſpicuus, oboritur. Reliqui fructus, qui in arboribus (quales reverâ ſunt, non frutices, Lauro majores) relinquuntur, paucas intra ſeptimanas craſſeſcunt & Anthophylla, ad aromatiſandum inepta, præbent.

Caryophylla ipſa nullam ferè differentiam inter ſe habent, ſed ejusdem ſunt naturæ. Interim duas, eaſque rariſſimas, adhuc ſpecies transmitto, quæ in ciſtâ adjectâ continentur. De prima eorum ſpecie num. 6. tantum obtinebis, quæ rariſſima & à communi caryophyllorum figurâ valdè abludunt & in totô orbe non amplius occurrunt. Vocantur illa *Caryophylla Regia*, & è meris fere cuſpidibus, 4. ſeriebus diſpoſitis, conſtant. Hæc unicæ tantùm arbori, quæ ſola in Univerſo hoc reperta fuit, innata ſunt, & quidem in Machian, (unâ è Moluccis Inſulis) quæ tamen jamdudum emortua eſt, nec poſt illam alia ſuccrevit. Paucos adhuc fructus inde mihi ſervo, quùm reliquos cum Magnatibus quibusdam & Amicis diviſerim, ut inter alios Naturæ theſauros & rariora aſſervari poſſint. De altera ſpecie plura offero, quæ prioribus quodammodò ſimilia, licet in quamplurimis à figura illorum abeant, hacque ad caryophylla aromatica propius accedant, cum ferè nil niſi communia ſint caryophylla, in acumina quædam ſe terminantia & dividentia. Hæc pariter in unicâ tantùm inſulæ hujus arbore inveniuntur, quæ in hunc adhuc diem ſuperſtes eſt. Hæc Caryophylla Regia nunquàm in Antophylla mutantur, eamque ob cauſam neque recentia, neque inveterata transplantari poſſunt. Folia communibus affinia ſunt. Tantum hâc vice de Caryophyllis. Reliqua de iis Orbi erudito innoteſcent, ſi per DEI gratiam Herbarium meum in apricum veniet, in cujus lib. II. prolixè admodum de Caryophyllis agitur.

Cæterum non poſſum non ſimul referre, proxime Nos, verſus Orientem, attingere Novam Guineam, cujus partem ſeptentrionalem (Onim dictam) vicini noſtri crebrò frequentant, indeque corticem quendam aro-

maticum, quem *Maſſoy* vocant, apportant. Hic Cortex in India noſtrâ indies divenditur, quùm Incolæ ſub frigida humidâque aeris conſtitutione eundem contundant, cum aqua coquendo in pultem redigant eoque corpus inungant, ſiquidem calefaciendo tormina abdominis curat & jucundum odorem ſpirat. Indi ſæpiſſimè alium calefacientem & aromaticum corticem, quem *Culit-lavvan* appellant, admiſcent. Utriuſque fragmentum in ciſtulâ reperies & maſticando de viribus haud difficulter judicare poteris.

Literis Tuis adjunctus erat *de Magnete Lumaari liber*, aliaque nonnulla folia, è quibus tanquam ex ungue leonem dignoſcere & prævidere poteram, quàm ſplendidum & amplum opus *Pandectæ Brandeburgicæ* conſtituturæ ſint, quod omnibus Eruditis, cumprimis autem mihi in ultima & extremâ hâc barbarie, ubi tanta librorum annona eſt, ſummè proficuum erit.

Accedunt his bina *Pyritæ* cujusdam fragmenta, qui ubique *pentagonus* eſt, & in meditullio alius lapis reperitur. Pro *Androdamanta* Plinii eundem habeo. Javani politum annulis cupreis includunt & ad victoriam inter pugnandum ſibi conciliandam portant. Magnates in Indiâ ſollicitè admodum quærunt *gemmas* quasdam *noctu lucentes*, quas in capite veterum Serpentum & neſcio quorum Baſiliſcorum & Draconum indagant. Vidi & adhuc poſſideo quosdam, *Draconitis* Plinii annumerandos, aſt noctu minus lucent, ſed Alabaſtri ferè ſunt, inſtar ſilicum aut cryſtallorum obſcuriorum.

Occaſione harum Noctilucarum Te celare nequeo, Oceanum noſtrum Inſulas Bandanenſes (per 30. milliaria verſus Orientem abeuntes) cingentem, bis annuatim, ſc. menſe Julio & Auguſto noctu ſic candeſcere, ut tempore nocturno inſtar nivis ſplendeat, diurnô verò aquæ ſimilis appareat. Credo humorem malignum eô tempore aquis miſceri, quùm illa pars, quæ interdiu eô infecta fuit, noctu à reliquis aquis diſtingui poſſit. Oro Te etiam atque etiam, ut efficias, quo Nobiliſſ. Collegium Veſtrum me certiorem reddat, annon ſecreta quâdam Operatione Chymicâ ſimilis Aqua Noctiluca, è ſulphureô cum alumine permixto ſpiritu poſſit confici? quod fieri poſſe inde mihi perſuadeo, quoniam quamplures fodinæ ſulphureæ in hâc Inſulâ reperiuntur, quæ ſemper aliquid de alumine plumoſo continent: qualia effluvia tempore Novilunii ſupradictorum menſium aquæ marinæ miſceri credo. Reliqua in ciſtulâ contenta catalogus exhibebit. Quibus Nob. Tuam Protectioni Divinæ, Tuo verò favori me ipſum commendo. Dab. Amboinæ, die 20. Sept. 1680.

IX.

EXTRACTA

è

DN. GEORGII EBERHARDI RUMPHII EPISTOLA

Ad

D. WILHELMUM *ten* RHYNE.

P. P.

Alioquin X. Libros de Herbis Ambonenſibus, aliumque de Conchiliis Marinis ſub manibus habeo.

Cortex Ovinius, ſeu *Maſſoy*, fervidus & aromaticus cortex, hic æquè ac in Bataviâ eſt exoticus & è Novâ Guineâ apportatur; quapropter uſum ejus facilius è quodam Malaijanô aut Balierio, quam hinc experiri poteris.

Lagondy ubivis duplex eſt, 1. Mas quinque foliis inſtructa, arboreſcens & circa oram maris ſuccreſcens. 2. Fœmina, tribus tantùm & quidem minoribus foliis inſtructa, fruticis formam, his quidem in inſulis, retinens, in Bataviâ autem arboreſcens, quæ in Medicinâ tantùm uſualis eſt, cujus folia, ut exiſtimo, ante annos aliquot Nobilitati Tuæ obtuli.

Herba Moluccana, apud Chriſtophorum à Coſta, cap. V. IX. deſcripta, in Ternata Tſchingâ-tſchinge, vulgò autem Malaijanis Sajor ſonga dicitur, & ubique ſylveſtris in locis aquoſis, prolixis pampinis, inter alias aſperas & ſerpentes plantas, ſuccreſcit. A Coſta folia ſambuco ſimilia illi tribuit, aſt latiora longè & rotundiora ſunt, tactui quodammodò aſpera, odoris penetrantis, menthæ Saracenicæ odorem cum aniſo qs. mixtum referentis. Herba quidem vulneraria eſt, ſed neutiquam adeo valida, ut, prout à Coſta ſcribit, Chirurgorum deſtructi-

vum

vum sit. Viginti abhinc annis per Chirurgum meum mediante cerâ & ℔ calappas recenti unguentum viride exinde parari curavi, quod in defectu alius utilissimum nobis fuit. Non minus tamen certâ ratione præparatur & oleris esculenti locô in culinis adhibetur; urinam, quæ odorem terebinthinatum inde acquirit, movens.

Lignum Moluccanum hodie non amplius sub nomine *Panave* venit, quô supra allegatus à Costa cap. 34. illud donavit & obscure admodum descripsit: sed probè novi Eundem arbusculam *Bory* eô intelligere, quæ tam calida, urens & catharctica est, ut ipsum Euphorbium etiam quodcunque esse potest. Radices ejus anno præterpropter 1632. ex Amboina petitæ & in Europam æquè ac Chinam, ad curandum eô hydropem, quem, ut in Nosocomiô hujus loci sæpe expertus sum, egregiè curant, transmissæ sunt. Fructus ejus, *nuculæ sudoriferæ*, in Herbariis *Grana de Molucco* & nuces pineæ de Molucco nominantur, quibus aves & pisces intoxicantur. In fasciculô hoc radicem, quæ tutior est, invenies. Addidi 6. nuculas, quodammodò triangulares, pro specimine. De radice minutissimè tritâ plus non est sumendum, quam digitale capere potest, cum pauco carnis aut alio jusculo arack permixto. Medicamentum valdè Diureticum est, nullam verò sive in gulâ, sive in ano inflammationem causatur.

Ganiter lignosa quædam grana sunt, curiosè, ut videntur, excavata, acsi arte sic effossa sint, grano piperis paulo majora, queis Pagani colla cingunt, trajecto prius filo & permixtis quandoque coralliis. Optima in parte Orientali Javæ & Maduræ occurrunt. Hic autem in Amboinâ species majorum, instar globulorum sclopetariorum, succrescit, nullius usus, & plerumque in excelsis usque sylvestribus arboribus in montibus inveniuntur, quorum granum in folio mediocris magnitudinis transmitto, cùm minorum & duriorum species hîc incognita sit.

Ramusculos, Flores & Fructus *Ligni Colubrini Sandalique* hinc Tibi mittere nequeo, dum in his locis tantùm spuriam utriusque sortem obtinemus, genuini autem ex Insula Timor accersenda sunt, unde certorum Amicorum adminiculô, qui in Bataviâ habitant, eadem obtinui, quùm nostrates nullum cum Timorensibus commercium, à Superioribus certis de causis interdictum, habeant.

Caju Rasamala crassæ sunt radices Arboris alicujus in Nova Guineâ, cujus folia mihi ipsi incognita sunt. Lignum densum admodum, grave, extus gryseum & coloris mellei, optimum verò album, instar eboris, Styracem liquidam quodammodò redolens, Malaijanis Rasamula dictum, quorum Uxores id ad suffimigia adhibent. Audio Dn. Herbertum de Jager lignum ejusmodi in Indostanorum terris vidisse, ligno Sandalo albo haud absimile, sub nomine *Sembarane*, de quô uberiorem informationem desideratem.

Mare Lacteum sive Aquæ Candidæ phænomenon est in mari, dignissimum admiratione & usquedum inexplicabile, circa Bataviam versus Amboinam annuatim bis contingens, ita tamen, ut nonnisi tempore nocturnô observetur. Interdiu mare instar aquæ, noctu autem ignis & nivis instar candidum & splendescens est, ut vix lumen ab aquâ distingui possit. Prima ejus apparitio *Aqua Candida Minor* dicitur, & tempore Novilunii circa finem Junii accidit. Altera, scil. *Aqua Candida Major*, similiter circa Novilunium, in fine Augusti observatur, magis tamen in unô, quàm alio anno, interdum etiam omnino non occurrit. Latis admodum striis Amboinam præterfluit, usque ad Beuton, nec reliquæ aquæ salsæ se miscet, donec in strias minores dividatur. Non immeritò quis putaret per certas cœli influentias maris fundum eô tempore qs. aperiri, ut materiam quandam sulphureo-aluminosam de se edat (dum Insulæ hæ multis montibus sulphureis scatent) quæ aquæ maris sallæ commixta colorem illum induat: id quod Alchymistis inquirendum relinquo, ad aquam aliquam Noctilucam è tali materia præparandam. Evanescente priori in Bandâ quandoque sanguinea & fœtidissima materia in ripâ maris observatur, quæ nihil aliud est, quàm fæces sulphureæ, vel sulphureo aluminosæ, unde pisces emoriuntur, qualem aquam hic in portu Amboinæ hoc ipso anno habuimus.

Ut Catalogum Plantarum à me descriptarum transmitterem, nec practicabile nec utile existimo, dum opus adhuc imperfectum est, & in ipsis nominibus adeò firmi non sumus, quin hic vel illic quandoque aliquid immutandum sit, quamdiu sub nostris manibus versatur. Quod enim semel in publicum evulgatum est, tam facilè abhinc emendari nequit. Interim non sine tædiô meô res tardè admodum procedit, idque ob defectum Amanuensium versatorum, quùm parùm mihi, ad id consummandum, temporis superfit.

De *Origine Ambræ* plura hâc vice, quàm antehâc sum professus, addere non possum, quòd scil. pinguis terræ succus sit, è fundo maris scaturiens, primò quidem liquidus & tenax, postmodum verò salsedine maris pedetentim induratus. Interim non majores tantum pisces, sed & minores, imò & volucres & porcelli sylvestres omnis generis Ambram deglutiunt, sicubi invenerint, odore subpingui allecti, quam abhinc revomere solent. Inde sine dubiô est, quod tot penes vulgum æque ac Scriptores sententiæ de eâ sint exortæ, ita quidem, ut nonnulli (quos inter maxime Incolarum Orientalium horum tractuum pars reperitur) illam in peculiari cetorum specie generari existiment, Lamiis accensita: quemadmodum talis ad partem Orientalem de Timor, ad vallum usque, ejectus fuit, qui in parte anteriori

ambra

ambra gryſea, in poſteriori verò nigrâ repletus erat. Alii verò perhibent Aves majores marinos Maldiviarum Inſularum ambram generare, utpote quæ in rupibus inter excrementa illorum reperiatur. Haud ita pridem homo quidam loquax perſuadere nobis conabatur porcellum ſylveſtrem Indicum, in Inſulâ Mauritii frequentem, Ambram in abdomine continere: id quod impoſſibile non eſt, ſi ſc. in ripâ eandem invenerit & devoraverit: quemadmodum his in Inſulis cum Ambra albicante, Spemare ceti & Lardo marino (quæ omnes ſylveſtres ambræ flaveſcentis ſpecies ſunt) fieri ſolet. Interim hîc de Ambrâ diſcurſus prolixior, quàm ut epiſtolâ quadam abſolvi poſſet, evaderet, ſi adhuc deducere vellem Ambram gryſeam veram utplurimùm materia quadam reſinosâ nigricante cinctam eſſe, quæ pro ambrâ nigrâ haberi poterit, putrido tamen & adversô odore gaudente, cujus fruſtum, paucos ante annos mihi allatum, hîc ex improvisô in mari repertum fuit & non tantum ungues, ſed & roſtra avium in ſe continebat.

Arbor, unde genuina *Nux Vomica* proficiſcitur, mihi uſquedum incognita eſt. Audivi tamen aliquando nonneminem ſuſtinuiſſe elegantem hunc fructum ab arbore ligni Sandali peti, quod fidem non meretur.

Sanguis Draconis, in quantum à Malaijanis audire potui, neutiquam à ligno Caliaturico, ſed à quadam ſpecie majoris craſſioris que arundinis, in Malaija & Sumatra, circa urbem Palimbang ſuccreſcente, profluit. Talis arundo etiam hîc in Amboinâ reperitur, ſuccum rubicundum & pellucidum fundens, qui tamen minus induratur. Meâ ſententiâ genuinus Sanguis Draconis optimusque Europæis adhuc incognitus eſt, utpote qui ex meris minoribusque lachrymis conſtat, quæ foliis exſiccatis involutæ in Bataviâ venèunt, & quidem ſub nomine Dzjerenang.

Lignum Caliaturicum Sandalum rubrum non eſſe jamdudum meô damnó ſum expertus, cùm primum è Bataviâ pro Sandalo rubro mihi tranſmiſſum mihique nondum viſum id contra Ophthalmiam, quâ præterlapſo menſe Novembre corripiebar, adhiberem. Statim enim obſervabam, quòd loco alicujus refrigerationis oculos valdè mordicet & deglutitum gulam irritet: unde poſt curatiorem inquiſitionem obſervavi id lignum Caliaturicum fuiſſe. Quapropter etiam atque etiam rogito, velis Dn. de Jager, qui regiones Indoſtanicas probè peragravit & plura de his, ut audivi, expertus eſt, prævia ſalute eô diſponere, ut haut gravatim me plenius inſtruat, quid propriè ſit Sandalum rubrum? dum, juxta Luſitanorum relationem, in regionibus illis obtineri dicitur. Mihi ea ſententia hæret, non certius & facilius hoc reſciri poſſe, quàm è Madagaſcar, aut tractibus Orientalibus Africæ, quorum Incolæ olim Tryglodítæ, hodiè verò communiter apud Arabes Zingi vel Zangi dicuntur, unde & Sandalum rubrum penes Malaijanos *Tsjendana zangi* vocatur; quemadmodum & *Zingiber* ſuam inde denominationem habet. Quodſi fragmentum ejus in Bataviâ mihi procurare valeres, Plenipotentiarius meus, Dn. de Ghein, idem pro me ſolvet.

Abhinc à ſupra laudatô Dominô uberiorem etiam inſtructionem peterem, quid ſit genuinus *Calamus Aromaticus?* & quænam ejus inquilina ſint nomina? quùm probe ſciam, eundem nec *acorum*, nec *Schœnanthum* eſſe, quorum prior à Malaijanis Dizingo, poſterius autem *Sirec* dicitur, quæ utrobique in Bataviâ ſuccreſcunt &c. D. *Amboinæ* die 20. Auguſt. Anno 1687.

Nob. Tuæ

Addictiſſimus

RUMPHIUS mp.

X.

EXTRACTA

è

DN. GEORGII EBERHARDI RUMPHII *EPISTOLA*

Ad

D. ANDREAM CLEYERUM.

P. P.

Primò omnium me de *Meliſſa Batavicâ* judicium certum ferre non poſſe ſcias, antequam folium exſiccatum aut ramuſculum inde obtinuerim. *Ocymum* tamen *ſylveſtre* eſſe credo,

credo, quod Malaijani Comangi Utan & rocku rocka vocant, quod & hîc locorum, sed parcè admodum, in desertis succrescit.

Descriptio *Catsio*, à Dn. de Jager concepta, mihi admodum dubia videtur, adeò, ut in iis, quæ Garzias ab Orto de eô scripsit, acquiescere mallem, qui arborem ejus satis dilucidè descripsit. Quoniam verò nuper audivi, in Pegu, ubi optima ejus species reperitur, duplex Catsio haberi & utrumque quidem in globulis rotundis, quorum prima species è ramis arboris coquatur & è nigricantibus durisque nodis conflata sit, ut communis & optima species apparet: altera autem è majoribus constet massis, quæ extus rubræ & fragiles, intus autem albicantes & calciformes, viliores simul & tuberum instar sub terrâ crescentes, Tibi hornô tempore *Terræ Japponicæ* nomine venientes: hinc ulteriori Tuæ inquisitioni hæc committo, quùm occasio Tibi suppetat literas quasdam ad Residentem nostrum in Pegu transmittendi, aut per homines quosdam linguarum gnaros è Peguanis, in Bataviâ dubio procul commorantibus, percontandi, an res ita se habeat: quô factô uberius informatus ab opinione mea, quod non alia Catzio species quam à Garziâ descripta detur, libentissime recedam.

Rotulæ compressæ, seu Catzio spurium, proprie *Gitta Gambir* audiunt, & è Palimban, ut rectè sentis, proveniunt, ab alio tamen, quam Catsii, frutice. Si concisam descriptionem aut delineationem foliorum obtinerem, eandem arbusculam hîc in Amboina me inventurum crederem.

An *Semen Sinæ*, juxta omnium ferè Herbariorum nostrorum sententiam, species absinthii, vel juxtâ Dn. Herberti de Jager opinionem abrotani species sit? parum refert, dum plures herbæ ab Europæis nostris mox ad hoc mox ad illud plantarum genus referuntur. Impossibile quoque non est herbam hanc in diversis regionibus diversam figuram habere, prout ex narratione Chirurgi Surattensis eluceſcit, qui folia fœniculi similia illi tribuit, odoris fragrantissimi. Quid quod è prolixa Dn. de Jager descriptione eluceſcat binas ejus species esse, ambas lumbricis inimicas, cui, tanquam autoptæ, subscribere cogor.

Antequam admittam non aliud *Sandalum rubrum* à Scriptoribus Arabicis, ejus primam mentionem facientibus, intelligi, quàm lignum Caliaturicum commune, pace amborum Dominorum aliquamdiu adhuc credere liceat genuinum Sandalum rubrum in universâ India Orientali non reperiri, prout jam ante, quantum recordor, Tibi fassus sum, cùm nomen Malaijanum *Tsjendana Zangi* indigiter illud è Regione Zangiorum, vel Zangisiorum, h. e. Æthiopum, tractum Africæ Orientalem incolentium, conquirendum esse. Quapropter Tuo me judicio submitto, si propugno hodiernum lignum Sandalum rubrum, Europæis usuale & à Garciâ descriptum, nihil aliud quam Lignum Caleaturicum esse: posthâc quoque cavebo ne unquam illud ad refrigerandum adhibeam, utut idem ab Amicis, quibus illud distribui, utplurimum absumptum sit, qui antiquorum chordâ oberrantes id ad refrigerationem in hæmorrhagiis adhibuêrunt. Intereà ab Incolis omnia curatius me expiscaturum spero, utut difficulter admodum, cumprimis in loco hoc remotissimo, quem pauci Exteri frequentant.

Non minus valdè adhuc dubito, an Ambonensis *Resina Damar Canari Utan* pro Gummi Elemi habenda sit, cujus prægnantes omninò causas habeo, quamdiu descriptione arborum Africanarum destituimur, quæ Gummi Elemi & Anime fundunt, cùm ex solâ resinarum inspectione facilimè quis falli possit. Interim crederem, quòd, si Ambonensium Damar Canari vires per Chirurgos Tuos ope suorum emplastrorum periclitatus fueris, emollientem æquè ac adstringentem qualitatem, qualem gummi Elemi habet, quoque observaturus sis. Sciendum verò Gummi Elemi & Damar Canari non tam gummata, quàm resinas esse, quùm priora in ▽ solvantur, in igne verò aut planè non, aut difficulter admodum ardent.

Porrò indulgere non possum herbam illam in Bataviâ notissimam, quæ pro *cochlearia* habetur, inter species Sii vel Apii aquatici numerandam esse, dum reverà ad plantas aquaticas non pertinet, sed ubique in locis aridis, in desertis, in sylvis prope radices arborum, ut & hortis montanis harum Insularum invenitur. Nulli melius, quam hederæ terrestri assimilari potest. Quoniam verò peculiares sibi vires habet, hinc pro peculiari Indiæ herba habere & opusculo meo sub nomine *Pedis equini* & Malaijanâ voce Pancugu inserere volui. Quid Lusitani per *Rabaco* intelligant, nescio, quoniam vocabularió hujus linguæ destituor. Hoc autem pro certô scio, genuinum Sium me in Lusitaniâ observasse, idque nunquam non in locis uliginosis & aquosis, ita ut ipse radiculæ aquæ inhæserint. Illic *Perexil de Agoa*, h. e. Petroselinum aquaticum, vocabatur, tantoque in pretio habebatur, ut quivis locus, ubi succrescit, peculiarem suum possessorem habeat, nec cuivis integrum sit idem decerpere; quamvis nos, ceu milites, illud interdum ad acetaria & olera paranda decerpserimus, non obstantibus lapidibus fundâ capitibus nostris injectis.

Corallium Nigrum plus semper, quam alia corallia, de lignea quadam substantiâ participare, haud difficulter in hoc vel illô Gemmatió invenies, ubi corallia descripta sunt. Quod verò in Europâ adhuc incognitum sit, aliique pro illo lapides ostendantur, optimè novi, utpote cui genuinum corallium nigrum in Europa vix unquam videre licuit. Imò si quis mihi hod cum Orientale ostendisset, pro ligno habuissem. Quan-

tò autem in pretiò & quam utile hoc genuinum *Calbahar Itan* Indiæ Orientalis habeatur, haud difficulter ab Incolis Bataviæ experiri poteris. Cumprimis autem armillas nigricantes aliaque ornamenta inde parant. *Candidum* aut nodis atro-candidis interſtinctum *Calbahar*, quod Tibi, nî fallor, pariter transmiſi, penes Eosdem non minori in pretio habetur. Si in Batavia forem, multo plures ejus ſpecies in Inſulis illis me reperturum eſſe crederem. *Rubrum* & *fiſtuloſum Halcyonium* verò, hîc frequentiſſimum, Battu Swangi, ſeu Maltacu, h.e. lapis Magicus, dictũ, pro corallio rubro nec habendum; nec adhibendum eſſe experientia Te docebit & priſtinam ſententiam mutare jubebit. Alia adhuc ſpecies datur, craſſis ramuſculis propullulans, qui fragiles ſunt & facilimè decidunt, de quibus Tibi ſpecimen aliquod transmitto, idque nomine *rubrorum coralliorum nothorum*, quæ in inſulis Bataviæ quoque inveniuntur. Hæc cum veris coralliis propius conveniunt, quamvis iis æquè ac cum Alcyoniô cautè & parce agendum ſit. Ut plurimùm contra mictum cruentum, & ſi toxicum propinatum per urinam educere velimus, inſervit, cùm pellendi vim habeat, qua à coralliis rubris quodammodò abludit.

Diſputatiuncula de *Ubi Utan* vel *Batata ſylveſtri* quodammodò intricata eſt, quapropter eandem brevî dilucidabo. Ubi Utan nomen eſt generale, quod 4. aut 5. radicibus eſui aptis, ſylveſtribus quidem & à ſe invicem maximoperè diſtinctis, familiare eſt; quemadmodum transmiſſum & conditum *ubium polypoides* vulgo pariter ita dicitur, quod hîc locorum, quantum mihi conſtat, non comeditur: quamvis audiam, Javanis id in cibum cedere. Ejus loco hîc locorum alio utuntur Ubi Utan, tuberibus craſſis, inſtar capitum prædito, in ſylvis deſolatis proveniente, unde prævia laborioſa præparatione alba & ſapidiſſima farina paratur, farinæ Indiæ Occidentalis, ſive *Caſſavy*, ſimilis, qua plurimæ Incolæ, tam hîc, quàm in Inſulis Moluccis victitare coguntur, ſi Oryza aut Sagu deſtituuntur. Apud Malaijanos *Ondo* aut *Gadong* & in ſcriptis meis *Ubium ſylveſtre* dicitur. Cur autem primam ſpeciem Batatis accenſere velint, planè non video, nique qui plantam curioſius inſpexerint diſcrimen facilè invenient. Non etiam video, cur penes vulgum *Caladi* vocetur (niſi inter Bataviæ incolas maxima inſcitia regnet) dum herba hæc longe aliûs eſt generis, ſcil. Arum Ægyptium vel Colocaſia Neotericorum, quam omnes incolæ harum Inſularum, etiam Javani ipſi, utut non ſine inſigni labore, annuatim plantant, tanta q. in copia, ut integros hortos illa repleant, ad obtinendas inde radices eſculentas, quas non tam crudas, quam, ob vim irritantem, aut coctas, aut aſſatas edere ſolent, eæque ad Batavias paſar quoque divenduntur.

Quod *Ophioglo ſſum laciniatum* antehàc pro ſpecie filicis habita fuerit, adeò abſurdum non eſt, quum & ipſe hoc fecerim; & quandoquidem genuinum & minus ophioglo ſſum, quod in officinis *Lancea Chriſti* vocatur, in ericetis combuſtis ſuccreſcit, & æque ac major ſpecies olus aliquod ſuppeditat, reperii, ſtatim obſervare potui binas has herbas ab eodem genere profluere.

Flos Suſannæ annuatim emoritur, poſteà verò repullulat, è bulbis quidem teſticuloformibus, qui non tam fracidum quàm ſiccum locum requirunt, quoniam hîc locorum nullibi quàm in excelſis & nudis montibus ſuccreſcit.

Delineatio *Nucis Vomicæ* transmiſſa cum illa nuce vomica, quæ in officinis Pharmaceuticis patriæ noſtræ habetur, coincidere videtur. Aſt Figura, quæ Tom. I. Horti Malabarici Fig. 37. de Caniram ſpectatur, & à Dn. de Jager pro genuina habetur, cum illa neutiquam convenire videtur, ubi in deſcriptione ne verbulum etiam de uſu ejus noxiô habetur. Ne verò judicium præcipitemus, meum tantiſper ſuſpendam, donec manipulum fructuum Coromandelenſium à Te obtinuero.

Interea ſupra laudato Domino de Jager obſtrictiſſimus ſum, quod ſua mihi ſcripta indulgere & delineationes quasdam communicare voluerit: pudore tamen ſuffuſus, quod petitioni ejus aſſurgere & deſcriptionem *Nucum Moſchatarum* aliarumque ſchedarum, quas per alios Amicos à me deſiderat, ob ſupradictam cauſam, transmittere non poſſim, quod impoſterum tamen fiet, ſi & ipſe me literis ſuis dignatus fuerit.

Faſciculum adhuc obtinebis, in quô duo fragmenta de *Coralliis rubris ſpuriis* continentur, ſcil. ramuſculum, Pſeudo-corallium dictum, cujus ſupra mentio eſt facta, & adhuc aliud, Halcyonium rubrum fiſtuloſum dictum & literis D. A. C. ſignatum, quòd, ut opinor, pro coralliis habes, ut appareat, an ambo unum eundemque lapidem intelligamus.

In libello è charta gryſea conſtante & inter 2. aſſeres ligato folia quædam exſiccata inveniuntur, quæ etiam demonſtrabunt, an in literis noſtris eandem herbam intelligamus. Eam enim ſub lit. A. appello *Marrubium Album Moluccum*, à Malaccenſibus, quantum mihi conſtat, Sucan & Daun Hari Hati dictum, à noſtræ nationis hominibus autem mox Nepeta, mox Meliſſa vocatum, cum nova *Ortulano* (odore tantùm exceptô) ferè concordans. Lit. B. hîc *Comange Utan*, vel Zuccuzuccu dictam, *Baſilicum ſylveſtre* appello. Lit. C. Filix eſt calamaria pampinis longis rurique propullulans, è cujus pedunculis Nigritæ calamos ſuos ſcriptorios parant, eum in finem hic addita, ne cum ophioglo ſſo ſupradictô confundatur. Lit. D. folium eſt fibræ oblongæ ſpinoſæ, quæ volubilis quædam pungens eſt, quam pro *Sarſaparillâ* habent, à me verò

verò *Pseudo-China* dicta, quoniam Sinenses sustinent genuinam *Radicem Chinæ* suarum regionum similem plantam esse, hujusque radicem veræ permisceant, utut rubicunda nimis & plus justo lignosa sit. Interim stupidi Ambonenses & Moluccani ita desiderant, qui fragmenta rubra pro mare habent. Dubio procul apud Vos etiam occurret. Lit. E. herba est Melissæ affinis, & à me *Melissa Lotoria* dicta, quoniam à Javanis & Balienſibus ad ablutionem corporis adhibetur &c.

Amboinæ Victoriæ d. 18. Aug. 1682.

RUMPHIUS.

XI.

EXTRACTA
è
DN. GEORGII EBERHARDI RUMPHII
EPISTOLA
Ad
DN. JACOBUM *de* VICQ.

P. P.

PAlmeriam *arborem* tam promptè non agnoviſſem, niſi me ad Lariquam ablegaſſes & ex ejusdem uſu demonſtraſſes eandem neceſſario arborem eſſe quæ hic locorum *Lontar* appellatur, &, prout ex iis qui verſus Inſulam Ceilon navigare ſolent audivi, Noſtratibus arbor *Jagar* audit eò, quòd ſaccharum nigrum arboreum, *Jagara* dictum, inde paretur. Si Amanuenſis meus in lectione non aberrat, ne ullum quidem à Dn. de Jager è diverſis dialectis Malabaricis petitum nomen coincidit cum iis, queis Dn. de Rheede eandem in Horto ſuo Malabarico donavit, ubi *Carini pana* & *Talla tamado* dicitur. Quinam ex illis rem acu tetigerit, hâc vice non dirimo, cùm linguæ Malabaricæ ignarus ſim. In votis tamen eſſet, ut illa nomina mihi quodammodò explicentur, paceque Dn. de Jager fieri poſſet, ut opuſculo meo deſcriptionem hujus arboris, ab illo formatam, capiti de arbore Lontar immediatè ſubjungere liceret, quod ſine ſpeciali ejus conceſſione non audeo, utut maximâ ex parte cum iis conveniat, quæ Nautæ Ceilonici mihi jamdum de illâ retulerunt, opusque modo dictum triplo majus evaderet, ſi omnia tam prolixâ curioſitate deſcribere vellem. Cur verò Luſitani arborem hanc *Palmeira brava*, h. e. Cocum ſylveſtrem, vocent, ignoro, cùm iis in regionibus tam uſualis & tam utilis ſit, ac genuina Palmeria ſeu Cocus arbor unquam eſſe poteſt. Valdè miror in ſupra laudato Horto Malabarico, in cujus elaboratione tot Eruditi deſudarunt, ne verbo quidem innui ex arbore hâc ſaccharum Jagara vel Jagu ura, h. e. ſaccharum arboreum, parari: interim ſimiles defectus paſſim in hoc opere occurrunt.

Deſcriptiones *Arborum Benzoini* atque *Camphoræ* ita acceptabo, prout mihi ſunt transmiſſæ. Interim magis mihi in votis erat, ut ramuſculum aut folia nonnulla ex arboribus his decerpta obtinerem, ut obſervare poſſem, an cum nonnullis Inſularum harum arboribus convenirent. Aliâs verò Sinenſes, qui regiones haſce frequentarunt, multa mihi de arbore hâc narrarunt, quæ cum deſcriptione Tua coincidunt, addentes in China lignum haberi, à Noſtratibus *lignum camphoratum* dictum, camphoram redolens admodum, nullam tamen fundens.

Cæterum pudet me, quòd deſiderio Dn. de Jager ſatisfacere nequeam, ut (quod debebam) plures ejusmodi deſcriptiones prolixas plantarum & animalium ipſi transmitterentur, quod impoſſibile mihi fuit, cùm unicò tantùm Amanuenſi gaudeam, cui ſcripta mea disjecta & nunc in ordinem redigenda ſat negotii faceſſunt, quibus maturandis eò magis occupatus ſum, quò magis vires meæ indies decreſcunt. Ad quæſtiones ſuccinctas autem reſpondere mihi grave non erit, dum nihil jucundius mihi eſt quàm diſcurſum quendam de nobiliſſimo ſtudio Botanico inſtituere. Saluta quæſo modò laudatum Dn. de Jager meò nomine humaniſſimè, & quoniam audivi Amicum hunc ultimam meam epiſtolam aliaque ſcripta, quæ Tibi eâ conditione ne inſcio me ulli communicentur indulſi, vide-

rit, hinc pace mea idem Dn. de Jager particeps reddi poteſt eorum, quæ de Arboribus Sagu & Nucum Moſchatarum earumque uſu deſiderat, quam ultimam etiam in Dn. Cleyeri literis deſideravit: omnia tamen hâc conditione, (quam ſupra jamdum poſui) ne quæcunque ſub aliô quam veri Autoris nomine publicentur: quâ ratione & ejus ſcriptis, ubi è re viſum fuerit, utar, liberâ aliàs manente quacunque ſcribendi methodo.

Cocoya, unde funes nautici minores (vulgô *die Fockels*) parantur, ingens & late ſe expandens humique ſerpens frutex eſt, figurâ Malaijanorum *Pandany*, flores illos fragrantiſſimos ſuppeditantem, refert & cuti piſcinæ ſimilis eſt, in Horto Malabarico Tom. 2. Cap. 1. *Caida* & à Luſitanis *caldere* dicta: utut folia in Cocoya multò longiora ſint, quam in Pandanico, ſcil. 12. ad 14. pedum, manusque latitudine gaudentia, in margine ſpinis rigidis & acutis munita, ſine flore & fructibus, quantum mihi conſtat.

Qualis ſit arbor, quam Ligni Caliaturici arbori ſimilem eſſe ad Dn. Cleyerum perſcripſerim, non incidit, niſi forte *Lingo* arbor ſit, cujus lignum rubicundum ſine dubio obtinebis, cùm in Java ſuccreſcat & à Malaijanis Ampana dicatur.

Culit-Lavvan, Ooby vel *Ubi Radzia* & Avis Paradiſiacæ deſcriptiones quodammodò prolixæ ſunt, quapropter aut differendæ erunt tamdiu, donec ſupra laudatus Dominus Ipſe me literis ſuis dignetur & ſententiam ſuam ea deſuper clarius mihi exprimat, aut ejus rei intuitu excuſandus ero.

Explorationem Pulſuum Sinenſium jamdudum habui, literis quidem Sinicis & Latinis conſcriptam, quam, cùm ad ſcopum meum nequicquam contribuat, ante aliquot annos Dn. Cleyero reliqui.

Ex Inſula Ceilon fragmenta aut radices nonnullas deſidero, quas illic pro *Ligno Colubrinô* habent & contra ſerpentem *Cobra Capello* adhibent, cum informatione aliqua, an ab arboribus, fruticibus aut herbis proveniant, cum appoſitione nominum Ceilonicorum. Quodſi Dn. Jagero accuratiorem ejus deſcriptionem mihi impertire placeret, acceptiſſimum mihi erit. Exiſtimo ſperoque me & hîc idem inventurum eſſe.

Deſcripionem *Arbuſcularum marinarum*, aut *coralliorum*, aliquantiſper ſupprimas velim, nec ulli copiam ejus facias, cùm multa illic corrigenda reſtent, ſi ultimum Herbarii mei librum, in quô hæc talia fusè deſcripturus ſum, ad manus ſumſero &c. &c.

Amboinæ d. 18. Aug. 1682.

XII.

EXTRACTA

è

DN. GEORGII EBERHARDI RUMPHII

EPISTOLA

Ad

DN. *ten* RHYNE.

P. P.

Impatienti deſiderio Dn. de Jager adventum in provinciâ hâc expectavi, poſtquam Tua æquè Nobilitas ac alii Amici ejus mihi ſpem fecerunt: aſt videre cogor, ob alia fortè negotia intervenientia, eandem prorſus decollare; quô ipsô Relationibus neceſſariis, quas dubio procul mihi impertire potuiſſet, carere cogor, cum primis de genuino Sandalo rubrô, utpote quod, juxta Dn. Cleyeri literas, ab omnibus ferè Medicis & Phyſicis in Batavia pro Ligno Caliaturicô habetur. Interim in hanc ſententiam usquedum me trahi non patior, cùm in binis hiſce lignis diverſum odorem & virtutem obſervaverim: niſi ſors lignum Caliaturicum duplex ſit, de quo uberiorem informationem à Dn. de Jager, qui regiones illas peragravit, expecto.

Poſtquam ad deſiderium Nob. Tuæ ſententiam meam de *originæ Ambræ* aperui, Tuæ abhinc opinionis circa eandem quoque certior ſum redditus, & quantum utrobique differamus. Credo novam eſſe ſententiam, quam Noſtræ nationis homines, Inſulam Mauritii mercaturæ gratiâ frequentantes, diſſeminârunt, Ambram ſcil. Gummi aut Reſinam eſſe certæ arboris, quæ in Inſulâ illâ ſuccreſcat, cujus radices in mare ſe extendant, è quibus Ambra exſudare dicitur. Hæc ſi ita ſe haberent, mirum

rum sanè esset arbores tales, in sola Insula Mauritii, quod ajunt, reperibiles, omnem omninò Ambram exsudare, quæ in tot tantumque distantibus Mundi locis, imò in Indiâ Occidentali, & quidem ejusdem semper substantiæ & qualitatis reperitur: quòd, inquam, Gummi hoc ex Insula Mauritii contra ventorum marisque occursum (cùm sub Zonâ torridâ & in Oceano aperto fluctus ventique Orientales sint perpetui) ultra 1000. milliaria versus Insulas Maldivienses & Orientales propellantur. Sin verò dicamus Arbores ejusmodi in vicinis Insulis, sc. Madagascar, Majotte & tractu Orientali Africæ reperiri, ut copia & redundantia ambræ gryseæ requirere videtur, rursus mirum esset, Arabes curiosissimos, qui oras & Insulas illas ultra 1000. annos frequentârunt, pretiosissimas arbores has non agnovisse. Brevi, fides sit penes Autores. Si omnibus Nationis nostræ narratiunculis fides adhibenda esset, gloriari sanè possem, me de Ambrâ singulare quid à Persona quadam, quæ ejus scientissima haberi volebat & in Insula Mauritii habitârat, audivi. Hæc asseverabat Ambram Gryseam in porcellis sylvestribus in hâc Insulâ reperiri, quam ἀντάκτης ex illorum ventriculo exsecatam esse testabatur. Radzia Salomo, Rex expulsus ex Arimæntuttu mihi narravit, quòd ipsemet viderit quandam Cetorum speciem illic versus vallum delatam fuisse, è cujus ventre concives ejus ambram magnâ in copiâ extraxerint, quâ ex insciti naviculas suas inunxerint, quam Macassares è contra satis dextre conquirere careque satis divendere norunt. Jam tres hasce relationes veras esse posse credo, nihilominus tamen ab antiquâ meâ opinione non deflecto, quod sc. originis intuitu bitumen sit, è fundo maris scaturiens. Quid obstat, quò minus Arbores inveniantur resinam quandam, ambram redolentem, fundentes? quales in Buru quoque reperi, qui simile quid exhibent. Imo Bourolenses jam ante 17. annos talem resinam mihi pro ambra montanâ vendiderunt. Et quis nescit Pisces, Aves, aliaque animalia, cumprimis porcellos, ambram in mari fluctuantem avidè deglutire, cujus sufficientem experientiam habeo. Fieri ergò potuit porcellum Mauritianum Ambram antea devorasse & abhinc à stupido Venatore pro fodinâ ambræ habitum fuisse. Interim optima Ambra suum retinet valorem, qui indies augetur, ita ut eandem cum ebrio Hemelbergæ in Daniâ depicto de omnibus illis narratiunculis dicere posset: NIHIL MOROR NUGAS! Amboinæ die 20. Maji, 1683.

P. S.

Aliquot abhinc annis Collegium Naturæ Curiosorum in Germaniâ bullam invitatoriam mihi transmisit, quâ me Collegii sui Membrum constituit, & quidem, pro more illorum, sub PLINII INDICI nomine. Dono etiam misit Ephemerides suas, in quibus nomen meum diversis plantis præmissum erat.

XIII.

DN. GEORGII EBERHARDI RUMPHII *EPISTOLA* Ad DN. ANDREAM CLEYERUM.

Honoratissime Dn. Collega.

Gratissimas Tuas die 20. Jan. ad me datas, cum adjunctis vasis tribus cattis Thée repletis, 2. Ephemeridibus uni fasciculo involutis, bilance ferrea, manipulo *Bara de Costa* & inclusis D. Menzelii literis, suo tempore bene recepi, pro quarum curatione & benevolâ transmissione obstrictissimus sum.

Binæ Ephemerides, juxta tenorem literarum Menzelianarum, mihi destinatæ fuerunt, in quibus omnes illæ, ad quas aliquid contribui, mihi sunt promissæ, quò jure Tibi commendabuntur, à quo & reliquas expecto, in quibus descriptio radicis est, quantum à Sinensibus experiri potui.

Miror præsentem nostrum Præsidem Dick de Haas dubitare, an Europæus aliquis plantam Japonici *Nising*, aut Sinensis *Som* unquam viderit, cùm tamen à Te binæ & à me, ex delineatione Chinensis alicujus una, ob oculos poni possit.

Quandoquidem denuò memoraveris, quòd nunquam Tibi *Carinam Nautili* videre licuerit, prout haud difficulter credo, quùm non tantùm in Bataviâ, sed & hic locorum difficillimè obtineri possint: hinc in quadrangularibus capsis hic adjectis duas, quarum jamdudum patticeps factus sum, transmittere volui, alteram *Majorem* & κατ' ἐξοχὴν sic

dictam Carinam, alteram *Minorem*, lato orificio instructam, coloris obscurioris, quæ peculiarem speciem, vix ad majorem magnitudinem crescentem, constituit. Utramque cujusdam Polypi species, Nautilus dicta, inhabitat. Mirabilis hic piscículus est, qui duobus pedibus longioribus, retro se extendentibus, naviculam suam propellit, anterioribus autem iisque brevioribus eandem quodammodo erigendo (*vid. 2. Tab. 1.*) ficque remigando aquas marinas ita sulcare novit, ut navis velis expansis agitatæ cursum æmuletur: quod ipsum tamen spectaculum vix unquam, nisi post sedatam tempestatem cœlum serenum, h. e. post nubila Phœbus, appareat. Difficilimè quoque capitur, cùm statim se ad fundum præcipitet, quamprimum adversi quid in ripâ sibi insidiari sentit. In fundô maris cancros pro hostibus habet, qui piscículum inermem extrahunt, quô concha evacuata versus litora ejicitur. Miraculosi & fatalis quid cum eâ contigit Carina, quam Argonautæ nostro transmisi, hicque S.C. Majestati postmodum dono dedit, utpote quæ ab Aquila Marinâ à mari extracta erat, ut piscículi compos fieret, ubi inter volandum concha (cui piscículus minus firmiter adhæret) elapsa & inter 2. rupes in areolam arenâ repletam decidens nullam prorsus jacturam tulit, nisi quod exiguum interioris laminæ fragmentum illic observatum fuerit, ipsâ Carinâ à Nautâ eô tempore inventa & allatâ. Omen hoc erat eandem ad Aquilam Romanam perventuram esse. Delineationem ejus vid. sis *Fig. I. Tab. I.*

Reliquæ cistulæ cavitates conchis rarioribus variisque marinis sunt repletæ, inter quæ duo iique rarissimi sunt *lapides Corallini*, qui ubivis instar nucularum in formâ rosæ aut floris conjunctarum apparent. *Reticulum marinum* vocant.

Inter Semina, quæ transmiseram, tria corrupta esse, mirum non est, dum hæc in fine tempestatis pluviosæ colligenda erant, quô tempore omnia humida sunt & tumida; quapropter repeto, quæ olim dixi, talium transmissiones in Patriam commodius è Batavia institui aut posse, aut deberi. Interim tria illa, quæ corrupta sunt, in Batavia abunde recuperari possunt.

Alias autem resinas atque gummata, deperditorũ loco, hâc vice remittere non possum, quùm per incendium illis omninô privatus sim, hæc talia quoque tempus aliquod exigant ut recuperentur.

Non minus impossibile mihi est hôc annô Pinang in majori quantitate transmittendi, quoniam hoc tempore tam carè divenditur, ut ad esum quotidianum adhiberi non possit.

Miles maritimus hic appulit, quem pro Delineatore & Pictore mihi transmisisti, ut conflagratas per incendium figuras pro Herbariô meô refarcire valeam. Ast vereor, ne tardè admodum negotium hoc processurum sit, cùm rei mercatoriæ primum incumbere teneatur, nullumque à Filio meo subsidium expectare possim, qui Secretariatûs officiô, à Dn. Præside & Directore oblatô, se ita detineri dicit, ut operâ ejus planè carere cogar, quæ eô magis necessaria mihi erat, quô plures in eum sumtus consumsi. Deplorandum est, animumque generosum prorsus dejicit ad scribendum aliquid Literato Orbe dignum, quòd hic locorum tam pauca ad id adminicula suppetant ipsaque φιλαρχυρία studia tantoperè contemtum rejiciat: cui malo in tantum est obviandum, quantum possibile est.

Epistolam aliquam à Dn. Herberto de Jager prastolabar, ut mihi promittebat eô, quo iter Persicum aggrediebatur, tempore; ast me oblivioni dedisse videtur.

Methodum illam, quâ tot plantas, sibi quodammodô similes, ad unum genus referre conantur, nunquam non fallacem admodum & incertam reputavi, quùm non possit non confusionem parere. Quapropter & indulgere nequeo pro Sandalô rubrô omnigena ligna rubicunda, & pro sanguine draconis omnigenos succos rubicundos venditare aut habere; & quoniam hoc admittere nolo, jam plures à Dn. hoc exprobrationes audire coactus fui.

Eandem infelicitatem incidebant Scriptores nostri Europæi, qui plantas Indiæ Orientalis & Occidentalis, quas non aliter ac è figurâ & descriptione noscebant, ad hoc vel illud vegetabilium, in Patriâ obvium genus referre sustinebant, quales defectus in Hortô Malabaricô ostendere valerem. Bauhinus certè ex eâdem ratione arborem nostram *Pinang* in Pinace Plantarum Palmis annumerat, & cum quibusdam Palmam Cypriam Theophrasti esse statuit. Sic in Herbario meo Lib. XII. arbores Toley ad Palmam Indicam referre cogebar, quùm tamen certus sim & indicia non obscura suppetant, quasdam ex illis peculiare genus constituere.

An aliquid de *Ligno Calambac* à Te obtinere possim, patienti animo expectare cogor. Eô ipse non indigeo, nisi quod fragmentum aliquod ad D. Menzelium transmittere vellem, quod in Aulâ Berolinensi speciminis vicem gereret. Mihi optimum *Lignum Agul* facilè sufficit, quod copiosè ex Insula Beliton adfertur. In votis haberem, ut per mercatorem aliquem ramusculum hujus arboris Tibi procurare valerem, ut eundem delineari curares.

Cocus de Maldivia seu *Calapa Lavvat* difficulter satis obtinebitur, quùm audiam Sinenses ubique cavere, ne unguibus illorum subtrahatur: idque non tam in usus Medicos, sed ut tanquam Idolum in ædibus suis venerentur: quapropter ex Occidentali orâ, ubi recens advehitur & ex adjacentibus Insulis obtinetur, inquiratur oportet. *Minor* quoque ejus species habetur, magnitudine


Carina Nautili Major

fig. 1



Nautilus vulgaris cum figuris in cistis

fig. 3



Nautilus Minor B cum sua concha C prout in mari velificat & remigat pedibus A

fig. 2





tudine, *Coquingo* vel *Cockinjo* dicta, quam Lusitani Nobis procurare possent.

Tacca Litorea revera planta est elegantissima, quam optime descripsisti. Interim rarissimam ejus partem non vidisse mihi videris, scil. caulem fructiferum, viri longitudinem æquantem & Centurionis lanceam mentientem; caveas quæso, ne quicquam è tota plantâ ori inferas, quùm aluminis instar mordeat, & dracuntium quoddam videatur: utut è radice farinam esui aptam parare soleant.

Tulipam Japonicam, vulgò sic dictam, neutiquam è Japoniâ proficisci sufficienter per Dn. Directorem & Tuam Nobilitatem sum certior redditus. Habes hîc cepam aliquam, quæ, si in florem se induerit, figuram suam spectandam præbebit. Flos lilio magis quam Tulipæ similis est, nisi quod colorem floris persicorum, aut violaceum, interjectis striis, præ se ferat.

Lilium Japonicum, quod vocant, in fluminibus Javanensibus haud infrequens, heic in hortis quoque alimus, sub nomine Baliensi *Cassé Selan*, à priori distinctum.

Descriptio *Arundinis Japonensis* scopo meo apprimè servit, cujus in Herbario convenienti loco, sub Tuo quidem nomine, mentionem facturus sum. Cum Sinensibus tamen prius consultaturus sum, ad quam speciem arundines illîc optimè referendæ sint? quùm hîc in Amboinâ earum 6. vel octo invenerim.

In scatulis supradictis 110. circiter species sunt Concharum, cum rarioribus quibusdam Echinis marinis, & in superiore earum parte Stella marina compressa, striblitam referens. Sub extractione harum rerum circumspectè est procedendum, ne quid ex illis diffringatur. Reticulum marinum Carinæ est immissum, quæ una cum scatulâ & cepâ Tulipæ à Dn. Brouwer è Navi Pylsweert offeretur.

Quibus cum salute officiosissima divinæ Te protectioni commendo & æternum perduro

Amboin. Victor. 15. Maji 1688.

T. T.

RUMPHIUS.

In

SCATULA HAC

seqq. habentur

DN. CLEYERO exhibenda:

Num. I. *Carina Nautili Majoris* est, quæ concha seu navicula est piscículi, *Nautilus* dicti. Species est Polypi. Malaijanis *Ruma Goritta*, h.e. Domus Gorittæ, seu Polypi, dicitur. Germani nostri vocant das Bootgen oder Schifflein.

Num. II. *Nautilus Minor*, qui minorem magnitudinem retinet, sed ore magis patulo gaudet.

N. III. *Reticulum Marinum*, in duplô. Marinum est elegans, florem aut rosam præ se ferens. Utrumque in Carina Nautili reconditum est, glutine lapideo rupi applicandum.

N. IV. *Echinus Marinus Digitatus*, longus & cortice crassô præditus.

N. V. Octo sunt *Digit. lapidei* (Stein-finger) h.e. spinæ supradicti Echini Marini, è quibus nonnulli aquæ injecti in erecto situ natant, postea verò submerguntur: easdem cum oculis cancri vires habere dicuntur.

N. VI. Alius *Echinus Marinus*, Vitta Persica, vulgo Persianischer Tulband, dictus.

N. VII. Spinæ seu pedes nonnulli dicti modo Echini, instar acuum majorum, quibus funiculi trajiciuntur, apparentes, qui successivè incressescunt.

N. VIII. *Dentes Elephantini*, X. circiter, qui parvi & subvirides Solenes sunt, quodammodò incurvati, ad instar cornuum hircinorum.

N. IX. *Murex Ramosus* (vulgò gezackter Stutmhut) cujus operculum est *Unguis odoratus*, in Officinis *Blatta Byzantina* dictus, basis omnium suffumigiorum, Malaijanis *Unam* audiens.

N. X. *Bija kris*, vulgò Metzkrämer. Raræ sunt ostreæ hujus figuræ, quarum paucæ inveniuntur.

N. XI. *Aviculæ* duæ, altera major, altera minor, raræ etiam conchæ sunt, à figura sic dictæ.

N. XII. *Cardissi*, seu Corcula, albicantes sunt conchæ, in medio dehiscentes.

N. XIII. *Tellina Virgata*, vulgò Sonnen-Schalen.

N. XIV. *Strombi minores*, vulgò kleine Nüsslein.

N. XV. *Patella* (See-Ohr) aliâs *Telinga Maloli* dicta, cujus una eaque oblonga species auri, altera rotunda patinæ inversæ similis est. Alias *Lopas*, Germ. *Klip-Kleber*, dicuntur, quoniam rupibus marinis adhærent.

N. XVI. Raræ adhuc Echini Marini species, *capitula mortua* (Todten-Köpffer) dictæ, cortice admodum tenui præditæ.

N. XVII. *Stella Marina Solida*, *Compressa*, seu *Plana*, Germ. *Pfannkuchen*, in parte inferiori 1000. pedibus instructa, quibus sub aqua in arena progreditur.

XIV.

EXTRACTA

è

LITERIS

DN. ANDREÆ CLEYERI

ad

DN. D. SEBASTIANUM SCHEFFERUM,

Medicum Mœno-Francofurtenſem.

P. P.

Quæſtiones propoſitas,

An Moxa, à Buschofio *Lingua Belgicâ deſcripta, nihil aliud ſit quam Artemiſia?* vel *an hæc illi falsò ſubſtituatur? quod concernit*,

Reſpondeo *Moxam* utique nihil aliud eſſe quàm Artemiſiam, quam Japonenſes propriè Moxam vocant: utut inficiari non poſſim plures adhuc reperiri herbas eandem virtutem habentes. Artificium in præparatione conſiſtit, quæ huic magis quam alteri cognita eſt. Communiſſimè tamen ita paratur: Recipiunt artemiſiam in umbrâ exſiccatam, cumprimis ejus ſummitates, tundunt, & inter ambas manus conterunt tamdiu, donec nihil quàm fibræ internæ lanuginoſæ remaneant, cortice externò decidente. Abhinc carminantur pectine, ita ut qui negotium non conſpexit artemiſiam id eſſe vix credere poſſit. Quodſi jam de eâ quid ſcripſeris publicè, id me ſæpius recreabit, ſiquidem nullus dubito multis in morbis eâdem plura præſtari poſſe. Quòd autem Medicus quidam hîc in India Orientali vivens de hôc cauteriô nonnulla quoque, & quidem ea, quæ è meis ad illum transmiſſis literis deſumpſit, in publicum evulgâri, & pro ſuis ex itinere Japonicó hauſtis obſervationibus venditare non dubitaverit, ægrè ſanè fero, cumprimis quòd haud pauca ab illô efficta illîc contineantur, quæ eandem veritatem præ ſe ferunt, ac obſervationes Botanicæ D. Jacobi Breyni Cent. I. Exot. annexæ. Quales quæſo obſervationes in Japonicô itinere poſſunt colligi, ubi omnes & ſinguli ceu captivi tractantur, nec unquam è domo egredi poſſunt? Quod autem Magni Cæſaris Archiatrum ſe vocet, riſum meretur, cùm Eundem nunquam oculis uſurpârit, imò contra Leges Imperii ſit Chriſtiani medicamentis uti.

Brevî Tractatum quendam de Methodo Sinenſium, quâ omnes morbos eorumque cauſas è Pulſu, mediante ſanguinis circulatione (quæ ultra 1000. annos illis fundamenti loco fuit) eruere & dignoſcere ſatagunt, edicturus ſum, qui hactenus à D. ten Rhyne ejusque mancipiis Amſtelredami ſuppreſſus fuit, unde eundem Acad. Nat. Cur. transmittere volebam.

Addo his aliquem Concharum numerum, quas tanti non facio, cùm magis recreationi & delectationi quam bono publico inſerviant. Interim Natura tot illîc coloribus ludit, quot in floribus unquam obſervari poſſunt. Aliâs ſingularis quædam ſpecies mihi cognita eſt, quæ ab hujus rei ignaris alioquin vilipenditur & hanc virtutem obtinet, ut, ſi mari extrahatur & animalculo, quod continet, parum moſchi addatur, id ſtatim emoriatur & hoc ipſum umbilico mulieris iſchuria laborantis applicatum ægram extemplò in integrum reſtituat. De hoc autem argumentô D. Georg. Eberhardus Rumphius, Hanovienſis, & in Amboinâ, ubi ſedem fixam habet, à continuâ concharum inſpectione in ripâ maris excœcatus, prolixam Hiſtoriam evulgabit, qui alium adhuc librum 400. capitibus abſolvendum ſub manu habet, quem Principi Arauſionenſi dedicaturus eſt.

Non exiguâ admiratione me perfudit, quod Celeberrimus D. Simon Pauli in Tr. ſuo de uſu & abuſu Tabaci & herbæ Thée poſterioris folia cum Myrtho Brabanticâ contulerit & aſſimilaverit, cùm non tam herba, quàm frutex ſit, ſpinis accenſendus, cujus in Japonia tantam inveni copiam, ut integri campi agrique, certo tamen ordine diſpoſiti, eô fuerint obſiti. Equidem non diffiteor me antehâc ipſum in ea fuiſſe opinione plantam hanc in Europâ quoque reperiri: at alia nunc ſententia mihi hæret, quùm ſuas cuilibet regioni proprias eſſe plantas obſervem. Sanctè teſtari poſſum in Japoniâ Roſas Provinciales, ſeu Centifolia, tam coloris intensè rubicundi, quam albicantes, in excelſis arboribus, etiam medio Januarii, urgente adhuc frigore, obſer-

obſervavi, utut odore prorſus deſtitutæ ſint. Sic & lilia varia in fruticibus lignoſis florere vidi, prout Pœonia flore pleno arbores quoque exornat. Nil dicam de ceraſis media ſub hyeme florentibus, ſed fructus non ferentibus, quæ Europæi prorſus incognita ſunt. Videas hîc lacertos catosque ſylveſtres volantes, veſpertiliones monocerotes elegantiſſimè coloratos: piſces elegantium colorum pictura ſuperbos, quæ alibi nunquam obſervantur.

Quod de cæterò diſcrimen inter *Cinamomum & Caſſiam Lignean*, à Dn. Præſide deſideratum, attinet, certum eſt Cinamomum nuſpiam quàm in Inſula Ceylon inveniri: Caſſia lignea verò pluribus Inſulis, eaque diverſæ ſpeciei, familiaris eſt; quamvis aliqua hîc ſpecies occurrat, quæ Cinamomo bonitate minus cedit, ſimulque oleum quoddam deſtillatum ſubminiſtrat, cum oleo Cinamomi deſtill. tamen nec quoad odorem, nec quoad ſaporem comparandum. Hæc ab Incolis pro Cinamomo ſylveſtri habetur. Aliâs & è radice arboris Cinamomi genuini fragrantiſſimam quandam *Camphoræ* ſpeciem elicere valent, vulgari quidem meliorem, ſed cum illa quæ ex Inſulâ Borneo adfertur non comparandam. Ni fallor Dn. Paulus Hermannus aroma hoc mox fuſius deſcribet, qui omnia propriis hauſit oculis, dum in Ceylon diu vixit idemque furnis ſuis Chymicis ſatis ſuperque examinavit: quapropter & à Principe Araufionenſi Profeſſor in Acad. Lugdunenſi Batavorum deſignatus fuit. Quæcunque verò in Laboratorio Ceylonico de Cinamomo leguntur, infida manus partim Dn. Hermanno exſcripſit, partim è Glaubero addidit, illique juncta farrago obſervationum ejusdem ponderis & valoris eſt: cui fortè Joh. Otto Helwigius (meus, ſi Diis placet, Laborator Chymicus) Latinitatem ſuam, pro mercede debitâ, mutuò dedit, cùm Autor in illa pauca didicerit. Interim homunciones ejusmodi pro Luminibus Medicorum habentur & à Comitibus Palatinis in Doctores creantur, quod illorum conſcientiæ relinquendum eſt.

Liquorem Lithontripticum, cujus meminiſti, rem optimam eſſe duco. An autem nephritici & calculoſi inde plenariè convaleſcant, valdè adhuc dubito. Poſito in Galliâ, præſentibus etiam Magnatibus, experimentum eò inſtitutum fuiſſe, dubium tamen, an calculos æque in corpore vivo, ac extra illud aggrediatur, cùm variis alterationibus ſit obnoxius, antequam ad partem affectam deferatur. Quòd autem ſolvens hoc è ludô Helmontii in liquore ♀ diſſoluto paratus ſit, ut multi ſuſpicantur, negare pariter non auſim, cùm deſcriptioni Autoris adeò ſimilis ſit, ut ovum ovo; utut *Ludum* nunquam viderim, nec ad hunc Brabantiæ locum devenerim. *Borracem* equidem in Regno Magni Mogol, ut & ☉. in Bengalâ reperibile illi aſſimilari poſſe judico: certum tamen eſt, omnia illa, quæ à calculo præſervare debent, ex herbis & animalibus deſumenda eſſe. Unde ♏ è vitulo aut capro, nondum in lucem edito, deſtillatum laudat, cui tamen ♏ □ non cedet.

Prævia curioſâ inquiſitione relationi Japonenſium de fructu *Ananas*, à Garziâ & Piſone deſcripto, adverſari non poſſum, quòd ſcil. calculum validè pellat, adeò, ut, ni cautè adhibeatur, calculo majore exiſtente, vita periclitetur. Uſus ejus ita ſe habet: Fructus bene maturus decorticatur, in taleolas ſecatur & in vitro Anglico aheno aquâ pleno immittitur, ut à ſubſtratô igne ſuccus ſponte ſua exſudet, ſicque per coctionem magis matureſcat, cùm ſuccus hic aliquid corroſivi in ſe habeat, quod per calorem corrigitur. Succus hic, qui dulcis admodum gratique ſaporis eſt, ſæpius uſurpatur; quemadmodum fructus ipſe in taleolas conciſus, cum ſale & vino Hiſpanico comeditur, qui fragorum ſaporem habet. Aliâs me in Cardano legiſſe recordor, virum quendam calculum renum & veſicæ perfectè curare valuiſſe, ſed artem hanc cum illo tumulatam fuiſſe.

De *Alchymiâ* hoc aſſero: metalla per menſtrua convenientia ſolvi & debito △ gradu ita maturari poſſe, ut ſulphur vilius in nobilius exaltetur, & conſequenter nullum è vilioribus metallum in nobilius transmutari poſſe, niſi diſpoſitionem quandam & aptitudinem habeat, ut cum ſulphure illô combinetur. Aſt hîc Rhodus, hîc ſaltus. Interim ſpeculationem hanc nunquam ad praxin deduxi, quia totum hominem requirit & tandem nil niſi paupertatem & mille phantaſmata relinquit.

Globulorum vitreorum, quibus Conſul V. Hudde loco Microſcopiorum utitur, inventionem quandam expecto. In Japoniâ nulla ejus rei veſtigia occurrunt, quùm Incolis ejus Ars vitraria incognita ſit. *Specula* interim *Metallica* illis haud incognita ſunt, quoniam vix aliis utuntur. Plana autem & adeò lævia ſunt ut vitrea. Carbonibus Europæos imitati ſunt &c. &c. Vale

T. T.

ANDREAS CLEYER.

XV.

EXTRACTA

è literis DN. CORNELII SPIELMANNI,

Præluſtris & Bellicoſi Ducis Belgarum in India Orientali,

ad

DN. CHRISTIANUM MENZELIUM

Archiatrum Brandeb.

DE

Telis deleterio veneno infectis in Macaſſar & aliis regionibus Inſulæ Celebes.

P. P.

DE Regulis in Macaſſar victis notatu dignum eſt, quod referunt de ligno, ex quô eorum fiunt tela, & de veneno deleterio, quô tela inficiunt. Illud venit ipſis ex Paſſir, hoc verò ex Kute, remotiore à littore maris terrâ. Reguli in Macaſſar ob avitam conſanguinitatem ſeſe vel juramento obſtrinxerant nemini de telis aut venenis aliquid exhibituros, niſi ſolis in Macaſſar Primatibus. Venenum iſtud inter ſe multum differt ratione virium, vel remiſſiorum, vel intenſiorum, vel maximarum. Selectiſſimum venenum multo præſentius eſt quam id, quod Macaſſarii in Inſulâ Celebes à monticolis Loradiæ accipiunt: non ideò, quod apud Macaſſarios id tantarum virium non reperiatur, ſed quod juxta multorum opinionem Loradienſes ſelectiſſimum ſecum retineant. Præterea pauci inter Macaſſarios & Bugios ſunt, qui veram ſeligendi veneni cognitionem habent, ut vilius à præſtantiore diſtinguere poſſint. Ex noſtris Regulis in hâc cognitione excellentiores percepi eſſe Regulum ex Soping, Regulum ex Lometa inter Macaſſarios, Cruron, Crain, Poſpo & Dayenriolo, & duos Regulos ex Goa, qui id adminiſtrant.

Conſervatur venenum plurimùm calore mediocri, cum nimius calor noceat, nimium verò frigus multò damnoſius ſit, propterea ut conſervetur decies velamine circumligatur, ac die quolibet rurſum linteamina auferuntur, capſulæ mundificantur, renovantur, & venenum, ut prius, velaminibus circumdatis optimè cuſtoditur. Ex Regulis intellexi, quod terra, in quâ arbores creſcunt, ex quibus venenum extrahitur, magnô circumcirca ſpatio nec gramen nec quodvis vegetabile ferat, & quod venenum proprie ſit aqua, ſive liquor, qui promanat ex læſione vel ſectione, quæ fit in cortice illarum arborum, quemadmodum lac emanat, collectum ex vegetabilibus vel arboribus lacteſcentibus: verùm liquor hic eſt fuſci, ſive obſcurè rubri coloris. Liquor, cum ſubſidet, obrigeſcit in lapideam quandam duritiem, ſervato eodem colore. Cùm liquor cortice arboris ſauciatô excipitur, neminem facilè appropinquare oportet ad arborem, quô manibus liquorem attingat, quoniam tactu liquoris omnes artus rigidi reddunturs & contrahuntur; propterea collectores longiores arundines ex Bambuſiis habent, quibus præfigunt ex ferrô cuſpides acutiſſimos: his ſummâ vi cortices vulnerant, diſſolvunt, & ita liquorem in arundines emanare permittunt, in quibus is collectus ſimul indureſcit. Collectum ita ab incolis venenum defertur ad Regulos formâ granorum, vel globulorum, nunc minorum, nunc majorum. In Macaſſar, cum particulæ iſtæ ſeparantur & eliguntur, omnes unius valoris, vel earundem virium, colliguntur & in unam maſſam conduntur. In hâc maſsâ ſolô viſu excellentiam veneni non poſſunt diſtinguere, ſed cùm maſſas induratas radunt & raſuras aquâ ſubigunt, poſſunt, id ſecernere. Experientiores hujus rei mittunt ſaltem maſſas iſtas in aquam & ex aquæ ebullitione vel altiore, vel remiſſiore, vires veneni ſtatim videre & diſtinguere poſſunt. Cùm id ad uſum præparatur, & cuſpidibus telorum, quæ utplurimum parantur ex dentibus Lamiarum piſcium, illinitur, tunc abradunt aliquid ex maſſis, quod aquâ ſubactum in glutinoſam abit conſiſtentiam, ut telis illiniri poſſit; verum iſti aquæ prius admiſcetur herba quædam, Malajis dicta Lampogang, Macaſſariis Laypaya, quod idem ſonat ac zingiber amarum, eò quod planta formam externam zingiberis, ſed locô acrimoniæ zingiberinæ amaritiem obtineat. Aqua igitur iſta, cum ab hac plantâ fuit reddita amara, atque aliquam glutinoſitatem acquiſivit, per linteum colatur, ac hâc mixturâ telum quodvis illinitur, & in pharetris ſuis & arundinibus è Bambuſiis exactè clauſis ab

sis ab injuriâ aëris custoditur. Tela ita toxicô præparata per biennium durare possunt viribus suis integris. Sunt quæ saltem per unum aut alterum mensem vires servant. Aliquando tota massa venenosa, nisi optimè servetur, corrumpi & viribus orbari potest.

Cùm venenum subigitur, aqua validissimè commovetur, præsertim cum venenum est præstans. Etsi autem hæc operatio manibus fieri possit, tanquam res innoxia, nihilominus cum toxicum summum sic tractatur, sentitur calor aliquis in corpore. Nam licet à Macassariis & Bougiis multa alexipharmaca contra hoc venenum adhibeantur, sicuti pluries vidimus, etiam vulgatum remedium ab excrementis humanis sumptum: tamen ea omnia nihil efficiunt contra validissimum veneni genus, quod sine mora operatur mortem, simulac in corpus humanum pertingit; & (ut multi referunt) licet aliquis quodam alexipharmacô toxicam veneni vim & subitaneam mortem effugerit, tamen post unum, duos, aut tres annos eum, qui telô istô sauciatus fuit, ex eo mori oportet. Insuper periculum maximum subeunt qui cum mulieribus sese miscent ac conversantur, fungosque & tubera terræ comedunt, antea læsi hoc veneno: his enim certa inde mors. Tantum de his venenis & venenatis telis.

SCHOLIUM.

Idem enarrat Dominus *Johann Jacob Saar* Norimbergensis, in suo *hodæporico militari Anno 46. p. m. 38.*

[ARGONAUTA]

Vid. *Miscellanea S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. A. 3. Obs. 48. pag. 230.*

DESCRIPTIONES ET RELATIONES JURATÆ DE VARIIS REBUS NATURALIBUS INDIÆ ORIENTALI FAMILIARIBUS.

XVI.

DESCRIPTIO

ARBORIS ARTOPHORÆ, seu SAGU-FERÆ.

ARbor hæc fruticis formam & magnitudinem primùm habet, diuque retinet, adinstar plantæ, quæ excelsos & rectà superiora versus erectos ramos, in parte inferiore junctos & 20. pedes longos, emittit. Rami hi virides sunt & herbosæ substantiæ, intus, ut Cinamomum, excavati & extus læves ac rotundi, nisi quòd in parte inferiore longis, gracilibus & pungentibus spinis armati sint, qui per quasdam series juxta se invicem dispositi ad instar acuum apparent, ita ut spina in medietate locata nunquam non longissima sit. Folia, ut in Calappa arbore, ad utrumque ramorum latus sunt disposita, parumper quoque complicata, longiora tamen, latiora & tenuiora, in margine multis, sed mollibus, spinulis cincta. Folia hæc nunquam sursum versus in ramis se inflectunt, sicut econtra folia in adultâ Calappa arbore deorsum semper pendula spectantur, quô binæ hæ arbores etiam eminus distingui possunt. Infra hic frutex truncum constituit, tantâ utplurimum crassitie, quâ erumpere solet, idque citò, acsi moram antecedentem celeritate compensare vellet: ubi simul priores ramos dejicit, à quibus in superiore trunci parte vestigia quædam formantur & relinquuntur.

Caudex hic & truncus communissime 25. ad 30. pedes altus & tam crassus est, ut à viro quodam vix integer comprehendi possit. Cortex lævior & magis glaber est, quam in arbore Calappa, articulis carens. Trunco ad 2. hominum longitudinem delato nullis amplius spinis est prædita arbor, nisi in superiori ambitu, circa basin ramorum, quæ successivè pariter decidunt. Quin & ipsi rami, ex arbore jam adultâ erumpentes, spinis sunt destituti, sed in radice seu inferiore parte tantùm vestigia quædam spinosarum serierum observantur, quæ senescentia seu inveterata subfusco colore gaudent & ob lævitiem splendent: intus ubique sicca, levi & fungosâ substantiâ repletis ramis. Caudex, quamdiu adhuc crescit, circa radicem plures surculos

ſpinoſos habet, qui eandem ita muniunt undique & cingunt, ut nuſpiam ſine damnô ad eandem pervenire liceat, idque tamdiu, donec truncus ad illam proceritatem & duritiem evehatur, ut nullum amplius detrimentum ab apris illi inferatur, qui arborem hanc aliâs prorſus comminuere & corrumpere valerent, ut medullæ interioris participes redderentur, ni ab externis hiſce ſpinis defenderentur. Inde eſt, quod ſylvæ nonniſi ægerrimè & maximâ cum cautelâ permeari poſſint, cùm ſpinæ hæ prolixæ facilimè pedibus infixæ abrumpantur & non ſine maximô dolore per ſuppurationem prævium extrahantur: quamvis Indorum cutes aſperæ & duræ easdem ſæpius eludant. Lignum extimum, ſeu potius cortex, duorum digitorum craſſitiem habet, nec duritiem nec colorem arboris Saguweriæ habens, ſed albicans & utplurimùm è fibris craſſioribus conflatum, cujus anterior cavitas intus candicante, humida & fungosâ medullâ repleta eſt, quæ ſapientiſſimi Creatoris providentiâ incolis his loco oryzæ aliorumque frumentorum, pinſendo inde pani deſtinatorum, inſervit, ut infra pluribus dicetur.

Quamdiu arbor hæc creſcit, tamdiu nullos fructus fert, qui tum demum ſe trudunt, ſi adolevit & conſenuit. Interim tempus hoc non expectant incolæ, quùm arbor jam fructus ferens omnium optimam proprietatem, ſcil. aptitudinem ad farinam inde parandam, amittat, quia medulla interior tum maximâ ex parte in fibras craſſiores immutatur. Quodſi verò ad plenariam ſenectutem pervenerit, in parte ramorum ſuperiori, & q. exactè in medietate, craſſum prorſus caulem ſeu cornu, ſtrobilo palmarum fere ſimile, longius tamen, prodire videmus, quod in 8. vel 10. ſurculos laterales & hi rurſus in ramuſculos transverſales ſe dividunt. Quilibet è ramis majoribus cornu acuminato ſimilis eſt, totaque corona ad inſtar lapidis corallini, unde calx paratur, aut inſtar candelæ plurimis fiſtulis inſtructæ, apparet.

Caulibus antedictis fructus arboris adhærent, qui nodi ſunt eleganter ſquamati, fructibus arundinis ſimiles, magnitudine ovi mediocris, in ambobus tamen apicibus compreſſi, eboris inſtar ſplendeſcentes, coloris pallido-flaveſcentis aut fuſci, quorum cortex exterior è ſimplicibus & qs. teſſellatis ſquamis, minus tamen ſejunctis, ſed penitus conjunctis & unum corticem abſolventibus, conſtat, qui facilè in fruſta comminuitur. Teſſellæ eleganti ordine ſunt diſpoſitæ & κατὰ χιασμὸν qs. permixtæ. Hoc in cortice nucleus rotundus, inſtar globuli ſclopetarii, continetur, qui in ſemi-maturis fructibus mollis eſt & jamjam eſui aptus, utut adſtringentis adhuc ſaporis. Fructu verò ad maturitatem delato omninò nigreſcit & ſic induratur, ut dentibus confringi nequeat, utut in terrâ radices agat & ſi decidat propullulet: quod ipſum tamen rarum eſt, cùm porcelli ſylveſtres, antequam radices agat, eundem auferant.

Radix è fibris tenuibus conflatur, ut in arbore Calappa, quodammodò tamen craſſioribus, quæ ſub ipsâ terrâ rependô hinc inde novas plantas trudunt.

Hæc arbor *Sagu* (in tractibus his Orientalibus eô plerumque nomine veniens, in Ternata autem *Hudo*, in Amboinâ *Lappia*, & panis inde paratus Sagu-marucca, farina Sagu-manta dicta) in omnibus Inſulis Moluccis, in Celebes, Javâ, Borneô, usque ad Zohor reperitur, non tamen ubivis ad pinſendum panem adhibetur, ſive quod neſciant modum præparandi, ſive quòd illô non indigeant. Maxima ejus copia in Inſulâ Coram reperitur, ubi ſylvæ integræ vaſtaque deſerta illis repleta inveniuntur, unde annuatim maxima quantitas *panis Sagu* in alias regiones transmittitur.

Fundum amat humidum & aquoſum, ubi ſæpiſſimè ultra genua in uliginem incidunt. Interim & in arenoſis locis reperitur, dummodò humiditate quadam gaudeant. Hâc de causâ nulla ſylvula Sagufera tam exigua eſt, quæ non unâ aut alterâ ſcaturigine gaudeat. In ſummitate montium lætè non ſuccreſcit, niſi loca quædam uliginoſa illîc occurrant, aliis ſimul fruticibus aut arbuſtis cincta. Quò altior autem locus eſt, eò purior & ſiccior arbor ſervari poteſt, quæ farinam tum meliorem ſuppeditat, quàm alia minus pura.

Transplantatur arbor hæc non tantùm per fructus, ſed etiam ſæpiſſimè per radicis ſurculos juniores, qui in aliorum haud ratò fundum & patrimonium ſerpunt, quorum intuitu ſylvæ illæ difficulter eradicari poſſunt, quamdiu veterum arborum radices in ſolo relinquuntur. Recentes etiam ſurculi effodi & transplantari poſſunt, qui recentes & pallido-fuſca folia habent. Sylvæ aut campi, arboribus his repleti, *Lontar* audiunt, obſcuri admodum & ob plurimas ſpinas difficulter permeabiles. Ingruentibus verò inundationibus integri tractus, cum arboribus & omnibus illîc contentis, diffluunt, quoniam fundum ſpongioſum habent: talesque ſoli alluviones quandoque inſtar parvarum Inſularum mari innatant.

Quatuor vulgò Species, ſeu potius totidem mutationes Arboris Saguferæ enumerantur, quæ juxta externum intuitum ſibi quam ſimilimæ ſunt, & tantum ſpinis diſtingui poſſunt.

Prima Species linguâ Ambonicâ *Lappia Tuni*, h. e. ſincera Sagu, dicitur, quæ optima non minus quam communiſſima ad parandam farinam eſt: ſpinas habens mediocres, ſed medullâ ſtatim ad corruptionem inclinante, ſi fructus imminent. Hæc ſpecies majori frequentiâ plantatur & alitur. Fructus ejus maximus eſt, oblongus, pallidè-fuſcus, nec gravis, cujus nucleum interiorem crudè comedere licet, quamvis adſtringentem admodum qualitatem habeat.

Secun-

Secunda Species *Lappia Yhur* vel *Yhul* dicitur. Hæc altiſſimum truncum habet, compactior & pluribus reliquis ſpinis obſita eſt, quæ tamen quodammodò breviores ſunt quam antecedentes. Medulla interior durior eſt & hinc majore ad farinam eliciendam labore indiget. Hi fructus quoque rotundiores, minores & duriores ſunt, magiſque ad flavum, quam fuſcum colorem tendunt. Nucleum habet durum, dentibus non confringendum, ſi inveteraſcit, cavitate quadam gaudentem, quâ filis traductis in ſeries formari valet. Hæc ſpecies utplurimum in Coram reperitur, cujus medulla tam facilè non corrumpitur, ſi fructus erumpunt.

Tertia Species, *Lappia Maccanan* ſeu *Maccanalo* dicta, paucas ſed prolixas admodum ſpinas habet, cujus folia eandem cum priori longitudinem habent, utut tenuiora, anguſtiora & corrugatiora ſint magisque fragilia, unde ad *Ata* parandum tam apta nata non ſunt; hujus enim medulla tantum farinæ non ſuppeditat quam ſincera, non tamen æquè facilè corrumpitur erumpente fructu, qui longè minor eſt, quam in prioribus, globulum ſc. ſclopetarium gregariorum æquans, ante & retrò quodammodò compreſſus, coloris fuſci pallidioris, quàm priores.

Quarta Species *Lappia-molat* ſeu *Molo* ſpinis caret, foliis in rigidum longumque acumen deſinentibus: farinam molliſſimam & humidiſſimam ſuppeditans, quæ maximam ad partem celebribus pulmentis, *Pappeda* dictis, inde parandis inſervit, pani durabili pinſendo minus apta.

Uſus hujus arboris omnibus Inſularum harum Orientalium adeò neceſſarius, proficuus & familiaris eſt, ut Calappa arbor & Lontar Occidentalibus Indiæ tractibus, non tantùm ad panem, ſed & alia in re œconomica neceſſaria inde paranda.

Panis ut inde parari poſſit, ante omnia notæ quædam & indicia maturitatis in arbore obſervanda ſunt, ad tempus legitimum, quô cædi debet, diſtinguendum. Indiciis illis apparentibus, (quæ inde eluceſcunt, ſi ſummitates ramorum, quaſi farinâ conſperſæ, albicant) arbori diutius parcendum non eſt, ſed prope radicem ſtatim cædenda, dividendo truncum in diverſas portiones, 5. vel 6. pedes longas, haſque rurſus in duo fragmenta ſeparando; quamvis nonnulli truncum, ſi non adeò longus eſt, integrum relinquant, aut in duas tantùm partes dividant, ſecundum longitudinem findendo. Abhinc Indi divaricatis per tranſverſum pedibus, ut equites ſolent, fragmento inſidentes tuditem (náni dictum) ex arundine, aut aliâ compacta materia confectum, illi ſæpius impingendo, albicantem & fibroſam arboris medullam tam minutim incidere norunt, ut primæ farinæ, in molendinis per ſetacum ſeu burſam trajectæ, ſimilis appareat. Ex hâc inciſurâ genuina farina abhinc ita paratur: Mactram, 4. aut 6. pedibus ſeu fulcris inſidentem & ex cortice craſſiore arboris Saguferæ, Corurong dicto, paratam, aquæ ſuperimponunt, cujus latiori parti burſam, Runuk dictam & è Calappa arbore paratam, ita applicant, ut pars ſuperior colligata tenaci & inflexo baculo, quali Torniones in machina tornatoriâ utuntur, firmiter alligetur. Quòdſi jam medulla inciſa mactræ huic immittitur aquave affunditur, eandem manibus fortiter agitant & pinſunt, unde farina tandem per ſacculum ſeu burſam infutumque canaliculum in ſuppoſitum receptaculum ſeu amphoram, aquâ plenam, illabitur, inibique fundum petit, quâ ſi amphora ſemiplena eſt, aqua decantatur & farina eximitur. Agitatio hæc tamdiu continuatur, uſquedum nulla amplius farina cum aquâ prodeat. Deſuper regurgitans rubicunda farina Sagu craſſiori groſſiorique farinæ ſimilagineæ ſimilis, quam *Ella* vocant, in acervum conjicitur & vel apris, vel iis, qui eandem domum deportare voluerint, ad ſaginandos porcos relinquitur. Farina autem, *Sagu-manta* dicta, in corbibus aut ollis figulinis per integrum menſem incorrupta ſervari poteſt.

Ad formandos panes certæ formæ è terrâ coctæ adhibentur, Malaijanis *Battu-Papondi*, h. e. lapides tetracapſulares, dicti, quadrangulares, manus longitudinem habentes, vel quodammodò breviores, utrinque in 4. vel 6. cavitates ſ. capſulas diſtincti, è quibus unaquævis digitum longa eſt. His in formis, primùm calefactis, ex infuſâ farina Sagu ſtatim panes exſurgunt, qui abhinc eximuntur aliaque farina immittitur. Panes hi diverſæ ſunt magnitudinis & figuræ, omnes tamen quadrangulares: quamvis unaquævis Inſula fere propriam ſibi figuram habeat. Placentæ hæ vulgares in Amboinâ dimidium circiter pedem longæ, 3. l. 4. digitos latæ, albicantes & friabiles ſunt. In Coram nonnullæ oblongæ, nonnullæ quadratæ & ita duræ ſunt, ut lapides coctiles, angulis & extremitatibus micantibus & qſ. vitriatis. Optimæ in Inſulis Uliaſſenenſibus parantur, quæ manus latitudinem habent & quadratæ ſunt, teneræ & rubicundæ, ſed majori, quam vulgares, labore parandæ. Sagu-manta ſc. omninò recens requiritur, quæ per 3. aut 4. dies in aëre ſiccatur & cum foliis Piſang obtegitur. Abhinc farina ter vel 4. per ſaccum trajicienda & deinde coquenda eſt. Per hanc exſiccationem Sagumanta rutilaſcentem colorem nanciſcitur, paneſque egregii fiunt, noſtro pani recenti, quamdiu recentes, molliuſculi & bene parati ſunt, plus minus ſimiles; quamprimum verò per aliquot dies aſſervantur, lapidis duritiem acquirunt & qſ. vitreſcunt, cumprimis ſi per coctionem nimiam indureſcant, utut juſculo immiſſi denuo molliores reddantur. Quodſi

verò panes hi, Sagu-marucca dicti, ex antiqua Sagu-mantá parentur, aut hæc in aqua paluſtri pinſetur, nec antea legitimè exſiccata, cribrata aut per ſetaceum trajecta fuerit, panes albi & palleſcentes, ſapore acidi, odore rancidi & mucilaginoſi remanent. Decem horum panum, mediocris magnitudinis, ſi colligentur, *Sa-Tacko* vocantur, quum plerumque decem cavitates ejusdem magnitudinis in unâ habeantur formâ. De Sagu minoribus 20. ad 50. plus minus Tacko conſtituunt. Coramenſes eosdem, dum adhuc recentes ſunt, filo ex arundine facto pertundunt, quemvis faſciculum ſ. Tacko conjungunt venumque exponunt.

Alias ſi curatè inquirere velimus an Arbor Sagu-fera matura ſit nec ne ad farinam ſuppeditandam? terebrâ majori ad intimum meditullium ſ. cor foramen efficitur, & aliquantum medullæ extrahitur, quæ ſi aquæ injecta multum farinæ demittit, pro ſigno maturitatis habetur. Alii crenam & vulnus profundum infligunt, ut aliquid medullæ obtineant, quod tenaci tamen terrâ ſtatim eſt obturandum, aliâs maſſa quædam viſcida effluet, inſtar Pappedæ, quo facto arbor mox emoritur.

Quodſi propterea arborem quandam Saguferam corrumpere velimus, profunda in trunco inciſura fiat, unde intra 3. & 4. dies omnis, ut modò dictum eſt, arboris ſuccus, inſtar viſcoſæ Pappedæ, effluit ipſaque medulla exſiccatur. Interim incolæ tale vulnus arboris manipulo tenacis & argillaceæ terræ curare nôrunt, ſi ejus tempeſtivè certiores reddantur. Hinc poſtmodum mos obtinuit, quo arborem circumcirca incidunt & ſecundum longitudinem dividunt, ut interior medulla per radios Solares & pluviam eò facilius corrumpatur. Hic unus è laborioſiſſimis & duriſſimis fuit laboribus, quos milites noſtri Batavi tempore belli Ambonici ſuſtinere coacti ſunt, dum ſylvas has uliginoſas & Sagu-feras perrependo à ſpinis in pedibus vulnerati aut paralyſi affecti fuerunt.

In ſcripto quodam Ambonico-Malaijano legi, quod, antequam arbores haſce contundant, Anteceſſoribus ſuis demortuis ſacrificare teneantur, ut plantationes eorum cuſtodiant & adaugeant. Si enim probam illarum curam habeant, in tertam & quartam generationem durant.

Alioquin *Iſi*, & quod poſt farinam excuſſam remanet, in Medicina contra vulnera, cultro ſeu Parang inflicta, adhibetur.

Pappeda è farina hâc parata nihil aliud quam puls eſt, ægris & infantibus, cumprimis autem decrepitis & edentulis, dicata. Hanc deglutientes dicere feruntur: ô ſaporem nectarinum, lactis ex uberibus maternis fluentis dulcori ſimilē!

Cortex arboris foco in culinis: ſpinæ pectinibus conficiendis aptæ ſunt. Quid quod & arma ſagittasque è cortice conficiant, quarum extremitati ſpinas accommodant.

E foliis fila & linteamina pro viris & mulieribus conficiunt, ut & funes. Folia inveterata pro Atap. ſeu tectis domuum adhibentur.

Gabba Gabba, ſeu rami decidui, ad conficienda ſedilia, ſcamna, tabulas aliaque utenſilia paranda inſerviunt.

Paucis: omnes circa Amboinam, usque ad Seran Inſulam, arborem hanc, totam Amboinam cibantem, præ omnibus aliis arboribus extollunt.

XVII.

DE
ARBORE GOMONTO
ſeu
SAGUWERIFERA.

ARbor hæc optima eſt pro incolis Amboniæ usque ad regionem Seram, dum eandem haud aliter ac alii arborem ſaguferam tractant, tundunt & contundunt, nec tantum panem ſeu Sagu inde obtinent, ſed & potum, ſcil. *Saguweer* & *Arak*, imò & *Saccharum*.

Antequam verò potum hunc inde colligant, plures prius arundines potu Saguweer repletas de arbore ſuſpendunt, nec prius inde auferunt, quam Gous-cous, h. e. aprum, perfoſſerint, quocum plura adhuc ciborum genera adferunt omniaque ſub arbore coquunt. Abhinc potum Saguweer depromunt, diabolum illic adorant, petentes ab eô, ut arbores abundanter & copioſè fluant, quò non tantùm potum ſuum, ſed & Arak & Saccharum inde obtinere valeant.


Fibræ hujus arboris funibus inde torquendis inſerviunt, pro retibus reſtibusque ancoris alligandis, aliisque, quæ longè durabiliora ſunt, quàm alia ex arundine ſeu rottang parata.

E ſpinis ſæpius tela & pectines conficiunt, imò easdem, ceu murices & tribulos, terræ inſerunt, ut hoſtes ſic arceant.

Ramis & foliis piſces capiunt.

Alioquin multos admodum fructus plurimaque ſemina fert, aliquot granorum myriadibus in Mahang illorum latitantibus.

XVIII.



Ramus Arboris Caryophyllorum

Fructus vel semen Caryophylli offi-
nis Antophyllum, integrum & excorti-
catum



Caryophylla Regia in Machian Regno olim nata jam v.
nullibi existentia coloris ruffi.



Caryophylla Regia Ambonica
hodie superstitia



XVIII.

DE

ARBORE CALAPA.

ARbor *Calapa* nullo non tempore plantari potest, tempestate non minus siccâ, quàm humidâ, sive prope aquas, sive in fundo saxoso, cum succus & aqua ex illa non aliter emanet, acsi lac ex uberibus præbeatur.

Elapsô decenniô aut duodecenniô fructus ferre incipit, & dum Majang projicit, potum inde eliciunt, è quo saccharum & Arak coquere valent; quemadmodum & acetum inde parant; imò & fructus ejus aquam dulcem in se continent.

In arbore Calapa juniore Bouber habetur, cibus pro infantibus egregius.

E fructu oleum coctione parant contra ambusta, quod & aptum est, in quô pisces coquantur, loco butyri. Quodsi autem fructus inveteratus sit, medullam ejus comedunt.

E cortice funes: è trunco sellas aliaque utensilia parant, ut adeoque & hæc arbor pluribus usibus inserviat.

XIX.

DE

ARBORE CANARIA.

ARbor *Canary* dicta decimo post plantationem suam anno fructus edit, & quidem semel in annô.

Nucleus in Fructu esui aptus diuque durabilis est. Interim & oleum inde parant. Cortex nucleum ambiens ad carbones, Aurificibus destinatos, cremandos inservit.

Ex lignô congios, amphoras aliaque parant, & pro alendo igne idem adhibent.

XX.

RELATIO

DE

MESSE CINAMOMI

CAPUT I.

DE

COLLECTORIBUS, ET GLUBITORIBUS CINAMOMI, EORUMQUE GENERIBUS.

GLubitores Cinamomi, Batavis *Caneel-Schillers* dicti, communia cum aliis naturalisatis in Ceilon jura non habent, ut prædia sua pro lubitu divendere valeant, sed hæc tantùm bona colonatia, aut qs. emphyteutica sunt, ejus generis & naturæ, ut usus seu dominium utile iis & posteris illorum tantùm concedatur, nec aliter cum iisdem agere & disponere liceat, quum emtio & venditio illorum invalida & sub pœnâ gravissima prohibita sit.

Diver-

Diverſa illorum Genera & Familiæ reperiuntur, è vilibus tamen & contemptui ferè habitis hominibus, ut Paireri in ipſa regione ſunt, conſtantia. Interim adhuc diſcrimen, tam ratione gradus, quam aliarum circumſtantiarum, inter illos obſervatur, & in præſentem usque horam adhuc incertum eſt, quot genera Glubitorum horum reperiantur, unde oriantur & in quibus à ſe invicem diſtinguantur.

Hoc aſſerere poſſum, Glubitorum genus, quod generali nomine *Tsiálias*, vel ut noſtrates ſcribunt, *Chiálias* venit, peculiarem, ut nonnulli adſtruunt, nationem conſtituere.

Illi, qui circa Negombo degunt, habitacula ſua ſub caſtro ejus loci ſtabiliunt & ad unum omnes Præfecto (*Modeliaar* dicto) de Negombo, qui Indigena eſt, multumque valet, adeò ut ab hominibus hiſce timeatur & honoretur admodum, ſubjecti ſunt.

Veſtitus illorum, tam virorum, quam mulierum, vilis & abjectus eſt, cum omnes, quà caput, thoracem & pedes, nudi incedant & tantum abdomini leve quoddam amiculum circumvolvant, niſi quod viri aliud adhuc palliolum, quò virilia tegunt, induant, quod ad inſtar piſcatorum in Paliacatto reſti ex bombace parato, craſſitie vix calamum ſcriptorium æquante, applicant, eoque abdomen ita cingunt, ut nodus in parte anteriori obſervetur. Alii in ſuperiori parte inſtar ſuppari aut præcinctorii oram formant & funiculum per hunc trajiciunt, ut pro lubitu mox largius, mox anguſtius reddere valeant.

Amiculum non tam texendo, quam acu factum eſt, qualia in Colombo publicè in foro venum exponuntur, coloris cœruleo-fuſci vel albi, pro differentia eorum, quibus illa induere integrum eſt.

Induendo illud in parte corporis anteriori, ad inſtar præcinctorii, funiculo annexo colligant, aut vinculo ſubingerendo firmant, ne delabatur: abhinc per utrumque crus reflectendo ligamento denuò inſerunt.

Huic poſtmodum viri aliud amiculum è baſſâ cœrulea aut ſimili panno, Præcipuis ex illis tantum dicato, ſuperingerunt: vilioribus è contra veſtimenta è ſcabro dongrys parantibus.

Sequioris ſexus perſonæ capillis partim de capite pendentibus incedunt, quos neutiquam colligare ſolent. Thoracem mammillasque, communiſſime largè dependentes, ut & pedes nudando, cum veſtitus illarum à thorace ad genua ſimpliciter propendeat, absque alio tegumento. Sedendo autem illum inter crura recondendo & circumvolvendo muliebria abſcondunt.

Infantes ad 4. vel quintum annum prorſus nudi oberrant: abhinc vinculo exiguo medietatem corporis cingentes, addito folio latiori, ad tegenda reliqua membra.

Quamvis autem Glubitores illi domicilia ſub caſtris habeant, hoc tamen non obſtante hinc inde in ſylvâ *Jambos*, *Jaacas*, imò & *Nathianos*, lingua Cingalenſi *Krakan* vocaros, plantare ſolent, quorum cura à fœminis agitur, quæ arbores craſſiſſimas conſcendunt, ne ab elephantis corripiantur, ſi hos conſpexerint. Quid quod hâc de cauſâ domunculos, ex aſseribus Pinang, arboribus inædificent, in quibus ſecure dormiunt, tecto contra rorem & pluviam muniti: licet homines hi utplurimum prope caſtrum permaneant facileque parvulorum tympanorum, ſonô colligi & convocari poſſint.

E bulbis *Nathiani* quandam panis ſpeciem efformant, quam comedunt, utentes ſimul alio edulii genere, è *nucleis Jaacarum* parato, quos è ſylvis adferunt, in quibus arbores hæ quoque ſponte proveniunt omnibusque communes ſunt.

Tractus, quem Chialias inhabitant, Mahbades dicitur, ambiens maximâ ex parte ſeqq. pagos: Billitot, Cosgure, Acanelo, Madampe, Raygamme, Lanedemundere, Magale & Dadalo: quibus IV. Vidanes (homines Centurioni deglubitorum ſecundi & ita ſubordinati, ut juſſa hujus exequantur ejusque ſub abſentia Chilias dirigant) ſunt præfecti.

Primus & Præcipuus Vidane (communiter Vidane-Mahbade dictus) ſubjectos ſibi habet Chialias de Billitot, Cosgure, Madanipe, Lanedemundere, Magale & Dadalo.

Secundus dirigit Chialias circa Colombo ſitas, in pagis Tottebadde, Morregalle, Calnamodere, Calemodde, Oudure, Pottopitti, Pinwatte, Waſcadre: cum aliô circa Negombo, quem Heelembada-Vidane nominant.

Tertio parent Rhonne-Chialias, qui tractum Mature inhabitant.

Quarto ſubſunt Raygamme Incolæ, qui ejus pagi Chialias dirigit ibique habitat.

Eo tempore in Pago *Billitot* erant

IV. Ma-

IV. Majores 20. Minores Duriaſii, reducendi in 2. Majores & 6. Minores.

Cosgure

III. - - 9. - - - - 1. - 4. -

Madampe.

III. - 5. - - - - 1. - 2. -

Dadale.

II. - 1. - - - - 1. - 1. -

Nagale.

- - 1. - - - manet 1. - - -

Lanemundere.

II. - - - - - - 1. - 1. -

Raygamme.

II. - 3. - - - - 1. - 2. -

circa Colombo.

- - 1. - - - - 1. - - -

ſupra Rhune-Chialias,

III. - 6. - - - - 2. - 3. -

Negombo.

I. - - - - - - 1. - - -

Oudevvare.

I. - - - - - - 1. - - -

VVasquadre.

- - 1. - - - - - - 1. -

Pottepitti.

- - 1. - - - - - - 1. -

Pirebatte.

- - 1. - - - - - - 1. -

Calvamodere.

I. - 1. - - - - 1. - 1. -

Calamule.

1. - 1. - - - - 1. - 1. -

Morgelle.

- - 1. - - - - - - 1. -

Acceurle & Tottebadda.

- - 1. - - - - - - 2. -

Conjunctim XXIV. Maj. 54. Minores, reducendi in 13. Maj. & 29. Minores.

CAPUT II.

DE

MODO COLLIGENDI SEU DECORTICANDI CINAMOMUM ALIISQUE HUC PERTINENTIBUS.

MEſſis Cinamomi duplex eſt, major & minor. Prior menſe Julio inchoatur & ad Septembrem circiter incluſive durat, dum arbores cinamomi ſe in flores induunt & ipſe cortex à ligno facile ſeparabilis eſt. Minor durante pluvia, menſibus Januario & Februario, dum quodammodo ſiccum eſt, inſtitui & per 3. tantum ſeptimanas plus minus continuari, aſt tunc ſolum inchoari debet, ſi corticibus cinamomi Illuſtris Societas indigeat.

Ante decorticationis actum Modeljaarius de Colombo XX. vel XXX. Singelazis & paucis Chialiis in ſylvam ſe confert, ut eandem inſpiciat & exploret, ubi plures, in uno diſtrictu ſibi vicinæ reperiantur & ubi decorticatio melioris cinamomi commodius inſtitui poſſit? loco hôc inventô eundem Gubernatori in Negombo, aut alii huic negotio deſtinato, aperit. Quodſi jam locus placuerit, omnia ad eundem viſitandum præparari ſolent. Ad hanc expeditionem autem caput aliquod reliquis imperans (quod à noſtratibus Capitaneus Glubitorum cinamomi, à Luſitanis autem Centurio Mahbade dicitur, utut interdum vix Officialis minoris qualitate gaudeat) eligitur, quod cum L. plus minus gregariis, interdum tantum XXX. una cum C. circiter aut CL. Laſcarinorum (*Laſcaryns,*) prout plures aut pauciores requiruntur & tempori conveniens eſt, ad locum deſtinatum ſe confert. Laſcarini autem (quod in tranſitu notari velim) ſunt liberi militum gregariorum, qui caſtra cum Parentibus ſequun-

tur & tabellionum inſtar literas hinc inde deferunt.

Antequam verò hinc abeam, monere debebam ſylvam cinamomiferam in regione Negombo 3½. 4½. ad 5. horas longam decorticationi deſtinatam eſſe.

Milites gregarii 2. vel 3. decuriis diſtinguuntur, prout numerus illorum aut major aut minor eſt. Horum quilibet manticam in tergò gerit oryzâ, 40. ſc. librarum pondere, (quantum ſc. ad vitam per integrum menſem conſervandam neceſſum erat) repletam, de ſclopeto ſimul ollam catiniformem, anguſtiori orificio prædita, una cum ⊖ & pipere ſuſpendens, quò, ſi bubalos inveniant, condimentis gaudeant: licet & in ſylvis aliquid piperis hinc inde creſcat.

Glubitores viritim amiculum, ſi laborem ordiantur, obtinent, tantumque oryzæ ac milites, quam de ſudibus Haz-gay, è Pinang paratis & 10. ad 11. pedes longis, in fine acuminatis & declivibus, in marſupiò ſutili ſuſpendunt, cui aliam adhuc oryzam coctam, quantum 6. vel 7. diebus conſumere valent, addunt, quæ ferè panis duritiem nanciſcitur. Non minus ollulis ſuis & patinâ cupreâ, cum ſale & pipere, ſunt inſtructi, quæ omnia cum 6. ſchellingiis pecùniæ ad emendum Betel, areck &c. illis diſpenſantur; quibus abhinc iter ingrediuntur, dura ſæpè & exſiccata carne bubalinâ ſibi inſimul proſpiciendo.

Adhæc alia adhuc utenſilia ſecum ferunt, vaginam ſcil. areckæ recipiendæ deſtinatam, thecam, harpaginem, cultrum conciſorium, alium item cultrum incurvatum, coriculam, cum bacillô, arundinis craſſitiem, juxta modulum & magnitudinem, quam cinamomi cannæ habere debent, habentem. Thecam ex his retro ad dorſum, mediante funiculô, quô corpus cingunt, firmiter alligant.

Culter hic inciſorius longe politior, imò & cultrer incurvatus penetrantior eſt phlebotomo, falci arboreæ, aut ſecuri, quâ fiſſores lignorum in patriâ utuntur, aut & cultro inciſorio lanionum, quô carnes diſſecant, ferè ſimilis.

Manubrium in cultro incurvato eandem ferè longitudinem habet, qua cultelli manubriis nigris inſtructi gaudent, toto cultro digitum 1½ in latitudine, plus minus, ſpithamam longitudine emetiente, rectà ſcil. extenſo, juxta curvaturam verò 2. ferè ſpithamas æquante, ipſoque apice (qui extrorſum vergit) 5. digitis tantum à manubrió diſtante, ut adeoque culter inſignem ſatis longitudinem habeat.

Omnes illi homines duobus è ſuo genere obtemperant, quos *Hikkedees* vocant, quorum unusquisque 50. 60. 100. plus minus, prout numerus aut parvus aut magnus eſt, ſubjectos habet & cum noſtris Decurionibus quodammodò comparari poſſunt. Officium illorum in eô conſiſtit, ut perpetuò circumeant, dum alii decorticationi ſtudent, ut obſervent, an quilibet ſuô munere legitimè fungatur, ad quod alios adhortari tenetur.

His duobus Præfectis, ut & reliquis ſub amborus his militantibus, *Aratelu* ſeu *Aratſie* præeſt, qui ordinariè bis de die circumit, ut, quî negotium procedat, inſpiciat, quod ſimul, ut decet, urget, unumquemvis officii ſui admonendo, Centuriori Glubitorum omnia referendo & ab hoc juſſa recipiendo. Huic Aratſio Glubitores cinamomi ſummum honorem exhibent & coram illo ſe profundiſſimè inclinant venerabundi, quorum tamen ædes ingredi illi non licet, quùm viliotis ſint & habeantur conditionis.

Laſcaryni pro ſua quisque conditione & conſuetudine ſibi non minus proſpiciunt variis neceſſariis, cum & inter illos diſcrimen aliquod occurrat, ita ut præcipui ex illis vittas erectas, alii autem vittas in capite reclinatas geſtent.

Quodſi omnia parata habeant, abitus ad ſylvas maturatur, ubi in latere verſus Kandiam cameram quandam, Corps du Guarde dictam, pro militibus efformant, ad tractū illum ab hoſtibus ſeu potius latronibus defendendum: Laſcaryni verò ad diſtantiam ¼ milliaris ſedem ſuam figunt, qui adverſi quid ſentientes certô explosionum ſclopetariarum numero ſignum præbent, quò omnes ſe præparare & aciem inſtruere poſſint; quemadmodum & milites ſe paratos ſiſtunt, ſi Glubitores inteſtentur, quod ut plurimum ab elephantis accidit, qui flammâ, tympanis, ſclopetorum ictibus aliisque ſtrepitibus abiguntur; quem in finem quoque milites per integram noctem excubias agunt, cum interdiu è contra unicus tantum ad excubias locetur, qui, an aliquid ſe trudat, obſervare tenetur.

Camera hæc ubique patula eſt, eô tantùm latere excepto, quod à pluvia feritur: fulcris inſidens, deſuper foliis palmæ contecta, ut in illa ſiccô corpore decumbere valeant. Per integrum etiam noctis decurſum ignem illic alunt, non tantùm corporis calefaciendi gratia, ſed & ad elephantos abigendos.

Præterea in mediô circiter illius tractûs, quô decorticatio cinamomi peragitur (quem obſervata circumferentia circulari ſesquihorâ metiuntur) receptaculum efformant, navis longitudinem & XIII. plus minus pedum latitudinem habens, ubique pariter apertum, eô tantùm latere excepto, ad quod pluvia delabitur, ubi deſuper tecto ferè planô tegitur, quod in medietate quodammodo elevatum & acuminatum eſt, ut aqua pluvialis ad utrumque latus defluere poſſit. In hoc Cinamomum projiciunt, & quamdiu hoc inibi continetur, excubiæ illic aguntur.

Circumferentia loci, decorticationi cinamomi deſtinati, in ambitu ſuo major non eſt, nec amplius diſtat, quàm ut ſibi invicem acclamare

mare possint, qui, ut jamdum dictum est, vix 1¼. milliare superat.

Deglubitores hinc inde quoque casulas è ramis arborum exstruunt & de cætero parcissime & tenuissime vivunt, binas semper personas in casulis suis relinquentes, quæ easdem custodiant, oryzam tundant aut coquant, & in sylvâ interdum decorticantes adjuvent.

Deficientibus illic saxis pro foro igniario exstruendo, huic palos infigunt, quibus ollas imponant, coquendæ oryzæ destinatas. Tamdiu enim ligna hæc in igne durant, donec oryza cocta sit.

Hîc autem notari velim, quod, antequam integrum hoc corpus ad locum designatum, melioribus sc. & genuinis arboribus obsitum, pervenerit, in viâ, ubi pernoctandum est, alias, sed levissimas casulas erigant, in quibus noctu res suas domesticas curant, insequenti die, quô iter suùm prosequuntur, subruendas.

Quodsi jam in loco genuinô, more supradicto, se demiserint, decorticatio suum capit initium, ad quam mane, circa mediam præterpropter septimam, pulsatis *Tabalinchis* (parvulis sc. tympanis, quæ a peculiari quodam hominum genere, *Borreveys* dictis, pulsantur) vel auditu cornuum incurvatorum sonitu, quem in fine æque ac initiô laboris sequuntur, se accingunt.

Sciendum tamen est, quod antequam ipsum opus aggrediantur, sua sibi edulia prius coquant & præparent; quemadmodum & à meridie, horâ circiter undecimâ, otiantur & prandent, donec circa horam, primam vel medium secundæ, ad laborem redeant & adhinc hora V. aut mediâ sexta pensum absolvendo ad cœnam se conferant. Hæc à nostratibus, cumprimis militibus, quoque observantur, è quibus 4.5. vel 6. cuilibet Glubitorum catervæ nunquam non adesse tenentur, nec ulli, nisi Centurioni Glubitorum, integrum est sive initium sive finem hujus negotii determinare, quod utrumque pulsu tympanorum, aut sono cornuum intimari jubet.

Circa meridiem in sylva calet admodum, non obstante tot arborum, radios Solares avertentium, umbrâ, quum nec ab aere, nec à ventis frigidis ventiletur.

Modeljaarium quandoque spectatum venit, quî cuncta succedant? quâ occasione tamen, non tantum hîc, sed & alibi venationi elephantorum aliarumque ferarum indulget: siquidem hic cumprimis obstrictus est prospicere ubique, ut Illustris Societas Cinamomum laudabile obtineat, insimulque indicare, ubi Cinamomum optimum inveniatur?

Deglubitores versatissimi quoque sunt in discriminando Cinamomo viliori à mediocri & selectissimô, & si plus justo fuerit collectum, illud quod exuperat, aut non desideratur, comburunt: id quod milites, excubias agentes, somnolentos reddit: quamobrem se variis confabulationibus aliisque excitare solent.

Deglubitores illi è meris subjectis masculinis constant, iisque adultis, exclusis pueris & mulieribus, & conjunctim 200. aut 400. capita constituunt, è quibus haud raro unus aut alter veniam obtinet domum revertendi, quod à Capitaneo suo impetrare tenentur.

Inter milites cuilibet Deglubitorum cohorti adjunctos (exceptis illis, qui excubias agunt) nonnulli fumum tabaci hauriunt, nonnulli verò somnum capiunt. Illi verò qui ad excubias ordinati sunt reliquos per explosionem saxorum adhortantur, si adversi quid immineat, quô casu non tantum commilitones arma, quæ deposuerant, recipiunt, sed & alii circumcirca se ad defensionem parant.

Aratsie casulam suam in meditullio Deglubitorum figit, ut ubique circumspicere & opus urgere valeat.

Deglubitores per integram noctem ignem alunt, contra elephantorum insultum, à terminis illis arcendum. Quem in finem ligna interdiu colligunt, ut in camera præsidiaria, Corps de Guarde dicta, quoque observatur.

Idem Lascaryni, noctu diuque excubantes aliosque bombardarum ictu monentes, faciunt, si quid audiant aut percipiant; utut illorum vigilantiæ tantopere fidere non liceat, nec multum adjutorii ab illis, si quid acciderit, expectari possit, cum stationem suam nunquam derelinquant, nec ulli etiam Glubitoribus adjungantur.

Sub ipso itinere 100. vel 200. securibus, quas incisores Singalenses vocant, vias dilatare tenentur: quo ipsô tractus superandi à ramis, obicem viis figentibus, liberantur & transitus liberrimus paratur.

Quod verò ipsam *Cinamomi decorticationem* cum pertinentiis suis attinet, hæc in ipso trunco inchoatur & ramis arboris finitur. Illic, in trunco sc. inferiori in parte sectionem & incisuram in corticem infligunt, quam dexteritate & celeritate summa instituunt, una saltem sectione apice ipsius cultri manum contorquendo, adeò quidem affabrè, ut lignum interius ne quidem attingant: quem in finem eum locum, ubi cortex aut disruptus, aut nodosus & inæqualis fuerit, datâ opera vitare solent. Abhinc aliam, secundum longitudinem desideratam, 4½. circiter pedum, incisuram, in parte superiore, eodem cum priore modô subjungunt, ut cortex inter superiorem & inferiorem sectionem abhinc in lorum, manus latitudine gaudens, rescindi possit, quod in parte superiori cujusque corticis separare & abhinc ope manus prorsus detrahere solent.

Hoc facto arborem totam resecant, ejusque ramos, eadem ut ante ratione, decorticant, si sc. eadem inter utramque incisuram longitudo occurrat.

Cuilibet arbori 20. circiter aut 30. plus

minus, deſtinantur, qui, ſi pluribus auxiliatoribus indigeant, alios adhuc advocant: quamvis & arbores inveniantur, quibus decorticandis tres aut quatuor viri pares ſunt; & licet in arboribus & ramuſculis juvenculis optimum cinamomum adoriantur, inde tamen corticem violenter non detrahunt, ſed ſi ſuperiorem & inferiorem inciſuram circularem cum perpendiculari inſtituerint, corticem paulatim pulſant, quô factô ſponte ſuâ cedit & facilè ſeparatur.

Detractis jam corticibus eosdem humi projiciunt, ut exſiccentur, ubi poſtmodum in fiſtulas qs. & canales ſe convolvunt, minoresque ſuam unica ſemihorulâ cavitatem nanciſcuntur, majoribus plus ad eandem temporis requirentibus. Juniores autem arbores ſibi relictæ, nec reſciſſæ, ut pro certo mihi relatum eſt, novo ab hinc cortice, recens generato, inveſtiri ſolent.

Cortices hos in ſylva tamdiu exſiccationi relinquunt, donec ſufficiens ipſis quantitas collecta videatur, quam abhinc auferunt & in receptaculum ſupradictum recondunt.

Hîc expediet notare, corticem aut inæqualem, aut quodammodò corrugatum, eumque recentem adhuc & viridem, cultrô peculiari, utrobique manubriis inſtructo, ſcalpendo complanari: quem in finem duos palos, $1\frac{1}{2}$. vel 2. pedes circiter à ſe invicem diſtantes & in ſummitate quaſi furcatos terræ infigunt, quibus cortices imponunt, ſi ſcabritiem inæqualem abradunt. Imò, ſi hoc adhuc minus commodè facere poſſint, furcas palorum, quibus cortices incumbunt, aſſere quodam aggravant, ut res expeditius ſuccedat: quem in finem corticem aſſeri uncis quibusdam applicant & firmant. Derasô ſatis cortice uncos detrahunt, corticem eximunt, &, ſi Cinamomum ita deraſum probeque exſiccatum fuerit, in peculiarem dicti receptaculi locum reponunt: licet & reliquum Cinamomum ita radant, ſi eundem ſelectiſſimum & limatiſſimum deſiderent.

Quodſi tandem ea, quæ deſiderabatur, quantitas decorticata fuerit, Cinamomum collectum in faſciculos certos redigunt, ut eò melius tranſportari & ad receptaculum deferri poſſit, in quo illi cortices, qui unô eodemque tempore collecti fuerunt, conjunctim locantur & ſignis peculiaribus notantur, ut una ſpecies ab alterâ dignoſcatur. Quid quod aliqua ſæpe portio Cinamomi verſus Colombo ablegatur, quæ ſcad onerandas naves adaptata erat; licet interdum adhuc corbibus bene contegatur, antequam aliorſum mittatur.

Sciendum quoque eſt, faſciculis, quos in promptuarium deportant, adhuc laxioribus & minus firmiter colligatis, tubulos aut cannulos quosdam interſeri, usquedum vinculum ſeu ligamentum legitimè ſtringatur.

Interea Centurio Glubitorum omnem, quam collegerant, cinamomi quantitatem probè annotat, & tot ſpecificationes, quot requiri vidébantur, aut illi in uſu ſunt, conſignat, Aratſio committendo, ut Quotæ Taxæque (ut loquuntur) completæ exhibeantur.

Quodſi Societas Illuſtris aliquam Cinamomi quantitatem deſideret, eandem à *Kulis* (quod certum Glubitorum genus eſt) faſciculis ſupradictis diſtinctam cum Pingas deportari jubent, faſces autem tribus ligamentis combinantur, quorum bina utramque extremitatem, tertium autem medietatem cingit. Hos interdum Scriba comitatur, qui omnia annotat eosdemque cum quadam commendatione aut (ut Mercatores loquuntur) facturâ ad illa, quò deſtinantur, loca ablegat.

Hi faſciculos primum in aliud exterius promptuarium, cujus inſpectio Cellario cuidam eſt commiſſa, deferunt, ubi faſces librantur, & ad certum illisque determinatum pondus rediguntur, demptis aut additis quibusdam tubulis, ſi pondus non concordat cum eô, quô ſub Num. 1. 2. 3. pro variâ diverſitate ſignantur, numero: ubi milites ſervique nautici (*die Madroſſen*) illis adjuncti ad ponderandum, deportandum & transmittendum adhibentur. Sæpè faſces nonnulli, in patriam ablegandi, cutibus vaccinis cinguntur & abhinc in aliud promptuarium interius deferuntur, unde poſtmodum navibus inferuntur, ſi navis actuaria parata jaceat.

Cæterum Sylva hæc Cinamomifera hirudinibus abundat, à quibus noſtrates quamplurima incommoda patiuntur, Nigritæ verò & Glubitores cinamomi tantopere non incommodantur, qui pedes & corpora ſua neſcio qua materiâ inungere norunt, quâ ſanguiſugas arcent; & licet noſtrates eodem pariter ſe muniant remedio, nequicquam tamen exinde juvantur, cùm idem linimentum in aqua humidoque diſpereat, ſicque nullum illis levamen adferat. Ægros autem & invalidos, utut è noſtrâ quoq; natione ſint, neutiquam attingunt, ſed illis tantùm, qui ſanguine laudabili gaudent, infenſæ ſunt. Hunc enim quibuscunque in locis & partibus avidè venantur, ita ut in aures, nares & loca obſcœna ſe inſinuent, de arboribus in corpora decidendo, ut vix ac ne vix quidem easdem ſubterfugere valeant; & quùm tenues admodum, inſtar acuum, & quod excurrit, magnitudine gaudeant, hinc ubique ſe ingerere valent: unde factum, ut ebria quædam perſona ſylvam trajiciens & ſomno obruta per ſanguinis exſuctionem ab iisdem occiſa & in tali ſtatu poſt 2. aut 3. dies inventa fuerit.

Contra hos milites noſtrates ſequentia adhibent remedia: Eum, cui hirudines ſe applicarunt, locum comprimunt, illarumque corporibus aliquid de ſucco limonum imponunt, unde ſtatim delabuntur: vel & herbam madidam bacillo ſesquidigitum longo alligant, illique, quem hirudo occupavit, loco imprimunt, quô facto ſtatim decidit. Quem in finem ejusmodi

bacillis

bacillis in expeditione hac nunquam non se instruunt.

Si fortè hirudinem extracturi portionem ejus in carne reliquerint, multum illis negotii facessit; quapropter & Chirurgus illis additur, ut non tantùm ab hoc, sed & aliis incommodis & morbis liberari possint.

Milites stationem sibi assignatam, ut & locum excubiarum publicarum, Corps de Guarde dictum, cineribus conspergunt, quibus à sanguisugis his se immunes reddunt.

CAPUT III.

INSTRUCTIONEM CAPITANEI DEGLUBITORUM CONTINENS.

HIc vir honestus, prudens & candidus sit, oportet, ut Deglubitores, pro more & consuetudine regionis, in servitiis suis legitimè tractare & gubernare, & simul officia, quæ unusquisque pro genere & modulo suo præstare tenetur, ab iis exigere valeat, si expectationi Societatis Nobilissimæ, juxta taxam ordinariam, absque gravaminibus aut onere satisfieri debeat.

Non minus arte quadam & notitiâ instructus sit, quâ *Durias* & *Vidanes* ita dirigere & flectere possit, ne authoritas sua per neglectum imperii aut pœnarum infligendarum periclitetur, aut amorem & confidentiam illorum erga seipsum per nimium rigorem amittat.

Operam etiam navare debet, ut Durias, quantum fieri poterit, imminuat eorumque numerum reducat, dum sufficientes jamdum adesse putantur, si opus peragendum minori illorum numerô absolvi potest: econtra redundantia illorum atque copia, intuitu privilegiorum & immunitatum, quæ Durias quoscunque manent, nunquam non damnosa habetur.

Interim reductio hæc non subitò & unô impetu, ob metum seditionis, in actum deducenda est, sed antiquus illorum numerus tamdiu intemeratus est servandus, donec capita ad numerum reductum emoriantur, cui tunc inhærendum, nec alii prius admittendi sunt, quàm vacante de novô loco aliquo, imò ne hoc quidem absque Dn. Gubernatoris expressâ permissione.

Antehac in designatione catalogi generalis nemo præter viros talesque advenas, quos Centurio ad servitia quædam præstanda habiles judicabat, annotabantur. Quoniam verò hoc ipsô effectum fuit, ut nonnulli respectu particularis lucelli per Durias celati fuerint: hinc ad præcautionem posthac in designationibus mulieres, liberi totaque cujusvis familia, nemine exceptô, annotari debent, addendo simul, quos agros & hortos possideant, cujus dignitatis sint & quænam eorum sint privilegia, ut perfectam sic notitiam habeamus, quænam cujusvis sint officia, quænam illi destinata sint, quænam servitiorum meritis aut proprio ære redempta obtineant?

Quodsi nonnulli abhinc reperiantur, qui eô ipsô in pauperiem inciderint, Societas Illustris optimô jure divendita fortè prædia de novô æstimare & offerre valet.

Caveat etiam, ne per Handarias & Putabennes, Aratsies & Lascarynos Chialiarum juratorum infantes aut celentur aut alantur, qui ad plura servitia obligati labores quôvis modô subterfugere conantur.

Hinc & non minorem Lascarynorum (qui ad Chialias pertinent) quam aliarum familiarum notitiam habere debet, cum accuratâ designatione, quò ire jussi sint, utpote qui, juxta antiquam consuetudinem, sub *Dessave* militant, qui iisdem nunquam non, sine contradictione Capitanei, jussa dare & ad id, quod è re esse videtur, applicare valet, adeò quidem, ut Centurio seu Capitaneus absque speciali consensu Dessavii nullum eorum ab excubiis revocare possit, nisi fors temporis, occasionis, aut aliûs circumstantiæ intuitu Gubernatori ita placeat.

Illi qui aliorsum ablegati non sunt, sed in loco suo permanent, imperio Centurionis subsunt, & si fieri potest ad minimum X. à parte Gaeliana & totidem à parte Colombonense cum Aratsio quodam ad communia decorticationis officia parati esse debent.

Coronde-Halys, servitiis magis obnoxii, magis quoque observandi sunt, cumprimis autem ne quis ex illis, quacunque ratione, protegatur, prætereatur, aut celetur, nec ex autoritate & respectu lucri privati aliis, qui officio suo fideliter funguntur, præponatur.

In taxatione placidè & cum discrimine quodam, & pro ætatis dispositionisque ratione, procedet.

Differentia inter pondus Mahbade Chialias & eorum de Rhuwe molestam admodum dissimilitudinem parit; quapropter è re esset, si Capitaneus omnem operam daret, ut negotium hoc, ea, ut cum Mahbadiis factum, ratione componeretur, dummodò absque alteratione communium Chialiarum fieri posset.

Curabit etiam, ne aliquis, præter Mahbades, Kulisios inter Glubitores cinamomi ad

alia ſervitia cogat, à quibus officii ſui intuitu eximuntur, niſi Dn. Gubernator aut ſummus Magiſtratus eosdem ad labores quosdam extraordinarios requiſiverit.

Judicare ſimul & publicare debet in commodum & majorem Glubitorum quietem ceſſurum eſſe, ſi tantum majorem meſſem probe obſervarent & ita urgerent, ut à menſe Julio, ad Octobrem, adeoque per 6. menſium ſpatium negotio illi adhærerent, ſicque reliquum anni tempus ad agriculturam & œconomiam propriam applicarent, utramque menſe Januario & Februario non interrumpendo. Quantum audivimus optimè hoc fieri poſſet, ſi cautè id & providè tentaretur. Interim id nondum abſolutè mandamus, ſed id Dn. Gubernatoris diſpoſitioni relinquimus, ut commodum Nobiliſſ. Societatis, datâ occaſione, procurare poſſit.

Porrò Capitaneo incumbit, ut præcaveat, ne quis cum Cinamomô mercaturam inſtituat & ſi quem expiſcatus fuerit, Magiſtratui indicet. Nullas etiam veſicas deſtillando oleo Cinamomoni aptas toleret, ſed omnes exſtirpet, & poſſeſſores accuſet: qua in parte conniventia pro colluſione & ipſo actu haberi debet.

Nemini indulgebit ut Chialiam aliquem è ſuô genere eximat, quod ſummi tantum Magiſtratus opus eſt, in quo non minori cautelâ opus eſt ac in eô, ne Deglubitores liberos ſuos inter Durias, Ilandarias aut Culiſios abſcondant, ut ab his educantur: quâ in parte Corondehalys ſummè aſtuti ſunt, ut liberos ſuos à Cinamomi decorticatione liberent; quapropter eosdem quandoque aut oppignorarunt, aut liberis hominibus vendiderunt, tum ut oneri huic eximantur, tum ob ſui generis contemptum ab illis, quod putant, declinandum. Ne ergo quispiam in primâ herbâ ſ. nativitate ſive plus juſto evehatur, ſive deterioretur, liberos à Durias prognatos inter Durias, Culiſiorum filios inter Culiſios, & Glubitorum natos inter Deglubitores relinquat, oportet.

Si quis Deglubitorum è pago ſuo aut poteſtate patriâ aufugerit, & ad alium Modeljaarium, Apohantum aut Aratſium ſe contulerit, ut Laſcarynus evadat, Officiales eundem non ſuſcipiant, ſed repudient. Sin eundem non remiſerint, Capitaneus ſuperiori Magiſtratui indicet, ut Chialiam ſuum recuperet, detentores verò puniantur, idque ad evitandam totius Mahbade ruinam, quæ per deſertionem hominum illorum oriri poſſet.

Quodſi Chialias è meſſe evaſiſſe obſervaverit, Capiti totius expeditionis indicabit, qui debitum illi auxilium non denegabit.

Quò & numerus Glubitorum, uti neceſſum eſt, magis magisque creſcat, ſpurii per Durias, Laſcarynos, Ilandarias & Potabennes (jamjam numerum quendam formantes) progeniti Glubitores Cinamomi fiant, ſiquidem id Lege nunc cavetur, ut is, qui notnos ejusmodi liberos genuerit, eosdem ad decorticationem Cinamomi educari & adſuefieri curet. Hoc ipſum enim medium quoddam erit, quo Durias, tanquam primicerios, Ilandarias & Potabennes ad ineundum matrimonium permovere poterimus, ut infantes ſuos ab hâc ſervitute liberent. Aliud quid hîc ſuſcipi nequit, niſi prævio juſſu ſpecialiori Dn. Gubernatoris, qui pro ſubactô, quô gaudet, judicio de reliquis diſponere noverit.

Ad ſtabilitionem Mahbadarum multum quoque faciet, ſi Chialias depauperatos, qui neceſſitate coacti aliisque incommodis permoti hortos ſuos vendiderunt & domicilia forte ſua plane deſeruerunt, ſuasque familias in alios pagos tranſtulerunt, de novô adjuvaverimus; quem in finem Centurio omnes familias in pauperiem redactas indagare & ad illa, unde venêrunt, loca, per authoritatem Deſſavi, in quolibet diſtrictu ubi inveniuntur imperantis, reducere debet, ut in priſtinum, cujuslibet generi & conditioni conveniens, officium reſtituantur. Ubi Deſſavus Centurioni conſilium ſuppeditare debet, quô miſeris illis ſuccurrere poſſit: quibus ſi agri deficiant, illis alii ſuppeditentur, ut miſeriæ conſulatur.

Centurio in exigendis annuis tributis, decimis & capitationibus ſollicitus & diligens ſit, omniaque Publicanis, cum deſignatione ſufficienti nominum, annorum adſcendentium & deſcendentium, qualitatum, occaſionum, facultatum & domiciliorum eorum qui ſolverunt, inſinuet, obſervando methodum in generali deſcriptione antehac ipſi præſcriptam & annis inſequentibus pro meliori directione inſervientem, cavendo ſimul, ne quis aut ob benevolentiam privatam, aut ob intercеſſionem Vidanorum & Duriarum, multo minus conniventia in catalogo omittatur. Interim ſimul illi catalogo ſunt inſerendi, qui per Vidanes & Durias libertate ſunt donati, ut appareat, quæ privilegia competant Illuſtri Societati, & quæ beneficia diſpenſare valeat.

Si Vidanes, Duriaſii & alii, à minimô ad maximum, ad mulctas quasdam damnantur, Centurius ſolus easdem accipiat, rationibus inſerat, nec ſibi vindicet, ſed ſub primâ occaſione adventus ſui in Colombo aut Gale, quò reus pertinet, Quæſtori aut Secretario indicabit, ut abhinc, ſub emendatione & melioratione ſervitiorum, juxta obſervantiam regionis antiquam, illis aut reſtituatur, aut pro egenis indigenis confiſcetur, prout Dn. Gubernatori in Gale viſum fuerit & in quantum mulcta & correctio illa valere debeat ſtatuerit.

Capitaneus etiam ſollicitus ſit, ut Arecka debito tempore colligatur, eaque de cauſâ Adminiſtratori Areckæ, cujus id negotium eſt, pro virili ſuppetias ferat, ut ante Maji initium in Gale compareat, cum fructus aliâs, pereunte herbâ,

herbâ, mare ſuperare nequeat, ſimulque regioni plus negotii faceſſat,

Et quoniam à paucis retro annis ad caſtra in Colombo & Gale munienda calx, lapides corallini, ligna & ſimilia deſiderata fuerunt, hinc & Centurio eorum curam habeat, Chialias ſuos jubendo, ut lapides illi, cum lignis, tempeſtive ad furnos calcarios adferantur, ut annuatim, poſt tempora turbini obnoxia, debitâ quantitas in futurum uſum calcinetur, quam Gubernator in Gale determinabit.

Interim ad calcis præparationem & fornacum exſtructionem nec arbores Calappæ, nec aliæ fructiferæ reſecari ſed lignis circumcirca deciduis contenti eſſe debent, niſi forte Calappa arbor illique ſimiles annoſæ nimis & ſteriles obſervantur, quas calcis præparationi quoque deſtinare poterunt.

Non minus è nucibus in hortis Societatis Cocciferis arbuſculas juniores plantare debet, ut damnum, per ſuffoſſionem hortorum illatum, reſarciatur.

Tandem in cædendis lignis, & foco & ædificiis deſtinatis, juxta ſpecificationem, annuatim, ut viſum fuerit, ipſi exhibendam, actiones ſuas dirigat.

XXI.

STATUTA CIRCA CARYOPHYLLORUM MERCATURAM OBSERVANDA,

è

Legibus Ambonenſibus à Dn. H. de Jager extracta.

QUod commercium Caryophyllorum Aromaticorum attinet, quod Illuſtris. Societas, vi antiquorum pactorum, cum incolis (ut ſc. pro 550. libris Hollandicis LXX. Reales h. e. 56. Imperiales ſolverent) inſtituit, ſancimus, ut receptio illorum & acceptatio ſtatim poſt finitam meſſem, vel ſi ſufficiens illorum, & quidem legitimè exſiccatorum, quantitas obtineri poteſt, fiat; hoc ipſò enim mediò impediri poteſt, ne Incolæ, ſive ad ſolvenda debita, ſi aliâ de cauſa minus licita, eadem alienare aut deperdere valeant, ad quod ſive neceſſitate ducti, ſive morâ protractiori impediti ſeduci poſſent.

Caryophylla autem modò dicta benè exſiccata probeque depurata eſſe debent, ſi recipiantur. Probatio ſiccatis in eò conſiſtit, quod, ſi unguibus digitorum vix penetrari poſſint, vel digitis preſſa confringantur, & in acervum conjecta ſtrepitum edant, bona cenſeantur. Puritas autem requirit, ut neque pedunculis inſtructa, nec arenâ aut putridis quibusdam fragmentis permiſta ſint. Ubi tamen capitula rotunda (vulgò Capelletti dicta) quamplurimis adhuc firmiter inſidentia repudiari nequeunt, utpote quæ ſtatim ſeparari non poſſunt, ſucceſſive autem jacendo quoque decidunt & in pulverem abeunt, nec cæteroquin aut ponderis augmentum aut aliud conſideratione dignum important. Anthophylla & Caryophylla ſylveſtria ad tradenda (Leverantie Belgis dicta) non pertinent, quoniam utrobique ſapor aromaticus deſideratur, poſteriora etiam minora & pallidiora genuinis ſunt, adeoque ab aliis facilè dignoſci poſſunt.

Uſus in ſe quidem laudabilis, quò ſub acceptatione caryophyllorum aromaticorum manu ſaccis immiſſâ tanguntur &, an quidpiam in illis deſideretur, inquiritur, antehâc peſſimam conſuetudinem introduxit, ut Zygoſtatæ ſeu ponderatores, qui pondera imponunt & auferunt, ac plerunque ſaltuarii ſunt, manipulum caryophyllorum, antedictum in finem ſanis extractum, illis non denuò inſeruerint, ſed ad pavimentum projecerint, paulò poſt illic recolligendo ſicque pro accidente, ut loquuntur, habendo. Hoc ipſum incommodum, ab eò tempore per Illuſtrem Dn. Cornelium Speelmannum, Superintendentem & Commiſſarium anno 1667. abrogatum, heic & ſub pœna graviſſimâ interdictum fuit, quod ſuo in vigore relinquimus. Licet enim ſub hoc noſtro regimine id neutiquam obſervatum fuerit, è re tamen viſum fuit eandem hîc cautelam repetere, ne poſthâc abuſus ejusmodi & exorbitantiæ de novò ſe ingerant.

Taram (Tarre dictam) intuitu ſaccorum, è linteis duplicatis Bengalenſibus confectorum, detrahendam quod attinet, antelaudatus Dn. Commiſſarius anno 1667. ſimul annotavit quemlibet ex illis vix dimidiam libram ponderaſſe, quod ſub proviſione obſervandum. Ne autem quis de læſione poſſit conqueri, juxta morem antiquitus receptum integram libram pro quolibet ex illis detrahere conceditur, ita tamen, ut ejus intuitu

pretium

pretium abhinc nullo modo augeatur ; & quoniam hactenus uberior restrictio è Batavia non appulit, hinc unusquisque curare debet, ne à Statuto hoc civili imposterum ullô modô deflectatur.

Nobilissimus Dn. Superintendens Arnold de Vlaming ab Ousthoorn L.M. in Legibus pro mercatoribus in longè dissitis computatoriis viventibus, die 10. Nov. 1648. scriptis, ut & summum Tribunal Indicum Bataviæ, in suâ ad nos, tanquam Legatos seu (ut vulgò loquuntur) Commissarios suos die 15. Febr. a. 1672. datâ instructione expresè jussit, ut ubivis locorum, traditioni caryophyllorum destinatorum, Administratores obligati sint & manere debeant ad accuratam receptorum specificationem & annotationem faciendam, & peculiari libello inserendam, quemadmodum unumquemvis eorum hujus certiorem fecimus, addendo jam, ut librum illum originaliter, absque ullâ cancellatione aut immutatione, utpenes Receptorem conscribitur, annuatim toties quoties à Gubernatore desideratur, transmittant.

Specificatio hæc in eô consistet, ut 1. exprimatur, à quanam Nigritarum familia (*Negrye*) traditio facta sit. 2. Cujuslibet exhibitoris nomen apponatur. 3. Quantum ponderaverit & quanta 4. pecuniæ solvendæ summa fuerit? juxta ordinem catalogi (qui tersus semper & accuratus ad manus sit) designetur.

Ne minima quoque acceptatio caryophyllorum suscipiatur, nisi in præsentiâ Orang-kai Negryæ (qui Libripens esse omniaque ponderare debet) & Scribæ Inquilini, quem inter se ipsos eligere poterunt, ita tamen, ut hic, factâ traditione, suam non minus specificationem, æquè ac Mercatorum Scriba facere tenetur, Dn. Gubernatori exhibeat.

Zygostates potestatem non habeat pondera è bilance tollendi, nisi quantitas prius clarâ & elatâ voce linguâ Malaijanâ proclamata fuerit, quam Libripens aliique adstantes modestè prius inspiciant & annotent; quemadmodum & nulla pariter solutio traditoribus fieri debet, nisi supradictus Libripens, cum scribâ quodam, interfuerit; idque eum in finem, ut plebeji quieti & securi esse possint suum cuique tribui: in quô tranquillitati publicæ quamplurimum situm est, & consequenter transgressores simili gradu, i. e. gravissimè, puniri decet.

Acceptata jam caryophylla in non alium quàm siccum & depuratum effundantur locum, quò ne minima quidem humiditas pervenire possit. Hinc pro meliori cautelâ & circumspectione pavimenta & parietes asseribus aliisque mediis muniri debent.

Traditione instante Officialibus navium, cumprimis Navarchæ & Scribæ, Ærario seu Vice-Mercatori sub ponderatione injungi debet, ut illic ante & sub ponderatione omnia inspiciant & tangendo explorent, an sicca sint & pura? ne ullus postmodùm exceptionem quandam adferat, si intra traditionem, quæ Bataviæ contingit, error aliquis se trudat, ut antehâc accidit.

Barott seu donarium Magistratui inquilino debitum, scil. V. Imperiales pro singulis 550. ℔. caryophyllorum, imposterum non tam per Orang-kaium primarium solum, quàm per Mercatores ipsos dispensari debet: cumprimis autem Monincho $\frac{1}{72}$ partem totius summæ, quùm is in laboribus consuetis præ aliis desudet, reliquum in 3. partes dividendo, quarum duæ Orang-kaio principali, & ultima pars Kapalascis, conjunctim sumtis, debetur.

Quoniam & plantatio arborum juniorum, quæ ante aliquot annos instituta fuit, jam magis magisque incrementa sua capit, & successivè major illarum quantitas sperari potest, quam Societas Illustris distrahere valebit: Ambonicæ intereà in tantum succrescere possent, ut nimis maturæ messis tempore in polongos abeant, visitatio ordinaria, culturæ intuitu institui solita, posthâc intermitti, sicque merces eapropter menstruatim solvenda retineri posset. Interim Mercatores durante messe pro virili allaborent, & per Officiales aliasque personas curent, ne caryophylla in polongos excrescant. Hoc si neglectum & detectum fuerit, illi, qui detexerit & invenerit, tertia pars cedat.

Quodsi contingat, ut pauca nonnulla caryophylla extimis ramorum apicibus inhærentia non possint attingi, sicque ad maturitatem perveniant & delabantur, id neutiquam pro negligentia quadam sumi aut haberi debet.

Inter alias causas, cur tot aggeres in extimis oris exstruantur ibique excubiæ continuentur, haud minima est, ut omni modo, quô pretiosum hoc aroma subtrahi solet, occurratur. Quapropter cuivis Residenti in districtu suo, in quantum fieri potest, prospicere incumbit, ut tanquam Fiscalis caveat & cavere jubeat, ne Inquilini quicquam de caryophyllis suffurentur: eaque de causa navibus vectoriis, anchoram illic projicientibus, omnino non fidendum est, si sub prætextu necessitatis & aquæ dulcis, potui aptæ, caryophyllis inhient. Multò minus incolis permittendum, ut diplomatibus liberi transitus & licentiis instructi ad computatoria dissita proficiscantur, iisque mercaturam exerceant, dum experientia plus quàm expedit compertum est, quosdam non vereri, non tantum caryophylla aromatica, sed & anthophylla, in propriam ruinam, alibi deportare, ut ut sub furcæ rotæque periculo fiat. Quapropter supradictæ naves vectoriæ, soluta anchorâ, sub abitu visitari debent; ut verò eô curatius hîc vigiletur, hinc publicô quodam edicto, sub dato die 9. Novembr. hujus anni, Belgicâ æquè ac Malaijanâ linguâ, ubivis locorum redhostimentum generale iis, qui clan-

cula-

cularios & furtivos ejusmodi Institores detexerit, stipulati sumus, ut scil. mulctæ totius dimidium illis cedendum & offerendum sit: cui jam hoc adhuc superaddimus, quòd talem Exploratorem datâ occasione ad majora officia promovere velimus, si quantitas ablatorum caryophyllorum aliquid importaverit.

Quodsi ergò naves quædam vectoriæ, sive jam Cymbæ sint, sive Siampan, aut Creubay, similia caryophylla, vel & Nuces Moschatas, aut macerem contineant, illudque detegatur, Mahodas cum aliis 3. vel quatuor personis decebit illas detinere, aromata omniaque bona, cum inventarió inde paratò, custodire, naves ad vallum devehere, omniaque citissime huic vel proximo computatorio denunciare, & ulteriorem dispositionem ea desuper expectare.

OBSERVANDA ULTERIORA.

In descriptione Arborum Caryophyllorum distinguantur 1. Fructiferæ, 2. Semiadultæ. 3. Minores species.

Primis non tantum antiquæ, sed & arbores juniores, quæ non tam incipiunt quam semel jam tulerunt fructus, annumerari debent, licet vix X. pedum longitudinem à solo ad ramos habeant.

2. Semi-adultorum longitudo inter V. & X. pedes versatur.

3. Species 1½. 3. ad 5. pedes longa est. Frutices minores in computum non veniunt, neque periculum ullum est, ut, si emoriantur, ratio de illis danda sit.

XXII.

DE

ARBORE CARYOPHYLLORUM.

Arbor caryophyllorum de Malkokov primum est profecta, saporis jucundi rebusque Medicis inserviens.

Hæc arbor, ut & Moschocaryophora pingui fertilique solo est implantanda, quoniam sic ad L. & quod excurrit annos durant: cum è contra in loco macriori vix 30. annum superent.

Mense Octobri ejusdem fructus decerpere incipiunt, antequam matureścant & prout Tab. II. ob oculos ponit appareant. Messis autem usque in Novembrem, Decembrem & Januarium durat, & quamprimum fructus exsiccati sunt, incolæ præcedente ponderatione solutionem suam capiunt.

Arbor hæc singulari cuidam morbo est obnoxia, qui à verme exiguo, in arborem se abscondente & inter corticem delitescente, oritur. Dum scilicet vermiculus hic corticis circumferentiam rodit & perforat, tristatur arbor & emoritur. Neque enim vermis hic sursum deorsumque repere, sed tantum in circuitum ire & corrodere solet, haud aliter acsi annulum à fine ad principium peragraret.

Signum quo detegitur vermiculum arborem circumcirca rosisse, hancque necessariò perituram esse, hoc est, si scilicet folia quædam pendula & flaccida hæreant.

XXIII.

RELATIO

DE

CARYOPHYLLO SYLVESTRI.

Arbor Caryophyllorum à Dn. van Rheede *Kadeli* & Brachm. *Naqueri* dicta, linguâ Malaijanâ *Sangani* vocatur. Folia ejus venulis distincta & instar foliorum Cinanomomi tribus fibris s. venis, in parte folii inferiori à se invicem distinctis in apice verò rursum connexis, gaudent.

In summitate ramusculorum alæ nodos quosdam & flores pediculo insidentes habent, quorum tres semper junguntur, ita ut maximus in medio, & minores utrinque in lateribus spectentur.

Pedunculi florum tactu asperi & duri sunt, haud aliter ac caules ramusculorum & foliorum, floribus supra in formam crucis aut coronæ dispositis, quatuor semper conjunctis.

Præter fibras tres supradictas alia eaque

ſubtilior & elegans per longitudinem marginis ſeu oræ folii decurrit.

Flores odore carentes è quinque petalis conſtant, inſtar roſæ ſimplicis, coloris incarnati, aut floribus perſicorum ſimilis: è quorum centro filamentum rubrum recta ſurſum verſus erumpit, calyxque inſtar unguis formatus, è quinque pyramidibus, colore incarnato & quodammodò purpureò præditis, exſurgit, intus materiam duriorem complectens, è cujus centro filamentum erumpit. Hic calyx ſ. unguis in parte inferiore pariter aſperitate gaudet.

Nodi glandis figuram habent.

In calyce fructulus continetur, rotundus & coronulâ aperta, è quinque cuſpidibus formatâ, ornatus, è cujus centrô ſupradictum filamentum emergit.

In parte floris interiori quinque filamenta cœrulea, quodammodo conglobata, continentur, aliis adhuc ſimilibus flavis, numerum decenarium ferè æquantibus, cincta.

Pes filamenti longum, gracile & elegans eſt foliolum, marginibus ad ſe invicem contractis gaudens, ad quod filamentum extremitate ſua aliud (coloris intuitu) filamentum tangens tendit, ita ut cœruleum flavum hocque cœruleum attingat, primumque filamentum in fine elegantèr dilatetur, ibique globulum in mediocrate habeat, ſupra inſtar pedis vaccini ungulatum, è cujus medio filamentum flavum emergit.

Apices calycis rigidi ſunt, in lateribus quodammodo pilati, in medio binorum ſpinis quaſi minoribus emergentibus, quæ apices ſunt foliorum inferiorum, alia ſuffulcientium.

Filamentum in medio, quod minus conglobatum eſt, ſed erectum ſirum habet, digiti Geometrici longitudinem habet.

Baſis ramorum quadrangularis eſt, rubris pilis obſita.

Planta hæc aliàs ad hominis longitudinem, imò ſæpe altius, ſuccreſcit, amans aquas, per integrum anni curſum floribus & fructibus ſuperbiens. Ramuſculi tantùm non omnes lignoſi ſunt, gryſei, & coloris intuitu corio ex fuſco-cinereo haud abſimiles, magis tamen ruffeſcentes, plurimis punctis acutis, aciem ſpinoſam præ ſe ferentibus ſi manu deſuper tangantur, obſiti, licet infra aſperitas hæc diſpareat.

Lignum albicans & filoſum eſt, & medullam recentem in ſinu & corde ſuo fovet.

Fructus tantum in ſummitate, quaterni ſemper aut quini, in alis ſuperiorum foliorum, noduli diverſam magnitudinem obtinent.

Pedunculus & operculum nodi, poſt delapſum floris, in parte inferiori rotundæ ollæ ad inſtar craſſa fiunt, & abhinc rurſus tenuiora reddita, inſtar colli alicujus, ſe rurſus in V. apices triangulares expandunt. In his fructus abſconditur, qui poſt decidentiam florum colore rubicundo & quaſi ſanguineo ſe prodit, coronulâ quinquecuſpidali ornatus.

Hic fructulus paulo poſt obſcure rubeſcit, quem comedunt, cum dulcis & grati ſaporis ſit, ut ſuccus ejus.

Javani fructum hunc dentibus affricant, ad nigredinem illis conciliandam, quam pro decore & pulchritudine habent &c.

è Mſs. Dn. Herb. de Jager.

XXIV.

DESCRIPTIO

CORTICIS CARYOPHYLLODIS, CULI-LAWAN DICTI,

è

DN. GEORGII EBERHARDI RUMPHII

Herbarii Ambonici Lib. 2. cap. 22. extracta.

COrtex hic valdè aromaticus eſt, à me Latine *Cortex Caryophylloides*, à Malajis *Culi-Lawan*, vel *Culit-Lawan*, (quod corruptum eſt vocabulum ex Culit Begulawan, h. e. cortex caryophyllorum, ob odorem, quô gaudet) Ambonicè *Salackal* & *Salackar* nominatus. Quidam in Java eundem *Sindoe* vocant, quem peculiarem tamen ab eo diſtinctum eſſe puto & alibi deſcribo. Aliis *Tedjo*, Ceramlouwerienſibus *Eyeks* in Aru verò *Haumo* audit.

Proficiſcitur is ex arbore procerâ admodum & ſylveſtri, erectô rectoque trunco, quem utplurimum vir ulnis ſuis amplecti valet, inſtructâ, cujus ramificatio ſuperior non adeo diffuſa lateque expanſa, ſed denſa foliisque repleta eſt, quoad externam faciem Lauwe non abſimilis,

paucos

paucos habens ramos, ſurſum utplurimum vergentes. Virgulta ejus viridia & rigida ſunt, binis ſemper virgulis è diametro ſibi oppoſitis, qualem ſitum & folia habent, eorumque tria aut quatuor paria, uni virgulæ inhærentia, ita ut pedunculi eorum retrorſum quodammodò reflexa ſint.

Folia hæcce formam & figuram illarum cuſpidum ferrearum referunt, quæ fariſſas muniunt & foliis Cinamomi quodammodò ſimilia ſunt, vel, ut propius accedamus, caſſiæ ligneæ, quibus cum arboribus Culilawan utrinque inſignem affinitatem habet. Unumquodvis folium in arboribus antiquis manus longitudinem & trium digitorum latitudinem habet. In junioribus arboribus ſpithamam longum & 4. vel 5. digitos latum eſt, ad radicem ſeu originem, à qua ſucceſſive in acumen definit, rigidum, ſiccum, & ſi frangatur in parte ſuperiori intenſe viride & glabrum, infra autem cinereum aut obſcure viride. Tribus folia hæc nervis gaudent, in longum, ut in foliis plantaginis, decurrentibus & tribus ab origine digitis concurrentibus, cum in ſuperiore latere ſe extendant. Illis autem elegantiſſimæ venulæ intertextæ ſunt. Sapor illorum viſcidus eſt, quodammodò aromaticus & Caryophylla mentiens.

Fructus hujus arboris rarò ſpectantur, quoniam arbores excelſæ ſunt & plerumque imperfecti decidunt. Illæ tantum, quæ Soli è diametro oppoſitæ ſunt, nec multum quatiuntur, fructus ſuos optimè omnium conſervant & oſtentant, ſine notabili flore provenientes, cum ſtatim nodi quidam virides & acuminati ſe trudant, è quibus baccæ oblongæ, glandibus, utut minores longè, ſimiles, glabræ & virore marino præditæ exſurgunt. Sub putamine viridi craſſiore nucleus oblongus, baccis lauri haud abſimilis, reconditur, purpureo-rubicundus & in duas partes diviſibilis. Cupula, cui inſident, profundior eſt, quàm in glandibus, in ſex cuſpides diviſa & fructui immediate annexa. Quodſi verò fructus hic magnitudinem olivæ ſemi-maturæ nactus eſt, in alterutro latere dehiſcit, inibique ſubſtantia quædam ſicca & flava, ochræ aut butyri majalis flaveſcentis inſtar, copioſè & quantitate nucis juglandis excreſcit. Hæc excreſcentia putamen viride tandem ita obtegit, ut vix particula ejus è cavitate emineat. Nucleus purpureo-rubicundus tunc temporis quoque omnino inverſus eſt, ſubſtantia autem cartilaginoſa, quæ ſapore & odore Caryophyllis ſimilis odorem ſuum aromaticum diu adhuc retinet, ſi aperta eſt. Interim non omnes nuclei excreſcentiâ ſupradictâ gaudent, ſed maxima illorum pars decidit, è quibus maturiores in terrâ radices agendo alias arbuſculas producunt. Pauciores caulibus adhærentes dehiſcunt & ſupradictâ excreſcentiâ obruuntur, quæ fructus admodum deformes reddit, ut maſſæ ſeu glebæ terræ ſimiles appareant, quæ ad contactum tam mollis ut axungia apparet, qualem ſubſtantiam arbor Cinamomi etiam ſuppeditat. Si digitis tractatur, hos colore flavò inficit: Intus autem durior eſt & inſtar nuclei apparet, qui tamen ſterilis & ad plantationem ineptus eſt. Fructus menſe Aprili erumpunt, & in Auguſto decidunt.

Cortex Arboris (qui omne id abſolvit, quod ex arbore hac petitur) extus albicans & ſubcinereus eſt, ubique tamen minutis venucis obſitus: intus ex ruſſo flaveſcens, ut lapis coctilis ſemi-calcinatus: in parte trunci inferiori digiti craſſitiem habens, verſus ſuperiora tenuior. Ille qui calami craſſitiem non habet, non recipitur. Craſſiſſimus & infimus cortex tener & ſiccus eſt, ſaporis & odoris acris, Caryophyllorum ſaporem ita referens, ut pro cortice arboris Caryophyllorum ab ignaris haberi poſſit. Interim cortex Culilawan hoc peculiare habet, ut penetrantiâ ſuâ caput gravet, ſi ingens ejusdem cumulus ad manus ſit. Superior tenuior & durior eſt, ſaporis tamen jucundioris & odoris gratioris, ſub maſticatione viſciditatem aliquam, cum levi adſtrictione, relinquens, ut caſſia lignea adhuc recens, utut in cortice exſiccato minor adſtrictio obſervetur, ſed è contra aliqualis amarities. Ab initio quidem major caliditas ac acrimonia, quam in cortice *Maſſoy*, ſentitur, ſed caliditas in Maſſoy diutius durat: unde eluceſcit Culilawan è particulis volatilibus conſtare. Maſticata in ore linguam mordet admodum, cumprimis inferior & craſſior cortex: quapropter medius & à ſuperiori trunci parte deſumtus pro meliori habetur, ut in ore maſticetur, qui digiti longitudinem vix ſuperat & ad minimum calami aut culmi craſſitiem habet. Interim longe gratiorem ſaporem habet quam *Maſſoy*, buccamque jucundo odore caryophyllato, ſe longè lateque expandente, replet. Cortex recentior per aliquot dies Soli exponendus eſt, ut exſiccetur, antequam recondatur, tum enim odorem vinoſum & jucundum nanciſcitur, quem alioquin rancidum obtineret. Adhæc non tam in ciſtis occluſis, quam in locis apertis ac ab aëre ventilatis, in ſuperioribus contignationibus, v. g. ſub tectis, aſſervandus eſt, ubi ad XII. annum eundem bonum & efficacem conſervavi. Cortex à tota arbore, usque ad ramorum exordium, detrahendus eſt. Abhinc in fragmenta oblonga conſcindatur & exſiccetur, nec quicquam abjiciatur, ut cum cinamomo fieri ſolet, niſi quod extimæ venulæ, ſub uſu, abradendæ ſint. Contuli aliquando folia Cinamomi, Caſſiæ ligneæ & Culilawan inter ſe & inveni omnia & ſingula tres notabiles nervos in longitudine habere, omnia quoque lævia, rigida, ſaporis & odoris aromatici eſſe. Ea quæ ab arbore cinamomi decepta erant, breviſſima & rotundiora erant: quæ verò à Caſſiâ Lignea profecta erant, longiora, tenuiora

ſeu anguſtiora videbantur, in & cum foliis Culilawan magis conveniebant, utrobique tamen cinamomi ſaporem habentia. Omnium longiſſima & rigidiſſima erant folia Culilawan, peculiarem ſibique proprium ſaporem habentia. Si probè attendamus, duplicem in corticibus differentiam obſervabimus, dum quædam illorum pars intenſiorem rubedinem & duriorem ſubſtantiam, altera autem rubedinem pallidiorem & ſubſtantiam fungoſiorem habet. Utrobique tamen bonitate ſua gaudent, ut non opus habeamus diverſas illic ſpecies diſtinguere. Genuinam corticis hujus figuram, cum ſupradicto cort. Maſſoy, vid. in *Muſeo Muſeorum*, Tit. de *Caſſiâ Caryophyllatâ*.

Lignum hujus arboris albicans eſt & quodammodò flaveſcens, alicubi quoque pallidè rubrum, ad colorem corticis ante depicti accedens.

Radices altè ſe in profunditatem terræ inſinuant, denſiori & firmiori ligno præditæ, tenui cinctæ cortice, cujus ſapor à corticis ſapore quodammodò diſcrepat, cùm in radice ſubdulcem & aniſatum qs. ſaporem & odorem percipiamus, utut acriuſculum & ſapore caryophyllorum imprægnatum. Breviter: colore, ſubſtantiâ & ſapore cum ligno Saſſafras (vulgò ſic dictô) Indiæ Occidentalis adeò coincidit, ut Chirurgi noſtri in Bataviâ ab anno 1680. eandem huic ſubſtituerint. Meô tamen judicio ſapor ille aniſatus in Indica Occidentali radice notabilior & gratior eſt, cùm econtra radix Culi-lawan acrior ſit & ſaporem caryophyllorum magis æmuletur. Sic & utraque arbor differt admodum, dummodò deſcriptioni Saſſafras, quæ in Hiſtoria Simplicium Nicolai Manardi reperitur, fidem adhibere velimus.

Quod tandem Uſum ejus attinet, cortex Culi-lawan Ambonicus, qui pro optimo habetur & tanquam merx bonæ notæ in Javam & Bali devehitur, licet non in tantâ, ac cortex Maſſoy, quantitate, ob nimium caloris exceſſum. Communiſſimè tamen ambo teruntur & in unam maſſam compinguntur, quâ corpora ſua diebus frigidioribus inungunt, quùm placidè calefaciant, ac ſi penes ignem carbonum incaleſcant. In torminibus abdominis, colica & cephalalgiâ à causâ frigidâ, partes cum maſsâ ex Culilawan & Maſſoy facta inunguntur & fricantur, quod extemplò titillationem quandam, in cute ſenſibilem, cauſatur. Quin & in ore, cum ciri pinang, maſticatur, ad obtinendum gratum anhelitum. Jam ab anno 1682. & quod excurrit, noſtrates Chirurgi in Bataviâ radices has Saſſafraſio Indiæ Occidentalis ſubſtituere cœperunt, ut jam ſupra dictum eſt. Arte Pharmaceuticâ quoque oleum inde deſtillatur, utut in exiguâ quantitate, clarum & flavum, odoris è caryophyllis & nuce moſchata qs. mixti, confortans admodum. Hoc ipſum elapſis aliquot annis ruffeſcit & facilè evaporando difflatur, haud aliter ac oleum cinamomi.


XXV.

SOLIDA DESCRIPTIO
NUCUM MOSCHATARUM, CUM
PLANTATIONE ILLARUM ET NEGOTIATIONE.

QUemadmodum Creator ſummus, DEUS T. O. M. ad hominem in continuô labore & occupatione detinendum, ſecundum beneplacitum ſuum, gemmas nitentes, metallum rubicundum aliasque clinodias in abyſſum terræ abſcondidit: ita ſimul bina illa aromata pretioſiſſima, caryophylla ſcil. & nuces moſchatas, in paucas easque exiguas Inſulas plantavit, eaque in extimos Oceani Orientalis angulos qs. abſcondidit.

Quâ ratione caryophylla aromatica antehâc tantùm in Inſulis Moluccis, nunc autem in regione Ambonenſi unicè reperiantur, alibi diximus. Hâc vice pergemus & deſcriptionem arboris, alteram aromatis ſpeciem, ſcil. Nuces Moſchatas ſuppeditantem, deſcribemus, quæ ita ſe habet:


Arbor, cui genuinæ Nuces Moſchatæ, quas fœminas appellant, inhærent, formâ & magnitudine pyro haud abſimilis eſt, utut quodammodò humilior ſit. Apex ejus rotundior eſt quàm in arbore caryophyllorum, nihilominus tamen elegans & pyramidale opus frondarium, idque latius quàm in caryophyllo expanſum, format. In rectum utplurimùm & robuſtum truncum aſſurgit, interdum duobus aut quatuor ramificationibus, quæ ad latera magis declinant, nec rectâ, ut caryophyllus, altum petunt. Quandoque è ramis transverſalibus alios, recta ſurſum tendentes, inſtar ſcipionum erumpere videmus, qui ſæpiſſime adinſtar arborum juniorum ſuccreſcunt. Cortex trunci glaber & obſcurè gryſeus eſt, colore viridi permixtô, intus rubicundus & ſucci plenus. Arbor ipſa ramos craſſiores paucos habet, qui tamen rudes & in quamplures tenues & prolificas virgulas diviſi ſunt, quæ confuſi ſibi invicem cohærent, à quorum gravitate fructus depri-



Nux Myristica Mas












Nux Myristica Fœmina











deprimuntur. Folia iis, quæ pyrus habet, similia sunt, acutiora tamen, longiora & in margine non incisa, in apicem prolixum desinentia, supernè intensè viridia & infra quodammodo gryseа: quod signum haud obscurum omnium Nucum Moschatarum generum est. quod scil. superficies inferior gryseа magis & cinerea sit quàm superior. Aliàs verò glabra sunt, ut folia caryophylli, molliora tamen & planiora, supernè quodammodò splendentia, infrà autem non æquè, paucas in lateribus costas habentia. Utplurimùm binis in ramis seriebus disponuntur, utut non exactè è diametro oppositis. Masticata in ore saporem aromaticum statim produnt. Arbore incisâ, aut ramo decerptò, succus viscidus pallidè rubicundus, instar sanguinis dilutioris, effluit, qui statim intensè rubet & in linteaminibus tales maculas relinquit, quæ vix elui possunt. Aft hóc arbor maximè exsugitur & emaciatur.

Fructus primicerii & *tenelli* sunt exigui & albicantes, aut ex albo-gryseі, noduli, instar flosculorum aut calycum, angusto ore & in 3. apices qs. diviso gaudentium, floribus liliorum convallium fere similium, *vid. Fig. 7. TAB. III.* Intus parvulus & oblongus ac rubicundus globulus apparet, unde fructus succrescit. Foliola odore destituta sunt, incurvatis pedunculis insidentia, utplurimùm deorsum inflexa, binis aut ternis junctis, quæ alii adhuc caulículo inhærent, ex origine foliorum, prope ramusculos, oborto. Communissimè tamen unicus tantùm fructus emergit, reliquis flosculis decidentibus. Rarissimè bini aut terni sibi juncti observantur, aliàs arbor omnes & singulos fructus sustinere non posset. Interiore capitulo in majorem magnitudinem increscente flosculus dissilit & dehiscit, postquam nucum castanearum colorem nactus erat. Nono post florescentiam mense fructus matureſcit, eoque non obstante ter annuatim decerpitur, ut paulò post dicetur: quod exinde accidit, quoniam flores successivè & non unâ vice proveniunt & virescunt.

FRUCTUS pedunculis longis insidet, qui propendendo omnes ramusculos suâ gravitate deorsum versus deprimit. Figuram is & magnitudinem Mali Persici nanciscitur, retrò quodammodo acuminati, instar pyri, à principio pedunculi circumcirca sulco quodam in duas partes distincti (qualem Mala Persica in latere habent) in parte anteriori apice minore exornati. *Vid. Fig. 9. Tab. III.* Pellicula exterior primum pallidè-viridis, & quando maturus est fructus, quodammodò rubicunda est, instar Mali Persici maturi. Abhinc rima vel sulcus intermedius dehiscit & nucleum inclusum ostentat, elegantissimô colore rubro & qs. kermesino, ut in *Fig. 5. Tab. III.* observare licet. Quodsi hac sub constitutione fructus per duos adhuc aut tres dies arbori inhæreat, nucleus sponte suâ excidit, & si in terrâ relinquitur, facilè à vermibus corroditur & corrumpitur, ob copiosam pinguedinem & oleaginositatem in nuce contentam: id quod frequentius tempore pluviosô accidit. Quid quod in fructibus arbori adhuc inhærentibus in cortice exteriore curti sed crassi vermiculi generentur, qui macerem exedunt.

CORTEX seu PELLICULA EXTERIOR crassitie eâdem gaudet ac Malum Persicum, substantiâ tamen duriore prædita, succo seroso scatens, & ob saporem austerum & adstringentem esui minus inserviens. Sub hâc pelliculâ s. cortice nucleus reconditur, unde primùm macis, rubedine kermesina superbiens, obtinetur, quæ corticem duriorem instar retis aut fasciæ cingit, ita tamen ut hinc inde dictus modò cortex elucescat, ut omnia è *Fig. 4. 6. 8. 10. Tab. III.* ad oculum apparent. Macis hæc in summitate prope pedunculum amplior & latior est, ubi diutius quoque albescit, in parte anteriore autem quodammodò acuminatur, ubi fasciolæ sibi mutuo intertextæ sunt.

MACIS cortici nigro tam firmiter adhæret, ut quædam illic vestigia efformet.

CORTEX NIGRICANS crassitie nuces avellanas æmulatur, duritie tamen illis cedens, cùm facilè confringi & in frusta comprimi possit.

Sub hoc demum nucleus genuinus, quem Nucem Moschatam dicimus, reconditur, ita tamen, ut interiori corticis superficiei non adhæreat, sed circumcirca ab eô separatus sit, & quùm exsiccatus quodammodò corrugascat, hinc concussa & commotâ nuce strepitum & crepitum edit.

Ipsa NUX, quæ satis cognita est, in alterâ extremitate (quæ posterior ejus pars est) quodammodò compressa & sessilis, circumcirca quoque aliquantulum rugosa, duplicis formæ est, ita ut quædam oblongæ, aliæ autem rotundæ, utræque tamen bonæ sint. Acu pertusæ oleum plorant, quô non apparente, indicio nobis est nucem, ceu obsoletam, invalidam esse.

Antiquis hoc aromatis genus prorsus incognitum fuit & quantum constat, Medicus Arabs, Avicenna (qui anno 1160. præterpropter vixit) ejus primam mentionem fecit, ut adeoque longè post caryophyllorum aromaticorum inventionem australi mundo innotuerit. Arabicè illi *Gianz band*, quod alii per Ghausialband exprimunt, dicitur, quasi nuces de Banda diceret. It. *Gjenzo hibi*, h. e. nuces aromaticæ. Vocatur & *Gjanz Bovva*, vel ut alii scribere audent, *Gianz bovva*, cujus vocis origo Persica est & nucem fragrantem denotat. Latinè hodie *Nux Myristica*, *Moschata*, Moschocarion, Moschoridion à musco dicitur, non quod hunc redoleant, sed juxta vulgarem loquendi modum, quô plebs omnes fragrantes fructus moschatos vocat, ut uvæ & pyra moschatellina testari possunt. Non aliam ob causam recentiores Græci eandem

nucem Myriſticam, h. e. Unguentariam, vocârunt, non, quod unguentum inde conficiatur, ſed quoniam odorem unguentorum fragrantium, ſeu balſamorum ſpirat. In Decaniâ ſeu Jndiâ Veteri *Japatri* vocatur: Luſitanis *Noce de ſpecia*, Belgis *note-muſcaten*, aut ſimpliciter *note* audiens. In Banda & ab omnibus Malaijanis *Pala*, in Ternata *Gehora* & Sinice *Lauhau* nominatur. Reticulum rubicundum, cortici ligneo incumbens, Latinè *Macis* audit, quæ à Græcorum *Macere* (quæ arbor eſt diſtinctiſſima & in Veteri Indiâ ſub nomine *Major* ſatis cognita, à Luſitanis verò arbore de las-camas, h. e. arbor Meliſſæ rubræ dicta eſt) probè diſtinguenda eſt: Vox hæc *Macis* á vocabulo Javanicó *Maſſa* derivari videtur, quô nomine Luſitanis in hodiernum diem adhuc venit. Noſtró tempore linguâ Malaijanâ *bonga* pala, Sinicè Lahau hoæ, Belgicè *foly* & Germanicè *Muſcaten-Blumen* dicitur. Arabes *Besbaſe* & corruptâ voce *Besbaſe Bisbele*, *Besbona &c.* vocant. In Decania nomine *Iaiſol* venit, quod florem è Javâ notat, quoniam aſtutiſſimi Javani ſimplicioribus perſuadere ſatagunt fructus quosdam eſſe in regione illorum provenientes.

GENUINA NUX MOSCHATA unius tantum generis eſt, ſed, uti dictum, duplicem figuram habet, quum altera arbos ſpecies oblongas, altera autem rotundas nuces ferat, quam differentiam etiam in foliis arboris dignoſcere poſſumus, dum una folia oblonga, altera autem breviora & rotundiora habeat. Utraque aromatica ſunt & iisdem viribus gaudent, è quibus FOEMELLA pro genuina arbore nucis moſchatæ habetur: præter quam adhuc genus peculiare datur, quod MAREM vocant & trunco breviori, ſed complexu foliorum rotundiori gaudet, de cætero verò communi ſimile eſt. Hoc pluribus foliis, ſed paucis, utut majoribus, fructibus exornatur, qui utplurimum duplicati ſeu gemini apparent. Raro inveniuntur & nil aliud, quam monſtra arborum vulgarium eſſe videatur. In Bandá *Bala Bòy* & paulò intimius *Nova* vocantur.

Præter duas haſce ſpecies Nux aromatica adhuc alia quædam MONSTRA exhibet, quæ tamen peculiarem ſpeciem non conſtituunt, v. g.

I. PALA BACAMBER ſeu NUCEM GEMELLAM, in Bandâ *Pala-kene-kene* dictam, cujus fructus externè duplici ſulco donati ſunt, decuſſatim poſito, alioquin verò communibus ſimiles, aut paulò majores ſunt, in cujus medietate Pala Bacamber reconditur. Intus duo nuclei ſibi juncti ſunt quorum unusquisque ſua macè inſtructus & peculiari quoque cortice ſeu pellecinctus eſt. Altero, quô ſe mutuo tangunt, latere compreſſi ſunt & inter utrumque craſſior adhuc macis latitat ſicque conſequenter nuces internè ſemi-rotundæ ſunt. Nullam præ aliis virtutem aut prærogativam obtinent, indeque aut nucibus vulgaribus permiſcentur, aut raritatis cauſâ aſſervantur. Magna hic ſuperſtitio ſubeſt, dum gemellos generare putantur, ſi mulier imprægnata iis in cibis utatur.

II. PALA PENTSJURI, h. e. Nuces furtivæ. Hæ cortice ligneſo deſtitutæ ſunt, aut eodem in parte quadam tantum cinguntur, macisque nudis nucibus, figurâ non exactè rotunda, ſed quodammodo declivi & callosâ incumbit. Monſtra ſunt valde nociva, ſiquidem omnes omnino nuces, quibus junguntur & miſcentur comminuere & corrumpere valent, cum prima corrumpantur & reliqua inficiant; quapropter ſollicitè eligenda ſunt, ne aliis miſceantur. Sunt qui ob uſus Medicos nuces has curiosè aſſervant, perhibentes easdem calculos in corpore humano comminuere, cujus rei nullum adhuc periculum feci.

III. PALA ZADZJA, h. e. *Nucula Macifera*, fructus intuitu reliquis ſimiles ſunt, ſed loco nuclei interioris nuculam minimam habent, mace craſſiſſimâ cinctam, ita ut quandoque nucula illic inveniatur vix grano piperis major, cujus tamen macis ingentem maſſam efficit, quæ dura, ponderoſa & durabilis eſt. Hæc ipſa macis, non exemto nucleo, aliæ miſcetur. Quoniam verò macis hæc elegantior & durabilior eſt alia vulgari, hinc curioſi aliquid de eâ ſibi aſſervare ſolent, idque non tam raritatis quam uſus Medici gratiâ.

IV. PALA HOLANDA aut PALA PUTI à vulgari nequicquam differt, niſi quod pallidiori aut candidiori macere gaudeat, quæ tamen exſiccata flaveſcit & aromatica eſt. Quoniam verò alias maceris ſpecies viliores reddit, hinc rejicitur & ſpeciatim ponderatur. Paucæ quoque arbores reperiuntur, quarum macis pallido-flavè punctata ſe trudit, eaque de causâ *Kackerlack* dicitur. Reliquæ arbores macere pallido rubró cortice gaudente ſunt ornatæ, quam *Pala Caſſomba* vocant.

V. PALA DOMINE illæ ſunt nuces, quarum medietas tantum macere eſt cincta ſicque vitram Prædicatorum ſeu Miniſtrorum verbi divini referunt, quos Batavi *Domine* vocant. Hæc parum æſtimantur, quum macis integra inde ſeparari non poſſit & quoniam pauci inde flores obſervantur.

Præter genuinam & hactenus deſcripram nucem moſchatam quinque vel ſex etiam NUCEM SYLVESTRIUM ſpecies, cum primis hic in Amboinâ, reperiuntur, quæ omnes PALALA vocantur, inter quas Nuces moſchatæ mares magis cognitæ ſunt, de quibus infra.

De NUCIBUS MOSCHATIS MALABARICIS (quæ ſapore aromatico deſtitutæ & in TAB. IV. depictæ ſunt) vid. Hortus Malabaricus.

Genuina Arbor Nucum Moſchatarum per integrum annum fructibus minus deſtituitur, ſive jam juvenculi, ſive ſemimaturi, ſive perfecti ſint,


Tab: IV
Nuces Moschatæ
Malabaricæ
Nux dissecta
F



ſint, perinde eſt : quamvis id non in omnibus arboribus conſpiciatur. Interim quilibet annus tribus diſtinguitur temporibus, quibus nuces maturæ colliguntur.

MAXIMA illarum MESSIS mediâ tempeſtate pluviosâ, ſcil. in fine Julii, aut & menſe Auguſto, quô arbores fructibus abundant, inſtituitur, ſed macis tunc tenuior, quàm in minori, menſis ſcil. Novembris, conſpicitur, quam *Muſon Mette-key aru* vocant & tantum appendiculam præcedentis meſſis vocare ſolent. Tertia meſſis ſ. Muſon in menſem Martium incidit, vel & in principium Aprilis, quam *Muſon ule*, à quibusdam vermiculis viridibus, in Amboina Wauwo & Muliatto dictis & in Oceano fluctitantibus, vocare ſolent, unde bonum Arſiaar formatur. Hoc anni tempus optimas nuces & craſſiorem macerem ſuppeditat, quoniam arbores tunc tantâ fructuum quantitate non gravantur, nec pluviæ adeò copioſæ depluunt : cùm econtrà menſe Julio & Auguſto pluviæ majores ſint ventique vehementiores obſerventur, quibus haud pauci fructus ab arboribus decutiuntur & præmaturè decidunt, qui tamen nihilo ſecius colliguntur & datâ operâ conſervantur. Hi enim ſunt, quos noſtrates *Rapen* vocant, quorum macis, pariter collecta, communi vilior eſt. Nuces ſunt minores, calloſæ & rugoſæ, quas rompos (*Rompen oder Rümpffe*) nominant.

Genuina MESSIS ita inſtituitur : Nucibus ad maturitatem (cujus indicium eſt, ſi pellis exterior, tunicæ maturorum pomorum perſicorum inſtar, colorem ruffeſcentem nanciſcitur & ipſe fructus in arboribus hinc inde dehiſcit) pervenientibus Incolæ arbores conſcendunt, nucesque, hamulis longioribus ramulos attrahendo, decerpunt; id quod minori cum periculo contingit, quàm in arboribus caryophylliferis Ambonenſibus, dum arbos nucum moſcharatarum ramos longè denſiores habet, quibus rutius inſiſtunt, plurimisque ramis obſita eſt, qui commodè attrahi poſſunt.

Decerptæ aut detruſæ nuces moſchatæ ſub arbore in terrâ relinquuntur, quæ tam ſollicitè tantaque puritate non colliguntur, ac caryophylli ſub arbore caryophyllifera. Interim coronâ, ex terrâ in formâ aggeris elevatâ, cingendæ ſunt, cumprimis in eo arborum latere, quô montibus declivibus inhærent, ne præcipites inde nuces deperdantur. Nuces hæ decerptæ à mancipiis ſtatim cultro aperiuntur & ab extimâ tunicâ liberantur, quam in ſylvis in acervos conjiciunt & putreſcere ſinunt : ubi novitii minusque experti, qui nuces maturas ab immaturis nondum diſtinguere poſſunt, ſub apertione nucum ſe facilè lædere ſolent, ſi cultrum per nuces adhuc immaturas, quas pro maturis habent, figendo in proprias manus urgent.

NUCES ita DEPURATAS domum ferunt, & cultello macerem ſtatim deglubunt, quæ, ſi poſſibile, integra relinquenda eſt. Huic negotio mancipia deſtinata ſunt, in eoque ſic exercitata, ut citiſſimè id efficere valeant. Macis hæc, inſtar ſanguinis rubicunda, per aliquot dies in Sole exſiccatur, poſtquam areis quibusdam & muris quadratis, altarium inſtar efformatis, impoſita fuerat, ubi colorem ſuum kermeſinum exuit, primùm obſcurè-rubicunda & ultimò in faecis colorem intenſè flavum, aut aurantiis ſimilem, quô nobis offertur, nanciſcitur. Nuces autem cortice ſuo duro lignoſô adhuc cinctas, antehâc per aliquot ſeptimanas pavimento, aſſeribus, ex arundinibus fiſſis conſtantibus, munito & parra parre dicto, commiſſas in Sole exſiccabant, quod ſuccedentibus temporibus, tanquam minus commodum, omiſſum fuit, dum, ſi nuces calore Solis diſſilire incipiunt & in pavimentis his relinquuntur, ros nocturnus per fiſſuras penetrat easque quamfacilimè corrumpit; quapropter alii cautius agunt, qui nuces ſuas, quamprimùm macis ſeparata eſt, ultra tres dies exſiccationi Solis non committunt, ſed noctu domi recondunt, vel primum in Parra-parre quodammodo ⊙ ſiccatas noctu in certis domunculis, ſub tecto, per ſubſtratum ignem, cujus fumus nuces penetrare debet, ulterius exſiccant. Quodſi jam per 4. hebdomadas fumum ſint expertæ, removentur, fuſtibus tunduntur, aut ſaxo graviori obvolvuntur, ut cortex lignoſus in fruſta diſſiliat. Sin autem nuces quædam per verbera hæc & agitationem ſimul confringantur, per ſimiles fuſtigationes & circumvolutiones ulterius comminuuntur, ut eò facilius à bonis diſtingui poſſint : quemadmodum & ipſi rompi tunc primum deteguntur, utpote qui antea dignoſci non poterant.

Depuratæ ſic nuces moſchatæ abhinc manibus ſeliguntur & in tres acervos diſpeſcuntur, quod GARBULARE (*Garbuleeren*) vocant. Ad primum acervum majores & elegantiores, quas in Europam devehunt, ſeponuntur. Media ſpecies è ſecundo acervô utplurimùm hîc in Indiâ manet. Tertius denique acervus ſupradictos rompos capit, qui minus elegantes, attamen duri, oleaginoſi & durabiles ſunt. Maximâ ex parte ad oleum inde exprimendum adhibentur, pauci verò aut nulli aliorſum ablegantur. Ab aliquot jam annis tantâ in copiâ fuerevêrunt, ut Illuſtr. Societas vel dimidio illos pretio coemere, in inſanos acervos conjicere & cremare jufſerit : aliâs verò poſſeſſores ipſimet ad eos comburendos & excitato inde igne (qui luculentus admodum eſt & ſumme calefacit) cibos coquendos tenentur.

SELECTÆ ſic NUCES Moſchatæ ſtatim librari, nec à Mercatore, qui easdem ſuſcipit, ultra 8. dies in promptuario mercium absque calce relinqui debent, cùm ſine hâc facilè corrumpantur, cumprimis, ſi in humidis & obſcuris locis aſſerventur, aut in nudo pavimento relinquantur.

CALCE autem ſic INFICIUNTUR & qs. condiuntur : è calce depuratâ & per cribrum trajectâ

trajectâ aqua calcis vivæ ſpiſſiuſcula conficitur, quâ ad dealbandos parietes uruntur, idque in mactrâ majori, in quam nuces corbibus minoribus bis vel ter infunduntur, ut aqua calcis vivæ omnes attingat, quas abhinc in domô calcariâ in cumulum conjiciunt. Calx adhærens enim nuces â putredine & mucore conſervat, nec his ullam qualitatem noxiam affricat, quoniam è mollibus & candicantibus lapidibus corallinis Oceani, qui exiguâ acrimoniâ ſcatent, calcinatur, unde & quotidie illam ſub comeſtione Pinang adhibent. Quandoque evenit, ut, ſi nuces calce infectæ in loco anguſto & occluſo jacentes inter ſe exardeſcant, & ſi vel minimæ ignis ſcintillula in easdem cadat, vehementer fument & penetrantem odorem ſpirent: quapropter in navigiis illis, quibus avehuntur, opercula non omninò comprimenda & plus juſto occludenda ſunt, ut ab aere ventilari poſſint; licet in navibus tantum periculum non immineat, quum ſub illarum ſeparatione & diſtributione maxima pars calcis decidat, quæ ob pulverem inde ortum tamen oculis & reſpirationi incommodat, adeò, uti ii, qui nuces auferunt & aliorſum deportant, haud rarò periculum ſuffocationis incidant.

MACIS EXSICCATA diu quoque in pavimento reliquenda non eſt, ſed quamprimum libram ſuperavit, ſaccis ingentibus ſtramineis, quos Sokkels nominant, immittitur, qui longitudinem V. pedum & latitudinem ſesqui pedis habent & è certis oblongisque foliis, Kokojo dictis, contexuntur, cum folia hæc in montibus Bandanenſibus, (utut non ſine curâ hominum, ramuſculos plantarum, poſt foliorum meſſem, pedibus in terram conculcantium & quaſi implantantium) copioſiſſimè inveniantur. Antequam verò macis dictis modò ſaccis immittatur, aquæ ſalinæ modicô prius conſpergenda eſt, ſumendo ad unumquemvis ſaccum 2. cantharos aquæ, quod impedit, ne macis comminuatur & oleaginoſitatem retineat. Macis hæc arctè inculcatur &, quam fieri potuerit, compactiſſimè comprimitur, priusquam Sokkels ſive ſaccus futurâ claudatur, in quo margo quidam relinquitur, cui pondus in ſacco contentum aſſignatur, quod plerunque netto 28. Catienos Bandaſicos (qui 161. ℔. Belgicas adæquant) habet: in quibus ſacculis ſeu Sokkels in Europam usque deportari ſolet.

Aliâs arbor nucis moſchatæ latius ſe extendit, quàm arbor caryophyllorum, per universam ſcilicet regionem Moluccanam. Interim genuina ejus SEDES eſt provincia Banda, quæ è VI. Inſulis minoribus conſtat, ſcilicet Nera, Lontar, Gunongapi, Pulo-ay, Puloton & Roſſingeyn: e quibus tres tantum, ſcilicet Nera, Lontar (aliâs ſuperior tractus dicta) & Puloay dictis arboribus ſuperbiunt. Nonnullæ quidem arbores in Ambonâ quoque & Inſulis circumſitis Uliaſſerenſibus inveniuntur, aſt illic neutiquam excoluntur, ſed incolæ civesque paucos inde proficiſcentes fructus loco medicamenti, aut interdum quoque condimenti in cibis adhibent; quod ipſum ferè conjecturæ locum dat, inter Incolas Bandæ & hanc provinciam dudum pactum quoddam intercedere, ne ſc. Bandanenſes caryophyllorum, nec Ambonenſes Nucum Moſchatarum mercaturæ ſe miſcerent, non ſine causâ perhibentes Deum T. O. M. cuilibet Inſulæ reditus ſuos & peculiaria dona tribuiſſe, quibus contenta ſit, oportet. In Kelan, Ceram & 2. Inſulis Orientalibus Nila, Damne, Seru, Kouwer & Kuſuwuny antehac nonnullæ quoque arbores obſervatæ fuerunt, ſed maximâ ex parte, partim jure belli, partim & per voluntarios contractus, cum incolis eradicatæ ſunt. In ſylvis Seranii Minoris aliquot ante annos arbores inventæ fuerunt, quæ magnas ponderoſasque nuces tulerunt, aſt notabile diſcrimen inter illas & Bandanenſes obſervari poterat, dum nuces Seranenſes æque ac macis illarum ſaporem longè ſylveſtriorem habebant, ita quidem, ut credibile ſit arbores illas tractu temporis ſylveſtres, prorſus evaſuras eſſe, quod clariſſimo è foliis, hortenſibus longè majoribus, elucefcit. Quò longius igitur è Bandanenſi tractu abit arbor hæc, eô paucioribus & vilioribus nucibus gaudet. In Ceilon quoque ſpecies quædam Nucum Moſchatarum reperitur, ſed illæ nunquam non parvæ remanent, nec unquam ad perfectam maturitatem perveniunt, ſylveſtris potius, quam genuini arboris nucum moſchatarum generis.

Nuces Neraſienſes maximæ & elegantiſſimæ ſunt. Pulcherrimæ verò nucum moſchatarum in Pulo-ay occurrunt, quæ Inſula ultra 2000. paſſus non complectitur, plana tamen & ubivis arboribus nucum moſchatarum conſita, quibus hinc inde aliæ quoque arbores interpoſitæ ſunt, quod & viſu jucundum & permeatu haud ingratum eſt, omnibus arboribus ita cultis, ut univerſa Inſula unicus hortus videatur eſſe, qui ad ripas maris collibus exiguis & fruticibus ſylveſtribus circundatur, qui utrobique ventis marinis rigidioribus, ab arboribus nucum moſchatarum avertendis, opponuntur. Inſula hæc magno quidem aquæ dulcis defectu laborat, attamen plures illîc cives & hortorum poſſeſſores habitant, qui tantum, quantum ils neceſſarium eſt, è ciſternis hauriunt; ut adeoque Inſula Pulo-ay tertiam ferè partem ejus, quô Mundus indiget, ſuppeditare valeat: unde & noſtro tempore rompi optimi è Banda evehuntur.

In Lontar plurima quidem pometa ſunt: aſt quoniam hæc Inſula montoſa admodum & altiſſima eſt, hinc arbores illîc difficilimè conſcenduntur, nucesque ægrè colliguntur, quum arbores præcipitiis montium adhæreant & nuces magno cum labore colligendæ ſint, ob planitierum ſcilicet paucitatem; & licet arbores nonnullæ in ſummitate montium ſuccreſcant,

paucos

paucos tamen, ob intenſum frigus, edunt fructus.

Sylvæ hæ nucum moſchatarum noſtris diebus à veteribus colonis & incolis non amplius poſſidentur, quoniam illi ipſi, ob multiplicia homicidia in nationem Belgicam commiſſa, & cumprimis in Summo navium Præfecto (vulgò Admiral) Rietero Willemſen perpetratam crudelitatem, inde depulſi, totaque regio anno 1621. à Capitaneo Generali Jano Peterſeno Cod armis ſubacta & provinciis Belgii fœderati adjecta fuit, quo tempore pometa & arboreta inter Belgas & Meſtiſicos cives diſtributa fuerunt, qui inſignem mancipiorum numerum, 40. v. g. aut 50. illic alere tenentur. Horti majores 80. ad 100. eorum exigunt. Illi qui nullos hortos poſſident, nullum quoque mancipium antehac ad ſylvas ablegare poterant, ut nuces delapſas colligerent. Quoniam verò arbores hæ per totius anni curſum fructus ferunt, qui non ſimul & unâ vice, ut caryophylli, ſed ſucceſſivè matureſcunt, & cùm hortorum poſſeſſores indies illorum curam habere non poſſint, facile contingeret, ut maturi & ſponte ſuâ decidentes in terrâ corrumperentur; hinc ejus evitandi gratiâ permiſſum fuit, ut unicuique fructus deciduos colligere liceret, quùm nuces ob maturitatem decidentes elegantiſſimæ & majores ſint, maximaque cingantur mace. Quid quod venti pluviæque vehementiores plures etiam nuces decutiant, unde rompi oriuntur, quorum macis etiam laudabilis eſt, cujus intuitu illorum collectio olim cuilibet quoque permiſſa erat, noſtris verò temporibus non item, quoniam hortorum poſſeſſores conqueſti fuerunt, romporum collectores (quos Belgæ Rapers vocant) extra circulum ſuum divagatos in raptores abiiſſe, ſicque unusquisque hortum ſuum propriis mancipiis cuſtodire tenetur. Quamvis autem Inſulæ Bandanenſes, ſuâ Naturâ inſalubres, aquarum penuriâ teneantur, aliis quoque defectibus ſubjecti ſint, & collectione nucum, cumprimis in illis arboretis, quæ in excelſis & præcipitibus Inſulæ Lontar improbos non tantum labores ſubire cogantur, ſed & frigoris aliorumque incommodorum intuitu mancipiorum ſuorum jacturam ferant: attamen Poſſeſſores & Proprietarii iisdem optimè ſe ſuſtentant, non obſtantibus præciſis quibusdam & exactè requiſitis in depuratione hujus aromatis obſervandis, fixoque pretio, quò Illuſtri Societati nuces ſunt cedendæ, ita ut Catti Banda (5¼ lb. Hollandicas habens) pro Schellingio, & tantum macis pro Reali ſeu thalero veneat.

Antehâc credebatur nuces moſchatas curâ & ſedulitate humanâ non facilè transplantari aut propagari poſſe, idque nonniſi adminiculo columbarum quarundam cœrulearum ſylveſtrium (quæ Bandanenſibus Talor, Malaijanis Bodrong Pala, Noſtratibus Noot-eters, & Germanis Nuſs-Freſſer, h. e. Nucivoræ ſ. Caryophagæ dicuntur) fieri, utpote quæ nuces tunicæ exteriori exemtas & integras deglutiunt, earumque macim tantum conſumunt, nucem verò integram & cortici lignoſo adhuc involutam per alvum rejiciunt, quæ in ſylvas & fruticeta decidens novis arbuſculis generandis occaſionem ſuppeditant: cùm econtra nuces moſchatæ maturæ, ab hominibus in ſylvas, hortos aut optimum & pinguiſſimum ſolum plantatæ, nullas plantas truderent, quùm nux ad maturitatem deducta & in ſolô aliquamdiu relicta facilè à vermibus corrodatur & omninò corrumpatur. Succeſſivis autem temporibus, circa annum 1662. nuces ſemi-maturas plantare incipiebant, *multa puti* dictas, in quibus macis nondum rubra apparebat: id quod optimè ſuccеſſit, dum arbuſculæ elegantiſſimæ inde propullulabant, quæ pro lubitu transplantari poterant. Hæ arbuſculæ 5. vel 6. anno jam fructiferæ ſunt, ſed nunquam non in denſis fruticetis aut umbra aliarum arborum plantari debent, cum ☉ non perferant, ita quidem, ut ſi locus illarum circumcirca complanetur & denuderur, quam facilimè emoriantur. Quid quod arbores vetuſtæ inter alias arbores lætius ſuccreſcant, quas & ſylveſtres quædam arbores non tantùm in eô, quô mare reſpiciunt, latere, ſed & in ſummitate montium quoad totam peripheriam cingere debent, ne à ventis aſperioribus incommodentur, qui illis valdè nocent. Hâc de causâ in Bandâ non facilè ſuccidere ſolent arbores ſylveſtres, niſi denſæ & confertæ nimis arbores nuciferas operiant, quô caſu quædam cædi poſſunt, ut arbores nucum moſchatarum eò melius ventilentur, quæ ſibi invicem tam proximè jungi non debent, ut ſe mutuò tangere valeant, cùm ſic paucos fructus ferant & ſeribus tarioribus, inſtar ſudium, proveniant, ut in hortis Lontarenſibus obſervare licet. Exciſio verò & eradicatio arborum Salutario ſylvarumque cuſtodi relinquitur, ſine cujus arbitrio & permiſſione ne unica quidem arbos turò & impunè cædi poteſt. In Amboinâ hinc inde juxta domicilia quoque arbuſculam unam vel alteram plantarunt, à quibus tamen pauci fructus ſperari poſſunt facileque emoriuntur, quùm à radiis Solaribus nimis feriantur, nec lætè ſucreſcant, ſi extra fruticeta denſiora propullulent.

Uſum quod concernit, idem hîc, quod de caryophyllis diximus, obtinet, quòd ſcil. Europæis aliisque regionibus frigidioribus, cumprimis Germanicæ nationis, magis inſerviant, quàm Indis. Quapropter de viribus & qualitatibus illarum hîc prolixè & verbosè non agemus, ſed tantum uſus magis famoſos atque cognitos enumerabimus. Sunt equidem qui Nuces Moſchatas Mares efficaciores & à Javanis pluris æſtimatas eſſe cenſent, quam fœmellas, quod ipſum, ſi per Mares oblongas & majores nuces intellexerint, facilè indulgere poſſumus. Interim jam ſuprà diximus, quod omnes Nuces Myriſticæ

pro fœmellis habeantur: undè neceſſariò id de Nucibus Maribus Sylveſtribus ſtatuent, in quô ipsô tamen fallunt & falluntur admodum. Quando enim Javani & Malaijani antehâc à Bandanenſibus manipulos aliquot nucum moſchatarum marium deſiderabant, id neutiquam expetebant, acſi easdem meliores & efficaciores putarent, ſed ut medicamentum aliquod, cui vulgares minus commodæ erant, inde efficerent.

Genuinæ Nuces Moſchatæ intus aſſumptæ omnes dolores & tormina abdominis ſopiunt, quæ à frigore & flatibus in ventriculo, inteſtinis & utero generantur: confortant & calefaciunt ventriculum frigidum, ejusque digeſtionem promovent, ſiſtunt vomitum & ſingultum & ſi Nuces Moſchatæ in pulverem comminuantur, cum *Bakelale* miſceantur & in vino aſſumantur, urinam pellunt, ſtranguriam curant & anhelitum gratum procurare valent. Colicam quoque & cardialgiam refrænant, deobſtruunt hepar & lienem, ſi modò ſupradictô aſſumantur. Nux prope ignem quoque aſſatur & torretur, ac cum potu ordinariô aſſumitur, quô diarrhœa & dyſenteria curari poteſt. Medici Arabes hoc in caſu aliquid amphii admiſcent. Ex amici cujusdam relatione habeo, quod hoc, tanquam inſigne ſecretum, contra dyſenteriam à Nigrita Perſico obtinuerit, quod ſcilicet Nux Moſchata toſta, cum pauco amphio, quantitate cadiang, in hauſtu vini rubri, vel, in hujus defectu, in ovô ſorbili aſſumta, hîc infallibile ſit remedium. Apprimè etiam contra paſſionem hyſtericam, dolores renum & veſicæ facit. Imò ſunt, qui eandem oleo amygdalarum prius maceratam calculum expellere aſſerunt.

Econtra omnes illi ab uſu aromatis hujus abſtineant, qui durioris ſunt alvi, hæmorrhoidibus obnoxii ſunt, aut craſſum, fæculentum & aduſtum ſanguinem obtinent. Adjecto zingibere acuitur & confortatur. Quotidianus nucis hujus uſus, ob oleoſitatem, inviſcat ſtomachum caputque vaporibus denſis, unde lethargus oritur, aggravat. De muliere gravidâ referunt, quod ab eſu X. aut XII. Nucum fatua & mente caſſa reddita fuerit. Pro majori hujus confirmatione binas hîc hiſtorias annectam, quæ noſtris temporibus ſe truſerunt. Anno 1655. Germani quidam intinctum è cereviſia tenuiori & vinô paratum comedebant, cui nihil aliud, ut ipſi referebant, quam ſaccharum & 6. vel 8. nuces moſchatas, in raſurâ, injecerant, qui ſubſequenti die in tantam pectoris difficultatem incidebant, ut ſuffocatio immineret: os ſimul exſuccum, labia intumeſcentia ſibique agglutinata quaſi apparebant. Adhæc nonniſi ſummô cum labore reſpirabant, in capite tanta gravitate & tenebricoſitate correpti, ut memoriâ omninò privati viderentur: alvus dura erat & contumax, ita quidem, ut nonniſi multis laboribus & julepis homines illos ſalvare potuerint, quibus ſimul V. S. purgantia & ſimilia applicata ſunt. Alió tempore duo milites gregarii ſub arbore Nucis Moſchatæ in Manipâ per totius noctis decurſum dormiebant, quibus die inſequente caput adeò gravabatur, ut ebrii & & ſemiægroti viderentur. Similia exempla in Bandâ quoque obſervata ſunt, dum a. 1650. 2. Milites illic 5. ad 6. nuces ſtatim è manu devorarunt, qui exinde pariter infatuati & ſemidelirantes redditi fuerunt. Anno verò 1657. alia perſona in ſtrato ſuô mortua inveniebatur, cui præpoſita erat corbis nucibus moſchatis repleta, unde præſumebatur eandem quasdem fortè comediſſe & exinde in ſomnum perpetuum incidiſſe. Quanta damna & incommoda illi homines, qui aut domus inhabitant, aut navibus vehuntur, in quibus nuces calce impregnatæ deliteſcunt, experiri cogantur, jam ſuperius dictum fuit. Unde jam elucet arbores Nucum Moſchatarum in Indiâ plus detrimenti, quam commodi inferre; ut adeoque Creator Sapientiſſimus easdem potius pro Orbis parte Septentrionali creaſſe videatur, ubi oleoſitas illarum per frigoris adſtrictionem ita immutatur & corrigitur, ut non tantum durabiliores, ſed ſanitati convenientiores, imò & fragrantiores reddantur; quod itidem de caryophyllis poteſt aſſeri.

NUCES VIRIDES quoque CONDIUNTUR, & non tantum per univerſam Indiam, ſed & in Europam evehuntur. Hoc ita fieri ſolet: Nucibus jam fermè matureſcentibus, ſed nondum dehiſcentibus, condiendæ cautè ab arbore decerpuntur, ne in fruſta concidant & conquaſſentur. Abhinc decoquuntur in aquâ & ſubulâ perforantur, per 8. aut 10. dies in aquâ macerantur, donec auſterum & acerbum ſaporem exuant. Hoc facto in julepo, ex ſacchari & aquæ partibus æqualibus parato, plus minus coquuntur, prout aut molliores, aut duriores deſiderantur. Duras ſi deſideres, aliquid calcis injicitur. Hæc aqua ſaccharata indies decantanda, calefacienda & rurſus affundenda eſt, idque denuò per octiduum. Tandem adhuc unicâ vice coquendo ſyrupo ſpiſſiuſculo ex aqua infundendæ & in ollâ lapideâ probè obturatâ aſſervandæ ſunt. Hâc ratione incorruptæ in Europam usque deportari poſſunt. Coctionibus his tunica nucis colorem obſcurè rubeſcentem nanciſcitur, ſemipellucida & ſic tenera redditur, ut extimam pelliculam demere non opus habeamus, quin in 4. aut 6. partes diviſæ ſic comedi poſſunt. In conviviis plerumque cum aliis conditis & confectionibus pro ultimâ menſâ apponuntur & cum potu Thée cumprimis aſſumuntur. Si ad condiendum nuces moſchatæ antiquæ recipiuntur, pellicula exterior juſto durior eſt, quæ, ſi easdem comedere velimus, detrahenda eſt. Nucleus interior cum macè non comeditur, niſi quod nonnulli macem ſimul maſticent, reliquum autem abjiciant. Conditum hoc indies aſſumtum caput denſis vaporibus

bus repler & affectus ſoporoſos, ut ſupradictum, cauſatur, unde homines ſomnolenti, pigri & oblivioſi redduntur. Non minus ventriculi cruditates & putredines cauſantur & appetitum proſternunt. Quoniam verò negotium hoc multum ſacchari requirit, quò illi, qui Bandam & Moluccas Inſulas inhabitant, minus abundant: hinc Nuces Moſchatas integras & recentes in doliolis muriâ condiunt & in Bataviam novam transmittunt, ubi ſaccharum majori copiâ obtineri poteſt. Sinenſes, qui in Bataviâ habitant, compendioſiori & commodiori viâ procedunt. Recipiunt ſcil. Nuces ſalitas, aquæ recenti macerant, donec ſaporem ſalſum amittant: abhinc easdem ſimpliciter elixant in ſyrupo, ſæpiſſimè è nigro ſaccharo arboreo magis, quàm albo parato. Hæ uſui quotidiano inſerviunt, diu verò conſervari non poſſunt. Nuces autem muriâ conditæ in Europam usque deportantur incolumes. Porrò è corticibus, modo antedicto præparatis, Marmelada conficitur, quam ſcatulis quadratis infundunt, & in conviviis æque ac foro Medicò propinant. Cottices virides adhuc in Bandâ primum in aquâ decoquuntur, abhinc cum ▽. & vino condiuntur, qua ratione ſaporem penetrantem, inſtar malorum cotoneorum, habent. Iidem cortices virides parumper conquaſſati & muriâ permixti tenuioris conditionis hominibus condimenti, cum aliis cibis ſumendi, loco ad acuendum appetitum inſerviunt & cum potu Thée apponuntur. Hujus intuitu extra Bandam quoque arbores quædam tolerantur, & pro uſu quotidiano incolis indulgentur, hâc tamen conditione, ne quis iisdem negotietur, cùm edictò Magiſtratûs ſeveriſſimo prohibitum ſit, ſive conditas, ſive ſalitas nuces è regione illa deportare iisque mercaturam exercere; utut interdictione hujus condituræ ſuperſedere poſſent, cùm ob caritatem ſacchari nullum inde lucrum ſperare poſſint.

E corticibus Nucum Moſchatarum, quæ in ſylvis relinquuntur & putreſcunt, certa fungorum ſpecies ſubnaſcitur, quos BOLETOS MOSCHOCARYNOS vocant, Malaijanis *Kulat Pala* dicta. Hi fungi coloris intuitu obſcurè gryſei & nigricantes ſunt, ipſumque capitulum pedunculo craſſiori innititur, quod tamen ſe neutiquam dilatat, ut alii fungi, ſed utplurimum ſemi-clauſum manet. Capitulò hôc nondum penitus emergente optimi ſunt ad coquendum, & ſi cum jure laudabili præparentur, alimentum boni ſaporis ſuppeditant, quod in Bandâ magni penditur, cum omnibus aliis fungorum generibus anteponantur.

Aliàs in eadem Bandâ Columbas cœruleas Caryophagas aſſare ſolent, non exemtis interaneis, perhibendo, hæc, ob macim, quam digerunt, fragrantiſſima eſſe, cumprimis, ſi integras adhuc nuces cum mace in ventriculo habeant. Has, quantum me attinet, cupedias illis relinquo lubentiſſimè, pro ridicula ſuperſtitione habens macim ſemiconſumtam omnes alias putrilagines in ventriculo earum avium in aromata convertere, cum in maximâ columbarum ſylveſtrium parte ventriculum & inteſtina vermibus ſcatentia reperierim.

Quandoquidem Nuces Moſchatæ viliores, ſeu rumpi, ut dictum, ad negotiationem inhabiles ſint, hinc utplurimum ad EXPRESSIONEM OLEI adhibentur. Toſtæ ſcil. in catino contunduntur, abhinc de novò calefiunt ſaccisque è Rumi (quæ textura qs. naturalis piloſa eſt, in ſummitate arboris calappa inter ramos genita) factis inſertæ inter 2. aſſeres denſiores exprimuntur, ſicque *oleum* craſſius, imitat butyri liquati, obtinent, quod in formas tetragonas immittunt, in quibus ſtatim grumeſcendo indureſcit, colorem flaveſcentem, inſtar butyri majalis, quandoque & paulò pallidiorem, nanciſcens. Placentæ hæ manus longitudinem & 5. digitorum latitudinem habent, pollicem craſſitie æquantes, & pro uſu medicò tam per univerſam Indiam quàm Europam tranſportantur. Antehàc maximi æſtimabatur & nomine *Balſami Nucis Moſchatæ* veniebat: noſtris verò temporibus, ob inſignem ejus copiam, tanti amplius fieri non ſolet, utut privatis idem nec præparare nec divendere liceat, ſed quicquid inde paratur Illuſtri Societati offerri debeat.

Modo haud abſimili è contuſâ & calefactâ *Mace* quoque *Oleum* exprimitur, quod nunquam non colore ſanguineo gaudet & ſemper liquidum vel molliuſculum permanet. Manui inſtillatum ſanguini flaveſcenti ſimile apparet, ſaporem habens pinguem & quodammodò amarum, ut ipſa Macis, absque inſigni caliditate. Nec tanta Macis quantitas in hoc oleum inſumenda eſt, cum è 3. Cattis Bandaſicis Macis integer olei cantharus parari poſſit.

E Mace eodem quoque modo & iisdem inſtrumentis, quò Arak paratur, *oleum* clariſſimum *deſtillatur*, cujus prima pars, aquam ſtatim inſequens, pellucida, inſtar aquæ, apparet: media quodammodò flavior, inſtar vini Rhenani generoſi: ultima, ſi fortiter urgeatur, quodammodò ruffeſcens. Quoniam verò oleum hoc ob colorem albicantem ægrè ab aqua diſtinguitur & nonniſi cum ſummo labore ſeparatur, hinc interdum aliquid macis comminutæ recipienti immittitur, à qua colorem vini nanciſcitur, ſicque ab aqua facilius diſtingui & ſeparari poteſt. Utraque eiusdem qualitatis & virtutis ſunt, ſubtilis ſcil. & penetrantis, ita quidem, ut ſi urcei vel vitra, in quibus aſſervantur, non ſollicitè obturentur, magna inde quantitas exhalare poſſit. Sub hac autem deſtillatione ad unicum olei cantharum 10. Cattis Bandæ de Mace indigemus. Quodſi oleum hoc per

vas ſerpentinum intus ſtanno obductum deſtilletur, nobiliſſimum & ad uſum internum laudatiſſimum evadit. Quando autem per ſerpentes cupreos ſublimatur, empyreuma ſapit & caput gravat, cujus intuitu prius magis ſalubre & acceptum eſt. Oleum nuciſtæ expreſſum, quod balſamum vocant, Arabibus *Gieuzi-ſemen* dictum, haſce vires habere dicitur: Valet ſcil. ad omnes affectus frigidos nervorum & articulationum: Pectus & pulmones evacuat & ab impuritatibus liberat: Vocem claram efficit: aliis commixtum conceptionem promovet, ſemen virile adauget & hominem impinguat: Ventriculo & abdomini illitum ſiſtit vomitum & tormina à frigore oriunda: Maculas faciei exſtinguit & ſtranguriam ſedat. Ad eosdem affectus curandos inſervit quoque oleum macis, tam expreſſum, quam deſtillatum. Ii tamen, qui id internè ſumere ſatagunt, à cephalalgiâ ſint immunes, quam alioquin exacerbat. Sedimentum ſeu retrimentum olei in noſocomium mittunt, ut ægroti membra eò inungant.

Inter Nuces Moſchatas ſylveſtres, quarum V. fere ſpecies innotuêrunt, hac vice tantum

NUCES MOSCHATAS MARES,

quas Belgæ *Mannekes-Noten* vocant, conſiderabimus. Arbor earum externè quamexiguam cum genuinâ nucum moſchatarum arbore ſimilitudinem habet, trunco inſtructa excelſiori, foliorum complexu anguſtiori, paucis ramis inhærenti, quod viſui minus gratum eſt. Ipſa folia longè majora ſunt, ita ut quædam ſpithamam, quædam ſesquipedem longa ſint & ceu folia arboris Canariæ appareant, in parte anteriori tamen in latiorem ſeu rotundiorem formam exeuntia, curtò apice & quamplurimis fibris parallelis diſtincta, ſupra atro-viridia, in inferiore ſuperficie ex rubro gryſea ſine ſplendore, coſtis viridibus ita diſpoſitis, ut binæ ſemper è diametro ſibi ſint oppoſitæ. Maſticata ſaporem ſylveſtrem nucum moſchatarum haud obſcurè produnt.

Fructus hujus arboris non tam extimis ramuſculorum apicibus, ut genuinæ Nuces Moſchatæ, quam potius origini foliorum, in averſa ramorum parte, adhærent, bini ſemper aut terni, brevibus & rotundis pedunculis gaudentes, rotundi, inſtar nucis communis, vid. *Tab. ad Lib. 2. Sect. V. Cap. 6. Fig. 1.* Quidam ſunt oblongi, quidam rotundi aut paululum impreſſi, extra tunicam exteriorem rubeſcentes & tangenti lanuginoſi apparentes, in lateribus craſſiores quam infra, in ſuperiori parte tenaciores & duriores, quam genuini. Nucleus interior ſeu ipſa nux duplicis eſt figuræ, utrobique tamen major quam genuina nux moſchata. Una ex illis oblonga, inſtar trunci, in utrâque extremitate quodammodò obtuſa eſt, altera rotunda, utraque verò rugoſa. Hæ nuces pariter in cortice lignoſò continentur, qui craſſior eſt, quam in communibus, nigricans aut obſcure gryſeus, extus mace aurei coloris circumdatus, è qua cortex emicat, qui illic parvis quaſi variolis obſitus & inſtar limæ aſper eſt. Macis hæc arida & exſiccata omninò palleſcit & ſaporem ingratum magis, quam aromaticum nanciſcitur. Nucleus intimus ſimilem cum genuinâ nuce moſchatâ ſubſtantiam habet, magis tamen ſylveſtrem, neque tam pinguem, elegantibus venulis nigricantibus perfuſam, aromaticam nonnihil, aſt ſapore ingratò infectam. Nux hæc facile à vermibus corroditur, & ſi aliis nucibus miſceatur easdem corrumpit, unde interdictum fuit ne iisdem miſceatur. Interim aliarum nucum moſchatarum vulgarium inſtar in fumò exſiccata durabilior eſt. Foliorum pauca integra in arboribus reperiuntur, quoniam maximâ ex parte à vermibus, etiam in arbore, corroduntur. Fructus immaturus inciſus lac candicans fundit, calcis inſtar exſiccans. Arbor inter nuces hortenſes non toleratur, cum easdem maciores reddere credatur. Hanc ob cauſam loca ſolitaria amat, in finibus ſylvarum & in montibus, ubi intemerata manet, non tam utilitatis gratiâ, ſed ut fructus exteris raritatis ergò donentur.

Nuces hæ Latinè *Nuces Myriſticæ Mares & Montanæ* audiunt, à Cluſio pro duplicibus habitæ, cum tamen ſimplices ſunt. In Bandâ *Pala Tubir*, h. e. Nuces Montanæ, & Malaijanis *Pala lubi-lubi* h. e. Nuces Maſculæ dicuntur. In Amboinâ *Pala-Utan & Palala* dicituntur, qs. Nuces avium annuarum, quum Aves hæ in Amboinâ ala nominentur, quibus Nuces Moſchatæ in deliciis ſunt. Incolis, ut dictum, nux nullius eſt uſus, niſi quod lignum arboris interdum ad exſtruenda domicilia adhibeant & fructus Exteris donarii loco offerant, cum non tantum Javani, ſed & Europæi illos inquirant. Javani quidem & Malaijani easdem pro medicamento contra cephalalgiam aliosque morbos, maximè verò ad confortandam virilitatem adhibent, de quâ Nigritæ admodum ſoliciti ſunt. Europæi in his magis ſuperſtitioſi ſunt, & philtra inde parant, quibus admiranda ſe præſtare poſſe exiſtimant: quæ omnia, riſu digna, operæ pretium non merentur.

Indi nonnulli experti ſunt Nuces Moſchatas Mares quoque contra dyſenteriam militare, ſi cum piſang ſemimaturis & toſtis aſſumantur, cumprimis ſi amphii granum addatur. Mulieres Bandanenſes contra ſyncopen & epilepſiam puerorum adhibent, quem in finem nuces has aſſervare ſolent. In Europâ de collo ſuſpenduntur, ad præcavendos varos.

De reliquis IV. ſpeciebus ne verbum hîc addemus, quoniam in Banda ſunt incognitæ & à figurâ genuinarum nucum moſchatarum valdè abludunt; hinc in Amboinâ trunci arborum ad fulcimenta tectorum & ligna ædilia leviora ſolum adhibentur.

FRA-

FRAGMENTA
EX
RELATIONE JURATA
ABRAHAMI BOUDENII
ET
GOERICKII HAUPTII, Commissariorum,
desuper
ARBORIBUS NUCUM MOSCHATARUM
earumque Viridariis in Bandâ,
de dato d. 20. Dec. A. 1682.
DN. PADBRUGGE exhibita.

An Horti Aromatarii ea, quâ decet, ratione constituti sint?

HOrtos aromatarios eò, quo debebant, statu non gaudere sub illorum visitatione invenimus. Ratio est, quod plurimæ arborum reperiantur, quæ exarescunt & pessum eunt; & quoniam de novarum plantatione non cogitatur, horti non possunt eò, quo debebant, modo constituti esse.

Nota. Arbores emortuæ & corruptæ è nudis & arefactis ramis cognosci possunt, dum in summitate primò omnium exarescunt, & abhinc pedetentim deorsum versus corrumpuntur, donec penitus emortuæ sint: in quarum locum aliæ plantari debebant. Quoniam verò tantum à X. vel XII. annis innotuit easdem plantari posse, & antehac putabatur arbores nucum moschatarum sponte sua naturaliter propagari: adhæc existimabatur Bandam plura aromata, quam universus Orbis absumere posset, suppeditare posse, hinc omnis illarum plantatio intermissa fuit.

Qua ratione horti aromatarii in integrum possint restitui?

Ad hortos hos in pristinum statum vindicandos plantatio & transplantatio arborum summè necessaria est; id quod à decem circiter annis tentatum & visum fuit, an eædem plantari & transplantari possint? & quoniam illud possibile observatum fuit, & simul apparuit Mundum plura, quam Illustris Societas hoc tempore colligit, aromata consumere posse: hinc Hortulani nunc tenentur, ut in loca desolata, in quibus arbores brevi perituræ sunt locatæ, novas arbusculas plantent, easque, quæ in locis minus commodis succrescunt, transplantent, sicque hortos in meliorem statum redigant: quò adminiculò nonnullæ ita virescunt, ut jamdum fructus proferre incipiant. Unde sequetur intra paucos annos Bandam aromatum copiam ultra tertiam partem aucturam & exhibituram esse.

An autem Societati hoc intersit? dubitari quis posset, cùm ex nostra opinione Banda jam plura suppeditet aromata, quàm universus Orbis consumere valet, & distractio aromatum non tam per illorum consumtionem, quam monopolium fieri soleat, idque hac de causâ, quòd auri nummorumque abundantia in causa sit, ut homines fere nesciant, quid iisdem efficere debeant. Ne igitur absque fœnore illos in arcâ recondant, aromatibus coemendis impenderunt, quæ nulli aut exiguæ corruptioni subjecta paratæ pecuniæ æquipollent, & si pecunia indigentes parcam illorum quantitatem venum exponunt, nummos suos statim recuperare possunt. Hoc in causa est, quòd aromata illa coemantur, & tamdiu asserventur, donec nummos elocatos, una cum honesto licitoque lucro, inde rursus haurire possint. Quam mercaturam ejusmodi personæ (pecuniam suam aliis mutuo dando minus periclitaturæ) eò libentius exercent, quoniam pecuniarum suarum certi semper possessores & arbitri manent. Quodsi verò aromatum abundantia nimiaque copia sequi debeat, hæc omnia postmodum cessarent.

Quale solum aut fundus sit, in quo arbores nucum moschatarum lætius succrescunt?

Solum arboribus his appropriatum & commodum in Banda universaliter & indiscriminatim se habet, dummodò idem per arbores umbriferas à nimio fervore defendatur & in naturali suo madore & temperie conservetur; similiter si minus naturali sua humiditate, per interpositionem sinapi, tabaci aut patatarum

orbetur : ſiquidem arbores nuciferæ his appoſitæ tantum non omnes exareſcunt, dum ipſa terra tunc omni pinguedine & virtute orbata nullum iis nutrimentum miniſtrat ; quod idem accidit, ſi ingentes & deſolatæ areæ à radiis Solaribus diu ita feriantur, ut terra viribus ſuis exhauriatur ſicque ad plantationem arborum nucis moſchatæ ineptæ reddatur, priusquam 1. ab arbore Piſang hujusque foliis ingentibus umbriferis magis humida & ſubfrigida reddatur: 2. hoc adminiculo quidem aptior reddatur, non tamen æquè conſervetur : ſed 3. loca illa prius arboribus Lingoo, Catappa-cajo, Titi Cajuvvam ita diſtinguantur, ut hæ 40. pedum diſtantia plantentur & quamprimum ſuccreſcant, & lætè vegetentur, arbores nucum moſchatarum ad 20. pedum intervallum interponantur, ne rami ſe mutuo tangant & premantur : & cuilibet arbori nuciferæ arbuſcula piſang præponatur, ut priorem à radiis Solaribus defendat & in temperie ſua conſervet.

Quale tempus in plantatione & transplantatione arborum nucis moſchatæ obſervari debeat?

Tempus plantandi atque transplantandi eſt tempeſtas pluvioſa, quæ ordinariè menſe Decembri ſuum capit initium & menſe Martio finitur ; licet nonnulli arbuſculas nucum myriſticarum diverſis aliis temporibus transplantari poſſe exiſtiment, ita ſcilicet : Arbuſculas 2. 3. aut 4. pedes altas tempore quoque fervidiori transplantari poſſe, dummodo circumcirca fovea relinquatur, quò aquæ ad radicis refrigerium neceſſaria illic ſtagnare &, dum pluit, ſemper putredinoſi quid influat, quod fertilitatem & alimentum arbuſcularum confortet, ſuaque unctuoſitate impediat ne humiditas tam cito evaneſcat & abſorbeatur. Arbuſculas verò 6. 7. aut 8. pedum altitudinem habentes nonniſi tempore pluvioſo, adeoque ab initio menſis Decembris ad principium Martii, transplantari poſſunt, neutiquam verò tardius, cum alioquin ramis ſuis inveſtiri & conſequenter oborto fervori ſiccisque & acribus ventis reſiſtere nequeant, ſed neceſſariò vegetando exareſcant & emoriantur ; ut adeoque optimum tempus ad illarum plantationem ſit pluvioſum ; quamvis non deſint, qui arbores nucum moſchatarum uno vel altero menſe ante tempus pluvioſum plantandas eſſe cenſent, hanc ejus cauſam & rationem dando, quod nux tempore pluvioſo terræ commiſſa nimium aquæ attrahat & abhinc ad corruptionem tendat, cum ex adverſò tempore calidiore facilius radices in terram agat & ſubſequente tempore pluvioſo eo promptius è terra pullulare poſſit.

Locus, cui arbores nuciferæ implantari, aut per transplantationem inſeri debent?

Locus, cui arbores hæ committi debent, ubivis æque commodus eſt, dummodo venti nimium exſiccantes & fervor radiorum Solarium, per interpoſitionem arborum umbroſarum (v. g. Calappa, Cajo Titi, Caja Wara aut Lingoo, ut ſupra dictum) arceantur ; quapropter, ad loca commoda efficienda, venti illi & radii Solaees, humiditatem abſumentes, probè reſpiciendi ſunt. Nonnulli hîc ulterius progredientes dicere ſuſtinent vallum circa littora maris excelſis foliisque refertiſſimis arboribus, tribus ſeriebus 49. pedibus diſtantibus, cingendum eſſe, quales ſunt arbores Catappas, Guritia, Gajam, Lovver, Hanibal, Panno, Burga, Tanjong, Dava Dirckboubu, Patahia & Capoc. Imo ulterius jubent, ut inter ingentes haſce arbores aliæ adhuc humili caudice gaudentes plantentur, quæ inſtar cataractæ ventos permeantes inclementiores, cum ardore Solari, disjiciant & declinent : quales ſunt arbores Perac Sinenſes, Cannæ quatiles, Indangbouba, Cimoni Nixis & Bidara Laut, quarum unaquævis 20. pedes ab aliis diſtare debet : quibus arbores nucum moſchatarum adhuc magis defendi & ab incommodis quibusve liberari poſſunt. Quales horti depreſſiores à litore maris verſus montes ad 15. perticarum diſtantiam extenduntur. Hoc in loco Mangas & Klappa arboribus nucis moſchatæ interponuntur : & ſi locus hic illis eſt repletus, ulterius verſus montes ad 15. perticarum intervallum progrediuntur, qui locus arboribus nuciferis (quibus, ut ſupradictum, arbores pinang alternatim interſeruntur) penitus repleri debet. Hoc facto pergitur ad ipſius montis altitudinem, ad apicem usque, qui ubivis arboribus nuciferis repletur, hinc inde ad 12. perticarum diſtantiam interponendo Canarios, Duriones, Torpattios, Cajo Lingoo, Caju Titi aliasque ingentes gravioresque fructus ferentes arbores. In ſummitate tandem montisque apice ſeruntur cannæ Indicæ majores (Bambuſen,) quæ è radice, quam pedem vocant, in diverſos caudices craſſiuſculos propullulando ſe expandunt, quæ aptæ natæ ſunt ad ventos exſiccantes arcendos, ſicque arbores nuciferas ab afflatibus nocivis & ardore Solari vehementiori defendendas.

Modus procedendi in plantatione & transplantatione ſolennis, & quam ſpeciem præ ſe ferat arbor ſuccreſcens?

Ratio modusque plantandi atque transplantandi conſiſtit in eô, ut iis in locis, quibus arbores nucum moſchatarum implantaturi ſunt, bacillos quosdam terræ infigant, ut exinde dignoſcant, quò nuces plantatæ & ad arbores gignendas defoſſæ fuerint, ne ſub graminis abſciſſione, qua arboreta atque horti depurantur, arbuſculæ recenter propullulantis caudiculus ſimul cum ipſo gramine demetatur. Adhæc iis in locis pariter faſciculus graminis relinqui debet, ut eô mediante radix arbuſculæ obtegatur

tur & refrigeretur. Abhinc ad latitudinem pedis in hoc, & rursus ad pedis latitudinem in altero caudicis latere apertura fit in terrâ, ut nux desuper cooperta jaceat. Alii profunditatem unius articuli in digito eligunt, ast nentiquam depressiorem, dum, si profundius ageretur, Sol & aër calidior nucem illic absconditam, à Solis humiditate (quæ ab initio exitium illi minatur) defendere non possent. Huic aperturæ partem crassiorem superiora versus, vel, ut alii volunt, nucem moschatam maturam absque mace transversim immittunt, terram effossam postmodum superimponendo. Nuces autem moschatæ maturæ è cortice lignoso, sub mace contento, dignoscuntur. Hic enim si nigricat, durus & minus carioſus est, nec etiam albicat, pro signo maturitatis habetur. Cavendum hic simul est, ne folia adjacentia locum illum, sub quo nux recondita est, tegant, quæ surculus arbusculæ è terra progerminans perforare teneretur, idque non sine detrimento aut jactura arbusculæ. Econtra videas alios, qui locum illum foliis deciduis, à proximis arboribus defluentibus, obtegere sicque à vehementia radiorum Solarium defendere malunt.

Nuce hac ratione sub ipsa terrâ defossâ & jam progerminaturâ è caudice ejus aut capite nucis germen erumpit, quod radicem & truncum arboris constituit.

Radix duplex est, scilicet fundamentalis & cardiaca quam vocant, & surculi collaterales. Prior satis est depressa, ut tantum humiditatis nanciscatur, quantum ad nutrimentum & humectationem arboris requiritur. Interim quo major & procerior evasura est arbor, eò liberius radix illa fundamentalis se diffundit, ad nutrimentum sufficiens imbibendum. Hæc radix quodammodò fibrosa est, & ne minimam quidem compressionem aut conquassationem perferre valet, alioquin arbor tristatur qs. & emoritur.

Surculi collaterales hujus arboris haud longe à trunco proveniunt, unde per terram erumpunt, pluresque ramusculos, qui pariter fibrosi sunt, de se spargunt, & ad 3. 4. & 5. pedum distantiam in transversum ab arbore se extendunt. Hos surculos nunquam sub tali crassitie (si arbor procera & annosa est) profundius sub arbore, quam 1. vel 2. pedibus à fundo è radice primaria propullulare videmus; & licet ii omnes conquassentur, nil sinistri exinde pertimescendum, cùm arbores suum exinde nutrimentum non obtineant.

Truncus, cum radice statim incrementum capiens, gracili admodum turione è solo prorumpit, ad dimidii pedis longitudinem, postquam se in parte superiore prius in 3. foliola, exilem admodum fibrillam in medio habentia, se explicuerat & aperuerat; ut adeoque foliola, ramusculi laterales & fibrillæ in medio truncum efficiant, qui successivè succrescit & in altum assurgens ramusculos suos in forma coronarum ejicit, usque ad perfectum incrementum. Ramusculi inferiores resecantur, quò sub ipsa arbore tantum spatii relinquatur, ut sub illa obambulare possint ramique terram minus attingant. Arbori enim crescenti & virideſcenti aër quoque apertus & Solis irradiatio quadantenus necessaria sunt.

Cor s. interior medulla hujus arboris nuciferæ è fungosa & porosa substantia est conflata, exigua tamen & coloris intuitu rubescente.

Pars arboris lignosa, sub cortice hærens, albicat, dura simul est & fibris longis gaudet, quarum intuitu facile admodum finditur.

Cortex exterior colore cinamomeo splendet, crassus satis & succulentus, adeò quidem, ut si cultro vulneretur, succus confertim effluat, qui obscure rubro terreò colore præditus est & saporem acrem, amarum & adstringentem habet. Gummi verò inde scaturiens ex fusco nigrescit, versus rubedinem qs. tendens, saporis itidem acris & adstringentis, sed absque odore. Igni si committatur, non fluit, sed corrugatur, durum quidem semper permanens, ita tamen ut nunquam accendi possit, nec ullum odorem de se spiret. Quin & aquæ injectum non dissolvitur, sed duritiem suam retinet.

Folia hujus arboris ovali figura gaudent, apice in fine acuto prædita. Margo æqualis, sine crenis aut incisuris apparet. Costa seu fibra, per longitudinem folii decurrens, in pedunculo incipiens finitur in apice folii. Costa hæc tam intra quam extra folium elevata est, in superficie interiori sæpe quodammodo cuspidata, è qua ipsum folium succrescit.

Fibræ s. costæ collaterales partim recto partim obliquo tramite decurrunt, & sub figura ovali è media costa per totum folium ad marginem se extendunt: numero quidem incerto, cùm in hoc folio plures, in alio pauciores numerentur. Folium hoc in superficie interiore adinstar graminis viride, in exteriore pallido virore gaudet. Adhæc glabrum & æquale est, rigidum, inter crassitiem & tenuitatem qs. medium obtinens.

Hæc omnia verò de genuina & optima nucum moschatarum arbore intelligenda sunt: præter quam adhuc duplex ejus genus reperitur, *Palabug* scil. & *Quen* dictum, quod lætius quidem succrescit, in folia etiam & flores se induit, nullos fere aut perpaucos fructus profert. Hæc arbos è folio, utpote omnium minimo, dignoscitur: præter quod nullum inter has postremas & genuinas arbores nucum moschatarum discrimen observatur.

Tertii generis arbor nuces moschatas mares producit, quæ nullum, nisi in Medicina, usum habent. Distinguitur ab aliis per folia, quæ triplo ferè longiora & latiora sunt, quàm

in

in arbore N. M. fructifera, & quadruplo longiora quam folia Palebug & arboris nucum moſchatarum minus feracis : quapropter ab Eruditis Botanicis quoque palmis accenſetur. Adhæc folium arboris nucum moſchatarum marium extus cinereo colore, verſus ruffum quodammodò tendente, gaudet : fructûs cortex exterior ſubviridis & fibroſus intuitu coloris cinamomo quodammodo reſpondet : Nux autem interior, ſi ad maturitatem pervenit, tenui admodum mace, coloris aurei, cingitur. Nux ipſa oblonga eſt, & in alterutro latere rima quadam aut ſulco inſignitur. Cortex autem lignoſus ſub mace hepatico colore gaudet. Alioquin ſubſtantia ſ. corpus nucis cum reliquis coincidit.

Rami Nuces Moſchatas ferentes communiter numero ternario comprehunduntur, & in in forma coronæ locati ſunt : Sin quatuor aut plures frondes protuberent (quod tamen rariſſimè contingit) unus reliquis excelſior & altior eſt, neque in formâ coronæ diſponuntur. Quùm verò arbor hæc ſpiſſa ac eleganti foliorum aggregatione gaudeat, neque exſcindi debeat : hinc ſpeciem egregiam præ ſe fert, ac ob ſpiſſitudinem foliorum radios viſivos vix transmittit, dum frondes ſuperiores unumquodvis ſpatium coronæ inferioris replent.

Tranplantatio arborum nucum moſchatarum juniorum (incommodo ſcil. loco inſitarum & in meliorem translocandarum) inſequenti modo fieri ſolet : Eo in loco, cui arbor implantari debet, foramen efficitur, ad 3. aut 4. ad minimum pedum profunditatem, & pro re nata debitam latitudinem. Hoc factô arbor 6. 7. 8. pedes alta eligitur, quæ circumcirca terra effodienda privatur, ne radix primaria & cardiaca conquaſſetur, alioquin arbor non ſucreſceret, ſed neceſſariò emoriretur : quod neutiquam pertimeſcendum erit, etſi ſurculi collaterales ferirentur & læderentur, quoniam, ut ſupra dictum eſt, arbores hæ nullum inde nutrimentum capiunt : arbor autem ipſa ad 3. vel 4. pedum profunditatem circumfodi debet, quum ordinario radix primaria arbuſcularum profundiores radices non egerit. Quo excelſior autem ipſa arbor redditur, eò profundius radix ſe ſub terram defodit, ad humiditatem, pro arboris incrementô neceſſariam, lucrandam ; quapropter radix centralis & cardiaca profundius ſita non eſt, quam ipſa aqua ad nutritionem ejus & debitam proceritatem neceſſaria. Denudatâ ſic radice, terra illi adhuc adhærens muſco gramineque obvolvenda, & arundine vel alio vimine obliganda eſt, ne decidat, dum arbuſculam è foramine lente & ſine alliſione extrahere volumus. Hanc poſtea tam lentè cauteque, quoad fieri poteſt, transferunt & in foveolam ad negotium hoc paratam immittunt, ceſpitem, poſt ablationem viminis, illic relinquendo ipſamque foveam terra, antea erutâ, denuò implendo. Interim deſuper circa arbuſculam foveola quædam relinquenda erat, & tandem fovea repleta foliis arborum circumjacentium obtegenda erit, cætera tempori & naturæ relinquendo.

An arbor nucum moſchatarum etiam putari & exſcindi debeat, nec ne?

Sciendum pariter eſt, in arboribus nucum moſchatarum non multum amputationis aut exciſionis exercendum eſſe, alioquin per folia ſua ſpiſſiora frondes juſto plures ejicerent, qui (cum ligno gaudeant teneriori) ne minimum quidem ventum, gravitatis intuitu, ſuſtinere poſſent, ipſique rami facilime decuterentur. Conquaſſatæ autem arbores ſuccum (unde gummi concreſcit) fundunt, cujus effluxus non ſiſtendus eſt, ni arboris corruptionem experiri velis. Similiter obſervatur, quod, dum apertura in arbore factâ humiditas erumpit, formicæ illuc confluant ſedemque fixam ſtabiliant, ſicque corticem adhuc uberius aperiant.

Hoc ſi fiat, locus ille exſcindendus & pice navali illinendus, vel urinâ abluendus, terra oblinendus & muſcô obligandus eſt. Niſi enim hoc fiat, arbor vita ſua privatur, nec alio adminiculo ſalvari poteſt.

Quodſi poſthæc arbor, abſque ſufficienti ramorum & foliorum projectione, altum petat, ſunt nonnulli, qui ſurculum primarium (das Herzſchöslein) quem apicem vocant, abſcindunt, idque ſectione transverſali, quæ terrâ fortiter & firmiter alliganda munitur : quo facto illic de novo tres ramuli erumpunt, quorum unusquisque caudicem formet, ita ut arbor è tribus qs. aliis arboribus conſtare videatur & inſignem foliorum quantitatem ſuppeditet.

Quandoque etiam arbor juxta folia reſecatur, idque ſimili ſectione transverſali : ſectio terrâ operitur & omnia muſco vel ſimili materia obligantur : dumque abhinc novos ramos de ſe projicit caudex, haud abſimili ratione magna foliorum catervа ſubnaſcitur. Alii econtra hoc tanquam nocivum improbant, quoniam collaterales rami in nimiâ copiâ & ſpiſſitudine erumpunt arboremque ad ferendos fructus inhabilem reddunt : quem in finem illis plus aëris aperti concedendum, ne tam ſpiſſo agmine erumpant & nihilominus elegantem foliorum apparatum nanciſcantur.

Quali diſtantia arbores nucum moſchatarum à ſe invicem plantari debeant, ut plures & egregios fructus ferant?

Haud difficulter obſervatur, quod, ſi arbores nuciferæ juſto propius ſibi invicem conjungantur, ſe mutuo comprimant, ſicque eô in latere, ubi ſe tangunt, nullos ramos de ſe ſpargant ; quamobrem neceſſum eſt, ut illis ſpatium quoddam concedatur, indeque pauciores fructus ferentes eradicentur. Interim tantisper id differre omnesque ſimul ſucreſcere ſinamus,

finamus, oportet, donec obſervare poſſimus, quinam pauciores fructus ſubminiſtrent.

Quo tempore arbores nuciferæ in florem ſe induant fructusque maturos ferant?

Quamprimum arbores nucum moſchatarum adolevèrunt, intra 5. 6. 7. 8. ad 10. vel 12. ætatis annum florere & nuces moſchatas ſuppeditare ſolent; & ſi cum iisdem eo deventum eſt, ut fructus maturos ferant, non tantùm ſimul continuò fructus immaturos præbent, ſed & nunquam non florere ſolent.

Quali flore gaudeant?

Flos ad campaniformes globoſos pertinet, qui clauſus quidem, ſed in apice tricuſpidato margine præditus eſt, Tulipæ haud abſimili, magnitudine nuclei ceraſi minoris, coloris pallidè flaveſcentis. Erumpit autem floſculus hic ſuperiori in parte, juxta foliola furculorum juniorum, interdum 1. 2. 3. aut 4. campanulis, quæ internè corculum recondunt, quod 14. dierum intervallò in nodulum ſ. capitulum convolvitur, & principium nucis futuræ efformat: quamprimùm autem floſculus, capitulum hocce includens, in poſteriori parte hiat & decidit, reliqua intra 9. menſes in maturam & completam nucem abeunt.

Quâ ratione nuces conſtitutæ ſint?

Nux myriſtica, ad maturitatem evecta, in cortice ſuo magnitudinem nucis juglandis habet, extus primò cortice viridiuſculo, & ſi maturus eſt albeſcente cincta, qui ſecundum longitudinem decurrentem rimulam ſeu ſulcum fovet, carnoſus admodum, ſucculentus, & ſaporis intuitu quodammodò acidus & acerbus eſt: ſub quo macis (ſuli Belgis dicta) cortici duriori, nucem continenti, incumbit, corticemque poſteriorem retis inſtar ambit.

Unde concludatur nucem in arboribus ſatis maturam eſſe?

Quò dignoſcatur an nux in arboribus jamdum matura ſit, ſi cortex externus ſua ſponte non dehiſcat, obſervandum eſt, an hic quodammodo candicet & pedunculus flaveſcat, non verò virideſcat? Quùm verò ſignum hoc infallibile non ſit ad maturitatem certo dijudicandam, hinc menſe Aprili, Auguſto & Decembri (qui meſſis tempus, *die Klim-zeit*, abſolvunt) 6. vel 8. nuces extus ita comparatas recipiendo inquirendum, an cortex interior, nucem immediatè fovens, fuſcus aut nigricans, & an macis colore rubro intenſo præditus appareant? quæ ſi ita ſe habeant, omnes & ſingulas nuces, tali modo conſtitutas, tanquam ſatis maturas decerpere licet.

Qua ratione modoque nucum decuſſio & collectio inſtituatur?

Decuſſio aut decerptio nucum moſchatarum (ſive in arboribus conſcenſis, ſive ſub iisdem) canna ſeu arundine peragitur, in cujus apice uncus ligneus, hamuli loco ſerviens, alligatur, in cujus locum alii ferramentum latum ſubſtituunt, in cujus extremitate inferiore foramen (cui arundo firmiter inſeratur) efformandum, ſuperius obtuſum & inferius acie præditum, quo nuces ſive tundendo, ſive ſcindendo ab arbore decutiunt. Figura ejus ſpectatur in Muſei Muſ. German. Tomo II. pag. 109.

Quamprimum jam nuces deciderunt, corradendo colliguntur, atque macis de nucibus ſponte ſua decidens MACIS COLLECTITIA ſeu MESSORIA, Belg. *Klim-ſuli*, dicitur.

Sæpius extimus cortex nucis moſchatæ ſponte dehiſcit & ſe aperit, dum ipſi arbori adhuc inhæret, adeo quidem, ut ipſa nux cum mace in terram prolabatur: ſic autem in ſolo jacens (tempeſtate cumprimis humida exiſtente) diu perdurare nequit, quin macis computreſcat & nux per humiditatem imbibitam corrumpatur. Hæc MACIS CORRASORIA, Belgis *Raap ſoeli*, dicitur, quoniam ipſa per caſum ſpontaneum aliquamdiu, antequam illud obſervetur, in ſolo jacet & abhinc corraditur. Quamdiu autem ficcior tempeſtas regnat, tantum quidem detrimentum non capit, utut per madorem imbibitum in virtute ſua & efficaciâ quadantenus caſtretur.

Non rarò quoque accidit, ut nux moſchata arbori adhuc inhærens corticem ſuum exteriorem diffringat, quo ipſo per ſiccitates vehementiores quodammodo corrugatur & ſimul ita firmiter adhæret, ut excidere nequeat, in uno latere exſiccata, in altero verò, quo cortici adhæret, humida exſiſtens; unde certi vermiculi illic generantur, qui macem abſumendo devorant, cujus tunc jacturam patiuntur, utut nux incorrupta maneat. Hoc ſi obſervetur, nil melius eſt, quàm ut nuces inſtrumento ſupra depicto decerpantur aut decutiantur, & poſtmodum ulterius aperiantur.

Quâ viâ nux cum mace è cortice eximatur?

Tempore meſſis ſeu collectionis, vel & ſub decidentiâ nucum moſchatarum, occurrunt ſæpe fructus, quorum cortex exterior nondum apertus eſt. Quò igitur is à nuce ſeparetur, cultello minori, ſed robuſto, opus eſt, quem una manu arripimus, dum altera manu nucem transverſim, ſulcum ejus ſurſum verſo tenendo, cultelli aciem directam foveolæ corticis, aciem verò transverſam cavernulæ corticis communi comprimendo applicemus & diſſecemus, quò altera medietas removeri & quod reſtat facile aperiri poteſt, ut ipſa nux cum mace eximi poſſit: qui modus extrahendi *Bia Pala* dicitur.

Quâ enchiresi macis à nuce moschata separetur?

Quamprimum nux moschata à cortice exteriore liberata est, eundem cultellum, quô corticem separarunt, parti nucis obtusiori applicant, ejusque apice, (quem usque ad corticem lignosum sub mace infigunt) macem à nuce separant: quô facto haud difficulter à nuce abstrahitur, quæ in peculari loco asservatur. Hæc autem operatio *Capas*, h. e. macis à nuce liberatio, vocatur.

Qua methodo hortulani macem exsiccent & aptam reddant, ut Illustri Societati offeratur?

Mace à nuce moschata separata eadem (dum vesperascit) in pavimento quodam sparsim relinquitur, ne humida fiat, sed exsiccetur. Interdiu autem illa ipsa alii strato ex arundine aut junco contexto & 2. vel 3. pedes à pavimento elevato alioque adhuc integumento obtecto imponitur: Vesperi autem, tempore cumprimis humido instante, sub tecto reconditur, quod sic continuatur & ad minimum octiduum hac macis exsiccatione consumitur. Hoc factô apta satis est, quæ Illustri Societati offerri possit, nullumque illic detrimentum pertimescendum sit. Interim contingit subinde, ut per incuriam aliquam macis humectetur, & abhinc vermiculi, aranei & similia infecta istic generentur, à quibus ut liberetur, multum negotii & molestiæ exigit. Hoc ut præcaveatur putredoque omnis arceatur, aut, si jam dum adsit, eliminetur, macis aqua salita conspergi, abhinc radiis Solaribus exponi & exsiccata probæque notæ macis seligi debet. Ubi autem vel minima adhuc putrilago observatur, ea omnia separatim & seorsim sunt ponenda, donec omnia exsiccata & egregia appareant.

Quomodo ab hortulanis nuces moschatæ exsiccentur & quô Illustri Societati offerri possint, adaptentur?

Postquam macis à nucibus moscharis separata est, ipsa nux, una cum cortice tenui fusco & ingricante, remanet, quæ defertur ad locum, quem *Parrepar* h. e. Fumatium vocant: in quo pavimentum ad 3. vel 4. pedes supra solum exaltatum & ita paratum est, ut trabes 2. pedibus à se invicem distantes in superficie per alias trabeculas ex arundinibus contignatæ & coagmentatæ sint, cui nuces insternuntur. Nucibus supra hoc tenuiter & vix ultra pedis altitudinem expansis ignis fumans subjicitur, idque diversis in locis, ut exinde incalescant & exsiccentur. Ubi alternis vel tertio quovis die nuces superiores inverruntur & inferioribus immiscentur, & si nuces omnes & singulæ incaluerunt, ignis fumans quodammodo imminuendus est, ut humiditas eô melius pedetentim evaporare possit: dum econtra nuces per ignem vehementiorem empyreuma sapere & corrumpi possent. Exsiccatio hæc per ignem hunc blandiorem per 12. ad 14. hebdomadas continuatur. An verò nux moschata sufficienter exsiccata sit, inde dignoscitur, si in cortice suo, globulorum lusoriorum instar, crepitat: cum econtra minus rectè exsiccata obtusum sonum edat. Nucibus ita siccatis & legitimè, ut dictum, præparatis, cortex nigricans aut fuscus confringitur (quod pulsationem vocant) ad nucem integram & minus confractam eximendam. Nux hæc extracta denuo ad pavimentum fumigatorium deportatur, ne humida reddatur, sed sicca remaneat, & ad nucem eô melius conservandam à fumo penetrari possit: quæ tandem à pavimento hoc s. Parrepar auferetur & Illustri Societati, ut calce imprægnetur, offertur; & quoniam non omnes nuces simul & conjunctim decerpuntur, sed per agmina minora colliguntur: hinc pariter non omnes simul fumigari possunt. Ad hoc alterum adhuc & minus pavimentum s. Parrepar inservit, in distincta receptacula distinctum, quô unaquævis species separatim locari & ultimò vel novissimè collectæ in peculiari cellula asservari possint, in qua ad minimum per 2. aut 3. septimanas relinqui debent, ut probè exsiccentur, antequam ad alterum acervum, in Parrepar majori contentum, deferantur, ne humiditas illarum in nuces exsiccatas se insinuet easque corrumpat: dum recentissimæ & ultimò allatæ nuces humiditatem suam non tam cito amittunt quam aliæ, sed, si eandem quodammodò retineant, per eandem non tantum situm contrahunt, sed & aliis nocere possunt.

Unde macis dignosci possit, an apta nata sit, quæ ab Illustri Societate acceptetur?

Quando macis, Belgis *Foly* dicta, per unum tantum diem Soli fervidiori exposita fuit, debitam siccitatem acquisivit. Hoc facto igitur aliquamdiu (per 6. aut 8. dies circiter) in locum alium, radiis Solaribus minus expositum, transferenda est, ut quodammodò rursus emolliatur. Abhinc rursus paululum Soli exponitur, probè cavendo, ne per nimiam exsiccationem in fragmenta dissiliat. Quapropter blandè admodum tractanda est, dum, si nimis sicca evaserit, facile diffringi posset, quo ipso Societas Illustris insignem jacturam ferre cogeretur.

Qui Societas Nobilissima in consarcinatione Macis procedat?

Macis per octiduum ad minimum exsiccata semper adhuc aliquid humiditatis in se continere & eapropter tenacior reddi solet: quô casu vermiculi nonnulli, aranei & alia infecta illic generantur, quæ (ut alibi dictum) difficulter inde deturbantur. Quamobrem probè exsiccata Macis, utprimùm ab Illustri Societate accepta

tur

tur, loco cuidam humido minus imponenda est, alioquin humiditatem majorem attrahere situique obnoxia reddi posset, ut in superioribus jamdum dictum fuit. Melius ergo agitur, si in domo consarcinatoria in acervum ponatur, ut ventus exsiccans eandem perflare possit. Abhinc XXVIII. Cattis Banda (quæ 161. libras Belgicas continent) inde ponderantur, quæ sacculum (Belg. *Sokkel* dictum) efficiunt. Hunc sacculum (seu potius macim illic includendam) per gutturnium (in cujus globo anteriori foramina insigniora observantur) binis aquæ salitæ mensuris conspergunt, immittunt sacculo è juncis parato (quem Sokkel vocant,) fortiter intrudunt & omnia arundinibus & viminibus circundant. Ut autem discrimen aliquod certaque differentia observari possit, hinc Macis Collectitia, *Klimfeeli* dicta, in una tantum aure, Corrasa autem, *die Raapfuly*, in binis auribus in capite sacculi signantur: quibus expeditis omnes sacculi in locum siciorem deponuntur ibidemque asservantur.

Unde bonitas aut vilitas nucum dijudicari debeat, ne Soc. Illustr. sub acceptatione illarum defraudetur & jacturam ferat?

Nuces Myristicæ selectæ atque bonæ corpore duro, tenaci, nec adeò rugoso gaudere debent. Adhæc simul integræ & graves esse debent, sonantes & globulorum lusoriorum instar crepitantes, si concutiuntur.

Quando nuces malæ quidem notæ non sunt, intus autem cavæ fiunt, tunc extus glabro corpore gaudent, cum levitate magnitudini illarum non respondente, cumprimis, si ad debitam maturitatem deductæ non sunt.

Quandocunque verò Nuces intus omninò corruptæ sunt (quod saepissimè per incuriam, qua non tempestivè ad Parrepar transferuntur, aut si immaturæ & juniores justo sint, ut à propria humiditate corrumpantur, fieri solet) dignosci possunt, si intra rugas qs. cinctibus consperſæ apparent, exiguo pondere gaudent, nullumque sonum aut crepitum edunt.

Nuces vermiculos foventes hos nanciscuntur, si maturæ ad terram decidentes ibidem diu relinquantur, nec corradantur: quoniam tunc humiditatem terræ attrahunt, quæ humiditatem internam ad putredinem disponit, unde vermiculi excludantur. Dignoscuntur autem hi, si foraminula quædam in nucibus se trudant.

Quâ ratione Nuces Moschatæ per aquam salsam, in quam projiciuntur, distingui possint, an bonæ an malæ sint?

Hoc ita fieri solet: si nuces aquæ salsæ injiciuntur, illæ, quæ fundum petunt, bonæ selectæque sunt omnes. Illæ autem, quæ difficulter & parte acutiore sursum spectantes natando fundum tandem petunt, non quidem malæ & rejiciendæ sunt, attamen intus cavitatem habent, cujus intuitu natare solent. Natantes verò in summitate intus corruptæ sunt, nec quicquam valent.

Triplices autem sunt nuces, pingues, mediocres & rumpi. Pingues illæ sunt quæ ad perfectam maturitatem devenêrunt, legitimè etiam collectæ & exsiccatæ sunt: hæ enim postmodum sunt graviores, plenatiæ, glabræ nec rugosæ admodum, cujus intuitu pingues vocantur & inde reditum in Patriam mittuntur.

Mediocres illæ sunt, quæ quamproximè ad maturitatem perfectam devenêrunt, & si exsiccantur, quodammodò corrugantur, hujusque intuitu Nuces Mediocres audiunt. Hæ quidem pinguibus bonitate cedunt, attamen dignæ adhuc sunt, quæ in defectu pinguium in Patriam mittantur. Aliâs autem hic in Mercaturâ Indica cum Rumpis distrahuntur.

Rumpi tandem illæ sunt Nuces, quæ immaturæ decidunt aut decerpuntur, multumque humiditatis in se fovent & corpus compactum nunquam obtinent; hinc si ad Parrepar fumigatorium deferuntur, macræ admodum & summè corrugatæ deprehenduntur. Tales illæ quoque sunt, quæ aliquantum quidem maturæ deciderunt, sed justo diutius in solo jacuerunt, sicque terræ humiditatem attraxerunt: id quod nucibus qualitatem malignam conciliat cariemque causatur. Præterea aliæ adhuc nuces dantur, quæ sub infelici vegetatione vermiculos minores (qui in corpore candicant, sed in capite nigricant) fovent. Omnes hæ nuces Rumporum nomine veniunt; ut adeoque Mediocres à semi-maturis, Rumpi autem ab immaturioribus proficiscantur.

Immaturæ Nuces Moschatæ ex interiore cortice tenui (qui sub mace latens nucem immediatè ambit) dignoscuntur, si scil. in capite, seu extremitate crassiore nucis, in loco pedunculi, neque fuscus, neque nigricans, sed albidus, &, si juniores fuerint, non tantum albicans, sed & quodammodo mollis fuerit.

Quâ ratione Societas Illustris nuces moschatas calce inficiat, seponat & conservet?

Ad Nuces calce imbuendas recipiunt aquam salsam & corbicula quadam vel cribro calcem concutiendo inspergunt aquæ, donec satis spissa appareat. Ἀκρίβεια hæc est, si arundinem Japonicam illi immittendo calx striatim huic inhæreat, vel si nuces aliquot calci sic præparatæ immittant & abhinc in Sole exsiccent. Quando enim calx iis nullibi quam rimis adhæresci, si aliquantisper in manibus teneantur, aut terantur, calx legitimè se habet, ipsaque nux probè calce imbuitur, si calx ita præparata est.

Quamprimum jam calx satis aptè præparata est, nuces corbiculæ inferuntur, & hac mediante per calcem traducuntur, aut ibidem

volutantur: quò facto nuces in domo conſarcinatoriâ in acervum locantur (quo denſior acervus eſt, eò melior) inibique exſudare permittuntur. Quodſi jam probè ſudaverint, aptæ ſatis ſunt & legitimè præparatæ, quoniam humiditas noxia hoc adminiculo exterminata fuit. Ubi notandum, quod, ſi nuces ſudarint, in ſummitate acervi cruſta eò minor eſt, quo major erat acervus, ſicque minor quoque jactura oboritur: hinc acervi majores eliguntur & præſtant.

Nuces malæ notæ calci injectæ flavum aut nigricantem ſudorem emittunt: quod ſignum infallibile eſt aliquam adhuc humiditatem illic remanſiſſe, quæ à fumo expulſa non fuerat.

UBERIOR DESCRIPTIO SEU RELATIO

DE

STATU INSULÆ BANDA.

PARS I.

An Banda aromatum incrementum, an decrementum ceperit?

STatum BANDÆ modernum quod concernit, aromata illic adeò imminuta non ſunt, ut potius $3\frac{6}{7}$. Sacculis macis (Saculum ad 28. Cattis-Banda & quemvis Catti-Banda ad $5\frac{3}{4}$. ℔. Belgicas ſupputando) & ſimul $282\frac{1}{4}$. librationibus (unaquâvis libratione *Weegſel* Batavis dicta 40. Catti Banda continente) quas annuatim ultra priorum annorum reditus ſubminiſtrant, ſuccreverit: id quod è Specificatione Solutionis & Exhibitionis per XX. annorum decurſum eluceſcit, ſi decem annos poſteriores à decennio priori decurtemus. Hoc ut oſtendatur, notandum eſt Provinciam Bandaſienſem in V. Cameras Calculatorias, aromatum receptrices, (quas Comptoirs vocant) dividi, ſcilicet Principalem & Primariam in *Noira*: *Revengie* in *P. Ay. Lontboir* in coſta Septentrionali circa tractum Occaſionalem Inſulæ majoris Bandæ: *Wayr* in coſta Maris verſus tractum Orientalen Inſulæ *Lontboir*: & *Ourien* in ejusdem coſta Meridionali, inter *Wayr* & *Lontboir*: quod *Ourien* quoque ſub *Lontboir* militat: Ipſaque aromata in Calculatorio Principali *Naſſau*, in Inſula *Noira*, cum aliqua parte tractus ſuperioris Inſulæ Banda (qui in loco *Cayortoire* incipit & *Commer*, *Rana* totamque *Seamme* prætereundo ad *Donner* extenditur) ad ſcutellam ſeu bilancem deferenda ſunt.

Prius decennium ſumimus ab anno 1663. ad 1673. ſc. ab anno

	Foly ſeu Macis.	*Nuc. Moſchat.*
1663. ad 1664. exhibebantur Cattis-Banda	3920.	15530.
	3276.	13410.
	4452.	18910.
	5348.	21688.
	4200.	11860.
	4060.	27500.
	4060.	16218.
	3192.	10650.
A. 1671. ad 1672.	3234.	12600.
	1988.	8311.
Summ. Cattis	37730.	156685.

Ultimo

Ultimo decennio, scil. ab anno 1672. ad A. 1682.
& quidem

	Mac. int.	*Mac. in fragm.*	*Nuces.*	*Fragment.*
Anno 1672. ad ann. 1673. - - -	6524.	6.	36739.	1809.
offerebantur	3220.	- -	8033.	- -
Cattis Banda	3976.	56.	16592.	3152.
	4774.	70.	16967.	626.
	3106.	70.	18500.	1155.
	4228.	70.	6925.	494.
	2800.	56.	19563.	332.
	4340.	98.	15905.	1093.
	4564.	70.	22333.	1692.
A. 1681. ad 1682.	4674.	70.	18326.	1331.
	42208.	566.	179883.	11684.
Conjunctim cum fragmentis mac.	366.		11684.	
& N. M. Catt. - - -	42774.		191567.	

Sicque in priori decennio ab A. 1662. ad Ann. 1672. receptæ fuerunt *Cattis Band. Mac. Nuc.*
37730. 156685.
& ultimo decennio ab Anno 1672. ad 1682. - - - - 42774. 191567.
Hæc si à reliquis detracta fuerint, remanent Cattis Band. - - - 5044. 34882.
quæ in ultimo decennio superabant priorum exhibitionem & sic consequenter Camera Calculatoria *Nassau* in tantum succrevit & meliorata fuit.

CAMERA REVENGIE in P. AY.

Primo decennio sequentia aromata recepit:

scil. ab Anno	*Mac.*	*Nuc. Mosch.*
1662. ad 1663. Catt. Band. - -	4937.	19910.
	4424.	19720.
	7532.	28920.
	1960.	32600.
	7084.	31080.
	5180.	24890.
	5152.	22810.
	5712.	20120.
	7006.	22810.
	1492.	30037.
A. 1671. ad 1672.		12292.
Summ. Catt.	57479.	242379.

Ultimo decennio, scil. ab Anno 1672. ad 1682. & quidem

ab A. 1672.	*Mac. integr.*	*Fragm.*	*Nuc.*	*Fragment.*
ad 1673.	8204.	- - -	43414.	1101.
ded. C. B.	5600.	- - -	13083.	610.
	6468.	- - -	20891.	1379.
	6320.	- - -	29753.	1841.
	3108.	- - -	22525.	1773.
	4928.	- - -	7160.	687.
	4788.	- - -	25010.	1665.
	4480.	- - -	20325.	1372.
	4920.	- - -	26741.	1342.
A. 1681. ad 1682.	4284.	14.	16009.	854.
	53116.	14.	224909.	12630.
	14.		12630.	
Summ. C. B.	53130.		237539.	

Vel Saccul. $15\frac{4}{5}$. Mac. & Sacc. $12\frac{1}{16}$ libræ Nuc. quæ annuatim in ultimo decennio deficiebant; quapropter hæc Camera, ni plantationi & transplantationi studeatur, brevi dissolvetur.

CAMERA HOLLANDIA in LONTHOIR

primo decennio seqq. aromata recepit: scil.

An. 1662. ad 1663.	*Mac.*	*Nuc. Mosch.*
Cattis Banda - - -	5477.	18000.
	6412.	27880.
	111116.	34930.
	13720.	37400.
	10164.	21740.
	6524.	46120.
	8484.	32270.
	7504.	23455.
	6858.	24660.
A. 1671. ad 1672.	3304.	12265.
Summa Catt.	79563.	278720.

Posteriori decennio, scil. ab An. 1672. ad 1682.

& quidem A. 1672. ad 1673.	*Mac. integr.*	*Fragm.*	*Nuc.*	*Fragment.*
℔. Cattis Banda - - -	13580.	42.	58478.	2647.
	6580.	70.	14122.	1290.
	7364.	100.	27030.	1946.
	7196.	98.	29595.	1850.
	5236.	80.	27975.	2246.
	6720.	84.	11207.	741.
	5572.	42.	28769.	1637.
	7896.	98.	36332.	2815.
	7028.	98.	28070.	2724.
A. 1681. ad 1682.	6300.	70.	20340.	1657.
	73472.	782.	281918.	19553.
	782.		19553.	
Summ.	74254.		301471.	

Adeoque ultimo decennio minorem macis, nucum autem majorem quantitatem obtinuit. Unde eluceſcit Cameram hanc, intuitu macis, decrementum, intuitu autem nucum incrementum cepiſſe: ita ut nec incrementum, nec decrementum Cameræ huic tribui poſſit, quæ inter utrumque qs. mediuu tenet.

In CAMERA WAYR

primo decennio seqq. aromata recipiebantur:

sc. Anno 1662. ad 1663.	*Mac.*	*Nuc. Mosch.*
℔. Cattis Banda - - -	2374.	9769.
	2436.	10410.
	2940.	9142.
	4032.	15225.
	2408.	800.
	2800.	20280.
	2744.	10672.
	2156.	8160.
	2334.	8985.
An. 1671. ad 1672.	860.	3720.
Summ.	25092.	97145.

Ultimo decennio, scil. ab A. 1672. ad 1682. in specie ℔. Catt. Banda

An. 1672. ad 1673.	*Mac. Int.*	*Fragmenta.*	*Nuc.*	*Fragment.*
	5432.	- - - -	23900.	- - -
	3018.	- - -	6720.	- - -
	3920.	- -	24680.	426.
	2548.	28.	23509.	1260.
	2716.	28.	16384.	1925.
	4004.	14.	3062.	334.
	2156.	- -	18193.	1734.
	3472.	- - -	23790.	1126.
	2828.	28.	22764.	973.
A. 1681. ad 1682.	2912.	14.	9660.	345.
	33006.	112.	132662.	8122.
	112.		8122.	
Summ.	33118.		140784.	

CAME-

CAMERA CALCULATORIA OURIEN

primo decennio seqq. aromata obtinuit, scil.

		Mac.	*Nuc. Moschat.*
A. 1662. ad 1663.			
By. Catt. Banda	- - -	1185½.	4520.
		1280.	5630.
		- - -	- - - -
		- - -	- - - -
		- - -	- - - -
		1540.	3760.
		- - -	6120.
		- - -	- - - -
		- - -	3216.
A. 1671. ad 1672.		- - -	- - - -
	Summ. Catt.	4013½.	23246.

Posteriori decennio, ab A. 1672. ad 1682. scil.

Anno 1672.	*Mac.*	*Fragm.*	*Nuc.*	*Fragmenta.*
ad 1673. Catt. Banda	- - -	- - -	- - -	- - - -
	392.	- - -	2183.	- - - -
	1036.	- - -	6280.	624.
	1092.	14.	- - -	- - - -
	812.	- - -	5920.	- - - -
	1504.	24.	1456.	- - - -
	952.	14.	6849.	- - - -
	1568.	28.	6951.	- - - -
	1316.	- - -	4953.	- - - -
A. 1681. ad 1682.	1344.	- - -	4597.	- - - -
	10016.	70.	39189.	624.
	70.		624.	
Summ.	10086.		39813.	

Primō decennio ab Anno 1662. ad 1672. in tota Banda seqq. aromata allata sunt:

	Mac.	*Nuc. Moschat.*
juxta specif. supradictas, Catt. - - -	203877½.	798175.
Et in ultimo decennio		
ab A. 1672. ad 1682. - - -	213362.	911174.
	9484½.	112999.

Ut adeoque Banda per ultimum decennium plura submiſtrarit. Unde Provincia quoad aromatum proventum ita succrevit & meliorata fuit, ut dici non possit illam decrementum aliquod passam fuisse.

PARS II.

de

IIS QUÆ INTER HORTULANOS AROMATARIOS AGENDA ET ORDINANDA SUNT.

HOrti in Banda ichnographiâ generali depingendi & delineandi sunt, & quilibet simul Hortulanus partis sibi dicatæ mappam quandam Geographicam & delineationem specialem habere debet.

E mappa seu ichnographiâ generali hortorum aromatariorum in Bandâ videre & dignoscere licet, qualem figuram & magnitudinem quivis hortus obtinuerit, & quantum possessori alicujus horti concreditum fuerit: cum vix ullus ibi hortus sit, cujus termini exactè definiti sint.

Hunc in finem omnes horti, juxta documenta & instrumenta hortulanis data, mensurandi essent; quod ut fiat, dimensio illorum à tractu, secundum maris litora se extendente, inchoan-

inchoanda eſſet & quidem in cujusque horti medietate: illudque, quod inter binos poſſeſſores reliquum manet, aut & deficere videtur, ab alius horto detrahendum & donec magnitudinis intuitu omnia legitimè ſe habeant, alteri adjicendum eſſet. Poſt quam diviſionem cuilibet Hortulano, una cum delineatione, inſtrumentum aliquod ſeu documentum de magnitudine ſituque horti illi concrediti exhibendum eſſet, ne alter alteri nocere aut detrimentum aliquod adferre poſſet.

Qua ratione horti in flore & vigore ſuo conſervari debeant?

Horti in cultura & melioratione ſuâ conſervantur, ſi ab omnibus impuritatibus liberentur, gramen excelſum debito tempore modoque demetatur, arbores nucum moſchatarum abradantur, in locis nudis, ubi nullæ ſuccreſcunt, ſed ſuccreſcere poſſent, novæ plantentur & annoſarum moxque deficientium loco aliæ ſurrogentur, tandem & arbuſculæ, in locis inconvenientibus ſuccreſcentes, aliò transplantentur. Huc pertinet ſimiliter plantatio arborum aliarum fructiferarum, ad alimentationem mancipiorum & œconomiam neceſſariarum, cum ligno ad ædificandum & ardendum ſeu calefaciendum: procuratio arborum Cociferarum & Sagu: Arundinum majorum, aquarum & paludum junciferarum (ad parandos ſacculos & lectiſternia): Mancipiorum ad culturam hortorum aptorum ſufficientium: Inſtrumentorum ad quotidianum neceſſariumque uſum: Aggerum & contignationum, Parrepar dictarum, pro mace & nucibus moſchatis exſiccandis: Habitaculorum pro Mancipiis & Poſſeſſoribus hortorum, quæ non tantum ad perſonarum, ſed aromatum conſervationem quoque requiruntur.

De Saltuario & Cuſtode Hortorum, quid obſervare teneatur?

Expedit, ut Saltuarius ſeu Inſpector hortorum vel pometorum, quem Societas Illuſtris illic alere ſolet, continuo & indeſeſſe ſuo defungatur officio, & non tantum pometa, ſed & integram ſylvam pererret, ut, quæ illic agantur, obſerver. Saltuarius hic (ſi muneri ſuo legitimè præeſſe debet) ad id adſtringendus aut applicandus non eſt, ut extra Bandæ Inſulas aliorſum, ſive verſus Z. aut O. Z. W. ſitas Inſulas ablegetur & alia Societatis negotia peragat. Tenetur etiam munere hoc tamdiu, ut ſtipulatus eſt, defungi, ut per crebriores pometorum viſitationes & oberrationes in ſylva hujus ſitum & figuram addiſcat ſciatque quid in pometis agatur? an in illis arbores legitimè purgentur? nuces plantentur? arbores nuciferæ transplantentur? arbores emortuæ eradicentur? aliæ meliores in earum locum inſerantur? An & aromata debito modò colligantur, Macis probe ventiletur & ad debitam ſiccitatem exſiccetur, eumque in finem ſub humida aëris conſtitutione in ſuperiori contignatione ſparſim extendatur & ſub radiis Solaribus melius ſiccetur? adhæc nuces non negligantur, ſed ut decet, ad contignationem ſumigatoriam ſ. Parrepar transferantur, & primò igne blandiori ſuffumigatorio calefiant & abhinc imminuto igne ſumo penetrante recte exſiccentur & ita præparentur, ut intra 12. vel 14. ſeptimanarum ſpatium offerri poſſint? Rationem etiam habeat macis, antequam Illuſtri Societati offeratur, videatque an probæ notæ ſit, nec ne? ubi minus bona reponenda eſt. Curam etiam mancipiorum habeat, obſervetque an pometum debito tempore purgatum ſit? & ne nuces deciduæ negligantur; quæ omnia ejus ſunt officii.

De Commiſſariis, qui omni ſemeſtri ad viſitanda promæria ablegantur?

Quo verò innoteſcat, an Saltuarius officium ſuum dextrè peragat & adminiſtret: an & Hortulani apti ſatis & verſati ſint ad aromata in pometis ſuis colligenda? è re erit, ut quolibet ſemeſtri certi Commiſſarii eò ablegentur, qui (menſe cumprimis Januario & Junio) generalem hortorum viſitationem inſtituere poſſunt. Hi Commiſſarii commodiſſime è IV. Perſonis conſtare poſſent, quæ è ſeqq. eligi deberent, ſcil. 1. Duo è collegio Politico Senatorum. 2. Duo præcipui Hortulani, 3. Fiſcalis & 4. Gubernator illorum locorum, in cujus præfectura viſitatio inſtituitur. Hi omnes & ſinguli inſpicere & obſervare deberent, an arbores nuciferæ probè depuratæ, ipſeque hortus ſuo tempore mundatus fuerit? Quo facto illis monſtrandum & oſtendendum eſſet, quales arbores plantatæ, quales transplantatæ: quænam ſuccreverint & quænam emortuæ fuerint?

Similiter obſervandum eſſet, an aliæ arbores pomiferæ, ad neceſſarium uſum & œconomiam Mancipiorum requiſitæ, in horto contineantur? & ſi minus, ut adhuc plantentur.

An item quivis ex hominibus propriis ſeu mancipiis arundinem majorem aut cucurbitam habeat, quâ aquam apportare & conſervare poſſit? ubi omnia mancipia uniuscujusque pomœrii citanda eſſent, ut numerentur, inſpicerentur & omnium nomina, cum ætate, & an apta, vel inepta ſint, annotarentur.

Quibus porrò debitis irretiti ſint Poſſeſſores hortorum? an penſiones annuas & in ſumma concreditæ, ſeu capitali, aliquid ſolverint? ut Illuſtris Societas (prout Poſſeſſores ſollicitaverint) ſcire poſſit, cui & quî illis ſuccurri debeat & poſſit? quapropter omnibus Poſſeſſoribus pometorum incumpit iisque ſine diſcrimine habito injunctum eſt, ut de villicatione

ſua

ſua rationem reddant quò innoteſcat, quam laborioſus, aut ſocors vel negligens ſit? ni Illuſtris Societas (pro benevolâ ſuâ commiſeratione) in ſublevatione hortulanorum defrandari velit; ſed pro re nata ſciat, quo modò ſalvari poſſint?

Similiter inde eluceſcet, an Saltuarius munere ſuo, prout decet, legitimè fungatur? quod niſi fiat, ad mulctam pecuniariam aut aliam poenam condemnandus erit: quo ipſo ad officium ipſi concreditum melius peragendum excitabitur.

Pometa ſæpius juſto carius emuntur.

Poſtquam etiam horti aromatarii utplurimum ab hominibus tenuioris fortunæ, hortorum, horumque pretii genuini ignaris coemuntur, neceſſario ſequitur, ut, ſi carius juſto emantur, emtores abhinc ære alieno inextricabili, à quo ſe liberare nequeunt, intricentur; unde valdè expedit, ut ſciatur, quantum hortus aliquis valeat?

Qui ſciri poſſit cujusque horti pretium genuinum?

Hoc ut innoteſcat, ſeq. proportionem è collectione diverſorum annorum conſideremus, oportet, unde apparet, quantum pecuniæ ſub oblatione aromatum cujusvis anni lucrati fuerint: quæ ſumma genuinum horti pretium eſt. Hoc ut ſciamus, ſeq. ratione ob oculos poni poterit.

SUB CAMERA PRINCIPALI NASSAU.

Nomina Pometorum, ubi ſita ſint.	*Nomina Poſſeſſorum hort.*	*Mancipiorum numerus requiſitus.*	*Reditus annuus.*	*Quot mancipia alant?*	*Pretium.*	*Debita.*
	IN NOIRA.		Rhlr.		Rhlr.	Rhlr.
	Thennis Claasgen hortum à Petro Zesperſen obtinet jure emtionis.	24.	162.	26.	1532.	Nihil.
	Caſpar Thomas Carper	7.	40.	30.	210	Nihil.
	Vidua Hof. Valentin	10.	Rapeus	30.	- - -	Nihil.
	Conrad Dyckman	25.	255.	34.	5000.	5462.
	Viduæ Jac. Iſaaci hortum habet					
	Nic. Schwan.	5.	56.	22.	500.	400.
	Tobias Hardkopff	58.	590.	50.	8400.	Nihil.
	IN INSULA Maj. BANDA.					
Calia Buaſ Cay Tortorran. Spantia	Tres hi horti ſunt					
	Jacob. de Cordaan.	100.	1295.	118.	20045.	18950.
	Georg Prutsher	80.	608.	70.	10150.	13450.
	Aart Antoniſen	79.	497.	33.	4600.	6828.
Commer Rana.	IN SELAM.					
	Hend. Cornel. Wilhelm Polet & Zurian Zurianſen	7.	88.	9.	Hæredit.	400.
	Jacob Lucaſſen	5.	114.	6.	240.	340.
	Cornelius Zoaſten	8.	46.	3.	Hæredit.	Nihil.
	Herman Thomſen	21.	80.	11.	650.	950.
	Bara Moor	5.	46.	7.	100.	150.
	Marcus Bordel	17.	70.	7.	Hæredit.	450.
	Thomas Creyn	23.	239.	31.	Hæredit.	1800.
	Peter Thyſſen	76.	420.	33.	3200.	3300.
	Barent Janſen, vel May Catharina	24	302.	36.	3200.	2400.

SUB CAMERA PRINCIPALI NASSAU.

Nomina hortorum eorumque ſitus.	Nomina Poſſeſſorum	Numerus mancip. requiſitus	Reditus annui	Quot mancipia alant?	Pretium	Debita.
	IN DONDER ſub calculatorio WAYR		Imperiali ſ. Rhlr.		Rhlr.	Rhlr.
	Iſaac Jacobſen Bambergenſis	50.	660.	44.	8000.	8831.
	Jacob Albert Ecling.	40.	655.	58.	7000.	3500.
	SUB CAMERALA WAYER.					
	Hend. Marenſen	25.	330.	29.	4809.	3000.
	Bendjamin Hendrichſen	10.	108.	4.	400.	450.
	Jerem. Delmond	11.	67.	3.	400.	320.
	Vid. Laurentii Gregorii & Joh. Reiniegen	17.	315.	18.	300.	3525.
	Jan Robbertſen Holma	54.	742.	43.	7500.	7557.
	Vidua Brongerſii hortum Hondr. Marcaſſenii Viduæ emit, diſtinctum nunc in 2. partes, quarum ſuperiorem affini ſuo Joh. Holmæ reliquit: alteram partem ipſa poſſidet.	30.	272.	17.	4000.	4000.

IN CAMERA PRINCIPALI NASSAU.

Nomina hortorum cum ſitu.	Poſſeſſores	Quot mancipia requirant?	Reditus annui	Quot mancipia alant?	Pretium valoris	Debita.
	IN LAUTANG, SUB CAMERA WAYR MILITANTIS,		Thaleris		Thaleris	Thaler.
	Hond Bruin	60.	582.	48.	7050.	8853.
	IN OURIEN, SUB CAMERA LONTHOIR.					
	Criſpin Cornelius, cum Fratre & Sorore	9.	72.	6.	Hæred.	Nihil.
	Diego de Goor	4.	33.	3.	Hæred.	150.
	Franc. Poulo	4.	52.	2.	- - -	Nihil.
	Iſac Colet	9.	88.	2.	450.	443.
	Joh. Touniſen	57.	554.	44.	5000.	4799½.
	Jac. Joh. Broers	12.	190.	13.	400.	420.
	Vidua Joh. Drageri.	54.	475.	33.	Hæred.	Nihil.
	SUB CAMERA LONTHOIR.					
	Faſcatte Moor	5.	41.	2.	Hæred.	Nihil.
	Paul Brugman	7.	34.	5.	350.	300.
	Elias Janſen	6.	95.	4.	Hæred.	Nihil.
	Caſp. Peterſen	26.	132.	9.	1240.	Nihil.
	Joh. Peterſen	98.	- -	4.	740.	800.
	Joh. Caſparſen					
	David Samuel & Franc. Hendorſe	7.	152.	4.	Hæred.	Nihil.

IN CAMERA PRINCIPALI NASSAU.

Nomina hortorum cum situ.	*Possessores.*	*Quot mancipia requirant?*	*Reditus annuus.* Rhlr.	*Quot mancipia alant?*	*Pretium.* Rhlr.	*Debita.* Rhlr.
	Joh. Pignola	12.	158.	20.	184.	Nihil.
	Benedictus Lambroy	4.	55.	3.	170.	Nihil.
	Cornel. Ferdinand	4.	101.	28.	200.	1322.
	Hond van Vos & Maur. Janſen	8.	422.	7.	8500.	4400.
	Heſter Chriſtophelſen	10.	- -	1.	- - -	150.
	Anton Mouſſum	24.	197.	10.	1450.	1320.
	Bakker Moor	13.	45.	3.	250.	250.
	May Java	9.	- -	4.	500.	330.
	Vidua Wilh. Mauritii	34.	63.	7.	1800.	2891.
	Joh. Peterſen Stoltzman	20.	120.	25.	4400.	2050.
	Moyſes Cornelius & Bento Symonſen	9.	179.	15.	Hæred.	100.
	Vidua Loef Henrichſen	16.	22.	18.	1400.	2050.
	Joh. Dias	15.	150.	8.	Hæred.	590.
Oren-	Barent Antoniſen	60.	821.	25.	7000.	7000.
totte	Vidua Samuelis de Leit	69.	993.	60.	8500.	10060.
Waling maj.	David Bartelſen hortum ſuum non ſine jactura inſigni vendidit Barentio Cops	55.	674.	40.	6600.	6600.

IN CAMERA PRINCIPALI NASSAU.

Nomina hortorum cum ſitu.	*Nomina Poſſeſſorum*	*Quot mancipia exigant?*	*Reditus annuus*	*Quot mancipia alant?*	*Valor*	*Debita.*
Waling. maj.	Vidua Conradi Braayii Thomas Brand.	29.	719.	47.	5000.	5300.
	Joh. Ludov. Aurein Vidua Lucas Craſenius, qui duxit in uxorem Cornel. Wilhelmi Hammeſſeri Viduam. - - -	76.	684.	66.	6500.	4800.
	Wilhelm Barentſen Grand	70.	440.	69.	10000.	10776.
	Ferdinandus Dias - -	33.	301.	15.	3000.	5180.
	Jan Hellebout - - -	18.	496.	34.	4000.	1880.
	SUB CAMERA REVENGI IN PAULO AY.					
	Paulus de Broeck	325½.	1942.	132.	1900.	19719.
	Dirck Peterſen	67½.	633.	42.	8400.	9379.
	Egbert Boudewins hortum à Gonſalvo Baſtianſen emit	48.	257.	19.	1500.	1425.
	Vidua Reimeri Bruquo	40.	143.	5.	- -	1120.
	Ary Henrichſen	45.	220.	19.	1500.	1425.
	Valentin Benike	7.	164.	8.	600.	Nihil.
	Adrian Baſin	4.	20.	- -	Hæred.	Nihil.
	Hend. Paul	13.	66.	2.	470.	593.
	Vidua Joh. Macaſſar	10.	103.	6.	- -	Nihil.
	Jacob Abramſen	13½.	167.	7.	650.	704.
	Franz Kopis	7.	25.	- -	Hæred.	Nihil.
	Habacuc Danielſen	17.	38.	4.	- -	dito.
	Eliæ Janſen Vidua	8.	113.	13.	- -	dito.
	Joh. Bootgen	9.	71.	1.	- -	297.

IN CAMERA PRINCIPALI NASSAU.

Nomina hortorum cum ſitu illorum.	*Nomina Poſſeſſorum*	*Quot mancipia requirant?*	*Reditus annui Rhlr.*	*Quot mancipia alant?*	*Valor Rhlr.*	*Debita. Rhlr.*
	Johann Pieris	9½.	90.	- -	- -	273.
	Peter Kuhlman	9.	87.	5.	280.	1023.
	Andreas Michelſen	7.	32.	3.	- -	122.
	Vidua Petri Cornelii	9.	97.	- -	- -	218.
	Chriſtoph. Meindertſen	12½.	119.	6.	- -	522.
	Simon Peterſen	3.	14.	- -	- -	72.
	Anna Gumaal	17.	34.	6.	- -	445.
	Tobias Janſon	4.	30.	- -	- -	97.
	Mey Laurentii Vidua	3.	25.	1.	- -	Nihil.
	Chriſtoph. Langern	7.	44.	- -	- -	Nihil.
	Vidua Anthon. Janſon	27.	230.	20.	- -	Nihil.
	Bartholom. Cornelius	7.	133.	4.	- -	Nihil.
	Baſtian Conſalvo	16.	192.	4.	- -	Nihil.
	Johann Baſtianſen	8.	34.	3.	- -	300.
	Philippus Jacobſen	3.	5.	- -	- -	Nihil.
	Vidua Joh. Bottii	24.	52.	4.	- -	1082.
	Pedro Rodrigo hortum à Dn. de la Montaigne emit	8.	30.	1.	- -	Nihil.
	Joh. Botte	2.	9.	- -	- -	dito.
	Hæc in unam redacta ſummam faciunt	255½.	2288½.	1835.	218020.	227117.

Quodſi jam ea, quæ ad ſuſtentationem mancipiorum, apparatum inſtrumentorum ad conſervandum hortum requiſitorum, una cum reſtantibus uſuris, ½. imperial. per menſem ſupputando, inde ſubtrahimus, idem oſtendere poterit, quid conſtare debeat hortus & quò pretiò coëmendus ſit?

Reliqua enim commoda, quæ ultra aromata ex horto fluunt, non aliter conſiderari & ſupputari poſſunt, quàm ut pro ſuſtentatione hortulani & poſſeſſoris ipſius, una cum mercede & numero mancipiorum (qui ſive per deſertionem, ſive per mortem imminui ſolet) per novorum emtionem conſervando, impendantur.

Quò igitur ſciatur & comprehendatur, quid ad ſuſtentationem mancipiorum & apparatum hortorum neceſſarium ſit, & per anni curſum inſumatur, ſeqq. exempli loco inſervire poſſunt:

XXX. perſonæ annuatim 3½. ſaccis (*Laſt*) oryzæ indigent, ſi quævis menſtruatim 30. ℔. conſumit: ſacco jam 25. thaleris æſtimato exſurgunt inde rhlr. - - - - - - - 91½.

Veſtimenta, pro unoquovis mancipio 1. rhlr. per annum, requirunt - - - 30.

Obſonia ac donaria extraordinaria, circa novi anni primordia & tempore meſſis &c. illis dividenda, ſingulos pro ſingulis ½. thaler. cenſendo omni die, fac. - - - - - 68½.

Apparatus ad hortum neceſſarius per annum - - - - - - - - 20.

Prodit Summa - - 210. cum ½. thaler. Quæ neceſſariò ad hortum, XXX. perſonis colendum, requiruntur.

Ad genuinum igitur valorem horti XXX. animarum porrò noſſe expedit, quantum aromatum annuatim proferat, & ſi inde ſumtus inevitabiles detraxeris, reliquum juxta uſuras inde exſpectandas ſupputando ſtatim ſummam capitalem demonſtrabit, quâ hortus emendus eſt. Exempli gratia:

Si hortus XXX. animarum ſingulis annis tantum aromatum ferat, quod nummis uncialibus - - - - - - 419½. vendi poteſt: ab hac ſumma impenſæ inevitabiles, jam ſupra calculatæ, detrahantur ſcilicet - - - rhlr. - - 210½. ſic pro uſuris capitalis remanebunt - 209. imp.

Hinc ſequitur hortum talem XXX. animarum, pro 419½. Imperialibus aromata fundentem, uſuris ad ½. pro cento menſtruatim ſupputatis, una cùm mancipiis, tantum 3500. imperialium pretio dignum, nec carius vel majori pretio emendum eſſe, ſi poſſeſſor conſervari & Societas Illuſtris omnibus, ut decet, aromatibus frui debeat.

Quando jam hortus XXX. animarum 3500. (ut ante ſupputabatur) Imperialibus venit & unumquodvis Mancipium 40. Imperialibus red-

redimitur, conjunctim autem — 1200. Imper. ipsius soli (cujus dominium directum penes Soc. Illustrem manet) æstimatio in se valebit numm. uncial. - - - - - 2300.

conjunctim - - - 3500.

Quodsi jam hortus XXX. personarum aromatum quantitatem 419½. imper. constantem præbet, habita in calculo proportione haud difficulter inveniri poterit, quantum & alii horti (specificatis prius personis) submini-strent.

Unde jam firmiter concludimus eundem necessariò periclitari, & in solvendis usuris pro capitali tot imperialium jacturam pati, qui hortum aromatarium justo carius emerit: dum hortulanus eosdem (si vitam & fidem suam salvari voluerit) vix aliunde quam è distractione aromatum lucrari potest, ad debitum interesse solvendum: alioquin vix subsisteret, sed brevi ad incitas redigeretur.

Quomodo efficiatur, ne pomaria carius, quam merentur, emantur?

Medium, quo cavetur; ne horti aromatarii, aut pomaria ultra pretium & valorem genuinum solvantur aut coemantur, hoc est, si v.g. ad coëmendum hortum 4000. imperial. æstimatum, 1000. imperiales offerantur, ut sub exhibitione horti statim solvantur. Quoniam jam venditor (si juxta tenorem hujus pacti non solvitur) vi juris recepti (cum tanta sit oppignoratio) primus omnium ad horti venditionem (ut solvatur) admittitur, ac emtor, sive velit, sive nolit, venditionem ejus admittere & permittere tenetur; hinc sponte sua fluit emtorem omnia prius exactè pensitaturum & supputaturum esse, quid hortus valeat, quid ferre recuset, eumque justo carius emturum non esse, ni pecuniam suam datâ opera profundere, & si ab infortunio quodam obrutus hortum suum rursus vendere cogeretur, pecuniæ ejus, quam ultra pretium genuinum & valorem internum antea solverat, jacturam ferre velit.

Quâ ratione pomaria absque ære alieno contrahendo emi possint?

Hoc commodissime absque ullo sive venditoris, sive emtoris detrimento fieri potest, si hortus ita venditur, ut statim certa nummorum quantitas paratâ pecuniâ solvatur, aliaque summa singulis annis, una cum usuris consuetis, numeretur, donec in solidum omnia successivè soluta sint, & tamen interea omnia ad venditionem obligata maneant. v.g. Ponamus vi pacti mille thaleros sub oblatione horti paratâ pecuniâ solvi & abhinc emtorem annuatim 500. imperial. cum usuris stipulari, ipsa emtio (quæ paratam pecuniam solvendo 4000. imperiales requirit) 488⅓. dimidium pro cento singulis mensibus annumerando, suppeditabit: hocque casu venditor terminos suos solutionis, una cum fœnore, aliis pro pecuniâ paratâ relinquere poterit, dummodò sint, qui nummos in arca sine usuris reconditos habeant: ut in Patria toto die accidit.

1000. hos Joachimicos Emtor hortorum aromaticorum penes hunc aut illum, vel cum venditoris permissione, usuras illas stipulando, haud difficulter obtinere poterit: hoc tantùm excepto, ne singulis mensibus plus quàm ½. thaler. solvatur aut acceptetur, alioquin sententia judicialis non sequeretur. Quo casu Exhibitor in novo Emtore periclitaretur, cum nesciat (infortunio cumprimis interveniente & venditionem horti urgente) an tantum, quantum emtor elocavit, refundere possit? In tantum igitur emtor hortorum non plus valet, quam persona particularis, nec pro possessore horti haberi potest, dum per pecuniam denique in talem evadit. Quapropter tamdiu, quamdiu pecuniâ caret, possessor hortorum fieri nequit, nec ut possessor, sed ut persona privata pecuniam acceptat.

PARS ULTIMA

DE IIS

QUÆ ILLUSTRIS SOCIETAS PRÆSTARE VALEAT, UT HORTULANI IN BANDA EO MELIUS ALI ET SUBLEVARI POSSINT?

DE ONERIBUS

Quibus Hortulani ab Illustri Societate gravantur.

ONera ab hortulanis ferenda parvi sunt momenti, qualia sunt, quibus necessitate exigente, in recognitionem feudi, Dominis territorii, pro facultate sua, officia prædam & servitia præstare tenentur, prout fidos subditos & vasallos decet.

Similiter annuatim Domino territorii decimas aromatum exſolvere tenentur, & ut hortorum, ut decet, legitimam curam agant, eos colant, novis plantationibus augeant, conſervent & depurent, illis pariter incumbit, ut de omnibus rationem reddant.

Quia etiam pomaria aromataria nihil aliud ſunt quam bona feudalia, hinc poſſeſſori eadem divendere & alienare non licet, niſi expreſſus Nobiliſſ. Dn. Gubernatoris conſenſus accedat.

Conceſſa igitur venditione, decimæ legitimæ (quæ reſpectu mancipiorum & reliquorum bonorum allodialium ad vigeſimam tantum emtionis aut feudi partem adſtringuntur) Domino territorii ſolvendæ ſunt, quoniam ſolum & aromata bona ejus propria ſunt; adeoque Hortulani per contributionem voluntariam nihil aliud quam Conductores & Poſſeſſores ejus redduntur, ut aromata accurate colligant & offerant: pro quo labore non plus, quam 1. thalerum pro 1. Catti Banda macis & 4. thaleros pro 40. Cattis Banda nucum moſchatarum ſperare poſſunt, dummodo ita comparata ſint, ut à corruptione immunes conſervari poſſint: hac tamen conditione, quod hic decimæ decurtari nequeant; adeoque aromata nemini quam Domino territorii offerri vendique poſſunt, idque ſub pœna graviſſima.

DE

EMOLUMENTIS,

Quæ hortulani onerum intuitu ab Illuſtri Societate hauriunt.

COmmoda & beneficia, quibus Poſſeſſores hortorum fruuntur, quamplura & fere ſuperflua ſunt, v. g.

Pretium oryzæ, cujus ſaccum vel molem (ein Laſt) non pluris, quam XXV. thal. æſtimarunt non tantum Domini Illuſtres, ſed & curarunt, ut toti Inſulæ Bandæ, quantum requirit, ea proſpicatur,

Similiter Illuſtres Domini ordinarunt, ut in Mancipiorum emtione pro unoquovis viro aut muliere, juniore adhuc & prudente, tantum 40. thaleri ſolverentur, nec carius emerentur. Ut adeoque par, vir ſcil. c. uxore, 80. thaleris veneant. Adhæc ſenior præ juniore pro re natâ æſtimandus eſt.

Porrò Nobiliſſ. Societas permiſit, ut in Banda XX. circiter veſicæ furnique deſtillationi Araki ſeu ſpiritus vini erecta fuerint, quo poſſeſſores hortorum Sury ſuum & Arack LX. thalerorum pretio divendere poſſint, ſive jam Illuſtris Societas, ſive alii eò indigeant. Ubi inſimul cautum eſt, ut Incolæ Amboinenſes Arak ſuum è Banda, neutiquam è Batavia nova, petere & emere teneantur.

Adhæc Poſſeſſoribus hortorum indulgetur, ut loco $\frac{1}{7}$. pro cento, loco uſurarum olim ſolvendarum, nunc dimidio creditoribus ſuis ſatisfacere poſſint.

An verò privilegium hoc, ſeu, ſi mavis indulgentia ad illos quoque Poſſeſſores, qui poſt ultimum diem Novembris A. 1682. hortos ſuos emerunt, extendendum ſit, ita ut pariter menſtruatim $\frac{1}{4}$. loco intereſſe ſolvere & ſatisfacere poſſint? aliquam adhuc conſiderationem meretur.

Equidem finis & intentio, cur hoc illis hortulanis, qui prædia ſua ante ultimum Novembris diem A. 1682. jamdum poſſidebant, indultum fuerit, hæc fuit, quoniam absque hoc beneficio præſentaneæ ruinæ & perditioni obnoxii erant: quapropter ſumma neceſſitas exigebat, ut illis hoc modo ſuccurreretur. Quum igitur certum ſit, quod in iis, qui hortos ſuos poſt ultimum Novembris emerunt, tale periculum non ſubſit, cum optimè ſciverint, quanti horti ſint emendi & quâ ratione ſibimet ipſis ſufficienter proſpicere & ab interitu ſe vindicare poſſint. Item quod nummos, quibus indigebant, talibus uſuris, quibus poſſint ac vellent, obtinuerint, ſicque hortos juſto carius non emerint; hinc videri poſſet beneficium hoc illos non concernere vel manere.

Poſtquam autem Domini noſtri in quibusdam articulis Inſtructionis de A. 1650. mandarunt & juſſerunt, ut civibus Bandaſienſibus (ſub quibus & Poſſeſſores hortorum comprehenduntur) omnibus poſſibilibus officiis gratificaremur, quo Banda in ſtatu florido conſervetur & ſimul Hortulani inſtigarentur, ut omnes nervos viresque ad aromata bene colligenda & minus negligenda intenderent, ſicque omnia aromata (quorum intuitu tam immenſæ opes & expenſæ inſumtæ & tantum ſanguinis humani profuſum fuit) Illuſtri Societati Indicæ in commodum & uſum cederent; hinc neceſſarium & proficuum erat, ut tam adventitii, quam antiqui Pomariorum Poſſeſſores beneficio hoc (quo $\frac{1}{4}$. pro cento loco uſurarum menſtrualium ſolvunt) fruerentur, quod ipſum tamen in cauſa eſſe nequit, ut horti majori, quam valent, pretio divendantur, dummodo modus ille, quem ſupra de emtione bonorum propoſuimus & ſuaſimus, obſervetur. Hoc ſi fiet, univerſæ Inſulæ Bandæ eo ipſo conſultum erit.

Hic

Hîc autem de novô in deliberationem venit, an Collegia de Weesm. Diaconyo &c. quoque prærogativam illam habeant, quâ Societas Illustris absque ulla contradictione gaudet.

Ubi notandum, quod ratio præferentiæ seu prærogativæ, quam Illustris Societas jure prætendit, longè aliter se habeat, ac illa Collegiorum, dum Societas Nobilissima nemini pecuniam suam credere mutuoque dare solet, nisi eô in casu, ubi mutuo sumens in extrema miseriâ constitutus illâ ab interitu vindicari conservarique potest, nullam ferè usuratum rationem habens, ad quas Collegia sunt intenta. Adhæc Societas Nobil. suis Officialibus gaudet & famulis semper curam gerere tenetur eorum quæ possident, an ea fortè, quæ ipsis concredita sunt, negligant, dum ubique res agitur. Hi si acceptantur & conducuntur, ut Societatis Illustris bona observent, suo fruuntur salario, & consequenter obligati manent, ut, si fortè in iis quæ illis crediderant, jacturam patiantur, omnium rationem reddant. Quapropter Illustris Societas libertatem habet non tantum è facultatibus illorum, sed & existimatione atque sanguine solutionem petere, sicque in omnibus, quæ possident, indemnisationem quærere, idque nemine (sub prærogativæ alicujus prætextu) illud impediente aut recusante; & quid, quæso, Collegia, nummos suos in fœnore ponentia, illudque, quod paciscuntur, spectantia, aliud sunt, quam personæ privatæ idem præstantes? quapropter consequenter majore privatis jure non gaudent: nisi fors eô in casu, quo tam Collegia, quam particulares personæ pecuniam suam uno eodemque die aliis crediderint, eandemque hypothecam acceperint, ita ut nesciatur, quis illorum primus aut ultimus fuerit creditor: ubi procul dubio Collegia præferri debent.

Similiter si adhuc media ac subsidia, in hypotheca nominata & obærata, supersint, debitoresque adhuc solvendo sunt, Collegia pariter præferenda essent.

Quodsi & persona aliqua ultra pecuniam à Collegis acceptam adhuc facultatibus quibusdam gaudeat, in bonis adhuc liberis Collegia etiam præferuntur, in reliquis non item.

Respectu autem nummorum, à Collegiis iis personis, quæ jam ad incitas redactæ sunt, creditorum, Collegia nulla prærogativâ aut præferentiâ gaudent, sed ad concursum creditorum ablegari debent: alioquin res sane misera & iniqua foret, si is, cui persona quædam privata pecuniam suam eo, cum adhuc floreret tempore, crediderat, postmodum ad incitas redactus Collegium quoddam adeat, nummos ab hoc mutuò sumat, hocque tandem priori personæ privatæ præferri deberet, quod meo quidem judicio prorsus irrationale & iniquum esset: quamvis omnia Saniorum judicio relinquam. Ecquis enim urget aut jubet Collegia ut facultas suas aliis mutuo dent & periclitentur? nonne omnia spe lucri & fœnoris agunt? Unde sequitur, quod, si pecuniam suam malè elocârint, id sibi imputare debeant, nec eapropter aliis præferri possint, sed ad concursum venire teneantur.

Restant adhuc alia quædam beneficia, quibus Societas Illustris (si placeret) hortulanos mactare posset, ut hortorum & aromatum majorem curam agerent, omniaque ut decet, I. S. offerrent.

Quamvis hortorum aromaticorum Possessores per gratiosa, quæ supra enumeravimus, adminicula Societati Nobilissimæ summoperè obstricti & ad æternam gratitudinem obligati sint, nec ullam causam habeant plura ab Illustri Societate desiderandi: attamen nobis quidem (sub correctione per meliorem opinionem) videtur, quod Possessores hortorum (qui sub oneribus durioribus qs. succumbunt & vix salvari possunt) gratia & favore Societatis Illustris (ultra tot immerita beneficia) haud difficulter liberari & portari possent, si his in locis annuatim 200. circiter Mancipia procurarentur, non tamen ex alia, quam Orientalium prosapiâ, cum natio hæc ad clima id adsuefacta incommoda nonnulla facilius perferre valeat, nec tam facilè emoriatur; quod non tantum hortulanos à miseriâ sua liberandos, sed & ipsam Societatem in obtinendis copiosis nucibus & mace probæ notæ juvare posset, cum ultimô octiduo maturitatis suæ fructus hi majorem, ac alio tempore, perfectionem & magnitudinem nanciscantur, & sicut hac ratione macis in viribus augetur, sic nuces quoque ratione quantitatis corporeæ completiores & pleniores redduntur. Jam verò illi, qui plura alunt mancipia, nuces suas ad majorem maturitatem deducere possunt, diutius illas in arboribus relinquendo, cùm non habeant, quò vereantur, ne messis tempore, ob fructuum copiam, corrumpantur, dum per majorem mancipiorum numerum easdem salvare possunt: cùm econtra alii paucis mancipiis gaudentes mire se torquere & movere teneantur, quo messis tempore aromata sua colligant & auferant; quamobrem & citius, quam alii, messem suam exordiri tenentur, sicque cum nucibus moschatis maturis plures etiam immaturas decutiunt: unde sequitur Hortulanos paucas corpulentas & pingues, sed econtra plures rompos, aut & mediocres nuces, cum mace viliori, nanciscantur, nec meliores offerre possint: cùm econtrario illi Hortulani, qui legitimum maturitatis tempus expectant, maxima ex parte solidas, pingues, paucas aut mediocres, & simul macem crassiorem & rubicundiorem accipiant & offerant, quæ ut pondus, ita reditus quoque pomariorum augent.

Si pariter Nobiliss. Societas acquiesceret hunc Hortulanis favorem exhibere, ut quævis libratio (*Weegsel*) seu 40. Catti Banda Nucum Moscha-

Moschatarum pretio 4½. Joachimicorum solveret, summam inde utilitatem haustura esset, cùm possessores hortorum majorem sic diligentiam & fervorem in nucum collectione adhibituri essent, quàm pro nunc observare licet, dum ipsas, intuitu pretii vilioris & temporis insumendi, Societati Nobilissimæ (cumprimis si mace privatæ sunt) ferè gratis offerunt, cum Mancipia (quæ nuces ad oblationem præparare coguntur) toto illo tempore vix nudam oryzam lucrari possint. Quodsi verò ultra pretium commune adhuc dimidium thalerum acciperent, majorem curam & sollicitudinem adhibituri essent, ut nullam nucum jacturam facerent, sed omnes conservarent.

Quodsi & Viris Illustribus Soc. placeret prudentissima sua providentia curare, ut Banda nullo non tempore tali oryzæ copiâ gauderet, ut farina Sagu (quæ in defectu oryzæ dispensari solet & debet) carere possit, hoc sane possessoribus hortorum in cibatione mancipiorum summè proficuum foret.

Magno etiam solatio, ut nonnulli opinantur, foret Hortulanis, si pace jussuque Soc. Ill. fieri posset, ut Ternatenses & Macarienses, ad instar Amboinensium, tenerentur Arac suum è Banda petere & acquirere. Quandoquidem verò illi, qui vesica ad destillandum Arac sunt instructi, ad hoc negotium XI. vel XII. Mancipiis indigent, quæ vix aliud operari possunt, quàm ut Tabaci insimul curam gerant, aliàs autem vesicas observent, sicque in nucum moschatarum collectione nullum servitium præstare valent &c. hinc dubitare quis posset, annon id ipsum ad detrimentum potius hortorum, quàm commodum Soc. Illustris vergat? quod maturiori Prudentum judicio relinquimus.

In omnem eventum Hortulanis etiam solatio esset, si Soc. Illustr. procuraret, ut anisum & reliquus apparatus, in vesicis & serpentinis destillationi Arak destinatis necessarius, pretio tolerabili haberi possent.

Et quoniam Possessores hortorum se non tam ut mancipia, sed ut viri honesti tractari patiuntur, annuatim illis 6. dolia butyri, pro illorum provisione, procurari possent, cùm in Banda nullæ officinæ mulctoriæ reperiantur.

Tandem hoc beneficii & favoris genus possessoribus hortorum aromaticorũ etiam summè proficuum esset, si Illustris Societas Creditoribus illorum aut dimidiam debitorum partem, aut tantum, quantum illi placuerit, persolverent, & abhinc illis sub oblatione aromatum solutum eô forte modô decurtaret, ut usuræ æris alieni, & abhinc tota ejus summa successivè detrahatur. Hac ratione à duro debitorum onere liberari possent, quod, nostro quidem judicio, nulla alia ratione fieri poterit. Id sane eosdem non tantum ad æternam gratitudinem, sed & ad officiorum suorum promptitudinem & continuationem obligare posset; quæ omnia tamen Prudentiorum judicio relinquimus.

XXVI.

RELATIO
DE
PIPERE EJUSQUE PLANTATIONE
in Tractu Occidentali

PIper eodem ferè modô ac Betel excolitur, prout & plantæ utriusque magnam inter se similitudinem alunt, nisi quod folia piperis quodammodò corpulentiora sint foliis Betel, aliumque saporem habeant. Magnitudo & figura illorum ex Tab. V. apparet.

Loca, quò plantatur, è pinguiori terrâ, quodammodò tamen furfuraceâ, constat.

Hanc terram primò arant sedulò, absque stercoratione & irrigatione, nisi hortus piperinus haud procul à pagô situs sit, quem aquâ quoque irrorare solent.

Talis hortus piperinus in plagâ Occidentali *Dziundziong Lada* nominatur, aliæque plantationes, post arborum exscissionem, in sylvis sepibus cingi non solent.

Plantæ piperinæ certis seriebus, *Dziadzia* dictis, ad radicem arborum Tsingkting transplantantur, postquam jam ante è terra sucrevcrunt, to-kaks, aut plantæ, præterpropter in unâ serie.

Hæc plantatio eô tempore instituitur, quô die quovis 5. aut 6. semel pluit, non verò aliâ nimis humidâ aeris constitutione, aut pluviis conti-

Piper Nigrum







Anil unde jndigo paratur



continuis graſſantibus alioquin plantæ corrumperentur: quemadmodum aliâs quoque nimiæ pluviæ huic plantæ valdè nocivæ ſunt.

Sub ipſo plantationis actu ſurculum (quem Zowas vocant) tribus capitibus, Mara dictis, inſtructum, per 2. aut 3. dies in aqua fervida prius maceratum terræ committunt, cum non obſervatâ hac cautelâ ægrè ſuccreſcat.

Locus ipſe à zizanio, huic plantæ admodum nocivo, depurandus eſt: & ſi planta quodammodò propullulavit, terram quodammodo circa eandem coacervant, ut plures caules ſurſum verſus trudat, plures inſimul radices agat & efficacior reddatur.

Binis abhinc annis primus ramuſculus fructus trudit, quos *Oovvali Marania*, ramuſculum verò *Marania* ſimpliciter nominant. Arboris ipſius truncus tandem brachii humani craſſitiem nanciſcitur.

Arborem hanc unoquovis anno bis fructibus ſuis privant: hos autem inſequentes, ſeu ultimos fructus, *Mematſier* vocant.

Meſſis major, quarto quovis anno contingens, *Pung' ut beſar* dicitur.

Tempus meſſi piperinæ dictatum *Muſim Mampir Lada* vocatur: Florem autem *Membunſi* appellant, qui 3. circiter menſes fructum antecedit.

Una eademque arbor ad decimum usque annum durat & fructus fert, interdum & ad annum XV. ſi benè excolitur. Annoſam ejusmodi arborem *Baka* nominant. His effluxis arbores exſcindunt & in locum illarum alias plantant. Surculus ejus *Janghei* audit.

Pro PIPERE ALBO EFFICIENDO nigrum ad perfectam maturitatem deducunt, quod ubi decerpſerint, in foſſam dejiciunt, ibique macerare aut putreſcere ſinunt, donec poſt 3. dies cortices deſiliant. Hôc facto aquæ infundunt, crebrius movent, & ſemper ∇. reaffundendo cortices adhuc reliquos, aquæ tunc innatantes, ſeparant. Abhinc cineres recipiunt albicantes, quibus ſi omnia incruſtata ſunt, Soli ad exſiccandum exponunt. Cineres autem ad albedinẽ piperi conciliandam faciunt. Tandem vannis, *Fampi* dictis, piper ulterius depuratur, ſi piper ſimile album deſideratur & diſtrahi poteſt.

è Msc. HERB. de JAGER.

XXVII.
RELATIO
DE
PLANTATIONE, COLLECTIONE ET EXSICCATIONE INDICI,
vulgò INDIGO dicti, prout in regione Tſinſie & vicinis locis exerceri ſolet.

OPrimum & aptiſſimum ſolum ad plantandum Indicum è ¾. arenæ, quæ ¼. part. furfurum permixta ſit, conſtat; & licet planta hæc, circa Devenapatan in locis prorſus arenoſis vegetetur, hoc ipſum tamen in defectu melioris ſoli tantùm fieri ſolet: quapropter & his in locis tenuior quodammodò & mactior ſuccreſcit. Adhæc loca utplurimùm excelſa & ſiccißima eliguntur, quæ neque à fluviò quodam, neque ſtagno humectari poſſint, quùm ad vegetationem hujus plantæ pluviæ ordinariæ ſufficiant; ut taceam terras humiliores, quæ irrigari & aquâ inundari poſſunt, ad alias potius magisque proficuas herbas, quam ad colendum Indicum deſtinari poſſe. Accedit & hoc, quod fundi nimis humidi plantam hanc ſuffocare, aut ad minimum cauſari poſſint, ne Indicum bonæ notæ propullulet.

Hoc ergò ſolum circa tempus pluvioſum, menſe præterpropter Septembri una vel alterâ vice ad profunditatem unius pedis, plus minusve, aratur, ſicque ad finem tempeſtatis pluvioſæ, h. e. menſis Decembris, ut in ſe ipsô ſubigatur, relinquitur, donec ſecundâ vice aratro ſulcari, ſemenque, tempore itidem pluvioſo, immitti & ſubarari poſſit, vegetationem reliquis ſubſecuturis pluviis committendo. Quodſi jam herba, una cum ſuo caule, ad 4. circiter digitorum eminentiam è terrâ pullulaverit, à zizaniô circumſtante depuranda & liberanda eſt: ubi probè cavendum, ne alia quædam herba, Indicô quam ſimilima, illîc relinquatur, quæ alioquin ſimul ſuccreſcere & abhinc cum veró & genuinô Indicô, non ſine damno, abſcindi poſſet.

Indicum hoc interea ad Februarium præterpropter ſuccreſcit, eousque ſcilicet, donec in flores ſe induat & ſemen proferat, ubi cum foliis inferioribus ſimul flaveſcentibus abſcindi debet. Figura totius plantæ ejusque partes in TAB. VI. depictæ ſunt.

Sub ipsâ messe cautè procedendum provideque agendum est, observando probè, ut de ramusculis, è caule communi surgentibus, aliquid, ad latitudinem manus circiter, illic relinquatur, ne per nimiam amputationem repullulatio inhibeatur aut impediatur, cum jamdum planta hæc facilimè emori soleat, nisi statim post rescissionem surculorum pluviâ quadam refocilletur, aut aliâs per fluvium aliquem aut stagnum adjacens humectari possit.

Quodsi enim pluviâ statim post messem irroretur, post tres menses elapsos de novô resecari potest, vel paulò serius, si pluvia quodammodò tarior cecidit: sub quâ secundâ messe eædem cautelæ, quæ in primâ allegatæ sunt, observentur.

Post hanc plantis nova vegetatio indulgetur, donec tertia messis sequatur, quæ elapsis à præcedente tribus mensibus ordinariò sequi solet, quô tempore semen insimul colligi potest & exsiccari, ut eô genuino sementis tempore uti possint; licet non desint, qui semen in secundâ messe colligendum esse statuunt, quum eô tempore magis efficax sit: id quod probabilitate non caret.

Omnes hæ plantæ demetationis tempore serenô, Sole lucente, quartâ unius diei parte absolvi debent, eaque quæ collecta sunt in areâ planâ propinquâ & solo depurato, usque ad horam quartam pomeridianam, relinquuntur, ut intra tempus hoc quodammodò exsiccata râstro in acervum redigantur, & postquam baculis ad id negotium paratis tamdiu tritutata fuerunt, donec omnia folia à ramulis separata sint, hæc ipsa corradantur & in corbibus in locum sicciorem & occlusum, ne venti eò penetrent, deportentur. Alio, eoque proximè sequenti, die serenô folia decussa in alium locum siccioremaëri aperto rursus exponuntur, & tamdiu ut antea præterpropter exsiccantur, tamdiu etiam de novô fustigantur, donec major foliorum pars in frusta comminura sit, quô factô eadem denuò colliguntur & in siccum ac ventis minus pervium locum (cujus pavimentum stramine mappâ obducto munitum est) deportantur, cui, non attactis muris, ratô ordine inspergenda sunt; & quamprimum hi acervi, non tantum in circumferentia & lateribus, sed in summitate quoque alio de novô stramine & integumentis investiti & obtecti sunt, per 20. circiter aut 25. dies illic relinquuntur, donec folia apta nata sint, è quibus Indicum eliciatur.

Hæc, quæ præmissa fuit, exsiccatio in Sole duplicem usum habet: 1. enim aquositatem è foliis excutit & 2. folia aptiora reddit, ut per triturationem & fustigationem eò promptius in frusta comminui possint, cum, si folia exsiccata non fuissent, succus Indici simul exueteretur, eaque putredini & situi magis obnoxia essent.

Quod autem ipsa folia modô supradictô in locum occlusum deportentur & recondantur, eâ de causâ accidit, ut quodammodò resoluta atque præparata majori facilitate Indicum fundant. Quamvis, ut hariolor, & ad quantitatem ejus augendam inserviat, cum vapores continui & exhalationes in similibus locis obscuris multum eò contribuere valeant.

Quantum seminis ad aream sepimento cinctam requiratur & quales inde reditus sperari possint, certò determinare non possum, licet mihi relatum sit ad duo jugera XII. Mackal præterpropter requiri & sub quavis messe, unam pro altera sumendo, 40. circiter Parra (quorum unumquodvis 11½. Mackal foliorum habet) obtineri. Sed, ut modò dixi, certò id sustinere nequeo, quum assertionibus harum incolarum, utut illorum nihil interfit, tuto fidere non possimus, nisi aliquot eorum in datis responsionibus conveniant & concordent.

XXVIII.

RELATIO

QUA RATIONE OPTIMUM ET GENUINUM INDICUM IN ORIS SUPRADICTIS PARETUR?

FOliis eâ, quam in antecedentibus ostendimus, ratione, præparatis, ad fontem vel flumen aliquod, nullo hîc discrimine habito, sive aqua dulcis sive salsa, modò clara, pellucida nec turbida sit, deportantur, ut Indicum ex illis eliciatur. Ad hoc ipsum negotium loco instrumentorum ollæ quædam humiles, sed amplô orificiô præditæ, requiruntur, altitudinem unius pedis præterpropter & in superiori parte, circa orificium, 1½. pedis latitudinem habentes, quarum unaquævis 3. circiter Parra aquæ capiat. Hæ foliis macerandis inserviunt. Præter has totidem altæ & angustiori orificio instructæ ollæ requiruntur, 7. ad 8. Parrorum capaces, quæ ab infimo fundo ad ⅔. altitudinis circiter se ampliant & tandem in orificium angustum (in diametro ferè pedem habens) desinunt & aquam Indico prægnantem recipere debent, ut illic concu-

concutiatur & commoveatur inibique ab Indico ſeparetur, quas in ſubſequentibus ollas collectorias vocabimus.

Prius memoratæ humiliores & latiori orificio præditæ ollæ, ad ⅔. circiter partes capacitatis ſuæ, aquâ repletæ ſint, oportet, in quas folia ante præparata, 24. libras in ſingulas diſpenſando, injiciuntur, & poſtquam in aquâ probè concuſſa ſunt, omnia ab horâ 10. matutinâ ad horam primam pomeridianam circiter ſummo Solis calori exponuntur, quâ de causâ clara & ſerena dies requiritur & eligitur. Intra 4. horas folia intumeſcere, & pedetentim ſubſtantiam quandam viſcidam, inſtar fæcis fermentantis, ejicere incipiunt, quæ tandem purpuraſcit & indicio eſt folia debitum in macerationc tempus ſuperaſſe.

Hoc factô linteum denſum orificio ſupradictarum ollarum collectoriarum ſuperextendunt, firmiter illud alligando, aliâque ollâ figulinâ, orificiô anguſtiori præditâ, è dictis ollis maceratoriis omnem aquoſitatem maceratis innatantem exhauriunt, poſtquam omnia prius commota & concuſſa fuerant, exhauſtam per linteum in ollas collectorias infundunt, & abhinc folia macerata utraque manu ſupra linteum exprimunt, folia de novô in ollas maceratorias rejiciunt, aquam reaffundunt, omnia probè concutiunt, aquam rurſus in ollas collectorias exhauriunt, & folia, ut ante, manibus exprimunt, quorum ſuccus reliquis aquis Indico prægnantibus affunditur.

Finitô hoc labore folia ſic exhauſta & expreſſa ultima vice in ollas maceratorias immittunt, ſimul tamen ollas ſupradictas, exhauſtioni dicatas, ad fundum ollarum maceratoriarum præcipitant, ut circumcirca à foliis expreſſis obtegantur & in illis quaſi ſepultæ ſint. Abhinc tamdiu aquam recentem reaffundunt, donec ollæ exhauſtoriæ emergant & qs. innatent, tandemque aquam, quæ folia penetrârat, denuò in ollas collectorias decantant, idque tamdiu continuant, donec in aquâ nil viridis amplius appareat: ſicque folia prorſus exſucca & exhauſta rejiciunt, quæ ad ſtercorandos campos, oryzæ ſerendæ deſtinatos, utiliſſima dicuntur.

Abhinc ollæ maceratoriæ ab ollis collectoriis ſeparantur, ſingulæ de ſingulis, linteum ab orificio poſteriorum removetur, ubi ſpuma omninò purpurea aquæ illîc contentæ innatare videtur, reſiduis viridem colorem obtinentibus. Hanc aquam & tincturam poſtmodum haud aliter conquaſſant & concutiunt, ac ipſum lac in vaſe butyraceô ſubigi & quaſſari ſolet, ubi ſpuma primum pallidè purpurea exſurgit, quæ ſucceſſivè candidior evadit, donec tandem colorem cœruleum nanciſcatur, Indicique aqua prorſus atra & nigricans appareat.

Omnibus jam conquaſſando permixtis totam mixturam per unam aut alteram horam ſibi relinquunt, iisque elapſis ſemel, bis, vel ter tudite ſeu fuſte ſubigunt: quô factô ollam hanc de novo integumento quodam operiunt & tamdiu immotam relinquunt, donec pars turbida & terreſtris (quæ Indicum propriè conſtituit) ab aquis ſeceſſerit & ſeparata fuerit.

Tudes ſeu fuſtis conquaſſatorius modò dictus, ad aquam concutiendam & permiſcendam deſtinatus, è fruſto arundinis (Bambuſen nominant) conſtat, craſſitudine brachium infantis adæquante, quod in extremitate diffindunt, huicque fiſſuræ orbem rotundam, ¼. ped. Geom. circiter in diametro habentem, inſerunt, firmant & colligant omnia, ſicque altera arundinis extremitas manubrii officiô defungitur.

Inſequente die, horâ circiter octavâ vel nonâ, jus per canaliculum aut ſiphunculum (qui ad manus latitudinem à fundo ollarum collectoriarum inſertus eſt) extrahunt & quicquid magis fluidum eſt è liquore promanare ſinunt, quod colorem rubeſcentem habet, cùm econtra id, quod in olla aquæ innatat, ſpumæ purpuraſcentis formâ ludat: quemadmodum & in ſummitate aquæ extractæ rubicundæ quædam & flaveſcentes ſtriæ flammiformes ſe trudunt, cumprimis ſi aqua prius fortiter quatiatur.

Hæc ſpuma, detractâ prius omni aquoſitate, manu detrahitur & cum reliqua materiâ turbidâ probè reunitur & incorporatur. Totum autem hoc ſedimentum, effluxis omnibus particulis aqueis, in ipsâ ollâ bis vel ter pinſendo qs. permiſcetur, ollæ manubriô, inſtructæ immittitur, quâ ad aream, ex arena aridâ conſtantem, deportatur, in qua aliquot ante horas, ſub intenſiſſimô calore Solis, ejusdem figuræ cavitas ſeu foſſula (quæ medium locum occupare & altitudine manus latitudini reſpondere debet) efformata fuerat. Hæc cavea quoad interiorem ſuperficiem linteô ſeu pannô quodam inveſtitur, eoque quadantenus madidô, ut ubivis æqualiter extendatur & omnes ejus partes arenam in fovea contingant. In hanc foſſulam pars Indici turbida, ſupra allegata, ex ollâ, cui manus prætenditur, ſucceſſivè & pedetentim immittitur, ut linteum inundet, per cujus poros nonniſi quod aquoſum penetrare valet: pars verò reſtitans à calore & ſiccitate arenæ extemplò incraſſatur & quodammodo induratur, ſicque ab ulteriori effluxu impeditur; quemadmodum & in ſummitate ejus cuticula concreſcit, quæ ſplendorem qs. purpureum refert.

Hæc omnia per 2. circiter horas & tamdiu illîc relicta, donec ſubſtantia hæc per calorem Solis rimas quasdam agat, conſiſtentiam placentæ, in catino jam formatæ, nanciſcuntur. Hoc factô arrepto cum omnibus extremitatibus linteô placenta in hoc contenta in duas medietates concidere finitur, quas manibus ulterius confringunt, ollæ immittunt, & quod linteo adhuc adhæret deglubunt, hocque cum priori permiſcent & in novam maſſam compingunt, quô

ipsô cuncta molliora fiunt. Tota autem massa aut in arcâ è cineribus compactâ, aut in saxô quodam complanatô & pannô quodam obductô, in placentulas & trochiscos 2½. dig. circiter in diametro habentes & in summitate breviter & densè concurrentes manibus redigitur, qui usque ad horam 4. pomeridianam (qua calor urplurimum remittit) radiis Solaribus exponuntur & abhinc domi reconduntur. Subsequenti die, tempore sereno, repetita vice, ab horâ matutinâ nonâ usque ad ¾ diei partem Soli ad exsiccandum exponuntur, quod idem tertio quoque die, interdum & quartô, eadem ratione observatur, usquedum prorsus exsiccentur: sicque Indicum penitus completum & perfectum fit.

Quod attinet quantitatem Indici, è foliis supradictis expectandam, experientia me docuit, eadem præterpropter $\frac{1}{15}$. aut $\frac{1}{17}$. tantum Indici partem suppeditare, quæ, ut videtur, major quodammodò deberet & posset esse, si planta statim in principiô pluviis sufficientibus irrigetur foliaque crassiora & pinguiora evaderent, quam ea, quæ mihi videre licuit.

PROBA GENUINA INDICI tribus innititur membris: 1. Imponiatur aquæ, cui, si laudabile & genuinum est, innatare debet.

2. Idem in cineres comburatur, & an arena fortè permixta sit, exploretur.

3. Cultrô quodammodò incisum unguibus manus atteratur: quodsi cupreo qs. colore micet, genuinum & probatum erit.

XXIX.

DESCRIPTIO

TUBÆ BACCIFERÆ ET COCCULORUM INDICORUM,

è

Dn. Rumphii Herbario Amboinico Msc. Lib. 7. cap. 18.

Tuba baccifera pampinus est ingens & sylvestris, in officinas *Cocculos Indos* invehens, Malaijanis *Tuba bidii*: Amboinensibus autem *Tuba* vel *Tube*, hæcque species *Tuba Tuni* dicta, cum in lingua Malaijanâ Tuba varias simplicibus, seminibus scil. fructibus & foliis, quibus aut pisces, aut aves capere solent, tribuatur. Ternatanis propriè *Bori* dicitur, quemadmodum altera in præced. cap. 49. lib. 6. *Borriro* nominatur. Bori & Borriro enim incolis illis talia dicuntur quæ vomitum causantur. In Banda planta hæc pariter *Tube* vel *Tube*, & in Java *Boproôn* & Calischicè *Bonproon* audit.

Pampinus hic urplurimum brachii crassitiem habet, imò non raro pedem crassitie adæquat, multis donatus ramusculis & cortice asperrimô. Ramusculi in fibras rigidas, aliis ramis arctè inhærentes, desinunt, quibus folia per certas series è regione disposita, utut alternatim & sigillatim juncta, inhærent, magna quidem & membranæ instar rigida, figuram cordis referentia, apice obtuso instructa, spithamam longa, 9. digitos lata, in parte superiori viridia, infra autem intensè flava & quodammodò lanuginosa. Pedunculis innituntur oblongis & rigidis, prope ortum quodammodò inflexis. In ramis crassioribus fasciculi oblongi succrescunt, longitudine sesquipedem habentes & in diversos surculos divisi, in quibus ab initio noduli albicantes, instar capitum aciculatum, conspiciuntur, qui sub apertione floseulos, sex petalis albicantibus exornatos & retrorsum inflexos, trudunt, in medietate capitulum gerentes, 3. aut 4. granulis, arenarum instar, donatum, unde fructus exsurgunt.

Flos, haud aliter ac Phallus Dæmonum, odorem putrilaginosum spirat. Hunc plurimi fructus, racematim sibi cohærentes, sed uvis minores, sequuntur, qui diu candidi, mox rubicundi & tandem purpurei ac quodammodò nigri apparent, quorum urplurimùm 2. 3. rarò 4. simul pedunculo gryseo, crasso, pyramidali & rugoso insistunt. Sub extimâ carne molliori nucleus reperitur, magnitudine nuclei ceraforum, aut quodammodò majoris, qui rugosus & qs. vitratus est, constans ex putamine duro, sed fragili & uno in latere aperto, cui medulla albicans, in 2. partes divisibilis, includitur.

Lignum in vimine tenax & spongiosum est, quod in pampinis ferè infrangibile est, grana comminuta odore & sapore referens, adeoque nauseosum & adversum.

Planta hæc haud procul à ripa maris, ubi solum lapidosum, prægrandibus rupibus & excelsis arboribus cinctum est, succrescit. In Amboinâ non tam copiosè ac in Ceran, circa regionem Coinbello & veterem Luholiam, reperitur, ubi funes crura suâ crassitie æquantes arboresque scandentes observavi, de quibus fasciculi fructiferi secundum longitudinem dependen-

pendebant. Reperitur etiam in Insula Bandanensi Lontar, magis autem in Celebes, ceu matre rerum venenatarum, cumprimis in provinciis ad tractum montium Bugissanarum sitis.

Usum quod concernit, grana hujus herbæ tantùm ad pisces enecandos desiderantur. Recipiuntur autem grana, sive cum, sive sine carne circumstante, tam recentia, quàm exsiccata, conteruntur cum cancellis minoribus, Cuman dictis & cochlearum testis aut conchas desertas inhabitantibus, (nonnulli & stercoris humani grumos quosdam addunt) indeque pilulas, magnitudine nuclei ceraforum formatas, in aquas, sive dulces, sive salsas, magis tamen stagna ex aquâ marinâ constantia, injiciunt: quô factô pisces catervatim accedunt & sive emortui sive inebriati in summitate natant, ut haud difficulter manibus capi possint.

Pisces hi absque ullo periculo comedi possunt, cum omnes Tubæ species lethali veneno careant, sed tantum stupiditatem aut inebriationem quandam in teneriori systemate nervoso piscium & avium producant. Imò crederem, quod si ebrii hi & dementes hospites recenti statim aquæ injicerentur, eosdem mox restitui in integrum. Haud absimili ratione Incolæ Insularum Papuensium aves Paradisiacas, *Soffu* dictas, capere solent, quæ minores quodammodò nec tam variegatæ sunt ac Aruanenses. Aves hæ turmatim volant, singulis annis certò tempore in Insulas Papuienses advolant, & in parte ejus Meridionali, Gilola Weda dicta, potum suum in cavitatibus arborum excelsarum, quò aliquam è numero suo speculatum mittunt, inquirunt. Revertens inde speculatrix reliquas omnes, si aliquid invenerit, permovet ut inde bibant. Interea Papuienses promptè arbores adscendunt & aquas granis comminutis inficiunt: has si aves hauserint, ebriæ redduntur, ita, ut in terram concidant ac facilimè capi possint.

Macassarii & Bugysii grana hæc, adhuc albicantia & immaturè decerpta, sed in fumô exsiccata, secum afferunt, si per mare in dissitas regiones vehantur, ut, si pisces comedere velint, eosdem prompte capere valeant.

Planta hæc in Ceilon & Malabar quoque reperitur, ubi capros & vaccas sylvestres eâ capere nôrunt, dum scil. grana contusa fructibus Jacas & Soorsackas affricant, ita ut carnem illorum discindant illique grana comminuta impingant, quam vaccæ avidè devorantes inebriantur, ut sine magno labore sive capi, sive ictu bombardarum aut arcuum feriri possint.

XXX.

DESCRIPTIO GANITRI

ex

Herbario Ambonico Dn. Rumphii Msc.

Lib. sc. V. Cap. 16.

Ganitrus pariter est è numero arborum sylvestrium excelsissimarum, in linguâ Malaijanâ, Javanâ & Balierica *Ganitri* aut *Ganiter* audiens. In Celebes penes Bugisianos *Boa Sinia*, & in Amboina *Aymanu* dicitur, quæ vox idem notat ac avium arbor, quum aves majores, annuæ scil. & vespertiliones fructibus ejus vescantur. Alii eandem vocant *Annale*, h. e. arborem annorum, quoniam Ambonenses credunt canes annuatim iis in domibus, in quibus lignum ejus comburitur, emori.

Crassities ejus variat admodum, nec truncus semper rectus, sed quandoque curvus & adeò crassus est, ut vix à binis viris comprehendi possit, licet folia se minus latè diffundant, quum rami principaliores utplurimùm rectâ altum petant & in longa teneraque virgulta dividantur. His folia simpliciter adhærent, nonnulla in series, alia confusè disposita & foliis cerasi fermè, aut præcedenti Lehæ similia, utut quodammodò longiora sint, 7. scilicet digitos in longitudine & 2. in latitudine emetientia, in margine adeò obscurè & accuratè serrata, ut vix observari possit, de cætero verò glabra, subtilibus fibris & brevibus pedunculis, retro tenuibus, instructa. Decidua folia instar cancri elixati rubicunda evadunt. Imò haud pauca arbori adhuc inhærentia eò fere, quô fructus matureſcunt, tempore sic rubescunt: unde ipsa arbor eminus dignosci potest, maximè, quod foliorum compages se versus superiora extendat. Lignum pallidè-candidum, porosum, ast durum & grave est: cortex desuper æquè ac si inciditur flavescit.

Flores sub foliis erumpunt, quæ tunc temporis breviora sunt & denso agmine extimæ ramorum parti insident. Florum fasciculi è simplicibus qs. staminibus constant, quorum 3. 4. & 5. retrò folia in ramusculis, ut in uvulis ursinis, Belgis aalbesien dictis, erumpunt. Quilibet flosculus proprio sibi pedunculo oblongo insidet, vix unguem in digito longitudine æquans,

è quinque candidis & acutis petalis, ſe minus verſus illum aperientibus, conflatus.

In illis quinque alii continentur, qui in ſummitate ſe in plures fibrillas dividunt, reliquis partibus, qs. penicillô è ſimilibus fibrillis, interiora verſus, repleris. Quamprimum petali hi vel per dimidiam diei partem decerpti ſunt, rubicundi evadunt & totus floſculus decidit, nodulum in pedunculo relinquens, in quo fructus rudimenta, mox erumpentia, continentur: quô tempore folia, denſo agmine, in extima ramuſculorum parte cohærent, oblongum apicem præmittentes, ut in Varinga videre eſt.

Fructus tenui & oblongo pedunculo leviſſimè adhærent, qui nihil aliud quam globuli ſunt exactè rotundi, globulis ſclopetariis paulò majores, in principio inſtar graminis virides, mox cœrulei, ſed nonnihil purpurei: externè quidem læves, ſed aſperis maculis & hinc inde venulis minoribus diſtincti, in quorum meditullio granum rotundum ingens & qs. lapideum, pauca carne viridiuſcula cinctum, continetur, quæ tamen ſucculenta & qs. arenoſa eſſet ſtridens videtur, ſaporis quodammodò auſteri, utut nonnihil vinoſi, ſi ad debitam maturitatem evectus deciderit fructus, eſui tunc non ingratus. Lapis ſeu nucleus hic durus quidem, attamen in 4. aut 5. partes diviſibilis eſt, in medio ſulcô quôdam, ferè penetrante, notatus & ubivis cavernulis minoribus perfuſus, acſi à vermibus corroſus eſſet, quod ipſi tamen decori eſt, ut neſcio quô artificiô ſic cælatus appareat. Magnitudo fructuum ſeu nucleorum horum varia eſt, dum maximi inſtar globulorum ſclopetariorum, muſquetorum vulgò dictorum, craſſi, utplurimùm rotundi, pauci inſtar pyri formati: Medioxumi inſtar globulorum ſclopetorum manualium, queîs Equites utuntur, & minimi inſtar piſi gryſei apparent: qui omnes tamen in unâ eâdemque arbore ſuccreſcunt ſibique mixti reperiuntur. Interim tamen peculiaris adhuc ſpecies hujus arboris reperitur, quæ non alios quam minores globulos protrudit, cujus folia econtra majora ſunt, quam communis & vulgaris, ita ut 9. ad 10. pollices longitudine & $3\frac{1}{2}$. pollices latitudine exæquent. Quin & tertia adhuc ſpecies, utut rara admodum, in Amboinâ reperitur, quæ lapillos adhuc minores, quam ſpecies antecedens ſuppeditat, haud multo majores quam piſa ſunt communia, in lateribus quodammodò compreſſos & cavernulis eleganter interſtinctos, qui omnium quoque pretioſiſſimi ſunt & in veteri Indiâ mercem laudabilem conſtituunt. Aliâs ſupradictas 5. juncturas externè in hoc nucleô ferè planè non dignoſcere licet; quamprimum verò easdem nonnihil perforare incipimus, facilimè concidunt & diſcriminantur. Minores autem longè duriores ſunt & perforationem benè perferunt. Major ſpecies ubivis in ſylvis ſub arboribus reperitur, &, ſi caro exterior ſeparata eſt, gryſei ſunt globuli & parvi æſtimantur: illi econtra qui à bovibus prius aut avibus deglutiti fuerunt & abhinc per ſeceſſum abierunt, fuſci ſunt, & quo fuſciores, eò meliores majorique pretio veneunt; quem colorem illis quodammodò conciliare poſſumus, ſi aquæ marinæ immergantur.

Fructus hi menſe Juniô & Juliô matureſcunt & circa Octobrem ſub arboribus inveniuntur.

Maximi & Medioxumi Ganitri in Amboinâ ſatis frequentes ſunt, aſt nuspiam, niſi in ſylvis magnis & altioribus, inter quos interdum grana nonnulla minoris ſpeciei, ſed rari admodum, inveniuntur. Majori in copiâ in montibus Celebeſinis reperiuntur. Minimi & optimi in parte Orientali Javæ, circa urbem Bamlimbangam in Madura, Bymam & adhuc paucas alias in ipſa Boli creſcunt.

Uſum quod attinet, Ganitri Amboinici nullum fere habent, cum juſto majores ſint, ſub perforatione concidant & in partes abeant. Fructus integri, ut jam ante dictum fuit, arboribus adhuc adhærentes ab avibus majoribus devorantur: decidui verò à vaccis deglutiuntur, in quarum excrementis elegantiores inveniuntur. Minores bonam & pretioſam mercem conſtituunt, quæ in veterem Indiam, ut Benjanis & Brachmanibus vendatur, evehitur, qui pro Inſularum ſuarum conſuetudine grana hæc filo traducunt & corpora ſua iisdem exornant, ex altera ſcapulâ per alam lateris oppoſiti ducendo & ſuſpendendo. In Javâ faſciculus ſeu moles integra è tribus ſpeciebus commixta 60. Imperialibus emitur, & ſi inter omnes illos fructus unus aut alter manipulus de minoribus æqualibus & eleganter fuſcis reperitur, hic ſolus integrum & ſolidum pretium, interdum quoque cum fœnore, refundit.

Ditiores corallia aurea iis jungunt & intermiſcent, à quibus Sinenſes eos *Kimkung dſi* h. e. grana cardiaca aurea nominant.

XXXI.

DESCRIPTIO
ARBORIS BENZOINI,
E RELATIONE DE STATU TRACTUS BAROSIENSIS, QUAM
DN. ARENT SYLVIUS,
LEGATUS PERPETUUS ET PRINCIPALIS ILLIUS REGIONIS, IMPERTIVIT.

ARbor Benzoini utplurimùm per fructus suos plantatur & transplantatur, quamvis per fructus suos deciduos se sponte quoque propagare soleat, hoc tamen cum discrimine, quòd Gummi posterioris sylvestris & asperæ s. tenacis sit indolis. Incolæ Deirisiensium locorum eam ob causam 6. ad 7. talium arboretorum hortos alere solent, & si illi, vel potius arbores vetustiores gummi suum ploraruńt & tantum non omne subministrârunt, exscinduntur & in illarum locum aliæ plantantur: omnia tali ordine, ut inter arboreta illa vetustiora à noviſſimis 6. vel 7. distinguantur, ne in gummatis annuâ collectione & plantationum reditu defectus quidam occurrat, priusquam noviter plantatæ arbores ad eum statum & maturitatem deducantur, ut gummi suum suppeditare valeant.

Quamprimùm jam arbor hæc plantata fuit, trunco recto, satis alto & simplici emergit, cortice & foliis arbusculam, quam Nob. T. obtuli, exactè referens, corticem scil. externum cinereum, intus viridiusculum & lignum flavescens obtinens: utut senectute accedente color ejus viridis in rubrum aut purpureum mutari observetur.

Folia oblonga sunt, magnitudine vulgari gaudent & si exsiccentur friabilia observantur, intus pallido-viridia, extus ex albido cinerea & quodammodo aspera, adinstar foliorum salicis in Batavia patria, odore prorsus destituta.

Arbor modò dicta, quæ juxta Barosiensium relationem rarò vel nunquam, diutinâ licet accretione, hominis crassitiem nanciscitur, magnam quantitatem nucum minorum profert, quæ, ut nuces juglandes, cortice crassiore præditæ sunt, utut nec tam crassus nec rotundus, sed quodammodo compresso-rotundus appareat, asperus simul quodammodò, extus cinereus, intus viridis. Cortice hoc exteriore detracto nucula quodammodò compressa se trudit, quæ fructus est arboris, cujus putamen tenuius & tenerius est, quàm nucis avellanæ, coloris cinerei &, si adhuc recens est, saporis amari & adversi nucleum in se recondit, qui rubicunda & rugosâ tunicâ cinctus, intus verò candidus & ex pallido-viridis est.

Postquam arbor hæc ad quintum aut sextum durationis annum evecta est, in parte superiori, sub coronâ trunci, perpendiculares rimæ & incisiones cultrò quodam instituuntur, è quibus naturâ desideratissimum hoc & fragrantissimum gummi, *Benzoinum* scil. derivat, haud aliter ac sub conquassatione aliarum arborum pariter observari potest. Hoc ipsum ab initio fluidum omnino, glutinosum & pellucidum est, successu temporis verò magis magisque congrumescit, quò facto à cortice & arbore separatur, hæcque arbor, juxta Incolarum assertionem, adeò dives est, ut integrum Catti suppeditare valeat. Quamprimùm verò omne, quod adhæserat, gummi derasum fuit, arbor succiditur, ut plantis junioribus locus detur, indeque nihil aliud, quàm albicans, recens & ad ædificia, vel similes labores, planè ineptum lignum relinquitur.

Interim videtur speciem Benzoini Surkamsiensem & Korlangiensem, quæ diutius in arbore relinquitur & bis vel 3. colligitur, pellucentem suam tenuitatem, adeoque & splendorem suum, per aeris & Solis actionem magnam ad partem amittere, cùm jamdudum crassius, magis fuscum, nec tam elegans sit ac Deirisianum.

Aliàs in regione hac creditur arbores nusquam quam in hoc ipso territorio gummi quoddam fundere: quod ipsum etiam, intuitu soli specialis atque terræ in districtu hoc obviæ & plurimis arenulis albicantibus crystallinis similibus particulis permixtæ, de nihilo non esse putamus. Ubi ulterioris speculationis ergò adhuc considerandum est, arborem Benzoinum penes Nigritas Barosienses quidem succrescere, sed ne gry quidem gummatis aut resinæ fundere. Quemadmodum econtra Cocos arbor in tractu Barosiensi sic satis etiam crescit, fructus autem suos prorsus immutat.

XXXII.

DESCRIPTIO
ARBORIS CAMPHORIFERÆ
è
RELATIONE ARENT SYLVII.

ARBOR CAMPHORIFERA in diversis succrescit sylvis, absque ulla quidem sive cultura sive curâ humanâ, suâ sponte, instar aliarum sylvestrium, in truncum assurgens excelsum atque gravem, cumque simplicem & rectum, qui optimum ad rem ædilem lignum suppeditat. Ramis illa gravioribus nullis aut pauciſſimis est prædita, sed leviſſimis in complexu foliorum, qui juxta proportionem trunci quoque exiguus est.

FOLIA oblonga & figuræ ovalis sunt, apice prolixè extenso prædita, coloris obscurè-viridis &, si exsiccata sunt, dura ac tenacia, odorem camphoræ spirantia: quæ omnia de arbore camphoriferâ Barosiensi intelligenda sunt, cum in Javanicâ folia longè aliter formata sint prioribusque majora, ut è Tab. VII. videre licet.

CORTEX proportione & collatione cum ipsa arbore institutâ elegans satis & rubescens apparet, qui ob ætatem & crassitiem arboris, una cum interiori, sæpè maximis squamis inde delabitur: quô ipsô arbor hæc ab aliis ex parte dignosci potest; juxta quod etiam radicibus, sursum versus repentibus gaudet, quæ utplurimum ad viri longitudinem supra solum in truncum solidum & densum colliguntur & abire videntur.


FRUCTUS, qui ob insuperabilem arboris altitudinem rarò obtinentur, flori magis quam fructui similes sunt, dum diversis oblongis & crassiusculis foliolis diversicoloribus, maximè tamen rubris, purpureis, flavis & virideſcentibus, fructus ad instar nucum avellanarum Hollandicarum amplexantibus, decorè ornati sunt: utut fructus arboris camphoriferæ neutiquam, ut nuces avellanæ, corticibus duris muniti, multo minus foliolo superinducto, nec acutis, sed rotundis apicibus, in summitate fructuum instar tuliparum se aperientibus, instructi sint. Fructus hic (qui, ut ipsa folia, camphoram sapit) non tantum ad Medicinam utilis est, sed & esui inservit: prout eundem ante 2. vel 3. circiter annos tam viridem quam condium palato non ingratum reperi. Quod verò eundem hâc vice Nobilitati Tuæ reipsâ ostendere & communicare non valeam, non tantum periculo sylvarum, sed & effluxui temporum adscribendum.

Arbor hæc, si crassa & magna est, resinam suam, instar arboris benzoini, non plorat. Intus autem circa medullium aut cor à parte inferiore ad superiorem rimæ naturales aguntur, in quibus succus arboris proprius & genuinus se colligere videtur, vel illîc particulæ quædam subtiles adhærent, quæ temporis successu coagulantur & in festucas abeunt, quæ ligno adhærent & pedetentim plus minus in crassitie augentur, prout arbor pluribus edendis par est, aut ipsa apertura admittit.

Illi jam, quorum munus est curam agere Camphoræ, arbores illas, si per certa indicia externa easdem Camphora scatere existiment, exscindere jubent, & easdem foliis, cortice & exteriori ligno, usque ad medullium seu cor, proximè ad aperturas & rimas, privati, contundi & comminui curant, ubi ipsa camphora tanquam in venis suis elegantissimè & mirabiliter apparet, quam parvulis suis instrumentis à ligno separare & abradere nôrunt: quô ipsô tandem, præviâ depuratione camphoræ abrasæ, pro labore & operâ suâ 1-1½. 2-2½. usque ad 3. libras Camphoræ (quæ Catti Barosiense constituunt, ultra quod pondus, ut ipsi perhibent, rarò adscendunt) obtinent, de quibus ordinariè partem vigesimam exsolvunt, ejus autem quod residuum est plenarii possessores manent.

Hic verò notandum, quod, cum per contusionem ipsius ligni sussimigium plurimum aëris in se susceperit, illud intra quinque vel sex septimanas penitus exhalet nihilque quam lignum, cum pauco odore, remaneat, prout idem per inquisitionem in similibus in Poulo Moaselaer succisis & contusis frustis ligni camphorati observatum fuit. Quid quod & *oleum camphoræ*, quod essentialis arboris succus est, & ut nobis relatum fuit, per aperturas & cavitates arboris exstillat & colligitur, tam subtilium quoque partium est, ut chartula oleositate imbuta & accensa flammam celerrimè & indicibiliter se propagantem præbeat, donec oleum penitus consumptum sit: quod omni tempore & locô probari poterit.

Poulo Chinco die 2. Octobr. 1680.


Kous noky
Camphora Iaponica altera
sine baccis folio mala
bathro simili
Folii facies
prona
supina
Folia Arboris Camphorifera Baroſiensis

K.



XXXIII.

EXTRACTA

è

Dn. D. Engelberti Kæmpferi Diſp. Inaugurali

DE

DSJERENANG seu SANGUINE DRACONIS.

QUemadmodum Lapides Bezoardici è diverſis animalibus obtinentur: ita quoque reſinæ quædam & gummata inveniuntur, quæ è diverſis plantis ſcaturiunt, ut in Terebinthinâ, Bdellio, Tragacantho, Vernice naturali & cumprimis in Sanguine Draconis videre licet, cujus binæ ſpecies penes Pharmacopœos inveniuntur: una in maſſis craſſioribus, quæ ex America æque ac Oriente adportatur: altera in foliaceis folliculis, qui ex Indiâ Orientali in Europam deferuntur.

Prior Sanguinis Draconis ſpecies, juxta Cluſii relationem, ab arbore Draco dictâ proficiſcitur, quæ ipſa tamen, juxta Arabum plurimorumque Perſarum ſententiam conſtantem, ex arbore Sandali rubri fluere dicitur: cui ſententiæ procul dubio occaſionem dedit, quòd reſina hæc non tantum colore, ſed & viribus & probatione cum Sandalo rubro coincidat, imò ex eadem regione, ſcil. è Choromandel, Madagaſcar & Æthiopiâ proveniat. Quò & hoc adjicere poterimus, quod eadem vox *Chuni Sengijoon*, vel Sanguis Sangibarenſis, ut ipſe Sanguis Draconis, à tractu quodam Africæ à Perſis denominatur, ita eodem modò ab aliis Paganis Gangeticis etiam Sandalo rubro tribuatur, quod communi linguâ Decanica *Reket Tsjandam*: Erudita Sanscretica Brachmanum linguâ *Rakta Tsjandonam*, h. e. Sanguis Tsjandonam, vel, ut Latinè effertur, Sandalum vel Santalum vocant: quemadmodum & penes illos interdum *Rakta Tsjandonam Sang-ghi*, h. e. ſanguinis Sandalum Æthiopicum dicitur. Alii hanc ipſam ſpeciem Sanguinis Draconis ab aliis arboribus derivare conantur.

De ſecundâ ſpecie Sanguinis Draconis mihi conſtat, quòd à Malaijanis & Javanis è fructibus aut ſtrobulis arboris cujusdam ſpinoſæ ita paretur: Fructus modò dictos craticulæ imponunt, quam vaſi ingenti terreo, ad dimidietatem aquâ repleto & quodammodò operto, imponunt. Abhinc vas carbonibus imponitur, ubi poſteà tinctura rubicunda, quæ in fructibus diſciſſis aliàs non obſervatur, interveniente vapore aquæ ferventis elicitur & ſquamoſis ſtrobilis adhæret, quæ poſtmodum abſtergitur, ſeu ſeparatur, & in folia arundinum includitur.

Notandum hic in Indiâ plurimas arundinum ſpecies reperiri, *Rotan* & *Bambu* dictas, quas inter Malaijani & Javani plures etiam Palmas ſylveſtres alunt, quæ in dumetis & ſepibus, ubi Tigrides aliæque feræ latitant, abſconditæ ſunt, quarum tres ſpinis munitæ obſervantur, ſcil. Rotan Salag, Gelay & Dsjerenang, quæ ultima ſpecies ob Sanguinem, quem fundit, Draconis celebris eſt, cujus vera & naturalis deſcriptio (ni Hodegus nomina confuderit) ſequens eſt:

ROTANG DSJERENANG eſt Palmapinus, tres circiter orgyias alta, undique horrendis ſpinis nigro-fuſcis obſita, quæ unius ad minimum pollicis longitudinem habent. Truncus ejus plenarius, rectus, æqualis, anguſtus, ex albo-cinereus & ½. orgyias altus eſt, brachium hominis craſſitie æmulans & articulationibus mediocris diſtantiæ ornatus ſpinisque horizontaliter ſe extendentibus in parte inferiori denſo agmine obſitus. Exterior majorque pars ejus è fiſtuloſis fulcris ramorum, ex articulationibus propullulantium, conflatur, quorum infimi ſemper initium ſuperiorum formant, ut articulatio ipſa vix obſervari poſſit. Remotis ramorum tubis aut fiſtulis medulla interior in apricum venit, quæ extus ſplendet & fuſco colore gaudet, aliàs verò ex levi & fibroſâ ſubſtantia conſtat, quæ verſus ſummitatem carnoſa, candida, inſipida, attamen eſui apta nata eſt. Rami in truncò latè ſe extendunt & ſpithamâ à ſe diſtantes confuſò ordine junguntur, donec verſus ſuperiora denſius & confertius, ut omnes palmæ, concurrant & comam efficiant. Dicti rami cubitum ſeu orgyiam longi, infra læves, ſupra autem, ut aliæ palmæ, foliis ſuis acutis, ordine diſpoſitis, ornati ſunt, ſimulque fibroſâ & fungoſâ coſtâ, rotundâ quidem ſed quodammodò compreſſa, gaudent & in utroque latere, ubi folia erumpunt, cauliculis mu-

niuntur. Pars inferior colore pallide flaveſcente, ſuperior autem virideſcente gaudet, tot, ut in trunco ſpinis hîc non occurrentibus, quæ in dorſo reduplicatæ & uncorum inſtar quodammodò reflexæ ſunt. Folia ſunt anguſta & arundinacea, eleganter viridia, ſequiſpithamam longa & ½. poll. lata, in apicem quendam deſinentia, tenerè ſimul pendentia & in parte anteriori quodammodò ſpinoſa. Tres illa fibras ſeu coſtas habent, majorem in medio, & in utroque latere minores, longè excurrentes, unde folia ad lapſum inclinant &, ſi flacceſcunt, concidunt. Racemi è fulcris ramorum propullulantes & à Naturâ fructibus ſuis eleganter exornati è diverſis conflati ſunt thyrſis, quorum medius eſt maximus, 4. aut 5. minoribus circumdatus: qui omnes in duplici tunicâ, eaque tenui, fuſcâ & fibroſa, imò & ſpinoſâ, continentur. Fructus illis abſque ullo pedunculo, mediante nodulo quodam ſquamoſo, qui nunquam decidit, adhærent. Sunt autem oblongè-rotundi, nuce avellanâ majores, ſplendentes, & ut ſtrobuli pini qs. cataracta muniti, hac ratione, ut apices ſuperiorum ſquamarum inferiorum interſtitia qs. claudant. Squamæ illîc occurrentes parvæ ſunt, capitulo ſuo firmiter inſidentes, attamen tenues, ſubfuſcæ & in triangulum deſinentes, cujus apices tantum in extimâ fructuum parte videri poſſunt. His remotis ad carnoſam tunicam devenitur, quæ omninò candida nodum carnoſum in ſe recondit, qui immaturus adhuc pallidè-viridis, medulloſus & ſucculentus eſt, ſaporis leguminoſi & adeo adſtringentis, ut extimô linguæ attactu totam oris cavitatem repleat, ita tamen, ut mox evaneſcat.

Figura Zallini, h. e. racemoſi & albicantis faſciculi reperitur (utut tantum mutilè) in Bontio ſub Malaijano nomine Rotan ſeu arundinis caule farctô (arundo enim excavato caule illi Bambu dicitur) & ferè ſimilis apud Bauhinum, ſub nomine Palmapinus, occurrit, utut ambo uſum & commodum ejus neſciverint. Similes verò fructus ſquamoſi, (qui tamen à minore tantum arundine, iis deſtituto, proficiſcuntur) in ultimô Tomo Horti Malabarici ob oculos ponuntur.

XXXIV.

DESCRIPTIO

MUMIÆ NATURALIS,

IN PERSIA MUMINAHI DICTÆ,

ex Diſſert. Inaugurali Dn. Engelberti Kæmpferi.

QUam pretiosè etiam Perſarum Theſauro-phylacium domeſticis ſibi Gemmis Turcoiſiis & Margaritis exornatum ſuperbiat, interim tamen ab iisdem in hâc ipsâ regione Balſamum, in ſummô gradu Beleſſoon dictum, ob virtutes inæſtimabiles, longis paraſangis anteferri ſolet, ita quidem, ut communiſſimè quoque kodreti, h. e. donum Dei vocetur.

Balſamum autem hoc ſuccus eſt bituminoſus, aut Bitumen, è rupibus erumpens, & Mumiæ Ægyptiacæ adeò ſimilis, ut eodem fere aut omninò ſimili nomine MUMINAHI vocetur: quam denominationem econtra Mumiæ Ægyptiacæ ferè denegant eandemque *Enſani* nominant: quod vocabulum Arabicum eſt, aliquid ex homine proficiſcens ſignificans & ſimul ceram & vulgarem Mumiam indigitans.

Quod autem deſcriptio hujus Mumiæ nativæ nusquam hactenus inventa aut viſa fuerit, inde forte oritur, quod Muminahi in Regió tantum Palatio, ceu ingens theſaurus, aſſervetur & tantum Magnatibus Aulicis, ſi in venationibus ſolennibus & majoribus ex equô præcipitantur, tanquam munus Regium impertitur, ubi reliquiæ ejus, poſt uſum, interdum, ſed rariſſime, Medicis indulgentur.

Pretioſiſſima hæc Mumia ſordidæ ſutorum pici, tam coloris quam conſiſtentiæ intuitu, haud multum abſimilis eſt: in loco calido tractabilis & tantum in oleo, neutiquam in aquâ, ſolubilis, utut tractu temporis, ut aloe, indureſcit & fragilis redditur. Quodſi diffringatur, ſplendet intus, odore deſtituta, niſi fors accendatur, ubi ejus odor ſulphur vulgare, naphthâ temperatum, imitatur nec injucundus eſt; ut adeoque odor ejus cum naphthâ exſiccatâ, asphaltô, aut vulgari Mumiâ Ægyptiacâ, vel & Ambra nigrâ maximè conveniat, quæ bitumina per odorem ſive gratum, ſive adverſum diſtinguuntur.

Locus, ubi reperitur, à pagis, fontibus aliisque acceſſibus ſeparatus eſt, in deſerto quodam provinciæ Daraab, haud procul ab urbe Dara ſitus, ubi antehac ſedes Regis Darii, qui eundem exædificavit, erat. Hîc à parietibus cavæ anguſtæ, quæ fontis inſtar ad 2. orgyiarum profunditatem in rupem penetrat, annuatim abraditur ſummâ quidem æſtate, & diebus tantum canicularibus, quibus Mumia molliuſcula redditur & ab aſperis rupibus facilius ſeparari poteſt.

Ne autem ſub collectione hujus Balſami Regii, pro diverſitate perſonæ, quicquam in externâ ſpecie aut aliis teſtimoniis deſideretur,

ſingulis

ſingulis annis hæ ceremoniæ obſervantur: Præfectus ſupremus provinciarum Laar & Daraab, cum reliquis Miniſtris Regiis utriusque provinciæ, tempore deſtinato ad locum ſupradictum ſe confert, explorat & reſignat inſignia quibus anno præcedente cavea obſignata erat. Abhinc XX. perſonæ robuſtiores ſaxum prægrande introitui obvolutum removere jubentur, è quibus poſtmodum unus, ad reſinam abradendam, immittitur, qui hunc in finem cochleari ferreô, roſtro quodam ſeu exploratoriô inſtructo, ſibi proſpicit, & ne in obſcurô hoc deſertô ullam occaſionem habeat aliquid ſive ſurripiendi, ſive deglutiendi, præter genitalia omninò nudus incedit, & præterea os aquâ replere tenetur. Quamprimùm jam collector hic intravit, omnia, quæ per annum ibi collecta ſunt, abradit, quod per horam integram ferè durat: quô tempore reliqui in tentoriis ſuis epulis ſe recreant & cuticulam curant. E fonte prodiens Mumiam offert & ſimul aquam ori immiſſam exſpuit, & quidem in patinam argenteam, ut Miniſtri Regii agnoſcant, an forte aquæ loco urinam ori immiſerit. Quid quod & genitalia ejus contrectent, eoque facto è tentoriô educitur & abſolvitur. Mumia autem penes ignem ſtatim liquatur, ut lapilli & arenulæ fundum petere poſſint: quo factô pars clarior in capſulam argenteam, ad id paratam, infunditur, quæ utplurimùm 25. Meſcal, paulò ſcil. plus quàm uncias quatuor, continet. Pyxis hæc obſignata tandem à 5. Officialibus primariis, qui collectioni interfuerunt, in ſedem Regiam Sephahanum ſine morâ deportatur, impurum autem, quod remanſerat, Commiſſariis dividendum relinquitur: quo facto aditus occluditur, obſignatur ſicque totus actus finitur.

Huic Mumiæ omnes illæ virtutes & vires, quæ Anteceſſores noſtri Mumiæ vulgari tribuunt, conveniunt, ſive jam Arabica, ſive Ægyptia fuerit. Cumprimis autem crurifragia tam validè conglutinare dicitur, ut & maximæ fracturæ pedum intra pauciſſimos dies, & quidem in pueris intra triduum, in pullis autem gallinaceis unius diei curſu (dummodo probè unitæ fuerint) reunire & ad priſtinum uſum redigere valeat. Præcipuus ergò ejus uſus eſt externus in curandis fracturis & luxationibus, poſt reſtitutionem membrorum, loco emplaſtri impoſitæ: Internè autem loco balſami vulnerarii laudatiſſimi inſervit, & contra abſceſſus ac apoſtemata interna, ulcera, ſanguinem coagulatum, fracturas, hernias aliaque mala, quæ poſt caſus ab alto graviores artubus variè incommodant, uſurpari poſſunt. Quem in finem utrobique pauculum mumiæ in butyri quantitate exiguâ ſolvatur, ejusque pars linteo ſuperinducatur & fracturæ jamdum benè collocatæ imponatur, reliquum autem ad grana V. præterpropter ægro internè propinetur, ita tamen, ne dentes contingat, quos lædere & ad clauſum diſponere ſolet: id quod pro ſignô quodam habent nobilem hanc Mumiam adulteratam non fuiſſe. In pullis gallinaceis ad utrumque uſum tantùm 2. ad 3. grana requiruntur. Periculum ſæpe feci in gallinis junioribus, & quidem viliori ſpecie, ſeu Mumiâ ſecundariâ, quam loco rarioris & pretioſioris ſumſi, ſemper tamen abſque notabiliori & majori operatione, quam alioquin fractura ejusmodi benè reſtituta & deligata abſque mumiâ conglutinari ſolet: donec tandem, cùm Gubernatore in Laar præſente virtutes ejus, tantoperè hactenus deprædicatas, parvi facerem, is vim ejus, in præſentiâ plurimorum hominum, genuinæ Mumiæ Regiâ (cujus particulam poſſidebat) hâc ratione ob oculos poſuerit, ut hâc viâ omnem, quam in eam conjeceramus, diffidentiam, refuta; et: ℞. Mumiæ pretioſiſſimæ Darabificæ magnitudinem ciceris aut lentis, h. e. grana ij, vel paulò minus, cum triplo vilioris mumiæ, quâ priorem incorporabat, mihique omnia in cochl. ß. butyri ſuper carbonibus diſſolvendam exhibebat: Hoc factô gallinæ juniori, dimidium annum habenti, crus penitus confregi, ut feſtucæ etiam per cutem eminerent: mox præviâ extenſione idem reſtitui & linteolum balſamô noſtrô calidè imbutum imponendo deligavi, ferulisque munivi: quod autem de balſamo reliquum erat, gallinæ infundebatur, hæcque anguſto & obſcuro loco, ejus, qui Mumiam ſuppeditârat, juſſu tantiſper includebatur. Die inſequente, cùm ſpectatores priores ad unum omnes rurſus convocati eſſent, deligatio ſolvebatur & gallinæ jam liberæ frumentum objiciebatur, quæ non tantùm promptè & animosè qs. attamen (ob ferularum compreſſionem) quodammodò claudicans, diſcurrebat, ſed acſi nullos omninò ſentiret dolores, reliquas Gallinas adoriebatur & morſu à pabulo abigebat. Quùm verò dubitarem, an tantulo temporis intervallô in crure aliquo, omni ferè ſanguine deſtituto, tantum nutrimenti & materiæ, quantum ad formandum callum requiri videbatur, colligi poſſit; hinc ipſam fracturam, poſt vulnus detectum, inſpiciendo reperi, cutem circa vulnus multo craſſiorem & adſtrictiorem ſolitô fuiſſe, eâque ſcalpellô ſeparatâ perioſtium valdè craſſum erat, locumq; fracturæ faſciæ inſtar cingebat, quâ fragmenta colligata & firmata fuerunt. Interim loco calli, quem ſubeſſe putabant, feſtucæ in extremitatibus tantùm rubeſcebant & qs. ſanguine perfuſa erant, initium ſuæ cohæſionis oſtendentes. Experimento huic & documento innitens in ſubjectis humanis viliorem ſpeciē, mumiam ſcil. ſecundariam, eâdem ratione explorando reperi eandem longè citius, quàm oſteocollam aut ſimilia medicamenta, callum generaſſe.

Mumia verò *Secundaria*, quam ſpeciem viliorem dicimus, illa eſt, quæ circa regionem

illam, inter urbes Lâar & Darab, ex rupibus desertis, hinc inde quam minimâ quantitate, exstillat, & quoniam à Naturâ tam validè & efficaciter elaborata non est, genuinæ virtute suâ & efficaciâ longis paralangis cedit; eâque de causâ cuilibet, qui eandem e summitatibus & præcipitiis periculosissimis obtinere satagit, concessa est. Illam speciem, quam collectores *Sehebbenand* nominant, facilius obtinent, ut genuinæ substituatur, quæ Naphtham & sulphur commune odore magis æmulatur, quam genuina & æquali sibi argenti pondere venum exponitur. Præcipitii altissimi superficiei interiori adhæret, quò temerariâ quadam audaciâ nonnulli se conferunt & funibus ex apice dependentibus se demittunt, ut eandem abradant. Alia adhuc species, quæ à vili & incognitò locò *Tsienpeli* nominatur, triplo carior erat, nec tam adversum odorem uti prior habebat, sed odorem ambræ nigræ subasphaltinum spirabat, ad genuinam Mumiam Ægyptiacam propius accedens, aut eandem superans, quâ tenerior quoque erat.

Alias alius adhuc Mumiæ Nativæ haud absimilis succus in Sem-Insulâ Maris Caspici reperitur, quæ Naphtham generat, & quidem in monte, quem fluvius salinus alluit, instar coni acuminato, nudo simul & solitariò, terrâ gaudente obscurè-rubrâ, sed variis fragmentis permistâ, è quâ materia Caucasus & alii colles famosi in Mediâ constare dicuntur. Mumia omnino fluida exstillat & dum pedetentim è summitate defluit, postmodum condensatur & à rusticis ignaris & stupidis ad calefacienda balnea accenditur. Naphtha verò nigricans, quæ ad distantiam milliaris præterpropter ibidem è fontibus extrahitur, in similem resinam induratur, si per negligentiam ad terram concidat, & à Mumiâ secundariâ facilè per odorem adversum, sulphureum, & naphtham nigram redolentem fœtorem distinguitur, quem recens adhuc, non inflammata quoque, spirat, inveterata autem quodammodo perdit. Similis naturæ est durum & coagulatum bitumen judaicum, seu *bitumen congelatum aridum*, cujus Strabo Lib. 16. de Sit. O. meminit, & fontes ejus, una cum bitumine fluido seu Naphtha, ex Erasosthene allegat.

Omnes antedictæ Mumiæ Naturales cum Naphtha indurata, Asphalto, Ambrâ nigrâ & Mumiâ veteri antiquâ, tam ratione substantiæ, coloris & consistentiæ, quam ratione odoris & virtutum tantam cognationem alunt, ut nullus dubitem easdem omnes pro speciebus bituminis habere, quarum gratior fragrantia aut à diversitate regionum, aut meliori coctione per ignes subterraneos dependet, prout vel per aliam filtrationem aut calcinationem sulphur purius, aut aliam particularum texturam obtinuerunt.

Quod *Mumiam Veterum*, cujus aliquoties mentionem feci, attinet, per eandem non tam incertam illam & sordidam mixturam, quæ titulo hôc in Officinis prostat, aut à vulgò ita dicta cadavera humana reficcata intelligo: sed Balsamum Antiquorum, quo Magnatum corpora demortua, penes Arabes & Ægyptios, replebant. Hujus autem 2. species inveniuntur, una quidem pretiosissima & rarissima, quæ è tumulis Principum eorumque cadaveribus hauritur & tantum in Magnatum thesaurophylaciis Asiæ frustillatim reperitur, quæ tum substantiæ, tum pretii & vulgaris denominationis intuitu sola pro genuina Mumia Darabsensi haberi debet, & odore suo (quô cum Tsiampeli convenit) manifestat Benzoinum, Styracem & Opobalsamum illic commixta fuisse; unde fortè est, quod terendo rubedinem præ se ferat, nisi fors ætati hoc tribuere velimus. Altera species, quam in Europâ pro genuinâ venditant & à cadaveribus plebeiorum, vulgari resinâ conditis, proficiscitur, meò quidem judicio nil nisi merum Asphaltum est, cujus odorem haud obscurè edit.

Tandem in caverna montis cujusdam acuti, in Provincia Laarensi, & quidem in summitate & eò, ubi diversæ arbores, Terebinthus scil. Pistacia sylvestris &c. reperiuntur, alium adhuc succum diversæ naturæ & proprietatum inveni, cujus hic aliquam adhuc mentionem faciendam esse duxi. Mons desertus prorsus est, & nonnisi à feris, Ursis, Tigridibus & Capricervis illis, in quibus lapis bezoar invenitur, inhabitatur. Succus est niger & è rupe duriori fluit, cujus parietibus quodammodò crassior ac rob sambuci adhæret: viscosus, in aquâ solubilis, insipidus fere & odore destitutus. Homines ad radicem montis habitantes eundem contra tormina abdominis in formâ boli adhibent. Pauculum verò ejus in carbones injectum fœtorem cornuum accensorum edit, & per retortam phlegma, spiritum ac oleum crassiusculum suppeditat, è cujus capite mortuo sal fixum levi negotio obtineri potest.

Nota.

Mumiæ naturali parallelum quid in vicinia nostra, scilicet in Comitatu Hanovienſi, reperitur, cujus mentio fit in *Uhsenii Lexico Geographico Historico Universali A. 1710.* cum *Præfat. Christophori Cellarii* Lipsiæ in vernaculâ edito, cujus verba (Latinè reddita) ita se habent.

Lampirsbacum ingens pagus Hanoicus est, ubi in prato quodam fons reperitur, qui mense Majo nigricantem oleosamque materiam, theriacæ haud absimilem, fundit, gravitate odoris Petroleum imitans, quâ pauperes & egeni ad curanda ulcera & vulnera utuntur. Haud procul à fonte illo rupes observatur,

circa

circa quam saxa nigricantia effringuntur, quæ in aqua calidâ se instar ceræ comprimi patiuntur & eundem cum priori materia odorem referunt. Oleum hoc Medicus quidam destillatione depuravit & MUMIAM NATIVAM VERAM vocavit, obtinens exinde subtilius & elegantius oleum, quô feliciter contra podagram usus est, cui tumores & dolores lumbares etiam cedere dicuntur. *vid. cit. loc.*

XXXV.

RELATIO
DE
PRÆPARATIONE SACCHARI
IN INDIA ORIENTALI,
è Msc. Dn. Herberti de Jager.

IN regione Goeromkonda saccharum optimum reperitur, quod ex canna saccharifera albicante efficiunt, quam tellâ nasudaalli vocant, quæ longè dulcior & palato acceptior est quam canna saccharifera rubescens, quæ magnâ copiâ in tractu pennomilli colitur.

Pagi, in quibus supradicta canna albicans excolitur, sunt Gorentla, Wana, Wulu, Galiwidu, Mandom &c. It. Wanwilipada, Lippa Samcedram, Medallapalè &c.

Apparatus vasorum, ad coctionem sacchari necessarius, potissimum in aheno ferreo humili, duabus auribus seu annulis, vel si mavis ansis, in singulo latere singulâ, instructo consistit, quem sinapa penalù vocant. Præter quem truncum s. stipitem, nesjumanù dictum, habent 1. circiter pedem crassum & 2. ped. latum, longitudine verò 2. ad 3. fila emetientem, plurimis cavitatibus instructù, in quas coctum jamdum saccharum infundunt, eô quô dicetur modo. Adhæc Ganiga illis est ad manus, quod nihil aliud est, quam prelum, illi haud absimile, quo oleorum expressores nostris in oris utuntur. Tandem & cochleare despumatorium ligneum cum olla ingenti & in parte superiori ampla, ad succum arundinis sacchariferum excipiendum, adhibent.

Dum verò ad sacchari præparationem se accingunt, Tsjorkuwaandu, h. e. sacchari confector, arundinem sacchariferam ad officinam defert, corticem inde deglubit, ejusque partem superiorem & inferiorem, ad sacchari confectionem ineptam, ad dzjanæ longitudinem abscindit, mediam autem partem in frusta, dzjanæ longitudinem habentia, incidit.

Frusta hæc prelo immittuntur, sub quo foramen est tubulô instructum, per quem succus in ollam defluit, quæ sub eo terræ firmiter implantata est, aliam substituendo, si illa impleta est.

Succi quantitate sufficiente gaudentes ahenum igni imponunt, illique Madzjiga cum cineribus ex arbore jepi paratis immittunt: quibus sufficienter elixatis, coctis & in aliud vas effusis succum ex arundinibus expressum substituunt & similiter coquunt.

Area seu focus, cui ahenum hoc imponitur, rotunda est fovea, 2. ped. præterpropter depressa seu profunda, paululum angustior, ac aheni pars inferior in latitudine habet, in lateribus canalibus quibusdam gaudens ejusdem profunditatis ita, ut alteri lateri ligna inserere, per alterum autem latus, tanquam per spiraculum, fumum emittere possint, dum ignis intensè accenditur.

Postquam sic omnia per 2. horas in igne detenta fuerunt, pippi pengu, h.e. rotunda & minima frustula arundinis adscendunt, quæ cochleari despumatorio, ex arundinibus cavis, Bambusen dictis, confecto, removentur. Quô facto saccharum elixando in parvas pustulas assurgit, quas chimala pungu vocant, quæ ad 1. fere horam durare solent. Abhinc bullas majores ejicit syrupus hic: quapropter & elixatio hæc Gadzula pungu vocatur. Hac per 1. horam durante syrupus amplius non attollitur & inflatur.

Hoc ergò aliquantisper adhuc in igne detento, an sufficienti tempore ibi detentus fuerit? ita probant: Primô scil. digitum immittunt aquæ, hocque digito madefacto portiunculam syrupi hujus ex ahenô extrahunt, indeque bullam seu globulum formant, quem aheno impingunt, qui si ita induruerit, ut sonum de se edat, saccharum sufficienter excoctum putatur, quod ollæ seu patinæ haud profundæ infundunt.

Quodsi idem de novo elixare, & purius, seu, ut loquuntur, magis finum efficere velint, aheno de novo Madzjiga cum cineribus jepi immittunt, & quamprimum hæc aliquantisper cocta fuerunt, eadem in aliud vas effundunt, in illorum locum aheno infundentes saccharum primâ vice coctum, quod denuô, ut ante,

elixatum in aliud vas immittitur : & ſi hocce ſaccharum adhuc una vice coquere voluerint, aheno nova Madzjga cum cineribus jepi injicienda, antequam ſaccharum immittatur, hoc toties obſervando, quoties ſaccharum de novo refinare velint. Saccharo hôc ultima vice cocto & in patinam effuſo illîc aliquantum refrigeſcere ſinunt, eoque facto ſyrupum hunc in foramina ſupradicti trunci nesjamanu infundunt, quô coagulato truncum invertendo ſaccharum è foraminibus ſeu foveis in cortices cannæ ſacchariferæ effundunt, fruſta ejus Gerafſialus vocantes. Quodſi verò ſaccharum hoc in Gerafſialus convertere nolunt, idem in trunco refrigerari penitus ſinunt & in fruſta dividunt, corticibus cannæ ſaccariferæ involvendis, quæ ab illis Muddalû nominantur.

Quodſi tandem ſaccharum in Tsjekkua coquere animus ſit, aheno igni commiſſo prius Madzjga cum cineribus jepi injicienda & coquenda eſt : quibus in aliud vas effuſis ſyrupus ſaccharinus, quem palu vocant, per linteum aut pannum in ahenum immittitur, ut, ſicut aliâs fieri ſolebet, ebulliat : quamvis ad eundem coctionis gradum, ut in prioribus, non ſit deveniendum, ocyus illam inhibendo, quamprimum bullas ejicere velit: id quod fit ahenum removendo & ſyrupum hunc in aliud vas immittendo. Abhinc ſurculis tenuioribus arundinis ſacchariferæ inſternunt pannum quendam, è capillis paratum, Rittu Santtſinlu dictum, huicque aliud linteum imponunt, ſaccharum jam ante coctum impingunt, tertium tandem pannum deſuper explicando, in quem 3. vel 4. perſonæ ſe conferunt & ſubſtratum ſaccharum pedibus conterunt & exercent : quâ opera quarta vice continuatâ ſaccharum in Tsjekkua eſt converſum.

XXXVI.

RELATIO

DE

SALEBRARUM MARGARITIFERARUM MADURENSIUM STATU ET CONDITIONE PRÆSENTI,

ad

Illuſtrem DN. THOMAM de RHEEDE, Gubernatorem, & Nobil. DN. JOANNEM de VRIET, Præfect. Secundum hujus oræ, per Aſſiſtentem Iſaacum Bardt conſcripta & exhibita.

P. P.

QUâ ratione viſitatio Salebrarum Margaritiferarum Madurenſium inſtituta & quô in ſtatu illæ repertæ fuerint, in Diariô meô prolixè annotatum fuit, & de novô jam ea, quâ fieri poterit, brevitate referam, ita quidem, ut hâc vice methodum in viſitatione obſervatam prætereundo ea tantum, quæ ſtatum præſentem concernunt, attingam. Ut igitur à plaga ſeptentrionali hujus oræ incipiamus, tractus

Chiuri muri pare
Taliare pare
Kilitsjar pare
Palia male
Baybare kepare
Partan mancay
Ferranda lemos
Tive calle culitsre pare

hoc tempore fere omnes fructibus deſtituti nulliusque valoris ſunt ; ubi de primis tribus Capita iis præfecta narrant, flumina duriora & aſperiora, impuritates quasdam inconditas & putrilagines ex aquæductibus in Inſulas has propellentia, ſalebras corrumpere, indeque fructus neceſſariô emori. In reliquis nocentiſſimus ille Souranus in causâ eſt, quod in detectione ſpecierum probabiliſſimum mihi viſum fuit.

Has ſalebras inſequitur tractus Tourairumpare, qui ſolus conſideratu dignus & abundantibus fructibus inſtructus eſt, in quibus ad minimum nulla accidentia incommoda, ſed oſtreæ ſanæ & incolumes inveniuntur, quarum 270. illîc in ſolô jacentes obſervavi, quæ licet duobus adhuc ætatis annis careant, attamen XIII. margaritas ſubminiſtrârunt, alio autem collectionis tempore plus fœnoris ferentes, adeò quidem, ut juxta Præfectorum relationem ab 1½. Vally Urinatorum cuſtodiatur. Juxta hunc tractum,

tractum, ab alto tamen mari quodammodò remotiores sitæ sunt Salebræ

Curitrjan pare
Arevvay pare
Nagare pare
Uty pare
Claty pare
Attavvay onpaddu
Bara gombe
Cutnia pare

quæ totæ ferè à supradictô Souvranô intoxicatæ & molli fœtenteque scabritie obtectæ ætæ sunt.

Abhinc paulatim ad latera salebræ

Nellargu uppadu
Paackadeensié pare
Pistje pare
Chayetu Onpaddu
Puly
Cannaponde utte.

In primô paucæ ostreæ seu conchæ juniores ab aliis remotæ & dispersæ jacent, reliquæ autem vacuæ sunt, nullis tamen accidentibus nocivis obnoxiæ; unde harum rerum experti spem haud exiguam conceperant, quod tandem fructus illic, DEO benedicente, succrescere & inveniri possint.

Versus anteriora, declinando paulatim ad latus Ponetail, occurrunt tractus

Nilancalle patture
Pandare tope Wallenare pare
Regia Chippi pare
Coilpuritsje pattare.

Hi quatuor à perditissimô Souranô maximâ ex parte occupati sunt; & licet in binis prioribus fructus quidam juniores inventi fuerint, attamen rerum harum periti eosdem per Souranum infallibiliter perituros esse statuunt.

In salebris

Couramonty
Couravvay pare

quadrimæ quædam ostreæ occurrebant, de quibus ab anno effluxo maxima pars occisa & tantum pauciſſimæ superstites remanserant. Equidem chiliades aliquot ostrearum junioruin denuò succrevérunt, sed *cancay* (conchulæ sc. minores) illas ita cinxerant & irretierant, ut Præfecti illorum accremento non fiderent, sed potius omnes cum ipsis *cancay* (qui diu vivere non possunt) emorituras dicerent.

Cariampare à Souranô corrupta jacebat.
Carvvel, clatypoar, Chinne Carvvel

fructibus quibusdam junioribus, sed à cancay comitatis, instructi erant, quamvis in posterioribus tractibus occurrentes prioribus puriores viderentur; quam ob causam Præfecti de incrementis illorum spem haud exiguam concipiebant.

Purtotte male paucis in locis vacuis conchis scatebat, ast tota salebra molli quadam visciditate obducta erat, quæ indicio erat conchas aut vacuas, aut emortuas esse. Hæc ultima nobis videbatur salebra, ast Mandarinus quidam Wirandepatnamsensis aliam adhuc ostendebat prope *Manapaeu*, cujus reditus in Diariis meis annotavi, eaque *Sarsie onpaddu* vocabatur. In hac haud paucæ quoque conchæ juniores inveniebantur, eæque puræ atque sanæ. Urinatores certò credunt brevi totam illas salebram occupaturas esse.

Ex his Nobiliſſ. V. Dominationes statum præsentem hujus oræ ipsarumque salebrarum margaritiferarum breviter perspicere simulque credere acquiescant, me in hâc expeditione omnem diligentiam & operam adhibuisse, omnes sui muneris admonuisse, variisque persuasionibus excitasse, eô semper annitendo, quô inter Præfectos Parruarum & Cailpatnamses Nigritas perpetua æmulatio aleretur, ut reliquis rem aliquam gratam facerem, quibuscum fateri cogor fundos à Musieltiven usque ad Marapaen tam solicite perquisitos fuisse, ut unquam observatum fuit aut urinatoribus possibile erat. Interim fatale quid subesse videtur, Deo scil. T. O. M. in hunc usque diem nondum placuisse salebras hasce sufficienti fructuum copiâ, ad piscaturam exoptatam instituendam, replere: quapropter nihil aliud supereſt, quàm ut sanctissimo ejus arbitrio nos penitus submittamus, & posthâc à bonitate ejus tempora meliora & felicitatem majorem expectemus: cujus providentiæ Nobil. Nob. V. V. cum salute observantissima commendans persevero

V. V. Nob. Nob.

Script. in Margire Tutocoryn die 30. Decembr. 1681.

Subjectissimus Servus

ISAAC BARDT.

XXXVII.

INSTRUCTIO
DE
PRETIO GEMMARUM ET SIMPLICIUM
INDIÆ ORIENTALIS,
è Msc. Dn. Herberti de Jager.

PRETIUM ET ORDO
in venditione Adamantum crudorum heîc in Indiâ obſervanda.

Lapis ponderans	10. Caratia	Flor. 180.	unumquodvis Caratium.
	9.	160.	
	8.	150.	
	7.	130.	
	6.	120.	
	5.	110.	
	valet.		
	4.	90.	
	3.	70.	
	2.	40.	
	1.	30.	
	½.	16.	
	4. aut 5. pro uno caratio	- - - -	10.

ADamantes autem puri & candidi eſſe debent. Si fuſci aut ſtraminei coloris fuerint,& ſimul grana arenæ aſpera in ſe contineant, dimidiò tantum pretio veneunt. Attendi etiam meretur,an inconditam figuram habeant, plurimis uncis aut angulis gaudeant, ſicque in poliendo multum inde deperdatur, unde major jactura pertimeſcenda erat.

XXXVIII.
DE
RUBINIS.

Lapis pendens	3. Caratia	ad 36.	Ducatos quodvis caratium ſe extendit.
	2.	20.	
	1½.	19.	
	4. 6. ad 9. pro caratio	6.	

XXXIX.
DE
MARGARITIS.

POtiſſima Margaritarum differentia & dignotio in accuratâ partim rotunditate, partim & colore albo & ſplendore radicatur. Pretium in Indiâ ſequens obſervatur :

		Flor.	alb. ſ. ſtuv.
Margarita	1. Gran.	—	12.
	2.	1.	15.
	3.	2.	10.
	4. valet	10.	—
	6.	36.	—
	7.	45.	—
	8.	60.	

XL.

DESCRIPTIO
LAPIDIS CORDIALIS
INDICI,

è Musæo Ambonico Georgii Eberhardi Rumphii desumpta, & è lingua Belgicâ in Latinam translata.

Lapis Cordialis arte à Lusitanis, Goæ degentibus, est factus, & nunc ob egregias virtutes per universam Indiam distractus. Unde verò & ex quibus constet, hactenus incognitum est, nisi quod ex intuitu externò & sapore aurum comminutum, lapis bezoar, ambra & moschus potiora ejus ingredientia videantur. Magnitudine & figurâ columbino, aut exiguo ovo gallinaceo respondet, extus inauratus apparens, intus obscurè gryseus, punctis aureis interspersis & emicantibus, tener & facilè friabilis moschi ambræque odorem manifestò referens.

De virtutibus ejus usuque seqq. è Msc. quodam, Goa transmisso, hausi, quæ è Lusitanicâ in linguam Latinam translata ita se habent:

Lapis hic potissimum & efficacissimum est cardiacum quod hactenus inveniri potuit, huicque nullum aliud est simile. Lapis Bezoar, aut aliud quoddam cordiale, cum eò comparari nequit. Quisquis in id inquisiverit, effectum ejus facilimè reperiet, sentiet & plus, quam effari aut indicare valeo, observabit.

1. Quantitas seu dosis hujus lapidis, pro unâ vice sumenda, gr. VI. pondus æquet, ita tamen ut in majori vel minori pondere non noceat.

2. In febribus ardentibus, siti intensissimâ morbo conjuncta, singulis horis lapis hic in aqua communi propinari poterit, siquidem non tantùm nihil mali aut incommodi causatur, sed & æstum sitimque intensiorem extinguit, simul impediendo, ne malum ipsius morbi cor infestet, cum refocillatione virium admirandâ.

3. Si accidat ut Æger vini desiderio teneatur, aliquid de hoc lapide cum vinò simul dandum est.

4. Si quis absque febri tristis & anxietate orreptus sit, pauxillum hujus lapidis in vino ssumat, & extemplò se alleviatum sentiet.

5. Febre cum angustiis cordis urgente lapis in aqua sumendus, & si febris minus intensa it ac anxietates increscant, idem in aqua vino ermixta dari poterit.

6. Persona reconvalescens, sed adhuc anxia & tristis, usum ejus continuare debet, siquidem is exhilarat omniaque membra confortat.

7. Priori modò sumtus validum contra omnis generis venena est remedium, sive jam ore sit assumptus, sive aliò modò admissus, ita ut & morsus serpentum insensissimorum, *Cobra Capelo* dictorum, curet.

8. Similiter morsibus viperarum adversatur.

9. Non minus ictibus scorpionum resistit, extemplò dolorem æquè ac venenum restinguens. Expedit autem, ut postquam lapis intus assumptus est, pauxillum ejus in pulverem redigamus ictibusque imponamus.

10. Si quis indies jejunus lapidem hunc in vino vel aqua assumpserit, eò ipso die tutus erit ab omnis generis venenis, sive à venenatis animalibus, sive cibis & potibus intoxicatis oriundis.

11. Cum aquâ propinatus hæmoptysin & hæmorrhagiam narium retundit. Necessarium autem est pulverem hujus lapidis instar sternutatorii naribus attrahere, reliquumque oretenus imbibere.

12. Militat etiam contra inflammationes & tumores internos, cum aqua sumtus.

13. Similiter visum conservat, sumtus ut ante.

14. Pari modò ab aëre impuro præservat, priori modò usurpatus.

15. Cum vino potus à quartanâ præservat.

16. Simili modò usurpatus memoriam confortat.

17. Eadem ratione sumptus tertianas curat.

18. Propinatus ut ante à leprâ hominem immunem præstat.

19. Cum aquâ variolis resistit.

20. In vino vel aqua assumtus exhilarat & confortat omnes à morbo debilitatos.

21. Cum aqua lumbricos enecat.

22. Priori modo sumptus contra paronychiam & tumores serpentes militat.

23. Cum vinò calculum pellit.

24. Similiter morſui canis rabidi reſiſtit.

25. Adhæc eodem modò ſumptus utilis eſt contra ictus & vulnera, à ſagittis & armis intoxicatis inflicta, ita quidem ut læſus hiſce lapidem prius in potu aſſumat & abhinc pulverem vulneri inſpergat.

26. Cum vinò aſſumtus deliquium animi à frigore ſubortum curat.

27. In aquâ verò deliquia à nimio calore pellit.

28. Cum vinô juvat in iſchuriâ.

29. Similiter cum vinò alvum laxat.

30. Non minus cum aquâ aut vinò contra Epilepſiam & Apoplexiam valet, ſi perſona ſimili morbo obnoxia indies ſemel, bis, aut pluries lapidem hunc aſſumſerit.

Omnia hæc de conſenſu Inquiſitorum in congregatione D. Pauli nova Jeſuitarum Societas Goæ 1655.

Venditur *Goæ*, *Coetſchyni* & in *Ceylon*, pondere conſueto, ita ut lapis ovi anatini magnitudine 12. Pagodis, h. e. 24. Joachimicis veneat.

Conſ. c. l. Lib. 3. cap. 86. pag. 339.

XLI.

DE

LAPIDE BEZOAR ORIENTALI

LApis Bezoar Orientalis Occidentalem longè ſuperat; adfertur è Golkondâ, Lohan & è Bornou, ſuccreſcens in ventriculo cujusdam capri. Potiſſimus ejus valor in eleganti colore & gravitate ponderis radicatur. Qui fuſcô, caſtaneis ſimili, colore gaudet, admittitur quidem, aſt qui olivæ fructum colore imitantur, optimi ſunt & in Patriam hoc tempore venduntur, ut modò ſequitur:

Lapis Bezoar	2. Unciarum 1½. 1.	venit	90. Florenis 35. 30.	quævis uncia.

Minores autem & leviores, quorum 4. 5. 6. 7. 8. ad 10. unciam unam pendent, 22. ad 24. flor. ℥j. veneunt.

Probatio genuina lapidis bezoardici eſt, quæ ſequitur; ℞. Folium puriſſimum & elegantiſſimum chartæ nitidæ, in quo fruſtum cretæ comminutum eſt: affricetur illi lapis bezoar, qui ſi colorem ſuum largiter communicet, pro genuinô habetur. Vel, ſi eundem prius ponderaveris, in aquam limpidam projice, relinquatur illic per XXIV. horas: exſiccetur, & ſi gravior fuerit redditus, pro genuinô habetur.

XLII.

DE

MOSCHO.

Probatio Moſchi in eô conſiſtit, ut probè obſervetur, an folliculi aut veſiculæ diſciſſæ & de novô conſutæ ſint nec ne? hoc enim ſi factum fuerit, utplurimum arena, ſanguine hircinô & ſimilibus adulteratæ ſunt. Eaque de causâ veſiculâ apice cultri quodammodò aperienda & nonnihil inde eximendum eſt, quod ori immiſſum & maſticatum docebit, an arena, ſanguis aut aliud quid illic immixtum ſit. Aliquid etiam manui affricari & videri poterit, an colorem flaveſcentem aut rubicundum præ ſe ferat, & an in ipsâ manu odorem penetrantem edat? quapropter per 2. aut 3. horas in manu relinquendum, & ſi odorem diu ſervat, genuinum & ſincerum eſt. Quodſi tamen nimis ſiccum fuerit, improbatur, eoque magis ſi nimis pingue ſit. Aliâs Moſchus in cupreis aut metallicis vaſis aſſervandus eſt, & in Patriam ℥j. pro 15. 18. 20. ad 24. fl. divenditur.

XLIII.

DE

ZIBETHO.

Affrica parum *Zibethi* chartæ tenuiori & ſuperextende igni carbonario. Quodſi bènè exſiccetur, ut nulla macula in chartâ relinquatur, genuinum & probatum eſt: Sin aliquid remanſerit, pro adulterinò habetur. Valet hoc tempore ℥j. XX. XXV. ad XXVII. florenos.

XLIV.

DE

AMBRA GRYSEA.

GEnuina *Ambræ Gryſeæ probatio* eſt, ut fruſtulum vitro aquâ pleno injiciatur. Quodſi jam bonum & genuinum fuerit, natabit: Sin ad fundum delabatur, adulterinum. In Patriâ taxa ſequentibus obſervatur:

Candidiſſima	flor. 50. ad 54.	℥j.
Paulò gryſea	36. ad 40.	
valet.		
Magis gryſea	25. ad 30.	
Nigra ambra	12. ad 15.	

Altera proba eſt, ut Ambra calci vivæ in manu aut inter digitos miſceatur, quodſi jam aureum colorem, inſtar croci, habuerit, genuina erit.

XLV.

DE

CORNU RHINOCEROTIS.

BOnitas *Rhinocerotis* conſiſtit in magnitudine, lævitie & puritate; unde quoque vaſcula & ſcutellæ hauriendo potui dicata, eaque ſatis elegantia, à Sinenſibus parantur, quæ in Belgio deſiderantur & tolerabili pretio veneunt.

Maxima Cornua	82. ad 100.	flor. venetunt.
Minora	50. ad 60.	

Scutellæ, pro majori vel minori magnitudine, ſingulæ 12. ad 18. flor.

XLVI.

DE

LIGNO COLUBRINO.

Lignum Colubrinum in Inſulâ Ceilon reperitur, ut & in Timor aliisque Indiæ tractibus. Colorem habet albeſcentem ad flavum tendentem, valde durum & ſaporis amaricantis. Magni & frequentis uſus eſt in Indiâ, cumprimis in Inſula Ceilon & Timor, cum ad plures curas inſtituendas inſerviat. Incolæ comminuunt & corpus eô fricant, ad ſcabiem eô ipsô curandam. Scrupuli ejus duo ad ʒj. in vino ſumpti contra febres omnes ardentes, venena, colicam aliosque morbos, cumprimis etiam contra morſus quorundam ſerpentum aut aliorum animalium noxiorum (unde nomen obtinuit) egregiè conducunt. Cingalenſes atteſtantur & in ſcriptis ſuis perhibent primam Ligni Colubrini inventionem aut notitiam

ritiam animalculo cuidam, quod Lusitani Quel aut Cinpele vocant, in acceptis ferendam esse, quod magnitudine & figurâ Viverræ, Mustelæ sylvestris speciei (quâ cuniculos in Europâ è cavernis suis expellunt) simile esse dicitur: qualia in Indiâ passim, tum animi gratiâ, tum ad capiendos aut fugandos mures & glires, aluntur.

Animalculum hoc nunquam non serpentibus admodum infensum est, quos ad primum statim intuitum aggreditur, & si vulneratur, se ligno Colubrinô curat, quod ab illo comeditur. Hoc incolæ Insulæ Ceilon observantes notarunt simul, quod ad dimidiæ horæ distantiam lignum hoc in sylva indaget & abhinc in pristinum locum redeat; quapropter Cingalenses illud magni faciunt, quum idem in forô Medico convenientissimum esse viderint.

XLVII.
DESCRIPTIO
LITHODENDRORUM AMBONENSIUM DN. RUMPHII.

INTROITUS.

QUod Plinius olim Lib. 13. Hist. nat. c. 25. de Mari rubro & universo Oceano Indico-Orientali perhibebat, id meliori majorique jure de Moluccanô nostro Archipelago dicere possemus, ejus nempe fundum integris sylvis & arboretis instructum esse, cum Oceanus in Insulis his Orientalibus tot marina exhibeat, ut nondum omnia explorari, nec etiam pluris, quàm quod rarioribus adnumerentur, æstimari potuerint.

Inter illa verò agmen ducunt omnes CORALLIORUM, tam genuinorum, quàm spuriorum species, quæ in duo Genera Principaliora distingui possent.

PRIMUM GENUS PRINCIPALIUS ea continet, quæ Græcis & Latinis *Lithodendra*, Malaijanis autem nomine sem-Arabico *Acarbahar* & *Kalbahar*, quod lignum aut radicem marinam notat, vocantur. Hæc propriè formam plantæ habent & substantiâ è lignô & lapide qs. mixtâ gaudent, nonnullis plus hujus, aliis autem plus alterius obtinentibus. Omnia tamen ex Oceanô proveniunt, ab orâ ejus quadam magis, quadam verò minus remota, & tantùm non omnia cortice terrestri atque fragili, qui extra aquam à ventis aut pluviis comminuitur, obducta sunt. Arbusculæ ipsæ sub aquis quodammodò molliores sunt, & quò diutius extra aquam detinentur, eò duriores fiunt. Interim nec in, nec sub aquis tam molliusculæ sunt, ut gramen, prout nonnulli abusivè crediderunt.


ALTERUM GENUS PRINCIPALE illud est, quod communiter *Lapides Corallini*, Germ. *Corallen-Steine*, Malaijanis *Carang* audit & plus substantiæ lapideæ in se continet, imò totum fere lapis est, nonnullis ex eô plantæ florumque, aliis autem fungorum specie & figura, quandoque & aliarum rerum formâ ludentibus: utrobique tamen ab initiô fragilibus & teneris, instar concharum, in ripis verò jacendo lapidescentibus.

CAPUT I.
DE LITHODENDRIS IN SPECIE.

PRimum Genus Lithodendrorum in quatuor species dividitur scil.

1. *Nigricantem.*
2. *Albam.*
3. *Gryseam.*
4. *Rubicundam.*

CAPUT



TAB. VIII.

Fig. 1.
Corallium album grum nmarum et monodonum.
Lit. b.
Lit. a.
Corall: cinereum ramos: et monoclon.
Lit: c.

Fig. 2.
Pseudo Coral lium Sup. erocum, articulatum Ramosum.

Fig. 3.
Corall: album littoreum sive Hip puris saxeo.

Fig
Coral pelag

Fig. 5.
Tubularia Coralloides.

Fig. 6.
Amaranthus saxeus cum suo annato Saco.

Fig. 7.
Pseudo Corallium ribrum fistulosum

Fig. 8.
Lithodendrum calca rium sive Carana, Calx Am bonica.

Fig. 9.
Serpillum marinum.

Fig. 10.
Millepora d'Imperatus.

Fig. 11.
Erica Marina

Fig. 12.
Affine Pdag genus Clus

Fig 13.
Saxum abro tonoides Clusii.

CAPUT II.

DE

LITHODENDRIS NIGRIS.

HOrum ſequentes ſpecies ſubalternæ dantur:

I. ACAR BAHAR POHON, ſeu *genuinum Calbahar nigricans*, quod nihil aliud eſt, quam corallium nigrum genuinum, Plinio & aliis ANTIPATES dictum, & in Europâ paucis cognitum. Hoc ex arbuſcula 1. vel 2. pedes longâ plurimisque ramuſculis præditâ conſtat, ut *Tab. VIII. Fig. I. Lit. a.* videre licet. Hi ramuſculi ſubſtantiâ ex lignô & lapide commixtâ gaudent, ejusque tenerrimi ramuſculi etiam non facilè diffringi, ſed potius inflecti poſſunt. Craſſiores verò inſtar cornu alicujus duri ſunt, ſeque nonniſi artificiô quodam interveniente flecti patiuntur. Corallium hoc in totum & ſolidum picis inſtar nigrum eſt, extus longis & obliquis ſtriis, coralliorum more, præditum: intus autem è diverſis volvolis, ſibi invicem incumbentibus, contextum, compactum tamen & corneum apparet. Carbonibus injectum, haud aliter ac cornu aut unguis odoratus ſibi invicem permixta ac incenſa, fœtet. Sub aqua denſum pariter & cortice gryſeô tenerô & poroſo eſt obductum, qui facilè decidit, ſi per aliquot ſeptimanas in arenoſum humidumque locum defoditur & abhinc manu abraditur. In ramuſculis tenuioribus hinc inde granula quædam ſolitaria & rotunda, inſtar granorum piperis, extus obſcure flava, intus utplurimum cava, obſervantur, quæ ejus fructus eſſe videntur. Inveteraſcens quoad truncum inferiorem & radicem cortice craſſo inveſtitur, qui è peculiari ſubſtantiâ, lapidis dutitiem habente gryſea ſimul & inſtar coralliorum extus ſtriatâ, intus autem compacta, ceu Marmor, obſcure gryſea & quodammodô viridi conflatum eſt, quem nigrum Calbahar, tanquam cor ejus pervadit. Circa radicem gryſea hæc ſubſtantia nodos quosdam excreſcentes format, quos utplurimum ſurculus quidam Calbahar nigricantis percurrit. In fine cruſta hæc lapidea brachii craſſitiem nanciſcitur, inæqualiter tamen & multis ſimul nodis comparentibus; hoc factô arbuſcula tota Calbaharea, ad ſummum ſcil. ætatis apicem delata, quinque pedes ferè longa eſt, ac à motu maris facile decutitur & ad oram aut ripam ejus ejicitur.

Lithodendra hæc ſi elegantia & formoſa ſunt, inter curioſa atque rariora aſſervantur. Eorum tamen pauca inveniuntur, quum plura ex iis oblique incurvata, nodoſa & inæqualia ſint, à raptu aquarum variè inflexa. Quodſi quis eadem è fundo maris extrahere velit, citiſſimè & unô qs. raptu, aut pauciſſimis cultri acutioris ictibus, fieri debet, quod in frondibus & fruticibus annoſioribus non facilè ſuccedit, utpote qui utplurimum ſupradictâ cruſtâ lapideâ obducti ſunt. Sin verò arbuſculam contorquendo & volvendo ſeparare ſatagas, duplô firmius adhæret, haud aliter ac vim illam ſentiret & decerptioni reluctaretur.

Incolæ rarioribus minus dediti nec curioſi Calbahar hoc in alium longè *uſum* conquirunt, cujus intuitu penes illos majori in pretio habetur, quam inter noſtrates. Recipiunt ſcil. truncum annoſiorem, cum denſioribus & craſſioribus ramis, quos ſingulari artificiô flexiles reddunt, ut armillas & annulos brachia cingentes inde conficiant, quæ in ſuperficie interna plana, exteriori verò ſuperficie rotunda, interdum ſtriis naturalibus ornata, interdum lævia & polita, inſtar ligni ebeni, videntur. Inflexio ſic procedit: R. Fruſta deraſa, inungunt oleo Calapi, & ſupra ignem carbonum extendunt, quô ipsô mollia, ſed tenacia ſimul redduntur, ut pro lubitu flecti, circumvolvi & in quamcunque formam & figuram poſſint redigi. Hâc ergò ratione ſupradictas armillas, Malaijanis *Glang* dictas, efficiunt, quas omnis generis incolæ, tam Mares, quam Fœminæ brachiis applicant, iisque magnas virtutes tribuunt, quibus incantamenta varia aliaque mala, à ſagis dependentia, avertere & annihilare ſatagunt. Reliqua nodoſa curvaque fragmenta, huic operi minus idonea, ad uſum Medicum aſſervantur, ubi & multa iis, altiori indagini & experientiæ innitentia, tribuunt. Aquâ ſcil. comminuta, & vel ſola, vel cum albo Calbahar propinata, curant & enervant omnis generis venena, cumprimis nociva, è mari provenientia, cancros, conchas &c. it. fungos venenoſos ſimiliaque edulia nociva, homines ſæpe ſuffocantia, modò confeſtim & extemplò illis aqua ſaccharata, ſyrupi & conſimilia, ad gulam apertam ſervandam, donec medicamentum præparari & offerri poſſit, infundantur. Quin & in variolis ac morbillis puerorum retrocedentibus, & cum inſigni æſtu ægrum ſuffocaturis, non ſine fructu exhibentur. Porrò & Calbahar hoc nigrum illos in integrum reſtituit, qui ſe aqua vitæ atque arak ſic obruerunt, ut inſignem ardorem & periculum ſuffocationis in gulâ eô ſibi conciliarint ſicque nullum fere cibum aſſumere valeant. Calbahar albo ſi miſceatur, datur contra hyperemeſin & hypercatharſin, etiam talem,

ubi merus & ſincerus ſanguis excernitur, qualem Dola ſylveſtris, quæ ſpecies quædam elaterii eſt, inferre & cauſari ſolet.

Cortex lapideus cinereus *Acarbahar coulit* dictus, pro uſu Medico ſimiliter aſſervatur, cum ambuſta curet, ſi in pultem tenuiorem redactus imponatur. Sedat etiam dolorem in furunculis & apoſtematibus ingentem. Interim caveatur ne ſummitatibus illorum tumorum illinatur, ne retrocedant. Pulticula hæc quoque ictui & morſui venenatorum animalium applicatur. Sunt, qui cortici huic omnes qualitates, Calbahar albo convenientes, tribuunt. Serrâ obtuſâ diſſecandus & aquâ conſpergendus eſt, ut marmor etiam ſecari ſolet. Attamen meditullium ſeu, ſi mavis, cor ipſius Calbahar lentè admodum ſecandum eſt, ſic, labore licet magno, ingentes orbes hujus corticis obtinere poſſumus. Meretur hîc adduci Plinii aliorumque Antiquorum teſtimonium, qui teſtantur antipates olim contra incantationes quoque adhibitum fuiſſe. Quò & Jubæ, Regis Mauritaniæ teſtimonium referendum, qui adſtruit ex hac planta (quam Iſidos Plocamos h.e. Iſidis capillos vocat & circa tractus Orientales Africæ in Mari rubrô & in loco Troglodytarum reperiri ſcribit) antehâc armillas pro fœminis, quas Spathalia nominat, paratas fuiſſe; vid. Plinium Lib. 13. cap. 25.

II. Species eſt *Acarbahar rotang*, vel *Salianos*, Ternatis *Ban-mauhu*, Belgis *See-rottang* dicta, quæ ſecundam Acalbahari nigri ſpeciem conſtituit & pro mare habetur. Hæc nullis ramis gaudet, ſed è ſimplici, prælongo & tenui cauli, calamum ſcriptorium aut digitum annularem craſſitie æmulante, conſtat, qui triplici figurâ ludit: Prima (in Tab. VIII. Fig. I. Lit. b. ob oculos poſita) eaque communiſſima ſpecies valde incurvata, 8. 9. ad 10. pedes longa & digiti annularis, ad ſummum alius digiti craſſitie donata, extus denſa & punctulis aſperis, quodammodò pungentibus, obſita eſt, cujus interior ſubſtantia dura & nigra, ut in præcedenti, attamen lapidoſa ſe incurvari non patitur, ſed diffringitur. Quò annoſior & craſſior, eò lævior evadit eoque tempore punctula acutiora evaneſcunt, quæ etiam deradi poſſunt, ut glabra admodum & nigricans evadat. Quod peſſimum in illa videtur, curvaturæ adeò ineptæ & indiſpoſitæ illîc occurrunt, ut difficilimè in ſitum rectum extendi poſſint, dum caules, licet oleo illiti & igni ſuperinducti, ita ut præcedens Calbahar, inflecti non poſſunt. Interim tamen aliquod adhuc artificium reſtat, quô flexuræ illi quodammodò corrigi & in ſitum rectum reduci poſſunt, ſi ſcil. totus caulis arundini excavato & adhuc viridi inſeratur, aquâ repleatur & ſupra ignem coquatur, quo ipſo lapidoſa ſubſtantia quodammodò molleſcit, quæ abhinc adeo calidè eximenda, manibus extendenda & perticæ longiori, ut illîc refrigeſcat, infigenda, & tandem foliô quodam aſperô polienda eſt. Tubi hi lapidei quandoque in ſummitate plurimis circellis & curvaturis tenuiſſimis finiuntur, ut in filis ferreis tenuiſſimis incurvatis fieri ſolet, qui circelli tenuiſſimi utplurimum abjiciuntur, quùm inepiam & minus neceſſariam longitudinem cauſentur. Creſcunt utplurimùm in illis Oceani locis, ubi curſus aquarum velocior eſt, unde quoque nomen ſuum in linguâ Malaijanâ & Ternatenſi obtinuerunt. In forô Medicô uſus illorum rarior eſt, ſed utplurimùm inter curioſa aſſervantur, cumprimis illi, qui ordine diſpoſitas & elegantes curvaturas habent & aliquâ adhuc radicis parte donati ſunt.

Tertia Species Nigri Acarbahar (quæ ſecunda eſt præcedentis Monocloni) longa pariter & nigra eſt arundo, calamum ſcriptorium craſſitie æquans, & 5. ad 6. pedes longa, priori quodammodo robuſtior, paucis iisque planioribus curvaturis inſtructa, nec externè adeò aſpera, ſed lævis & polita, vel & elegantibus ſtriis, obliquè in longitudinem decurrentibus, ornata, ſubſtantiam habens denſiorem & duriorem. Hæc pro genuino *Acarbahar*, *Lack Lacky* ſeu mare dicto, habetur, & una cum primô, ſeu Calbahar genuino, in uſum Medicum venire ſolet, aſt rarò invenitur. Si Malaijani fruſta digitum craſſa obtinent, grana oblonga inde tornant, quæ perforata & filis traducta inſtar coralliorum portare ſolent.

Quarta Species Nigri Acarbahar (ſeu tertia Monocloni) *Acarbahar Oulan*, h.e. ſerpentiforme dicitur, quod tenuiſſimum manet, nec craſſius culmo mediocri, aut calamo ſcriptoriô fieri ſolet, plurimis circinnis atque circulis ſuccreſcens, 4. ad 5. pedes longum, extus aſperius reliquis, utut, ſi probè exſiccatum fuerit, deradi poſſit. Circinni ordine ſibi invicem impoſiti ſunt & in circulum perfectum abeunt, deſuper in filum tenue concurrentes. Arbuſculæ annoſiores tam rigidæ evadunt, ut pro filis ferreis haberi poſſint, in quibus nihil, ſive tendendo, ſive incurvando immutari debet, ſed circuli naturales ſibi relinquendi ſunt. Quodſi verò aut longiores, aut tenuiores juſtô fiant, fruſtum arundinis cavæ illis infigi poterit. Haud rarò fila conſimilia ſibi invicem intertexta aut firmiter colligata inveniuntur, diverſas extremitates relinquentia, quæ omnia rejicienda & tantum pars principalis retinenda eſt. Silicibus duris, non coralliis, fundamento ſeu pede latiore inſiſtunt, ac ſi iis agglutinata eſſent. Lapidibus conſimilibus, pugnum circiter magnitudine æquantibus, imò & minoribus adhæſiſſe obſervata ſunt, quos piſcatores probè dignoſcere, & illos ipſos, quos in aquas projectant, fuiſſe obſervare potuerunt, cum iis hamos ſuos graviores redderent & ad fundum præcipitarent; quemadmodum & ab his lapidibus unô ſtatim ictu removeri poſſunt. Credibile itaque eſt, illa ipſa nutrimentum ſuum è ſilicibus hiſce ſugere, eorumque naturam aſſume-

assumere, quum in nullis aliis inveniantur: quamvis & seminium aliquod in mari contentum ortum illorum promovere possit, quod in illis haud aliter radices agit, ac viscum aucuparium in quercubus germinare conspicimus. Plinius l. c. speciem hanc juncos marinos & lapideos vocat.

Quinta species Acarbahar nigri frutex minor & planus est, instar flabelli, eaque de causâ *Acarbahar Kipas*, h. e. flabellum marinum (*die See-Foche*) dicitur. Hoc statim prope radicem in plurimos ramulos angulosos se dilatat, inter quos aliæ minores, eæque innumeræ, instar retis, transversim implicantur fibrillæ. Tota plantula utplurimum complanata, & instar flabelli seu ventilabri Solaris extensa esse debet, utut quandoque etiam duplex observetur, aut in partes divisa quodam qs. arcu combinata sit, quæ tamen minus elegans & asservatione indigna est. Extus illi cortex subinde gryseus adhæret, qui sub exsiccatione candidus, ad instar calcis madidæ, apparet ipsique tam firmiter insidet, ut difficulter separari possit, cum primis à caulibus elegantioribus, qui crispi & quodammodò spinosi sunt. Quandoque cortex rubicundus, fragilis & arenosus est, facileque tum abradi potest: interim hæc species compressior est, æqualibus & erectioribus ramusculis donata, qui nec tam crispi nec spinosi sunt. Substantia genuina rubicundo-nigra & lignosa est, utut in priori spinosa specie interdum truncus occurrat pollicem crassus, densus, durus & niger, instar genuini Calbahar, qui rigidos spinososque ramusculos habet: ast talis rarò invenitur & usus intuitu cum genuinò Calbahar coincidit; unde elucescit, Flabella hæc marina plures continere species, omnes tamen è lignosâ & qs. corneâ substantiâ conflatas, basi latiori saxis insistentes, quæ tenera & è pluribus qs. fragmentis combinata sunt; quapropter & Flabella hæc marina substantiam compactam non obtinent.

Sexta species Acarbahar nigri est *Abies Marina* Theophrasti, Germanicè *die See-Cypressen*, quæ omnium Lithodendrorum elegantissima species est, altitudine vix 1. aut 1½. pedem excedens, simplicibus & quodammodò nodosis caulibus prædita, quæ in parte superiori qs. rotunda in plurimos ramulos se dividit, quorum nonnulli quodammodò latiores sunt, quam in abiete: nonnulli autem tenuia admodam folia, ut cupressus arbor, habent. Quædam ex his arbusculis in truncò & ramusculis omninò nigricant, ramusculique elegantiores, (qui folia constituunt) illic rigidi & acuti sunt, Geniste aculeatæ instar. Quædam teneriora, molliora & magis rubicunda folia obtinent, quæ tamen adeò pulchræ non sunt ut priores. Arbusculorum harum pauciissimæ inveniuntur, utplurimum in Insulis Uliassericis & in Bandâ, ob elegantissimam figuram, inter optima & rariora Naturæ dona referendæ.

Septima species *Erica Marina* (vid. Fig. XI. Tab. VIII.) Malaijanis *Acarbahar rutti rutti* dicitur, & è latè se expandentibus arbusculis constat, quæ utplurimum majori latitudine, quam longitudine aut altitudine gaudent, elegantibus cauliculis & foliolis, Ericæ nostræ haud dissimilibus, prædita, obscurè gryseâ, tenera & fragilis, ita tamen, ut benè adhuc contrectari possit. Binæ ejus species habentur: Prior unum tantum aut duplicem habet caulem principalem, rotundum quidem & obscure viridem, extus quodammodò asperum, lignosum, ast tenerum & fragilem. Altera plures truncos & caules principales habet, qui è radice propullulant & simul obscurè gryseî asperique sunt, post ramorum decussionem qs. spinosi. Folíola quodammodò longiora sunt & in fasciculos collecta & juncta, ut pro integris fruticibus haberi possent: ad contactum aspera sunt & qs. pilosa. Utraque non tam solidis saxis, quam tribulo coagulato innascitur, & in foro Medico minus usitata est. Erica hæc interdum laciniis qs. & foliis donata est, quæ incurvata & complicata chirothecam qs. referunt, & ad longitudinem spithamæ in lapidibus suis eminent.

Octava species *fœnum marinum*, Malaijanis *Acarbahar Rumpot* dictum, proximè præcedenti prorsus similis est, gryseâ pariter & fragili substantiâ gaudens, utut extimi ramusculi & foliola prolixa admodum & filorum ferreorum aut caulium fœni instar tenuia, tactu aspera & pene scindentia sint, fasciculis flaccidis qs. sibi cohærentia & figurâ fœnum fere exprimentia. Arbusculæ hæ è fundo maris recenter extractæ mucosâ quâdam substantia obductæ sunt, quæ punctionem quandam & exiguam inflammationem in cute excitat, ad instar urticæ marinæ. Idem symptoma quoque binæ antecedentes ericæ marinæ inferunt, si recentes è mari extrahantur, non tamen adeò notabiliter, ut præsens arbuscula.

Nonò rarior adhuc species *Calbahar*, in Papuficis Insulis *Mas* dicta, reperitur, quæ ultra spithamam non succrescit, & tantum in 2. vel 3. ramos dividitur, duræ & corneæ substantiæ, quæ à natione illa ad usum Medicum desideratur admodum.

CAPUT III.

DE

CALBAHAR ALBO.

SEcunda Species lithodendrorum Calbahar eſt albicans, è familia coralliorum alborum, quod in 3. alias ſpecies ſubordinatas diſtinguitur.

Ex his 1. occurrit ramoſum & articulatum Calbahar album, à C. Cluſiô Lib. 6. Exot. aliquantulum obſcurè deſcriptum, à quô *Hippuris Saxea* vocatur, & rurſus duplex eſt, quorum alterum in planis & ſaxoſis littoribus, ubi maris aquæ vix 4. fila profunditate æquat: Alterum profundius in Oceanô ſuccreſcit.

Prima, ſcil. *Hippuris littorea*, humilis eſt arbuſcula, $1\frac{1}{2}$. ad 2. pedes alta, multis ramis incurvatis erumpens, infra digiti aut pollicis, deſuper calami ſcriptorii aut culmi ſtraminei craſſitiem habens, multis ramis lateralibus, ſibi invicem ſæpe firmiter accreſcentibus, inſtructa. Hæc trunco ferè caret, ſed ſuos ſtatim è radice ſurculos diſtinguit, eosque curvos utplurimum. Omnes hi ſurculi in articulos diviſi ſunt (ut in Fig. 3. Tab. VIII. ob oculos ponitur) quorũ nonnulli pollicem transverſum dimidium, nonnulli integrum pollicem longi, albi, duri & qs. lapidei, extus profundè ſtriati & ſimul lata & profundâ rimâ à ſe invicem diſtincti ſunt, ubi nigricant & qs. cuticulâ obducti ſunt externè, quæ lapillum pariter albicantem ambit, haud aliter ac in equiſeto herba videre eſt. Articuli haud difficulter ſeparantur, quô factô extremitates quoque ſtriatæ apparent, acſi leviter ſibi invicem impoſitæ fuiſſent. Superiores articuli, craſſitie vix culmum æquantes, adeò flaccidè ſibi cohærent, ut facilè à ſe invicem decidant, ſi quis illos depurare velit, aut aliô quôvis modô tractaverit, caudæ ſcorpionum non abſimiles. In trunco & inferioribus ſurculis articuli hi longiores ſunt, nigricantes ſurculi minores & in vetuſtis fere adnati, ita tamen, ut articuli adhuc diffringi poſſint, utplurimum adhuc cuticulam quandam ſeu rudimentum hujus circa meditullium retinentes. Inſident lapidibus corallinis, & ſub aqua cortice craſſo & gryſeo cinguntur, qui friabilis & arenoſus eſt, & facilè ſeparatur, ſi aliquamdiu pluviis exponuntur. Genuina ſubſtantia in ſolidum dura, extus gryſea, in ramis ſuperioribus eleganter alba, ut marmor aut alabaſtrum, ſurculis junioribus nigricantibus. E ramis craſſioribus nonnulli albo-gryſei, nonnulli verò flaveſcentes, inſtar eboris corrupti, apparent (qui meliores ſunt, ſi in extremitatibus poliantur) corculô ſeu meditullio interiori albicante, quod bini circuli ambiunt. In ramis ſuperioribus ſtriæ ſæpe aut obliterantur, aut adeò notabiles non ſunt.

Secunda & Fig. 4. Tab. VIII. depicta ſpecies eſt *Hippuris Pelagica*, in profundo maris, ad 80. vel 90. filorum longitudinem vel profunditatem, ſuccreſcens, unde integra ejus arbuſcula adhuc incognita neminique viſa eſt. E ramis tamen, ſive abjectis, ſive demiſſis, colligitur, hanc ejusdem cum prioribus figuræ aut naturæ eſſe, altiori tamen trunco inſtructam & ramis craſſioribus præditam, nec tot ſtriis inciſam, articulis, absque ſurculis nigricantibus, ſibi cohærentibus, utpote qui tantùm in truncis ramorum minorum comparent. Subſtantia ejus utplurimum ſaxea & dura, æqualis & compacta eſt, extus obſcuris ſtriis, è gryſeo in flavum vergentibus, magis tamen flavis, inſtar eboris corrupti, prædita. In litore aliquamdiu hinc inde jactata eboris inſtar albeſcit. Diffringi quoque & in articulos oblongos ſeparari poteſt, quorum extremitates, ubi ſibi invicem committuntur, ſtriatæ ſunt, & ſi poliuntur, cor albicans, virgultum ſcoparum craſſitie ferè æmulans, continent.

De priori ſpecie per urinatores integras arbuſculas obtinere poſſumus, è quibus illæ tantùm inter rariora aſſervantur, quæ elegantibus ramis donantur & 3. pedes altæ ſunt. Aliás verò omnes ſurculi elegantiores decerpuntur, è quibus craſſiores pro uſu Medico eliguntur.

De altera ſpecie quandoque tantùm fragmenta majora ſeu ramuſculi haberi poſſunt, qui piſcatorum hamis ſubinde extrahuntur, ſi in illos fortè incidant, aut arbuſculæ per tempeſtates vehementiores, terræ motûs, aut alios caſus confringantur & ad litora maris expellantur. In his autem ultra 1. & 2. annos jacere non debent, cùm per diuturnam volutationem glabra quidem, albicantia & ſaxea, verùm, juxta incolarum narrata, ſimul debilia redduntur, ut multum de viribus amittant. Hinc & illi tantùm rami in uſum Medicum adhibentur, qui recenter è mari extracti, aut non diu in litore relicti fuerunt.

Probatio, an integris adhuc viribus conſtet, hæc eſt: Extremitas altera in ſuccum limoniorum acidum immergatur, & ſi circumcirca efferveſcat ac veſiculas ejiciat, ſua adhuc bonitate gaudet, cùm in emortuâ & corruptâ idem aut plane non, aut tarde admodum obſervetur. Quoniam verò proba hæc nimis generalis, mihique ſuſpecta ſatis eſt, hinc addo, genuinum Calbahar non tantùm efferveſcere & ebul-

& ebullire, ſed & ſonum obtuſiorem, nec tam acutum, ut lapides duri, edere. Adhæc non tam ſtercora & excrementa, ſed panem ambuſtum redolere debet, ſi duo fragmenta ſibi invicem atterantur.

Nota. Sub probatione cum ſucco limoniorum omnes Acarbahar ſpecies ita ſe gerunt: de Calbahar nigrô & ramosô fragmentum majus inferioris trunci, digitum fortè craſſum, extemplo & vehementer ebullit, rami verò parum aut omnino non; quâ ratione quoque Calbahar monoclonum nigrum omneque corneum ſe habet. De Calbahar albicante Ambonicum fortiſſimè, abhinc fragmenta alba & glabra hipp. Pelagicæ, debiliter verò Ternatenſis, utut magis lignea, ebulliebant. Inter Pelagicam Ambonenſem albicantia & ſonantia fragmenta erant marmori ſimilia, quæ omnium validiſſimè ebulliebant, ut corallia rubra in patriâ ſolent. Unde concludo, quod opinio incolarum, ſuſtinentium ſaxeum & antiquum Calbahar vires ſuas amiſiſſe, fundamento careat. E coralliis ſanè rubris ea pro optimis habentur, quæ annoſa, ſaxea & ſuâ ſponte expulſa fuerunt. Cornua, ebur & piſcium dentes planè non effervеſcunt. Cortex ſeu cruſta Calbahar nigri lapidea lente, ſed parum ebullit. Idem quoque cortex craſſus de *Bia Caru* præſtat, ſi aliquamdiu in ſucco illo detineatur. Oculus *Mattabou* majoris illic detentus tarde inchoat, aſt vehementer abhinc urget ebullitionem. Calbahar gryſeum & lignoſum quodlibet parum effervеſcit, ramoſum tamen magis, quam monoclonum.

Calbahar album quodcunque, tam littoreum, quam pelagicum, ab omnibus Archipelagi hujus Orientalis incolis magni penditur, & tantopere ab iis æſtimatur ac penes Nos corallia rubra: imò penes nonnullos, cumprimis Ternatanos, magis extollitur, cujus ſufficientes illis rationes ſuppeterent, ſi iisdem, quas illi tribuunt, viribus gauderet: ſed à noſtris nondum exploratæ, multo minus acceptatæ ſunt, non obſtantibus incolarum inſtantiis & confirmationibus. Communiſſimè vis cardiaca illi adſcribitur & alexipharmaca, quod item æſtum febrilem imminuat, ardoremque ventriculi, à bile obortum, ſiſtat. Penes hanc nationem Orientalem certè nullum antidotum paratur, cui album Calbahar non baſin ſeu fundamentum præbeat, licet & alias ſæpè ſpecies admiſceant, cumprimis nigram & gryſeam, una cum aliis conchis turbinatis & oſſibus animalium, ex Oceano ejectis, qualia ſunt ſolenes, dentes elephantini, ebur, dentes priſtis Indicæ, CC. corallia rubra &c. Calbahar album, aut ſolitarium, aut cum nigrô permiſtum propinari ſolet, ſi quis draſticum nimis & corroſivum purgans aſſumſerit. Item contra exeſtuationem bilis, vomitum nimium & cibos nocivos, cumprimis fungos, parca quantitate admiſcendo aurum, argentum, margaritas, ſmaragdos, granatos, aut reliquas Calbahar ſpecies: quæ omnia non tantum venenis, ſed & aliis nequitiis & tormentis, per philtra inductis, reſiſtere putantur. Idem Calbahar album aut per ſe, aut gryſeo permiſtum & coralliis maritatum in febribus ardentibus, ad æſtum infringendum & cor refocillandum, propinatur. Prævia purgatione etiam contra gonorrhœam & fluxum album mulierum exhibetur. Imò & ad alios affectus domandos ab incolis adhibetur, quorum nullam usquedum, ut in prioribus, periculum fecimus.

Secunda Calbahar albi ſpecies utplurimum cum Europæorum coralliis albis coincidit, dum æquè ſaxeum & durum, ramuſculis minoribus, brevibus & craſſis, qui in parte anteriori cavi, tubuloſi, & ſimul radiis, inſtar ſtellæ, ornati ſunt, obſitum, reliquô truncô compacto, denſo & durô exiſtente. Rarò & utplurimum in Oceano circa Bandam, in alta profunditate, reperitur, eaque de causâ in apricum non venit, niſi hamis piſcatoriis extrahatur. Penes incolas nullius eſt uſus, licet Nigritæ quidam mihi conteſtati ſint, quod iisdem, quæ aliis Calbahar albi ſpeciebus attribuuntur, viribus gaudeat. Conf. hîc Fig. 10. Tab. VIII.

Tertia ſpecies Calbahar albi eſt Monoclonum, figurâ nigro haud abſimile, parilibus ramis oblongis, 8. 10. ad 12. pedes habentibus, dig. minorem craſſitie æquantibus, absque curvaturis, ſed ſimpliciter quodammodò inflexis, gaudens. Externè ingenti teneraque cruſtâ obducitur, quæ ſub exſiccatione facilimè abraditur. Sub hac genuina ſubſtantia nigra durior & gravior continetur, extus gryſea, cum pauca flavedine immixta, in longum ſtriata paululum, ſed obſcurè admodum. In totum verò unico ſaltem aut duobus nodis, ramis erupturis qs. dicatis, diſtincta. Internè colorem dilutiorem præ ſe fert, meditullio duro prorſus & qs. oſſeo albo gaudens, & ſi digiti craſſitiem nanciſcitur, triangulare fere, ut Rajæ cauda, evadit. Fruſta ejus colliſa corneum & ingratum odorem ſpirant, ut omnes Calbahar ſpecies ſibi peculiare habent. Rarò & tantum in ſaxis durioribus, iisque in locis reperitur, ubi raptus aquarum fortiores occurrunt, latâ baſi ſeu pede lapidibus adnaſcens, ut jam ante de nigrô etiam dictum fuit. Rariſſimè inſervit, & ſi aliis Akarbahar ſpeciebus miſceatur, contra venenata propinata militat. Cumprimis à Nigritis, ad varias nequitias eludendas, queîs viros in exercenda Venere debilitare & emaſculare ſolent, conquiritur, cum virilitatem confortet, tam internè, quam externè adhibitum, & Calbahar albo primò enumerato junctum.

Huc IV. adhuc alia, eaque rariſſima, ſpecies referri poſſet, quæ ex arbuſculâ minutiſſimâ, inſtar Thymi foliis privatæ, tenuiſſimis & erectis cauliculis, quodammodo etiam ſtriatis inſtructâ, conſtat. Hæc ubi primum è mari extracta

eſt, eleganter flaveſcit, & ceu lignum vegetum ſplendet, ſucceſſu autem temporis cinereum aut candidum evadit, ramuſculis inſtar vitri fragilibus. Reperitur in regione Uliaſſericâ, mihique præter unum aut alterum videre non contigit.

CAPUT IV.

DE

CALBAHAR CINEREO ſeu GRYSEO.

CAlbahar gryſeum à præcedente monoclono haud multum differt, quapropter & Indi omne gryſeum Calbahar ad ſpecies albi referunt, ſicque nominare ſolent. Quoniam verò coloris intuitu differentia haud parva intercedit, ſubſtantia ejus quoque lignoſior eſt: hinc peculiare genus exinde conſtituimus, quod in ſequentes ſubdividi poteſt ſpecies:

I. eſt genuinum Calbahar gryſeum, ab incolis *Calbahar Puty*, ut antecedens album, dictum, quapropter ad meliorem diſtinctionem *Calbahar Cajou Puti*, h. e. Calbahar album lignoſum dici poſſet. Plurimis tenuibus ramuſculis erumpit, in laterales ramuſculos, haud pauciores, ſe dividens: extus cortice rubicundo-fuſco inveſtitum, qui criſpus quodammodò illi fortiter adhæret, ſi exſiccatum eſt, ita quidem, ut pro coralliis rubris haberi poſſet. Interim haud difficulter cultro quodam abradi poteſt. Intus genuina ſubſtantia, ex ligno & lapide qs. mixta, reconditur, magis tamen lapidoſa, quàm Calbahar nigrum, eaque de causâ fragilior, dum vitri inſtar comminui poteſt, exceptis ramis craſſioribus, qui ſatis rigidi ſunt. Detracto rubro cortice ſupradicto glabrum & læve redditur, absque nodis & articulis, externè quodammodò ſtriatum, albo-gryſeum & fermè flavum, internè corde ſ. meditulliò albo præditum, quod cavum interdum & fiſtuloſum eſt. Quædam ejus ſpecies obſcurè gryſea & colore murino prædita eſt, meditullio tali deſtituta, & adeò levis, ut pro ligno haberi poſſet: extus profunde ſtriata & quodammodò contorta, quæ radi poteſt. Hæc ſpecies pro optimâ habetur, aſt rarò admodùm & ferè nuſpiam, quàm in Inſulis Papaſicis, reperitur. Ultimum ex albo gryſeum, lævius, durius & compactius eſt. Hoc ſi abſcinditur aut raditur, in diverſa fragmenta ſe aperit ejusque caulis ramuſculis V. ad VI. pedes longis inſtructus eſt; ſuccreſcit in tractu Occidentali Coram & circa Boru, ut & in Inſula Oubi. Utrumque ab Incolis pluris æſtimatur, quàm præcedens album Calbahar, ad eosdem, quos ſupra enumeravimus, affectus commendatum. Tidokeſeni & Papadyni aliud Calbahar album, quam hoc ipſum lignoſum, agnoſcere nolunt, illudque tam care divendunt, ut vix duplo argenti pondere obtineri poſſit, ut Ternatani cum præcedente albo procedere ſolent, ſi illud ex Oceanò jamjam extraxêrunt. Fruſta conterendo ſibi commiſſa, donec calefiant, odorem ingratum corneum ſpirant, ut album monoclonum: quamvis poſterius hoc magis adverſum ſit & pinguedinem accenſam & aduſtam redoleat: quapropter & Monoclonum ad Calbahar gryſeum referri poſſet. In ſucco limoniorum lentè admodum & parum ebullit.

II. Species *Rode Rade*, Malaijanis *Akarbahar Saſaſpo* dicta, à priori plane non differt, niſi quod plurimis rectis & erectis cauliculis ſuccreſcat, pedem circiter longis, confertim ſibi junctis, cum paucis lateralibus ramuſculis, ut *Lit. C. Fig. 1. Tab. VIII.* videre licet. Extus cortice criſpo & rubicundo tegitur, qui firmiter adhæret, ut pro arbuſcula corallii rubri haberi poſſet. Internè tenuis eſt ſurculus, ejusdem cum priori ſubſtantiæ. Hæc arbuſcula depurari non debet, ſed una cum cortice ſuo aſſervetur, oportet, cùm alioquin elegantiâ careat & de rubro Calbahar parum admodum contineat.

III. Species exigua quoque plantula eſt, è multis ramuſculis minoribus conflata, quæ ſibi invicem irretiti & confuſi unum qs. folium efformant, flabellorum minorum inſtar, quorum plura ſibi juncta ſunt & minus apte licet fornicati apparent, ut pro *flabellis marinis gryſeis* haberi poſſint. Externè rubri quid adhæret, quod facile decidit: internè gryſeum & quodammodò flavum eſt, tenerum & fragile. Hoc vix aſſervari meretur, excepto eò quod planum quodammodò & flabelli inſtar ordine diſpoſitum eſt. Rami tamen craſſiores inter Calbahar aſſervantur. Saxis alioquin durioribus accreſcere ſolet.

CAPUT V.

DE

CALBAHAR RUBRO.

CAlbahar rubrum viliſſimum omnium, adeoque meritò pro corallio ſpuriò habendum eſt.

Prima ejus ſpecies truncum craſſiorem trudit, duos circiter digitos aut brachium craſſitie æquans, qui ſe in duos aut tres ramos principales dividit, ad 4. vel 5. pedum altitudinem, rubicundum inſtar ſanguinis, durum & qs. lapideum, ſed fragilem, tubulis & canaliculis, aceſſi à vermibus corroſus eſſet, plenum, aſperum ſimul & acutis accreſcentiis obſitum. Interſtitia ramorum principalium à tenuibus & tenerrimis ramuſculis occupantur, qui inſtar retis ſe perreptant, extus flavis & particulis variis conſpurcatis, intus rubicundis & ſic fragilibus, ut vix attingi poſſint. Tota arbuſcula magis quoque plana eſt, inſtar flabelli Solaris, vel in lateribus laciniis gaudet. Si firmiorem ſubſtantiam nacta eſſet, ob colorem vivacem rubicundum inter potiſſima rariora referri poſſet: ita autem inſuper habetur, quum rami elegantiores ſucceſſivè decidant, & tantum aſperi & ſpinoſi rami principaliores relinquantur, de quibus craſſiores ad uſum Medicum aſſervari ſolent. Idem omnes Inſulæ Ambonicæ circumcirca commune habent, & ſubinde retibus piſcatoriis extrahitur. Una cum Acarbahar contra venenum adhibetur, iisque qui ſanguinem aut pus mejunt commendatur, quum putridos humores per urinam educat. Ad hunc ſcopum verò fragmenta vetuſtiora eliguntur, quæ denſa utplurimum & minus excavata ſunt, lente in lapidibus terenda, cum, ut dictum, fragilia admodum ſint. In tractu Occidentali de Coram ſpecies ejus reperitur, quæ flavo-rubicunda, inſtar coralliorum rubrorum, dura & compacta, absque foraminulis ſuccreſcit, & pro coralliis rubris haberi poſſet: aſt rarò occurrit, eaque de causâ magni penditur. Speciali illa nomine *Djinckga*, h. e. Calbahar aurantii coloris dicitur, tutiusque internè aſſumitur, quam vulgalis poroſa & tubuloſa.

II. Alia adhuc ſpecies *Acarbahar Meru* dicitur, priori omninò ſimilis, niſi quod rami principaliores in articulos diviſi ſint. Externè articuli ſibi, ut in Calbahar albo, adhærent, ſimilibus etiam ſtriis gaudent, ſed duriorem & magè lapideam ſubſtantiam habens, quam præcedens, quæ candicans & intus rubeſcens apparet. Truncus ejus compactus eſt, colore mixto, partim albo, partim rubro inſignis.

III. Acarbahar hujus ſpecies ramis deſtituitur, adeoque non tam arboris, quam lapidis figuram habet, cum maſſa & moles ſit è plurimis tubulis conflata, qui vix calamô craſſiores ſunt & ſibi proximè cohærent, ut Fig. 5. & 7. in Tab. VIII. ob oculos ponit. Coloris intuitu rubra aut purpurea eſt, intus tribus aut quatuor in locis cuticulis lapideis cohærens, ita, ut tota maſſa ſpongiam referat. *Datu Svvangi* dicitur, h. e. *Lapis Magicus* (*Zauberſtein*), hinc inde in litoribus reperibilis, quamvis & ſub aqua creſcat indeque per motum aquarum ab uncis lapidum corallinorum, quibus adhæret, decutiatur. Incolæ lapidem hunc adeò abominantur, ut nullus eorum hortum ingredi, aut arborem adſcendere audeat, in quâ lapis hic ſuſpenſus hæret, verentes, ne corpus illorum veſicis ardentibus & qs. igneis corripiatur, quas *Mattacau* vocant. Quid quod iis obdormire piaculo ſibi ducant, metuentes, ne ſtranguriâ afficiantur, quam eò facilius affligere credunt, ſi quis fragmentum ejus ſecum habeat. Interim Malaijani illos adeò non abhorrent, ut & internè, utut in concisâ doſi, propinare non dubitent.

IV. Species *Batla Laut* figuram ingentis lateque extenſi panni refert, aeſi tunica obſoleta ex cortice arborum parata eſſet, filis tamen craſſioribus, per ſeries quasdam contextis, ſubtus obſcure rubeſcens & ſemipellucida. Quamprimum autem ex aquis extrahitur, extemplo nigreſcit. Fragmenta ejus reperiuntur adeò lata, ut pallium exinde parari poſſet, quæ & inter rariora aſſervantur. Interim ſub pluviosâ aëris conſtitutione nunquam non odorem marinum ſpirat, quo unguèm odoratum æmulatur.

CAPUT VI.

DE

LAPIDIBUS CORALLINIS.

ALterum Genus Principale lithodendrorum aut Plantarum Marinarum LAPIDES CORALLINOS, Malaijanis *Carang* dictos, complectitur, binas ſub ſe ſpecies comprehendens.

PRIMA LAPIDES CORALLINOS PLANTIFORMES, caulibus & ramis inſtructos, continet. Altera verò illos, qui eandem ſemper figuram tenent. Utraque lapideæ ſunt naturæ, non ligneæ, nec inflecti poſſunt.

Priores, ſcil. plantiformes lapides corallini lithodendris quoque annumerari ſolent, quæ ſequentes ſub ſe ſpecies comprehendunt:

1. *Carang Bonga*, h. e. *flores albi corallini*, elegantiſſimam & communiſſimam ſpeciem formant, duplici facie ludentem. Altera inſtar arbuſculæ aut fruticis erumpit, 1½. ped. longa, multis craſſisque ramulis, in obtuſum apicem deſinentibus, inſtructa, & in lateribus innumeris ſpinulis obſita, cujus folia Abrotonum herbam effingunt, quapropter & à Carolo Cluſio Lib. 6. Exot. planta ſeu ſaxum abrotonoides vocatur, ſed malè depingitur. Vera & genuina ejus effigies *Fig. 8. & 13. TAB. VIII.* occurrit. Ex Oceano primum educta muco nauſeosò obducitur, colore purpureo quidem gaudens, aſt ſi per aliquot ſeptimanas pluviis exponitur, colorem illum in candidum mutans, ſtriata ſimul & fragilis, inſtar ſacchari albi. Fragmenta ejus in litoribus diu agitata lapideſcunt & inſtar porcellanæ ſplendent. Altera ſpecies ejusdem eſt ſubſtantiæ, humilis tamen & plana remanens, in medio quodammodò depreſſior, quàm in extremitatibus, ſcutellam referens, quæ è plurimis curtiſſimis ramuſculis, ſibi continuis, & vix digitum longis conſtat & obtuſis ſpinis ſeu cornubus obſita eſt, ut figuram ſerpilli aut ſedi minoris ſere referat, vid. *Fig. 9. TAB. VIII.* In parte inferiori truncum habet craſſiuſculum, baſi alicujus patinæ ferè ſimilem, pluviæque expoſita candida & fragilis inſtar ſacchari evadit. Utraque aliis lapidibus corallinis adnaſcitur, quæ capita felina (*Katzen-Kopffe*) dicuntur & paulò poſt deſcribentur; & hæ ambæ in tota Indiâ ad calcem inde parandam uſitatiſſimæ ſunt, tuncque ipſis capitibus felinis miſceri ſolent, cùm ſolitariæ quidem elegantem & albicantem, ſed pauciſſimam & macram calcem præbeant, eaque de causâ tantùm pro dealbatione & ad Siri pinang comedendum adhibentur. Ramuſculi ejus, in litore occurrentes, paucas aut nullas ſpinas habent, ſed illarum locò pluribus rotundis tubulis gaudent, in quibus lapilli minores conſpiciuntur, quales ramuſculi ad parandam calcem inepti ſunt. Sunt, qui abuſivè credunt, certam plantam marinam molliuſculam, quam Algam corallioidem, Malaijanis Agar Agar dictam (eſui quidem aptam) vocant, rudimenta harum arbuſcularum eſſe: aſt hoc minus probabile eſſe vel exinde eluceſcit, quòd arbuſculæ hæ corallinæ parvæ admodum, imò Algâ modo dictâ minores inveniantur, quæ tamen lapidoſa eſt. Ut taceam utriusque faciem longe diverſam eſſe.

2. *Carang alea* ſimili ſubſtantiâ alba atque tenerâ gaudet, aut quodammodò durior, brevibus & craſſis ramis, radici Galangæ majori ſimilibus, prædita, extus lapillis, ceu totidem ſpinis obſita, utut obtuſiores & curtiores ſint. Hæc ſucceſſive ad pedis altitudinem & dig. 3. craſſitiem devenit & figuram palmæ aut chirothecæ mentitur, calcemque non contemnendam præbet.

3. *Carang Goula*, confectio candida (*das weiſe Zuckerwerck*) rara eſt planta, utplurimùm quodammodò duplicata, plurimisque ramis ſibi intertextis gaudens: quandoque rotunda, quandoque plana & Conditorum ſpecimini magiſtrali ſimilis, durior eſt antecedentibus, aſt longe tenerior quàm corallia, eaque de cauſa difficulter aſſervatur.

4. *Confectio rubra* (*das rothe Zuckerwerck*) ejusdem figuræ & ſubſtantiæ, niſi quòd brevior, ultra manus altitudinem non aſſurgens, plana ſimul, rubicunda, inſtar juniorum coralliorum, minus tamen ſtriata & in extremitatibus albicans ſit. Binæ hæ ſpecies rarò inveniuntur & adhuc rarius extrahuntur.

5. *Carang nigricans* brevibus & ſurſum tendentibus ramis gaudet, apertus inſtar lapilli apparens, extus nigricans, ſtriatus & aſper, intus candicans, adinſtar aliorum lapidum corallinorum.

6. *Amaranthus Saxeus* eſt lapis corallinus quamplurimis criſpis circinnis, ſibi mutuò intertextis, gaudens, Amaranthi aut Poeoniæ flori ſimilis, è ſimplicibus, duris & acutis fibris conſtans, quæ brevi trunco inſiſtunt, ut *è Fig. 6. TAB. VIII.* eluceſcit.

7. *Caryophylli Marini*, ſeu *Tsjenhe laut*, candidi ſunt lapilli, coacervati, quorum unusquisque caryophyllum aromaticum, inferius acutum & ſuperius latum refert, & in ſummitate ſtellulam obtinet.

8. *Anthophylli Marini*, ſeu *Polong laut* ſimiles ſunt lapilli, ſed majores & magis gryſei, interdum ſtriis purpureis & rubris diſtincti, in parte anteriori quoque lati & ſtellati. Sibi non continui, ſed nullo ſervatò ordine, hinc inde peculiari ſurculo infixi ſunt, ita ut arbuſculam fere referant.

9. *Reticulum Marinum* ſubtilis admodum & pretioſa eſt textura, inſtar retis ſubtilis, candicans aut flaveſcens, lapidoſum, plicis variis ſine ordine diſpoſitis, figuram floris habens.

SECUNDA SPECIES CORALLINORUM LAPIDUM principalior, aliâ formâ præditotum, ſeqq. ſub ſe continet:

1. Eſt *Fungus Saxeus*, qui rotundus eſt lapis, magnitudinem trunci in pileo habens, è plurimis tenuibus & acutis plicis, centrum ambientibus & fungi ſpeciem efformantibus, conſtans, ut *Fig. 2. Tab. IX.* ob oculos ponit. In pluvia dealbatus & candidus redditur, in littore autem gryſeus & obtuſus exiſtens.







TAB. IX.

Fig. 1.

Massa Coralloides albicans porosa, maris fluctuationem egregie repræsentans.




Fig. 2.

Fungus Lapidosus



Fig. 3.

Placenta Coralloides albicans, sinuosa



2. *Batu Parudan*, h. e. *Fluctus lapidei*, similes sunt lapides, sed oblongi & elegantibus plicis gaudentes, quarum unaquævis eleganter serrata est, acsi institis arte factis exornatæ essent, ut in *Fig.* 1. *Tab. IX.* videre licet. Hi tam albi non evadunt, ut priores. Ambo infra semi-cavi sunt, acuti & densi, spinis obtusis armati, ut ægrè attingi possint. In medio obtusum fundamentum habent, quo rupibus insident, utut illis firmiter non adhæreant. Sub aquâ muco viscido, instar Papedæ Indorum, obducti & quandoque vesiculâ donati sunt, quæ statim evanescit, quamprimum ex aquâ extrahitur, quamvis aliquid vitalis illîc observetur.

3. *Vittæ Polonicæ* ejusdem sunt substantiæ, ast altiores, diversis tuberibus deformatæ, intus cavæ & asperæ, figurâ nomini suo conveniente præditæ. Quædam adeò excelsæ sunt, ut campanis similes sint, aliis tamen formis quandoque ludentes.

4. *Lapides aquarii* ingentes & albicantes sunt calculi, leves & è simplicibus tubulis & canaliculis conflati, acsi fungi essent. Interdum adeò leves sunt, ut aquis innatent. Lentè admodum exsiccantur, & ad murorum exstructionem minus apti sunt.

5. *Carang Capita felina* communia dicta, rotunda & gibbosa saxa sunt, extus aspera, viridia & nigricantia, mucagine & putrilagine obducta, intus candida & striata, ut saccharum. Hi lapides ad calcem parandam & muros extruendos aptissimi sunt, modò probè prius exsiccati sint. Si recentes adhibeantur, muri per plures annos humidi manent & utensilia corrumpunt, si illis apponantur, imò & ipsa ligna.

6. *Tessellati Lapides* instar tuberum aut dimidiorum globorum uncis lapidum corallinorum insident, foraminibus quadratis vel quodammodò rotundis referti, quæ intus plurimis radiis, stellarum instar, succincta sunt. Hi in litoribus diu relicti duri, candidi, aut gryfei evadunt, plures & insignes meatus aut circulos exhibentes, in quibus radii illi observantur. Aliud quoque genus horum lapidum reperitur, quod profundius in Oceano radicatur, planum scil. & stellatum, in litoribus pariter indurescens, adeò candidum & læve, ut pro genuinis lapidibus corallinis haberi possit.

Omnes antedicti lapides generis principalis, licet emortui duri appareant, sub ipsa tamen aquâ, quamdiu loco suo natali insident, vegetabilis & crescentis sunt naturæ. Quin & plures illorum in summitate visciditate quadam gaudent, in quâ vitalis aliquid observatur, si curatius per aquam illos inspiciamus.

XLVIII.

HISTORIA PARREIRÆ BRAVÆ,

Novi Americani contra Calculum remedii;

ad

Illustrem Academiæ Leopoldino-Imperalis Natur. Curios. PRÆSIDEM

DN. D. LUCAM SCHRÖCKIUM

scripta

à

MICHAELE FRIDERICO LOCHNERO, D.

ANni aliquot jam elapsi sunt, cum Chiliarcha ex Anglorum gente, colico dolore excruciatus, meam sollicitasset opem, non sine doloris acutissimi promtissimo levamine, quem alias diro huic malo obnoxius per plurimos dies senserat. Pristinæ sanitati restitutus, cum in lumborum regione idea doloris haud adeò acuti supereresset, illumque calculi judicarem sobolem, & huic quoque hosti pellendo destinarem remedia, ille ad nutum hactenus obsequiosus sumere renuit, & remedium sic satò generosum ad omnia Calculi Renum & Vesicæ mala averruncanda in promptu sibi ipsi jam esse regerit; me instante & urgente tandem inquit:

Si latus aut renes morbo tentantur acuto,
Quære fugam morbi,

in hac, quam mihi simul exhibebat, radice, auribusque meis tunc temporis barbarum nomen adjiciens, Parreiram bravam vocabat. Omnibus, quotquot

novum hoc Pharmaci genus monſtrabam, & nomen planè ignotum erat & radicis efficacia. Menti obverſabatur illud Arati:

Πάντα γὰρ ἔπω
ἐκ Διὸς ἀνθρώποι γινώσκομεν, ἀλλ' ἔτι πολλὰ
κέκρυπται. Τῶν αὖτ' ἰδίλη καὶ ἑαυτίνα δώσει
Ζεύς.

Omnia nondum
Ex Jove mortales cognoſcimus, occulit ille
Plurima, dum lubitum fuerit, quæ tradet.

Demum redux excuſſi fere omnes, quos in meo librario penu habui, Hiſtoriæ naturalis loculos: ſed opem omnem & operam perdidiſſe rebar, cum altum hac de radice ubique eſſet ſilentium. Mancam & mutilam materiæ medicæ notitiam ſic expertus nullam judicavi Artis cognitionem jucundiorem, quam rerum naturalium ex Indiis aliisque orbis olim incogniti partibus allatarum ulteriorem diſquiſitionem, qua ſine æſtu, ſine ſudore, ſine mora venari licet tot abditiſſima miracula,

& ire per omnes
Terrasque tractusque maris cœlumque profundum,

& perſpicue ex iſtis elicere, quod DEUS ſit, & quam immenſa ejus bonitas, tot ac tanta hominibus exhibendo naturæ bona ac dotes. Certè ut militis nomen non meretur, quem quid arma ſint, aut quomodo tractanda, latet: ſic nec Medici nomine dignum reor, exacta luxuriantis quotidie materiæ medicæ deſtitutum notitia.

Tandem cum pene deſperarem, Dn. Pometus in Libr. Gallicè inſcripto: l'Hiſtoire generale des Drogues Libr. II. cbap. XIV. p. 69. Radicis hujus deſcriptionem, Inventores, exhibendi modum, pretium, iconem, aliaque exhibuit: cui vero plantarum ordini hæc Parreira brava foret accenſenda, luculam accendit exiguam & planè fatuam. Cum enim Parreiram bravam vitem ſignificare ſylveſtrem pronuntiaret, quicquid de vite ſylveſtri à Botanicis annotatum, examini ſubjectum eſt. Subiit mentem recordatio uvæ Taminæ Plinii, quam in Braſilia quoque repertum dari Cl. Bontius in Hiſtor. Medic. & Natur. Ind. Oriental. Libr VI. cap. XVII. affirmat, quæ eadem eſſe videtur ac cevalchichitique Hernandis, vel vides de la Isla Eſpannola Lop. de Gomare; ſed reperi hic, quod pueri in faba. Sic quoque cum Labruſca virginiana Muntingii, vite vinifera fol. incano ſubtus, fructu variegato Commelini aliisque, quæ Claſſi vitium ſylveſtrium inſeruntur, res ceſſit, ut nil planè ſolatii, pro radice Parreira, hiſce ex fructibus obtinuerim.

Cum præterea laudatus jam Pometus Mexicani ſoli alumnam hanc plantam prodidiſſet, Mexicanam illam plantarum animalium & mineralium Hiſtoriam, à Franciſco Hernandez in Indiis compilatam, dein à Nardo Antonio Recchio in volumen digeſtam, denique à Joh. Terrentio, Joh. Fabro, & Fabio Columna (proh! quantis in Hiſtoria naturali illuſtranda luminibus) notis & additionibus illuſtratam Romaque Ann. 1651. in Fol. impreſſam, oraculi loco futuram conſiſus, avide totam percurro. Invenio quidem ſylveſtrem vitem ceval chicaltic Libr. IV. c. 39. p. m. 128. cujus tamen deſcriptio ad nil minus, quam Radicem Parreiram bravam quadrat; nec cococzmatl ſive luteum Tamatli, urinaria mirabilis dicta, cum noſtra radice quoad plantæ ſtructuram & partes externas comparari poterit, licet quoad efficaciam, in affectibus quoque calculoſis, renumque & veſicæ morbis laudem promereatur, cum urinam mire evocet, arenas & pituitoſa excrementa pellat, atque quicquid urinarios meatus obſtruit, expurget & trahat: quod exemplo Epiſcopi Cordubenſis, quem Mantuæ Carpentariæ graviſſima urinæ ſuppreſſione affectum hoc remedio veluti per miraculum liberatum ajunt, illuſtratur. Sic irrito labore hac Mexicana Hiſtoria perluſtrata, nec volam inveni nec veſtigium, quo animus ſciendi hac in re cupidus ſatiari potuerit, quod in Joh. Euſeb. Nierenbergii quoque Hiſtoria naturali, Mexicanas plantas comprehendente, contigit.

Id quod Mexicana vero negaverat, Braſilienſis tamen naturalis Hiſtoria exhibuit. Conſului primo Iter Braſilenſe Neuhofii, in quo plurima naturæ κειμήλια reperiunda, quæ fruſtra alibi quæſiveris, ab aliis planè intacta & intermiſſa. Ex illo Illuſtris Rajus ſtupendis operibus Willughejanis nonnulla intulit, ſed maximè dolendum eſt, hunc naturæ theſaurum ob linguæ, in qua ſcriptus eſt, apud nos ignorantiam, & Bibliopolarum incuriam, linguæ hujus libros nobis invidentem, in librariis tabernis non proſtare. Prodiit autem hoc ſub titulo: Joh. Nieuhofs gedenkweerdige Zee en Land-Reiſe &c. beneſſens een bondige Beſchryving von gantſch Neerlands Braſil, zo van Landſchappen, Steden, Dieren, Gewaſſen, als draghten Zeden en Godsdienſt der Inwoonders &c. verçiert met verſcheide Afbeldingen, na t' leven aldaar getekent, Amſterd. 1682. in Fol. Licet opulentum hoc quoque Braſilienſis Hiſtoriæ naturalis Promtuarium non ex voto illud, quod de Radice Parreira brava quæſieram, ſed herbam de Cobra tantum pag. 205. ſuppeditarit; ad Piſonis tamen & Marggravii volumina ablegabat, & plantam Luſitanicè dictam Erva de noſſa Senhora *exhibens, digito quaſi monſtrabat viam ad Caſtellum, radicis hujus veram nutriculam, ceu ex ſequentibus lineolis, ulteriori & uberiori plantæ hujus & radicis examini deſtinatis, palam fiet. Molimur equidem in illuſtranda novi hujus Medicaminis Hiſtoria, opus partim inviſum, cum auribus jam obſervetur illud, quod Alexis apud Athenæum ſuggerit:*

Ἐμῶν ἀλλοτρίων, παρ' ἡμῶν συγγενῶν.

Aliena amamus, proximum contemnimus:

Partim haud quidem arduum, plurimis tamen difficultatibus, cum paucos præeuntes habeamus, involutum; nihilominus, uti ſpero, utile non ſolum, ob ſolatium in renum & veſicæ morbis affectos redundans, ſed & jucundum, maxime cum neceſſitas urgeat, ut quo durius & ferius hoc morbi genus eſt mecum

acrius omnes
incumbant generis lapſi ſarcire ruinas

PAR

PARREIRÆ BRAVÆ Patria & Nomen.

PAtriam Parreiræ si nosse cupis, terrarum partem illam nomino, quò

Primus in ignotum penetravit Americus Orbem,
Inventamque suo terram de nomine dixit,

præcipue vero Provinciam occidui hujus orbis nobilissimam penè, ast simul crudelissimam, Brasiliam puto, ubi

- - alios hominum mores miramur & urbes,
Corporaque humanis fœde distenta medullis,
Infamesque dapes, & qualia fercula fratri
Coxit & immanes Atreus detrusit in artus.
Hic belli laus summa viris, in viscera victos
Condere, & invisos discerpere dentibus hostes,
Ne toti nocent, vel ab ipsa morte resurgant.

Radicis nostræ planta, secundum Pisonem & Marggravium, hujus regionis alumna, nec solo semper pingui fertilique gaudet, sed arenoso sæpius, inculto, imo frutetis, ut ex Plinii eloquio, *ne sylva quidem, horridiorque naturæ facies Medicina careat, sacra illa parente, rerum omnium nusquam non remedia disponente, homini ut Medicina etiam fieret solitudo ipsa.* Vocatur Lingua Brasilienſi vernacula CAAPEBA, de cujus vocis Etymo plura & certiora proferrem, si Pegnesi accola Brasilienſem flavium Maranhaon degustassem. Terminationem *peba* huic linguæ maximè familiarem esse, plurima probant verba, e. g. Accorapeba piscis, Boipeba serpens, Jajarapeba vipera, carapopeba lacertulus; in regno vegetabili adhuc plura occurrunt: Ivapeba frutex, Jurapeba, Mandupeba, Mandiipeba, Vrupeba, Vipeba aliaque. Noli frontem hîc corrugare Lector: extra Latium & Græciam sumus. Non solis veteris orbis populis concessum voces condere, etiam penes Americanos est vis & norma ad placitum sua efferendi; liceat Barlæi festiva verba, quæ in Histor. rer. gestar. Com. Mauritii in Brasilia habet, hac in re facere nostra.

An vero vocabulum Caapebà cum accentu in ultima, sive caapéba in penultima sit pronuntiandum, latet. Πολυμαθέστατος certè Hadr. Relandus in Dissert. Miscell. P. III. Diss. XII. de Ling. Americ. p. m. 179. ex Grammat. Ling. Brasilic. Joseph. de Auchieta notat, *verba Brasilianorum maximam partem accentum habere in ultima.* Addo ex Clar. Marggravii Histor. Brasilienſ. Libr. VIII. c. 8. p. m. 275. *Quæ desinunt in a, partim habent in ultima, & notantur eodem accentu, partim in penultima, & notantur acuto.*

Regnum illud ditissimum Mexicanum

(Cum nusquam terrarum opulentia tanta,
Ut peregrinari reliquis videatur in oris,
Heis fixisse statam Regina Pecunia sedem)

nter reliquas naturæ gazas hanc quoque radicem Brasilienſi præstantiorem, promere, Pomeus testis est dans l'Histoire generale des Droues l. c. Si vero ex me nomen verum quis quærat, plane in ancipiti hærens nil determinare audeo. Plurima certe cum planta volubili diuretica, sive Itzac caonene pilli Nardi Anton. Recchi in rer. Medic. Nov. Hispan Hist. Lib. IV. c. 24. p. 119. habet communia, in plurimis discrepat; eandem planè scenam in Herba Tlallantlacoa cuit la pilli Libr. VIII. cap. 34. invenies, de quibus in sequentibus plura. Cum igitur tot difficultatibus res sit immersa, necesse est, ut veteri me, circa denominationem veræ Plantæ Mexicanæ, Radicis Parreiræ bravæ parentis, expediam formula, ἀκαταλαμβήτως, ἐχ ἐρίζω.

Nec Virginia quoque, Anglicæ coloniæ multitudine, copia rerum naturalium, soli ubertate, omniumque ad victum & amictum necessariorũ frequentia, felicissima Provincia, hac destitueretur radice, si convolvulus Mexicanus Cl. Banisteri & excell. Plukenetii cum Caapeba Brasilienſi in una eademque classe foret, & forte Cipo de Cobra radix erit, la Racine du serpent à sonnette dicta, quam ceu veram contra serpentis hujus morsus panaceam describit, & easdem, quas Cipo de Cobra, virtutes attribuit, novus Virginiæ Encomiastes in Libello Gallicè inscripto: *l'Histoire de la Virgine &c. par un Autheur natif & habitant du Pais.* Amsterdam 1708.

Hispani & Lusitani, Mexicanæ & Brasilienſis Provinciæ Domini, jugum incolis, & rebus nova imponentes nomina, hanc radicem *Parreiram bravam* dixerunt. *Parra* enim in Hispanica Lingua *vitem* denotat, hinc *Parra depatio de casa*, vitis compluviata, secundum Ælium Nebrissenſem, Interpretem Regium, in Dictionario Hispanico. Sic apud Botanicorum Coryphæum Hans Sloane in Catalog Plantar. Insul. Jamaic. occurrunt *Parras salvajes Ovied.* Item *Parras sylvestres desta nueva Espanna, quæ Ilman dehualchichiltico Totolcili Xim:* Item *parrales como los de Castilla de Juan Gonzales de Mendoza:* quæ denominationes omnes vocem *Parra* agnoscunt matrem, æque ac *Parreira brava*; quam terminatio *era* vel eira Lusitanicam prodit. Sic *Erva Cidreira* planta vocatur, quæ citri odorem æmulatur, vid. Piso Histor. natur. Brasil. Lib. IV. c. 57. p. m. 242. *Visqueira* herba, quæ viscositate manibus & vestibus adhæreat, Idem de Facult. simpl. Lib. IV. c. 72. p. m. 105. Causam & rationem, cur vitem sylvestrem dixerint & Hispani & Lusitani, ex Pometo sæpius laudato hauries: *Quelques Personnes m'ont assuré, que cette racine, estant dans terre, pousſoit des branches charges de feuilles tout à fait semblables a la vigne, qui rampent le long des murailles, ou des arbres. C'est pour ce sujet que les Pourtugais, qui ont apportée de Mexique, luy ont donné le nom de Parreira brava, qui signifie en Francois vigne sauvage ou batarde.* Latio donata hæc verba hunc sensum exhibent: A nonnullis certior factus sum, hanc radicem terræ commissam, & germina & folia protrudere, vitibus, muris & arboribus affixis, perquam similia. Hanc ob rationem

nem Luſitani, qui primitus eam Mexicano ſolo extulerunt, nomen Parreiræ bravæ impoſuerunt, quod vitem ſylveſtrem vel ſpuriam denotat.

Ad vocem *Brava* devolvimur. Feroces in lingua Italica bravi nominantur, & quia effrenes cicuribus ferociores ſunt, ideo Hiſpani animal indomitum & nondum manſvefactum, Taurum, Equum, Leonem, & id genus alia, bravo appellant, ſec. Celeberr. Octav. Ferrar. Orig. lingu. Ital. p. 64. 65. Adjungit eruditiſſ. Menagius, nell' origini della lingua Italiana, in lingua Italica vocari vache brave iſtas vaccas, quæ licet ſint domi natæ, ſemper tamen in ſylvis diebus noctibusque permanent, nunquam ad ſtabula, priusquam hyems ingruit, redeuntes, quod in Alpibus quoque Helveticis fieri ſolet. Hæc denominatio à brutis animantibus quoque ad plantas ſponte naſcentes ſive ſylveſtres derivata; ſic *Nana brava* dicitur Ananas ſylveſtris apud Marggrav. Hiſt. Plantar. Braſil. Libr. I. cap. 16. p. 33. *Tujoba brava & Mangara brava* Piſon. Hiſtor. Braſil. Edit. prim. p. 95.

Mr. Froger *dans la Relation du Voyage aux cotes d'Afrique* noſtram radicem vocat *Paraayra-brava*, ſed nihil moror iſtam nominis deformationem, quam ſorte Etymologiæ produxit ignorantia.

Lucidiſſimum quondam Academiæ noſtræ Leopoldinæ N. C. ſydus Excellentiſſ. Menzelius, in eruditiſſimo opere, quod nomen gerit: Πινὰξ βοτανώνυμος πολύγλωττος καθολικὸς, ſive Index nominum Plantarum univerſalis, ad vocem Caapeba addit *Perexil do mar* Theatr. Braſil. inſimulque Marggravium pag. 14. citat, qui Plantæ Perexil l. c. quidem ſub imagine erythmi marini non ſpinoſi mentionem injecit, de Caapeba autem, quam pag. 25. Lib. I. c. 13. deſcribit, ne gry quidem addit, id quod à Piſone quoque factum pag. 243. Edit. ſec. Hæret hic aqua, nec video, quomodo plantæ nimium quantum diſtantes conjungendæ, niſi nomen forte Caaponga, quæ Perexil do mar denotat, cum Caapeba confuſum. Vid. Piſon. Edit. 2. pag. 243. Poſſet tamen rem omnem de planta Caapeba & Caaponga ſive Perexil do mar dirimere, & extra controverſiam ponere abſconditus hactenus Naturæ Theſaurus in Bibliotheca Potentiſſimi Boruſſorum Regis ἀνίκητος delitescens: Theatrum rerum naturalium Braſiliæ, earum nempe, quas Cl. Piſo & Marggravius nondum ediderunt. Juſſu illa Principis Mauritii Naſſovienſis in Braſilia coloribus oleagineis in chart. maj. ad viva exemplaria ſunt depicta, & ab Excell. Menzelio juxta ordinem Piſonis & Marggravii diſpoſita, IV. Voluminibus incluſa, quorum I. continet imagines quadrupedum. II. Avium. III. Piſciũ. IV. Vegetabilium. Utinam exorare ſe pateretur Regum Sapientiſſimus, ut hunc Perſicas Gazas longè ſuperantem Theſaurum literato Orbi impertiretur.

Synonymum Caapebæ vocabulum eſt *Cipo di Cobras*. Vox *Cipo*, vel *çipo*, *Cepo* in lingua Luſitanica & Hiſpanica plantas ſcanſiles, repentes, clematites, convolvulos, maxime vero vitem deſignat. Sic *vitis brachiata* Hiſpanicè *Cepo con brachos* audit, ſec. Ælium Nebriſſenſem, & à Gallis quoque *Cep. de Vigne*, vitis vocatur. Cum igitur Caapeba nunc vicinas arbores ornate conſcendat, nunc humi inſtar colubri repat, ob ſimilitudinem Cipo de Cobras à Luſitanis nomen obtinuit. Sicuti vice verſa ſerpens çacaboa à Luſitanis *Cobra di Cipo* nominatur, quia colore & figura climaces illas chordarum inſtar humi repentes æmulatur. Vid. Piſon. Hiſtor. natur. Braſil. L. V. c. 1. pag. 279. Edit. ſecund. nam in prima editione nomen Cobra di Cipo ſerpenti Boitiapo impoſuit, cum tamen in ſecunda editione nullam hujus nominis fecerit mentionem in deſcriptione ſerpentis Boitiapo.

Derivant nonnulli vocem *Cipo*, *Cepo* & *Cep* à *Capo*. Veteres enim Latini radices Vitis vocarunt caput Vineæ, uti ex Virgilio & Columella elucet. In Legibus XII. Tabularum occurrit: TIGNOM JUNCTOM ÆDIBUS VINEÆQUE CONCAPES NEI SOLVITO. Ubi concapes idem eſt ac ſi dicas depactum & defixum terræ ad vineam ſuſtinendam. Concapes, primicapes, præcapes, deincapes, ancapes, omnia à capite deſcendunt: hodie princeps, præceps, deinceps, anceps. Vid. plura apud Scaligerum Not. in Pompej. Feſt. pag. 192. Ingenioſiſſimus Menagius autem originem vocis *Cipo*, *Cepo* & *Cep* à vocabulo *Cippus* deduxit, quod antiqua gloſſaria κόλουρος ſive truncus interpretantur, dans les Origines de la Langue Françoiſe. Nonnullis vox *Cipo vinculorum ſpeciem* deſignat; inde fortaſſe eſt, quod à Gallis Americanas Inſulas inhabitantibus omnes ſcanſiles plantæ ſepibus & arboribus adrepentes, & agglutinatæ quaſi, *Lianes* vel *Lienes* appellentur, à voce Gallica *lier*, quod eſt ligare & vinculis conſtringere. Cum Botanicorum pauciſſimi harum plantarum, quæ nomine *de Lianes* & *Lienes* apud Gallos Americanos veniunt, meminerint, binos produco teſtes Hiſtoriæ Indicæ Naturalis Scriptores fulgidiſſimos, Rev. P. Plumier & Dn. Rochefort. Cum vero primus, cujus opus ſub Titulo: *Deſcription des Plantes de l'Amerique avec leur figures Chart. Aug. Fol. ex Typographia Regia A. 1693 Lutetiæ impreſſum*, ob raritatem exemplarium non in omnium manibus ſit, conſultum dux deſcriptionem ipſiſſimis inſerere verbis, maxime cum Caapebam huic claſſi expreſſe inſeratur:

Les François des Isles de l'Amerique appellent indifferent Lianes toutes ſortes des Plantes, qui rempent ſur les hayes, ou ſur les arbres, en les diſtinguant pourtant, ou par leur figures, ou par leur vertuë, comme la Liane à ſerpent, à cauſe qu'elle

eſt fort efficace contre leur morſure. la Liane a dent de ſcie, parceque ſes feüilles ſont decoupées, comme les dents d'une ſcie: la Liane brûlante, à cauſe qu'elle eſt fort brûlante & cauſtique, & ainſi des plusieurs autres. Ils donnent ce nome de Liance à ce ſorte de plantes, du verbe lier, parce qu'ils ſe ſervent de quelques-unes, comme de Cordages, tant pour la conſtruction de leurs Maiſons, qu'ils nomment vulgairement caſes, que pour fortifier les barrieres, & pour plusieurs autres uſages. Il y en a pourtant, a qui donnent plus particulierement le nom de Liane, qui ſont celles, que les Caraibes appellent Meregovia, les Braſiliens Murucuja, les Eſpagnols granadilla, & nos François Fleurs de Paſſions &c. i. e. Galli, qui Inſulas Americanas inhabitant, ſine ullo diſcrimine Lianes vocant varias ad ſepes & arbores repentes ſcandentesque plantas, eas tamen invicem vel à figura externa, vel ab efficacia & viribus diſtinguentes. Sic Liane de ſerpent, Liana ſerpentum, (ignoſcite huic vocabulo Ciceroniani Manes) obtinuit nomen, ob virtutes, quas contra earum morſus exhibet: Liana ſerræ vocatur, quod folia acutos ſerræ dentes æmulentur: Liana urens audit, ob vim cauſticam, quam exſerit, & ſic de cæteris. Nomen hoc hiſce plantis à verbo lier, Lat. ligare inditum, cum nonnullis funium loco inſerviant, ab aliis ad conſtruendas ædes, quas vulgo Caſas appellant, ab aliis ad obices ponendos, ne quis irruat, aliosque uſus deſtinentur. Reperiuntur tamen, qui potiſſimum Lianæ nomine illas deſignant plantas, quas Caraibes, Antillarum Inſularum nativi Incolæ, Meregovia, Braſilienſes Murucuja, Hiſpani Granadilla, & Galli Florem Paſſionis Dominicæ vocant. Poſterior à nobis in rebus Indicis inſtar oraculi conſulendus eſt vir multum terris jactatus & undis, *Dn. Rochefort, dans l'Hiſtoire naturelle & morale des Isles de l'Amerique Edit. ſecond. 1665. Chap. XI. Articl. 3. p. m. 125. Il y a plusieurs eſpeces de bois rampants par terres, & empeſchent ſouvent de courir facilement par les foreſts. Les habitans des Isles les nomment lienes. Les unes ſont en forme de gros Cable de Navire. Les autres portent des fleurs de diverſes couleurs. Et même il s'en voit, qui ſont chargées de groſſes ſiliques tannées, longues d'un bon pied, larges des quatre ou cinq pouces & dures comme l'ecorce du heſne, dans leſquelles ſont contenus ces fruits curieus, qu'on appelle chaſtignes de mer, qu'ont la figure d'un cœur, & dont on ſe ſert ſouvent, apres qu'on les a vuidez de leur poulpe, pour conſerver du Tabac pulveriſé, ou quelque autre poudre de bonne ſenteur. Ce que les habitans des Isles appellent Pommes de lienes, eſt un fruit, qui croit ſur une ſorte de vime, qui s'attacha aux gros arbres comme le lierre. Il eſt de la groſſeur d'un bale de jeu de paume, & couvert d'une coque dure, d'une couleu verte, qui contient au dedans une ſubſtance, laquelle eſtant meure a la figure & le gôut des Croſilles.* i. e. Dantur plures repentium plantarum lignoſarum ſpecies, quæ arboribus adhærent, & curſum per ſylvas impediunt. Incolæ Inſularum Lienes vocant. Nonnullæ harum rudentibus navium non ſunt diſſimiles: nonnullæ flores varii producunt coloris: nonnullæ quoque repertu dantur ſiliquis caſtanei coloris gravidæ, pedis longitudine, quatuor vel quinque pollicum latitudine, querni corticis duritie; quibus ſiliquis incluſi fructus illi elegantes, quos caſtaneas marinas nominant, qui figurâ cordis gaudent, & quibus pulpâ exemptâ utuntur ad tabaci in pulverem redacti errhini conſervationem, vel pro receptaculo aliorum benè olentium pulverum. Illud, quod incolæ Pomorum de liene nomine indigitant, fructus eſt ſpecici Viminis, magnas arbores inſtar hederæ aſcendentis & adrepentis. Pilam luſoriam adæquat, cortice præduro, viridique cuticulâ, medulla cum ad matutitatem pervenit, ratione ſaporis, groſſulariam æmulante. Hæc Rupiſortius, qui ſub nomine Lienes, ut verum fatear, plantas comprehendit, quæ ad Caapeam noſtram planè non quadrant.

Excellentiſſimus Dn. Valentini in Muſeo Muſcorum meminit radicem Parreiram bravam *Botnam* vocari à B. Paulo Hermanno, Leidenſis Academiæ quondam incomparabili Botanico, in Collegio Mat. Med. Manuſcripto, quod literis humaniſſimis ad me datis confirmavit. Excellentiſſimus Dn. Bajerus in Palæcome noſtra Prof. Publ. Collega & Fautor æſtumatiſſimus, qui lectiones illas Hermannianas quoque poſſidet, legit Botuo Pariera. Interfui huic Collegio, dum ſtudiis Lugduni incumberem, & dictata excepi calamo, curasque poſteriores, quas poſt abitum meum amici collegerant, obtinui, nulla hujus radicis mentione facta. Neque in Cl. Henningeri Cynoſura Materiæ Medicæ Hermannianæ, quæ nuper in publicum prodiit, de radice plantaque Botua vel Botuo, ac Parreira aliquid reperiundum. Quodſi in vivis adhuc foret βοτανικώτατος Vir,

Cujus ab ore juvat, juvat o! meminiſſe pependi,
& doctas voces ſæpius aure bibi,

lubens de planta hac Botnam, vel Botuo, reliquo Botanicorum choro ignota, ipſum conſulerem.

Cl. Hans Sloane in Parte prima Prodromi Hiſtor. natural. Jamaicæ, ſive Catalogo plantarum Inſulæ Jamaicæ, convolvulum Braſilianum flore octopetalo monococcum, quem eandem ac Caapebam plantam eſſe Excell. Rajus credidit, *Velvetleef* appellari, in frutetis circa urbem St. Jago de la vega Inſulæ Jamaicæ reperiri aſſerit.

Parreiræ vel potius Perreiræ nomen in hiſtoria literaria quoque inclytum, cum plutes viri eruditione fulgidiſſimi hoc nomine ſuperbiant. *Benedictus Perreira Valentinus*, Societ. Jeſ. Theologus, editis commentariis in Geneſ. Exod. Danielem, Epiſt. ad Roman. & Apoca-

lypſin, uberrimis, Orbi literato notiſſimus. *Benedictus Perreira, Luſitanus*, S. J. Theologus & Philologus elegantiſſimus, cujus ingenii fœtus proſtant: Commentarius in Horatium duobus Tomis: Liber de Moribus gentium omnium, tam veteribus quam recentibus: Liber Problematum, qui inſcribitur Pallas togata & armata. *Bartholomæus Perreira*, itidem S. J. Theologus, decem libris de Perſecutione Japonica, totidemque de Morte Franciſci Pacieci, Provincialis in Japonia, adornatis, ut & Comment. in Tobiam, famam promeruit. *Gabriel Parreira de Caſtro, Luſitanus*, elegantiſſimo carmine, patria lingua conſcripto, cui nomen præfixum: Ulyſſea ſive Lisboa edificata, Lauream inter Luſitanos Poëtas obtinuit: cave tamen, ne carmen hoc ejusdem inſcriptionis, quod Luſitanus alius Poëta, magni nominis & famæ, Antonius de Souſa Macedo in publicam emiſit lucem, confundas. *Georgius Gomez Perreira*, Methymnæ Duellenſis Hiſpanus, Philoſophus acutiſſimus, Medicus expertiſſimus, Antoniana Margarita, elegantiſſimo certe opere edito, inter ſeculi ſui viros principes conſpicuus. His ex fontibus Illuſtrem Carteſium plurima hauſiſſe & inprimis de Brutorum ſenſibus & anima hypotheſin mutuatum eſſe, Cl. Borrichius hariolatur. Claudat agmen *Hieronymus Perreira*, Luſitanus quoque, cujus mentio apud Doctiſſ. Schott. in Biblioth. Hiſpan. illis, quæ de Sacramentis & Chriſti reſurrectione edidit, celebris.

Parreiræ planta, ortus, ſtructura.

NOminum cortice diffracto, πρὸς ἴχνος ἐξομοιώσεως, plantam ipſam intimius inſpecturi. Cum Aſia, Africa & America in noſtram migraverint Europam, præſertim in polydædalos cultiſſimorum regnorum hortos, ut prioris ſeculi Botanicis opus eſſet filo Ariadneo, ne in diffuſiſſimo hoc Floræ labyrintho hinc inde impingerent, & aberrarent, dolendum ſanè, in nullo Europæ viridario hanc Caapebæ plantam hactenus comparuiſſe, ut Malpighiana & Grewiana methodo in ejus natales & ſtructuram examen inſtitui poſſet. Erimus igitur Marggraviana & Piſoniana deſcriptione contenti, cum vix ac ne vix quidem deſiderare amplius quid queamus.

Eſt ergo, ſecundum Piſonem Edit. I. Libr. IV. c. 54. p. 94. *Caapeba planta Clematiti non abſimilis*, (Edit. II. Libr. V. c. 19. p. 312. *Clematitem ſarmentoſam vocat*) *quæ tenaci ac prælongo ſarmento nunc vicinas arbores late aſcendit, nunc humi inſtar colubris repit*; addit in Edit. ſec. Libr. IV. cap. 66. p. 261. & p. 312. *ob ſimilitudinem partim, partim ob inſignem efficaciam antidotalem ſerpentibus inimicam, Cipo di Cobras, ſive convolvuli colubrini nomen indiderunt* Luſitani. A Marggravio Hiſtor. plantar. Braſil. Libr. I. c. 13. pag. 25. nudè tantum vocatur *planta ſcanſilis*.

Caulem Marggravius ſolus deſcribit, nempe *caulibus teneris, rotundis, viridibus, admodum lentis*.

Quod ad *Folia* attinet, eſt, ſecundum Piſonem, *folio tenuiſſimo rotundo, lateque ſemper virente*, (addit in Edit. ſec.) *ſeorſim poſito in caule nunc orbiculari, nunc cordis latioris figura, ſuperius dilute vireſcente, inferius albeſcente*. Cl. Marggravius rem fuſius declarat: *Folium quodlibet*, inquiens, *ſeorſim poſitum in caule*, in ſuo pediculo ruffeſcenti duos digitos longo, & in exortu paululum excurvato, orbiculare vel cordis latioris, ubi pingitur, figura, conſiſtentia, folia perfoliatæ ſimilis, ſuperius dilute virens, inferius albeſcens, in quibusdam plantis folia omnia ſunt rotunda.

Nunc ad *pediculum* procedimus. Piſo *foliorum pediculos ruffeſcentes pronuntiat*. Marggravius inſuper addit: *pediculus folii cujusque non inſeritur in fimbriam ſeu extremitatem folii, ſed plus dimidio digito ab ora verſus medium, ut fit in Naſturtio Peruano*.

Florem nunc exhibemus. In prima Piſonis editione altum plane de flore Caapebæ ſilentium. In editione autem ſecunda hæc de flore pronuntiat: *Ad pediculos foliorum ruffeſcentes flores pallidi flaveſcentes proveniunt*. Si Marggravium inſpicimus, dilucidiora circa florem promit: *Ad pediculos foliorum etiam pediculus provenit ſesquidigitum longus, floſculum ſuſtinens pallidè flaveſcentem, octo foliis conſtantem, hoc modo: quatuor ſuperius appoſita ſunt parva, obrotunda, his ſubſtat amplum obrotundum, adhuc magis inferius tria parva alternatim poſita*. Addunt denique ambo, *plantam menſe Julio florere. Provenit autem ſponte & voluntarie abſque ulla ſollicita hominis cura, & tamen creſcendi attingit terminum*.

Semen, ſecundum Piſonem, in prima editione, fert magnum, coloris roſacei, è capſulis (lupulo ſimilibus) prominens. In editione ſecunda hoc inſuper annectit: in ſummitate pediculi granum profert magnitudine parvi piſi, figuræ ovalis, interius viride, hinc rubrum: quæ ex Marggravii deſcriptione ſunt mutuata, qui inſuper hoc attulit: in ſummitate pediculi inter quatuor ſuperiora foliola granum provenit magnitudine parvi piſi &c.

Ad principem ſchediaſmatis partem & præcipuum argumentum nunc ordo nos ducit, *radicem* nempe *Parreiram bravam* & *Rayz de noſſa Senhora*, quæ cum una eademque ſit Caapebamque plantam matrem utraque agnoſcat, pro duabus tamen diverſis jam tempore Piſonis habita, & nunc quoque ab aromatariis, quos barbaro vocabulo Droguiſtas vocant, (à Gallica voce Drogues, non autem ex Germanico vocabulo *Betrug* (quod Nobil. D. ab Hörnigk placuit) venditur, cum nullum plane

planè, nisi ratione ætatis & exinde dependentis magnitudinis, fibrarumque duritiei discrimen subsit. Cum igitur juvencula adhuc sit, & sarmentosa & tortuosa, coloris è cineritio nigricantis, digitalis crassitiei, & ut Wormio in Museo placet, quinque unciarum longitudinis, strigosa tam interius quam exterius, Rayz de nossa Senhora, & Cipo de Cobra vocatur.

Cum autem jam planè adolevit, nigricantis coloris est & sæpius brachium adæquat, quale fructum radicis hujus apud solertissimum nostrum Pharmacopœum, Dn. Dietericum, inspicere licuit, & tunc Parreiræ bravæ nomen gerit. Cutis radicis aspera est in utraque radice: quas tamen in radicis superficie externa eminentias Pometi icon exhibet, non in omnibus reperiuntur. Videtur autem cutis utrarumque radicum, ceu reliquæ plantarum cutes, constare è duobus generibus, parenchymatico altero ex cellulis & bullis, altero lignoso ex vasis tubulosis constructo, quæ omnia armato oculo intuenti optimè patent, ita ut, secundum Excell. Rajum, cuticula vel cutis nihil aliud esse videatur, quam vetus cortex exarescens & contractus, novo quotannis subnato, quemadmodum spolium serpentis, quod quotannis exuit, ejusdem exarefacta cutis existit.

Cortex cuti agglutinatus ex duabus quoque partibus coagmentatus, parenchymatica nempè & lignosa. Immisi aquæ fontanæ radices, ut eò melius & intimius constructionem rimari possem, nec destituit successus spem, nempe corpus summe porosum, dilatabile, &, nisi omnia me fallunt, spongiæ per omnia simile, armato oculo intuens conspiciebam: pori sphæricæ figuræ, & massa cellularum & bullarum minutissimarum spumam cerevisiæ vel albuminis conquassati ovi æmulabantur; vidi se minus subduxerunt hæ bullæ, aqua, cui immersæ erant, turgidæ, in aridâ radice transversim sectâ, quod experimentum Excell. Grew placuit. Has cellulas bullasque quis receptacula liquoris & aëris esse neget? vel utriculos in se mutuo hiantes & pervios, secundum ingeniosissimum Malpighium. Per alteram cortis lignosi partem, vasis succiferis constantem, liquor quoque circulatur & aër. An vero ad se invicem accedant, & iterum reflectantur, nullas tamen dent inter eas anastomoses, secundum *Cl. Grew*, sed unumquodque filamentum unum & simplex vas sit, ab imo ad summum continuum, non ramosum, cavitate ab imo ad summum æquali, in fructis radicum, jam longo tempore arefactis detegere haud licuit.

Lignea radicis pars iisdem quoque partibus constat, parenchymate nempe (1.) seu utriculis in radios diametrales, à circumferentia ad centrum tendentes, dispositis, ut in transversa sectione patet. (2.) Fibris ligneis seu vasis succiferis duum generum, (quod in corticis quoque vasis notandum) nimirum vel lympham deferentibus, vel succum lacteum, aliumve plantis peculiarem, seu, ut vocant, specificum. (3.) Fistulis aëri excipiendo & derivando destinatis, sive tracheis, de quibus *Cl. Malpighius* annotat, quod in radicibus plerumque majores & magis patentes sint, quam in ramis & trunco.

Medulla, quæ *secundum Excell. Rajum* in nonnullis radicibus deest, nostra non caret, quæ ex utriculis quoque componitur, iisque magnitudine & figura diversis, quibus vasa aliquot succifera interdum admiscentur: adeo ut medulla, ex mente Cl. Raji, aliud nil esse videatur, quam rete quoddam mirabile, seu infinitus fibrarum minutissimarum, mirabili ordine complicatarum, numerus. Sed secundum Euripidem ἐν ἀκριβοῦς οὐκ ἔστι θνητοῖς λόγοις, non subtiliter ista tractabo nimis, cum jam in Anatome Radicum omnia summa cum laude exhauserint curiosissimi *Malpighius*, *Grew* & *Rajus*.

De sapore alius dicendi locus supererit, ubi de Parreiræ viribus & efficacia. *Delectum* radicis pretiumque *Dn. Pomet* nobis suggerit dans l'Histoire des Drogues: *Pour ce qui est de son choix, Mr. Thevard m'a assuré, que celle de Mexique estoit beaucoup meilleur, que celle de Portugall. -- Ils le vendent en Portugall dix teston la livre, qui sont environ cinqs livres de nôtre monnoy*, i. e. Ad delectum quod attinet, Dn. Thevard me certiorem reddidit Mexicanam Lusitanicæ præferri. Lusitani libram decem testonis, sive quinque Francicis libris, vendunt.

Parreiræ Character & Genus.

JAm vero cum plantarum certi sint ordines, earundemque una classis alteri subsit, adeo, ut velut ad cohortes revocari possint singulæ, cui ordini planta hactenus, quoad omnes partes illam constituentes, easdemque visui obvias, à nobis delineata inserenda sit, nunc edisseram. *Vitis* quidem *sylvestris* designatur nomine, cum tamen nil nisi nudum nomen possideat, ad arbores bacciferas tetrapyrenas (cui classi à Cl. Botanici studii Principibus *Rajo* & *Hermanno* vites inseruntur,) referri nequit.

Clematiti non absimilem pronuntiavit Piso Edit. II. Libr. IV. sed cum secundum Floræ illud delicium, amicissimum Collegam *Helianthum II.* notæ generic. & spec. Clematitis sint semina ad singulum florem plura, compressa, rotunda, caudulis plumosis in extremitate notata, ac in capitulum congesta, flores perfecti uniformes, tetrapetali, vid. *Flor. Noriberg.* pag. 114. quomodo hæc ad Caapebam aptari possint, non video: quod fortè Pisoni suboluit; hinc Libr. V. edit. secundæ nomen convolvuli colubrini imponendo huic plantarum ordini

Caapebam immittere geſtit, ſed quo ſucceſſu & omine, illi judicent, quibus ſecundum mox laudatum *Cl. Volkamerum* notæ genericæ & ſpecialiores convolvulorum ſunt ſemina vel angulosa, ſubrotunda, vel oblongiuſcula, pericarpio membranaceo tricapſulari, utplurimum rotundo, incluſa, ita ut in ſingulo loculo modo bina, modo terna foveantur. Flores perfecti uniformes monopetali margine utplurimum integro, excepto convolvulo pennato, cujus floſculi in quinque lacinias diviſi. Ad ſemina quod attinet, quam longè diſtent à convolvuli ſeminibus, pericarpio membranaceo tricapſulari utplurimum rotundo incluſis, patet, cum ex Marggravii & Piſonis delineatione in ſummitate pediculi inter IV. ſuperiora foliola granum proveniat magnitudine piſi parvi, figuræ ovalis, interius viride, hinc rubrum. Ad *Flores* quod attinet, utplurimum in convolvulis uniformes, monopetali, & ſecundum *Cl. Rajum* campanulati, margine integro & plerumque reflexo; Caapebæ flos vero octo ex deſcriptione Marggraviana foliis conſtat, è quibus IV. ſuperius appoſita ſunt parva ſubrotunda: his ſubſtat amplum ſubrotundum: adhuc magis inferius tria parva alternatim poſita, quæ heteroclita florum in Caapeba figura ab omnibus planè convolvulorum ſpeciebus abludit. Plura & uberiora de convolvulorum differentiis & gyrorum dextrorſum & ſiniſtrorſum ſe torquentium ſtructura noſſe qui cupit, perlegat quæſo eruditiſſimam & omni cum fide ſcatentem *Helmſtadienſium Mathematici, Clar. Dn. Wagneri, Diſſert. de Gyris convolvulorum An. 1705.* habitam.

Nil igitur Caapeba cum convolvulis commune habebit, quippe floribus & ſemine ab hac claſſe deficiet, præterquam quod caulibus ſcandat & repat. Ab *Illuſtri Rajo* Caapeba inter plantas anomalas refertur, & tandem definitur, quod ſit: *Convolvulus Braſilienſis flore octopetalo, monococcos*, Oper. Botan. Tom. II. Libr. 28. Sect. 3. Cap. 2. p. 1331.

Reverendus *P. Plumier, Ordinis Minimorum Provinciæ & apud Inſulas Americanas Botanicus Regius*, qui tribus diverſis temporibus hanc olim Orbis incogniti partem Botanici ſtudii more adit, in Tractat. de Novis Plantarum Generibus hanc plantam tanquam incertam peculiari claſſi novoque generi inſerit, tres Caapebæ ſpecies recenſendo. Sed cum hoc Caapebæ novum genus tantum diſtet à Piſoniana & Marggraviana hactenus recenſita deſcriptione Caapebæ, quantum æra lupinis diſtant, non amplius animum ſubit admiratio, cur *Celeberrimus D. Hans Sloane, Botanices gloriâ nulli ſecundus, quondam Ducis Albemarliæ, Inſulæ Jamaicæ Gubernatoris Medicus, in Catalogo Plantarum Inſulæ Jamaicæ, ſive Prodromo hiſtoriæ naturalis prædictæ Inſulæ* Part. I. p. 85. anceps hæreat, an clematis bacciferæ glabra & villoſa rotundo & umbilicato folio Rev. P. Plumier, ſit una eademque ac Caapeba Piſonis & Marggravi?


Ut res clarior evadat, lucis & litis gratia, ſi pote, decidendæ, conſultum duxi B. L. oculis & menti Plumerianam Caapebæ deſcriptionem objicere. Sic autem ille *dans la deſcription des plantes de l'Amerique: Cette plante couvre toutes les hayes par ſes ſarment, qui ſont menus, ſouples, ronds, unis, & qui pouſſent alternativement à chaque nœud, (qui ſont aſſez proches les uns des autres) une feuille & rarement deux; ces feuilles ſont presque ronds, & quelquefois de la figure d'un cœur emouſſé: elles ne ſont pas attachées à leurs pedicules immediatement par le bord, mais un peu plus par deſſous le dos; leur grandeur eſt indeterminée; il y en a qui ſont grandes, comme la paume de la main, & d'autres beaucoup moindres: elles ont quelques nervûres tant ſoit peu eslevées, qui ſortant de l'inſertion du pedicule s'etendent de la & de ça par la feuille: enfin elles ont beaucoup de rapport aux feuilles de l'Ariſtolochie ronde, tant par leur figure, que par leur conſiſtence.*

On en trouve de deux eſpeces, l'une eſt tout à fait liſſe, & c'eſt la plus frequente, l'autre a ces feuilles cotoneuſes & blanchaſtres, mais elle eſt plus rare; on peut y ajoûter une troiſieme eſpece, que j'ay ſouvent remarquée dans l'Iſle St. Dominique, dont les feuilles ſont attachées immediatement à leurs pedicules par le bord. Les unes & les autres pouſſent des branches fort menuës du meme endroit d'ou ſortent les feuilles: elles ont environ demie pied de long, & ſont couvertes des feuilles beaucoup plus petites, que les premiers, qui s'entrecouvrent ſouvent les uns les autres, & compoſent comme la Cheûte d'un feſton. Du fond de chacune des ſes feuilles il en ſorte une petite grape de fleurs blanches, fort menuës & compoſées de quatres petites feuilles pointuës; apres qu'elles ſont paſſées, il y vients des hayes rouges comme du Corail, & groſſe comme la ſemence de l'orobe; on le prendroit pour des hayes de nos Cheurefeuilles, car elles en ont la groſſeur, la couleur, & la conſiſtence, & elles pendent en bas en façon des petites grapes. On appelle cette plante dans nos Antilles, & particulierement dans la Martinique Liane de ſerpent, à cauſe de la grand vertu, qu'elle à pour guerir les morſures des ſerpents, & parceque le contour de ſes feuilles repreſentent le plan de la teſte ces animaux. C'eſt la Caapeba des Braſiliens l'Erva di noſtra Senora, herbe de nôtre Dame, Cipo de Cobras de Portugais de Marggrave livr. I. chap. 18. La„tinè ferme ſic efferri poſſet: Planta hæc omnes „penè ſepes ſarmentis ſuis tenuibus, flexilibus, „rotundis, conjunctis tegit quaſi & occultat: „quæ ſarmenta per alternas vices ad nodos ſibi „invicem ſatis cotiguos folium, raro duo „protrudunt: hæc folia rotunda fermè, ſæpius „ad figuram cordis retuſi accedunt & pediculis „proxime non per foliorum extremitates, ſed „paululum infra dorſum connectuntur. Magni-

„tudo

TAB. X


Convolvulus Americanus Sub Ialapæ Nomine Receptus
CAAPEBA.
PAPPEIRA
BRASIL




Convolvulus Monococcos Virginianus.
CIPO DE COBRAS
ERVA DE NOSSA SENNORA.
L



„tudo foliorum non ſibi ſemper reſpondet, cum „palmæ manus magnitudinem ſæpe attingat, „longè minora alia. Nervulos paululum ele„vatos habent, qui ex pediculi implicatione „prodeuntes hinc inde per folium ſeſe exten„dunt, ita ut ratione figuræ & conſiſtentiæ pluri„mum ad Ariſtolochiæ rotundæ folia accedant.

„ Binæ repertu dantur ſpecies, una planè gla„bra, quæ frequentior occurrit, altera foliis la„nuginoſis & albicantibus gaudet, quæ rarior; „hiſce duabus quoque tertia conjungenda, „quam ſæpius in Inſula St. Dominici reperi, cu„jus folia per extremitatem & foliorum oram „proximè pediculis connexa. Utraque ramuſcu„los, ex eodem, quo folia progerminant, loco, „emittit, dimidii pedis longitudine, minoribus „foliis, quam priora coopertos, quæ foliola „ſe mutuo contegunt & pendentem encarpum „oculis exhibent: ad extremitates horum fo„liorum parvulæ quaſi uvæ, ex floſculis albican„tibus, tetrapetalis, acutis conſtantes pro„deunt: his deciduis baccæ rubræ corallium „æmulantes, magnitudine ſeminis orobi ſuc„cedunt; pro caprifolii noſtri baccis quis ſume„ret, cum craſſitie, colore, & conſiſtentia vix „diſcrepent, & parvarum uvarum inſtar pro„pendeant.

„ Inſulis noſtris Antillarum, præcipuè incolis „Inſulæ Martinique, Liane de ſerpent audit, ob „eximias, quas in morſibus ſerpentum ſuppedi„tat, vires, & quod ambitus foliorum ſerpenti„no haud diſſimilis ſit capiti. Hæc planta Caa„peba eſt Braſilienſium Erva de noſtra Senora, „herba divæ Virginis, Cipo de Cobras Luſita„norum Marggravii Libr. I. c. 13.

In Tractatu *de novis Plantarum Americanarum generibus* pag. 33. ulterius *Rev. P. Plumier* progreditur & diſtincte characterem generis ex florum & fructuum conſtitutione ſequenti deſcriptione & ſchemate exhibet:

Caapeba (ſcribit) *eſt Plantæ genus flore roſaceo, quatuor ſcil. petalis in orbem poſitis conſtante, ſed ſterili, è cujus medio ſurgit piſtillum C. planum, orbiculare & umbilicatum. Embryones autem D. in eadem planta à floribus ſeparati naſcuntur, abeuntque deinde in baccam E. mollem, ſphæricam, & ſemine fœtam F. rugoſo D.*

Caapebæ ſpecies ſunt (1.) *Caapeba folio orbiculari, & umbilicato lævi.* (2.) *Caapeba folio orbiculari umbilicato tomentoſo.* (3.) *Caapeba folio orbiculari non umbilicato.* Hactenus Plumerius. Hæc ſi probe cum Marggraviana & Piſoniana Caapebæ deſcriptione conciliare aliquis poſſet, certe μέγα νῖκος (ut cum Aſcræo vate in Theogon. dicam) ἀνεξαμίνως καταπάυσει, magnam litem ſcienter ſedabit.

Excellentiſſimus quoque Plukenetius, quem Indicas naturæ Gazas plenis calathis inferentem univerſa ſtupet Europa, in Almageſt. Botanic. pag. 114. quærit: *An convolvulus Americanus ſub Jalapiæ nomine receptus, non ſit convolvulus Colubrinus Piſonis Caapeba? ſive convolvulus Braſilianus flore ochopetalo monococcos Raji? Figuram*, quam in Phytognom. Tab. 25. Fig. 1. exhibet, B. L. oculis hic ſubjicio, una *cum convolvulo monococco Virginiano D. Baniſteri*, quem haud diſſimilem credit, ex Phytognom. Plukenet. Tab. 166. Fig. 4.

Quod ſi viri hoc in ſtudio conſummatiſſimi, & penes quos Dictatorum auctoritas, hic ſuſpendant judicium, neque certi quid circa has plantas determinare audeant, extremæ eſſet amentiæ & temeritatis, ſi ego judicem hac in re abſtruſiſſima agere vellem, ubi mera ἀκαταληψία regnat:

--- Quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus hœdi
Conſimili in curſu poſſint, ac forti equus vis.

Plumerianam Caapebæ deſcriptionem examini ſubjiciens Amicorum certiſſimus, *Dn. D. Volkamer*, Botanici ſtudii, ſi quis alius, ſcientiſſimus, Ariadnæum ex hoc labyrintho filum præbuit, *eam Bryoniæ & Smilaci aſperæ affinem* pronuntiando. Utraque enim herba ſcandens baccifera, ſemine incerti numeri, pericarpio carnoſo rotundo, ſeu baccæ incluſo, flores in Bryonia perfecti, monopetali quadrifariam vel quinquefariam diviſi, in Smilace autem aſpera hexapetali in racemulos congeſti, radice in Smilace ſarmentoſâ. Hæc omnia ſi cum delineatione Plumeriana conferantur, manifeſta ſunt, omniumque oculis expoſita patent; latet autem illud, quod in Piſoniana & Marggraviana Caapebæ deſcriptione deſideratur, ut certæ quoque claſſi poſſit inferri, & cum Plumeriana conciliari.

Ego, quod hic amplius addam, nil habeo, niſi illud Rev. Nierenbergii Hiſtor. natur. pag. 16: Nunquam ita patuit natura ut hodie, tantum dimidius vultus antiquis eſt viſus, & velut ex obliquo reſpectus, nunc ex integro & ex directo oſtenditur. Cum novo Orbe nova ſpectacula exhibuit, & ſe aut alteram aut diverſam. *Nemo tamen integram hactenus contemplatus eſt.* Hinc omnes Senecæ ſubſcribimus: multum adhuc operis reſtat, multumque reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſecula præcludetur occaſio aliquid adjiciendi.

Reſtat, ut de *Inventore radicis* hujus noſtræ paucula annectamus. Equidem quis Europæ noſtræ notitiam ejus primus dederit ἔστω ζεύς, norit Jupiter. Nullus dubito, quin Luſitani, Braſiliæ Domini, hanc radicem una cum aliis naturæ Cimeliis primitus in patriam aſportarint, id quod Pometus tamen Mexicanæ regioni vindicat. Galliam hac Braſiliæ alumna ditavit, à Luſitanica Legatione redux, Illuſtriſſimus Amelotius, Chriſtianiſſimi ad Luſitaniæ Regem Orator; diſcimus hoc ex Dn. Pometo, qui & hoc addit, quis ægris in Gallia primus hanc radicem exhibuerit: *Ce premier, qui a apporté cette racine à Paris, à eſté Mr. Amelot, Ambaſſadeur de Portugal,*

& apres luy Mr. Tournefort, qui m'a donné un morçau, depuis que Mr. Amelot en a apporté à Paris, Mr. Thevard, Medecin de la Faculte, & quelque autres l'ont miſe en uſage, comme un remede ſpecifique pour la gueriſon de la pierre ; les Portugais ont eſte les premier, qui l'ont apporté de Mexique, h. e. Primus, qui Lutetiam Pariſiorum attulit, Dn. Amelotius erat, Legatus ad Regem Luſitaniæ, poſt illum Dn. Tournefortius, qui fruſtum radicis mihi dono dedit. Ab eo temporis tractu, quo radicem hanc Lutetiam detulit Dn. Amelotius, Dn. Thevardius, Facultatis Pariſinæ Medicus, aliique in uſum pharmacevticum produxerunt, inſtar remedii ad calculum profligandum ſpecifici. Luſitani primi erant, qui ex Mexicano ſolo attulerunt. Cl. Helvetius, Aurelianenſis Ducis Medicus, edito libello Gallice inſcripto : Traité de maladies, les plus frequentes, & des Remedes ſpecifiques pour les guerir, Parreiræ noſtræ aliquoties cum laude meminit. Hinc factum eſt, ut ob hujus radicis & lapidis porcini (piedra del porco) datam notitiam Cl. Eugenius Eybenius in Belgicam tranſtulerit, Helvetiique Parenti, Excell. Dn. D. Joh. Frieder. Helvetio, ſcriptis Chemicis & Philoſophicis literato Orbi notiſſimo, hanc filii lucubrationem inſcripſerit. Laudatus hic Helvetius radicem Parreiram bravam à Dn. Pille obtinuit; teſtes produco ſeqq. lineolas: *Ce remede m'a eſte donné par Mr. de Pille, connu dans toute l'Europe pour un homme tres-curieux & tres-ſcavant. Il en a la decouvert, pendant qu'il eſtoit à la ſuite de Mr. Amelot, Conſeiller d'Eſtat, Ambaſſadeur de France in Portugal.* Hoc remedii genus mihi dono oblatum à Dn. de Pille, qui curioſiſſimi & doctiſſimi Viri nomen apud Europæos promeruit. Detexit & didicit ejus uſum, cum Dn. Amelotium, Conſiliarium Status, & Gallicum ad Luſitaniæ Regem Oratorem, ſequeretur.

Parreiræ Examen & Vires.

PRiusquam quomodo & qua doſi radix Parreira brava exhibenda, & ad quæ mala averruncanda & depellenda apta ſit, inquiramus, neceſſitas exigit, ut quæ illius ſint elementa, quæ principiorum textura, quæ particularum mixtio, quis agendi modus, accuratius indagemus. Et quidem, quæ primo in ſenſus incurrunt, mox quæ Chymia ſuppeditat, quæ denique ratio miniſtrat, exhibenda. Si armato inſpiciatur oculo, ea ſe offerunt, quæ caput præcedens exhibet.

Ad *Saporem* quod attinet radicis noſtræ, ex generalibus jam conſtat, quod corpuſcula ſapida guſtus & ſaporis ſenſum producant, variis figurarum, ex quibus conſtant, particulis, quæ ſaliva ſolutæ linguæ papillas nerveas pro varietate variæ figuræ pungant: maximè vero ſalinæ ſaporum videntur eſſe cauſæ. Ex diverſitate nunc & modificatione figurarum ſalinarum diverſorum ſaporum quoque diverſitas. Salia omnia videntur angulolis conſtare particulis: cum tamen anguli ſunt minus ac magis acuti, & prout plures anguli ſimul aut pauciores occurrunt, ita ſaporum quoque differentiæ reſultant. Polygona enim corpora, multitudine angulorum minus ac magis obtuſorum, conjunctione infinita fieri poſſunt, ceu egregiè Cl. Clericus philoſophatur. In radice noſtra planè ſingularem figurarum ſtructuram eſſe, dulcamarus ſive γλυκύπικρος ſapor prodit, inter mixtos & compoſitos recenſendus, qui hoc ipſo vix determinari poteſt; licet enim particulæ ſalinæ ſulphureis oleoſisque immixtæ meridiana clarius luce ſe ſiſtant, inque ſenſus incurrant, qualis tamen præcisè ex iſta mixtione oriatur figurarum diſpoſitio, qui dixerit, magnus mihi erit Apollo. Agonizantis in Galliis Carteſianæ Philoſophiæ reſtaurator Pierre Sylvain Regis Libr. VIII. Phyſ. c. 4. facem miniſtrare vult & lucem, ſed debilem nimis, cum idea, quam de corporibus amaris dulcibusque concipit, rem hanc non ſolvat, nedum abſolvat. Ἐμοὶ ἐπιπολάζειν οὕτως, mihi ſic placet : Particulas ſalinas, ſulphure volatili delinitas eſſe, oleoſisque mollibus quaſi inviſcatas involutasque, ut papillas nerveas & fibrillas tangant quidem, non tamen angant. Quod ſi plauſibilem modum hunc non exiſtimes B. L. cedo mihi vel commodiorem, & viridi tibi caput lauro redimam. Gaudet certè hac facultate Parreira noſtra, quam Cous noſter deſiderat Lib. II. de Diæt. c. 31. t. 16. τῶν πικρῶν καὶ δριμέων γλυκέσι διακεκραμένα : *Vim amarorum & acrium, dulcium mixtura corrigere oportet.* Ut ita radix Parreira potius amariuſcula ſit, πικρίτης, (quod vocabulum de vino veteri quoque uſurpatur) non amara, ob admixtam dulcedinem. Quadrat in noſtram radicem illud Claudiani de Nupt. Honor.

Labuntur gemini fontes, hic dulcis, amarus
Alter ; & infuſis corrumpit mella venenu.

Saporem γλυκύπικρον radici Ginſem ſive Ninzin quoque adjudicat nobiliſſ. Breynius in Diſſert. de ead. radice Lugd. Batav. impreſſa, §. 4. dum ſcribit : *Sapore prædita eſt dulci ad Glycyrrhizam vergente, quamquam longe ſuaviori, cum amaritie levi occulta, ſive leviori vi aromatica linguam blandè excalefaciente conjuncta*

Sic planta Mexicana diuretica Tallantlacuam cuitlapilli, ſive cauda parvi Tlacuazin ſaporem Parreiræ æmulatur, ejusdem quoque in pellenda urina & calculis efficaciæ, de qua hæc Nardus Antonius Recchus in Rer. Medicar. nov. Hiſpan. Hiſt. Libr. VII. cap. 34. habet: *Radix odore inſigni caret, ſed initio dulcedinem quandam præ ſe fert Glycyrrhizæ ſimilem, poſtea vero amari-*

amaritudinis nonnullum ſenſum præbet. Parreiræ igitur noſtræ ſapor non ex illis amaris, de quibus Plutarchus Libr. I. Sympoſ. quæſt. 6. pronuntiat: τῶ γλυκεῖ πάντων ἡδὺ τῶν χυλῶν ὁ πικρὸς ἀηδέστατος. *Guſtatu omnium ſaporum injucundiſſimus eſt amarus.* Quamvis & hæc Plutarchi regula inſignem patiatur exceptionem; cui enim ignotum in communi uſu & jejunorum delitiis eſſe vinum, quod abſinthites nominant, quodque conficiunt immaceratione abſinthii, cardui benedicti, centaurii minoris, ſimilium in amaricando potentium. Tantum enim abeſt, ut hoc amariſſimum potionis genus abhorreant, ut potius cum Lena illa vinoſiſſima apud Poëtam exclament:

- - - - - Salve, anime mi,
Liberi lepos, ut veteris vetuſti cupida ſum!
Nam omnium unguentum odor præ tuo nauſea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinamomum, tu roſa,
Tu crocum & caſia es, tu bdellium: nam ubi
Tu profuſius, ibi ego me pervelim ſepultam.
Sed cum adhuc naſo odos obſecutus es meo,
Da viciſſim meo gutturi gaudium.

Certe Friſii in hoc potu usque adeo luxuriantur, ut, teſte Clariſſ. Lindenio, in uno diverſorio Leovardiæ, provinciæ Metropoli, aliquot ſupra quinquagenos cados fuerint conſumpti uno anno: vocat autem cados, quos vulgus Oxhooſden: æſtimatur quisque amphoris octoginta. Et quis in abſinthio γλυκύπικρον quærat? Teſtem producimus Cl. Carol. Avantium in elegantiſſimis in Fieræ Cœnam notis pag. 137. ſeq. *Quamvis abſinthium*, ſcribit, *vermes ſtrenuè interficiat, & veſtimenta à tinearum noxis vindicet: & ipſum tamen aliquando verminare obſervavi, quod non aliunde, quam ex medulla, quæ dulcis percipitur, provenire exiſtimandum eſt.*

Succedit guſtui radicis noſtræ Parreiræ bravæ odor. Qualis in recenti vigeat, haud equidem conſtat: in illis, quas India nobis mittit, nullus. Si Pergameni effato fides adhibenda foret, amara planè deſtituerentur odore; ſed huic Galeni aſſerto opii tetet odor, abſinthii & aloës effluvia, & caput & nares ferientia, reclamant & contradicunt. Ut myrrham ſilentio tranſeam, quæ ob odoris fragrantiam aromatibus adſcribitur. Vid. Plinium, Dionyſ. Perieg. aliosque, quos citat ævi ſui Phœnix, Belgarum decus, in Select. Med. Diſſ. pag. 308. 309. ſeqq. Quod ſi blando calori admoveatur radix, exhalat odorem, non mephitim quidem empyrevmaticam, ſed naribus blandientem, liquiritiæ quoque æmulam.

Hæc ſenſibus externis obvia. Ad alia nunc progrediendum, & quæ *ars illa, corporum naturalium partes, ignis plerumque auxilio, vel ſegregatas conjungens, vel conjunctas ſegregans, (ceu Chemiam definit* ingenioſiſſimus Anglus, Joh. Freind in Prælect. Chem. p. m. 8.) ſuppeditat, exhibenda. Optandum equidem, ut hæc per ignem analyſis vera foret & genuina corporum in ſimpliciſſima, & principia primo-prima (ſic in ſcholis loquuntur) reſolutio; aſt potius Vulcanio hoc adminiculo, accedente rapidiſſimo particularum motu, rerum formæ planè deſtruuntur, textura immutatur, partium ſitus & ſtructura disgregatur, novumque quid emergit, plane à priſtino abludens. Accedit inſuper hoc, quod ad chymica illa principia reduci haud queant omnia phænomena, cum ipſiſſima illa principia nimium quantum inter ſe diſcrepent & pugnent, quippe utcunque inter acidum & alcali ferveat mortale odium, aliquanto tamen alterutrum, ſuo etiam generi non minus iraſcitur. Acida enim cum acidis, & alcalia cum alcalinis bellum inteſtinum gerunt; quodque cum uno corpore comparatum alcali audit, mox ſi ad alterum conferatur, acidi titulo inſignitur. Ita fruſtra quærimus limites, quibus utralibet ſpecies contineri debeat, ut cum ſuperius citato Cl. Freindio loquamur. Exemplis res evaderet clariot, niſi extra choreas nimium ſaltare videremur.

Quæ cum ita ſint, nemo à nobis hoc exiget aut poſtulabit, ut in ſpiritu aliquo aut ſale volatili, è radice noſtra per ignem extorquendis, operam ſimul & multos ſumptus temere perdamus. Fecit tamen ſolertiſſimus Pharmacopœorum noſtrorum, Dn. Dietericus, ſucceſſu ſequenti. Raſuræ radicis Parreiræ bravæ unciam ſemis igni commiſit, per retortam deſtillando: obtinuit ſpiritus aciduli, empyrevma redolentis, ligni Quajaci & corticis Chinæ Chinæ æmuli, ſcrupulos quinque: oleum empyrevmatici fœtidi, oleo Tartari non abſimilis, ℥j. capitis mortui nigerrimi reſidui, inſtar eboris uſti, ſcrupulos ſex.

Fluunt ex hac radicis Vulcania analyſi ſequentia notatu digna: 1. Spiritum acidiuſculum plane novum ignis productum eſſe, ſuccedens amaritiei & dulcedini ſive mixto ſapori γλυκυπικρῶ, indubium præbens indicium, naturam ſaporum in certa textura ac particularum mixtura poſitam eſſe, quæ per diſſociationem ab igneis particulis factam, immutatur, & à priore abludens, aliam ideam ſaporis imprimit. Spiritus enim Parreiræ bravæ, conchis præparatis affuſus, haud levem efferveſcentiam & motum particularum internum produxit, ſulphure inde exhalante naresque feriente; cum tamen in pulvere & infuſo exhibita radix ſenſilem aciditatem vix præ ſe ferat. Poſito tamen non noviter productas per ignem eſſe has acidiuſculas particulas, & radici occulte inexiſtere, innuunt hæ certè temperiem hujus radicis, ejusque in calculo debellando efficaciam, cum ſecundum Excell. D. Stahlium homines calculo obnoxii ſint perpetuo habitus corporis ſanguinei prædominantis.

2. Spiritus colore ſuo obſcure rubicundo prodit reſinoſarum particularum præpollentiam, quæ vitro quoque ſeſe agglutinantes clare præſentiam latitantis reſinæ indicant; quod inſuper eſſentiæ Parreiræ bravæ variis menſtruis extractæ, coloris intenſe rubentis, confirmant.

3. Olei

3. Olei fœtidi copiosa quantitas & Salis Volatil. & resinæ quoque index; quod si cum sale fixo digeratur loco calido & sua in phiola destilletur, obtinebis Sal Volatile, quod quæsiveris; quippe olea destillata nihil aliud sunt quam salia volatilia concentrata, ope cujusdam acidi, secundum Chemicorum regulas.

4. Oleum fœtidum invisum licet naribus & ob exhalantem empyrevmaticam mephitim exosum, ex retorta prodiens crassescebat: firmiter collo, per quod prodibat, adhærens, enchiresi quadam leviuscula, depositio fœtore empyrevmatico, in balsamum vel resinam redigitur, egregie omni resistentem putredini, acrimoniamque salsam involventem.

5. Ex capite mortuo nigerrimo porosissimo, in quo radii lucis penitus suffocantur, haud difficile erit sal quoque fixum elicere. Hoc tamen probè notandum, neque salia, neque ol. fœtidum, neque spiritum, neque extractum vires tantas exserere, quantas radix porrigit, digito quasi monstrante viam radicem Parreiram agere tota substantia, uti in Scholis Galenicorum loqui amant, de quibus mox fusius.

Licet enim non affirmare ausim, cum Veteribus, dari remedia certæ cuidam parti vel visceri tantummodo dicata, cum id circulationi sanguinis repugnet: non tamen hoc negandum putarim, extare medicamenta, quæ huic vel illi parti corporis magis vel minus amica sint, cum hoc dependeat à variâ & diversa partium solidarum structurâ, tam quoad poros intro foras & foras intro spectantes, quam quoad stamina & fibrillas, ex quibus constant & contextæ sunt, itemque quoad fluida in illis circulantia & fluentia; & hinc quoque medicamenta diversos edere in partibus diversis effectus quis ambiget? Hanc vim specificam veteres temperiem dixere, recentiores crasin, texturam, à varia particularum modificatione dependentem, sive à figurarum varietate. Nemo hoc hodie ferme negat, nec Antiquitas negavit. Sic enim sentit Hippocrates,

- - - - à quo, ceu fonte perenni,
Cuncta Machaoniis arva rigantur aquis

Δεῖ δέ μοι δοκέει καὶ τῶνδ' εἰδέναι, ὅσα τῷ ἀνθρώπῳ παθήματα ἀπὸ δυναμίων ἔρχεται, καὶ ὅσα ἀπὸ σχημάτων. Λέγω δὲ τί τοῦτο, δύναμιν μὲν εἶναι, τῶν χυμῶν τὰς ἀκρότητας τε καὶ ἰσχύς. Σχήματα δὲ λέγω, ὅσα ἐστὶν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. *Oportere autem mihi videtur & hoc novisse, qui affectus hominis à facultatibus veniant, & qui à figuris. Quod dico, hoc est: Facultatem scilicet esse humorum summas vires. Figuras vero intelligo, quæ insunt in homine* Libr. de vet. Med. XXXIX. 146. Exemplis deinde aliquot dilucidata hac propositione, tandem concludit t. XL. 157. f. πάντα δὲ πάσχει διὰ τὴν φύσιν τῶν σχημάτων. *Hæc vero patitur ob naturam figuræ.*

Naturæ solertissimus Mystes Plinius Libr. XXII. v. 24. sequentibus eandem rem exprimit verbis: *Est & ratio subtilitatis immensa à Platone descendens: corpusculis rerum lævibus, scabris, angulosis, rotundis, magis aut minus ad aliorum naturam accedentibus: ideo non eadem omnibus amara aut dulcia esse.* Videmus sic quam blande Veteres conspirent cum recentioribus. Hoc vero opus, hic labor erit, particularum inter se coordinatarum minimarum dispositionem & nexum velle eruere, eorumque numerum, proportionemque inter se determinare ad amussim, quæ ob exilitatem suam nostrorum effugiunt qualemcunque sensuum aciem, hoc, inquam, artis opus, in quo tantum votis locus, labor omnis hucusque irritus, perscrutatio manca, mutilaque. Ad internum igitur principium, formam, vel ideam formalem, vel formam idealem recurrere si quis velit, libet licet. Οὐ κρυπτὰ τῶν δὲ σοιτὰ πλείονα: ut cum Euripide loquar in Medea. Simus contenti, quid sensiles facultates hac de specifica virtute & efficacia radicis nostræ nobis manifestant, & per Chemicam analysin illustrant. Quicquid igitur in omnibus renum & vesicæ affectibus auxilii porrigit, quicquid in hydrope præstat, quicquid virium aliis in morbis leniendis ministrat, ceu optimum diureticum, hoc peragit *partim particulis suis salinis, tam volatilibus quam fixis*, quibus (1) glandulas & siphunculos renales fistulosque tubulos, per quos tanquam minutissima filtra & spongiolas urina secerni debet, materia tenaci viscosaque infarctas & angustatas incidenti vi aperiunt, abstergunt, urinæque separationem promovent. (2) Fermentum renum fracidum, acrimonia volatili urinosa destitutum & plane iners, disponunt ad promovendam copiosiorem separationem, quod in cachecticis dispositionibus, imprimis vero illa hydropis specie, quæ teste Nobiliss. Dn. ab Helmont, renum vitio contingit, in quibus urina fluit pauca, licet ægroti multum potent, fieri solet, hoc in affectu particulæ salinæ radicis nostræ ad urinæ excretionem stimulant, & partes heterogeneas sanguinis evehunt. (3) Dum aquæductus illi, qui ad colligendum aquas, tota domo defluentes, & demittendum in vesicam, velut in cisternam, destinati sunt, (uteteres innuo,) vel ex una parte, materia tenaci viscidaque quoque turgidi infarctique sint, ut debito officio fungi haud queant, viscidam materiam fundendo, aperiendoque & ad vesicam præcipitando, has vias iterum permeabiles reddunt. Quis non in miram hanc particularum salinarum radicis nostræ vim diureticam sequent. Epigrammate ludat, illamque loquentem quasi introducat?

Sæpius obstructis renum canalibus arctis
Ad fontes refluunt flumina falsa suos.
Prodigium infelix! vicinis undique membris
Turbatur totis & trepidatur agris,

Qui

Quid vos ignavæ, (ſic increpo) ſiſtitis undæ?
Mecum ite, en vobis rumpere clauſtra paro.
Rumpo, patent; notusque ſuas vehit alveus undas,
Lætantur magno membra levata manu.

(4.) Spiritum porro dictum Gorgonium,

qui ſaxea reddit
Corpora, qui totis inducit marmora rebus,

in renibus ſtabulantem, arenulasque & ſabulum cum muco viſcido compingentem inque lapidem coagulantem & efformantem, ſalinæ quoque Parreiræ particulæ deſtruunt, & ulteriori calculorum geneſi obicem ponunt.

Vidimus efficaciam *ſalinarum*: nunc quid *ſulphureis, oleoſis, balſamicis, mollibus, dulcibus, reſinoſis, glutinoſis particulis* agat & præſtet, examini ſubjiciemus. His (1.) ſalia acria, inprimis ſalſa, involvit & deſtruit; præſente quippe calculo urina acrior evadit & ſalſior, hinc criſpationes & dolorificos meatuum ſpasmos, eorumque anguſtias inde productas abigit, ut ſoluta criſpatione ad debitam amplitudinem viæ antea arctatæ redeant: id quod veteres laxare & lubricare vias calculoque viam parare dixerunt; imprimis (2.) particulæ dulces mollesque & reſinoſæ, amaris immixtæ, aptæ natæ ſunt ad ſalſedinem urinæ temperandam: quid enim ſalivæ quoque ſalſedinem magis corrigit, quam liquiritia, paſſulæ &c. Accedit, quod dulcia ſemper habeant quandam γλισχρότητα & viſcedinem, ob intimiorum particularum ſulphurearum nexum & cohæſionem, quibus ſimul abſtergunt & lubricant, ac particulas ſalinas involvunt, inviſcant, doloresque demulcent, anodynique vices ſupplent: non abſimili modo ac Gummi Arabicum, quod ceu præſentaneum in calculi doloribus remedium Curioſiſſ. & Rever. P. Boccone commendat.

Ut taceam vi quadam ſpecifica, quæ à nobis determinari nequit, hanc quoque Parreiram noſtram in comminuendo calculo efficaciam ſuam exerere, cum & menſtrua proſtent omni corroſivo deſtituta ſapore, imo plane inſipida, quæ ſuccis corporis noſtri admixta, & circulationis lege renibus ingeſta promte in calculos renales irrumpere, eos aggredi, maſſamque coagmentatam, inque lapideam duritiem concretam diffringere & comminuere poſſunt, haud aliter ac

Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

Ubi tamen non negandum, optatum certè medicamentorum horum lithontripticorum inſipidorum ſucceſſum utplurimum à lapidis qualitate dependere: quod ſi trophaceum reperierint, feliciorem certe effectum expectabis, quam in ſiliceo. Congeſſit hanc circa materiam plurima, apud alios plane non reperiunda & intacta, omnigenæ eruditionis abyſſus Cl. Salmaſius, ſeculi miraculum, in interpret. Aphorism. Hippocrat. 79. ſect. 4. de Calculo. Inter remedia illa lithontriptica non corroſiva ac pene inſipida choream ducit pulvis Nephriticus Magnifici quondam Præſidis Academiæ noſtræ, ναυ ἐν ἀγίοις, Volkameri. Timæanum porro in calculo evporiſton, & ſuccus Betulæ, quorum virtutem in comminuendo calculo ſi quis negare velit, experientiam tot Excellentiſſimorum Practicorum habebit contradicentem. Meminiſſe quoque juvabit liquoris illius (cujus Generoſiſſ. Dn. Boyle Tract. de Specif. remed. cum corpuſcul. philoſoph. prop. 1. mentionem injecit) adeo debilis, ut integrum etiam ejus poculum absque noxa ebibi poſſit, & nihilo ſecius in duriſſima corpora, ut lapides, imo metalla quoque, fortiori modo agat, quam ipſa menſtrua corroſiva. Eundem effectum expectes in calculo ex infuſo lapidis Hiſpanicè dicti *Pedra quadrata*, à Nephritico lapide planè diverſo, effluviis haud ſenſibilibus imprægnato, cujus notitiam ſequenti optata occaſione obtinui.

Cum *Invictiſſimus noſter Imperator, Hiſpaniarum & Indiarum Monarcha, Dominus noſter omnium Clementiſſimus*, CAROLUS *ordine Cæſarum* SEXTUS, *rebus geſtis* MAGNUS, *Virtutibus Chriſtiano Principe dignißimis* MAXIMUS, *quem* DEUS *nobis ſervet, ſoſpitet, tueatur, triumphisque cumulet!* poſt Coronam Francofurti Ipſius ſacrato Capiti impoſitam, factamque Imperii inaugurationem nuper Urbem noſtram inter lætiſſimos applauſus & ardentiſſima vota tranſiret, ac inclytum Senatum civesque jurejurando in fidem reciperet, obtigit, ut Illius *Machaonem fidißimum* & in proſperis æque ac adverſis per terræ marisque tractus individuum comitem adire, ejusque mihi favorem conciliare licuerit. Eſt is *Vir Excellentißimus Dn. D. VACKIUS, Sacr. Cæſar. Majeſt. Conſiliarius & Perſonæ Sacr. Medicorum Princeps*, qui inter alia luculenta ſatis humanitatis & benevolentiæ erga me documenta retulit, ſibi in Hiſpania calculi doloribus excruciato, aliis nihil proficientibus, hoc ex remedio, *Pedra* nempe *quadrata*, paratum *infuſum* profuiſſe, dolores ſedaſſe, calculumque eliminaſſe. In Ephemeridibus Venetis *Galleria di Minerva inſcriptis* Tom. V. part. X. p. m. 271. mentio etiam fit lapidis, cui Excell. Hector à Valle nomen *Pietra Quadra* impoſuit, vires ejus in partu difficili, fœtuque mortuo expellendo his verbis recenſens: *Diedi in acqua d'Artemiſia e Meliſſa la infuſione della detta Pietra Sfregolata, ad un Gentildonna, che ſoleva ſtentare ſino alle Agonie in partorire, e partori felicemente. Ad altre due la diedi in acqua di Gigli bianchi, e di dittamo Cretico con „evento fortunato:* i. e. Exhibui in infuſo aquæ „Artemiſiæ & Meliſſæ dictum lapidem com„minutum (de pedra quadra illi ſermo) fœmi-

„næ cuidam nobili, partus doloribus agonizan-
„ti, quæ feliciter in dias luminis auras fœtum
„protulit. Aliis duabus in aqua liliorum albo-
rum & dictamni Cretici dedi, felici cum fuc-
ceſſu. Ut alia omni corroſiva vi deſtituta Li-
thontriptica ſilentio præteream.

Poſuimus his hactenus adductis, uti ſpero, fundamentum, quod vera ratio & experientia non refellet, cuique plurimi effectus radicis noſtræ laudatiſſimi, quos in Praxi promit & prodit, poſſunt inædificari. Hæc enim ſpecialiſſima vis diuretica in noſtra latens radice tot ac tantis aliis palmam præripit. Nihil enim apud Practicos frequentius reperies, quam cautelas & querelas de diureticis in omnibus renum & veſicæ morbis ſæpius infauſte exhibitis; dum enim morbum tollere debent, potius ægrum tollunt, dolores inflammationesque ſæpius augent & inducunt. Nil hujus à temperatiſſima radicis noſtræ craſi metuendum. Conſentientem habemus Dn. Helvetium: *On a juqu'icy employé un grand nombre des remedes contre les Maladies des Reins & de la Veſſie; les diuretiques ſont ceux que l'on a le plus mis en uſage: mais l'experience a fait voir, que dans beaucoup d'occaſions ils ont eſté plus nuiſibles qu'utiles. Ils ont causé quelquefois des desordres aſſez facheux, pour faire apprehender, de s'en ſervir en toutes rencontres, parce que chariant trop de matieres à la fois, & precipitant trop abondamment les urines, il cauſoient des ſuppreſſions entieres & des douleurs extrêmes & continuelles. Cependant on eſtoit ſouvent obligé de tenter ce ſecours malgré, qu'on n'en eût, parce qu'on n'en connoiſſoit pas de meilleur: mais depuis peu d'années qu'on a decouvert l'uſage de la Racine de Parera brava, on n'eſt plus dans le même embarras. Ce remede n'eſt point ſujet a des pareils inconvenients, c'eſt un ſpecifique contre toutes les maladies des Reins & de la Veſſie qui ſont curables. Il agit avec tant de douceur, qu'il n'y a point d'occaſion ou l'on ne puiſſe l'employer ſans en craindre de mauvaiſes ſuites; & on peut comparer ſes effets aux effets ſpecifiques du Quinquina, de l'Hypecacuana, & de l'Alun. J'ai vu de malades, qui apres en avoir uſé, ont rendu de pierres groſſes comme des olives & ſe ſont par la garantis de la Taille; cependant cet effet n'eſt pas toujours certain, il réuſſit aux uns & ne réuſſit pas* „*aux autres.* i. e. Varia hucusque ad debellan-
„dos renum & veſicæ morbos adhibita fuere
„remedia, ex quibus diuretica in frequentio-
„rem protracta uſum: ſed experientia rerum
„magiſtra docuit, in plurimis caſibus plus no-
„cuiſſe illa, quam profuiſſe. Sæpius enim an-
„ſam præbuêre funeſtis ſymptomatibus, ut cau-
„tius mercari didicerint Practici, ſemper & ubi-
„que illa exhibere ægris, materiam quippe pec-
„cantem ſimul & ſemel eliminando, urinam-
„que copioſius juſtò præcipitando omnigenam
„ſuppreſſionem, doloresque intenſiſſimos con-
„tinuosque produxerunt. Interim defectu me-
„liorum his auxiliis uti coacti fuerunt, usque
„dum ab annis non multis radicis Parreiræ
„bravæ introducto & patefacto uſu huic ob-
„viam itum difficultari. Hoc enim remedium
„ſimilibus & recenſitis incommodis caret, ſpeci-
„ficum quippe in omnibus renum & veſicæ mor-
„bis, qui curam admittunt, pharmacum. Tam
„blande, tam leniter virtutē & vires ſuas promit,
„ut nulla planè ſe offerat occaſio morbi, cui ſine
„ullo metu ac hæſitantia non exhiberi poſſit.
„Effectus, quos exerit laudatiſſimos, effectibus
„ſpecificis Chinæ Chinæ, Hypecacuanhæ & Alu-
„minis per quam ſimiles ſunt. Viſui ſeſe ob-
„tulerunt ægroti, qui poſt uſum hujus radicis,
„lapides magnitudine olivarum fructus æquan-
„tes, excreverunt, ab imminente ſectione cal-
„culi immunes ſic redditi. Non idem tamen
„ſemper effectus, cum huic individuo citius me-
„deatur, quam alteri. Eandem ſententiam fo-
vent Duumviri Braſilienſis Hiſtoriæ, Piſo & Marggravius; ille Hiſtor. Braſil. de Facult. ſimplic. Libr. IV. p. 95. *Renum, ureterum & veſicæ obſtructionibus medetur. Usque adeo calculi expellit materiam, ut Magnates Luſitani aliud nullum medicamentum huic prætulerint.* Addit edit. ſecund. p. 312. *Radices imprimis illæ, quæ jam plane adoleverunt, humoribus ſeroſis movendis & calculis frangendis dicatæ ſunt: quæ vero primo natæ frondes & ſarmenta, morſibus ſerpentum medentur.* Hic vero Hiſtor. Plantar. Braſil. Libr. I. c. 13. *Radix contra calculum excellentiſſima, & eſt illa, quam Luſitanus dabat Dn. van der Duſſen optimo ſucceſſu.*

Parreiræ Uſus, Præparata & Doſis.

PErluſtratis Parreiræ bravæ viribus, indigitatoque agendi modo, ac explicata facultate, ſupereſt, ut qua medicamentorum forma, quo apparatu, qua doſi, commode exhibeatur, aliisque aggregetur medicamentis, nunc exhibeamus. Modum, quo in Braſiliâ Luſitaniâque ægris porrigunt, Dn. Helvetius, *dans la Traité des Malades les plus frequentes, & des remedes ſpecifiques pour les guerir &c.* p. 96. ſiſtit ſequentibus verbis: *La maniere de s'en ſervir dans le Breſil & en Portugal, eſt de faire bouillir une once de cette racine batue & effilée, avec un gros de Sel Ammoniac, dans une Pinte d'eau. Lors qu'elle a fait cinq ou ſix bouillons, on la retire du feu, & on la laiſſe infuſer juſqu'a ce qu'elle ſoit froide. On paſſe la liqueur, & le malade en boit enſuite un verre de quatre heures en quatre heures: on en peut donner auſſi en ſubſtance:* h. e. *Modus, quo hoc remedio in Braſilia Luſitaniaque utuntur, hic eſt. Radicis Parreiræ contuſæ unciam unam, cum ſale Armon. drachma, in menſura aquæ decoquunt cum aliquoties ebullierit, ab igne removent, & ulteriori extractioni, frigoriquæ exponunt. Biba de hoc filtrato liquore hauſtum, ſingulis quatuor horis repetendo. In ſubſtantia quoque exhibetur radix*

radix. Subjungimus Helvetio Cl. Piſonem de Facult. ſimpl. Libr. IV. c. 54. p. 95. Edit. l. *Radix in taleolas ſecta, perque aliquot dies ſub dio in liquido convenienti macerata, vim ſuam illi communicabat, nec ingrato adeo ſapore aut cereviſiam, aut vinum, quo diluitur, imbuit, quin potus ordinarii loco ægri illo utuntur, quod renum, ureterum & veſicæ obſtructionibus medeatur. Usque adeo calculi expellit materiem, ut Magnates Luſitani aliud nullum medicamentum huic prætulerint.*

Cum hodie omnibus ferè θεομανία familiaris, plurimique in Thée illo Sinenſi & delicias & ſanitatem venentur, tædioſaque faſtidiant decocta, hanc radicem Parreiram, foliis Acmellæ maritatam, vel ſpeciebus decocti Nephritici Foreſti, à Zwelfero correctis, immixtam, ſummo exhibui emolumento: nec facti fere pœnituit unquam, cum inexpugnabiles calculi dolores, evacuatis aliquot Thée hujus ſpecifici calicibus, domitos ſæpe viderim. Ratio in promtu: quippe particularum motum exagitans calor mediante aqua, devicta eius cruditate, non tantum vires ſpecierum, quibus ſuperinfuſa, mobiliores adque extractionem aptiores arripit ſibique aſſociat, ſed etiam corporis humoribus immixtas, lege circulationis, ad obſtructiones defert, calore blando eo facilius feliciusque reſerat, viſcidum reſolvit, acrimoniam temperat, & per vias debiras eliminat. Velim tamen in delectu *Acmellæ* vel *Chryſanthemi Bidentis, ſive Bidentis Zeilanici fl. lutei lamii folio*, (cujus figuram elegantiſſimamque deſcriptionem & vires Cl. Dn. *Breynius* in *Diſſert. Botanico-Medica de Radice Gin-Sem & Acmella* exhibet) caute quis ſe gerat, cum & pretio & viribus nimium differant.

Cum dolores calculi ſæpius adſtrictam alvum comitem habeant, decantatiſſimum illud *Linum Cathartticum*, quod nunc Curioſorum Practicorum animos allicit, huic radici admixtum, & inſtar Thée ſpecifici, infuſi æmuli exhibitum, indicationibus ſatisfacit omnibus.

Quod *Linum illud Cathartticum* concernit, ὃ ἐν μαχίῳ vocatur ab Anglis Millemountain, eſſe Meretto in Pinace, & videtur eſſe Chamælinum Cluſii, vel linum pumilum Bauhini; & parvitate ſua floribus albis exiguis, vaſculis lini maniculatis, & vi cathartica abunde ab aliis liniis diſtinguitur, ſec. Excell. Rajum in Synopſ. method. Stirp. Britann. pag. 221. Sam. Dale Supplem. Pharmacolog. p. 211. ſeqq. & Chabræum, qui ſub nomine lini minimi floſculis albis, ſive Alſines vernæ glabræ, deſcribit: Stirp. Sciagraph. p. m. 480.

Quod ſi ventriculus aquam ſimplicem abhorreat, cereviſiæ incoquatur, vel ſola, vel cum *ſemine Dauci*, quod remedii genus admodum proficuum erit. Quod ſi cum *ſucco Betulæ* commentur, & in cereviſia fermententur, medicamentum exurget inde, quo in calculo debelando vix melius ullum. Vid. de Cereviſia lepotomera, ceu optimo calculi prophylactico Illuſtr. *Charleon.* diatrib. de Lithiaſ. p. m. 176.

Exhibetur quoque Radix Parreira *in ſubſtantia*, ut loqui amant ταῖς ἀπὸ, in *pulvere ſubtiliſſimo*, de quo Dn. Helvetius l. c. *On en peut donner auſſi en ſubſtance. La doſe eſt d'un demie gros & de quinze grains de ſel Ammoniac, qu'on reitere de quatres heures en quatres heures, juſqu'a ce „qu'on ſoit ſoulagé.* h. e. Etiam in ſubſtantia ægris „exhibetur ad drachmam ſemis, cum quindecim „Salis Ammoniaci granis, quod repetitis vici„bus poſt 4. horarum ſpatium, usque dum æger „levamen ſentit, fieri ſolet.

Certè crebriori uſu edoctus, *Parreira brava* hoc cum *cortice Chinæ Chinæ*, *ligno Quajaco* aliisque vegetabilibus commune habet, ut in ſimplici *pulvere*, vel in *Infuſo* & Thée ſpecifico exhibita felicius operetur, quam ſpiritus acidulus ac oleum empyrevmaticum deſtillatione prodiens, Eſſentia cum ſpiritu appropriato alioque menſtruo apto, aliaque ex cortice Chinæ Chinæ & Quajaco parata remedia: quod clare innuit, in textura ſpecifica medicamentoſam vim harum ſimplicium conſiſtere: Vid. Excell. Lipſienſium Æſculapius ὁ πάνυ *Bohnius, in aurea Diſſert. de Medicamentorum Chymicorum & Galenicorum præpollentia*, §. LXIV. p. 56. *Dn. Pomet l'Hiſtoire generale des Drogues Livres* 2. Chap. XIV. pag. 69. *pulverem Parreiræ* in vino exhibet, mane ventriculo vacuo. Loco Salis Armon. quod Dn. Helvetius ſtimuli loco addit, in nonnullis caſibus *Sal amarum cathartticum Ebshamenſe* ex voto ſubſtituitur, de quo prolixe egit *Clariſſ. Dn. Nehem. Grew in peculiari de hoc Sale amaro cathartico Tract Londin. 1685. impreſſo* & Dn. Helvetius in libr. ſæpius citat. Traite des Maladies pag. 80. Si conjecturæ experimentisque locus, ac non ex aquis lacus Ceicenſis in Moravia, tanto infectis amarore, quantus in gentiana & felle animalium vix repertu datur, ſal hoc æmulum ſali Angliæ Ebshamenſi parari poſſit, curioſis regionis iſtius indagandum relinquo. Adeo enim nitro ſcatet, ut ex ℔vj. hujus aquæ aliquot nitri uncias extraxerit *diligentiſſimus Jordanus, in deſcript. Aqu. medicat. Moraviæ.* Meminit & hujus aquæ ſumme amaricantis *Excell. Hertodt in Tartaromaſtig. Morav.* Quod ſi *Tartarum nitratum* Parreiræ noſtræ admiſcueris, vix ulli pharmaco antinephritico palmam cedet. *Millepedes* quoque Parreiræ noſtræ ſociantur felici ſucceſſu, quippe urinæ ſuppreſſiones aliquoties incantamenti inſtar hoc remedio ſuſtuli; ſed porrigendum in optato illo momento, quo natura ſe ſolvere geſtit, qua obluctante & renitente κινὰ κακὰ.

Optime Parreiræ noſtræ, durantibus ſpasmodicis illis tenſionibus dolorificis, cinnabarina junguntur, ceu tutiſſima anodyna: ab *opiatis* enim cavendum in leniendis doloribus nephriticis & arthriticis, cum ſæpius his in caſibus narcotica vis opii in necroticam degeneret:

quod Excell. Stahlius, judicioſiſſimus cautelarum practicarum promus condus, annotavit, intra exiguum temporis ſpatium ſex hoc malo laborantes ab opiatorum uſu paucis horis aut diebus periiſſe. *Certe opiata ſic exhibentes faciunt ægrotanti, quod eunuchi Artaxerxis faciebant Hamani. Cujus quidem faciem tegebant tanquam ſubtracturi oculis & iræ Regis: interim Regem verbis inflammabant, & Hamanem, mentione patibuli Mardochæo erecti, in ſublime perniciter agebant*, Eſther. 7. ℣. 8. 9. 10. ceu feſtive ſcribit Leydenſis gloria Pindi.

Spiritus ex radice Parreira deſtillatus aliquoties exhibitus ſudorem potius movit, quam urinam; ſed mirari deſii, reflectendo, quod diaphoretica modaliter à diureticis differant: quippe à diaphoreticis M. S. movetur vehementius, & à centro ad peripheriam corporis largiori in quantitate pellitur, à diureticis vero non æque, quæ potius blande movendo ſanguinem ad interiores partes, & conſequenter etiam ad renes propellunt. Hinc diaphoreticis ſæpius exhibitis, & ſero jam imminuto, diuretica non conveniunt.

De Sale volatili & fixo jam in examine Chymico dictum; quod ſi illud Sal volatile anxie quoque deſideres, obtinebis vel *methodo Excellentiſſimi Wedelii*, communis Germaniæ in ſtudio Medico Præceptoris, vel *Helmontiana*, per longam olei fœtidi cum ſale fixo in blandiſſimo calore circulationem & ſubſequentem ſublimationem. Ego radicem ipſam tamen huic per ignis violentiam extorto remedio longè prætulerim: habebis hoc tamen modo, ſi exoptes.

Dn. Helvetius ex hac radice Balſamum confecit, ut eò melius in expeditionibus bellicis & ſuſcipiendis itineribus ſecum vehi poſſit. En! Balſamum ipſiſſimis Auctoris verbis Libr. cit. pag. 99. *Prenez de l'Huile de Scorpion compoſée, ſuivant Matthiole, une livre: la Baume de Copayvé cinq onces: du Baume de Soulphre Thereben-tiné quatres onces: du Stirax liquides deux onces: de la Cire jaune ſix onces: de la Racine de Parrera brava, en poudre ſubtile, une demie livre: du ſel Ammoniac deux onces: d'excellent vin d'Eſpagne deux livres. Faits bouillir le tout a petit feu, en le remuant toujours avec une ſpatule de bois, juſqu'a l'evaporation entiere du vin; enſuite ôtez le tout du feu, & paſſez le Baume chaud à travers une etamine, avec une forte expreſſion; & quand il ſera a demi refroidi, vous y ajouterez trois onces du Baume de Perou noir, que vous mêlerez bien avec la ſpatule. Lorſque tout ſera froid, vous le metterez dans un pot de Fayance bien bouché. La doſe eſt d'un demi gros, & on peut rettancher la cire, ſi l'on veut. Balſamum Parreiræ Helvetii*: ℞. Ol. Scorpion. compoſ. Matthiol. ℔j. Balſ. Copayb. ℥v. Sulph. Thereb. iv. Styrac. liq. ℥ij. Cer. flav. ℥vi. Rad. Parrer. brav. ſubtiliſſ. pulveris, ℔ß. Sal. Ammoniac. ℥ij. Vin. Hiſpan. optim. ℔ij. lento igne omnia coquito, lignea ſpatula ſemper agitando, ad totalem Vini Hiſpanici evaporationem usque. Hoc facto ab igne removeto, per textum cilicinum expreſſione forti facta Balſamum trajicito; cum aliquantulum deferbuerit, addito Balſ. Peruv. nigr. ℥iij. ſpatulâ ligneâ probe miſcendo & agitando. Cum omnia frigore condenſata, vaſi fictili Faventino, probe obturato, immittito. Doſis hujus Balſami drachmæ pondus erit. Cera, ſi placuerit, omitti poteſt.

Vires hujus Balſami ferme hyperbolicæ; in hydrope naſcente illud quoque commendat Helvetius, ob diureticam vim, præmiſſis tamen univerſalibus: quo facto doſis Balſami exhibetur, & ſingulis 4. horis repetitur, involvendo cruſtulæ ſacchatatæ, ut deglutiantur promtius. Aſſumpto hoc pharmaco, hauſtus vini albi, vel ptiſanæ aperientis ſtatim exhibendus. Quatuor diebus remedii hujus uſus continuandus, quinto æger pulvere febrili purgandus: die poſt aſſumptum purgans, & quatuor diebus ſequentibus Balſamum iterum exhibetur. Quodſi durante & continuato Balſami hujus uſu nil æger levaminis ſentiat, nec urina profluat largior, ab ulteriori uſu abſtinendum, indeque concludendum, malum vel difficulter vel planè non tolli poſſe. Hæc de Balſamo ſuo Helvetius; qui inſuper addit, hoc pharmacum eandem in averruncandis calculi malis exſerere vim ſpecificam, ac China Chinæ in febribus, Ipecacuanha in dyſenteria, & Alumen in Hæmoptyſi.

Paravimus quoque ex hac Radice, more hactenus recepto, *Eſſentiam duplicem*, pro varietate cauſæ morbificæ; & quidem in cauſa vulgo frigida dicta, ubi malum ab acido viſcido utplurimum proficiſcitur, cum Spir. Tartar. verè volatili extrahitur haud cerè contemnendi uſus, cujus doſis à gutt. 20. ad drachmam ſemis in Thee ſpecifico, vel aqua ad calculum è nucleis, alioque vehiculo. Eſſentia quoque confieri poſſet eodem caſu cum Spir. Acmellæ ex India allato, qui paſſim in officinis proſtat; non tamen ſponſor extiterim ulli, acmellæ folia, cum ſilice maſticata, eundem emollire, præſertim cum ſæpius jam laudati Cl. Breynii expectationem circa hoc experimentum eventus eluſerit. Hæc autem erit *Eſſentia Parreiræ bravæ tartariſata volatilis*: ℞. Raſ. Rad. Parreir. brav ℥ß. ſpir tart. ſal. volat. imprægn. ℥iv. f. l. a. digeſtio & filtretur. Etiam *Eſſentia compoſita* ſequenti modo parari poterit. ℞. Raſ. Rad. Parreir. brav. ℥ß. G. Lign. Quajac. ℥ß. Tinct. Tart. compoſ. ℥iv. f. ſ. a. digeſtio & filtr. add. ol. lign. Saſſaf. deſtill. gutt. viij. M. Cum aſſtem diuretica, calida præſertim, calidis & ſiccis affectibus laborantibus minime conveniant, hinc eſſentiam Parreiræ bravæ præparate juſſi cum menſtruo meo nitroſo caſtoriſato, divino certe medicamine conducet quippe hæc eſſentia melius bilioſis:

Nam calidi plus eſt illis, quibus acria corda
Iracundaque mens facile effervescit in iram,

ſecun

secundum *Lucretium. Essent. Parreir. brav. Nitr.* ℞. Raf. Rad. Parreir. brav. ℥ß. Spir. Nitr. dulc. Castorii. ℥iv. f. s. a. digest. & filtr.

Quod si quis *Extractum Parreiræ* desideret, illud quoque obtinere poterit, modo Cl. Friendium in Prælect. Chemicis non consulat; ex hujus enim mente & hypothesi, tanquam rigidi nimis Censoris, *Extracta, ob partes subtiliores avolantes & in abstractione dissipatas, ad medicos usus nil conferunt. Si vero quis partium crassarum & magis inertium delectum facere velit, eas nulla alia apparatus ratio æque feliciter suppeditat. Ita ut ea, quæ à Chymicis tantopere venditantur Extracta, si vires medicas spectes, non tam pharmaci loco, quam vehiculi, si ita loqui liceat, habenda sint.* Hæc Friendiana si non tangant quempiam, & extractum ex Parreira brava obnixe petat, en compositum & simplex *Extr. Parreir. brav. resinosum.* ℞. Rad. Parreir. brav. ℥ij. extrah. c. Spir. Vini Austriac. rectificatiss. ℥xij. Tinct. abstrahatur s. a. ad consistentiam Extr. resinosi D. ad usum. Spir. abstractus signetur. Spir. Vin. Parreir. brav. Residuum radicis coqu. in aqu. fontan. clarificetur & inspissetur ad consist. extr. aquos. pro pilulis & potionibus. Ex Spir. Vin. Parreir. brav. & extr. ejusd. radicis parari poterit sequens Essentia composita Parreir. ℞. Extr. rad. Parr. brav. Myrrh. balsam nostr. an. ℥j. Spir. Vin. Parr. brav. ℥iv. f. solutio. D. ad usum.

Dosis radicis nostræ, uti jam supra annotatum, ad pondus drachmæ dimidiæ, scrupulorum duorum, imo drachmæ unius, si sola nullo admixto stimulo in pulvere subtilissimo exhibeatur. Exacte enim definiri dosis nequit, cum natura à natura, regio à regione differat. Satius est peccare in defectu quam excessu.

Et hoc quoque circa usum Parreiræ nostræ monendum duxi, quod de diureticorum abusu notavit gloria Germanorum Practicorum, Beatus *Ettmullerus* noster: ubi nempe ad tempus „ frustra adhibita fuerint medicamenta, subsista„ tur, & feriæ quasi permittantur naturæ, ne il„ lo usu nimio, plus quam par est, ad renes mo„ veantur cruditates, quod observatione Epi„ phanii Ferdinandi illustrat. Non possum continere calamum, quin colophonem addendo verbis acutissimi Antonidæ de Sapient. Med. §. 25. finiam: Sæpe nulla res magis adjuvat la„ borantem, quam tempestiva abstinentia, non „ jam dico à cibo, sed medicina. Audiant, qui „ interesse honoris sui arbitrantur, ne qua visi„ tatio transeat sine Recipe. Aliquando sola dies „ & quies ut graves morbos sanant, sic magnos „ motus sedant. In alimentis varietas delectat, „ in medicamentis paucitas. Sicuti in Ethicis „ idem vagus & vanus est, ita in medicis *præscri„ ptor immodicus sit proscriptor exitiosus.*

Usus Plantæ Caapebæ & Radicis Nossa Senhora.

HActenus Parreiram bravam examini subjecimus: restat, ut paucis Caapebæ Plantæ ejusque foliorum usum, radicisque nossa Senhora dictæ specificam contra morsus serpentum vim admirandamque efficaciam sistamus.

Omnes equidem plantæ partes in id amicè conspirare videntur, ut deleterium à serpentibus aliisque veneno nocentibus rebus, corpori ingestum virus abigendo, pristinam restituant sanitatem: mutuemur in hanc alexiteriam plantæ hujus vim versus illos, quos nitidissimus Poëtarum Anglorum Coulejus fudit:

Quid quod serpentum furialia pello venena,
Et mea serpentes dira venena necant.
Illos subtili ferit arcanâque sagitta,
Et perimit cæco vulnere tristis odor.
Sic Pater arcitenens! victum Pythona fuisse
Arbitror, & succis illita tela meis.

Folia Caapebæ Marggravius Histor. Plantar. Lib. I. c. 13. p. m. 26. memorat, singulare esse remedium contra morsus venenatorum animalium, ut serpentum, tam in hominibus quam brutis, si morsui paulum contusa imponantur: curantur enim morsus sine ullo alio medicamento. *Succum foliorum Caapebæ* & Cajatiæ in morsu venenatissimo anguis Ibobocæ, à Lusitanis Cobra de Corais dictæ, laudat Piso de Venen. eorumque antidotis L. III. pag. 43. edit. 1. nam edit. 2. pag. 278. vocatur Anguis Cobra de Coral. Sanatur, inquit, morsus emplastro è capite serpentis concinnato, & efficaciter appositio. Pulvis plantæ Nhambi & succus foliorum Caapebæ & Cajatiæ vulneri instillatus extrahit virus. Binæ hæ plantæ, *Cajatiæ & Caapebæ*, in eundem scopum alexiterium collimant, eodemque insigniuntur nomine, nempe *Erva des Cobras*, licet diversissimæ sint. Caapeba enim planta scansilis, Cajatia vero sive Caacica humi depressa repens plantula, lactescens instar Esulæ, foliis Menthæ non dissimilibus, cauliculis ad rubedinem vergentibus, radicibus miniatis, ex Pisonis descriptione de Facult. simplic. Lib. IV. pag. 102. Cum igitur nomen hoc Erva de Cobras binas complectatur plantas, nescio, quam inter vulneraria nominet mox laudatus Piso de Medic. Brasil. Lib. II. c. 20. de Vulner & Ulcerib. Abutuntur tamen & pulv. *Herbæ Caapeba* & Nhambi sceleratissimi homunciones in Brasilia, dum ex succo jam venenato Manipueræ studio asservato, ad totalem putredinem usque altiorem corruptionis & toxici gradum, ex vermiculis inde pronascentibus, (qui Taparu ipsis dicuntur) quærunt, iisque in pulverem redactis, hominibus pro lubitu insidiantur, ita, ut exiguâ licet quantitate vitam citissime & certissime adimat, si simplex adhibeatur: sin vero compositum & viribus imminu-

minutis (quod potiſſimum pulvere herbæ Caapebæ & Nhambi fieri ſolet) longo poſt tempore, ne nefanda ſcelera in publicum prodeant, miſere & lenta tabe interimat, vid. Piſon. Hiſt. Nat. & Med. Braſil. Libr. V. p. 305. Edit. II. & Edit. I. Libr. III. de Venen. p. 48.

Nunc *radicem Caapebæ* in medium producimus, *Raiz de noſſa Senhora*, ſive radicem Dominæ, ſive ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis Mariæ dictam. Ubi tamen ante omnia monendum, *Erva de noſſa Senhora*, & *Erva de Santa Maria*, licet unum idemque ſignificent, differre tamen nimium, cum ſub nomine *Erva de Santa Maria* ſerpentaria major, ſive dracunculus major polyphyllos deſignetur. Efficaciam radicis de noſſa Senhora optime ex Piſone diſcimus, qui ſcribit: *Radix noſſa Senhora ſive primo natæ frondes & ſarmenta, morſibus ſerpentum medentur, ſi ſemel atque iterum eorum ſuccus recenter expreſſus indiſcreta quantitate propinatur. Nulla interim ſubſequente manifeſta evacuatione, neque per vomitum, neque per ſudorem, neque per aliam viam, quantum aſſequi potui. Licet autem ab anguium aliorumque reptilium & inſectorum venenatorum ictibus & morſibus tantum curandis videatur benè audire hujus convolvuli & radicis ſuccus, qui amaro ſapore caloris prædominium præ ſe fert, quoad manifeſtas qualitates: venenis tamen frigidis contrariari comperi.* Edit. II. p. 312.

In ſpecie Cl. Piſo *radicem Caapebæ* commendat in *morſu ſerpentis Ibicacoa* admodum venenoſo, & peſſima ſymptomata inferente, haud ſecus quam Cucurucu; quippe ſanguis quantocius à morſu ex auribus, naribus & oculis profluit, & niſi ſtatim ſubventum fuerit, moritur vulneratus. Quod ſi virus nondum ad cor penetraverit, carne ipſius anguis cocta cum radice Jurapeba, Jubarandi, Malva Iſca, Caapeba, Capybuba, additis ſummitatibus Nhambi ex vino internè exhibitis reſtituantur. Addatur externum remedium ex capite ipſius feræ contuſo, & cum Erva de Cobras aliisque præparatum.

Eandem quoque efficaciam in *morſu Anguium Tareyboja & Cacaboja* de ſe promit, teſte eod Piſone l. c. qui & hoc addit: *in ſucco Mandiboca Manipuera* dicto (qui ſi crudus aſſumatur, adeo venenoſus eſt, ut ſtatim enecet, coctus vero nutritivus evadit) miram ſanandi vim aliis radicibus & herbis junctam Caapebam exhibere, quod & de fructus *Ananas* ſucco largiter & crebrius hauſto expectandum: *de quo delicioſiſſimo fructu, guſtus ſuavitate omnibus ſupereminente, inque domeſtico horto Cl. Volkameri, mellitiſſimi Amicorum, latè creſcente & luxuriante, ejuſque ſpeciebus, anatome, viribus & efficacia plura cum Deo & die dabimus.*

Dubius hæreo, an non *Raiz de Juan Lopez Pigneira* (forte Parreira) ſit una eademque, ac *Rayz de noſſa Senhora*, cujus Plinius Tuſcus *Excell. Fr. Redi in Experim. circa res naturales ex India allatas* meminit, ſeq. verbis: *Radix eſt coloris citrini & guſtu amara, hanc ſuper lapide aquâ tritam, & unius dimidiæ drachmæ pondere aſſumptam, nec non morſibus vel puncturis animalium venenoſorum adplicatam, certo à venenis & febribus liberare volunt.*

Circa Parreiræ uſum medicum Obſervationes.

REſtat adhuc, ut felices, quos fidiſſima rerum magiſtra experientia in Praxi clinica, circa Parreiræ bravæ uſum, ſuppeditavit ſucceſſus, memorem, inque medium producam. Tantas equidem, ut ingenuè fatear, quantas Dn. Helvetius in hanc radicem contulit laudes, & vim illam in omnibus renum & veſicæ calculi incommodis tollendis, ſic dictam ſpecificam, cort. Chin. Chin. in febribus, & aluminis in hæmoptyſi æmulam, indiſtinctè deprehendere non potui, cum ſæpiſſime ſpes in ea poſita, ceu ab optimis remediis ſæpius fieri conſuevit, deſtituerit, & promiſſa Helvetiana deluſerit. Huc certè optimè collineant, quæ Excell. Dn. Stahlius, feliciſſimus ad Praxin medicam Daduchus, de ſpecificis his remediis tradidit: nempe ſpecifica plane ad ſpecialiſſimas affectuum & ſingulares circumſtantias dirigenda & applicanda eſſe. Infringitur quippe ſæpe ſpecificorum remediorum vis & efficacia, cum morbo jam altius exardeſcente exhibentur, cui tempeſtiva exhibitione præoccupando ſatisfacere potuiſſent. E contrario quando morbi impetus jam maximam partem deferbuit, ibi præſtat frequentiſſimè ſpecifici hujus remedii tempeſtivus uſus utilitatem maximam, ut affectus non ſolum tanto citius finiatur, ſed etiam tanto certius, plenius atque ſolidius in univerſum tollatur.

His præſuppoſitis, aliquoties egregiam Parreira brava, aliis irritis, tulit opem, in cauſa nempe & caſu appropriato. Exhibui autem ſæpius ſolam in pulverem redactam, ad drachmam ſemis, imo ad drachmæ quoque pondus, idque repetitis vicibus, ne quis erroris παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, ſive fallaciæ non cauſæ ut cauſæ, uti in Scholis loqui amant, reum me declarare queat.

De ejus tandem efficacia convictus, aliis diureticis, aperientibus & abſtergentibus immixtam, eo propinavi ſucceſſu exopiato, quem ex plurimis obſervationibus aliquot ſelectiores exhibent, ne multitudo Lectori tædium pariat.

OBSERVATIO I.

PUerpera 32. annorum, bilioſa, aliquot liberorum mater, ultimis ferè puerperii, ſic ſatis feliciter hucusque peractis, diebus, æſtu obruitur vix tolerando, ſitis ingruit intenſiſſima, vomitus accedunt ingeſtorum omnium, alimentorum, potulentorum, medicamentorum. Vocatus ægram vix ac ne vix quidem ſibi conſtantem reperio. Scintillant febrili calore truces oculi,

oculi, ſicca & exſucca lingua, fauces aridiſſimæ, ex imo hauſta ſuſpiria, dicam *Sophoclis in Trachiniis* v. 783. verbis:

Καὶ διὰδυσις
Σπαρακτὸς αὐτὸν πνευμόνων ἀνῆψατο.
ac per dolens
Ejus prehendit cruciatus pulmones.

Flatuum incarceratorum murmura & borborygmi huic ſeſe malo aſſociant, dumque in renum irruunt regionem moleſtiſſimi hoſpites, cumulando ſymptomata ægræ ſalutem dubiam reddunt, & quartum renum morbum producunt, de quo divus Cous noſter L. de Aff. int. t. XVIII. Cum alvus quoque aliquot jam diebus officio non reſponderit, omnibus ſepoſitis clyſma injiciendum, dum vomituriens ſtomachus reliqua recuſatet remedia. Clyſmate injecto mox omnia in abdomine pacatiora, στρόφοι καὶ πνεῦμα τὸν ὑποχονδρίων evaneſcunt, &

Sedatur torti tempeſtas turbida ventris,
Poſtico iratus murmure flatus abit.

Succedit fæcum mephitim olentium copia, muci viſcidi vitrea quaſi congeries: ceſſat mox æſtus, & exhibitis remediis debitis, ſitiotisque & faucium ſiccitati obviam itur. Placido hinc immerſa ſomno poſt bihorium expergefacta & ſibi quaſi reddita de doloribus in lumbis adhuc niduantibus lancinantibusque conqueritur, & ſic triſte illud ſymptomatum choragium in calcuum deſinit. Uſum continuatum decocti Nephritici à Zwelfero correcti ſuadeo, imo urgeo, & pulverem meum contra calculum adjungo, uricâ calculi præſagâ. Ingruit magis magisque dolor, recrudeſcit malum, nec decocto, nec pulveri, nec inunctionibus, nec clyſmati rurſus injecto cedens. Irritis igitur omnibus radix Parreira brava prima vice mercur. cinnab. juncta & ſociata, dolores mitigat, tertia vice ſola ſumpta plane aufert, excreto poſt aliquot dies, cum ſanguinis grumis, calculo ovum fere columbinum æquante, ſine doloris notabili ſenſu, quod obmeatus brevitatem, humidique imbi copiam, tum latiora & expeditiora ſunt, in fœminis potius quam viris quandoque fieri ſolet.

OBSERVATIO II.

JUvenis vigeſimo ætatis anno conqueritur jam per aliquot menſes de obtuſioti & gravativo ſenſu doloris, lumbis in regione renum incuantis, nullo tamen tumore foris conſpicuo; uem corporis motus concitatiores & violenores nimium exacerbant: fit ſucceſſu tempois dolor acutior, unâ eâdemque ſede defixus, et nervorum conſenſum teſtem quoque in doris conſortium rapiens, adeoque retrahens, t in ſcroto vix apparuerit: dorſi quoque diffillima inflexio. Urina longo tempore prodierat mpida, tenuis, inque exigua quantitate, dolore ero ingraveſcente exibat copioſa ſatis, arenulis ruoreque immixto. Licet hæc ſatis diſtincte in enibus latitantem detegerent hoſtem, addidit tamen pondus conjecturæ decubitus in ægram partem ſemper dolorem demulcens, in adverſam vero exaſperans. Vacuandis è renibus heterogeneis intentus, & diureticis mitioribus, (quibus Parreira noſtra ſemper comes erat,) exhibitis, ſeptimeſtrem tandem, magnum & moleſtum hoſpitem, hoſpitio ſuo abſcondito extruſit medicamentorum efficacia, inque veſicam deturbavit. Hic exitum quærens, collum veſicæ occludendo, urinæ liberum intercepit tranſitum. Omnibus viribus eò contendi, ut quantocyus ex hoc quoque latibulo ejiceretur hoſtis, emollientibus, pinguibus, viasque lubricantibus porrectis, blandioribus Lithontripticis pariter immixtis, ſed ſine levamine & evidenti emolumento, cum urinæ vix tantum excreverit, quantum cochlear capere potis eſt. Tandem infuſo Acmellæ exhibito largior quidem profluere cœpit, mox calculo, in aquæductu foras à collo veſicæ protenſo, urethram vocant, pertinaciter hærente. Tandem infuſum Parreitæ bravæ rumpit claſtra,

- - - *molemque liquore reſolvit*
Caucaſeam, impulſu diſſilit illa ſuo:
Obſtructumque diu prono ruit impete flumen,
Et ſecum adverſæ fragmina rupis agit.

OBSERVATIO III.

CUidam renum quoque calculo laboranti, & tot jam remediis incaſſum aſſumptis, omnia lithontriptica renuenti & faſtidienti, radicis Parreiræ bravæ præconia canto; cumque novarum rerum mens humana ſemper ſit cupidiſſima, me tandem accedit, hocce pharmacum enixè efflagitans. Sumſit absque evidenti levamine aliquot doſes, tandem ruptis ex tenaci pituita & viſcido lentore repagulis urinæ ſtagnantis, arenularum ſtupenda prodit caterva, ſuperſtite in urethra remora titillante, quæ tandem cum impetu profluit, & vermes ſex exhibuit, millepedibus non diſſimiles, ſi magnitudinem exceperis; alii dein his ſuccedunt, materiæ, viſcidæ, pultaceæ, ceu genitrici vel nido innatantes, tandem & doloris in renum regione & titillationis ſenſus in urethra ceſſavit, ægroto vires hujus remedii Americani ad cœlum usque extollente. Subiit animum Medicorum regula: Anthelminticis ſemper dulcia eſſe admiſcenda, ut illorum blanditiis ineſcati vermiculi promtius hauriant internecionem ipſis ſtruens pharmacum; jam cum Parreira brava ſit dulcamara, quis non illam in vermibus exhibeat? Vere Manlius canit:

Per varios caſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam.

OBSERVATIO IV.

VIr juvenis biliosus & arthritidi vagæ ſæpius obnoxius, circa pubis regionem ponderis incuſat ſenſum, hoſtis inibi latentis feralem prodromum. Urinam fundit lacteam & turbidam, ſedi-

ſedimento mucoſo, viſcido, tenaci, gravidam, ut vix illam excernere poſſit, &, quod ſignum plane indubium hoſtis in inſidiis ſe occultantis, urina facilius redditur corpore ſupinato, quam erecto. Sociat ſe his malis Priapiſmus ipſi moleſtiſſimus, ſymptoma calculoſis familiare, quippe affectus libidinoſi lumbis renibusque paſſim in Scriptura Sacra adſcribuntur: feciſſe id ideo Spiritum Sanctum vir doctiſſimus in Phyſiologia opinatur, quia caleſcunt renes: renibus calefactis affluit major ſanguinis copia cum ad ipſos, tum ad partes genitales, unde his turgentibus prurientibusque ſubnaſcuntur cogitationes atque ſtimuli Venerei. Succedit pertinax alvi obſtructio. In ædibus meis conſilium petenti, calculum veſicæ ſymptomatum omnium cauſam eſſe dictito, & auxiliares ſpondeo manus, utinam θεῶν χεῖρας. Enemate aliquoties injecto ſuccedunt ſcybala, urina quoque citius & absque moleſtia profluente. Sumit ſingulis diebus Thée ſpecificum, ex ſpec. decoct. Nephrit Foreſt. à Zwelfer correct. Rad. Parreir. brav. Herb. Acmeli ſem. Nymph. &c. ſyrupo balſamico Conerdingii edulcoratum, cui infuſo inſtillat ſemper aliquot eſſentiæ Parreiræ bravæ Nitr. caſtoriſat. guttulas. Excrevit hinc arenularum copiam, calculi comminuti fruſtulis immixtis: tandem quoque hæc medicamina

Lapidem durum ſilicique obſtacula rumpunt,
Vix penetret tales Hannibal ipſe vias.

Convaluit ſic ager, ſumens ſingulis hebdomadibus aliquoties & Eſſentiam & Infuſum.

OBSERVATIO V.

VIr annorum quinquaginta, qui Baccho & Veneri ſtrenuè litaverat, viribus exhauſtis, effœtis ſpiritibus & appetitu plane dejecto, œdematoſis pedibus per aliquot temporis ſpatium jam obnoxius, Medicaſtri opem efflagitat, qui applicatione repellentium medicamentorum pedibus medendo id effecit, ut

- - - - ſuffuſa venter ab unda,
Secernens miſeriam proprio de viſcere pellem.

Hoc viſo exhorruit æger, & dum venienti occurrere morbo cupit, Medicaſtrum rurſus accerſit, quæque mala infauſto medendi molimine patraverit, oſtendit. Aureos in ægro reſtituendo Stimulorum ſeges pollicetur montes, nullumque plane ſubeſſe periculum ſpondet; illud Mimnermi ſcomma in Medicos rationales blaterando, & ægro occinendo:

Οἷα δὲ φιλοῦσιν οἱ ἰατροὶ λέγειν
τὰ φάυλα μείζω καὶ τὰ δεινὰ ὑπὲρ φόβον
πυνθάνεσθαι ἀνιεῖς.

(*Sicut Medici ſolent dicere leves affectus majores & graviores, quam timendum ſit, ut ſe ipſos extollant.*) Utinam linguis pendeat crumenimulgum hoc medicaſtrorum genus, in opimam tantum Proſerpinæ meſſem procreatum? Exhibet triſurcifer ſpiritum ſalis ad aquam intercutem ejiciendam, ventriculumque roborandum, ſpes & ægrum & fumivendulum Thraſonem fefellit. Crevit quippe indulgens ſibi dirus hydrops, ventre utris in modum elato, parteque illa, qua virum ſe olim præbuerat, in triplum monſtroſe ſic ſatis inflata, aqua ſub cute ad candelæ lumen quaſi limpida ſuffuſa: accedit anhelatio, ut animam vix vertere, pulmonibusque ſpiritum reciprocare poſſit: ingruit intenſiſſima ſitis,

Dumque ſitim ſedare cupit, ſitù altera creſcit.

Succedunt anxietates circa præcordia, ut ipſi cum Plauti Cappadoce in Caſinâ exclamandum ſit:

- - - - Pro metu ubi ſim, neſcio,
Perii, cor lienoſum opinor habeo, jamdudum ſalit.
De labore pectus tundit. - - - -
Radices cordis pereunt, Hiræ omnes dolent.

His anguſtiis exagitatus, per totum corpus ſudore diſſluens, adeo debilitatur, ut prope anima linqui videretur. In deſperato hoc rerum ſtatu, & in Orci faucibus ſic conſtitutæ ægro, (hæc enim peſſima apud noſtrates invaluit conſuetudo) de accerſendo legitimo naturæ miniſtro lectulo ægri adſtantes ineunt conſilium, & quoniam nemini obtrudi poterat, tandem ad me itur. Vocatus omnium quæ jam geſta fuerant, ignarus compareo, & triſtiſſimâ rerum facie probe perſpecta, peſſimum auguror, illud Senecæ recitando: Facilius eſt excludere pernicioſa quam regere, & non admittere, quam admiſſa moderari; nam cum ſe in poſſeſſione poſuerunt, potentiora rectore fiunt, nec recidi ſe minuive patiuntur. Ægri precibus tandem victus opem & operam promitto, modo ſe obſequentem præberet, de ejus enim intemperantia fama increbuerat. Ut brevibus me expediam, optimi Senis conſilio fretus: ἐρητικοῖσι καθαίρειν, λεπτύνειν καὶ ἀναπλύνειν: urinam cientibus purgare, attenuare & mollire oportet. Horum nihil omiſſum: hinc paucos intra dies exhibitis illis quæ quotidiano uſu jugi experientia ſalutaria fore judicaram, primo mentula, ſucceſſu temporis abdomen quoque detumeſcere cœpit, ſpirandi difficultate ſive ſuſpirio adhuc ſuperſtite; cui malo vinum ſcylla marina, mille pedibus & vincetoxici radice impræg natum in ſolatium ceſſit. Sitis ſola ſupererat non tam ex morbi pertinacia, quam ægri mala libidine dicam an conſuetudine? originem trahens. Hucusque illum multa invitum ſe facere & pati coëgeram, dum vero ſedandæ ſiti, me ad ravim usque reclamante & diſvadente, largius indulget, rurſus

Lympha interius vitio gliſcente turgeſcit.

Veriſſima ſic deprehendi Celſi noſtri, Ciceronis Medici, verba: *Facilius hydrops in ſervis quam in liberis tollitur, quia cum deſideret famem ſitim, mille alia tædia, longamque patienti am, promtius hîs ſuccurritur, qui facile coguntur, quam quibus*

quibus inutilis libertas est. Tam male in hunc ægrum collati officii pertæsus auxiliares ulterius manus denegassem, ni lacrymas inter & suspiria datis promissis de meliori quam adhuc obsequio, & consanguineorum precibus coactus & victus fuissem. Ne igitur in conclamatum inofficiosus viderer, iterum operi me accingo, nec tam feliciter, quam antea res cessit, incassum pluribus exhibitis, virium defectu medicamentorum exhibitorum vim eludente. Deposuit alvus quidem muci viscidissimi, spermatis ranarum non absimilis, copiam, sed absque evidenti levamine, urina vix ac ne vix quidem prodeunte. Frustratus igitur medicamentorum aliàs probatissimorum efficacia, alia agitavi consilia, & Essentiam Parreiræ bravæ cum spiritu Tartari Volatili paratam aliquoties exhibens,

Hæc tulit instantem Numinis instar opem,

ejusque continuato usu obtinui tandem, ut intra diei naturalis spatium ultra sex seri limpidissimi profluxerint mensuræ. Hinc moles aqualiculi imminui quotidie cœpit; ne autem identidem tumor rediret, ventremque nova colluvies rursus ampliaret, jussi, ut Essentiam Parreiræ bravæ repeteret, cui adjunxi Essentiam Absinthii compositam, Zwelferi extracto Trochiscorum Alhandali & *Elaterii*, *ex consilio Excell. Listeri*, imprægnatam: quorum medicamentorum frequentiori usu, & assumpta aliquoties radice *Parreiræ in substantia ad drachmam semis*, promota seri per urinam & alvum excretione, brevi ex voto negotium confectum, mortique jam à pluribus adjudicatus æger ereptus est. Confirmat hanc observationem effatum Clar. Pisonis Libr. II. de Medecin. Brasilienſ. c. 9. de Hydrope p. m. 26. Edit. I. *Non raro contigit, ut sola radice diuretica Caapeba, ex vino vel aqua Paraybensi subinde ægro propinata, latex intercus eductus fuerit.* Sic Medici sæpius *Martiali* teste:

\- - - - *mitibus herbis*
Parcarum exorant pensa, brevesque colos.

OBSERVATIO VI.

VIrgo ætatis anno decimo septimo ardore ingenti corripitur posticè in eo, quod ab extremis costis ad coxendicem extenditur spatio, dolore ad primam lumborum vertebram accedente gravativo, mensibus simul cessantibus. Ægræ mater fatidicam accersens anum, trivenefica, hoc responsi fert, mensium intercepti-onem mali esse fomitem; hinc emmenagogis fortioribus, in quarum classe quoque Oleum Sabinæ destillatum erat, exhibitis, malum in tantum auctum, ut ardor & dolor gravativus inlies creverit, accedente sæpius horrore febrique sub noctem redeunte. Malo sic indies ingravescente, respuunt trifecurria ulteriora maleficiatæ medicastræ mœstissimi Parentes, saniora expetentes consilia. Vocatus, phlegmonem renum subesse & hecticæ febri proximam judicavi virginem: hinc calidissima illa medicamina emenagoga devotando, febrili calori expugnando intentus, id effeci, ut febris quidem remitteret, superstite tamen ardore & dolore in lumbis gravativo, licet absque insigni molestia. Averruncandis his quoque malis aptissimum credidi remedium *infusum Parreiræ bravæ*, Balsamo saccharo Copaybæ imprægnatum. Nec spem felix destituit successus, cum continuato infusi hujus usu & ardor & gravativus dolor fuerit extinctus.

OBSERVATIO VII.

NObilis Fœmina ætatis & constitutionis vegetæ, mensibus vix ac ne vix quidem fluentibus, post longiorem nauseam, & ab omnibus assumptis excitatam cardialgiam, ob humores crassos, viscidos, spiculis salinis acribus imprægnatos, in orificio ventriculi hærentes, fibillasque nerveas vellicantes, incidit tandem in Leucophlegmatiam. Roseus genarum color in pallidum vergit, livent labia, turgidula cutis ubique à pituita albescit, &, ut *Plauti* verbis loquar, in Menæchm.

\- - - *viridis exoritur color*
Ex temporibus atque fronte, oculi herbei.

His malis se aliud associat malum: renales enim glandulæ, harumque canaliculi, à coagulo quodam viscido tenacique obstruuntur, hinc secundum Hippocratem χεσι μόλις προέρχεται ὑπὸ φλεγμασίης καὶ παχύτητος τὴ ὑρῆ, *Urina vix procedit ob ardorem aut crassitiem seri*; sine tumore tamen in pubis regione, sine dolore tensivo, quæ omnia Ischuriam vesicalem comitari solent: hinc de renali certior, quam gravativus in lumbis dolor magis magisque prodidit, anticachecticis & blandioribus emmenagogis & diureticis, quæ quotidianus usus, magister rerum, his in morbis suppeditare solet, malo obviam itur. Nempe ex *Senecæ* consilio: *Medicus primo in morbis tentat non multum ex quotidiana consuetudine deflectere: si modus & ordo non proficit & frustra molliora cesserunt, dum dura videtur curatio nulla, cujus salutaris effectus.* Usitatis igitur medicaminibus irrito conatu exhibitis, malo indies accrescente, pessimaque minitante, fortiora Lithontriptica ægræ exhibentur. Ex assumpta Tinctura nephritica Amelungi alias sæpius levamen senserat, hinc quoque iteratis nunc vicibus porrigitur, sine ulla tamen lotii secretione. Quinto jam die durantis suppressionis urinæ Tinctura nephritica Dn. D. Hiarnæ, spiritui Acmellæ maritata, movebat quidem, non tamen promovebat saburram, usque dum *radix Parreira brava ad drachmæ pondus* porrecta, fundendo materiam viscidam, glutinosam, renibus impactam, & per urinarias

vias reſeratas eliminando, hoſtem abegit; quippe

- - fluminea labitur ille fuga,
Et multos prono ſecum vehit agmina ſucco,
Horrida quæ ſalſis monſtra feruntur aquis.

& ſic præcipuum morbi aufertur. Ut proficientibus his medicamentis inſtarent per aliquot tempus ſuadeo, cum nihil æque reſurgentem ſanitatem impediat, quam remediorum crebra mutatio. Detumuit cum debito urinæ profluvio cutis, ſuppreſſione menſium ſuperſtite, quibus promovendis *Extractum meum Myrrha balſamicum, extr. Cort. Winteran.* mixtum, mira præſtitit. Convaluit ſic ex hoc morbo, per aliquot ſeptimanarum ſpatium tempora ſatis commodè tranſigendo,

& paulatim roſeum depinxit gratia vultum;

ſed viruit ex inſidiis novus hoſtis Febris maligna, exanthematibus & virum proſtratione ſumma aliisque diris ſymptomatibus. Ab ægra vocatus triſtia ſtatim cano auguria, quippe ex Quintiliani effato: *gravius ægrotant ii, qui cum levati morbo videntur, in alium de integro inciderunt: viribus nempe ex priori morbo nimium exhauſtis*, humoribusque quaſi ex ſpirituum defectu vappeſcentibus. Omnia debellandæ malignitati porriguntur remedia, nullis ſparcitur ſumptibus, ſed vana conamina, cum Parca non decrevit parcere; eluſit enim medicaminum inclementia fati, hæc enim ſi ingruit, tunc teſte *Euripide in Alceſt.*

- - εὐδέ τι φάρμακον
Θρέσσας ἐν σανίσι, τὰς
Ὀρφέα κατέγραψε
Γῆρυς ἐνδ' ὅσα Φοίβος
Κεκληκὰς δαίσιν παρέδωκε
Φάρμακα πολυπόνοις
Κνιτισμὸν βροτοῖσι.

quæ Grotius eleganter vertit:

Nil contra medicamina
Proſunt, quæ Rhodopæum
Inſcripſit tabulis ſagax
Facundi manus Orphei.
Nil contra auxilii ferunt
Herbæ, quas docuit ſuum
Phœbi cura Machaonem,
Germanumque Machaonis,
Humanum miſerans genus.

OBSERVATIO VIII.

Fœmina triginta annorum in cachexiam prona fluore albo defatigatur, menſibus per anni dimidium jam ſuppreſſis. Varia à variis, antequam accerſitus fuiſſem, exhibita, vel paululum, vel planè nihil attulere ſolatii. Memor uxoris Boërhi, quam morbo hoc decumbentem laborantemque per blandiora feliciſſimus noſter reſtituit Pergamenus Libr. de Præcognit. ad Poſthum. c. 8. *Eſſentiam quoque Parreiræ bravæ Tartariſatam & Pilulas ex Extracto Myrrhæ Balſamico noſtro & Extr. Cort. Winterani*, porrigo, quæ medicamenta actimoniam demulcendo, corrigendo, incidendo, aperiendo, attenuando ſuſtulerunt album fluorem, & menſtruum reſtituerunt, haud diſpari cum Boërhi Uxore eventu, impari licet ſoſtro, quippe ob valetudinem Uxori redditam Boërhus Galeno quadringentos miſit aureos, ego tot obolos vix obtinui, nec deſideravi etiam; ad auctoritatem enim Medici confert bona voluntate ad fideliter curandum ferri potius, quam obligari auctoramento ſervitutis. Imo ſatius eſt debendi reos habere Reges, quam avaritiæ de ſe ſuſpicionem præbere. Quin potius quam diffidendo de ſanatorum gratitudine amittat opinionem virtutis, malit fidendo decipi, & opis opumque jacturam facere. *Hinc Patroni Medicorum St. Coſmus & Damianus, ſancti ἀνάργυροι.*

DN. D. MICH. FRID. LOCHNERI,

Mantiſſa ad Schediaſma de Parreira brava.

POſtquam in ultimo Ephemeridum tomo levidenſe de Parreira brava exhibui ſchediaſma, totus in eo fui, quicquid ejus ulteriori dilucidationi inſerviret, colligerem, firmandæqua ſententiæ meæ, Caapebæ fœtum eſſe, exponerem. Vana per longum temporis ſpatium ſpe deluſus, tandemque certior factus, Cl. Gothofredum Parreiræ bravæ examen Academiæ Regiæ Pariſinæ juſſu ſuſcepiſſe, vix ſcribi poteſt, quanto deſiderio flagrarim librum, in quo Hiſtoria Actaque hujus Academiæ continentur, inſpiciendi. Nec enim mihi intermortua Illuſtriſſimæ Societatis hujus memoriâ, ad quam ante triginta, & quot excurrit annos, dum Lutetiæ degerem, cum amiciſſimo tunc, nunc beatiſſimo Eiſenſchmidio, Argentoratenſium Archimede, mihi tam felici eſſe licuit, ut Excell. Hombergio parario, quod grata ſemper mente recolo, facilis patuerit acceſſus aditusque: licet non tantam tunc gloriam, quantam nunc, Regia ſuffragante gratia munificentiaque, acquiſiverit. Erecta quippe jam Anno 1666. Regiæ quaſi Anglicanæ An. 1663. fundatæ æmula, maximum tamen incrementum Anno 1699. poſt Riswycenſem Pacem ſtabilitam cepit, quo Regio juſſu ab Eminentiſſimo Franciæ nunc Cancellario Dn. de Ponchartrain, cui curam hanc Gallorum demandavit Monarcha, aucta legibus, ſtipendiis ditata, in meliorem ordinem redacta, noviterque quaſi reſtituta, operam præcipuam conferente ac commodante Illuſtriſſimo Academiæ Præſide Dn. Bignono, Abbate S. Quintini Conſiſtoriano Comite, cujus Avunculus Magnus Franciæ Cancellarius, quæ fuſius recenſita leguntur in libro à Dn. Fontenelle Gallicè inſcripto: l'Hiſtoire du Renouvellemen

c

de l'Academie Royale des Sciences ann. MDCXCIX.

Nec hic substitit favor Regius, sed eo devenit, ut conventus locum Academiæ concesserit in Regia Luparæ, stupendo illo opere, quod

-- inceptum à Proavis imperfectumque relictum,
Pacatis LUDOVICUS agens placida otia rebus,
Tantum opus absolvet molemque æquabit Olympo.

Academiæ equidem hujus Regiæ laudibus numerandisque imparem me esse profiteor: neque enim quisquam, si vel maxime omnes plagas lustraverit, à Gadibus usque Auroram & Gangem, juncta Anglicana Societate Regia, doctiores consessus inveniet, aut qui majori cum gloria dignitatem suam, innumeris variæ eruditionis & naturalis scientiæ documentis editis, tutati sint, ut non immerito inter Academias recenseri possint

Præcipuas, quas Phœbus habet, quas præ omnibus ultro
Spreto Helicone novemque colunt sua cura Sorores.

In venerandæ hujus Academiæ Actis Ann. X. pag. 78. Edit. Belgicæ, ut ad rem ipsam me convertam, Excell. Gothofredus, cujus Botanica varia observata, his in Actis hinc inde recensita, omne punctum ferunt, examen quoque Parreiræ bravæ ex Academiæ edicto instituit, ex quo nonnulla ad supplendum de hac radice schediasma nostrum, pace Viri hujus doctissimi licebit depromere.

Inventionis gloriam cum Illustriss. Dn. Amelotio communem habere asserit Dn. Roüillard, ejus in Legatione Lusitanica Successorem, qui primitus Galliæ radicem hanc intulerunt, majori digniores laude Nicotio, qui Peto, pariter è Lusitania allato, Galliam ditavit, hancque plantam ab ejus nomine nobilitavit.

Quod ad cognomen radicis *Botou* sive *Botova* attinet, vel, ut ab aliis effertur, *Botjam*, nominis sono delinitus Dn. Gothofredus, eandem quam *Butua* vel *Brutua* Jacobi Zanoni esse asserit. Cui pollicem premit Dn. Joh. Baptist. Chomel. dans l'Abrege de l'Histoire des Plantes usuelles, in 12mo Parisiis edit. p. 192. 193. qui Butuam sive Brutuam Zanoni in Istor. Botanic. A. 1675. Bonon. Italic. edit. pag. 59. & *Ambutua* lignum, Tab. XXI. delineatum, & Parreiram bravam matrem agnoscere eandem credit.

Fateor equidem me, simulac nominis Botuæ vel Botjam notitia mihi facta, Zanoni probe inspexisse opus, cumque quoad omnia ab arbore, lignoque ac radice, illic descriptis, Parreiram nostram differre cernerem, nullam plane in schediasmate rei hujus injecisse mentionem. Perlecta autem Cl. Gothofredi Chomeliique sententia, accuratius licet Zanoni descriptionem *Butuæ* vel *Brutuæ Ambutuæque* perpendens, non tamen menti meæ imperare potui, ut huic subscriberem hypothesi. Ne vero mihi soli sapere videar, haud inconsultum duxi ipsissimam Zanoni delineationem B.L. exhibere, ejusque æque cognitioni judicioque rem omnem relinquere. Audiamus quid

-- hic Mystes Naturæ arcana Parentis
E latebris dias in luminis eruit oras.

Producam autem locum Latiali toga indutum: *Butua* sive *Brutua in regione Monzambique Indiæ Orientalis nascitur, planta revera inter rarissimas recensenda, nec, quantum scio, apud alios recensita; & mihi quoque nulla ejus notitia suppetit, quamvis* [illegible]*iis prædita virtutibus, quæ exponuntur in Manuscriptis Rev. P. Matthæi. Arbor est, quæ in divaricatis radicibus, facta transversim sectione, Solis exhibet imaginem, id quod figura expressa exhibet. Persuasus sum nemini hoc legenti incredibile fore, arborem hac gaudere qualitate, cum & in nostro climate, simili signatura, licet non tam accurate expressa, repertu detur, aliis innascens arboribus, viscus quernus dictus, è quo præter usum Medicum, in officinis Pharmaceuticis quotidie obvium, coronæ vulgo precariæ dictæ adornantur, nomine coronarum è ligno Solis factarum cognitæ.*

In Museo meo lignum quoddam nomine Ambutæ asservatur, nominis sono ab hactenus descripto parum vel nihil, uti judico, discrepans. Lignum formæ rotundæ, sed imperfectæ est, cortice subtili, coloris castanei obscurioris, tectum, quo detracto lignum per longitudinem striatum apparet, carnei coloris & argentei, ob lineas quasdam intersecantes sibi conjunctas, facile tamen separabiles, visuique gratissimas. E variis componitur tunicis, totidem quasi cannas exhibentibus, quarum una alteri superimposita, initium è medulla sumentes, quam secunda ambit, hanc tertia & successive aliæ, secundum ligni crassitiem. Lignum dissectum in meditullio varios exhibet fibrarum flexus, sive elegantem texturam, telis aranearum, quæ in domibus & palatiis majoribus reperiuntur, non absimilibus, ut è figura æri incisa elucet. Et hoc forte lignum erit arboris superius descriptæ, quippe cum hæc in radice Solis figuram repræsentet, haud difficulter quis colliget in arborum ramis alteram, non valde diversam figuram, reperiri, præcipue cum eodem ferme nomine gaudeat. Hoc ligno, si fides, qui illud mihi attulit, Rev. nempe P. Johanni Antonio Montecuculi, è Capucinorum ordine, sæpius in hoc opere à nobis laudato, habenda, Indi utuntur ad resolvenda maturandaque apostemata interna, & temperandam sanguinis acrimoniam, quod in substantia in aquæ vehiculo exhibetur: impastatur pariter cum lacte & apostematibus externis applicatur. Masticatum saporis est amari, juncta quadam acrimonia.

Apud eundem Zanonum nel Pendice, sive Appendice, ex Schedis R. Patr. Matthæi supra allegatis pag. 209. hæc referuntur: *Reperitur in*

Moſambick arbor vocata Brutua, cujus radix eſt magnæ æſtimationis, (corticem habens ſubnigro colore, intus vero ſubalbo) quibusdam circulis ſeu partibus veluti muſculis compacta, & gravis eſt, non levis, cujus virtus mirabilis eſt ad apoſtemata reſolvenda, ſi tantillum de ea in potu ſumatur. Putant quod hæc radix ſit illa, quæ vocatur RANGAIRE, vulgo MANIKAL, magni pretii & virtutis.

Abſit, ut his à Zanono relatis ſubſcribam, & Parreiram bravam ac Butuam, Brutuam Ambutuamque unam pronuntiem eandemque. Quicunque rem ſagaciter inveſtigabit, & preſſius comparationem inſtituet, mecum reputabit toto cælo differre. Nolo equidem de Pattia movere litem: Butuæ enim Zanonus Moſambique eſſe aſſerit, Africæ ſecundum R. P. Maffeium Hiſt. Indic. Libr. III. tractum, olim *Praſium Promontorium* nominatum, cum ad unum omnes, qui Parreiræ bravæ hactenus meminere, Americanæ originis pronuncient. Plurimum pro me militat maxima, quæ binas plantas intercedit, diſcrepantia ſtructuræque diverſitas, quæ cauſa eſt, ut Butuam ſive Brutuam & Ambutæ lignum Lectoris oculis exponere decreverim, triſin illius expectaturus, an cum Parreira brava ullo modo conveniat. Arbor eſt Brutua ſive Butua: Parreiræ autem nomen ipſum vitis vel ſcanſilis plantæ progeniem facit. Nec cannulatæ Ambutuæ compagem in radice Parreiræ, nec Butuæ radicis Solis æmulam imaginem, nec aranearum telis ſimile textile unquam quis deprehendit. Certe vocis Buto vel Butuæ, Botjam & Butuam ſono allecti Viri Clariſſimi, ad Zanoni Butuam converſi ſunt. An felici omine, penes Lectorem ſit arbitrium.

Ad nominis *Botnam* vel *Botjam* aliam, & Parreiræ convenientiorem & propriorem originem, nos conjectura ducit, ſi illi locus ſuperreſſet. *Buto* vel *Budo* in Sinenſi, vel potius Japonica lingua, vitem viniferam denotat, *jam* vel *jama* autem ſylveſtrem, ut *Budojama*, & contracte *Butjam*, ſit ejusdem plane ſignificationis ac Parreira brava, à qua voce corrupte Butnam, Butua nata videtur, Sed hæc omnia exinde fluunt, quod non conſtiterit Parreiræ natales in Caapeba eſſe quærendas, quod à nobis in ſchediaſmate fuſius demonſtratum.

Sed pertinent hæc ad illa, de quibus Hiſtoria Academiæ Pariſinæ: *Ces ſortes des doutes ſavans ſont plus propres a faire honneur a celuy, qui les propoſé, qu'a inſtruire ceux, a qui ſont propoſé.* Ad utilia calamum convertimus. Quæ de duplici radicis Parreiræ ſpeciè habet, attentionem merentur. Sic enim Acta: *Vidit Dn. Gothofredus binas Parreiræ bravæ ſpecies, ſi modo colorum differentia ſola ad duas ſpecies diſpeſcendas ſufficit. Prima & quidem maximi uſus, externe bruni coloris eſt, interne autem bruni flaveſcentis. Secunda ſpecies externe albicat, interne ad flavum citreum colorem accedit. Hæc ipſa adhuc recens carnei coloris eſt, & ſucceſſu temporis pallet. Ambæ ſunt ſubſtantiæ duræ, poroſæ tamen & ſpongioſæ. Guſtu gaudent amaro levidenſi, immixta aliquali dulcedine, liquiritiæ æmula. Craſſitiem ſapius pollicis habent.*

Si, quæ ſentimus, nobis libere pronunciare licet, in binis his ſpeciebus *Rajz de noſſa Senhora* & *Parreira brava* confunduntur, id quod è vitibus in fine annexis pariter patet. Nec mirum: cum jam Piſonis tempore pro diverſis habitæ, licet Caapebam unam matrem agnoſcant, nec aliter quam ætate indeque dependente magnitudine fibrarumque duritie & colore diſcrepent.

Sed miſſis his, viribus medicis intentus, in ſupplementum ſchediaſmatis noſtri Cl. Gothofredo conſentiens, Parreiram noſtram plantis utiliſſimis accenſendam reor, eamque in colica vulgo dicta nephritica vix fallere, id quod experientia edoctus confirmare poſſum, & ex tot clinicis obſervationibus unica hac fulcio:

Vir mediæ ætatis, (quæ alias *tutiſſima* dicitur, utpote quæ neque ſenectutis frigore infeſtatur, ſecundum Celſum noſtrum l. 2. c. 1.) corripitur doloribus ſupra renes acutiſſimis, hinc inde vagantibus & per omnem inteſtinorum circuitum aberrantibus, inque pectinem declinantibus. Renum quartum morbum judicavi, à divino Coo noſtro deſcriptum. Aſſociavit ſe huic malo Stranguria, ſtillans cum dolore urina, ſive, ut Vegetius Libr. III. Art. Veterin. cap. XV. exprimit: Veſicæ indignatio, qua mingere quis non poteſt, crura flectuntur, & venter ad terram demittitur. Accuſat æger Pepones aliquot immodice aſſumptas, alimentum φυσῶδες καὶ δυσπεπτον στομάχῳ, *flatuoſum & inconveniens ventriculo.* Alvus ſuperveniens adſtricta cumulavit malum; iteratis tamen clyſteribus ſollicitata ſcybala educit, tantumque flatuum clariſonorum per inferius guttur ſe præcipitantium numerum, ut illud Divi Hipponenſium Anriſtitis de Civit. D. in memoriam revocaverit, ſcribentis: *nonnulli ab imo ſine pudore ita numeroſos ſonitus edunt, ut ex illa etiam parte cantare videantur.*

Alvo ſic apertæ ſucceſſit pariter Urinæ fluxus, ſuperſtite tamen in renibus dolore extrorſum vergente, non amplius vago, ſed fixo. Colicam hanc Nephriticam judicans, Parreiram bravam exhibui, tanquam hujus mali ſpecificum, è Clar. Helvetii mente, remedium, & quidem in Pulvere, Elæoſacchato Cort. ☉ mixto: in Infuſo Acmellæ ſumebat Eſſent. Parreir. brav. ℈ſ. Continuato horum medicaminum uſu profluit urina vulgo pultacea, ſive urinæ craſſæ cum contento albo viſcido tenaci matulæ adhærente, excretio. Per alvum cum ſcybalis & flatibus ſeceſſit mucus gelatinoſus, tremulus, bile tinctus, borborygmorum ſi non mater ac materia, certe retinaculum: quibus per octiduum

duum fluentibus, & causa illa morbifica sublata malum quoque cessavit.

Jungam huic flatulento affectui è Diario meo Clinico flatulentiorem: Quinquaginta annorum fœmina, paroxysmis hypochondriaco-hystericis sæpius excruciata, tandem incurrente in sensus tumore abdominis duro, renitente, instarque tympani, cum percutitur, sonum edente affligitur, illoque morbo afficitur, qui à Nicandro Alexipharm. ὑδρωψ τυμπανίτης dicitur. Comitantur malum pectoris anxietates, ex diaphragmate ejus cavitatem coarctante, succedit tandem tensio cordis, lypothymiæ causa. Sicca & exsucca hinc lingua à ductibus salivalibus visciditate obstructis, insomnes ob inquietudinem noctes: appetitus prostratus & fere nullus, pulsus justo celerior, debilis tamen, calor depascens & pene marasmodes: crura neque tumida, nedum œdematosa. Urinæ parcior excretio, & eo ipso, dum emittitur, ob præclusam à viscida materia viam supprimitur ad momentum, mox tamen guttatim redditur. Alvus nonnisi sollicitata respondet, absque flatibus tamen, ideoque fine levamine. Φαινόμενα hæc ὑδρώτα ξηρὰ Hippocratis ostendebant, curatu difficillimum affectum, Hecticæ in hac ægra proximum. Vocatus ad hanc male affectam, tristia auguria canens, dimisissem illam Divi Coi nostri dictis obediens, qui vetat desperatis adhibere medicinam. Exhibui tamen, ut flatus intra abdomen incarceratos, illudque elatere suo renitente tympani instar distendentes, propellerem abigeremque, carminativa varia, sed temperata, cum volatilia sulphurea, plusquam Æolia rarefaciendi virtute, malum adaugeant potius, quam tollant, suffocationis metum inducendo. Sed per tres septimanas irritus labor, &, ut in proverbio est, ventis loquor; ægraque succubuisset, ni emollientibus clysteribus, & tandem è tabaci fumo per machinas illas fumiductorias, à Cl. Stissero suppeditatas, immissis, dolores ægre vix ferendos mitigassem. Nec mirum difficilem hoc malum admittere curam, cum pituita illa, quam vitream quibusdam appellare libuit, ob ramosum particularum contextum & glutinositatem, difficulter eradicari queat, eo magis productæ ex ea vesiculæ, magis utpote condensatæ ac indurate & quasi membranosam indutæ naturam, medicamentorum operationi resistunt, uti optime monuit Illustris Academiæ nostræ Nat. Curios. Præses Ephem. Dec. II. Ann. I. observ. 1. Jam vero cum ad pituitam illam vitream albuminique similem averruncandam specificam vim possideat Parreira nostra in Infuso & pulvere aliquoties exhibita, perrupta tandem viscidæ glutinositatis porta ruit flatuum inclusa caterva, & pedit deciesque viciesque, ut cum Martiali loquar. Succedit his non sine manifesto frigoris sensu congeries materiei succulentæ, conglutinatæ, viscidissimæ, tenaciter cohærentis, spermati ranarum similis, mephitim exhalantis. His eliminatis è corpore redeunt halcyonia, ægraque restituta dictum confirmavit: ægrotæ dum anima, spes est.

Quale in Renum vesicæque morbis solamen impertiatur hæc radix, cum Cl. Gothofredo aliisque in Schediasmate uberrime demonstravimus. Remedium hoc eo exoptatius, quo crebrius nunc quam olim, nescio quo fato, calculi doloribus homines affecti afflictique. Causam si non veram, Poëticam tamen & elegantem suggerit Vates:

Deucalion post terga mares, ac Pyrrha puellas
Jactavit, durum nos genus inde sumus.
Nec mirum, scateant si viscera nostra lapillis,
Plurimus & lateat ventre rigente silex.

In Asthmate, ubi tenerrima pulmonum vesiculosaque substantia, partim quoad fistulas tracheales, partim quoad vesiculas aëre replendas, ab humore tenaci viscido glutinoso angustatur, pabulumque hinc nitro aëreum excluditur, & ut Poëta canit:

- - - Corda occlusis pulmonibus occupat humor,
Aëriosque aditus vis inimica tenet.

Parreira nostra, dum coagulum illud tenax, vesiculas pulmonales fistulasque tracheales infarciens, resolvit, incidit, expectorationem promovet: hocque ipso liberiorem aëri ad pulmones aditum parat, exoptatissimi certe ant-asthmatici remedii vices supplet; tunc enim

Vitali zephyro mulcentur pectoris æstus,
Miteſcitque tuus, torrida Zona, calor.

Singulares has in spirandi difficultate virtutes radicis nostræ per literas humanissimas mihi prædicavit Illustr. Argentoratensium Archiater Dn. D. Henninger, id quod sequenti Cl. Gothofredi pariter firmabimus observatione:

Senex LXXII. annorum summe debilis & suffocationi ob pituitam tenaciter pulmonibus inhærentem proximus, cum duo Infusi Parreiræ bravæ plena vascula post horæ dimidium successive exhausisset, tantam hinc muci albuminosi pituitæque viscidissimæ copiam vomiturienti similis rejecit, à paroxysmo asthmatico sic feliciter liberatus.

Nec ab asthmate separabimus, quam Vir Clarissimus de morbo arquato Celsi junxit observationem. Fœmina violentis colicæ & acutissimis sub hepatis regione doloribus excruciata, totius corporis icteritia obruitur, ut & lintea urinæ crassiori injecta croceo colore tincta fuerint. Clysterum ope educta pauca & albicantia excrementa. Post Venæsectiones in brachio & pede institutas, Cl. Gothofredus ægre imperat, ut tria infusi Parreiræ bravæ plena vascula successive intra dimidiæ horulæ spatium sumat. Brevi post tertium vasculum assumtum dolor remittit, alvus solvitur & materiem intense flavam fundit. Urina co-

pioſe minusque turbide fluit. Continuato per ſingulas quatuor horas Parreiræ bravæ doſeos uſu luteus corporis habitus penitus evaneſcit, & ſpatio viginti quatuor horarum in integrum ægra reſtituitur. Aliquoties abhinc colicis inſultibus afflicta hoc iterum quærens remedium, priſtinum ſolamen iterum obtinet.

Sic morſus quoque venenatorum animalium huic obediunt radici, inprimis ejus uſu

- - - ſerpentes poterant non eſſe nocentes,
Et non eſſe nocens Africa Terra poteſt.

Jungit Cl. Gothofredus huic alexiteriæ contra venenata animalia virtuti vires haud contemnendas Parreiræ bravæ in Angina, Dyſenteria aliisque affectibus, quibus Febres junctæ, inprimis autem in febribus malignis. Sed cum hæc omnia potius ad Radicem vulgo Rayz de noſſa Senhora, & ob ſpecificam contra ſerpentes vim Cipo de Cobra vocatam, pertineant, de qua plura cum Deo & die ſuppeditabimus, mantiſſæ loco hæc de Parreira brava ſcripſiſſe licebit.

XLIX.

MUNGOS ANIMALCULUM ET RADIX,

DESCRIPTA

à

DN. MICH. FRID. LOCHNERO,

S. CÆS. MAJEST. ARCHIATRO EJUSQUE PERSONÆ IMPERIALIS MEDICO, S.R.I. NOBILI, AULÆ CÆSAREÆ PALATIIQUE LATERANENS. ET CONSISTORII IMPERIALIS COMITE, ACADEMIÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NAT. CURIOS. EPHEMERIDUM DIRECTORE, REIPUBL. NORIBERG. MEDICO SENIORE.

INter myriades calamitatum, quarum gravitate tarditatem ſuppliciorum luxuriæ noſtræ compenſare ſolet lento quidem gradu ad vindictam procedens, ira Divinæ Majeſtatis, (quippe, Seneca teſte,

Solet Ira certis Numinum oſtendi notis:)

Purpura quædam maligna in Urbe hac noſtra patria hactenus graſſari cœpit, ad eum tandem provecta malignitatis gradum, ut à Lue illa, quam πυρφόρον Θεὸν vocavit Sophocles in Oedipo, ſymptomatum diritate & truculentia vix differat.

Hoc malum non adeo ſenſere, nec adhuc ſentiunt ſervitia & ſine nomine vulgus, ſed potius quibus largæ ſuppetunt facultates, & propitiore fortuna opes pro voto affluunt: non cadaveroſi ſenes aut decrepitæ aniculæ, ſed potiſſimum è ſequiori ſexu puerperæ, in florentiſſima ætate conſtitutæ, virginesque μιλανδίαι, ut eas Athenæus Dipnoſ. Libr. IV. nominat, nominisque rationem exponit ejusdem eruditiſſimus Commentator,

Cui caſa dat nomen bona, quæ caſa continet omnes
Cum Phœbo Muſas, totumque Helicona,

Animadverſ. in Ath. p. 194. ſcilicet, quæ ſunt annis plenæ maturitatis, & ad patiendum geſtientes, ut facete nequitiarum diſertus Arbiter Petronius in Satyra jocatur.

Cum ex parte contraria ſexus virilis infrequentius hoc malo infeſtetur, aut ſuccumbat, ſuccubuere tamen, quos inter Collega deſideratiſſimus Wurſbeinius Junior, qui pro ſalute ægrorum purpuræ amoliendæ vitam ipſam mancipavit, & ante Parentem, nunc cælitibus pariter adſcriptum, defloruit, a morte ſua illud Ovidianum Met. l. 7. fab. 2 confirmavit, in

- - - - ipſos ſæva Medentes
Erumpit clades, obſuntque auctoribus artes.

Eſt tamen utplurimum malum καλλιβόλα quod præ ſe ſæpius levamentum fert, ſed interius malignitatem occultat, ut Palladius Sophiſt. notat, in 6. Epidem. comm. 15. hocque ipſo lui non diſſimilis Atticæ, cujus Thucydides meminit, & quam eruditiſſimo commentario illuſtravit Cl. Fab. Paulinus: κρεῖσσον λοιμὸν τὸ ἀδηλον τῆς νόσου, τοῦτ' ἄλλῳ καλλιβόλᾳ ἢ κατὰ τὴν θρασυλίαν φύσιν, *genus morbi majus, quam ratione comprehendi, & in aliis rebus acerbius, quam humana natura ſuſtineri poſſit.*

Ap-

Apparet enim in principio quieta lues, tacitoque progreſſu incrementa paſſim accipit, raro ſymptomatibus validis ſtatim affligit, ut ægrotos ſæpius, medentes, adſtantesque decipiat. In inſidiis quippe occulta latet, & è Medici ſi non incuria, mora tamen levidenſi, novis acturum aucta viribus, vires acquirit, ut immania atque vitæ noſtræ infenſiſſima ſymptomata prodeant,

Qualia non Capaneus, non audax Amphiaraus
Sperneret, in verſo nec Mænas torva corymbo:

quæ curandi peritiæ obicem ponunt, eamque intervertunt, imo ægrum proh! dolor peſſundant, inque cenſum Libitinæ referunt.

Abſtineo ab ulteriori mali hujus delineatione, in aliam differenda occaſionem: nec diſquiro anxie, an priſcis plane ignotum fuerit, vel Patrum noſtrorum memoria demum cognitum? cum Hippocratis noſtri, è Celſi elogio, omnis Medicinæ Parentis, τρηχίσματα, aſpretudines miliaceæ, ac ἐξανθήματα οἷα τὰ τῶν κυνάπων δήγματα, & rubra illa ἐπαναθέσματα, ab illo deſcripta, ſatis evincant, vetuſtioribus Medicis artisque noſtræ Principibus innotuiſſe; ſed &, quod in aliis morbis fieri aſſolet, aliquando deſiiſſe ſeque ſubduxiſſe, longa vero annorum peracta ſerie rurſus productum fuiſſe, ut quod de Siphilide immortalis gloriæ Fracaſtorius canit, huic quoque Purpuræ applicare liceat:

Non ſemel in terris viſam, ſed ſæpe fuiſſe
Dicendum eſt, quamvis nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit. Quoniam longæva vetuſtas
Cuncta ſitu involvens, & res & nomina delet,
Nec monumenta Patrum ſeri videre nepotes.

Sic Ebn. Sinæ tempore malum hoc recruduiſſe videtur, ſub nomine *Bothor* expreſſum: nec *Tabardillo* Hiſpanorum, cujus Valleſius meminit, à purpura hac noſtra multum differre credo.

Hoc certiſſime affirmare auſim, circa pracos meæ initia ante triginta pæne annos, dilectiſſimæ noſtræ patriæ hanc Purpuræ ſpeciem plane fuiſſe incognitam, utpote quæ petechiabus Hungaricis, olim malignitate quoque inſenſiſſimis, ſucceſſerit. Lipſienſibus nomine Purpuræ Puerperarum, *des Frieſels*, notiſſima, ab illisque peculiaribus diſſertationibus deſcripta.

Quamprimum hic morbus noſtris innotuit, edes vix ullas præteriit, ſine omni malignitatis nota, ut ſimulata lenitate expers gravioris mali videretur; ſequentibus annis ratior quidem, malignior tamen apparuit, ut quos nunc arriſit, plerosque, non tamen omnes,

Auferat atra dies & funere mergat acerbo.

Hinc vana utplurimum & irrita Medicorum in hoc conamina, ut inefficacia deprehendamus remedia, quæ effectus alias ſuos (ut Soldurii milites apud Cæſar. Libr. III. Comment. de Bell. Gall.) nobis probarunt, adeoque

- - - muſſet tacito Medicina dolore.

Viſum nonnullis, hanc purpuratum tragicam malignitatem & lethalitatem à viſceris, vel partis etiam ſolidæ, inflammatione ducere ortum, id quod Anatome practica confirmat; neque abſolute id negandum: cum tamen ſola ſanguinis omnimoda corruptio & ſeri acrimonia quodammodo corroſiva, ad homines è medio rollendos, per purpuram hanc ſufficiat, nil opus eſt, ad partium viſcerumque inflammationes confugere, niſi luculentiſſimi teſtes hoc nos edocent.

Interim Purpuræ hujus truculentia adeo hominum civiumque mentes invaſit, ut crederent, morbum hunc omnis eludere remedii efficaciam ſylvamque cæduam alexiteriorum omnium non ſufficere huic debellando hoſti; id quod jam olim Philoſophus Poëta Libr. VI. de Rer. Natur. expreſſit:

Æxumnabile erat, quod ubi ſe quisque videbat
Implicitum morbo, morte damnatus ut eſſet,
Deficiens animo mæſto cum corde jacebat
Funera reſpectans, animam & mittebat ibidem,
Idque vel inprimis cumulabat funere funus.

At poſtquam nonnullæ hac lue correptæ, inque Orci faucibus conſtitutæ ægræ reſtitutæ eſſent, gratioſiſſimæ arti debitus redire incipit honos, & cognoſcunt divinitus quidem tanquam autoramenta peccatorum noſtrorum immitti hanc purpuram, ſed cœleſti auxilio quoque curari poſſe.

Inprimis tanquam θεῶν χείρας in hoc morbo experti ſumus nonnulla noviter in officinas noſtras introducta exotica, quæ inter *ſerpentaria Virginiana*, pulverem Bezoardicum Anglicum Comitiſſæ de Kent ingrediens, *Pedra Cordial* ſive *Lapis Bezoar de Goa*, & pretioſa licet, efficaciſſima tamen, Radix *Ninzin* ſive *Genſeng*, ſiſarum nempe montanum Coræenſe, radice non tuberoſa: ut alia alexiteria præteream, quibus omnibus in averruncanda hac malignioris Purpuræ ſpecie illud inſcribendum, quod M. Varro Libr. X. Rer. div. qui erat de diis ſelectis, ajebat: HOMINIS EST HOC OPINARI, DEI SCIRE.

Interim dum Medicorum eſt, *ut acrius omnes*

Incumbant generis lapſi ſarcire ruinas,

quæſita undique remedia ad expugnationem hoſtis vaferrimi, ſollicitataque commercio literario aliena experientia, de qua fama retulit, in Belgio ex Indiis allatam repertu dari radicem, quæ primo morbi maligni acceſſu, & priusquam vires acquirat eundo, exhibita, cum aliquando penitus auferat, crebrius tamen in intermittentem febrem minus periculoſam convertat & terminet. Expoſui hunc rumorem, ægris noſtris adeo ſalutarem, ſolertiſſimo Pharmacopœorum noſtrorum Dn. Dieterico, qui de ægris optime merendi ſtudioſiſſimus,

contraque minantia fata
Pervigil,

nullis

nullis in conquirendis iis, quæ ægris ſolatio poſſunt eſſe, parcit ſumtibus: ambo tamen in expiſcando hoc alexicaco remedio extitimus æque infelices, cum nemini tale equidem innotuerit, in votis potius & rumore, quam re ipſa reperiundum.

Non tamen plane inutile fuit ſcrutinium noſtrum & remedii tam generoſi conquiſitio, cum Dn. D. Falckius, Tilſita Boruſſus, hanc tranſiens urbem, Dietericianamque inviſens Pharmacopœam, radicis ex Indiis per Chirurgum allatæ meminerit, qua in debellandis malignis uteretur feliciſſime. Audito hoc ſtatim ad amicos Amſtelodamenſes literis Dietericus inquirit in hanc radicem, neque deſtitit priusquam laudatum adeo obtinuiſſet alexterium; voti & remedii compos, alacritate conſueta mihi Pharmacopolium viſitanti oſtendit, & ſi quid de radice hac, *Mongus* dicta, mihi conſtaret, ut ſecum communicarem, inſtantiſſime petiit.

Amici juſtiſſimis obtemperaturus precibus, quicquid de hac radice collegeram, eruo, cumque altum apud omnes, qui de materia medica ſcripſerunt, de novo hoc exotico ſilentium deprehendiſſem, in gloriam optimi Creatoris, & Proximi emolumentum, ut publici juris facerem, à viro amiciſſimo me exorare paſſus ſum, ſpe firma fretus, fore alios, in amœniſſimo naturali ſtudio longe perſpicaciores, impoſterum altiore concepta conſilio hac de radice manumiſſuros, defectumque hunc meum ſuppleturos.

Antequam vero oneri me accingam, radicem *Mungos* diſtinguimus ab Avicennæ *Meiſce*, ſive Plempii *Mâsj* comment. in Canon. Medic. Abuali Ibn-Tſina Libr. II. Tract. II. p. 200. (vel uti ab Arabicæ linguæ peritiſſimis *Mex* vel *Max* effertur,) quod *Mungo* quoque ab Orientalibus vocari, teſtatur Garcias ab Orto, fortaſſe lingua ſua Luſitanica, uti credit Cl. Plempius Lib. II. c. 21. licet & hoc averruncandis febribus deſtinatum: Sic enim modo laudatus Auctor: *Eſt MUNGO ſemen viride, quod per maturitatem fit nigrum, Coriandri ſicci magnitudine, pabulum eſt equorum, interdum etiam ab hominibus editur. Guzuratæ & Decan incolæ in* febribus *hoc modo utuntur. Febricitans cibo abſtinet per decem, nonnunquam per quindecim dies: poſt quos hujus fructus decoctum illi propinatur, in quo nonnihil pulpæ remanſerit: deinde cortice delibratum Mungo, & inſtar oryzæ coctum febricitanti exhibent, panem vero triticeum non niſi poſt multos dies. Naſci etiam ferunt hoc Mungo in Palæſtina.*

Poſt Garciam optime, uti ſolet, hujus ſeminis, (apud Orientales frequenter elixi & butyro conditi, cibi loco in delitiis habiti) & Plantæ ſub nomine *Mungo*, ſive *Phaſeoli orthocaulis*, deſcriptionem exhibuit, oculisque expoſuit Fabius Columna Lynceus, ſpectata generis nobilitate & doctrina maxime conſpicuus, qui è Jo. Fabri elogio, eo ingenii ſui acumine proceſſit, ut genuinæ Theophraſti ac Dioſcoridis inſiſtens menti, innumeras ab aliis perperam nominatas plantas, ſpeciei, loco, ac nitori ſuo reſtituerit, in Not. & Addit. ad Hiſtor. rer. medicar. Nov. Hiſpan. Nard. Anton. Recchi p. m. 887. Cl. Plempius l. c. Piſi ſpeciem eſſe contendit. Maximus Salmaſius in Homonym. Hyl. Jatric. c. 78. plurima de *Bungo* & *Mungo* habet, operoſeque probare nititur *Meiſce* ſive *Mex* Avicennæ differre à Mungos Garciæ ab Orto. Fructum quoque *Mangoſtam* hodœporicorum ſcriptores nonnulli corrupte *Mongos* nominant, de cujus fructus deliciis Cl. Bontius Hiſt. Nat. & Medic. Ind. Orient. Libr. VI. c. 28. canit:

Cedant Heſperii longe hinc aurea fructus,
Ambroſia paſcit Mangoſtam & Nectare Divos.

Nihil tamen vel Phaſeolo orthocauli vel fructui Mangoſtan cum radice noſtra *Mungos* commune, quæ nomen ab Animalculo ejusdem nominis obtinuit. Nec enim operam omnino luſero, nec me labor iſte gravabit, ſi ab intimiori Animalculi hujus deſcriptione, de cujus nomine radicis nomen fluxit, quædam præmittam.

Vocatur autem à Luſitanis *Mungo*, Batavis *Muncos*; in Catal. Exoticor. in Ambulacro Horti Acad. Lugdun. Batav. conſpiciendorum. *Mungathia Zeylon* aliis *Mongutia*, hinc radix quoque *Mungos* & *Mongus* audit. Garciæ ab Orto in Arom. & Simplic. Medicam. Hiſtor. Libr. IV. cap. 44. *Quil* vel *Quirpele* vocatur. Exhibet ſciuri figuram, eo tamen paulo major & geſtibus tardior, pilis ornatus glaucis in cauda longioribus, ex atro ad decorem interpunctis. Muſ. Leid. Catal. modo ciatus n. 18. *Viverram Indicam gryſeam*, mox n. 19. e *gryſeo ruffeſcentem* declarat, ut hoc ipſo illam *Mongutiam* à *Quirpele* diſtinguere videatur Excell. Rajus in Synopſ. Method. Animal. quadruped. p. 197. ſeq. notatus ideo à Celeb. Kæmpfero,

Quem non lucri maleſana cupido
Compulit, aut fulva pretioſum littus arena,
Ire per Auroræ thalamos Solisque cubile;
Humani ſed amor generis, ſtudiumque juvandi

in elegantiſſimis & omni eruditione ſcatentibus Amœnit. Exotic. in peregrinationibus per univerſam Orientem collectis, Faſcic. III. Obſervat. X. p. 574.

Domi alita hæc *Mongutia* facile manſuefcit; hinc Cl. Kæmpferus ipſe Mongutiam nutrivit, quæ cum illo dormivit, & caniculæ inſtar domeſticæ per urbem & campos ipſum ſecuta eſt. Sicut & genus ſylveſtris muſtelæ *Quaqua-btenzo* prælonga cauda iuſci pili moliſſimique, mitiſſimum animal, ad cognitos & domeſticos accedit, illosque comitatur, cujus

memini

meminit Hernandez Hiſtor. Quadruped. nov. Hiſpan. Tom. I. cap. XXVII. p. 9. & Nierembg. Hiſtor. Natur. Libr. IX. c. 31. p. 171.

Ex hactenus allatis concluderem animalculum hoc idem vel certe ſimile eſſe *Sciuro Getulo Caji*, Anglicè *de Barbary ſqirrel* dicto, quippe Mungos inſtar Sciuri cauda umbram facit: unde ex Græco σκιὰ umbra, & οὐρὰ cauda, nomen trahit vel muſtelæ illi Libycæ, quam γαλῆν λιβυκὴν nominat Cluſius, & Exot. Lib. V. cap. 17. pag. 112. delineandam ſculpendamque curavit, & modo citatus Nierembergius Hiſtor. Natur. Libr. IX. cap. 32. ex Cluſio intulit. Nullumque mirum ſciuro aſſimilari, cum Sciuri olim muſtelarum accenſerentur generi, & hodie adhuc Sciuri noſtrates, Germanicè *Eychhermelin*, ſive *muſtelæ querceum* nominentur, quos poſtea corrupte *Eychhornlein* dixere. Nam aliquæ Germaniæ provinciæ, teſte Jo. Fabro Bambergenſi, Academico Lynceo, muſtelam domeſticam *Hermelin* vocant, Italicè *Donnola*, Cremonenſibus *Benola*, quod ex Arabico *Belula* detortum vult Sylvaticus, teſte Cl. Laur. Legato in Muſeo Coſpian. Libr. I. cap. 6. p. 23. Hinc *Armelini* muſtelæ illæ omni nive candidiores, excepta caudæ extremitate, quæ nigra ſemper reperitur. Vid. Fabri Expoſit. in Animal. Novæ Hiſpanicæ Nard. Ant. Recchi p. 885.

Videtur pariter Monguria perſimilis *Cacamitzli* Hernandez Hiſt. quadr. Tom. I. cap. XL. p. 12. vel ſciuro Indico *Surikatjes* dicto, à Neuhofio in de Zee en Land-Reize door verſcheide Geweſten van Oſt-Indien pag. 294. deſcripto. Nec dubium ullum, Animalculum *Mungs* ſive *Mings* & *Minx*, à D. Lawſon in Carolinæ deſcriptione, dictum, à vocabulo Mungos deſortum & contractum eſſe, cum reliqua, quæ de hoc Animalculo viveriæ æmulo referuntur, optiſſime in Monguthiam quadrent; nec Sciurus ille Indicus in ſerpentis caudiſonæ rictum ſe præcipitans, cujus pag. 244. meminit, aliud quid, quam pugnam Monguthiæ cum ſerpente innuere videtur.

Nec abludit multum Animalculum Sinenſe domeſticum *Sum-Xu*, ad felem minorem accedens, nigri & ſubinde crocei coloris pilos habens, quod Sinenſes cicurant, collumque auro circumdant cingulo, eoque delectantur maxime, cum murium ſit avidiſſimus venator, teſte Rev. Patr. Athanaſ. Kircher. Chin. Illuſtr. Lib. IV. cap. VII. pag. 194.

Sic *Quirpelen* ſive *Monguthiam* in India quoque alere ſolent ad glires muresque exſtirpandos, quos acerrime proſequuntur, è Garciæ teſtimonio loc. cit. indicio certè evidenti è muſtelarum genere eſſe, quæ capitales murium hoſtes, de quarum innato odio Plinius jam olim retulit, modico cerebri muſtelini coagulo immixto mures à caſeis arceri, & muſtelæ cinere ſparſo eosdem fugari. Ut adeo majorem muſtela utilitatem ruſticis in fœmentorum horreis, quam cati, præſtet, cum mures, glires, imo & talpas voret, quod nitidiſſimus Hortorum Scriptor Ferrarius in Flora ſua retulit. Hinc Carolus Figulus ob id muſtelæ nomen fecit ex Μῦς, i. e. Mus, & στέλω ſurripio, quaſi *muſtela fur* ſit *murium*: quamvis Voſſius vocem *tela*, voculæ *muris* productionem credat, Vid. Excell. Charltoni Exercit. de Different. & Nominib. Animal. pag. 20. Si cuivis in re obſcura conjectura licet uti, Goropiano more à Germanica lingua totam vocabuli eſſentiam & genuinam ſignificationem derivari poſſe credit modo laudatus Jo. Faber l. c. Mus enim Latinis, idem Germanis animal eadem voce *Maus* aliquibus ſignat, *ſtehlen* furari ſignificat. Utramque ſi vocem in unam *muſtelæ* contrahas, habebis murium furem, quæ huic eſſentialis proprietas. Hæc Faber.

Quod hactenus de muribus, gliribus, talpis, hoc de cuniculis monet Illuſtr. Willughbejus, quos è meatibus ſubterraneis & foraminibus expellunt muſtelæ ſylveſtres, Anglis *the Ferrets*, Belgis *Frett* dictæ: his enim *Mongutias* ſive *Quirpeles* æquiparat

Eoum nobis qui dat Linſcotius *Orbem*,

Libr. IV. Itiner. cap. 31. cum Not. Cl. Paludani, & Reverendus Dn. Phil. Baldæus, Verbi div. Miniſt. in Regn. Jafnapatnam Inſulæ Ceilon, in accuratiori littoris Malabarici, Coromandel & Ceilon deſcriptione. Uti enim muſtelæ ſylveſtres in cuniculorum venatione ad illorum foramina demiſſæ, dum cuniculos unguibus ſcalpunt, eos exire cogunt, ſic & Mongutiæ, naturæ quaſi inſtinctu & ſponte, ſerpentes, ubicunque locorum invenerint, venantur cum illisque congrediuntur. Hinc in Catalog. Leydenſ. vocatur *animal omnium ſerpentum generibus inimiciſſimum*.

Nutriunt igitur Quirpeles domi, ut cum ſerpentibus inibi obviis prælientur, quod à felibus quoque fieri Cl. Bontius teſtatur; inprimis cum illo ſerpentum genere, quod coronatum ſeu diademate inſignitum creditur, & hinc *Regulorum* nomen obtinuit. Vocantur & *viperæ piléatæ*, Gallis, teſte Tavernerio, *ſerpents au Chaperons*, Luſitanis *Cobras de los Capellos*, quos nonnulli quaſi pilis capillisque inſtructos interpretantur, quod tamen abſurdum, cum nominis obtinuerint, quod in ſuperiori capitis parte veluti tegmen quoddam habeant, inſtar plani pilei, quod &, prout concitatur, ſurgit verſatile, ex relatione R. P. Kircheri Chin. illuſtr. qui inſuper annotavit, in inferiori maxilla SS. literam naturâ eſſe inſculptam, licet incognitum, cui uſui. In Act. Anglic. Philoſ. Menſ. Jan. 1668. corrupte vocantur *capræ capellæ*.

A Ceilanenſibus hoc ſerpentum genus *Noya* vocatur, teſte Rob. Knox dans la Relation ou Voyage de Ceilon P. I. chap. VII. Laceſſitum hoc ſerpentum genus peculiare habet, quod utroque cervicis latere cutem i-

re, ut in orbem planum ſive compreſſum, inſtar alæ vel vittæ, extendere ſoleat. Vitta illa in dorſo exactiſſimam imaginem exhibet conſpicilli albido colore delineati, cujus orbiculi, in expenſa utrinque vitta, & quæ hos connectit arcus, in ipſo capite expreſſi ſunt. Cl. Bontius Not. in Garc. ab Orto ſcribit, ſimiles eſſe bullis illis, quales Indicæ ranæ paluſtres coaxantes in temporibus attollunt, quæ bullæ coronæ ſpeciem Auctoribus fecêre.

Suppeditat hæc vipera celebres illos lapides, *Pedras de Cobras* dictos, quos tamen Generos. Thevenotius & Tavernier, terris multum jactati & undis, artificiales eſſe credunt, à Brachmanibus, illos plerumque vendentibus, compoſitos, non deſumtos è ſerpentum capitibus. Conſule poſt alios plurimos de his lapidibus Excell. Rajum Synopſ. Animal. quadruped & ſerpent. Gener. p. 318. Kircher. Chin. illuſtr. Blancard. Collect. Med. Phyſ. Cent. I. n. 16. p. 26. & Cent. III. obſ. 95. p. 288. Imprimis autem Excell. Menzelium, digniſſimi qui Patris veſtigia calcat, Dec. II. Ann. IX. obſerv. 76. qui rigoroſum horum lapidum inſtituit examen.

Hos ſerpentes pileatos ſive Regulos, *Noya Rodgerah* Ceilanice dictos, ſecundum Knoxium circumferre ſolent religioſi quidam gentilium, ſeu potius circumforanei, ſtipem horum ſerpentum geſticulationibus emendicantes: hinc *Viperæ Indicæ geſticulariæ* nomen huic ſerpenti inditum in Catal. Muſ. Leyd.

Religioſos hos ophiuchos *Jogves*, *Gogis*, *Gioghi* & *Sjoges* in India nominant, nec diſcrepant ab illis, qui apud Arabes *Fakir* audiunt, conſtituuntque Braminenſium ſectam viliorem. Quatuor quippe Neuhofius recenſet, vocanturque primi generis *Cenravvaghi*, ſecundi *Samaroth*, tertii *Biſnoth*, quarti *Jgves* vel *Sjoges*, quos Kircherus *Eremicolas Idololatras* interpretatur. Omnes religioſorum horum ordines ſanctitatem affectant, precarium exercentes quæſtum, dumque cineribus ſe aſpergunt, vaccinoque ſtercore corpus jam ſordidiſſimum uberius inquinant, tam peſtilentis putoris effluvia exhalant, ut præ illis cloacæ omnes latrinæque balſamum ſpirare videantur.

Stupenda hac ſorditie apud altiſſimam plebeculam venerationem ſanctimoniæ & venantur, & revera accipiunt. Mulierculæ imprimis ſordidos hos myſtas omni dignantur honore, usque adeo, ut eorum membra, mephitim certe exhalantia, & quæ pudor nominare prohibet, & oſculentur & alia committant turpiſſima dictu, apud modo laudatum Neuhoſium fuſius recenſita. Videantur quoque de his Sjogis Dn. Bernier Voyag. contenant la deſcription des Etats du grand Mogul & Anderſen è Siverſen Itiner. à Cl. Oleario edita Libr. IV. p. 205. ſeq. alique, quos pagina vix capit.

Ex hac ultima Fanaticorum ſecta nonnulli omnes percurrunt regiones, & circulatorum more has conſpicillo inſignitas viperas ſecum geſtant, quas demulcere, orique colloque aptare ſolent. Revocant hoc ipſo nobis in memoriam matronas iſtas Romanas, quibus Draconnes fuere in deliciis, & quarum meminit Martialis Libr. VIII. Epigt. 86:

Si gelidam collo nectit Glacilla Draconem.

Hinc ſtatuæ paſſim obviæ matronarum, ſerpentes foventium, quas collegit margaritum illud Auguſtæ Vindelicorum & Germaniæ noſtræ, ſolertiſſimus Welſchius (quo elogio illuſtrem Welſerum Pignorius mactare ſolebat) in Tract. de Vena Medinenſ. p. 447.

Has dum innoxie ſic tractant Indici ophiuchi viperas, plebeculæ perſuadere conantur, eas ſe incantaſſe, ne nocere queant, radiculæque portiuncula velamento femoris illigata cicures reddidiſſe; quamvis neget Knoxius pileatas has viperas ſive Noyas eſſe noxias, contrarium tamen experientia edoctas probat Cl. Bontius Not. in Garc. ab Orto cap. 45. Spectatoribus, qui ad geſticulationes & tripudia harum viperarum ab Jogys illis inſtituta concurrunt, radiculas prædictas venales obtrudunt, nec quenquam facile ſalientem viperam accedere patiuntur, niſi emta particula munitum, quam tamen non integram exhibent, ſed in particulas, ne noſcatur, uncialis longitudinis diviſas, quas ſapore & externa facie Sarſaparillæ ſimiles, paulo tamen craſſiores judicat Excell. Kæmpferus.

Poſtquam hanc radiculam dextra ſua inclu ſit religioſus circulator, Viperam è vaſe in ter ram excutit, & bacillo, vel obverſo, quem mu niverat, pugno, leviter irritat. Hæc repente ac offendentem converſa, imæ innitens caudæ corpus procerum erigit, vittas iracundiæ indi ces in orbem expandit, & rutilantibus oculis ſibilante ſono vibrat ſubinde linguam, aperti faucibus caninorum dentium letiferam acien monſtrat, tremula tamen timidaque in magi ſtri pugnum intenta. Tum ille cantilenam, & ſecundum Jo. Hug. Linſchotanum & Neuhofium, muſica quoque inſtrumenta modulari in cipiens, pugnum nudum varie & ad menſuram quodammodo à dextra ad ſiniſtram & viceversa, nonnumquam ſurſum deorſumque movet Anguis in magiſtri pugnum oculis defixus motum illum, quocunque vergit, capite torque corpore lepide imitatur, ita ut caput ad duarum ſpithamarum diſtantiam (immota cauda) huc atque illuc, à dextra ad ſiniſtram vertat, & hoc ipſo ſpeciem quandam tripudii exhibeat, horæ octavam partem durantis. Tanto enim temporis ſpacio vipera exerceri poteſt antequam fatigetur, & erecti ſitus motuſque pertæſa effugiat. Ejus igitur laſſitudinem ſi gamque ut antevertat circulator, mature cantum abrumpit: quo ipſo ſimul vipera humum demittit corpus & ſaltare deſinit, ſtipem ſi

merc

mercedem à circumſtantibus petente, & in ollam viperas recondente ſacrificulo mendicante. Hæc poſt Linſchotanum, Langhanſium Neuhofiumque multo fuſius accuratiusque Excell. Kæmpferus, qui & aſſuefactionis & exercitationis viperarum, venenique privandi modum pariter deſcripſit: nec enim longiori eſſe, pluraque exſcribere mihi animus: digniſſima interim ſunt, quæ legantur.

Hæc, quæ hactenus de Indicorum Circulatorum cum pileatis viperis geſticulatione & luſu recenſuimus, Draconis refricant memoriam, quem *Coceonas* Byzantinus, & *Alexander* Abonoteichita, corradendis pro Æſculapio nummis circumducebant, aut etiam pro Apolline ipſo, tanquam è tripode reſponſa quærentibus, daturum, apud Lucianum in Pſeudomante: cujus veſtigia in nummo Antonini Pii ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ Paphlagoniæ adhuc ſuperſunt, cum ſerpente peculiare caput habente, & ſeſe erigente, adjuncto nomine ΓΛΥΚΩΝ, cujus nummi pariter mentio apud Excell. Valentium de Numm. Græcis pag. 40. Edit. in Fol.

Tripudiantes Indicas viperas, ex Acoſtæ teſtimonio, cum Mongutiis, de quibus hactenus ſermo, committere ſolent; quotiescunque autem animalcula hæc ex internecino & innato quaſi odio cum ſerpentibus congrediuntur, radicem poſtea, ab illis *Mongus* & *Mungos* dictam, præmorderi referunt. Præmorſa radice pedibus anterioribus ſaliva conſperſis caput primum, deinde corpus reliquum ſibi demulcere, poſtea ſerpentem aggredi, nec illum, donec occiderit, dimittere. Hæc Garcias ab Orto. Addunt alii, ſi contingat morderi Mongutias ſerpentis aſtutia roboreve victum, relicto hoſte pro alexipharmaco hanc quærere radicem, ejusque eſu illico reſtitutam certamen redintegrare, id quod ἀντίπαλος Marcellus de Boſchower, (qui ob fortia in India patrata facta, Principis de Migonne titulum obtinuit,) Dn. Baldæo retulit.

Sed hactenus relata in dubium vocare videtur Cl. Kæmpferus, fidem rei indigenis relinquens; cum hoc tantum de Mongutia exploratum habuerit, à vipera morſam, vel lucta fatigatam, dimiſſo victore è palæſtra in campum excurrere, & obvias depaſcere herbarum radiculas, mox paſtu, ut opinatur, refectam, rurſus comparere ad certamen, cum hoſte, ſi adhuc adſit, redintegrandum. Alunt enim Mongutia ſive Muncos rura calentis Aſiæ omnis, usque ad Gangem, etiam in iis regionibus, in quibus hæc radix, de qua nobis ſermo, nunquam germinat.

Id quod animo lubentiſſimo accipimus: firmant enim viri hujus in hoc ſtudiorum genere expertiſſimi opinionem Jo. Hugo Linſcotanus, Garcias ab Orto, Baldæus & Herbertus de Jager, Cl. Kæmpferi elogio attentiſſimus in Oriente Botanicus, vir inter Philoſophos & Gymnoſophiſtas eximiæ auctoritatis, qui de radice ligni Colubrini illud memorant, quod de radice Mungos vulgò narratur. Eſt autem illa ligni Colubrini officinarum amara radix, cujus modo citati Auctores meminere, non ex arbore *Caniram*, quæ in Hort. Malab. T. I. pag. 67. deſcribitur, & nucem illam vomicam officinarum profert: ſed ex alia arboris hujus minus tamen cognita ſpecie, nempe, arboris cujusdam Tymorenſis, Nuces vomicas quidem ferentis, triplo tamen minores vulgaribus, & fructu integro nucis moſchatæ magnitudinem vix excedentibus. In Prodr. Paradiſ. Batav. Cl. Dn. Pauli Hermanni vocatur hæc arbor *nux vomica minor Molluccana*, *lignum Colubrinum officinarum ſuppeditans*. Figuram ejus elegantiſſime æri inciſam invenies in eruditiſſima Dn. D. Seuteri Diſſert. de Nuce vomica Lugd. Batav. habita. Forte hujus quoque fructus ſemina ſunt, quorum uſus per biennium continuatus efficit, ſumto ſcilicet unico ſingulis diebus, ne morſum inferant & ictus viperæ pileatæ, ſive *Cobras de Capelos*, ſupra à nobis deſcriptæ; quamvis vim hanc alexiteriam vomicæ Nucis officinarum ſeminibus tribuant Illuſtr. Horti Malabar. Auctor loc. cit. & Neuhofius.

Interim hæc, quæ hactenus de Mongutia in conquirendo ſibi contra ſerpentis morſus alexipharmaco retulimus, revocant in memoriam alia animalia, quæ plurimis plantis pro uſu Medico exoptatiſſima indagandis anſam dedere,

- - ſuumque illis nomen tribuere, hominesque
Uſum naturæ nutu docuere, docentque.

Sic de *muſtelis* Peripatus Libr. 9. Hiſt. Anim. c. 6. teſtatur, illas acuto præditas ingenio inde colligendum eſſe, quoniam cum ſerpentibus præliaturæ ruta prius ſe muniant, deinde audacter pugnam aggredientes palmam reportent. Addit. Jacob. Vitriac. in Hiſtor. Orientis, omnes quidem ſerpentes, & Baſiliſcum quoque à Muſtela interimi, cum hoc tamen diſcrimine, ut Baſiliſco interemto ipſa etiam pereat. Vid. plurima huc facientia apud Guilielm. van den Boſsche Hiſtor. Medic. de Animal. Natur. Lib. II. cap. 47.

Quae ſi vera forent, nemo certe miretur, Indicam hanc muſtelam, Mongutiam, radice pater Mongus devorata vulneri per ſerpentes illatum abigere venenum virusque depellere, ad ductum & mentem Poëtæ:

Parva loquor, quin bruta etiam rapit impetus artis
Phœbeæ ad ſeſe ratione carentia, ſolo
Naturæ motu & ſolo utilitatis amore.
Vis divina adeo id decus atque ea gloria in arte
Spectatur, qua bruta etiam ad ſe pellicit ultro;
Ut duce natura tantum cognoſcere vires
Plantarum valeant, hominemque ſubinde docere.

Aſiatici igitur, ut ad Virtutem radicis Mongus pariter deflectat calamus, & inprimis, teſte Excellent. Kæmpfero, qui Sumatram Ja-

vamque incolunt, ſive uſum à muſtela edocti ſint, ſive caſu quodam invenerint, radicem pro explorato habent antidoto, ſive venenum extrinſecus illatum, ſive intrinſecus aſſumtum fuerit.

Vocatur Planta radicis Malaice *Hampaddu-Tanah* à Cl. Kæmpfero, ab Herberto de Jager vero Epiſtol. ad Georg. Eberhard. Rumphium, Muſeo Muſ. Excellent. Valentini annexis, & quidem Epiſtol. VI. *Hampaddæ-Tanah*, pauco diſcrimine. Si Malaicam hanc vocem Latine interpretari animus, *Fel terræ* ſignificat, à ſapore amariſſimo omnium fere partium, præſertim radicis, quæ immenſam bilis amaritiem exhibet. Sic Dracontium quoque Auctor Gloſſarii Veteris *Fel terræ* vocavit, reprehenſus ideo à Cl. Rhodio, Danorum eruditiſſimo, Not. in Scrib. Larg. compoſ. 227.

Eſt autem amarities radicis noſtræ non adeo tædioſa ac illa, quæ in *Pudravvali* deprehenditur.

Deſignatur hoc nomine Pudrawal Planta ſcandens humique repens, tantæque amaritudinis, ut Javæ Incolæ extremis vix tangere digitis audeant, cum ſæpius iterata manuum lotione vix ſeparari queat: hinc nullius in Medicina uſus, ceu hoc refert Cl. Rumphius ad Herbert. de Jager Epiſt. VII. p. 45.

Memorat modo laudatus Collega noſter in Moluccis, Amboina & Tymor, arbuſculam marini & quidem petroſi ſaxeique littoris accolam repertu dari, tantæ pariter amaritatis (Vitruviana hæc vocula,) ut in ſcriptis Botanicis, à ſe congeſtis, hanc ob cauſam *Regem Amaroris* nominaverit. Vocatur Malaice *Bonbati*, à Ternatenſibus *Soulamu*, quaſi *Amaroris Ducem* dixeris. Fructibus eſt viridibus planisque, ſimilibus corculis, foliis oblongis ingentibus, flore ad *Gælogtsjmetjæ* accedente. Fructum radicisque fruſtum miſit Herberto de Jager, annexo hoc joco, ut certamine cum Rege hoc Amaroris noſtro *Hampaddu-Tanah* ſive *Mungos*, & *Pudravvali* inſtituto, uſu exploretur, quis triſti amaritie vincat. Quod ſi Rex amaroris occuberit, nil referre regerit, cum miles quidem exiſtat Amboinenſis, Ducis tamen inſignitus titulo, maximi apud Moluccarum Inſularum Incolas nominis, quo in debellandis ſumme rebellibus morbis, imprimis ad averruncanda animalium venena utuntur.

Virtute hac alexicaca optime convenit cum *Hampaddu-Tanah*, de qua nobis ſermo, licet in plurimis aliis differat, & circa Radicis Mungos veram matrem maxime inter ſe diſſentiant Cl. Rumphius & Cl. Kæmpferus. Prior enim eam *Clematitem Indicam foliis Perſicæ fructu Periclymeni Baubini* credit, & cum Herberto de Jager in duas diſpeſcit ſpecies, colore florum diſtinctas, rubro nempe & albo, quæ ultima ſpecies optima cenſetur, cum gentiles, in Coromandelenſi tractu viventes, florum albedini ſemper primatum tribuant.

Jam ſupra innuimus hos in Hiſtoria naturali Indica duumviros Mongutiæ, opem medicam contra ſerpentis ictis quærentis, ſalutem in radice arboris, lignum Colubrinum proferentis, poſuiſſe; cum igitur Clematites hæc fructu periclymeni flore rubro allegetur, & conſtet inſuper primam ſpeciem ligni hujus, à Garcia ab Orto productam, eſſe plantam fruticoſam, quam in Horto Fageliano in Vico Leidenhorſtiano, milliare circiter Lugd. Batav. diſtante, vigentem ſub nomine *Periclymeni Zeilanici herbacei foliis variegatis diverſicoloribus maculis ornatis* deprehendit Cl. Seuterus, in laudata jam de Nuce Vomica Diſſert. eandemque eſſe credit ac Cl. Breynii Prodr. 2. Periclymenon Sinenſe variegatum, flore ſanguineo amplo, & Thjudamaram Horti Malabarici: nullum dubium ſupereſt, radicis Mungos natales in hac quæſiviſſe forte planta.

Maxime tamen ab his diſſentit Cl. Kæmpferus, & aliam luculentam nobis radicis hujus promit deſcriptionem. Dolent autem mecum omnes, qui Phyſica ſtudia amant, Cl. Rumphii, in Hiſtoria naturali expertiſſimi, Academiæ noſtræ quondam Plinii Indici, monumenta literaria intercidiſſe: pauca enim hucusque, Muſeo excepto, viderunt lucem, cætera, quæ inter Hortus Amboinicus, à Cl. Kæmpfero laudatus, injuria Reipublicæ literariæ, ſuppreſſa jacent; quod ſi exſtaret opus Plantarum Rumphianum, abſolutiſſimum certe, ad conciliationem ſententiarum inſervientia nonnulla ſuppeterent.

Interim hoc deſtituti Theſauro radicis Mungos deſcriptionem mutuemur ex Cl. Kæmpferi Amœnitatibus exoticis, firma ſpe lactati viri hujus laborioſiſſimi Hiſtoriam Aſiaticam non modo effectam, ſed jam pæne confectam, DEO volente propediem prodituram, qua plurima in Democriti puteo delitescentia in dias luminis auras producet vir incomparabilis, ſeculi noſtri Decus, Peregrinatorum gloria. Hic enim

Doctor adeſt, aperitque libens, quod maximus olim
Neſciit Hippocrates; non ipſe Epidaurius Heros
Phœbigenæque duo.

„Creſcit autem, ex ejus relatione, Planta radicis, cui ab amaritie Indi, à viverra Luſitani, „nomen dedere, in Java, Ceilana & Sumatra „Inſula, fortaſſis, uti opinatur, in aliis regio„nibus. Altitudine ſurgit pedali & longiori, „faciem eminus conſpecta exhibens Centaurii „minoris. Radix illi una eſt & ſimplex, ſpi„thamam longa, digiti craſſitie, crebró va„goque flexu intorta; Cortice firmiter ad„nata, fungoſa, rufa, ſubſtantia lignoſa, „dura, fibrarum exorte, & fragili, coloris al„bidi,

„bidi, ſaporis amariſſimi, inſtar Gentianæ, ſed „ſubtilioris, & haud æque ingrati. Caule aſſur„git recto, tenui, æquali, ramulis raris, alter„ne diverſis, quos folia ornant pari ordine di„ſpoſita, rariora, anguſta, longitudinis un„cialis, figuræ lanceatæ, ſtylis ſingulis ex ſur„culorum axillis in duarum vel trium digito„rum transverſorum longitudinem exſurgen„tibus, tenuibus: deciduis inſiſtunt floſculi „circiter quinquaginta, plures, pauciores præ„parvi, in plures faſciculos digeſti, & in um„bellam tantillam, quam ungue obumbres, „conglobati, pulchre rubentes: qui per mi„croſcopium cognoſcuntur nudi, tubulati, „extremitate in quinas & ſenas lacinias diviſa. „Areſcente floſculo ex umbilico ejus ſemen „minutiſſimo pediculo protruditur, in aliis „geminum, i. e. è duobus ſeminibus ad baſes „concretum, faſtigiis divaricatis, in aliis ſim„plex & unum inæqualis rotunditatis, & ex „quadantenus compreſſo utcunque turbina„tum, oſſeum, ſeminis coriandri magnitudi„ne, cute veſtitum carnoſa adnata, per ſiccita„tem rugoſa, coloris promiſcue vel nigrican„tis, vel ex viridi pallentis.

Hucusque Excell. Kæmpferus, cui tanto ubentius ſubſcribimus, cum artis ſaluberrimæ it peritiſſimus, ac autopſia hæc & alia exacte deo didicerit, ut juſte ac merito plurimis præerendus Auctoribus aliis, qui

- - - ſapiunt alieno ex ore petuntque
Res ex auditis potius quam ſenſibus ipſis.

Et certe quæ de radice memorat, apte his, quas pud ſedulitate præcellentem Pharmacoœum Dietericum manibus tractare licuit, conenium; ſunt enim digiti ſæpius minoris craſtie, crebro vagoque flexu intortæ, ut

- - - ſinuoſo volumine multo
Serpentes referant.

xprimit ſic externa radicis Mongus figura, id uod de ligno Colubrino meminit Acoſta, um ait: Tantam habet lignum hoc cum Colbro ſimilitudinem, ut qui non norit, aut de e viderit, ſed ad lunæ ſplendorem noctu conciat, vivum colubrum eſſe exiſtimet. Vid. oque Cl. Paludanus Not. in Linſchot. Libr. . cap. 31.

Cortex firmiter aliàs adnatus, fungoſus, fus, rugoſus, à noſtris propemodum abraſablatusque. Quoad internam ſubſtantiam noſa radix, dura, fibrarum exors & fragilis, loris albidi, ſaporis intenſe amaricantis, inr Gentianæ, ſed ſubtilioris & haud adeo inati, & hinc quoque majoris & penetrantioſ efficaciæ; ideoque quoad ſaporem & alexiharmacam virtutem radices arboris *Pilipoe* mulatur apud Nieremberg. Hiſtor. Natur. b. IX. pag. 338.

Retulimus jam Indis radicem hanc explo- ti antidoti loco eſſe, ſive venenum extrinſes illatum, ſive intrinſecus aſſumptum à ſerpentibus. Hinc radicem hanc Mungos dicendam jure ſerpentariam quoque reor,

Serpentinam hoc nomine vero.
- - - - - Quod radix morſibus anguis
Atque venenoſis aliis ferat ictibus almas
Suppetias.

Illud enim præſtat, quod de Radice ex Anglia, ipſi ſub nomine vernaculo *Snaqroel* transmiſſa, prædicat Cl. Cornutus de Plantis Canadenſibus pag. 115. & Virginiæ ille Encomiaſtes, ibi natus & hanc pariter inhabitans provinciam, Libr. II. cap. 4. p. 196. dans l'Hiſtoire de la Virginie, ubi radicem contra venenum ſerpentis caudiſonæ ad cœlum usque extollit, à ſerpentaria tamen Virginiana diſtinguit; vocanda igitur noſtra, ad differentiam Americanarum, *ſerpentina Aſiatica Mungos*. Confer huc, quæ de Dictamno Virginiano habent Act. Philoſ. Anglic. menſ. Maji 1668.

Maximam tamen radix hæc nominis famam ſibi acquiſivit à vi illa alexipharmaca & ſtupenda plane, quam in deſtruendo exitiali illo viru Macaſſario, ullo vix alio remedio ſuperabili, exhibet,

Ac fert præſentem Numinis inſtar opem.

Celebes Inſula eſt Indiæ Orientalis, quæ ex Aquilone in Africum perpetuo tractu leucas prope ducentas excurrit, atque, ut aliæ ferme vicinæ, plura in regna dividitur, teſte Reverendiſſimo Patr. Maffejo è Societ. Jeſ. Hiſtor. Indic. Lib. X. p. m. 201. Inter hæc Celebes Inſulæ regna Macaſſarenſe, à metropoli ſi dictum, eminet, cujus Rex male ab Auctore Part. IX. Itiner. Orient. Indiæ à Fratribus de Bry editis, Rex in *Madegaſcar* pro *Macaſſar* dicitur. Hi Macaſſarenſes populi apud plerosque hodœporicorum ſcriptores ob venenata arma ſpiculaque peſſime audiunt, quibus ſauciati ſine ulla mora fato perfunguntur, partibus læſis in putredinem reſolutis. Id quod de Braſilianis quoque teſtatur Piſo Hiſtor. Nat. & Med. Libr. I. pag. 14.

Audiamus de Macaſſarenſibus Excell. Bontium, Medicum quondam Bataviæ in Java majori primarium, Hiſtor. Natur. & Medic. Ind. Orient. Lib. V. cap. 28. p. m. 85.

„Si aliquis vel leviter læſus, ad ſimplicem „ſanguinis miſſionem, vel in extrema calce, „nutabundus ſtatim, tanquam ebrius, in ter„ram mortuus concidit, ſed & carnes intra di„midiæ horæ ſpatium à ſeptico hoc veneno ita „computreſcent, ut tanquam mucus à ſubje„ctis oſſibus manu avelli queant, & quod mi„rere magis, ſit, e. gr. aliquis in femore vel al„tius læſus ſuperficialiter à telo alio, veneno „non intincto, & ſanguis etiamnum calidus in „ſubjectos pedes defluens tangatur ſimpliciter „hiſce venenatis telis, ocyor Euro aura peſti„lens vulnus verſus aſcendet, eademque cele„ritate & modo hominem è vivis rapiet. Hæc „non ſunt nugæ, ſed oculata hoc confirmavit „expe-

„ experientia. Hæc Bontius. Sunt autem ſpicula iſta, è relatione Scriptoris Part. VIII. Itiner. Orient. Ind. Fratr. de Bry, è piſcium ſpinis confecta: (quippe Maffejo ſupra laudato teſte Hiſt. Indic. Libr. VIII. p. 166. *ad fabriles uſus Macaſſarenſes ſpinis piſcium pro ferramentis utuntur*) Neuhofius tamen tela illa deleteria accuratius examinans refert, pedalis utplurimum longitudinis, ex arundine ſciſſa, apice è dentibus piſcium ſubtiliſſima, toxico illo lethali imbuta imprægnataqne eſſe.

Arbor venenum illud ſuppeditans indigengenis Ipu, Javanis Malaisque Upa dicitur, & à Neuhofio arbori, caryophyllos ferenti, quoad proceritatem ac folia aſſimilatur. Creſcit ſecundum Excell. Kæmpferum in abditis ſylvarum Inſulæ Celebes locis, præſertim in provincia Turaſia. Neuhofius in IV. minoribus Inſulis, Macaſſarenſibus vicinis, & à populo *Bougis* Belgis *Bokjes* dicto inhabitatis, veneniferas has arbores pariter repertu dari narrat. Tavernerius Voyag. d'Ind. Livr. III. p. 19. ex Inſula Borneo afferri hoc Venenum credit.

Triplex dicitur arboris ſpecies, ſolius ſucci malignitate majori vel minori differens. Sic Tangaracarum ſive Plantarum deteſtabilium, quod facultate ſingulari deleteria polleant, tres quoque ſpecies recenſet Clar. Piſo Hiſt. Nat. & Med. Libr. V. c. 17. p. 301. ſeqq. Colligendi modum accurate, more ſolito, recenſuit Celeb. Kæmpferus, quo Ben. Lect. remittimus. Dum effluit è vulnerato arboris cortice virus, lactei pinguisque ſucci æmulum, non ſine evidentiſſimo vitæ periculo colligitur: hinc plerumque morti ob patrata facinora adjudicatis ejus collectio committitur, qui adverſo vento arboris corticem vulnerant, manantem exinde ſuccum longis arundinibus excipiunt, ac extra vulneris arborei viroſam exhalationem in vado conſtituti vaſi vitreo, ſed caute pariter infundunt ac obturant, & hoc vitæ ſuæ λύτρον Regi offerunt. Confer quoque de veneno, per odorem Lethifero in Orientali India, quæ habent Act. Phil. Anglic. Menſ. Mart. 1666.

Hunc ſolum veri ſecreti conſcium credidit Tavernerius, tragico hoc exemplo Angli, à Rege Macaſſarenſi ope lethalis hujus teli interfecti, confirmans, licet non omnia in Tavernerii volumine contenta avthentica eſſe, ab ejus Amico Generoſo Dn. de Brueil, per epiſtolam Alepo Syriæ exaratam, Excell. quondam Faber Heilbronnenſium Podalirius monitus fuerit, uti patet ex Ann. IX. Dec. II. Append. p. 413. id quod ab Auctore Libri Gallici, l'Eſprit de Mr. Arnaud, (Rev. *Jurii* fœtum credunt,) pariter factum, qui ſubleſtæ fidei Tavernerii narrata nonnulla pronuntiat, additque, Gallum *Chapuzeau* dictum, calamum concinnando Itinerario commodaſſe, cum Tavernerius, poſtea Baro d'Aubonne vocatus, ante iter in Indias ſuſceptum, Nobili cuidam, vel Germano vel Ungaro, à cameræ ſervitiis extiterit.

Vegetabili hoc veneno poſtea lanceas ſuas, pugiones, imprimis autem tela, quorum jam aliquoties mentio facta, imbuunt Macaſſarenſes, & hoc non ex arcu, ſed per tenues arundinaceos tubulos, (even gelyk man en Holland, ſcribit Neuhofius, met ronde proppen van potærde uyt ſpatten na hett gevogelt ſpat, i. e. Sicuti in Belgio globulis argillaceis, per tubulos ejectis, aviculis inhiant) oris flatu explodunt in hoſtes, hinc à Belgis *de Macaſſerſe vergifftige ſpatters* vocantur, graphiceque à Neuhofio æri inciſi exhibentur. Tavernier modum hunc tela emittendi gallice exprimit, *avec une Sarbatane*. Th. Herbertus Anglus in Itinerar. verſionis Belgicæ L. V. Lamberti van Boſch *Sempitane* vocat.

Contra lethalia veneno hoc inflicta vulnera omnis olim in *homerda*, ſtatim & in copia aſſumpta, ſalutis ſpes poſita erat, Vid. Act. Phil. Anglic. Menſ. Mart. A. 1666. ut vomitu exinde per nauſeam enormi excitato virus corpori illatum deſtrueretur & illuderetur, licet non ſemper optatiſſimus ſordidiſſimo & abominando huic remedio effectus ſucceſſerit. Tandem revelatis alterius pharmaci à Macaſſarenſibus olim arte nulla, quam cruciatu extorquenda erat, quæ radicis noſtræ Mongus ſive Mungos uſum patefecit. Indorum quippe Medici, Idiotæ licet & nullis literis tincti, eximii tamen ſunt Botanici, facilique negotio omnis generis medicamina ex undiquaque in ſylvis conquiſitis conficiunt: quæ ſtupenda ſagacitate interne illos adhibere videas, præcipue in morbis à veneno natis. Teſtatur quoque Cl. Piſo, tanquam oculatus teſtis, in caſtris membra militum, jamjam ab Europæis Chirurgis amputanda, Barbaros recentibus gummi, ſuccis & balſamis à ferro & igne liberaſſe, & feliciter reſtituiſſe; imo morbundos ex venenatorum fungorum eſu, aliorumque *toxicorum noxa*, ſolo potu Infuſi radicis Jaborandi in inſtanti à letho vindicatos, Piſone aliisque Galeni nepotibus haud parum pudore ſuffuſis, poſt tot Alexipharmacorum & Theriacalium Antidotorum irritos conatus. Hæc ingenue confitetur Cl. Piſo Hiſtor. Natur. & Medic. Braſil. L. II. p. 24.

Aſſumitur autem radix Mungos cum ad præſervationem, tum ad curationem, ab inferendo vel jam illato veneno, drachmæ unius vel dimidiæ pondere, cum hauſtu aquæ dulcis vel cujusvis liquoris, ſive rudi frictione ſuper lapidem ſive cultiori modo in pulverem redacta: nec inconſultum ajunt, ipſi loco affecto pultem è pulvere radicis noſtræ cum ſputo vel aqua factam imponere.

Latius fuſiusque hæc à citatis hactenus Auctoribus de Veneno Macaſſarenſi ejusque antidoto ſpecifica Mongus ſive & Mungos tracta, in compendiolum à nobis redacta ſunt, evolvenda ab iis, qui plura hac de materia ſcire deſideran

ſiderant. Forte nonnulla quoque rarioris commatis haurienda è Tractatu Gallicè inſcripto: Relation du Royaume de Macaſſar: nec enim libellus jam nobis ad manus eſt.

Propter hactenus recenſitas alexiterias radicis hujus contra ſerpentum, ac Macaſſarenſe furiale venenum, multis ſucceſſibus infallibilem virtutem expertus eſt adverſus canis rabidi morſum in brutis æque ac hominibus Cl. Kæmpferus, inprimis ſi miſceatur cum celeberrimo illo pulvere contra morſum rabidorum, quem in Tr. de Venenis Lib. III. cap. 19. ſuppeditavit Poncettus,

Purpurei columen Cœtus, ſacrique Senatus
Gloria, & Heſperii lucida gemma Soli.

Et quod caput rei eſt, radice hac, (cujus è Java copiam ſecum aſportavit vir hic χαριεστος) in febribus putridis morbisque malignis redux in patriam feliciſſime utitur.

Hanc virorum in Indiis Celeberrimorum de viribus radicis Mungos præmonitus experientia, quam nunc Excellent. Kæmpferus in Germania pariter feliciſſimo ſucceſſu toties confirmavit, Amſterodamique fama quotidie adhuc comprobat, conſilium cepi, ut duce analogiſmo, in purpura illa valde maligna, cujus in diſſertatiunculæ hujus fronte mentio injecta, radicem pariter hanc exhiberem, ad malum illud pertinaciſſimum averruncandum.

Nec ſpes me fefellit, cum pluribus ad ultima ſaluris detruſis radix utilis admodum extiterit ac ſalutaris, virtute ſua balſamica ſulphureo ſalina-alcalina, aptiſſima ad maſſam ſanguineam liberandam à miaſmate illo virulento, interitum corpori noſtro minitante.

Exhibui autem vel ſolam, vel aliis medicamentis alexipharmacis, ad morbi malignitates per poros eliminandas, immixtam. Factum tamen in nonnullis, ad vomendum promioribus, & gravato nimium ac peccante materie ventriculo, ut cum euphoria & optimo ſucceſſu vomitus produxerit, natura modulum agentis exterioris eludente, uti notum eſt alia Bezoardica quoque, quæ inter ſerpentaria Virginiana, imo, Acoſta teſte, contrajerva ipſa, nonnunquam vomitum provocaſſe. Criticus hic vomitus & ſalutaris confirmat Excell. Schelhammeri effatum ejusdem veritatis eſſe, ac *magni Charta Galeni, ac Coi celebris ſcripta verenda Senis.* Sic enim Machaon ille Cimbriæ: Vomitoria ſæpius diritati malignorum in principio exhibita obicem ponunt, præſertim ſi cardialgia, oris amaror, incarcerati in ventriculo flatus, ructuum cauſæ, aliaque non ſuadere tantum, ſed poſtulare videntur. Quod commode Ipecacoancha fieri poterit, remedio quodammodo alexipharmaco, teſte Piſone Hiſtor. Natural. & Medic. Braſil. Libr. V. cap. 6. pag. 233. & 303. Edit. ſec. quo partes illas venenatas ſtomacho inflammationem minitantes eliminare eamque antevertere licet. Rarius tamen vomitus radicis hujus effectus, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ſudor.

Repetitis autem vicibus, non ſemel aut bis exhibenda, ſed generoſo hoc remedio aſſidue, nec minus fortiter pugnandum, ac milites in anguſtias redactis copiis, adverſus truculentiſſimi hoſtis aciem conſueverunt. Accenſenda enim hæc radix Mungos non illis levioribus ac mitioribus diaphoreticis, quæ neque obſtinatiſſimum à miaſmate in malignioribus morbis productum coagulum reſolvere, nec particulas involutas promovere poſſunt, ſed illis potius, quæ potentius incidunt, ac in arctius contractas mali cohortes irruunt.

Solam in pulvere exhibui ad drachmam ſemis, vel ſcrupulos duos, in aqua appropriata, vel Thée regio *de bou* dicto, Herb. Scord. Rad. Scorz. montan. & contrajerv. mixto.

Sed puto vix paucis triſtem arridere ſaporem,
Eheu, quam paucos Juppiter æquus amat!

Effectus tamen ſalutaris & dulcis, à radicis amarore proveniens, huic obviam ibit nauſeæ. Minime omnium ſapor hic aliquantulum ingratus Medicum deterreat, quo minus ægris hoc remedium commendet & imperet. Medicorum quippe, Galeno noſtro ſic ſentiente, adulatorum eſt, cubantis delitiis ſtatim ſubſcribentium, ejusque voluptatem, non ſanitatem, pro meta gerendorum habentium Libr. XII. Meth. Med. cap. 1.

Optimum ſenſi radicis hujus effectum, dum felici mihi eſſe licuit, ut ingruente morbo illam ſtatim exhiberem. Datur quippe ægrotorum cohors, cui *Suada* nulla, quamvis maxima olim Athenienſium Dea, arbitratu Themiſtoclis apud Herodotum Libr. VIII. conſuadere poteſt, ut Medicum tempori accerſat, id quod fere communiſſimum Patriæ noſtræ vitium, ut rariſſime primo morbi acceſſu, plerumque ubi numeroſis prius conquiſitis remediis ex empiricis phaleratis, Exteſticulatoribus vaniloquis, vetulis lotiophyſicis, & quibus non! ſero & jam provecto morbo Medicum accedat, quaſi vitæ mortisque arbitrum, qui fata jam morituri pro arbitrio diſpenſare valeat, ut verbis eruditiſſimi Medici juſtiſſimas querelas exponamus noſtras, cum in hoc caſu proh! dolor nimis verum experiamur, quod Corn. Tacitus Libr. V. Annal. ajebat: *Brevibus momentis ſumma verti poſſe.*

Quod ſi miaſma malignum, quoad maximam partem Radicis hujus in principio ſtatim exhibitæ uſu everſum, perque corporis ſpiracula, cutis nempe poros, remotum, ſuccedant huic radici leniora diaphoretica, ne nimium ſudoribus ſollicitentur ægri, corpusque madore nimio exſolutum fatigetur, adeoque cum lympha ſimul vitam eduxiſſe Medicus videatur, ac de illo jure dici poſſit, quod de Vindicta

dicta Marii & Syllæ Pharſalicorum eruditiſſimus Vates Lucanus Libr. II. querebatur:

Ille quod exiguum reſtabat ſanguinis urbi,
Hauſit, dumque nimis jam putida membra reſcidit
Exceſſit medicina modum, nimiumque ſecuta eſt,
Qua morbi duxere manus.

Nec etiam opus, ſolam ſemper per ſe exhibere radicem Mongus, quippe cum alexipharmacorum varium habeamus delectum, ſuo quisque arbitrio, ut res poſtulaverit, quæ voleat accipere & huic radici adjungere poteſt.

Suppeditavit nobis India jam ab aliquot annis *il Piedra cordial*, ſive lapidem Bezoar, à loco, in quo hactenus à Pl. Reverend. Patr. Soc. Jeſ. Caſpar. Antonio componitur, de Goa dictum. Figura eſt vel ovata, vel rotundæ, coloris intus cinerei extus nigricantis ſplendens, maculisque aureis diſtinctus. Hunc pariter R. P. Nicolaus Monitius præparat, literis N. M. in ſuperficie impreſſis dignoſcendum. Deſcriptiones hujus lapidis variæ exſtant, quarum optima in Pharmac. Fulleriana & dans le Traité des maladies les plus frequentes, & des remedes ſpecifique pour les querir &c. par Mr. Helvetius p. 139. Vires è Luſitanica lingua in Belgicam transtulit & Muſeo Amboinenſi, elegantiſſimo operi, inſeruit Nobiliſſ. Rumphius Libr. III. Artic. 86. pag. 338.

Ad hujus imitationem globulos, illorum de Goa æmulos, apud diligentiſſimum Dn. Dieterichum formandos curavi, quibus malignæ purpuræ

- - - - duros avertere caſus,
Parcarumque colos tardare & lubrica penſa,

ſæpius licuit; quorum deſcriptionem, ne proximi emolumentis ullo modo deeſſe videar, hic publici juris facio; præſertim cum nunc compoſitionem radix hæc noſtra Mungos quoque ingrediatur:

℞. *Rad. Mongus*
Angel. Afric.
Serpent. Virgin.
Contrajerv. ana ʒi.
Pulv. è typh. Cerv. Zevelf. ʒjv.
Chel. ℔. marin.
Corn. capr. Bezoard.
Alc. phil. præp. ana ʒß.
Spin. viper ʒj. M. F. Pulvis ſubtiliſſ. ſuper

Porphyrit. lævigandus & probe miſcendus, cui poſtea adde Gelat. Viper. & Unicorn. ver. q. ſ. ut inde formari poſſint globuli, foliis auri obducendi & ante ſiccandi, poſtea ferro lævigandi.

Differunt quidem quoad ingredientia ab illis globulis, quos nobis Goa mittit: conſtant enim hi è lapidibus pretioſis, margaritis, coralliis, Bezoar Orientali, aliisque quorum loco noſtros alexipharmaca potius ingrediuntur, debellandæ purpuræ malignæ aliisque febribus peſſimi moris deſtinatos. Ambram Moſchumque in Indicis exſtantem omiſimus, ne ſequiori ſexui incommoda haud contemnenda pariat: & loco aquæ roſarum pro maſſ. humectanda, ſt. Tunicæ vel meliſſæ ſubſtituenda.

In Infuſo quoque radix Mongus felici exhiberur conamine. Piſonis hic obſervatio, quam Hiſtor. Braſil. Natur. & Medic. L. II. p. 25. de Infuſo habet, meretur certe attentionem. Luſitanos nempe & Braſilianos, medicamenti nativi Infuſum rato igni, ſed æri & rori nocturno verſus Orientem exponere. Unde frigiduſcula aura ſubtiliſſimusque ros vicem correctoris attenuatione ſua probet, dum medicamenti acrioris & calidioris vires mod ratur. Sed climatum certe hoc in caſu habenda ratio.

Ulteriore laude radicem noſtram Mongus extollerem: ſed vereor, ne quis auribus meis illud inſuſurret, quod Catonis tempore de Braſſica nimium laudata à Satyrico dictum legitur *Braſſica dia Catoni*. Plura & certiora cum DEO & die de remedii hujus efficacia viribusque edoctus impoſterum libenter ſuppeditaturus.



L.

PHOENIX PERSICUS,

SEU

HISTORIA PALMÆ DACTYLIFERÆ,

AD

ILLUSTREM

DN. H. A. van REEDE tot DRAKESTEIN,

Toparcham in Mydrecht &c.

ILLUSTRISS. SOCIETATIS INDIÆ ORIENTALIS BELGICÆ COMMISSARIUM GENERALEM PLENIPOTENT.

ab

E. K.

ILLUSTRIS ET EXCELLENTISSIME COMMISSARIE GENERALIS!

Domine Gratioſiſſime!

AUdaciæ ne credàs, ſed ingenuæ intentionis niſum eſſe, quò ad Aram celſitudinis Tuæ compareo. Ex Perſide lior ſacrificium, non phaleratos equos, non cinaces & aulæa, non turcheſias & margaritas, quibus alii vario & nefario Mercurio intructi redeunt, ſed Phœnicem ejus terræ, id eſt icito campô depromptam magni ominis atque nominis PALMAM DACTYLIFERAM: rborem, inquam, dignam decumanis Exeditionum & Meritorum Tuorum fluctibus, ignam Humanitatis & innumerarum, quæ loriæ Tuæ apicem coronant, Virtutum famâ, ignam denique clariſſimis, quibus à ſerioribus animum relaxas, παρεργον Botanicis. Nam el horum ſolo nomine Nomen Tuum inter dera immortale fulget, & ad nuperam auroam *Horti Malabarici*, famoſi dudum, diſparent mnis ævi ac gentis Botanicorum radioli, Palmam heu! quantâ ſubmiſſione, offerentium. Tot equidem non transſcripſiſſe, ſed exotico è naturæ gremio ipſus deprompſiſſe ſumptuose, typicè, luculenter literato Occidenti primus omnium ſtitiſſe, Herculeum me herclè, ac niſi tantis Prudentiæ & Autoritatis facultatum requiſitis ſtipati Herois inauditum opus erat. Recipe, magne Æſculapiadum Mæcenas, ab ejusdem Divi ac Nominis Tui devoto cultore præſentis quoque Palmæ auſpicatum munuſculum, utut intuitu faſtigii Tui indigno, ac Relationi quam Plantæ magis genuino ſtylo elaboratum. Et ſtudia nunc mea per aſperos inclementis fortunæ caſus fluctuantia, ſub gratioſa Umbonis Tui umbrâ clementer ſove. Sic Te numerabo inter eos Patronos meos, in quibus ego colendis patriam conſtituo ſanctitatem

TUÆ ILLUSTRIS EXCELLENTIÆ

Domine Gratioſiſſime

Cliens ac ſervus ſubjectiſſimus

E. K.

HISTORIÆ DE PALMA DACTYLIFERA, RELATIO I.

Introductio ad Palmæ historiam.

§. I.

PAlmam heic sistimus dactyliferam, elegantissimam Orbis & Asiæ citerioris copiosissimam arborem: arborem, quæ, torrentis cœli sui ac soli natalis invicta injuriis, in excelsum fastigium superbo vigore enititur, & uberrimâ lautissimorum fructuum annonâ possessores cumulat. Ex quibus illa felicitatibus gloriosè meruit, ut eam literatus Orbis constantiæ, fortitudinis rerumque præclarè gestarum notam atque insigne constitueret. Injurius ego in dignitatem arboris, & ingratus in beneficentiam videar, nisi lectissimam ejus historiam, quæ à Botanicis obiter delineari, à Philosophis & Poëtis contaminari etiam figmentis solet, plenâ disquisitione vindicem, atque hôc ipso meritas reponam grates almæ nutrici, quæ me ultra biennium dactyliphagas inter Persidis Arabiæque gentes fructu melligeno sustentavit, umbrâ verò, quamvis tenui sua, ab ardente Jove gratiosè protexit. Pensum ita persequar, ut arboris natales, structura, cultus, fœtura, patria, dactyliphagi populares, eorum & ratio vivendi, & quæcunque ad historiæ integritatem spectaverint, Palmæphilo Lectori innotescant: tantum materiæ apparatum singulari Fasciculo complexurus.

In dissertationis limine nos morari jubet famosa illa & tantopere ab auctoribus deprædicata *Avis Phœnix*: quæ cum arbore nostrâ uti Græcæ appellationis τῆ φοίνικος, ita quodammodo patriæ & fortunæ particeps est: ex quo, ut paucis eam contemplemur, argumenti ratio postulat. Patria illius Arabia est, deserta illa & perpetuis arboribus æstuans; in quâ unica dicitur & sine pari existere, insolentiâ quam natura stupet, & quam demirata antiquitas Avem ipsi Soli sacrare dignata est. Forma illi eximia est, magnitudine aquilæ, cujus caput & collum aureo nitore fulgent, vertice longis plumis cristato: vastum pectus & caudam laxiorem cœruleus, roseò interpunctus, color, reliquam superficiem purpura, variis coloribus distincta, insigniter commendant. Omnium autem viventium maximè longæva est, cujus vigorem nec vernaculus ardor cœli, nec ulla infirma ægritudo corporis, vitam verò nec fati necessitas terminat: quippe quæ pluribus defuncta seculis, (quorum de numero auctores discrepant) quasi annorum, quos vixerat, solum numerum pertæsa, ex ferali busto, quod sibi ex aromatibus struxerat, repuerascceret, felicem subitura prioris vitæ periodum. Sic inquam Græca fides, sic Latina à Græcis adoptata Phœnicem describit Arabum.

Si permissum est procul excurrere, audeam in scenam huc ducere, ac Phœnici æmulam affirmare Sinensium *Foo*, vel, ut pleniùs scribitur, *Foo vvoo* avem apud antipodes æque celebratam, atque in nostro hemisphærio Phœnix est. *Foo vvoo* enim descripserit, paucis exceptis, qui ipsum Phœnicem: quo cum Sinensis illa de originis & felicitatis primatu non injuriâ fortasse contenderit. Scribitur enim unicus & perfectissimus esse naturæ partus in Volucrium genere, *ein Meisterstück der Natur*: partus equidem in ipso æthere exclusus, & eo ipso demissus tempore, quò ex secundiore cœli, ut loquuntur, cum terra coitu nascebantur in quadrupedum genere animal exquisitissimæ pulchritudinis & virtutis, *Kirin* dictum, in ordine verò humano *Sé-sin* aliquis, id est, perfectissimus ingenio & virtute homo: cujusmodi fuisse perhibentur doctores *Rooss*, *Kooss*, nostratibus *Confutius* dictus, *Sjaka* & alii pauciissimi. Avis hæc Sinensibus, &, qui eorum religione & scientiis imbuti sunt, finitimis nationibus, creditur auspicatissima nuncia felicis seculi, hominum amans, cœlitibus dilecta. Magnitudo illi decens est, forma eximia, cui nullus deficit articulus pulchritudinis: Hanc præsertim cervicosta commendat excelsior, collum & crura longa, cauda longis plumis luxurians, & cum reliquo corpore, triade colorum, rubeo, cæ-

rul-

ruleo aureoque eleganter distincta. Longævitatem in Phœnice miraris, in *Foo* woo sanctitatem stupeas: Rigorem enim religionis Pythagoricæ inimitabili exemplo referens, graminis externa tantùm depascit foliola; ne herbulam, immortalis quoque animæ habitaculum, occidione deleat; gressus verò eâ cautione dirigit, ne animalia offendat vel maximè exilia, vel eorum frangat ova: quibus tamen omne terræ spatium (microscopiis & subtiliori Philosophia testibus) abundare dicitur, ut proferre pedem, sine inferendâ clade, sit difficillimum. Interitum vix habet, quod ex mortalium scenâ ad æthera rursum sublata, ubi maneat, dici non possit. Hæc igitur felicitatis augurium & index habita, sæpè à Sinensibus, velut ab Ægyptiis Scarabæus, rerum dicatur auspiciis; initia librorum, Principum conclavia, & rarioris artificii mappæ tabulæque, imagine ejus frequenter insigniuntur; quin & orationibus votivis & gratulatoriis apud literatos argumentum præbet atque gratiam. Adeo inquam in multis *Foo* Phœnici videtur substitui, ut diceres ipsum esse, vel ex ejus historiâ evolâsse ad antipodes.

Verùm enim verò figmenta sunt diversæ originis: quam (missâ Sinensium ave) Phœnix noster inveniſſe videtur in hieroglyphicis cunabulis Ægyptiorum; nisi fortè *in ipsâ exclusus Arabiâ, post longum seculorum ambitum* (verba sunt ita referentis Taciti Lib. VI. Ann. c. 28.) *demum in Ægyptum dederit.* Inde igitur ab advenis Phœnicensibus susceptus, nam per hos notitiæ migrabant) ad transmarina enatavit littora Græcorum: à quibus nil mirum est, si non reclusis analogiæ mysteriis, in Romanorum quoque fidem concesserit, & Oratores pariter ac Poëtas, quin & historiarum monumenta, eximii leporis & plena admirationis fabula nullo negotio occupaverit. Nec enim dubitârunt omnium seculorum auctores opinioni de prodigiosæ volucris exîstentiâ suffragari: ex secularibus *Herodotum, Plinium, Solinum, Ælianum, Philostratum* novimus: *Clementem Romanum, Cyrillum, Epiphanium, Ambrosium, Lactantium* ex Ecclesiasticis: taceo in utràque classe recentiores. Videris ætate quoque nostrâ scholarum heroas, quos tantâ pervicaciâ incessit Phœnix, ut veris rationibus malint, quam opinione de exîstentiâ speciosissimæ volucris, parentare: quasi ex interitu tot argutissimarum, quas illa præbet, inventionum, Reipublicæ literariæ saluti metuant. Tacebo nunc commenta Asiæ, inter Indum & Gangem positæ, in prodigiis admittendis facilimæ, & in retinendis tenacissimæ partis terrarum; quæ inter antiqua superstitionum cum Ægypto commercia avem Phœnicem amplexa quoque videtur: nescio, quas non prodigiosas de eâ affectiones somnians: illas verò, seu Patriæ immemor, seu figmenti conscia, non quidem in deserto Arabiæ, sed circa Imamum montem & inaccessam Gangis originem, quasi in Utopiâ, collocat. Quid autem mysteriorum studiosa gens per Phœnicem designaverit? an aurato capite cœlum? an pectore cæruleo mare? an versicolore corpore plantigeram tellurem? an corpore toto universum Mundum, qui elapso anno magno Platonico revolutionem passurus sit? Ita quidem *Deusingio, Laurenbergio, Kirchmeyero,* aliisque persuasum est, minimè verò iis, qui cum Ægyptiis Arabibusque versati, sensûs hujus mystici ne vestigium inveniunt in ipsis regionibus, quæ primam dedêre lucem Phœnici. Quid moror? In τῷ φοίνικος, sive Palmæ dactyliferæ, argumento, arboris omnium principis, Phœbo dicatæ, venustissimæ, felicissimæ & maximè longævæ, natales suos nomenque invenit ipse plumosus; & per Phœnicem nihil unquam aliud priscis, nisi Palma nostra designata est. Alæ frondium ordines alatos indicant: decus plumarum, pinnatam seriem foliorum: renascens illa ex igne origo, ardorem significat, in palmiferis Arabiæ desertis maximè intensum, qui cum ceteris viventibus ferat interitum, Phœnici tamen nostro ortum & vitam partibus omnibus incrementum, caudici firmitatem & robur, fructibus maturitatem & perfectionem tribuit. Ceterùm & vita utrique longæva, Soli utraque sacrata, par fama & gloria, idem denique nomen est. Atque sic recluso, si quod est in fabulâ, analogiæ mysterio, reciprocam hîc reddimus ex ave in arborem metamorphosin: hoc loco statuentes & restituentes Phœnicem, quæ in Persiæ non minus, quàm in Arabiæ Ægyptique æstuoso solo longæva perennat *Arbor Dactylifera*, Latinis Palma, Græcis φοῖνιξ, Arabibus Persisque *Nachl*, Ormusienſibus *Mogh*, eorumque finitimis *Moch* appellata. Quam ipsam dum sub disquisitionis incudem vocamus, à contemplatione nostrâ excludimus alius terræ geniique arbores illas, quibus vel ex frondium gradatâ dispositione, vel ex verticis circa mediam gemmam circumfusâ comâ, vel ex harmoniâ partium fœturæ, puta spatharum spadicumque, vel tantùm ex individui caudicis simplicitate, vel quocunque charactere alio, Palmarum civitas indulta est.

§. 2.

Omnes plantas sub amplo Palmarum nomine per universam Asiam extantes in tres ordines disjungo: sic enim ipsa eas divellit maximè obvia & perennis differentia foliorum: Primus ordo Palmas folio Adiantino, alter flabelliformi, tertius arundinaceo exhibet dotatas, & in hôc postremô Phœnicem quoque dactyliferam, Palmam κατ' ἐξοχήν & sine addito sic dictam; omnium quippe Palmarum, quin arborum omnium facilè Reginam, perfectissimumque in Regno Vegetabili superbæ gravitatis exemplum. Nisi fortè principatum

ſibi arrogaverit Palma folio arundinaceo, *Cocos* dicta, quæ noſtræ vix cedit, ſive formæ totius ſimilitudine, ſive uſûs, quem vitæ humanæ præſtat, varietate, ſive potiſſimum ſui copiâ & multitudine: quâ, ut illa in omni citra flumen Indum Aſiâ æſtuosâ, ita hæc in omni Indiâ Tropicis concluſa, ceterarum arborum numerum conjunctim omnium evincit, extra eos verò limites, quod notabile eſt, nullâ arte ſe propagari patiens. Quam verò *Cocos*, velut nuciferam & à pruniferâ noſtrâ diverſam, à Phœnicis tractatione excludimus. Initio de dactyliferâ, vel de omni fortaſſis Palmâ dubitaveris, cuinam ſtirpium claſſi aſſocianda ſit? Nam Herbis & Fruticibus accenſeri, vel ob celſitudinem non poteſt; nec referri inter Arbores, quæ arboris leges indolemque reſpuit, nuſpiam cortice veſtita, expers lignæ ſoliditatis, & per ramos ſurculosque haud divaricata. Peculiarem igitur ſubire cenſum popularium judicio videtur, qui eandem *Moch* vel *Nachl* ſpecificò, quàm Arboris *Dirächt*, communi vocabulo appellare malunt, & Palmetum proprio nomine *Nachliſtaan*, vel antiquiori & oræ Perſicæ uſitato nomine *Moghe-ſtoon*, non *Dirachteſtaan*, id eſt, arboreti, indigitant. Enimverò, dubitationes has non adeo moramur, ut ex arborum ordine eam excludamus, haud integrum ducentes, ut Fungis & Muſcis, ſic vel Palmis aliud inter Plantas, quàm quò à Botanicis dudum donatæ ſunt, præter neceſſitatem genus conſtituere. *Theophraſtus* ſanc: *Planta*, inquit, *res varia eſt atque multiplex, inque univerſum de eâ referre judicium difficile*, Hiſt. Plant. Libr. I. c. 2.

RELATIO II.

Palmæ hiſtoria generalis.

§. 1.

Expedit autem ante arboris noſtræ introductionem duplex indicaſſe, Sylveſtre nimirum & Hortenſe, genus. Illud per deſertas valles & circa torrentium ſalſorum ripas creſcens, formam gerit indecoram, tortam & humilem, folia hortenſi multò longiora, firmiora & ad textilia opera magis expetita, fructus verò ut rariſſimè, ita non niſi auſteros & inutiles: ex quo, ceu futile, & palmeo nomine indignum, peculiari appellatur nomine *Abudſjebl*, quod Arabice Patrem inſcitiæ ſignificat. Creditur ex ipſis ortum eſſe hortenſium dactylorum officulis, quorum germen in ſterili ſolo, nullâ quidem auxiliante culturâ, in agreſtem proſapiam degeneret, ſi deinde radicum traducibus propagetur. Ruricolæ ſic referunt, penes quos fides ſit. Sylveſtri claſſi accenſenda venit parva quædam Palma Indica, quam copioſam *Ceilana* Inſula, ſub nomine *Hin Inai*, id eſt, pumilæ Palmæ, rariorem *Malabaria* ſub *Katuu Indel*, i. e. Sylveſtris Palmæ, rariſſimam terra Gangetica, ſub Telingicæ (mediterraneum idoma eſt) vocis *Ni Perú* appellatione videndam exhibuerunt, Dactylos ferentem minores, rubros, quodammodo edules, carne farinulentâ, ex quâ coctionis ope mellis ſpeciem Indi nonnunquam eliciunt, deſcripta ab Horti Malab. auctoribus Part. 3. Ab eâ non differre niſi natali ſolo videtur procerior oræ Guſurattenſis Palma, quæ inebriantem liquorem *Tarì* (pariter, ac per univerſam Indiam Palma *Cocos* potum vinoſum, *Syri* dictum,) ex præciſis ſpadicibus effundit; mitior verò, veræque Palmæ admodum æmula eſt, quoniam terræ natalis humente ſabulo, modico ſale nitroſo, & fervore fota (quibus mirè Palmarum genera delectantur) in ejusdem proceritatem generoſe enititur. Vulgus in Perſide & Arabia agreſti familiæ annumerat arborem ſuam Bdelliferam *Duum*, aliis *Mokhl*, dictam, cujus Gummi *Mokhl Aſrak* apud myropolas utriusque regionis, proſtat venale, ex fructuum decocto, quod perhibent, inſpiſſatum, coloris rufi, pellucidum & ſincerum. Arbor hæc ipſa eſt, quam in Paradiſo quoque germinaſſe indicat Hebræorum vocabulum בדלח Arabum voci Bdellium denotanti dubio procul æquivalens; nunc ejusdem ferax tantum eſt ſelix, quà Sinum Perſicum reſpicit, Arabia, & huic adverſa ora Perſidis *Diſſask*, noſtris *Capo de Jasques* dicta, unà cum vicino deſerti ejusdem circuitu, quem κατ' ἐξοχὴν & velut proprio nomine *Biabuun*, id eſt, deſertum appellant. Quam ipſam verò arborem, mihi haud viſam, nequaquam Dactyliferæ ſpeciem eſſe, ſed ſylveſtrem Palmam nuciferam folio flabelliformi, ἀδόκητος mihi retulit attentiſſimus in Oriente Botanicus, *Herbertus Jagerus*, Vir inter Philoſophos & Gymnoſophiſtas eximiæ auctoritatis, cui fidem ſubſcribimus. Crediderim hanc eſſe *Bdelliferam Chamaryphem Serapionis*.

Mitis altera & hujus loci Palma eſt, quam naſcendi fortuna melior, humanæ curæ & culturæ ſubjiciens, Hortenſem eſſe voluit, ſpecifice Palma Dactylifera, & ſecundum eminentiam, *Palma* ſine addito, Phœnix veteribus, Perſis *Moch*, *Nachl*, vel *Náchlichormà* appellata; cujus, ſed potiſſimum in Perſide naſcentis, hiſtoriam perſequimur.

§. 2.

Ejus Patria, in Aſia quidem, (nam Africam non moramur) omnis eſt Arabiæ Perſidisque tractus: qui ab Indiâ ad rubrum mediterraneumque maria protenditur, verſus meridiem Oceano circumfuſus, verſus boream trigeſimum ultra citraque gradum attingens altitudinis. In quo verò nuſpiam Palma magis luxuriat, quàm iis in regionibus, quæ ſitu propiore Sinum ambiunt Perſicum; quale ſunt: verſus meridiem, Arabia Maskettenſis feli

felix quoque nuncupata, ex ubertate dactylorum, quibus & cives sustentat suos, & citeriorem quoque Indiam alit: Versus Orientem, *Carmania* deserta, nunc *Meckraan* dicta, ad *Sindi* provinciam usque sive Indi fluminis alluvionem: ultra quam, teste *Garzia*, nullum Palmæ hujus est vestigium: ut mirer, unde *Georgio Andersonio* Dactyli venerint in Kara Kitaja, Itiner. Lib. II. cap. 10. Sanè, qui ejus arboris natale longiùs in Orientem protulerunt, quique Palmarum vel folia pro papyro expeti, vel spadices earum vini feraces esse retulerunt, illi vel congeneres sylvestres, vel Palmas nuciferas cum dactyliferis confuderunt, quale non est viatoribus indoctis, vel supinis, errorum genus insolens. Versus Occidentem: quicquid terrarum ex Babyloniâ per Susianam ad Basrensæ usque protenditur illustre ostium illud, quod Euphratis Tigridisque aquas communi alveo *Sjet et arab* receptas, in Sinum Persicum effundit, atque inde dactylorum magnam vim ad exteros mari dimittit. Versus Septentrionem antiquæ veræque Persidis, *Fars* dictæ, pars australis, quam ad Orientem *Carmania*, ad Occidentem *Susiana* terminat. In hâc verò nulla est ditio, quæ caryotarum vel delicatiori genere, vel majori genere, vel majori affluentiâ dotetur, quàm *Dsjahrom*, ex quâ illæ per regni universi partes & provincias (quas omnes incolæ nomine *Iruun*, nos, non Persidis, sed Persiæ vocabulo complectimur) ipsamque in Tartariam & Georgiam pervehuntur. Ex ceteris territoriis ditiori annonâ gaudet provincia *Laar*, & quam hodie includit, *Daraab*: Carmania item, nunc *Kirmaan* appellata; & inprimis ea provincia, quam Sinus sæpè dictus alluit, ab insulâ *Dsjeruun*, (nostris *Ormus*, vulgo Persarum *Hormuus*) *Dsjerunaat* denominatur: cujus ego nunc squalidæ ac torrentis terræ in amplexu, sub umbrâ Palmæ arboris, descriptionem hanc meditor. Rectè dictavit *Strabo*: *Regio* (Persis) *magna ex parte nuda, nihil habet præter frutices & Palmam, quæ in Babyloniâ & Susianâ & in orâ Persiæ & Carmaniâ permulta est*, de Situ Orbis Lib. XVI.

§. 3.

Cœlo Palma gaudet torrido & æstuoso, terrâ autem fabulosâ & limosâ, levi & nitrosâ: ex quo igitur ceteræ stirpes intereunt, eodem loci genio arbor nostra delectari, imò solo foveri dicenda est; quandoquidem in cœli benignioris regionem, fundum licet opimum, transplantata, vel emoritur protinus, vel, si vitam servet, sterilis & parva consenescit. Idem observavit *Theophrastus*: *Caloris*, dum ait, *avida est, & frigidum ferre nequit, fructifera verò sterilescit in Græciâ*, Hist. Lib. II. cap. 9; & *Plinius*: *Nulla est*, inquiens, *in Italiâ sponte genita, nec in aliâ parte terrarum, nisi in calidâ, frugifera verò nusquam, nisi in fervidâ*, Lib. XIII. cap. 4. Sanè, quò Palmarum feracior est regio, eò utplurimum inclementioris cœli & magis ceterarum rerum inops est, præsertim aquæ dulcis & fluminum: incolas proinde non habens, quàm plebejos & fortunæ tenuioris, qui dactylis, vix aliâ eduliorum specie, sustentari, & vitam degere in squalore & inopiâ à teneris consueverunt. Indolem cœli satis expressurus videor, si omissis reliquis, saltem calamitatum caput, auram ejus ferventem nominavero. Hæc æstate palmiferas regiones cùm infestet promiscuè omnes, tum verò circa littus Persicum supra mortalium tolerantiam & vires intenditur. Causa est, quòd Sol æstivus nullo hic imbrium humore, nullo nubeculæ velo unquam mitigetur: in Tropico verò existens, itu redituque circa populatium vertices multò diutiùs, quàm in ceteris cœli partibus, commoretur, ex quo hæc zona æstum ubique terrarum patitur; præterea, quòd campos hic inveniat merè fabulosos, adeoque fovendis radiis tenaciores, præsertim versùs boream clausos montibus prælatis, qui, ut austrum calentem sistunt, ita verò arcent expectatum ab illâ parte aquilonem. His pondus prægrave addunt singularis notæ venti, ex Austro-Occidente post meridiem flantes, æstuosi adeo, ut ex Orci faucibus propelli magis formidandi nequeant. Incolæ eos vocant *Baadi samuur*, barbaro ipsis nomine & venenati quidpiam insinuante: rectiùs Circios infernales appellaverint; ex eorum quippe occursu, præsertim in turbinem si agantur, viatores nonnunquam prosterni, & præcluso spiritu suffocari contigit, nisi linteo madefacto faciem operiendo suffocationis periculum declinaverint; quo fine nemo facilè sine plenâ amphorâ iter hoc occipit. Res prodigio similis, & ut à nemine hactenus memorata, sic ex naturæ principiis nondum decisa est: cur stygii isti flatus, cùm flammæ instar ardeant, liquores tamen ad madentes pannos contactu suo algidos reddant: quin etiam reconditos intra cameram & non contactos mediocriter refrigerent? Certè, qui à corporis loturâ (quam hic in detrimentum amamus advenæ) ex cisternâ madentes prodeunt, ab hoc vento afflati, vim frigoris percipiunt intolerabilem, ac pene funestam, nisi subito inarescens cutis, molestiam cum madore rursum deponeret. O Arctoum filiis ingratum & inhospitale cœlum! Perperam *Hornius*: *Solum versùs Sinum Persicum fertile ac crebris fluminibus irriguum, interiora verò* (Persiæ) *perpetuis caloribus adusta & sterilia*, notat *Orbe Pol. P. IV.* Rectiùs iterum è priscis *Strabo*: *Ora*, inquiens, *maritima æstuosa est ac ventosa, & fructuum inops, præterquam Palmarum*, de S. O. L. XV.

§. 4.

Sexum Hortensis Palma, de quâ solâ agimus, duplicem agnoscit: Masculinum, qui rarior, & Fœmininum, qui copiosissimus est; ille florifer sine subsequente fructu, hic absque præ-

cedente flore fructifer solùm est: secus ac stirpes ceteræ, quas naturam fecisse ἀνδρόγυνα comperimus. Decerptus proinde fuit *Johannes Baubinus*, cum *Hist. Pl. de Palmâ*, in eadem arbore, tam flores quàm fructus vidisse se, ac ipsos decerptos possidere testatur contra *Gesnerum*, qui Palmas arbores circa Monspelium steriles memoraverat. fide fortassis potiori: siquidem negare fas est, decidua dactylorum in fœminis initia, fructuum mereri nomen. Nullæ sexûs, quibus discernas, intercedunt notæ, quam hæc diversitas parûs, ante cujus eruptionem mares à fœminis ægrè dignoveris. Palmicolæ tamen perspicaciores ex frondium & caudicis liberaliori quodam vigore ac pleniori habitu mares colligere longo usu didicerunt. Idem affirmo de thecis ingravescentibus, quas mares exhibent præter morem fœmineum largiores, crassiores & magis pendulas, præsertim brevi ante ruptu-ram, sive partus exclusionem.

§. 5.

Duplicem Palma agnoscit ortum: vel enim ex plantato genuino semine, videlicet ex dactyli Officulo, progerminat: vel ἀυτόγονος, sive sponte genita, prodit ex radicibus alius Palmæ, tanquam ex materno sinu. Ex Officulis progenies utriusque sexûs nascitur, sed quem ante fœcunditatem, quod dixi, vix dignoveris. Αὐτόγονος soboles ex maris gremio perpetuò florifera, ex fœmineo verò dactylifera prodit, & sexum refert parentis, ex quo nata est. De utriusque productione nunc speciatim.

Officulum plantam progenerat peregrinâ à parente suo facie, quâ per annorum aliquot infantiam servatâ, per varios incrementi ordines Palmæ arboris formam pedetentim induit. Hos ordines primùm nunc exponam, ab ovo, quod ajunt, orsurus. *Officulum*, (*vide Tab. XI. Fig. 1.*) cùm in terrâ trimestre, vel pro soli genio longiùs, ad spithamæ profunditatem plantata jacuit, ex umbilico suo (puncta est in gibbâ parte) protrudit caruncu'am subst antiæ tenerrimæ, teretem & candidissimam: ex quâ deinde, sensim intumescente, omnes partes arboris successu temporis propullulant. Hæc inquam caruncula in uncialem longitudinem paucos intra dies protensa primô mense radiculam triuncialis longitudinis, simplicem & tenuissimam in perpendiculum demittit, dum supernâ parte dehiscens cylindrum protrudit carnosum, albam, teretem longitudinis uncialis. Altero tertioque mensibus (*Fig. 2.*) radicula, longius producta, fibris pubescit paucis tenuibus, simul ac è cylindri, jam magis elati, vertice enascitur & extra tellurem assurgit folium seminale, unicum, obscurè viridans, rigidum, in lanceæ angustiam rugis tribus quatuorve plicatum, semipalmaris circiter longitudinis. Tum relictô, quod hactenus adhærebat, Officulo jam effœto, cylindraceum, quod dixi, germen (*Fig. 3.*) in bulbum oblongum, foliorum rudimentis tunicatum compactumque extumescit; radix in spithamæ longitudinem extensa, unâ atque alterâ augetur socià; Folia verò adsunt gemina, pariùs tria, paulò magis explicata, palmaris longitudinis, latitudinis uncialis, rigida, tensa, plicata: quorum quod externum est & magis aversum, jam proprio nititur pediculo & majori vigore luxuriat, altero tertiove vix dum integro comparente. Atqui hoc primum planiæ nostræ incrementum est, videlicet semestre, vel potiùs annuum, si à plantatione computes, præsertim si cœlum ac solum minùs faveant. Altero dehinc anno arbuscula (*Fig. 4.*) largiori incremento assurgens, radices acquirit plurimas, quas ad cubitale spatium diffundit; bulbus majori auctus tunicarum numero, ultra spithamæ turget peripheriam, paulatimque graciliore extra solum dodrantalis prominet, in quinque, plura vel pauciora, resolutus folia, spithamam & ampliùs longa, lata pollicem unum geminumve: nixa pediculis ex herbaceo albicantibus, pronâ facie canaliculatis, calami scriptorii crassitie, longitudine unius vel plurium, pro ætate, unciarum, glabris, fibratis, firmis. Pediculorum in complexu Gemma emicat ingens, conoides, palmam vel spithamam longa, surrecta, rigida, virescens, ex rudimentis foliorum arctè sese involventium conglobata: ex quâ sub nde aliud exsurgit folium, semper majori plicarum numero instructum. Anno ætatis tertio marcere incipiunt folia quædam exteriora: quàm verò jacturam renascentium major numerus & vigor abundè compensat, & quæstuosa incremento arbusculam in majorem molem provehit; dum felici interim auspicio etiam dehiscere foliorum plicæ incipiunt, & in lacinias, sive folia arundinacea, dissolvi, proximâ, quæ genuina est frondibus, similitudine. Habes Palmæ ex semine suo prognatæ figuram, quam gerit in cunabulis: quibus triennio vel longiùs immorata, masculam acquirit parentis sui formam, bulbô in brevem & ligneum caudicem, pediculis in scapos & ligneas costas, foliis per alternas plicas divisis in frondes alatas, totâque puerili & hactenus mutabili structurâ in consistentem Palmeæ arboris habitum, speciosâ mutatione transeuntibus, in palmetum quandocunque lubet, ex ephebis proferenda.

Altera Stolonum ex radice progenies ἀυτόγονος, (*Fig. 5.*) luxuriosè statim & alatæ figuræ folio, nullis infantiæ retardat gradibus, in conspectum venit, & biennio haud longius exacto jam humanam frondibus attingit longitudinem: quapropter ætatis adepta veniam, in palmeti classem bimula recipitur. Hi Stolones non Palmis quibuscunque, sed saltem in fundo fœcundiori adolescentibus, & annos intra quadraginta constitutis adnascuntur, singuli quini, interdum plures, damnosâ parentibus, ni extirpentur, luxuriâ.

Stolonum aliud quoque genus est (*Fig. 14.*

spuri


TAB. XI.
F. 10.
F. 9.
F. 14
F. 7.
F. 8.
F. 1.
F. 3.
F. 2.
F. 6.
F. 13.
F. 12.
F. 4.
F. 11.



ſpurium, nec hujus loci, quod ſine radicibus in caudice, ex aliquo pollicum frondiumve ſinu, quin intra ipſam arboris comam, emergit. Quod in iis Palmis, quæ ætatis vigore & alimenti copia præ ceteris luxuriant, non rarò evenit. Verum hæc quamprimùm cernitur arboris μονοβλαστε ſoboles perdita, velut patriæ ſtirpi infeſta, ociſſimè avellenda, & in ovo, quod ajunt, interimenda eſt.

§. 6.

Naſcentem Palmam ejusque incrementum oſtendimus. Hoc uti ſatis eſt liberale in infantiâ, ita ſegnius in adulta, tardiſſimum in conſiſtente ætate, nullum protinus eſt in ſenio conſtitutæ. Quamprimùm enim perfectam arboris faciem, depoſitâ, ut ſic loquar, pubertate ſuâ, aſſecuta eſt, nihil ampliùs partes in magnitudine vel numero, id eſt, in perfectione ſuâ proficiunt. Caudicem excipio, qui ſolus, ſervatâ craſſitie, in majorem longitudinem provehitur: verùm lento admodum ſucceſſu, nec quotannis vel quot menſibus ad ſenſum manifeſto: æſtimari tamen annuum incrementum poteſt ex amiſſione marcentium ſub comâ frondium, quas ſingulis annis ſeptem, &, pro diverſâ ætate & terrâ natali, plures vel pauciores exuit, interea totidem novis in vertice acquiſitis. Tantâ enim longitudine vertex atque adeo ipſe caudex procreviſſe putandus eſt, quantum in eo ſpatium occupaverant baſes frondium amiſſarum, ſive quantum recens acquiſitæ occupant. Id verò ſpatium cum admodum ſit in vigore arboris anguſtum atque exiguum, tum verò in ſenili comâ & ſolo ſteriliori eſt anguſtiſſimum & vix dodrantale. Incrementa autem & totius arboris habitum ſi metiri per ætates placet, comperies: adultam, (*Fig. 7.*) ut plena eſt ſucci & vigoris, ita frondibus luxuriare denſioribus & ad ſuperbiam expanſis: caudice donatam quatuor vel quinque orgyiarum altitudinis: Provectam ætate, (*Fig. 8. & 9.*) obtinere longitudinem circiter novem plus minus orgyiarum: comâ donatam modicâ, frondium denſitate & longitudine ſpectabilem: Seneſcentem & decrepitam (*Fig. 10.*) duodecimam orgyiam rarò aſſequi, nullo partium decore conſpicuam: caudex enim exeſus nullis pollicibus ornatur, nec eorum quidem veſtigiis, niſi fortè in cacumine: coma veſtitur aliis & rarioribus & vigore orbatis: tota denique arbor ſterile ſenium & fatalem vitæ declivitatem triſti exprimit habitu.

§. 7.

Ætatem verò ita computamus, ut quinquagenarias adultæ, centenarias provectæ ætatis, decrepitas verò eas vocemus Palmas, quæ vel ducentos annos aſſecutæ ſunt, vel cum tertio ſeculo devolvuntur; tot namque annis Palmam vigere, gravi populatium auctoritate & temporum traditionibus perhibetur: quo ipſo quidem tertio ſeculo Phœnix noſter naturæ debitum exſolvit, eo modo, ut vel è capulari faſtigio (ex pluviâ in eodem permanente) putreſcenti, univerſa coma decidat: vel radicibus ſenio abſumptis tota excelſæ arboris machina ex tempeſtate corruat: vel eadem, ſiderato caudice, ex teredine atque recepto inter pollices humore, contabeſcat: vel demum fibrarum ductibus, nutrimentum deferentibus, vetuſtate exſiccatis, vitæque adeo abſolutâ periodo, pereat & quomodoque emoriatur. Sextum verò excedere ſeculum, quod de eâ ſub alitis allegoriâ prodit antiquitas, id nunquam in Phœnicis patriâ hominum memoria obſervavit. Equidem in iſtô æſtuoſô climate, cujus cauſtica aëris pernicies non cæmentitiis operibus, non ipſi parcet Martis metallo, ſatis hanc longam eſſe ætatem crediderim, quam nec temperatioris cœli arbores, niſi rariſſimo exemplo, ſuperaverint. Nam, quod *de Mundo congenita atque intacta ævis roborum vaſtitate in Sylva* noſtra *Hercyniâ* celeberrimus *Plinius* ſcribit, Nat. Hiſt. Lib. XV. cap. 2. id credere Judæus apella debet, non qui auctoritatem rationibus ac dextræ rerum inquiſitioni poſtponendam ducunt.

RELATIO III.

Palmæ Cultura.

§. 1.

Quæ in Palmetis condendis, quæ in arborum culturâ palmicolis attendendæ ſint rationes, paucis contemplabimur. Prima eſt deligendi loci irrigui, nimirum, in quo affluxus aquæ fontanæ, vel, ſi ea deficiat, puteanæ, debitè ſiſti, & per arborum quincunces derivari poſſit. Campus igitur, quò planior, eò alendis arboribus aptior natus eſt: ſalebræ & clivi, niſi fontibus ſcateant, minùs ſunt idonei: ineptiſſimi ſunt, quos humoribus natura omnino deſtituit. Genius ſoli quis eſſe debeat, ſupra diximus: quis aquæ fuerit nil refert: Omnis liquor Palmæ gratus eſt, dummodo ſalibus non nimium gravatus: tantùm poſſeſſoris intereſt, ſi cum altrice ſylva ſibi conditurus eſt domicilium, ut inveniat dulcem, non gravatam ſalibus & potioni ineptam. Plerique enim hujus cœli tractus vel omnino humoribus & culturâ deſtituti torrent, vel colono ſuo non aliam impertiuntur, niſi *Aabi ſjuur*, i. e. aquam ſale nitroſo muriatico imbutam, ſive in ipſo foveant terræ ſuæ gremio: quales aquæ ut limpidiſſimæ ſunt & ſpectantium oculis pergratæ, ita ſitientis labra viatoris multories fallunt. Delectus campus primò omnium profundè ſulcandus & ſubigendus eſt: deinde ad legitimam diſtantiam (quincunces & ordines parum curantur) novellis palmis conſerendus. Harum verò cum duplex genus ſit: unum, quod ex radicibus, ſtolidâ, quod vocant, fruticatione, alterum, quod ex Oſſiculis prognaſcitur: optimam ducunt rationem, uſuque recentioris ævi proba-

probatam, ſi poſthabitâ Oſſium ſtirpe meris Stolonibus coloniam inſtruant. Illi namque, ſicut liberaliori Lucinâ nati maturius adoleverunt, ita citiùs poſſeſſori operam refundunt diviti annonâ fructuum ſuorum: quos etiam ferre perhibentur præſtantiores, id eſt, dulciores & pinguiores, quàm ex altero genere expectari poſſint. Accedit, quòd in poſteriori genere nulla dentur in tyrocinio ſigna, quibus ſexus dignoſci poſſit, adeoque dubiâ manu pro fœminis admiſſi mares omnem facilè conditoris operam & expectationem fraudare poſſint. Præterea culturam hoc genus requirit diligentiorem, quia neglectu irrigationis in ſylveſtrem *Abudſjehelorum* proſapiam degenerat; quod idem evenit, ſi quò ſata ſunt officula, eodem loco ſobolem enatam, omiſſâ transplantatione, adoleſcere permiſeris, humore quamvis neutiquam deſtitutam. Circa Stolones cautio eſt, ne ante bimatum vel trimatum natali ſinu eximantur, quod citius evulſis radicularum organa deficiant, quibus nutrimentum poſſint ſine maternâ ope acquirere. Transferendi tempus vernum eſt, quanquam anni quacunque parte transmoveri valeant, dummodò non pigeat ab injuriis auræ eos tueri diligentius. Plantandi modus hic eſt: (*Vid. Fig. 6.*) ſinguli ad caulis ſummum usque verticem ſingulis inſeruntur ſcrobibus, pedaneæ profunditatis & bicubitalis latitudinis: in quibus primo alteroque menſe aqua ſemel indies admiſſa conſiſtere debet, ne radiculæ in exſucco ſolo ex ardore cœli contabeſcant; à qua etiam calamitate caudex & ramuſculi tuendi ſunt, circumpoſitis & laxè in faſtigio colligatis quibusdam ramalibus, quæ ſolares radios arceant. Sunt ex palmicolis, qui in pinguiori fundo uni ſcrobi alumnos committunt geminos, caudicibus parumper ab invicem reflexis vel reſupinatis, eò nimirum conſilio, ut uno emortuo alter locum ſuppleat, uterque verò ſuperſtes ſine mutuo impedimento, comis ab invicem declinantibus germinare poſſit. Ordinis in locando ratio illuc recidit, ut ad decempedæ unius intercapedinem diſponantur, quò radices ſuas valeant liberius diffundere & alimentum acquirere ſine mutuâ ſubductione & noxâ.

§. 2.

Palmeto condito id negotii datur Poſſeſſori, ut ſuffoſſis elicibus ex profluente aquam ad arbores educat, quò radicum compages requiſitò tempore irrigati poſſit. Id maximè opus eſt, ut paſſim per æſtatem, ita præſertim menſe Caniculæ prævio: quia tunc humorem gravidæ & turgentes ſpathæ avidiſſimè ſitiunt. Accolæ maris penuriam rivorum arte ſupplent, & nocturno labore aquas, machinarum ope, hauriunt ex profundis puteis. Machinarum levidenſis ſtructura eſt, bobus ſaltem agitanda ſingulis, (*Fig. 2. Tab. XIV.*) qui ſtadium in terram declive (longitudine profunditatem putei adæquans) deſcendunt, & hôc ipſo utrem ingentem aquâ plenum ex puteo ſubtrahunt nullo negotio, declivitate, quòd à puteo incipiat, omnem ærumnam ſublevante: nam in deſcenſu incumbens jugo bovinum pectus mole ſuâ pondus aquæ ſatis evincit; in regreſſu quoque nihil gravat, niſi aſcenſus inani hauſtro tunc ſponte in puteum recedente. Puteus ipſe in editiſſimo campi loco effoſſus eſt, deſuper trochleâ inſtructus cylindraceâ, ſatis amplâ, circa quam funiculus utris extractorius circuit, unâ extremitate jugo bovino, altera hauſtri orificio alligatus. Uter tantùm non dolii habet capacitatem, ex crudâ pelle conſutus, cujus orificium craſſo ligno diſtenditur, ut aquam puteo immerſum intromittat: fundus verò, in tubum patulâ extremitate productus, eandem aquam, ex puteo elevatam, effundit. Hoc procedit ope alterius funiculi paulò tenuioris, qui, ex jugo in prædictam tubi extremitatem protenſus, ſingulari trochleæ, paulò citra putei oram extanti, ſubditur, eò conſiliò, ut tubum demiſſiore loco retineat, dum prior funis orificium ſurſum provehit; quo ipſo evenit, ut expanſus uter omnem lympham, ſine dirigente manu, dimittat, & in nudam effundat terræ ſuperficem, vel in lacum, ex altera putei facie, rudi manu effoſſum; ex quo in quamvis arboreti partem per ſulcos dimitti ac dirigi poteſt. Vulgus ruſticorum machinâ ſimplicioris ſtructuræ, & utre non tubulatò utitur, (*Fig. 2.*) cujus quo hauritur lympha orificio, eodem quoque redditur, aſſidente, qui ex puteo appellentem in oram ſubinde dirigat & effundat. Utraque machina pro locorum culturâ in provinciis quoque mediterraneis obtinet, quibus cum cœlo pluvio ipſi rivi deficiunt, quæ ſanè perpetuâ ſterilitate torperent, niſi artificium & improbus incolarum labor naturæ invidiam corrigeret, ſementemque requiſito humore fœcundaret: ſanè uberius & felicius, quàm ſi à dubio Jove, & incommodo tempore humores expectandi veniunt. In noſtris Regnis quoties ex ſiccitate cœli annonæ caritatem luimus! Vindicari ſegetes ab hôc genere calamitatis poſſent, ſi agricolæ has irrigationes exercere impigri noſſent, vel ſocordes vellent. Trituratio quoque, (*Fig. 3.*) ſi ad hujus cœli morem inſtitueretur, multis parceretur laboribus. Hic enim ruri defalcatas fruges trahæ ſubjiciunt, ſerratis rotulis armatæ, quam dum inſeſſor auriga equò, oculis velatò, in orbem agit, eâdem unius diei operâ & grana elicit, & ipſum ſtramen in paleas comminuit. Bobus hôc cœlò moles & robur corporis eſt, humeri inſigni tubere eminent, velut ad jugum omnino natis, aures pendulæ ſunt, & pilis longioribus marginatæ, cauda humum demiſſa in piloſum tubercu-

ruberculum decorè terminat, cetera noſtris ſunt ſimiles. Pabulum in palmetorum angariis verſantibus porriguntur cocta palmularum oſſa, & Acaciæ cujusdam, *Mocheir* dictæ, ſtolones ac ramuſculi, qui huic arbori pingues, nutricioque ſucco admodum ſunt ditati; hos dividunt in bacillos cubitalis longitudinis, tum parumper ad ignem torrent, toſtos ad aliqualem mollitiem lapide lignove feriunt: ſic præparatos tum camelis, tum bobus, priùs (ut paſcunt jumenta) ad cubandum incitatis, in os ingerunt manducandos. Teſtantur cuſtodes hôc pabulô jumenta maximè delectari, & in ergaſtulis fatigata promptiùs inſtaurari, quàm fœno vel gramine poſſent, cujus tamen alimenti genus campi palmiferi non producunt.

§. 3.

Gnaros deinde in hoc eſſe palmicolas oportet, ut pullulaſcentes in ipſo caudice ſtolones, (quod in adoleſcentiâ arboris maximè contingit) ad internecionem evellant: ne pereat arbori, diviſo caudice, ſimplex proceritas & decor, fructusque diminuto ſucco marceſcat, & de genitali, quod ſolet, dulcedine ſuâ remittat. Rariſſimè tamen ſic duplicatam progerminare contingit, nec niſi in iis tantùm arboribus, quæ in humo præpingui & ad rivorum margines conſitæ ex humoris & alimenti copiâ ſupra modum luxuriant. Pari rigore exirpandi ſtolones ſunt, qui è radicibus frutiant, præſertim ſi copioſi eodem niſu proveniant, niſi eos poſſeſſor pro traducibus ſervaverit: quo caſu nec triennium ultra ferendi unt, quin eradicentur: ne, ſubtractâ parenbus alimoniâ, verè nimis Phœnicis luſuri falam, ex paterno exitio ſequiores adoleſcant lii. Ex illis tamen, qui è radice interjectis aliuot à ſtirpe paſſibus emergunt, uni tantum el duobus, aliquando permittitur, ut in natalimine adoleſcant, propinquitate noxam genitori vix illaturis.

§. 4.

Supereſt in Cultura, quæ ad ornatum magis quàm neceſſitatem inſtituitur, annua frondium amputatio. Nam quot unicuique palmæ (de adultis loquor) ex mediâ ſummi verticis gemmâ frondes conſurgunt novellæ, tot quoque in imâ Comâ antiquiores extabeſcunt & deperduntur: non eâ quidem facilitate dependentes, atque ceterarum arborum folia: neque ſic adhærentes perpetuò ac contumaciter, *niſi à cultoribus præciſæ fuerint, impenetrabili ullo ſcandentibus aditum intercludant*, ut loquitur in *Hiſt. Plant. Joh. Bauhinus*, ſed reſupinæ ex arboris dedecore diu, quin anno integro, pendentes, donec fibras, quibus in ſuperficie roris hæſitabant, ſenſim infirmatas diſrumpunt. Hanc verò ſpontaneam amiſſionem, & integræ frondes, nullâ ſui parte ſuperſtite, abſcedunt, amputatio, à poſſeſſoribus facta, anticipare omnino debet, relictis arbori in tutamen & ornatum frondeis baſibus, quas *Pollices* vocabimus cum *Plinio*. Hi pollices, nullo pondere oneroſi, longo annorum numero in caudice retinentur, ejusque ſuperficiem imbricum more amplexantur, & ab externis quibuscunque injuriis defendunt. Inſtituendæ ſectioni deſtinare amant vernale æquinoctium, à quo Perſæ anni auſpicium repetunt. Eo enim tempore ut novo habitu corpus decorari oportet, ita ſuperſtitionis uſu in arbores devoluto palmis quoque ornatum conciliari volunt reſectione earum frondium, quas præter decus reſupinas & marcentes vident. Sed huic primæ & quodammodo inconditæ frondium putationi, à quâ pollices inæquali longitudine prominent, non acquieſcunt curioſi poſſeſſores, qui elegantiam non magis arboris præſtantiæ deberi, quàm ſuo honori autumant: quales ſunt ruſtici circa fines palmigeræ Perſidis boreales, qui quantò mitiori fruuntur aurâ, tantò quoque impigriores non gravantur, in gratiam pompamque nutricis ſuæ, ſcapos pollicum, à primæ amputationis incuriâ reſiduos, & inconditos decuſſatim, & ad baſes usque ſuas, ferrâ proſcindere. Mirum, quantum hæc ſuprema cultoris manus & arbori addat decus, & aſpectantium oculis voluptatem pariat: dum generoſæ proceritatis caudex per æquales & politos pollicum gradus alternosque ordines gratioſè aſſurgit, & in comam, perenni elegantiâ viridantem, ſuperbè deſinit. Perſæ ſanè, orationem collaudantes venuſtam, venuſtiùs eam neſciunt, quam Palmæ comparare, & periodorum gravem decurſum & elegantiam graviori, quam *Nachli ſſirin*, id eſt, dulcis palmæ titulo exprimere. Præterea iterata reſectio eam utilitatem præſtat, ut ſinus omnes ac latebræ removeantur, ne in iis vel deliteſcant varii generis inſecta, quæ caudicem erodere conſueverunt, vel conſiſtere pluvialis humor poſſit, ex quo reticulatum, quod arborem involvit, tomentum putreſcat, & ſuperficies arboris exedatur: Hoc neglectu enim ipſi pollices citò abſcedunt, & nudus caudex fœdam refert cariem & exeſa lacunarum ſtigmata: ſicut nobiliſſimæ arbores ſic deturpatæ, ac ante ſenectam ſqualidæ, apud ſupinos ruſticos auſtrales, ſectionum negligentes, paſſim conſpiciuntur.

§. 5.

Ad culturam quoque ſpectat Cura ægritudinum. His tamen rariſſimè obnoxia eſt arbor tam venuſta & felix noſtra, utpote quæ adverſus injurias quasvis inſtructa eſt, ſali ac ſabulo ſueta, ſitis patiens, & craſſarum donata fibrarum ductibus ac laxè patentibus poris, per quos facilè digerit & exſpirat, quicquid cum ſucco nutricio ſuppeditatur heterogenei, à quo numeri periculum inteſtinum poſſet. Præterea adverſus ardorem, tempeſtates, inſecta & externos quos-

cunque casus & injurias satis firmata est, ut, si quid ex his fontibus obvenerit, id communi fato cum plantis ceteris patiatur. Tribus tamen magis divexari dixerim: Tineis, formicis & locustis; his namque copiosam melle suo indulget escam: illis tetrum latebras & asyla axillarum: istis lignum in ambitu effœtum. Locustarum impetus rariores accensorum ramalium flammâ plerumque avertuntur: Verùm, harum verendâ incursione totæ provinciæ quandoque ita inundantur, ut nulla non planta sub atroci gemat tyrannide nequam illius & damnificæ bestiæ: quod ubi evenit, non Vulcanus cum Cyclopibus à palmis eas arcebit, nec annonæ caritas ullo præsidio cavebitur. Formicis & tineis studiosâ caudicis purgatione occurritur: ab Asâ fœtidâ *Hing* expeditum remedium petit ditio *Disguun*, hujus succi natalis; nimirum hanc Asam stemmati circumponunt, aut ejus radicem elicibus injiciunt, ut aqua sygio fœtore imbuta palmeæ radici affluat, & cum alimento distributa exitiali vermiculis, intus latentibus, antidoto sit: perinde ut lumbrici abdominis medicamenti amarore extinguuntur. *Jemen*, seu Arabia felix, majorum formicarum genus quoddam alit, ceteris formicis & insectis quibusvis infestum, palmis tamen minimè noxium, cujus examina, unà cum ramis, quorum cavernulas inhabitant, in palmarum comas transponunt: ubi aperto foramine audax & bellicosum genus novam sedem ab insectis, fructui insidiantibus, purgat & tuetur, sola virtutis spolia in escam suam convertens. Prostant militares illæ manus in usum palmicolarum passim venales, præcipuè in tabernis & compitis urbis *Mocha*, quò ex jugis montium, à vagis pastoribus deprehensæ, advehuntur.

RELATIO IV.

Palmæ descriptio Botanica.

§. 1.

Palmæ per ætates suas incrementa & culturæ modos indicavimus: sequitur ut in partes ipsas cultrum immittamus Botanicum. *Radix* trunco constat medio, simplici, crasso, lignoso, interdum gemino, &, ubi soli conditio patitur, in rectum demisso: quem in summâ tellure brachia circumdant tortuosa, tenuia, per terræ superficiem longis vagisque flexibus repentia, ut plurimum nuda & simplicia, alia ramosa & fibris brevissimis stipata. Hæc substantiâ gaudent exteriori corticeâ, interiori ligneâ, utrâque lentâ, fibratâ & firmâ, coloris in rufum nigricantis, saporis sylvestris. Radices mitè expositæ sunt insidiis bestiarum ex erinaceorum genere, quas *Plinius* L. VIII. cap. 35. *Hystrices*, Persæ *Sichuur* vocant; per campos enim concubiâ nocte grassantes sævis in eas dentibus invehunt, & palmetis, præsertim junioribus, damna inferunt gravissima, cum totali plurimarum arborum exitio. Edax quoque rerum tempus, in aridiori solo, sæpè ante arboris senium, tam, qui in profundum porrigitur, truncum, quàm, quæ in transversum extenduntur, brachiorum propagines absumit: hinc fit, ut pessumdata arbor, brevibus densisque radiculis se prodat conspicuam, opinantibus ignaris, tantillo radicum fulcro vastum caudicem substitisse.

§. 2.

Caudex est rectissimus, simplex, individuus & μονόβλαστος, figuræ ad assem cylindraceæ, nisi verticem versùs pauxillisper gracilesceret: crassiorem hâc parte referunt alii, quos tamen, credo, decepit eminus conspecta facies palmæ senescentis, quæ, cùm humotenus frondibus orbata, sæpe etiam exesa & detrita sit, nil mirum est, si, in summitate adhuc integrâ & pollicibus vestitâ, pleniorem habitum referat. Arbori adultæ id notabile circa basin evenit, ut externæ fibræ, rupto caudicis ambitu, intumescant, & radicum faciem geniumque induant antè, quàm terræ superficiem contigerint. Crassities caudici tanta est, ut, pro diverso arboris vigore, plus minus sesqui orgyiæ mensuram in ambitu complectatur, multo minorem verò, si pollicibus orbata fuerit. Longitudo ætati respondet: ex celsissima orgyias octo hôc cœlo raro enter transcendit. Cortice donatus caudex non est; sed al injuriis se junior tuetur partibus frondium, a amputatione residuis, quas pollices nuncupavimus. Horum accurata est dispositio, lenis semper numeró superficiem juxtà in orbem ambientibus, ita, ut ex interstitiis seni superiores alidecussato ordine provehantur: quibus tandem successu temporis ex senio & tempestate abscedentibus nuda prodit superficies, ingratâ a tactum asperitate, pulloque colore tetra, tu fœdis quoque frondium signata vestigiis, petir de atque brassicæ capitatæ caulis ex defluvi foliorum. Interior substantia à summa cervice quâ comam sustinet, ad radicem usque, ex fibr compacta est continuis, crassis, ligneis, firmis levibus tamen, & fungosa carne laxè adeo co hærentibus, ut vix non digitis possent dissolv inde lignum soliditate carens asciæ ægrè obed &, nisi pro fulcris ut inserviat, aut fudibus tug riorum, aptum natum non est, qualis structur latebras dactylophagæ gentis pars maxima inh bitat. Medullam annosus caudex nullam exh bet: succedaneus ei conspicitur per mediu demissus ligneus quidam nervus, multò crassi firmiorque, quàm sunt fibræ carnis reliquæ: quâ ita laxè comprehenditur, ut unguibus fac evellatur. In tenello caudice omnis pars interi in adulto ea, quæ per comam desinit, in provect re saltem quæ in verticis gemmâ conspici medullæ similis, mollis & edulis est; (*Vid. Tab. Fig. 14.*) Substantia ejus est albissima, tenera, c nosa, fragilis, subdulcis ac sapida; unde Pe

vo-

vocabulo communi *magsi ser*, id est, medulla capitis, & proprio nomine *Kuur*, *Dioscoridi* ἐγκέφαλον, seu medulla, *Theophrasto* & *Galeno* ἐγκέφαλος, seu cerebrum, appellatur, quo exciso arborem interire necesse est, quandoquidem expectatæ productionis germen est, ac frondium futurarum rudimentum; unde hoc cupediarum genus solummodo ex comis spuriis atque palmis sylvestribus peti debet.

§. 3.

Coma palmæ una est & perennis; multiplicem aliquando produci in Ægypto *Theophrastus* Hist. Pl. L. II. c. 8. auctor est: quod evenire posse non inficior, si circa comam præter naturæ ordinem enatus stolo unus aut alter incuriâ possessoris invaleat. Coma, pro arboris diverso statu, quadraginta ad minimum, ad summum octoginta absolvitur frondibus, specioso & ceteris arboribus insolito ordine in orbem sparsis. Primò enim in summo vertice gemma existit ingens, cono similis, ex frondibus proximè nascendis compacta, bicubitalis circiter longitudinis, angusta & in acutum apicem producta. Hanc proximè frondes stipant recentiores, nondum satis explicatæ, nec ultra gemmæ longitudinem protensæ, quas ambiunt inferiores aliæ atque aliæ, perfectæ longitudinis, alternatim positæ, magisque semper à vertice reflexæ, donec postremæ in arcum curvatæ horizontem versus extendantur; eas non rarò excipiunt senio marcentes quædam, indecorè propendentes, nisi prævio cultoris studio amputatæ fuerint. Ex frondium axillis prodeunt suis quique spathis ramosi spadices, floribus in Palmâ masculinâ, fructibus in fœmineâ fœcundi: de quibus omnibus nunc dicam sigillatim.

§. 4.

In antecessum verò notamus, denominandis, quæ Comam constituunt, alis foliosis, placuisse nobis *Frondis* adoptare vocabulum. Non enim *Folii* nomen, quo recentiores utuntur, arridere potuit, quoniam frondem palmeam natura neutiquam in lobos laciniasve divulsit, ut folium inde dici unum tanta compages possit: sed in folia distinxit genuina & numerosissima alia, suis quæquæ pediculis (qualibuscunque) insistentia, licet arcte adeo communi costæ adnata, ne sigillatim, sed præter morem vulgarem cum universa frondis compage decidant. Nec cum Bauhino *Rami* nomen placuit. Ramo enim id proprium est, ut in indefinitum crescendo surculos acquirat alios atque alios; quod, cum ab Alâ nostrâ alienum sit, tali postulabat designari vocabulo, quod differentem illam in surculos augmentationem non involveret, simul atque foliorum non excluderet pluralitatem. Est autem Frons palmea (*Tab. XI. Fig. 11.*) ingens & ramorum æmulæ magnitudinis ala, longitudinis trium circiter orgyiarum, utrinque ex foliis arundinaceis secundùm longitudinem pinnata, frondi arboris Cocciferæ cuinus aspectæ similima, nisi quòd huic sint folia plana, longiora, tremula, flaccida & quodammodo pendula, illi verò rigidiora & magis surrecta. Partes ei sunt Costa, Spinæ & Folia.

Costa ex principio brevi, lato & compresso in angustam trium orgyiarum longitudinem extenditur, superficiem exhibens glabram & nitentem, coloris herbei, in basi annosâ lutescentis, supernam faciem convexam, inferiorem in principio concavam, in progressu quodammodo canaliculatam. Substantia illi eadem est quæ caudici, sed levior & minus compacta, tum fibris donata candidioribus & subtilioribus. Costa componitur ex basi, scapo & virgâ. Basin (*Fig. 12.*) appellamus imam partem, quæ caudici imbricatim adhæret, figuram obtinens utcunque triangularem oblongam, interiori superficie concavam, exteriori gibbam, longitudinem sesquispithamæ, latitudinem in imâ parte dodrantalem, crassitiem biuncialem. Ora utrinque tenuis est, in fibras desinens copiosissimas, reticulato textu in nassæ speciem cohærens, quâ latera vicinæ cujusque baseos invicem nexa ac connata sunt, dum subinde ordinis superioris intermedia quæque basis eâdem convestitur, ut saltem exiguâ sui parte nuda prominear. (*Fig. 12. lit. a*) *Scapum* ea costæ pars constituit, (*Fig. 12. lit. b.*) quæ à basi ad aculeos, foliis prævios, nuda porrigitur, & à caudice declinare incipit. Hæc est illa portio, quam à primâ frondium rectione remanere narravimus, in alterâ verò, à curiosis institutâ palmicolis, supernè amputari, ne imbres hauriat, à Plinio *Pollicis* nomine insignita. Cubitalem refert longitudinem, crassitiem pollicarem, latitudinem in imâ parte trium, in progressu duarum circiter unciarum. Virgam vocamus reliquum corpus longum ac paulatim tenuius, quod ultra scapum extenditur, & in adversо margine spinis primum, mox longâ foliorum serie conseritur.

Spinæ foliorum rudimenta sunt, quæ in ipsâ costâ utrinque prodeunt primò rara ac brevia, mox densiora & longiora, donec, absoluto cubitali spatio, foliorum formam lentâ mutatione induant. Sunt autem ex conoide informes & angulosæ, crassæ, duræ & quodammodo lignæ, superficie nitidâ & ex herbaceo in luteum pallente, summâ facie canaliculatâ, apice tereti & fusco, donec paulatim in folia expandantur.

Folia sunt perennia, pennata, arundinacea, densissima & indefiniti numeri, primùm brevia, vix spithamam longa, mox in majorem longitudinem producta, donec, mucronatâ extremitatum circumscriptione, ad finem costæ deficiant. *Pediculis* qualibuscunque nituntur, semiunciali intervallo dissidentibus, ligneis, crassis, longitudinis fere pollicaris, inconditæ & in quadratum vergentis figuræ, costæ firmiter adnatis, nec ab eâ nisi violentâ manu possint avelli. Situm folia habent obliquum, & in illo hoc singulare,

gulare, quòd, licet pediculis insistant in æqualem seriem locatis, ipsa tamen utrinque à se invicem, utplurimùm alternatim, distendantur in duplicem ordinem, qualem foliorum disjunctionem in aliis Palmarum foliò pinnatò generibus non observavi, neque in dactyliferâ Europæâ quemquam memini notâsse: fortasse, quod arbor extra cœlum suum degener & genuini decoris patùm studiosa sit. Sed vel ipsa densitas separationem requirebat, nimirum pediculis tam arctè considentibus, ne tot foliis locus sufficeret, nisi alternâ divaricatione disjungerentur, simulac plicarum ope in pressiorem stringerentur angustiam. Folium maximum longitudinem habet cubitalem, latitudinem biuncialem, figuram arundinaceam, acutè mucronatam & superiori facie per mediam longitudinem plicatam: superficiem utramque cum exiguo nitore obscurè virentem, & quadantenus striatam; Præterea durum, tensum, rigidum & exsuccum est, nervis per longitudinem excurrentibus crassis ac bene firmis.

§. 5.

Reticulatum, quod dixi, involucrum (*vide Tab. XI. Fig. 13.*) ex filis inæqualibus, crassis, polygonis, parum compressis, rigidis, & velut ex stupâ vel cannabe rudiori ductis constituitur, figurâ nassam, densitate stupam, usu fascias referens; hæc proinde aspera & incondita est: in Palmis adolescentibus, præsertim circa frondes fastigii, coloris obscurè lutei, denta & spithamam lata: in senescentibus, præsertim circa annosas frondes, ex rufo nigricans, detrita & angustior: illis ornamento & usui, his noxæ & dedecori. Non est fascia hæcuna & simplex, sed pro frondium densitate multiplex, adeo ut tres, quatuor aut quinque invenias invicem impactas; etenim, cum frondium ordines angustis invicem incumbant intervallis, fieri aliter non potest, quin telæ istæ multiplicentur, & inferiores proximè sequentes plurali numero complectantur. Id in caudicis parte superná maximè obvium est spectare: in infernâ enim sensim obsolescentes, unà cum pollicibus suis, defluunt, postquam eis (apud socordes rusticos) laceræ & putridæ diu inhæserant. Longitudinem æquè ac figuram reticuli cujusque metiri licet ex interstitio basium frondearum, quarum oras invicem connectebat. Constat ex triplici parallelogrammo filorum, vel, ut clarius dicam, ex tribus fibrarum parallelarum ordinibus, quorum uterque exterior, tertium, velut tramam inclusam, obliquo fibrarum ductu decussat: fibris quidem non textili modo implicatis, sed capillamentis perexiguis, instar aranearum telæ, invicem connexis. Usu retium potissimùm coma fruitur, in quâ, ut frondium, sic præsertim spadicum novellorum bases firmant quodammodo, & ab externis injuriis præsidiò suò tuentur. Nomen ne omittamus: hóc enim peculiari à Palmicolis impositò *Liif.* Nam ut Romani Baccho sacræ Vitis partes singulas domesticis appellationibus insignire dignati sunt: ita Persis, suæ, Soli ac Cereri sacratæ, arboris partes prope singulas propriis decorare nominibus placuit. Hinc arborum truncus, vulgò *bunè diracht*, in Palmâ *Mersè nachl*: frons ramusve vulgò *keng*, in eâdem *Letti nachl*, ejusque recisa basis *Tovvvet*, folia vulgò *berg*, in dactyliferâ *Piisj* appellata sunt. Taceo fœturæ nomina, quæ suo loco lustrabimus.

RELATIO V.

Palmei fœtus historia & anatomia Botanica.

§. 1.

Hactenus de Palmæ partibus; nunc de fœtu, arborum effectu, dicemus, memoraturi, quâ sui parte, quoque tempore & progressu Palma hoc cœlo fœtificet. Primitias prima edit inter palmas αὐτόγονος, anno videlicet quarto à transplantatione, si solum fœcundius, sexto septimove, si sterilius, nacta est: serius fœtat, quæ Ossi debet originem. Fœtus autem suos, haud arborum ceterarum ritu parte gignit promiscuâ, sed eos in summo tantum caudicis fastigio è frondium axillis egerit, racemis instar scoparum ingentibus consitos, cum quibus adhuc tenelli, vaginâ quasi coriaceâ arctè compacti obvolutique, reconduntur. Amant Romani racemos sive termites hos appellare *Spadices*, thecas eorum ob romphææ similitudinem *Spathas*, propriis, sed ex Græciâ translatis, vocabulis. In ortu suo fœtus palmæ maris à fœminâ externâ facie non est discretus, quin utraque Palma spathas fert similimæ prorsus figuræ, & in utrisque prolem, dum sectione eximitur, intus & extrinsecus candidissimam, facie utrâque glabram, nitidam, & in unius quasi tuberis soliditatem, structura thecæ, compactam, gemmulis nimirum unà cum virgulis, quibus adhærent, adhuc tenerioribus, molliculis & edulibus. Spadicem hunc novellum, exsciissum, (*vide Tab. XII. Fig. 4.*) Persæ appellant *Pengi nachl*, gratissimi sibi pulpamenti vocabulò. Ordinem in pariendo uterque sexus tenet sequentem: Principio mensis Februarii, fortè & citiùs, arbores virtute Solis appropinquantis excitatæ intra sinus frondium rudimenta partus sui concipiunt, nimirum Spathas surrectas, (*Fig. 4.*) compressâ sui facie caudici accumbentes, sed adhuc intra texturas & involucra frondium reconditas: ex quibus, quamprimùm emersæ ac lucis factæ sunt publicæ, in omnem perpeti augmento accrescunt dimensionem, & ex prolis, quam ferunt, copiâ sic intumescunt, ut eam sequente Mense, quem Marti inscribimus, in longum dehiscant (*Fig. 1. & 2.*) & per fissuram alterutro latere, rarius utroque, factam, inclusum tuber excludant: quod ipsum claustro solutum paucos intra dies Spadicis habitum induit, in virgulas resolutum


F. 2.
F. 1.
F. 13.
F. 14.
F. 15.
F. 4.
F. 4.
F. 6.
F. 3
F. 5
F. 16.
F. 12.
F. 7.
F. 8.
F. 9.
F. 11.
F. 10.



numerosissimas, flosculis in mare, (*Fig. 3.*) in fœminâ prunulis (*Fig. 6. & 12.*) refertas, secundum longitudinem inordinatè & sigillatim consitis: illis usum pro imprægnandis palmis fœmineis (*Fig. 16.*) ex tempore præstantibus, his à tardiori incremento demum mense ab hinc quinto maturescentibus. Spathas usu suo defunctas natura nutrimento prorsus destituit, ita ut brevi deformes extabescant, proinde ad reddendam arboribus gratiam sedulâ hortulani manu recindendæ. Spadices paucos habet Palma adolescens æquè ac decrepita; integræ autem ætatis (*Tab. XI. Fig. 8. & 9.*) octo vel decem, interdum inutili fœcunditate plures, & alimenti, quo ingravescant, inopes: quos tolli ferri acie oporter, nisi jam ante ab hortulanis, quod solet, pro cupediis evulsi sint. Nos fœtum in utroque sexu distinctiùs inspecturi, primò corticeam, quâ clauditur, thecam removemus, brevibus hîc delineandam.

§. 2.

Palmei fœtûs theca, quam proprio nomine Latini *Spatham*, Græci ἰλλὰς καὶ σπάθην, Persæ *Bukúmi nachl* appellant, (*vide Tab. XII. Fig. 1. & 2.*) figuram habet utcunque clavæ lignææ, simili bulbo oblongiori compresso, quali in præliis utuntur Brasilienses. Externa superficies lanugine tegitur molli, densâ, brevissimâ, coloris obscurè rufi, quâ abrasâ, diluto colore gratiolè viret; interna alba est, glabra, humida & quodammoda mucosa. Substantiam obtinet corticeam, in fibras dividuam, nonnihil tomentam, cùm exaruit lentam & corio non dissimilem; crassitiem culmi habet avenacei, tenuior existens in parte gibbosâ, quàm reliquâ, & in spathâ fœmineâ, quàm in masculinâ. Spatha constat tubo & ventre. *Tubus*, qui spadicis capum investit, compressus est, ex ventris gravitate incurvus, vaginam acinacis referens; longitudine spectatur cubitali, (in fœmineâ paulò brevior,) pollicari crassitie, latitudine trium-ciali. Ima pars, quousque comæ inseritur, gracilior est, candicans & substantiæ tenerioris, quæ, cum spatham evellis, corii in modum contracta recedit, semipalmarem denudans scapi extremi portionem, quam vulgus dactyliphagum inter edulia recipit. *Venter* longitudinem assequitur cubitalem, latitudinem palmarem & amplius, crassitiem, dum rupturæ proximus, triuncialem, utrâque facie tumentem, fastigiô, orâ usque ad digitalem latitudinem solidâ, substantiæ fragilis, ambitu acuto. Interiorem superficiem exhibet convexam, albam, glabram & æqualem. Officium Spathæ est, ut nascentem spadicem ab aëris injuriâ tueatur, scapum suo tubo, tenellum verò termitem, racemosque floriferos, claustrô ventris sui fovendo.

§. 3.

Spatham masculo turgentem spadice (*vid. Tab. XII. Fig. 1. & 3.*) à spathâ fœmineâ vulgus singulari distinguit nomine *anbaari nachl*: quin & excluſum, quem hic propono, *Spadicem* virgulasque illi avulsas eodem vocabulo indigitans; quanquam vocis indoles nihil, quod scio, masculinum, sed domum, cellam, vel vas refertum denotet, & saltem plenitudinem insinuet. Eidem recens in lucem nascenti exempta flosculorum moles (*Fig. 4.*) peculiare obtinet, ac in palmicolarum Reipublicâ celebre nomen *Kobonegh*; Integro enim mense, quo ejus habetur copia, exquisitum præbet, tam liguritoribus obsonium, quàm socordibus remedium excitandæ libidinis, si ejus buccellæ aliquot comedantur. Extrahitur eum in finem Spatha, (*Fig. 4.*) vixdum è fasciis suis prominens, cui in longum incisæ embryo illi eximitur, & in virgulas vel buccellas divulsus dono distribuitur petentibus, utramque ejus faciem vide, sis (*Fig. 4.*). Damni nullum ex evulsione periculum est, quòd possint palmeto propediem fœcundando pauci superstites sufficere. Exsciſſus hic partus (Cæsareum vocant Medici) saporem habet vapidè dulcem, &, prout omnis pars Palmæ esculenta, nucis castaneæ æmulum, sed cum subamarâ cruditate quadam, & humiditate nidorem præbente spermaticum. Ejus gemmæ rudimenta sunt flosculorum proximè explicandorum tenerrima candidissimaque, vinaccorum magnitudinis, ex mutuâ compressione multilateralia, mox figuram acceptura trigonam, quæ petalorum numero & situi respondeat. Hæc intemerato relicta domicilio perfectionem mense Martio consequuntur, cujus calore promota carceris angustiam, facto impetu, disrumpunt, prodeunte per Spathæ hiatum incluso Spadice, cum racemosa oscitantium flosculorum scholâ. *Flosculi* (*Fig. 5.*) Liliis convallium minores, oblongi, tripetali, coloris albidi in luteum pallescentis & ingrati, staminum tribus, ad petalorum numerum, donati vestigiis; nituntur non petiolis, sed herbei coloris carnoso quodam principio, respondente magnitudini seminis Coriandri, & in petioli modum emarcente. Hoc *Theophrasto* & *Plinio* imposuisse videtur, quo minùs utramque Palmam fructiferam appellare dubitaverint. *Petala* flosculorum surrecta sunt, oblonga, concava, obtusè mucronata, succosa, carnosa rigida. *Stamina* sunt lanuginosa, rigida, brevissima, albicantia, multo referta *polline* in luteum pallente, levissimo & subtiliſſimo, qui etiam floris umbilicum copiosè obsidet. Pollen drachmæ unius pondere assumptus, dicitur, ad ciendam libidinem, majorem præstare efficaciam, quàm ipse embryo, quòd vel ex seminali halitu conjicias, quem exspirat prægravem. Colligitur à gnaris, concussione spadicum recens natorum, (qui singuli singulas circiter uncias exhibent) & pyxide reconditur probè operculatâ, ne ab aëre virium patiatur dispendium. Meliori consilio pollinem electuariis roborantibus admiscent alii, quòd solitarius, quanquam pyxide clausus, situm facilè contrahat. Flosculorum

uni ſpadici numeroſa eſt congeries: nam, cùm Spadix unus mediocriter magnus (magnitudo pro arborum habitu diverſa eſt) virgulas ducentas contineat, quarum breviſſimæ floſculos habent quadraginta, mediæ ſexaginta, longiſſimæ octoginta, hic numerus floſculorum medius, cum virgarum numero multiplicatus, computum reddit duodecim floſculorum millium in uno Spadice: qui in lance à me librati exhibuêre libram unam civilem Belgicam, unicâ minùs uncia. Minor multò gemmarum numerus eſt in Spadice fœmineo, ad cujus examen nunc telam protendimus.

§. 4.

Spadix fœmineus, (vide Tab. XII. Fig. 6. & 12.) termes palmeus eſt, ſine prodromis floribus agmen plurimorum fructuum exhibens, cum quibus, dum uterino adhuc cortice obvolvitur, guloſæ plebi ſalivam quoque movet, ferculum ventri ſimul ac Veneri expetitum: ſed quod maſculò haud melius quidem, ſed eò rarius habetur, quò majus nefas eſt id gravidæ arbori eximere, & meſſem, quod aiunt, in herbâ conſumere. Arboribus tamen vel nimium fœtis, vel admodum adoleſcentibus, tantum abeſt, ut non liceat, ut potiùs ſuperfluas ſufferre ſpathas neceſſe ſit: ne illic deficiente alimento fructus, hic fracto in puritiâ vigore, ipſæ matres intereant. Obtinuit & hic embryo nomen peculiare Arabicum *Zalek nachl*, quo à virili diſtinguitur, in Perſidem, me judice, introductum ab Arabibus illis, quos video cum cilicinis tuguriis palmifera littora inhabitare, & paſſim perambulare; ſed quæ vox tamen ipſos intra Lares Arabiæ Spatham ſignificat, & ſcribitur. Varia partus fœmineus, cum incrementi ſui gradibus, ſubit nomina, quibus in hôc foro ſucceſſu temporis diſcerni poteſt, & probè ſignificari, quantum & fructus ad maturitatem profecerint, & dactylophagi ſpes populi ad meſſem ſuam accedat propiùs. Quæ ipſa nunc ſingula, cùm incrementa, tum nomina, ordine recenſebimus.

Vergente Februario ac ineunte Martio, ſpathis rumpentibus, (*Fig. 2.*) primùm emicant Spadices, clauſtroque non multis poſt diebus relicto nudi in lucem prodeunt; à palmicolis *Kogèr*, vel ut alii ſcribunt *Kocherri moch* ſalutati, nomine, ut opinor, depravato ab Arabicâ voce *Djauhèr*, quæ ſubſtantiam meliorem denotat; quo verò nomine, ut tota gaudet ſpadicis hujus compages, ita in ſpecie non alio ipſa inſigniuntur rudimenta fructuum. Hæc rudimenta magnitudinem æquè ac rotunditatem obtinent granorum piperis, ſuperficiem nitentem albam, ſaporem ſubauſterum: ſubtus duplici induta membranulâ ſive calyculo, uno exteriori, qui brevior eſt, altero interiori, qui fructum proximè & pene integrum involvit, utroque oram habente inæqualem & ſuperficiem ſubaſperam. Copioſiſſima uni ſpadici inſident: numerum reduco ad bis mille & trecenta, ſi, ſpadices majores cum minimis jungendo, ſingulis virgulas octoginta, virgulis verò ſingulis grana triginta tribuam; ſed quorum vel medius vel major numerus ſenſim defluit per tot incrementi & mutationum gradus, quos ad maturitatem usque ſubeunt. Hoc in ſtatu cum ſobole ſuâ Spadix recens natus non diu moratur, ſed cum Aprili menſe invaleſcens, (*Fig. 7.*) extenſis ultra maris vigorem virgulis, fructus extra caliculos exhibet provectos, vergentes in figuram turbinatam, coloris unà cum virgulis in luteum languentis, ſaporis, paulò quàm ante, auſterioris. Huic ætati nomen eſt *Tögerèk*. Menſe Majo (locis aliis inclinante Aprili) fructus noſtri parùm figurâ, nil ſapore mutati, ceraſorum adipiſcuntur magnitudinem, (*Fig. 8.*) colore in herbeum virente, ſubnato intus oſſiculi rudimento molliculo: virgulis interim longiùs quoque productis ac quodammodo luteſcentibus. Hæc facies nomen recipit *Chamèl*, in aliis territoriis *Puruus*. Variant enim pro obſcuris locorum incolis & ipſæ obſcuræ originis appellationes. Junio ineunte, alibi citiùs, (*Fig. 9.*) olivas figurâ & magnitudine exprimunt, dum oſſicula indureſcunt, & caro, imminutâ humiditâte, fit ſolidior, ſapore & colore nihil mutatis. In hoc ſtatu conſtituti fructus nomen gerunt *Charèk*, & in aliis locis *Kong*. Appetente Julio plenum adeptis, qui Dactylis competebat, habitum, (*Fig. 10.*) viridiſſimus nitor eſt, figura turbinata, oſſiculum induratum, caro utcunque mollior, ſed pene exſucca, duriuſcula & acerba. Hos tamen vulgus tam difficiles ventriculo & auſteros fructus cum voluptate eſitat, expectationis, dum matureſcant, impatiens. Crederes naturam eis ænea dediſſe guttura, ſecus ac militibus M. Alexandri, quos immaturis dactylis (in reditu ab expeditione Indicâ) ſtrangulatos referunt, qui vel Palmam, vel illius Principis geſta deſcribunt. In hôc gradu conſtituti nomen *Chalaal* tam diu gerunt, donec ad perfectam maturitatem devenerint. Maturitatem verò accelerant Circii æſtivi, venti ſupra fidem ardentes & frequentiſſimè ſpirantes circa Caniculam. Quò illi æſtuoſiores ſpirant, eò citiùs omnes gradus decurri, ſoſpitari fœturam, fructûs magis dulceſcere & maturiùs perfici, experiuntur palmicolæ, qui hos rebus ſuis ſecundos, ſuo licet corpori atque ceteris animantibus vegetabilibusque moleſtiſſimos ac pernicioſos ſpiritus, junctis expectant deſideriis. Nota, appellationem *Chalaal* interdum latiùs patere, & prædictis omnibus imponi gradibus, quibus facies jam oblongior, olivæ ſimilis & dactylo genuinâ eſt. Menſe Auguſto citiùs, tardiùs, dactyli matureſcunt, & hôc ipſo, depoſitâ priori, appellationem ſubeunt *Dumpàs*. (*Fig. 11.*) Matureſcunt verò non more ceterorum prunorum, quæ ſenſim totâ ſi-

ul ſubſtantiâ molleſcunt, ſed primò acqui-
nt, putreſcentis inſtar pomi, maculam mol-
m, utplurimùm in extremitate, quæ ſen-
n proripiens omnem ſubſtantiam crudiorem
ucis diebus in dulcem pulpam convertit:
egendi tamen ſunt citiùs, ne productâ ad
mbilicum mollitie ſuo caliculo excidant,
pſuque ſpontaneo conquaſſentur. Hos Dum-
aſios gula popularis maturis dactylis longè
nteponit, fortaſſè quòd mixta partis crudio-
s durities cum pulpâ bolum reddat com-
ordenti gratiorem, vel quòd primi expleant
ruritum appetitus, quem in has annonæ pri-
nitias vulgus dudum acuerat. Quin & con-
iviis ingeruntur virorum illuſtrium, inter
ntecænii, menſæve ſecundæ tragemata, loco
on poſtremo proponendi. Eorum pars cru-
a ſuperficiem habet cum nitore quadante-
us flaventem, carnem ex auſtero dulcicu-
m, albam, duriuſculam, quodammodo fari-
ulentam, ſiccam & friabilem: pars matura
ellucida eſt, mollis, dulciſſima, pro ſpeciei
iverſitate, in rubeum languens vel ruſa. Hæc
cie, quâ ad maturitatem vergunt, excuſſi, in
umulos (quod ſuo loco docebimus) partien-
i, & ſolaribus radiis exponendi ſunt, ut, reli-
uâ cruditate depoſitâ, inſolatione penitus
molliantur, & dulceſcant: quomodo omni
raduum numero abſoluti & excocti *Dactylo-
um* nomen ſubeunt, & à Perſis demum *Chur-
à*, ab Arabibus *Tamr* appellantur. Uſu ta-
nen receptum eſt eos recentes peculiari de-
ominare vocabulo Arabico *Rutèb*, quo ab
ntiquioribus diſtinguantur, quibus *Churmà*
omen commune eſt. Dactylorum differen-
ias recenſebimus expeditâ deſcriptione Spa-
icum, quibus innaſcuntur.

§. 5.

Spadix ſuperficiem habet glabram, nitoris
xpertem, coloris languidè punicei, qualis eſt
ulmi avenacei, ſubſtantiam obtinet levem,
axam, nervoſam, ligneam, albidam & fron-
leæ coſtæ perſimilem; figurâ ſcopas exprimit
domeſticas: nam & ſcapo conſtat & virgula-
rum faſciculo. *Scapus* compreſſus eſt, ex pon-
dere curvatus, pollicis craſſitie, latitudine ge-
minæ unciæ, in fœmella trium cubitorum lon-
gitudinis, in mare brevior, ſuperficie, ut exa-
ruit, ſtriata. Subſtantia, cùm fibris conſtet
enſiſſimis, ex omni arboris parte maximè ido-
neam cedit reſtiariis, pro tomento, materiam.
Pars ad palmæ longitudinem comæ infixa (re-
centis inquam & nondum adulti) carnoſa, nu-
clei ſubſtantiam & candorem obtinens, eſcu-
lenta & vapidè dulcis, quæ & cruda populo
ſervit pro cupediis, & à ditioribus pro condi-
mento ferculis incoquitur; ultra dictam ve-
rò menſuram amaritudinem contrahit, &
paulatim indureſcit. Nomen ei eſt *Paniiri
nachl*, i. e. caſeus palmeus, nulli non Perſarum
notiſſimum. Scapus, ubi deſinit, in *virgularum*
ſive *bacillorum* faſciculum, non ſimul, ſed quo-
dammodo gradatim, diſſolvitur, maſculus in
denſum & pedalis longitudinis, fœmineus in
ſesquicubitalem, rariorem & magis diſperſum,
illic maximâ florum, hic dactylorum minori
copiâ conſitum. Bacilli ſexûs utriuſque ſunt
ſimplices, recti, flexiles, longitudinis inæqua-
lis, culmi avenacei craſſitie, imâ parte nudi &
ad aſſem quadrati, in reliquâ floſculis fructi-
busve ſingulis inordinatè conſiti, ad ſitum cu-
jusque fœtûs alternatim & à brevi intervallo
retorti, adeoque inæquales & excuſſo fœtu ab
impreſſis veſtigiis ſubaſperi; fibris donantur
exilioribus, quam in ſcapo, & à reſtiariis repu-
dioſis. Spadices bacillos tenent rotundo nu-
mero computatos, ex maſculis maximi du-
centos vel amplius, medii quinquaginta ſupra
centenos, minimi centenos; ex fœmineis verò
maximi centum, mediocres octoginta, mini-
mi quinquaginta ſex: horum in claſſe plerum-
que tres quatuorve invenies, præter naturæ or-
dinem concretos.

§. 6.

Arboris fructus ſequuntur, videlicet *Palmu-
le* maturæ, quas *Perſæ Churmà*, *Arabes Tamr*,
Dioſcorides & *Galenus* φοινικοβάλανοι vocant, *Græ-
ci* eas δακτύλους, & cum eis *Romani* Dactylos ap-
pellant, à figurâ digitorum, quos tamen mini-
mè referunt. (*Tab. XII. Fig. 10. 11. 12.*) Potiori
jure id nomen gerunt Dactyli Indici *Tamr Hindi*,
ſiliquæ è ramis propendentes vaſtiſſimæ & à Pal-
mâ heterogeneæ arboris, quæ eminus conſpe-
ctæ articuloſum digitum grandiorem & incur-
vum accuratè exprimunt. Sunt verò phœni-
cobalani noſtræ, nimirum recentes, quas *Rutèb*
vocant, Palmæ mitis pruna, utplurimùm glan-
dium quercinarum figura, ſed iis ferè majora:
pellicula veſtita tenui, pellucida, nitida, colo-
ris in aliis ſpeciebus pallentis, in aliis lutei, rufi
vel rubei, pro diverſo colore carnis translucen-
tis. *Caro* eis multa eſt, pinguis, pulpoſa, ſaporis
vinoſi, dulciſſimi, officulo ſuo laxè inhærens,
intercedente membranula albicante, tenera,
molli, & quaſi bombycina, in plures pelliculas
dividua. *Officulum* (*Fig. 13. 14. 15.*) ſolidum eſt,
cornu inſtar tenax & durum, ſuperficie granis
uvarum concolori, vel ex cinereo magis minus-
ve diluta, interiori ſubſtantia ad ſimilitudinem
nucis myriſticæ variegata; figura ejus quodam-
modo eſt turbinata, incurva, una facie gibba &
æqualis, altera inſigni pulvinatæ figuræ ſulco in
longum diviſa. Facies gibba notabili cælatur li-
neola, tenui, per mediam longitudinem decur-
rente, cujus in medio punctum, quaſi umbili-
ci, conſpicitur, album fovens cartilaginem,
quæ, ad mediam Officuli ſubſtantiam penetrans,
futuri germinis rudimentum eſt. Officuli magni-
tudo plerumque ea eſt, ut tertiam totius ſubſtan-
tiæ partem exhibeat: variat tamen pro ſpecie
arboris & genio natalis ſoli. Arabiæ felicis da-
ctylos, cujuscunque nominis, pinguiores & mi-

norum

norum oſſium invenies, quam Turciæ & Perſidis. In Oſſium viſceribus medullam talem non reperio, qualem ineſſe, ac terrâ emollitis eximi poſſe perſuaſum eſt *Rajo*, dexterrimo Angliæ & ingentis ſtudii Botanico.

Dactylorum plurimæ ſunt varietates, à bonitate, figurâ, patriâ & diverſis accidentibus nomina ſortitæ. Quas inter primas ſibi ob ſalubritatem vendicant *Churmà Serrèk*, dactyli coloris ruſi & exiguæ magnitudinis. Sunt enim ad coquendum faciles, alimentum præſtant copioſum, laudabile, & omnis expers culpæ excitandorum flatuum ac torminum, unde etiam ad uſum deliguntur medicum. Habent hoc inſuper ſingulare, ut ſine prævia inſolatione, ſecus ac ceteræ ſpecies, conſervari poſſint, ne aceſcant. Ob gratiam ſaporis omnibus antecellunt *Churmà Sjabuni*, id eſt, Dactyli Regii, ita à præſtantiâ ſuâ dicti, & à *Plinio* quoque N. H. Libr. XIII. cap. 14. laudati, ſuaviſſimam obtinentes ſyrupi aromatici dulcedinem, & auream claritatem ſuccini. Magnates hoc genus dactylorum menſis ſuis arrogant, quaſi ſibi ſolis natum, & cellas penarias iisdem tam recentibus, ſive crudis, quàm poſt inſolationem conditis (ſyrupo ex caryotis ejusdem generis expreſſo) ſolicitè inſtruunt. Hos in ordine bonitatis excipiunt à ſincerâ dulcedine *Churmà Sjekkeri*, à nucis Moſchatæ figura & colore *Djjauſi*, à myrobalanorum ſimilitudine (ſerotini valde) *Halili*, à flavedine *Serd*, à jujubarum parilitate *Unabi*, à lithargyrii pallore *Mordaſengi* nuncupati; tum perquam molles & pulpâ ſcatentes *Muſali*, & qui in arbore areſcunt, longi, rugoſi, non decidui *Djjebrumi* dicti. Nec poſtremi ſunt, quibus à provinciis & loco natali nomen impoſitum eſt *Faarſi*, *Djjibani*, *Mekkèi*. Accedunt his ſeptem Baſrenſium proſapiæ inſigniores, per Arabiam deſertam decantati nominis, quas hic, velut exoticas, omittimus. Inter dactylos mediæ notæ à Perſis numerantur *Chuuſj govvaar*, *Falakuun*, *Nardſjili*, *Mirvahi*, *Seluuni*, *Mahhmuudi*, *Chaarù Djjemaal*, *Chaarù Derjai*, *Kuungird*, *Chuuſj chaar*, *Pijaruun*, *Wandulali*, *Reſjt* vel *Leſjt*, *Sabidi*, & plures alii, in diverſis provinciis diverſis inſigniti nominibus: quorum à recenſione abſtinemus, ne Relatio in longum & inutilem excreſcat Catalogum.

RELATIO VI.

Palmæ hiſtoria naturalis & œconomica, ſive de Palmæ fœminæ imprægnatione, & ratione tractandi Dactylos.

§. 1.

Examinatis Palmæ cùm partibus integrantibus, tum fructibus, liberiori pede ad reliquam tranſimus hiſtoriam: cujus vel ex primis, atque plena res digniſſimaque admiratione eſt modus Palmas fœmininas fœcundandi. Habet id, tot popularium, Perſidis, Arabiæ, Ægypti nutrix, inter plantas ſingulare, ut animalium exemplo, mari ſtato tempore miſcenda, atque ſinguli ejus uteri, quaſi conjugali coitu, imprægnandi ſint, ſecus omnia ſua quæ in lucem recens prodiderat, fructuum rudimenta, indeclinabili abortu, dimiſſura: abortu, inquam, non modò poſſeſſoribus, ſed ipſis provinciis calamitoſa; quandoquidem ex meſſe dactyliferâ populi illi ſuſtentare vitam non minùs debent, quàm noſtra gens ex frugiferâ, quâ irritâ, declinat fames à multitudine nullo conſilio poteſt. Memini ætate noſtrâ accidiſſe, ut Turcus *Baſrenſi* urbi & territorio (ad oſtium Tigridis) irruptionem decerneret: quam Princeps ſolo repreſſerat conſilio, ad primum hoſtilis adventûs nuntium delendi omnes palmas maſculas, quarum excidio frugiperdæ fœminæ obſidione & moræ hoſtium ſubſidia negaturæ ſint. Eruditus de conſilio hoſtis jam repedare cœperat, cùm tardatâ executione (quæ & ipſis incolis calamitoſa foret) præpes revocatus, propoſitum antevertit, excuſſòque Dominò, pœnas negligentiæ petiit. Palmicolis igitur incumbit ut imprægnandis arboribus quotannis impendant operam, ſiquidem in ſe redundare annonam cupiunt. Modus procedendi hic eſt. Spathæ maſculæ, incluſo tumentes flore & ad thalami conſortium maturo, ſub finem Februarii ex arboris faſtigio extrahuntur: quibus in longum diſſectis eximuntur ſpadices floſculis nondum oſcitantibus, ſed in unam maſſam compactis conſerti, (*vide Tab. XII. Fig. 5.*) Hos protinus in ſurculos, ſive bacillos ſpadicibus fœmininis inſerendos, divellunt, quantum quidem fieri poteſt, in bifurcos, quoniam hâc formâ commodiùs uſui ſerviunt. Bacillos alii amant recentes, atque illico inſinuare ſpadicibus, ſi qui jàm lucem nacti ſunt, alii eos prius exſiccant, & in Martium usque menſem cuſtodiunt, quò, hiantibus uteris ad unum omnibus, inſitionem uno actu & operâ inſtituant, (*Fig. 16.*) Flores an maturi connubio & quando eximendi ſint, explorari debet compreſſione ſpatharum, quæ contrectatæ ſi nullum produnt ſibilum, nondum perfecti nec eximendi ſunt; ſi cum ſono renituntur perexiguo, maturi ſunt & ſine dilatione ſolvendi, quoniam ſic modicè rigeſcunt, & tantillum clauſi ſunt, ut pollinem (quodammodo ex ætate humentem) fovere ſine diſperſione & jacturâ poſſint, dum inſinuentur & areſcant: in ſolo enim polline omnis fœcundiandi virtus reſidet; ſi verò ſpathæ digitis reſiſtunt cum ſtrepitu inſigniori, tunc flores jam nimium rigent & patent, nec ad uſum amplius idonei ſunt, quia ſolâ clauſi aſtrictione vaginæ ſuæ,



TAB XIII.



ſuæ, quâ ſoluti, ſive id manu anatomicâ, ſive ſponteneâ eruptione fiat, caveri nullâ ratione poteſt, quin pollinem in auras uno impetu explodant. Addo, quod mireris, exciſis hôc ſtatu ſpadicibus omnes flores unâ nocte omnes defluere, cùm tamen in arbore relictis ad menſem integrum remaneant, polline quamvis, adeoque omni virtute, deſtituti. Ad arefaciendum requiritur, ut maſculini ſpadices procul morâ exſolvantur involucris ſuis, tum in ſuſpendendas ſimul divellantur particulas, quamprimùm ſpathæ ex arboribus evulſæ ſunt; ſecus enim, ſi in iis compacti latuerint ultra diem naturalem, floſculi ambuſtione fœdati & macidi ad unum omnes decident, polline eorum pariter ambuſto & ſordeſcente. Parem jacturam ſurculi percipient avulſi, ſi alicubi acclinent, ne aura eos undique ambire poſſit: quod ut caveatur, ex funiculis obſcuro loco & in ſeriem ſuſpendendi ſunt, ita ut ſingulis ſpatium intercedat inane. Taliter exſiccati ad præſentes thalamos apti ſunt, & in annum poſterum, ſalvâ virtute, aſſervari poſſunt. Fœcundandi efficacia in eo poſita eſt, ut rudimenta fructuum ſeminali floſculorum polline vel ejusdem ſubtiliſſimis & inſenſibilibus particulis perfundantur: quod ut eveniat, furca una florida medio ſpadicis fœminei raceno per transverſum infigitur vel intexitur, (*Fig. 6.*) ita ut evelli procellis non poſſit, ſed aliquamdiu infixa retineri, dum omni depoſitâ virtute, embryonum rudimenta requiſitum vigorem adepta ſint. Hic actus peculiari decantatur phraſi *inbaar daden*, i. e. implere ſeu conferre plenitudinem. Inſitionem quandoque iterant cives defectorum, nihil ſuarum partium omiſſuri, quo conciliare annonæ poſſint augmentum, & novercalis ſolii detrimentum compenſare: quaſi ſatietur Venere, cui cum Cerere & Baccho non convenit. Reliqui Perſæ & omnes Arabes unicâ requieſcunt inſitione ritè celebratâ; ſuperfluam ajunt alteram, & pro ſoſpitandis fructibus nil quicquam amplius conferre. Imprægnatio quoque ultronea contingit ſine ſtudio & manu cultoris, translato per aërem polline ex palmâ floridâ, non procul extante à fœmineâ. Videmus, coti palmeto cum virgas diſtribuunt, eas omnes haberi inſuper, quæ marem proximè circumſiſtunt, ex floribus halitum ultro ſuſcepturæ. Quid, quod orbum curatore nemus fœcundari univerſum poſſit ab unicâ Phœnice floridâ, ſi duntaxat vario flatu ſeminale pollen uſtè circumferatur: nam perinde eſt, quomodo pertingat, ſeu vento appulſum, ſeu manu immiſſum, ſive etiam ore afflatum, prout *Theophraſtus* Hiſt. Pl. Lib. II. cap. 9. idem affirmat, & quisque æquiore animo crediderit, quàm ſi cum *Plinio* N. H. Lib. IV. cap. 2. *Juſtino* Hiſt. L. XLIV. *Sileſio*que Poëta Lib. III. referamus, equas in Luſitania afflatu inanis venti pullos concipere. Enimverò, cum plena res aleæ ſit fœcunditatem exſpectare ab aura, quod eadem, ſi adverſa, virtutem pollinis rapere aliorſum & diſſipare poſſit, ſi ſecunda fuerit, ſæpe imminutam & imbecillam deferre: inde in negotio tantæ expectationis palmicolæ tutiſſimam ingrediuntur fœcundandi rationem, & ipſa manu ſpathis ſingulis ſingulos floſculorum ſurculos inferunt, quod hos teneriora fructuum rudimenta virtute ſua, & ſpem felicis annonæ, nunquam deſtituiſſe, longa ipſis conſtet experientia. Creditur idem flos ſoſpitare fœturas quoque ceterarum arborum, & pronas in caſum reſtituere efficaci effluvio; quapropter illum multi malis aurantiis citreisque inſerunt: quô verò effectu, penes inſerentes judicium ſit. De fructu palmeo res extra dubium eſt; unde quibus maſculæ deficiunt arbores, iis aliunde flores petendi ſunt. Deficiunt non ſemper ex incuria cultoris, verum aliquando ex peculiari ſoli natalis indole, maſculinas non ſufferente, quicquid colendis operæ impendatur. Teſtes ſunt, ut loca alia, ita præ ceteris *Farchonaad*, Caramaniæ pars, quæ eam ob cauſam nemora non colit alia, quàm ſexûs fœminei. Transferendi autem ſunt cum virgulis legitimè exſiccati, ne in via fraceant, & probè obvoluti, ne ab aëre virtutis patiantur detrimentum. Parvi conſtant: integri ſpadices, ut cariſſimi ſunt, unico *Sjahi*, ſeu imperialis ſextante: ubi vero proventus uber eſt, viginti eodem pretio veneunt. Atqui hic palmas imprægnandi (ſit verbo venia) modus & ratio eſt, pene ſimilis rationi fœcundandi piſces: quorum ejaculata ova maſculi aſperſione ſeminis vegetantur: niſi ſatius ſit dicere *exhalantes è Florâ particulas aliquod ſaltem prunulorum rudimentis robur tribuere, quô adverſus defluvium firmentur.*

§. 2.

A fœturæ hiſtoriâ verſandorum fructuum rationes videndæ ſunt: (*vid. Tab. XIII.*) quomodo nimirum excutiantur, inſolentur, exprimantur, & ſi quid hic autumnus induſtriæ ampliùs requiſiverit? Ab excuſſione ordientes triplicis cenſûs dactylos, qui obſtetricem admittunt manum, in ſtirpe noſtra notamus, ſolo differentes gradu maturitatis: primi ſunt, *Chalaal* dicti, qui ad maturitatem inclinare, vel extremitate ſuâ matureſcere incipiunt: ſecundi *Dumpas* appellati, quorum mediam circiter partem maturitas occupat: poſtremi, qui integrè maturuerunt, ac nomine *Churmà*, i. e. Dactylorum κατ' ἐξοχὴν inſigniuntur. Omnes autem triplicis ordinis dactyli una opera arbori eximendi ſunt, ne ultro decidentes conquaſſentur: hi, quia præmolles carpendi dilationem minimè ferunt: illi iſtique, quòd in lapſum proni, ad deciduam quoque claſſem biduo triduove transgrediantur. Verùm, cum præaltæ & immobiles palmæ ſe concuti non patiantur, ſcandere verticem oportet, &, lapſum anticipando, fructus deciduos ipſa manu decerpere. Scanſurus (*vid. Tab. XIII. Fig. 1.*) tibiis in altum repit, à caſu ſe muniens reſte valida, quâ tergotenus ſub axillis protenſa, fini-

bus colligatis, unâ cum caudice laxè cingitur. Hanc reſtem, firmâ manu utrinque retentam, ſuper pollices aſperamve ſuperficiem caudicis ejicit, ſubinde altiùs, ſeſeque hoc niſu ſublevando, comam aſſequitur. In eâ conſtitutus, quaſillum longo adducit funiculo, quem alterâ extremitate femori alligaverat : adductum dactylis, quocunque gradu maturuerint, manu decerpendis replet : repletum dimittit, à ſubſtantibus ut depleatur : rurſum reducit, atque opus (crudioribus in arbore relictis) tamdiu iterat, donec maturi cum matureſcentibus ampliùs deficiant. Alii ſpadicibus comprehenſis dactylos motu excutiunt, (*Fig.2.*) quos ſub arbore conſtituti expanſo reti excipiunt: qui verò legendi modus ſaltem in palmis obtinet humilioribus, quia in altioribus excuſſione nimium diſperguntur. Lectionem per autumnum ſingulæ palmæ binis ternisve vicibus ſubeunt, donec omnium exactio fructuum trimeſtris intra decurſum abſoluta ſit.

Excuſſi indies Dactyli, ſecundum triplicem maturitatis gradum, ſeliguntur, in ſtragulis, ex folio palmeo textis, acervatim deponendi, (*Fig.4.*) ut ulteriori inſolatione (quæ illis pro diverſo maturitatis gradu per biduum, triduum, vel longiùs opus eſt) excoquantur; ita primum in pulpæ colliqueſcunt mollitiem, mox eodem ſolo rurſus ſpiſſantur magis magisque, donec corruptionis genium deponant evaporatione abundantis humidi: quo alioquin retento conſervari tam induſtriè non poſſent, quin brevi fraterent & aceſcerent.

Conſervandi triplicem obſervavi conditionem : aut enim poſt inſolationem torculare & melliflui roris orbitatem paſſi, inculcantur utribus (*Fig.4.*) vel oblongis ſi cinis, pro cibo plebejo : aut expreſſione emaciati, rurſus aliquâ ſyrupi ſui portione priùs irrorantur, quàm prædicta ſubeant receptacula : aut preli omnino expertes, alio inſuper ſyrupo copiosè perfuſi, in fideliis condiuntur, habituri locum inter obſonia ditiorum. Hos omnes, & quacunque lege aliâ conſervati fuerint, Latini Medici amant appellare *Caryotas*, Græci Φοινικο-βαλανους : his nominibus eos diſtinguentes à ſiccis & rugoſis dactylis, qui ex Syriâ Ægyptoque in Europam deferuntur, τραγηματα dicti ideo, quòd proponi ſoleant inter cupedia menſæ ſecundæ. Horum (poſtremi generis) geminam varietatem reperio: Unam eorum, qui ex ſpeciali indole non ſunt decidui, ſed in arborum ſpadicibus exaruerunt: Alteram, qui proximè ante maturitatem, dum eis *Chalaal* nomen erat, decerpti, perforati, filoque ſuſpenſi, & de induſtriâ exſiccati ſunt. Malunt ad arefaciendum eligere prolem delicatiſſimam, ejus præſertim generis, quod ob ſaporis præſtantiam *Sjahuni*, i. e. Regium nuncupant. Fiſcellæ, quarum memini, ſunt trapedalis longitudinis, ex agreſtis palmæ foliis ad ſaccorum formam & capacitatem contextæ. Texturæ genus vocatur *Dſjullet*, quô & dactyli reconduntur, & ipſi utres induuntur pro tutamine. Utres ſunt pelles caprinæ, nonnunquam vitulinæ & ovinæ, ita conſutæ, ut recipiendis humoribus ſerviant : his butyrum, lac & caſeum, his oleum, aquam & vinum, ut cetera taceam, totâ Perſiâ Arabiâque circumferuntur, & in tabernis quoque exponuntur venalia, facie piloſâ aliquando introrſum converſâ, aliquando extrinſecus, prout diverſa contenta minùs permeare comperta ſunt.

Syrupus huic populo magni uſûs & momenti liquor eſt; eum ut eliciant, palos requirunt orgyiæ longitudinis, qui, cum ligna deficiant, ex frondibus Palmarum nuper delapſi parandi ſunt. Hos in orbem trium paſſuum diſpoſitos ſurrectosque, inſertis viminibus connectunt, ita ut efformetur crates longa cylindracea, quæ præſtare torcularis vicem in expreſſione valeat. Cratem hanc vocant *Tſjaak*, quam, (*Fig.5.*) cùm uſus poſtulat, ſupra declivem lapidem, tabulamve ſtatuunt, ſuffoſoque pavimento, diotam ſyrupo excipiendo ſupponunt fictilem; fictilem dico, nam his regionibus vaſa lignea majuſcula nec dantur nec climatis æſtum ſine ruptione perferunt. Tum crati inſolatos dactylorum cumulos quotquot capere poteſt, ingerunt, qui ſuâ mole gravati, ac aliquot dierum æſtum macerati (nam & hoc negotium in aprico peragitur) humorem plurimum transmittunt, & in receptaculum deponunt. Syrupum qui avarite expetunt, ſune circumducto cratem arctiùs ſubinde conſtringunt, ſaxisque impoſitis profluvium extorquent copioſius. Ita melle ſupenitus vel majori parte exuti reconduntur in receptacula, quibus poſſit aſſervari. Toties autem crates replendæ, & expreſſionis labor iterandus eſt, donec palmulæ, arboribus ſubinde excuſſæ inſolatæque, torcularis vim omnes expertæ fuerint. Baſrenſes Arabumque ceteri, quibus amplior palmarum & annonæ copia eſt, compendiorem expediunt. Nimirum, torcularium loco cameris utuntur ſubdialibus, deſuper patentibus, pavimento contabulato vel gypſato, parietibus cæmentitiis, quibus intus ramalia opponunt, ne impuritas officiat. His omnem dactylorum molem, quanta ſatis inſolatione emollita eſt, unâ operâ inferunt, & confluentem ex iis ſyrupum lacu ſubtus facto excipiunt; ſique is parcior pro deſiderio effluat, aquam ferventem ſuperfundunt, quâ dulcedinis ſpiſſitudo magis eliquetur. Eliciendi modus eſt alius monticolis uſitatus, quibus Ceres invida palmæ negat proventum : Dactylos, tergis aſportatos aſininis, & palmicolarum prela jam dudum expertos, contundunt, mox aquâ percoquunt copioſ

copiosâ, donec solvantur in pultem, quam, abjectis sordibus, coquunt ad spissitudinem syrupi: sed qui bonitate neutiquam respondet illi, qui ex cratibus funditur. Hunc frustra expetunt, quòd vasis recondatur fictilibus, qualia iter per anfractus rupium haud differt, quandoquidem utribus pelliceis (prout hoc cœlo liquores solent) asservari non patitur, sine saporis detrimento. Dulcium verò intaminatam suavitatem mirè attendit œconomia Persarum & Arabum, & in palatis demulcendis quàm satiandis majorem curam agit. Syrupus dulci pinguedine butyri vices, embamma, obsoniorum condimentum, &, ut multa complectar, tantum præstat mensis utriusque gentis, quantum, si ipsos dactylos excipio, cibus ullus præterea.

§. 3.

Hi sunt palmicolarum in messe, ut sic loquar, dactyliferâ lusus magis quàm labores, neutiquam cum nostratium agricolarum infinitis occupationibus comparandi. Heu ilias hic laborum, dum agros effringimus, subaramus & resulcamus: dum occamus & liramus, runcamus & resarrimus: dum, ne sementis contabescat, marga & fimus inferenda: ne suffocetur, lolia eradicanda: ne absumatur, volucres & quadrupedes arcendi sunt: quin, quod nullâ arte caveri potest, à limacibus, muribus & insectis damna & excidium verenda sunt: dum & pluvia, siccitas vel qualiacunque cœli phænomena nunc expectanda, nunc metuenda veniunt; quibus omnibus exantlatis, in ipsa sæpe messe, ex tempestate calamitas ingruit, quæ omnem cultoris spem atque operam pessundat. Taceo frumenta flagellandi, vannandi, cribrandi, molendi atque cetcros laborum articulos, quibus toto anno Europæi fatigamur, ut solum obsonii vehiculum obtineamus panem. Secus sentias de Ambrosiis dapibus Persarum & Arabum; hæ gratis omnino & solo almæ naturæ munere conferuntur, absque præviâ seminis jacturâ, absque aratro & labore: nisi fortasse excussionis & expressionis negotium laboris nomine tibi veniat: negotium sanè tam leve, ne sudorem noveret, nisi excuteret canicula, quam tamen natio, iterata corporis lotura, umbra, otiô, confabulationibus, ludis, temperare, ad voluptatem usque, didicit. Sunt tamen qui palmeta inhabitant in angustis convallibus consita; non inficior hos fortunam premere graviorem, & annonæ collectionem ob perferendos calores molestissimam, quandoquidem illuc venti, qui auram temperent, nulli penetrare possunt, &, qui penetrant, in vortices aguntur ex rupium, quas feriunt, dorsis, ardore imbutos intolerabili. Quid his consilii? Relictis Laribus ad monticulos & loca elata plurimi confugiunt, & structis inibi, quæ à Sole præsidio sint, umbraculis & tuguriolis, operas persequuntur. Quod hîc lubentiùs faciunt, quàm in squalidis palmetis, unde ascensu difficili fructus ad insolationem & torcularia indies transferendi sint: ut nihil dicam de aquæ & fontium defectu in collibus, quorum tamen præsentiâ mirè delectatur natio, & carere ad corporis lavationem æquô animô non potest. Umbracula illa nullô fabricantur artificio, satis est conducere ad radios Solis arcendos. Pleraque constant ex fulcris quatuor, ad totidem passuum distantiam in quadratum oppositis, quibus desuper incumbit operculum planum, ex foliis palmæ crassè coagmentatum; latera auræ spiranti patent, storeâ illi parti præfixâ, quæ Soli adversa est. Tuguria parva sunt & levidensia, ex eâdem constructâ materiâ, nimirum ex ramalibus plerumque palmeis. Atque his obiter de dactyliferâ felicitate dictis, ad seriem historiæ revertimur. Palmarum cultores, sicut occasioni rivulorum & irrigationis obsecuti, non promiscuô locô sylvulas suas condidêre: ita benigna Ceres haud æquâ adeo manu singulas beavit provincias, ne locorum adstricta genio alias palmis cumulaverit, destituerit alias: si modo destituisse dicenda est, ubi finitimarum fœcunditate inopiam compensat, quæ vel ære, vel opportunâ supperentium rerum permutatione levari potest. Videas territoria, quæ ubertate palmarum usque adeo luxuriant, ut cives laboribus impares partiri cum peregrinis annonam & colligendi operam debeant. Inde evenit sterilium locorum incolas statotempore ad fructifera hæc nemora concedere, ut exhaustis vivendi subsidiis penuaria sua novâ annonâ impleant, & inopiam natalis soli alieno proventu sublevent. Nec tantùm turba inops adest ad mercandum, sed vel major hospitum numerus, datâ Penatibus veniâ, æstivandi causâ accedit; huc ab umbris, aurâ & fontium deliciis invitata, illinc depulsus ab igne imminentis Syrii, atque pluribus insuper ærumnis, quæ limites patrios per æstatem occupant. Has inquam ærumnas propositum nunc est recensere, tum ipsius ad palmeta profectionis, commorationis & reditûs circumstantias persequi, eâ quidem fide, qua illas in ejusdem stadii decursu enotavi.

RELATIO VII.

Peregrinationes ad palmeta.

§. 1.

Annuas ad palmeta profectiones nulli populariorum frequentiores instituunt, quàm quos æstus cœli æstivare domi suæ non permittit; quales cumprimis sunt accolæ Sinûs Persici, à *Sindi*, usque ad *Basram* Arabiæ. Toto autem littore non sunt, qui cœlo utantur tam incommodo ac sibi infesto, quàm incolæ urbis *Gbamroon*, vel ut ea rectiùs scribitur *Gumrù*, vel si nomen placet recentius *Bendèr Abasi*, i.e. Portus Regis Abassi, à restitutore suo ita dictus. Hæc,

quæ me nunc tenet, urbs ſita eſt in littore, ſub elevatione Poli $27^{\frac{1}{2}}$. 30. à tribus paraſangis oppoſita urbi ac inſulæ *Hormuus*, vulgò *Ormuus*, quæ olim florentiſſima Regum Kirmanenſium ſedes proſtata nunc atque diruta jacet, ſolo militum præſidio habitata, cùm, ex occaſu ejus, urbs noſtra ortum & incrementa ſua duxerit. Ædificiis adornata eſt ignobilis ſtructuræ & ſine ordine locatis; hoſpitum verò frequentiâ, civium multitudine, mercium undique appulſu, velut ad auſtralem Regni portum inclyta: emporium inquam totius provinciæ Ormuſienſis, quæ hodie *Dſjeruun* & *Dſjerunaat* appellatur, ab Afris, Arabibus, Indis, Perſis, Armenis, Europæis habitatum: maximam civium partem conſtituentibus Multhanis, ſive Benjanis, gente Indorum omnium humaniſſimâ ac religioſiſſimâ. Mireris, quàm hæc populoſa civitas per æſtatem ab hominibus inanis ac deſolata jaceat, dum ne centeſima pars civium in eâ videre ardentem Caniculam ſuſtinet, imminentem veriti ceu vitæ peſtem, ut, qui in hoc purgatorio æſtatem remaneret, ne mendicum quidem, vel quemcunque ſuæ ſpontis hominem nullò præmiò induxeris: Saltem ampliori domui cuſtos immanet verna, vel libertus aliquis ſenex, vel anus ſerva, quam, ne ex climate contabeſcat, ante mediam caniculam redux excipit vetula alia. Soli, quod mireris, Belgæ, qui Illuſtri Societati hîc à commerciis ſunt, littus non deſerunt, ſed ſævienti cœlo vigorem ætatis ac genitale robur corporis pertinaciter opponunt: nihil territi moleſtiarum iliade cum virium diſpendio quotidie abſorbendâ, nihil feretris ſodalium, quos æſtivo ardore detritos atque enervatos quævis deinde febricula exanimabat: nec civium exemplis cauti, qui licet injuriis cœli patrii ferendis aptiores nati ſint, maturò tamen profugio ſe ſubducunt, ut *germeſiir*, (ſic vocant terras immodicè calidas) cum *ſerbèd*, (ſic manſiones ætheris temperati) commutando, valetudini ac vitæ ſuæ conſulant. Quibus verò bene valere juſſis, iter ego cum civibus ad palmeta nunc proferam, ſi priùs formidandas fugæ & profectionis cauſas, quas ipſe olim ad faſtidium exantlavi, tum popularem proficiſcendi rationem atque his annexa, expoſuerim.

§. 2.

Primates loci, (Archiſatrapa, officiales & principes mercatores) quos non penuria ad palmeta, ſed æſtivus ſqualor tranſire ad æſtiva monet, alii ad urbes contendunt mediterraneas, opibus & vitæ deliciis inſtructas, quanquam diſtantiſſimas: alii in propiores montium receſſus algidos & aquoſos refugiunt, non minùs hîc cum familiâ commodè, quamvis ſine luxu, moraturi. Circo hominum maximo cura peni & fortunæ modulus metam profectionis ad palmeta conſtituit, quæ, etſi non æquè mitigandis caloribus apta ſint, quòd & aquam parcè, & umbras rariores præbeant, quin & ventis æſtuoſis obnoxia ſint, hoſpitem tamen ſuum minimo ſumptu alunt, & ſine magnis viatici expenſis recipiunt, quippe octiduò, ſi longiſſimè, ab urbe remota.

Ad auſpicandum iter aura commodior eſt menſis Maji: nam hæc tanto calore nondum æſtuat, ut oriente ac declivi die iter capeſſi non poſſit ſine moleſtiâ. Melius ſibi conſulunt, qui iter primo Vere inſtituunt, & ſic Majum atque Aprilem anticipant, quandoquidem infelix ſolũ malignis & arſenicalibus, ut ſic loquar, ſpiritibus, quos hoc tempore excludit, aërem contaminat, illinc à boreali jugo montium, *Ginau* & *Geruun*, quod littori à quatuor paraſangis opponitur, hinc ab accumbente auſtrali aurâ, velut clauſtro, cohibitum, ne diffiari poſſit. Cui eodem tempore accedit præceps à frigore, non vehemente quidem, ſed peracuto, caloris incrementum: quæ pernix & pernicioſa varietas, aëris vitio ſociata, humores corrumpit, & febres gignit acutiſſimas, paucos intra dies tragicum ludentes in ſcenâ humani corporis. Præterea mancipes Ver adultum evocat ad palmarum conductionem, nunc more ſolito inſtituendam. Fructus enim in ſtatu conſtituti, quem *Charèk* vocant, diſcrimen amplioris defluvii jam evaſerunt, dum nulla adhuc de expectatâ pinguedine præbent argumenta, quò minùs in contrahendo elocantis juxta & licitatoris ſuſpenduntur animi, de damno ſecuri, de fœnore incerti. Nec tacenda eſt Laribus hoc tempore ingruens victûs inopia, præſertim aquæ potabilis. Sola hæc locum habet in Oeconomiâ gentis, procul vinò, cereviſiâ & omnibus inebriantis liquoris ſpeciebus relegatis. Aqua autem illa non ſaltem paucitate ſuâ civem deſtituit, pravitate etiam perdit bibentes, niſi aliunde, quod ditiores curant, tergis camelinis advehatur. Fallunt Lectorem Geographorum tabulæ, in quibus & littus hoc, & Perſia mediterranea multis fluminibus pingitur: re ipſâ perennia utrobique reperies pauciſſima, inter ea vero nullam præter Araxin, quæ aquam potabilem mole aliquâ in Sinum deferat; nec hæc tamen usque longo tractu, quo à loco antiquæ Perſepolis deceſſerat, (ubi noſtrates eam *Bend Emiir* vocant, à cataractâ conditoris Emiri Chani) ab adulterio admiſſæ ſalſuginis incorrupta permanet. Cetera flumina, quæ Perſidem, ſive Perſiam auſtralem, irrigant, (de dulcibus loquor) brevi, quàm à montibus devoluta ſunt, in agros derivata extabeſcunt, & ad ſalum neutiquam pertingunt. Hunc naturæ defectum ſupplere ſoleret ingenia hominum anniſa eſt, non puteis, nam & hîc plerumque ſalem ſapiunt, ſed amplis & in terræ gremium demiſſis cellis ampliſſimis, deſuper fornicatis, in quibus anniverſarius imber mediæ brumâ depluens confluit, & in viventium uſum aſſervatur. At, hæc cœleſtis unda, hôc innubo & minùs pluvio æthere, raris vicibus demiſſa fauces iſtas vix replet: tum etiam per nitroſam terræ ſuperficiem dum fluit, tale ſordibusque

varii

variis inquinatur; unde evenit eam hôc tempore vel penitus deficere, vel, ſi quæ in fundo reliqua eſt, muriam ſapere, & ingraveſcentem cum æſtate ſirim neutiquam reſtinguere. Adde, eandem in fundo abundare ſeminali materiâ, ex quâ Dracunculi, ſeu lumbrici tenues, immanis longitudinis, *Pejuuk* dicti, bibentium innaſcuntur muſculis, cum virulento ulcere exterminandi. Cui quidē morbo non æquè facilè obnoxii ſunt, qui tempeſtivè recedunt, quàm qui circa littora remanentes ſanguinem ſuum prava illuvie magis contaminant. Tantum autem abeſt, ut effugiô dracunculos evitaverit, qui ejusdem ſemine jam imbutus eſt, ut potius in alieno, & præſertim gelido, climate majori & longiori ulceris & tardiſſimè maturantis tabi incommodo decubiturus ſit, non ſine incurabili remanentis fiſtulæ periculo, ſi ab imperito tractetur. Fateor tamen, conſtitutum extra tantas ardoris, qualis hîc ſævit, moleſtias, majori patientia & virium robore armari ad dolores & incommoda, dum ſanetur, perferenda. Altera, quæ multitudinem premit, inopia cibi eſt. Promptuaria quippe ſua patresfamilias annona ſolent inſtruere, calculô temporis, cui ſufficiat, nunquam longiùs productô, quàm in menſis Junii decurſum: quo inſtante annua redit difficultas cellæ penuariæ, vix interdum ſufficiente ſibi pro viatico. Omniū verò moleſtiarum, quas cives fugiunt, caput eſt ipſe calor æſtivus, ultra humanam tolerantiam, præſertim ſub Sirio, intenſus. Nemo unquam tam fuit robuſti corporis, quin ab iſto hoſte noxam paſſus ſit, ſæpè etiam à meridianis adiis interitum. Id mihi *Gamroni* innotuit exemplis plurimorum, quos gemina æſtate (una quidem me præſente) Libitina ardens rapuit. Non piget ex utraque æſtate quædam inſerere. Miles Batavus ex vireto *Nabam*, quod una hinc leuca poſſidemus, circa meridiem reverſus, ad *Martham* (id Oenopolæ nomen eſt) divertit: qua vixdum ſalutata de vertigine quærens, animo delinquit, antequam opifer compareret, extinctus. Eadem limina, paucos ante dies, ingreſſus juvenis Anglus, commerciorum ſcriba, cum per ſuburbanos campos feſtinanter ambulaſſet, inopinatò examinatus eſt. Par fatum diverſo tempore duos ſub ærumna proſtrabat bajulos nigritas, cùm pridiè ad onerandam navim rure, ubi æſtivabant, cum ſociis revocati, ægrè comparuiſſent. Epibatarum unus ex decurſu ſitiens, admota gutturi amphora, ſub amyſtide exſpirabat; alter, ab apricatione laſſus, cum ſomno requiem capiebat æternam; tertius ab uſu balnei frigidi (in prædicto viridario) aſininô tergô redux, præceps exhalavit animam. Gubernator Provinciæ, quòd abitum tardaſſet, ex ſequiori ſexu ſeptendecim (ſed antè infirmatas ex ſqualore recens extructi palatii) in itinere amiſiſſe dicitur. Ipſe, cum propediem ſecuturus eſſet, duas Conjuges, quas ſibi comites retinuerat, cum Socero uno domi ſuæ amiſit, contracta pridie ex balneo frigido febricula leviori, uti dicebat; nam vocatus ego in agone eſſe indicavi, quas ipſe ſeriò ægrotare non credebat. Nec brutis parcet ignitus aër, ſed equis hôc ſidere hîc retentis perſæpe viſum adimit, quem tamen reſtituit bruma ſubſequens. Canes, quorum firmitatem proverbiô ludimus, ex ſolari radio in gyrum actos protinus exſpirâſſe bis vidi. Solis aſinis & camelis Perſicis Salamandrarum genius eſt, & naturalis quædam firmitas ardentem Sirium ſine damno ferendi. Circium his malis annumero, ventum, neſcio ex quâ vocis derivatione, *baadi ſamuur* dictum, qui horis pomeridianis, velut ex Orco pulſus, hôc cœlo flagrat, vitæ animantium usque adeo inimicus, ut ruri correpta aliquando ſuffocet: incertum incolis, malignitate etiam, an ſolo ardore. De ſiti & faucium ſiccitate perpetuâ: de immodico per corporis ambitum non ſtillante, ſed pluente, præſertim inter bibendum, ſudore: de ſcabioſis exanthematis, quæ acri ſanie axillas, femora & partes ob honeſtatem reconditas excoriant, deque ceteris non dicam afflictionibus, tanto calori ſociis, quæ vel ſolæ hinc te ad antipodes fugaverint. Ejusdem generis ſunt Ulcuſcula, quæ furunculos vocant Chirurgi. Dirè hæc mala ſeges humana corpora, non omnium tamen, nec omni æſtate, excruciat, & quod peſſimum eſt, manu tractata chirurgicâ, numeroſiori prole per totam ſoboleſcit corporis ſuperficiem. Uni ego Architalaſſo noſtro in perparvo & maligno corpore furunculos numeravi ampliùs centenos, quibus indies pertuſis accidere mihi viſum eſt, quod de *hydrâ* Poëtæ referunt: nam paucos intra dies, quaſi ſub cuſpide ſuccreſcentes, trecenteſimum numerum, atque omnem ſupputandi rationem confuſâ multitudine exceſſerunt. His autem ſordibus & ſudoribus nullum remedium eſt magis proficuum, quàm patientiæ. Qui pertæſi ſtolam, quâ induebantur, aquâ ſubinde humectabant, vel diem fallebant in ciſternis aquâ merſi, illi exſtincto vitali igne vix annum ſupervixerunt. Furunculorum grata eſt acceſſio demorantibus, velut beneficium naturæ Pancraticè valentis; nam à graviori morbo ſoſpitant poſſeſſorem, imprimis à contagio febris & dracunculorum, illo breviſſimo ſed ferali, hoc longo & fœdiſſimo: fortaſsè internâ cauſâ declinante ad ſuperficiem. Conjectura in proclivi eſt, ſi hos ſanos & felices prædicamus, qualis ſit conditio eorum, qui in hoc Orbis ergaſtulô ægri vel miſeri dicendi ſunt! Ab inſectis etiam, ſi interdiu pax eſt, noctu tamen tuta non datur quies, ab æſtu fortaſſe irritatis in rabiem. Nocent in campo phalangia, domi dormientibus ſcorpiones, utrobique veſpæ acutiſſimo armatæ veneno; hæc peſſima progenies, ab urente Sole cohibita, primô diluculô ad prædam evolat, muſcarumque ſociata turmis dulcem expugnat dormientibus ſomnum, quem aurora, mater benigna roris gelidi & præter cœli

Aſiatici indolem hoc loco innocui, gratioſè indulgeat. Scias enim hâc anni parte dormire neminem niſi nudum poſſe ſub dio, dempto omni papilione, aut, quod cœlum & rorem arceat, velamento quovis leviſſimo. Quem in finem domuum ſummitates ubique ſuperficiem referunt planam & pavimentatam, in quam ex interiori parte ad requiem capeſſendam per ſcalas aſcenditur. Taceo turbatores ſomni, glires noctivagos: taceo, quæ veſtes comminuunt depoſitas, tinearum perniciosſum genus: taceo albas, quas vocant, formicas, verendum mercatoribus inſectorum genus, quod vel unâ nocte integra mercium volumina deſtruit: taceo quamcunque aliam poſſeſſionum magis, quàm corporis perniciem, demorantibus moleſtam. Pro complemento habes fœtorem, qui ex areſcente algâ, & holothuriis putreſcentibus emanat; nam utrumque excrementi genus ab undâ maris, mirè per caniculam exuberantis, in littora copioſè propellitur: cujus teter ſpiritus, velut Tryphonis è ſpecu halans, perniciem cerebro & commorandi tædium nulli non demorantium inducit.

§. 3.

Peregrinationis hæc ſunt antecedentia. Vicinæ vel cognatæ domus, in itineris ſocietatem coëuntes, accerſitis camelariis, de vecturâ rationem inſtituunt. Rarenter cum his pactio fit pro univerſo itinere; uſitatiùs ita contrahitur, ut indies ſolvatur pro camelis ſingulis circiter uncialis: poſteriori pacto paulò tardiùs, priori citiùs, ut veredariorum aſtus eſt, iter abſolvitur. Proximo quo vacat die jumenta omni onerantur domeſticâ poſſeſſione; ſed quàm ſpecioſa! utribus, hydriâ, fiſcellâ cibo refertâ, fuſo, girgillo & ſtoreis: ſcruta adeſſe alia non memini. Utrinque ad clitellas alligatur cophinus cum catis & liberis, quorum capita, quod lepidum aſpectu eſt, duo aut tria promicant. Aſſerculus, clitellis per transverſum affixus, juxta conſidentes recipit mulierculas duas vel tres, quæ infantes, quos lactant, ſinu complectuntur. Herus ipſe, canis domeſticus & filii, ſi qui ſunt adulti, iter pedes occipiunt. Abducendis ægris & nobiliorum fœminis arculæ ſerviunt, quas *Kadſjabah* vocant (*Figuram vide Rel. 9. §. 4.*) ſingulæ ad ephippii latera affigendæ. Ad caveæ normam fabricatæ ſunt, pannoque obductæ, ut in iis latitare ſinguli inſidentes poſſint. Has invenit Magnatum luxus & zelotypia, ut gynæcea ſua in iis circumducenda occultare ab hominum intuitu poſſent. Nam ſuevit polygama hæc & mirè ſuſpicioſa in amore natio peregrinari cum luxuriæ apparatu, ſæpè ultra poſſeſſionis modulum. Cameli unius ſunt in dorſo tuberis, dromedarii dicti, ſed minores & alius genii, quàm quos alit Perſia borealis; hi ſunt cœli ferventis, illi impatientes frigoris, ſed aptiores nati ad perferendam in deſertis inopiam. Camelos duplicis gibbi in regnò non vidi, præterquam quibus Bactriana merces ſuas & Legatos mittit Tartaria. Adornati ad iter perſeries copulantur, ita ut ad antecedentis ephippium firmetur lorum proximè ſequentis, ex cujusque nare perforato propendens, donec ſepteni, nonnunquam ſeni aut quini omnes, connexi fuerint. Copulata hoc numero ſeries camelorum proprio gaudet nomine *Khathar*; quemadmodum tota illa jumentorum turma, nomine *Khafileh*, & univerſi iter facientium ſocietas *Karavvaan* appellatur. In deductione ſingulas ſeries ſinguli præcedunt pedites camelarii, manu ducentes primi ſemper cameli retinaculum, cujus ductui & ceteri obediunt, narium funiculo laceſſiti; dum interim ductores cantilenam aliquam ſylveſtri modulantur gutture, qua tardipedes pecudes excitare, & greſſus quodammodo dirigere ſatagunt. Per hos ordines pauci quoque diſcurrunt velites aſini, ſine habenis aut capiſtris, quibus ſarcinas ſuas ſaccosve penarios pediſequi imponunt, aut ipſi, cum fatigantur, per vices inſident. Diætæ incertò menſurantur horarum ſpatio, quoniam ſtationes definiendæ ſunt locis ad pernoctandum idoneis, i. e. aquâ dulci à naturâ inſtructis. Progreſſus & lentis incedit gradibus, & paucis tamen horis ipſa diæta abſolvitur; ita, qui ante crepuſculum demigrant, ſtationem proximam profundâ aſſequuntur nocte; aut ortâ non pridem luce, ſi ſecundâ, tertiâve vigiliâ diſceſſerint: ex quo diætarum brevitatem nullo negotio conjicias. In ſtationem ut deventum eſt, ductores jumenta quique ſua exonerant: hinc de pabulo ſoliciti, in campos, ſi lux permiſerit, excurrunt, ut virgulta colligant apta paſtui. Sed quid tellus arida & deſerta pariat? præter alias pauciſſimas nihil, niſi plantam exhibet bipedalem ſpinoſam, à vulgo *Chari ſjutùr*, id eſt, ſpina camelina propterea nuncupata, quod in deſertis camelos ſatiet; Botanicis vocatur *Aru ſjirin*, id eſt, *Aru* dulcis, ad differentiam *Aru talch*, ſeu amaræ, quod illius folia in Carmania colligendam præbeant Mannam notæ præſtantiſſimæ, quam Perſarum officinæ appellant *Terendſjubiin*. Hic frutex, nullo quidem melle hic loci rorifer, pabulum camelis exhibet, cujus cum collectâ & in faſciculos colligatâ copiâ, ſtationem repetunt. Tum in gyrum deductos, (*Figuram vide Rel. VIII. §. 3.*) barbaro ſereatu gutturis, ſic aſſuefactos, ad cubandum inſtigant, eo ſitu, ut clunibus averſis capita mediam gyri aream reſpiciant, in quâ camelarius quique ſuis jumentis præſidens ramuſculos præbet manducandos, quos manu ita dirigit, ne transverſi, aut inverſis ſummitatibus fauces ſubeant, ſecus expanſione reniſuri & noxam inflictura aculeis. His aſſumptis, pro colophone unum bolum ingentem, recens ex farina hordeacea cum furfuribus ſubactum, collo quàm profundiſſimè ingerit deglutiendum

si stirpes ad satietatem deficiant, vel si jumenta ex graviori onere, vel diæta longiori, viribus exhausta sint, aut si in antecessum roboranda fuerint ad iter salebrosum & arduum diei sequentis, tum bolo gemino, vel pluribus, eos nutrire solent. Hæc dum aguntur à camelariis, locum sibi in statione deligunt viatores, in quo explicatâ storeâ considcant, fortè in aquarii, arboris, rupis, vel, si adsit, xenodochii parte aliquâ, quæ auræ perflanti patet, & maximè opaca est: ibi ferventis diei lucem placidè exigunt, somno, loturâ, colloquiis, donec cadente Sole camelarius iter proferendum moneat. Pari ratione postridie pergitur & diebus ceteris, donec ad metam deveniatur itineris. Habes migrandi modum, sed magnis familiis usitatiorem, & ad æstiva procul dissita. Vulgus enim civium, impar expensis, ac deficientis memor peni, palmeta quærit propinquiora Laribus: quæ dùm quotannis repetit, de numeroso comitatu non multum sollicitus, solis cum domesticis, vel cum paucis vicinis discedit, quandocunque vacat, aut volupe est.

RELATIO VIII.

Diætæ, Stationes, Aquaria, & Hospitia circa Palmeta.

§. 1.

Narratis fœnerabor lucem, si diætæ, stationis & hospitii conditiones & nomina explicavero. Id igitur intercalari relatione præstabimus. *Diæta* indigenis *Mensil* appellata, tantum complectitur viæ spatium, quantum uno die viator absolvit: diætis enim peregrinationes & urbium distantias metiuntur, relicto parasangarum usu Geographis & Curiosis. Sunt autem diætæ omnes haud paris longitudinis, sed incertis stationum & hospitiorum, quibus in viâ pernoctari potest, distantiis metiuntur; quin eædem pro peregrinantium arbitrio, sive illi præpetes cursores *Sjathir*, seu nuntii equites *Tsjapàr*, seu jumentorum tardigradi actores fuerint, corripi vel produci solent. Observavi tamen nunquam intra quatuor, nec ultra octo parasangas diætam contrahi vel extendi, ut, qui intra mensuram illam substiterit, dicatur tantùm dimidiam diætam, qui ultra progressus sit, unam cum dimidiâ absolvisse. Parasanga autem *fersenk* & *fersach*, id est, leuca Persica, quam Turcicè vocant *ygatsji*, tantam norat longitudinem vel loci distantiam, ut viginti duæ cum dimidiâ uni respondeant cœlesti gradui.

Stationem Persæ eodem quo diætam vocabulo insigniunt, estque locus ad viam ædificiô publicô, quod *Karavvansera* vocant, donatus, aquâ potabili naturæ artisve beneficio instructus, atque ita adornatus, ut peregrinantibus commorandi præbeat occasionem. Stationum in Regno modicum invenies numerum circa vias Regni primarias: sæpè in his, sed maximè in provinciis australibus ad alteram tertiamve parasangam patet illustre diversorium cum aquariis. In ceteris viis, quas non ita frequens calcat multitudo, præcipuè torridioris Persiæ, tota quandoque diæta unicum tantùm indulget aquæ conditorium, cujus beneficio commorari *Karavvana*, sive cœtus peregrinantium possit; quod aliquando aridiori solo tribuere, aliquando ignaviæ liceat accolarum. In desertis & ad palmeta deviis sola aquæ dulcis, cujuscunque conditionis occursaverit, præsentia stationem determinat, seu illa sit pluvialis, cisternino fornice collecta, quam *aab anbaar*, & *aabi birkèh*, seu in lacunâ rupis ultro considens, quam *aabi bongird*, & *aabi gadiir*, seu puteis excepta, quam *aabi tsjah*, seu viva scaturiens, quam *aabi tsjesjmèh*, seu rivo defluens, quam *aabi ruud*, seu per incilia in alveum adducta, quam *aabi hauz* vocant. His enim vocabulorum differentiis stationes dignoscunt, & ipsam aquæ copiam & bonitatem in siticuloso climate distinguunt. Hospitia hîc frustra quæsiveris: cœlum tibi tectum est, sed purum & nullo fœtens fuligine: lectica humus est, nullo contagio aut sudore infecta: fons dolium exhibet, non vini, sed liquoris sinceri, nullo mangonio adulterati, promptuarium. Hospitari hîc sine sumptu licet, dormire impavidè, bibere gratuitò, satiari epulis, non quas hospes obtrudit invidus, sed quas ipse providus & frugalis tuâ manu asportaveris.

§. 2.

Aquaria, quibus dicimus stipari Karwanseras, (*vide Fig. §. 3.*) utplurimum illius generis sunt, quæ condunt brumales imbres ex terræ superficie receptos. Structura *birkeh*, lacus *aab anbaar* vocatur. Lateritia sunt, figuræ rotundæ, cellis ingentibus similia, triginta & ampliùs passuum in ambitu, in terram tres quatuorve orgyias demissa, unicâ tantum vel gemina orgyiâ ultra terræ planitiem exsurgentia. Summitatem claudit ingens unius arcus hemisphærium, quod radios eminus arcendo, aërem intus temperat, & ad gelationem liquoris momentum tribuit. Quatuor habent portas in crucem oppositas, angustas, patulas, undique imbris affluentiam, auram spirantem, & hospiti aditum permittentes: interstitia portarum, si major ambitus sit, humi perforata quoque sunt, ne quâ humor arceatur allabens. Duo in aquatiorum contemplatione animum suspendunt: unum oblectatione, alterum fastidio. Oblectat sonus immanis, qui in eo excitari potest levi ante portam collisione; innumeris enim duplicationibus agitatur, tempore non breviore deficiens, quàm quis orationem recitaret dominicam. Ex tonis unum præ ceteris audies resonare clariùs & longiùs, prout is, concavæ magnitudini & figuræ certâ proportione responderit. Fastidium sordes pariunt innatantes, videlicet bufones, phalangia, cicadæ & illapsorum animalium cadavera: ut


taceam

taceam fœditates telluri abſterſas, quæ tamen, quod peſſum actæ, haud conſpicuæ ſunt. Quibus omnibus potabilem variè inquinari nemo negabit, niſi cum Muſulmannis credat ex Imamorum Theologiâ, quod aqua in loco excedente tres pedes trinâ dimenſione, (in longum, latum & profundum) à receptis impuritatibus nunquam poſſit inquinari.

§. 3.

Xenodochiis, quas *Karvvaanſerà* vocant, frequentiſſimis gaudet Perſia borealis, ſingulis proprium nomen referentibus, vel à conditore ſuo, vel quacunque ſorte nactum: raris admodum, nec niſi ad vias regias, donata eſt regio auſtralis; hæc enim expers injuriarum, quas domuum præſidio declinamus, tectis ſaltem pro umbraculis utitur. Malunt viatores diurni umbram & meridianam requiem capeſſere ſub obviâ quâdam Acaciâ, Cupreſſo, Platano, aut conſitâ propè fontem arbuſculâ quâvis, quàm inter ſqualores anhelare parietum. Diverſoria gratuito uſui dicata ſunt, magnificis tamen ſumptibus ex ſaxo vel latere conſtructa, aliquando tantâ mole & majeſtate, ut Principum palatiis comparari poſſent, modò ſumptuoſis parietibus accideret externus decor ſpecioſæ ſupellectilis. Splendidiora ſunt utplurimùm quæ offendimus in populoſis urbibus, quàm quæ ad vias inhabitati ruris, vel in locis ab hominum frequentia remotis. Nam, cùm illuſtrium operum conditores non ſolo publicæ utilitatis, verùm etiam ſtudio gloriæ ſuæ atque poſthumi nominis, ducantur, malunt illi pecunias eo potiùs in loco erogare, quo ſacrata bono publico pietas plures admiratores & crebra hoſpitantium encomia invenit, quàm ubi præmio expectatæ laudis deſtituitur. Ne quis autem dubitare de auctore poſſit, frontiſpicia magno characterе inciſum ejus nomen exhibent, addito factæ extructionis tempore & proprio etiam nomine hoſpitii, ſi id alio, quàm conditoris appellari debeat. Hæc tria, conditoris, temporis & ædificii, nomina, perſæpe arguto ad indolem gentis Epigrammate definiuntur, quod mirè legentem, vel artificioſo conciliat ſcripturæ flexu, vel capit ludente facilitate profundi acuminis. Laudat inſcriptio ſæpe nigritam, Regii gynæcei eunuchum, nec rariùs negotiantem apud Indos mercatorem Perſam: nonnunquam primarii in Aulâ ordinis Senatorem, Provinciæ gubernatorem, matrem Regiam, matronam viduam divitiis affluentem, & ſi quos alios. Ubi verò beneficentia voluntaria defuit, ibi ex publico ærario Provinciæ cujusque Moderator providit, ne vel urbi vel viæ publicæ, ad mediæ vel unius diætæ diſtantiam Hoſpitia deficerent. Is, licet ex alieno diſpenſaverit, curæ tamen ſuæ præmium ſectatus eſt nominis ſui epigraphe. Non patitur prolixitas, vel difficultas etiam ſcripturæ & explicationis, ut exempla Inſcriptionum inſeram. Ingens mihi illarum farrago ſuppetit, ex hoſpitiis, nec minus ex templis, collegiis & variis palatiis manu meâ deſcriptarum, quàm commodiori loco ſervo, unô miſſu proponendam, ſi id operæ pretium fuerit. In pagis minoribus & à regiâ viâ longè recedentibus, ab agreſti incolâ pro diverſorio exhibetur ædicula ſemiruta, ab omni ſupellectili vacua & haræ ſimilis, quin à lacertis, blattis, phalangiis, ſcorpionibus, habitata: nam tales mihi contubernales per devia excurrenti in hoſpitiis obtigerunt. Verùm, quicquid hîc nitoris deeſt ædificio, id humanitate compenſant cives ruricolæ, qui non, contractis frontibus & affatu aſpero, noſtratium ruſticorum more, peregrinos adoriuntur, ſed benevolè excipiunt, vario officiorum genere obſtringunt, pavimentum ſine morâ verrunt, tapetemque ſubſternunt, non acu Phrygiâ diſtinctam, ſed pro ſorte ſuâ levidenſem ac puram. Nec morâ, ſalutatum accedunt pagi ſeniores, hoſpitibus ſuis xenia ferentes, nimirum flores, mala punica, uvas, melones, & ſi quid aliud impertitur loci Ceres: mox ſubintrant viri facetiis & eloquentiâ toto pago maximè conſpicui, ut hoſpitibus moleſtiam temporis ludis & colloquio diſcutiant. Nec deſunt, qui *tamaſſà mikonent*, i. e. qui ſpectatum otioſi veniunt, & hoſpitum veſtitus, geſta, mores admirantur: quod otioſorum genus inter populares frequens eſt, & peregrinis maximè moleſtum. Ad ultimum in ſcenam non rarò ſe proripit obſcœna meretrix, noctis futura, ſi placet, ſocia. Hoſpitia commendat rivus præterfluens, per alveolum, vel cuniculum ſubterraneum, ingenti opere adductus, qui aliquando per medium pavimentum defluit, & in eo, pro temperando aëre, in ciſternæ amplitudinem diſtenditur: vel, ſi flumen deficiat, (quod ſolet in Perſide auſtrali) vicinum habet unum alterumve *Birkèh*, ſeu aquæ ſtagnantis promptuarium, ut plurimum ejus generis, quod vocavimus *Aab anbaar*.

Habent hoſpitia pro cœli ſtatu diverſam ſtructuram: Borealis Perſia eadem expandit circa aream quadratam, ſpatioſam, ſæpe ad centum paſſuum quadratorum, vel ſaltem ad tantam capacitatem, ut in illâ *Kafilæ* ſive cœtus jumentorum ſtabulari, & deonerata volumina deponi commodè poſſint. Externa facies eminus viſenti cubiformem mentitur molem ſolidi corporis: muri enim ſunt plani, nudi, nullis feneſtris & oſtiis, niſi portâ quâ ingredimur, perforati: qui, lateritii ſi fuerint, figuras pro ornatu exhibent arcuatas planas, columnis ſaxeis interpoſitis decoratas, iis non equidem veris, ſed planis pariter, modicè prominentibus, & eleganter lævigatis. Hâc ornamenti ſpecie expoliri ſolet latus frontatum, rariùs cetera quoque, niſi fortaſſis quæ publicæ viæ oppoſita & valde conſpicua ſunt. Unus mediam frontem pandit introitus amplus & affabrè fornicatus, utrinque lapideis ſcamnis, nec rarò taberna conca






Fig. 2.



concamerată instructus, ex quâ hospitii inspector, si quis adsit, paleas & cremia venundat, aliquando & oryzam, dactylos, ova & lacticinia. Summum domus lacunar, nisi qua parte cornices protuberant, omnino planum est & pavimentò stratum, ita ut in eo quis ambulare & peregrè adventantes speculari possit, pernoctare etiam, si cœlum nudum arrideat; quo fine interdum oras habet pedali coronide eleganter marginatas, pro securitate dormientium. Vestibulo nonnunquam insistunt meniana superbi operis, auræ spiranti undique patula, in quibus cum voluptate hospitari quis possit, à turba remotus. Ascensus in fastigium submolestus est ex angusto vestibuli vel areæ angulo, per gradus angustos, altos & præcipites. Ipsum ædificium rarissimè duplici, plerumque unâ contignatione constat, cujus singula latera, pro operis magnitudine, sex, octo, decem vel plura exhibent cubicula, utplurimùm fornicata, longa, angusta, & recipiendis duobus vel tribus hominibus idonea. Ostiola in medio habent, ut per ea hospes intus decumbens spectare possit, quid in aréâ versetur circa merces depositas. Superliminare riscum exhibet, luci diurnæ pervium, cui aliquando nonnisi per ostium ingressus conceditur. Tapetes, lectos & supellectilia hîc ne quæras, nudæ humi cubare oportet, nisi his ipsis instructus adveneris. Medias cubiculorum series, primam quidem ipse dividit introitus magnificè spatiosus, ceteras singula distinguunt cavædia, *Eivvani* dicta, versus aream patula, cubiculis multò latiora, non rarò ipso ædificio altiora, planè ad symmetriam introitus; toti enim structuræ, in ipsâ aréâ spectatæ, maximum decus & elegantiam conferunt, simulac numeroso advenæ, tum pro reponenda supellectili, tum pro ipsâ commoratione locum exhibent spatiosùm. Basis hospitii tres circiter pedes à communi aréâ elevatur, ipsaque cubicula latitudine duorum triumve passuum anticipat, eò fine, ut & tuta sint dormitoria à pecudum ingressu, & hospites, intactis areæ sordibus, in eâ ambulare & transire ad vicinos possint. Huic indormiunt servi ante heroum cubicula, ut eorum jussa audiant & equis præstò sint custodes, qui ibidem alligati tota supra ambulacrum cervice eminent. In hospitiis illustrioribus cubiculorum terga cingit quædam quasi porticus, pro stabulatione facta, fornicata, communi nexa compage ædificii, ad quam jumentis aditus patet ex quatuor areæ angulis & lux ipsa eâdem viâ irruit, perexigua sanè & ad interiora non penetrans, nisi murus exterior, quod rarò videas, in supremitate riscos habeat pertusos & translucidos. Medium areæ cubus ornat lateritius, orgyam altus, ab uno latere gradatus, cancellis eleganter marginatus, intra quas gerrones & actores circumforanei Sanctorum suorum vitas, velut ex rostris, declamant & variis nugis hospitantibus nummos eliciunt.

Australis Persia minora habet hospitia, & ad hujus cœli indolem aptata, (*vid. Tab. XIV. Fig. 1.*) ut plurimum nullo intercepta impluvio, nec in cameras distincta, sed unius tantum atrii, ad totius ædificii formam & magnitudinem compositi. Structura eorum lapidea est, modò quadrata, modò in crucis figuram digesta, desuper fornicata, ostio singulis lateribus donata ad recipiendam undique auram spirantem, quam æstuosò hôc cœlo variè captamus. Sunt diversoria, sed rara, quæ solis fulta columnis nullis cinguntur parietibus, qui ventos arceant; sunt ratiora, quæ fastigiantur pneumadochiis, sive machinis quibus aër appellens intrò demittitur. Pavimentum pro hospitum accubitu sæpe totum, aliquando in angulis, ad latera, vel in medio domûs eâ elevatur altitudine, ne ab incursante pecore facilè insiliri stragula & calcari possint. Frontispicia hospitiorum, sicut à fundatoribus inscripta, ita intus parietes ab otiosis viatoribus variis depicti sunt epigrammatibus, ex quibus sæpe elegantia ingenii Persici insigniter elucet: ex earum farragine, si venia est, unicam hîc pro coronide Relationis inseram, quam refert *Karavvanserà Tjjehuun*, in deserto quodam Larensis Provinciæ:

Tjjehuun Karavvanserà, vva ma Karavvaan iim,
Der Karavvanserà, ne konèd Karavvaan serà.

Cui illud Ciceronis *Senect.* sed minore tum acumine, tum verborum nitore æquivalet: *Ex ipsâ vitâ discedimus tanquam ex hospitio, non tanquam è domo: commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit.* Ut genium intelligas, nomen hospitio proprium est *Tjjehuun*, id quod populari appellatione notat Mundum vel Orbem terrarum: nomen verò commune est *Karavvanserà*, i. e. diversorium. Hujus vocis divisæ pars prior *Karavvaan*, cœtum peregrinantis turbæ, posterior *serà*, moram seu cunctationem insinuat. Hospiti igitur præsentiæ suæ, quod solent, tesseram relicturo, argumentum dederat ipsum hospitii nomen, ut mortalium in Orbe brevem moram, argutè compararet moræ peregrinantium in hospitio; mutuatus epigramma ex libro *Gulistaan*, i. e. Roseto Persico auctoris *Sjeich Saadi*. Plures exhibiturus sum in Hodœporico.

RELATIO IX.

In palmetis hospitantium occupationes.

§. I.

Palmeta ingredimur. Hîc advenæ complexu atque osculis excepti, & pro comitate gentis omni præstitâ salutationis reciprocatione, à brevi circa Nicotianam confessu, quem humanitas quoque exigebat, digrediuntur, arbores in quantumcunque spatium diffusas inspecturi, ea-

rum annonas, conducendarum numerum, pretium, & ſi quid præterea è re ſuâ eſt, penſitaturi: ita defuncti negotio, quo omnem claudebant curam & ſcopum profectionis, invicem vacaturi in poſterum confabulationibus & officiis. Sciendum eſt, antiquam obtinere conſuetudinem elocandi arbores numerô quadraginta, rotunda Perſarum in civili uſu computatione: vel etiam viginti, velut dimidiatâ numeri rotunditate. Illas nomine unius arboris *Jek nachl*, i. e. unam Palmam, has cenſu Palmæ dimidiæ indigitant, receptô his regionibus loquendi ac contrahendi more. Tot verò conducendis arboribus cùm unus paterfamilias non ſufficiat, plures de partiendo proventu inter ſe pacti quadraginta vel viginti ſibi eligunt, electasque ſignant. Luſtrat ſignatas poſſeſſor, cenſet ſpem annonæ, &, per conjecturam ſubductâ ponderis ratione, pretium indicat. Sed hæc ſubductio cùm fiat magnâ cenſoris moderatione & conſcientiâ, tantiſper pretium uſu receptum ad fructuum varietatem mutantis, nulla quoque moratur contractum diffidia, quin redditâ manu illico confirmetur. Pondere, quô in regno mercatores, tum ſicca, tum liquida, expendunt, diverſi ſunt generis & nominis. His in provinciis utuntur *Sengi Kapàr* dicto, pendente in ſtaterâ Hollandicâ ſeptem mediamque libras. Tanta inquam hæc dactylorum moles in commercio ante maturitatem factô plus minus *do biſti*, i. e. unicô circiter groſſo Mariano venit: at quia locatoris conjectura ſuevit minor eſſe, quàm pro re natâ, hinc conductor utplurimum experitur, matutos ſibi ne dimidio condicti pretii conſtare, præſertim ſi favente Cerere inſolenter pingueſcant. Addo palmas è radice materna ſponte ſuâ natas adultasque nunquam venire ſub rationem, ſed concedi matrum conductoribus in auctarium, eò quod natali locô citra transplantationis & culturæ operam adultæ, opinione gentis, hero ſuo gratiam haud debeant.

§. 2.


Contractu ſuperis auſpicantibus abſolutô atque hôc ipſo ad antipodes relegatâ animorum ſolicitudine, quid aliud inpoſterum exſolutus curâ hoſpes meditaretur, quid deſideraret pleno ditatus cornu copiæ, quàm geniales jocos, cônſeſſus, convivia? His intereſſe, Lector benevole, ſi non gravaris, pandam Tibi inſtructiſſimum ab ipſâ Cerere triclinium, & omnis generis voluptates adducam, quibus felices ruricolæ dactyliferam meſſem ſuam, atque hoſpites advenæ trium, quatuor, vel quinque menſium activa, ſummâ cum delectatione, exigunt.


Innata genti propenſio eſt, ut, ſi ullâ re aliâ, maximè capiantur fontium & aquæ præſentiâ; circa eam conventus inſtituunt, & ſubſtratis ſtoreis humi diſcumbentes dies in adultas noctes protrahunt. In triclinio igitur noſtro potum ne deſideres: præſto liquor eſt oculis & palato gratus: non qui inebriante ſpiritu ſanæ menti inducit delirium, vel tartarô podagram, nephritim, hydropem, & innumeras præcocis fati cauſas inſtillat humano ſanguini, ſed planè innoxius, purus & limpidus. Qui verò invitis non obtruditur more Palatino ingurgitandus, ſed ſitientium placito ſorbillandus, fictilibus exponitur, ex præſenti fonte recens hauſtus, vel, ſi fons mineram ſapiat, etiam aliunde advectus utribus, ex arborum ramis, ut frigeſcat, ſuſpendendis; admirandâ enim proprietate aqua ſuſpenſa alget ab affiatu vel ambitu aëris ſiccioris, præſertim æſtuoſi, cum ab humente (ut eſt hôc cœlo mutabilis) protinus tepeſcat. Ciborum parilem bonitate apparatum habes: Dactylos; non illos ad luxum Perſicum vaſis aureis, Corinthiis, murrhinis, ſed abacis ligneis *thabàk* pro convivarum fortuna ſat nitidis, liberaliter expoſitos. O lauta atque ſana, ſine aromatis & omni pretioſo luxu, convivia! ô felices & frugales hoſpites.

Quâ vero in frugali rerum affluentiâ, ne quid externæ lætitiæ meſſem deſtituat, en præſentes etiam actores, poëtas, ſaltatrices, modulatores, & ſi quid aliud ad convivii hilaritatem deſideraveris. Modô vides *Sjaaïr* ſeu Vatem arguto rhythmo illuſtris heroinæ *Leili*, ejusdemque rivalis *Medjnuun* amores & exilia decantantem: modò *Khiſſeh choon*, ſeu Oratorem, qui Perſarum Herculis *Ruſtàm*, filii *Saal*, robur, facinora & bella, vel *Behraam*, *Jesdegardi* filii in jaculando excellentiam atque ceteras dotes exclamat. Alium audis ex ordine religioſorum pauperum *derviiſj*, qui *Aäli* ſui, & ceterorum Imamorum atque religionis antiſtitum miracula recitat, aut ꝛc *Omar* injuſtam ad *chalifatum* irruptionem demonſtrat & diris execratur. Illis verò abſentibus *Raiiſj deh*, ſeu pagi ſui ſenior, *Taäriife*, ſeu elogia præclarorum virorum, aut provinciæ ſuæ chronica & priſcorum in eâ Principum res geſtas & bella repetit. Nunc *Mola* aliquis, ſive religionis aut muſarum ſacerdos Roſarium ꝛc *Sjeich Saàdi*, aut *Divvaani Chodſja Hafes Sjiraſi*, aliorumque acuta epigrammata prælegit, & meditabundo diſtinguit ſilentio. Nunc graves conciones *takhliidſji*, ſeu hiſtrio aliquis, aut *bokkeh baas*, ſeu præſtigiator opportunâ luſûs viciſſitudine interpellat. Hæc inquam otii diurni deliciæ ſunt.

Inclinante Sole, ubi membra laxata dies algidior reficit, de agendis etiam tripudiis cogitatur. Atque, utut omnis ad numeros ſe movere ruricola haud perfunctoriè peritus ſit, adſunt tamen, qui exactiùs poſſunt ejusdem artis in utroque ſexu profeſſores circumforanei, *rakkaas* dicti; qui mediterraneis egreſſi urbibus, hominibus plena hôc tempore nemora frequentes inviſunt, & ludis præſtigiisque variis inſtructi, hamis pendentibus diſcurrunt.

His




Instrumenta Musica
Persis usitata.
1
3
2
8
7
4
6
11
5
9
10
12
14
13
23
15
19
20
21
17
22
16
18


S. Finx.

His igitur, si adsint, sparta committitur ducendi choreas, quas ipsi alioquin, si absunt, neutiquam omittunt. Mireris spectacula & lepidos motus, quos illi tripudiando edunt. Non enim Sarmatarum ad gravitatem alterno pede terram quatiunt, ut Poëta loquitur, nec ad Gallici moris levitatem vesani discurrunt, sed testudineo gradu, nudis pedum plantis, huc illuc diu se proripiunt, dum arguto corporis motu pulsus chordarum & mensuras excipiunt, & nullo non membrorum articulô facetè exprimunt. Mox resupini miris flexibus totum corpus torquent, brachiis nunc super humum distentis, nunc extensis super verticem, velut lamentantium dolores, non gestientium lætitiam expressuri. Demum tympanis concitatiùs tactis, protinus exsultántes, in velocissimos motus rapiuntur, ac in gyros varios, imumque summo versi ac circumvoluti, saltatricum officia histrici leporis vicissitudine permiscent.

Musica verò, quæ tripudiantium membra dirigit, hem, quàm peregrina est! quam gratè dissonans & instrumentorum varietate delectabilis! Primas inter instrumenta tribuimus tibiis gingrinis *Surnai*, (*Fig. 1. TAB. XV.*) quæ grunniente sono præ cæteris aures affatim implent. Illis assonant (*Fig. 2.*) tinnientes nolæ vulgares, nostratibus similes, vel etiam cymbala perampla *Sindjji* dicta (*Fig. 3.*) patinarum, quibus in mensis utimur, figuram referentia, sed minori disco, majori margine, & gibbâ facie manubrio instructâ, quo teneri & ad invicem collidi valeant. Pro basi servit tympanum, vel oblongi dolioli figurâ *denbaal*, (*Fig. 4.*) ab Indis mutuatum, vel ex Europâ translatum *dobùl*, (*Fig. 5.*) quô militares copias abducimus, vel prægrande ejusdem figuræ aliud, ob magnitudinem haud portabile. Hæc omnia non bacillis, sed digitis solùm manibusque utrinque leniter pulsantur, ita sonum redditura submissiorem & reciprocâ alterni lateris dissonantiâ gratiorem. Utramque paginam in agresti choro absolvere videntur tympana *dondbek* (*Fig. 6.*) levis structuræ, cocta ex argillâ, figurâ & capacitate ollarum fictilium, nisi quod fundus in brevem appendicem producitur, quâ pulsantis axillam gestata replent, oris verò hiatu vesicâ vel membranulâ tensâ obducto. Hôc vel solo genere, quasi ruricolis vernaculô, festivitates suas celebrant palmicolæ, sociatis plausibus & volarum collisionibus, quibus concinentes convivæ saltantium in scenâ vigorem & metra promovent. Civili symphoniæ interdum subsonat cythara tetrachordoides *Tsjaartaar*, vel sola, vel aliis organis polychordoidibus conspirans. Nec rarò circum dulcisonum ingreditur tympanum quoddam *def* appellatum, (*Fig. 7.*) magnitudine, figurâ & levitate ad assem simile cribello, quatuor in ambitu spithamarum, cujus apertô alterô unum saltem tegit latus pellicula tenuissima, ex quâ sonus irritatur saltem submisso digitorum ictu. Ora ejus, lignea & tenuis, quatuor habet vel quinque paria orbiculorum, ex palmari intervallo suis quæque axillis per transversum infixa, ex sonoro ære facta, subcava & exiguæ magnitudinis, quæ concusso tympano strepitum mutuâ collisione edunt, cymbalorum pene similem. Interdum orbiculorum locô annulos habet, quorum sonus confusus est & remissior: hôc casu, mutato nomine appellatur *Daireh* (*Fig. 8.*) Hujusmodi instrumentum saltem unicum quævis admittit symphonia, quòd è primis tractat, si fuerit in proscenio, præsultans ex levi censu *karvali* frequentiùs autem & extra tripudium chori phonascus, qui, eódem utráque manu comprehenso, fauces cantu hiantes & gesticulationem ab aliorum intuitu defendit: dum interea non modò diversos submissosque sonos ex pelliculâ pulsatâ elicit, sed severiori motione interdum mixtos quoque tinnitus & clangores ex infixis orbiculis excutit. Hic igitur præcentor rauciſonâ & quàm potest altissimâ voce melos suum modulatur: cui per choros, junctis organis, respondent convivæ circumsidentes, vel in circo tripudiantes, si choreæ ducantur. Nonnunquam hilaritate acta concinit universa multitudo, vocibus autem ut indoctis, ita instrumentis quoque indoctè tractatis, & nullis unquam harmoniæ regulis (etiam in Choro Aulico) respondentibus, sed per tonos, quos vocant, unisonos & octavos omne melos absolventibus. Qualiscunque symphonia fuerit, concors tamen, submissa & modesta est, gratiam pariens singularem varietate mensuræ, quæ per tot modulorum genera in concitatiores semper triplas jugi pulsu ac spiritu devolvitur, non agrestes modò & indoctas aures demulcens, sed & artis musicæ bene gnaros, haud injuriâ mirantium, id plebejam hanc gentem in variandis mensuris præstare, quod nostri in scholis longa artis industriâ edocendi sunt. Sunt plura Persis instrumentorum genera, quibus in conviviis & privato otio demulcendis auribus, vel in militiâ etiam, & in foris urbium ad intimandas temporum festivitates utuntur. Ex *thabl* seu tympanis aciem ducit *Kuus*, (*Fig. 9.*) tympanum grande, æneum, nostrati simile, sed ad moderandum strepitum nerveo reticulo constrictum, cui pulsando duo serviunt bacilli, extremitatibus incurvatis. *Nagharèh*, (*Fig. 10.*) ejusdem structuræ & æris tympana sunt gemina, exiguæ molis, valído nexu invicem copulata, & ab unico tractanda artis tympanizandi perito. *Thebléhaas*, (*Fig. 11.*) i. e. tympanum falconum, parvulum est, æneum, in appendicem productum, reticuloque densissimè munitum, ita dictum, quòd falcones in aucupio emissi ejus sonô revocentur; inde singula ephippiis

(ad ſiniſtrum latus) affixa geſtantur à nobilibus atque ipſo Rege. Adeſt & aliud genus tympani (*Fig. 12.*) ligneum, majuſculum, figuræ ovatæ oblongioris, inprimis familiare Multhanis in hoc regno habitantibus, & ut mihi videtur exoticum, utrâque ſimul nuda & inermi manu pulſandum, hinc dextrâ, illinc ſiniſtrâ. Ex *Neſiir*, ſive buccinis, prima horriſona eſt *Kharabnâ*, (*Fig. 13.*) duarum orgyiarum longitudinis, figurâ ſimilis inſtrumento acuſtico. Altera (*Fig. 14.*) ſubtilioris toni generis nomen retinet, recta, gracilima, orgyjam longa. Tertia *Sjach Neſiir*, (*Fig. 15.*) i. e. buccina cornuta, grandis pariter & ænea eſt, in figuram cornu ingentis arcuata. Ex *Uud*, ſeu Chelidibus, quæ nervis reſonant (ex inteſtinis ovium elaboratis) communiſſima eſt τρίχορδον (*Fig. 16.*) colli longiſſimi, ventris exigui ovati, ponticulo membranaceo. Sunt, quæ chordis quatuor, quinque & pluribus inſtruuntur: ex quarum cenſu palmaris eſt *Tſjehesdeh*, (*Fig. 17.*) magnitudinem & figuram utcunque noſtratium referens, nervis dotata octo, vel novem, geminis ſemper in uniſono conſpirantibus, poſtremis etiam tribus, ſi nervos novem habeat. Ex Violis, quas vocant, principem locum vendicat tribus & aliquando chordis quatuor inſtructa, *Kamaantſjèh* dicta, (*Fig. 18.*) nam ſcitè tractata organorum quodcunque genus ſoni ſubmiſſâ dulcedine antecellit; arcu plectitur pilis armato equinis, dum ima pars humi reponitur, inſtar violæ *di gamba*, quam vocant. Manubrium ei gracile eſt & cono ſimile, verticillis pro fidium numero inſtructum obeſis adeo capitibus, ut manum tendentis impleant. Venter rotundus eſt, ſpithamalis diametri, ponticulo obductus membranaceo: Imam faciem ſtylus terminat ferreus, artificioſè ſculptus, ſesquiſpithamalis longitudinis. Tota cum ſtylo machina quinque longitudine ſpithamas exhibet, conchâ aureisque filis pretioſè vermiculata, digno ſuavitate ſuâ artificio. Eſt & alius ſtructuræ, quatuor intenta chordis, (*Fig. 19.*) fortaſſe exotica, quæ pari ſitu depoſita, arcu quoque plectitur; collum ei compreſſum eſt & breve, venter duplicatus, ſuperiori parte oblongior, ampliot & apertus, imâ minor, rotundus & ligneo ponticulo clauſus. Citharārum, quemadmodum Teſtudinum, varietates ſunt, diverſo chordarum numero diſcrepantes, ex quibus unicam ſaltem ob figuræ inſolentiam hîc delineavimus (*Fig. 20.*) Sambucarum *Tſjeng* communiſſima eſt, & ab indocto facilè tractabilis, ſex chordis inſtructa, (*Fig. 21.*) figuræ triangularis amblygoniæ; Ratior eſt altera multis pollens chordis, (*Fig. 22.*) utcunque quadrata, utraque bacillis incurvis, vel pennis plectenda, à noſtratibus figurâ & tractandi arte parum differentes. Omitto machinam octo tubulorum *Muſicaar* dictam, (*Fig. 23.*) ore inflandam: omitto tibias, utriculos, arundines, crepitacula, ne hiſtoriæ telam moremur.

Tam lepidos advenas, poëtas, muſicos, præſtigiatores, quæ putas à toparchâ & coronâ hoſpitum referre munera? an pecuniam, doloſi Mercurii teſſeram? Apage à manibus tam continentibus præmia hujus nominis. Caryotæ dantur, munera, quæ ipſa genuit auſpicata, innocens & benefica arborum Regina, Palma.

§. 3.

Sed ne quis exiſtimet agrophilos noſtros nil niſi gaudia in palmetis agere, & ranarum vocali incuriâ totam perdere æſtatem: quin horas etiam in verſandis dactylis impendunt, quos ex ſuis arboribus ipſi poſſeſſores, ex conductis hoſpites indies depromunt. Nam primo ſtatim diluculo ſponte dilapſos colligunt, mox ex arboribus decerpunt, vel excutiunt maturos, deinde inſolatos torculari exprimunt, & ſi quid aliud ad hanc operam requiritur, eâ methodo, quam ſupra narravimus, ſedulò expediunt. Quod autem labori intercedit otium, aut quod penſum conſequitur, id inquam animi recreationibus dari, id choreis & ludis expleri dicimus. Pauperiores pariter, quos fortunæ tenuitas à commerciis arborum ſecludit, rebus ſuis non indormiunt, ſed matutino dactylorum, ut ſic loquar, ſpicilegio indies occupati, penuriæ ſuæ conſulunt; ſub crepuſculum verò locuſtas capiunt, eo tempore turmatim volantes, alii eas explicatis retibus intercipientes, alii in arboribus, dum ſubſident, flammâ accenſâ uſtulantes. Quam tum recentem prædam ollæ fictili alternè immittunt, & ſuper igne, ſale interſperſo frigunt, rudiculâ ſubinde agitandam; malunt eandem alii aquâ priùs percoquere, ut nidorem penitùs eliminet. Sic præparatam ſervant placandis ventribus, alis cruribusque abjectis: exſuccum & fœdum, meo ſenſu, obſonium. S. Johannes Baptiſta hoc cibo vitam in deſerto dum ſuſtentavit, tetro corpus jejunio macerâſſe credendus eſt. Qui pro coturnicibus hæc inſecta ſubſtituunt, quibus in eodem deſerto (quod iisdem mirè abundat) cœlitus nutriti ſint Iſraëlitæ, videant, ne in textum impingant Hebraicum ſacri Codicis.

§. 4.

Actus nunc autumnus eſt. Quapropter jumentorum magiſtri *Tſjaarvvadaar* undecunque in palmeta ex compacto reduces facti, (perinde nobis, ubi interim latuerint) receptui canunt, & abducendis diem diſceſſûs indicant. Tum pro felicitandâ viâ Deus innumeris *Jaa Chodaa! Jaa Ali, Inſjáa Allàh!* (hæc enim ſuſpiria ſunt Perſarum) ex devotione invocatur, replentur vaſa, colliguntur ſarcinæ, & ad Penates reviſendos animus & opera dirigitur. Tandem, onerantur jumenta mellifluo mercium, quas quisque comparaverat, apparatu utribus impacto modicæ capacitatis, vel, eorum

rum locô, qualis ingentibus oblongis, ex foliis ſylveſtris palmæ contextis. Hos, ſive qualos, ſive utres, utrinque ex tergis camelinis ad æquipondium ſuſpendunt binos vel ſingulos, peculii quicquid attulerint deſuper imponentes ſine ordine. Nec pauperes ſuas omittunt locuſtas frixas, unà cum dactylis, quos ſpicilegio acquiſiverant, camelinis oneribus inſinuandas: gemino hoc alimenti genere omnes pene difficultates ſuperaturi, partem etiam locuſtarum venditurі aliis: non carè quidem, ſed octo libras pretio unius ſextarii. Quid multis? Permixtis votis & oſculis diſceditur. Atqui nunc rurſus, ut in acceſſu (Sole quamvis remiſſiore) declivi die aut ſubluſtri nocte inceditur, diætis ob onera, cùm aqua ſuppetit, brevioribus. Demum ad penates delati gurguſtia ſua per diuturnam abſentiam ſemidituta impigrè adoriuntur novisque oſtiis, tectis, vacerris refecta rurſus occupant, poſtquam foris integrum pene ſemeſtre exegerant: morâ extra proprios Lares mirè longâ, & cum rebus Oeconomiæ noſtratis minimè congruente.

RELATIO X.

Palmæ uſus triplex. Hiſtoria epilogus.

§. 1.

Reſtant utilitates & varii uſus arboris, quotquot eorum hodie dactylifer Oriens cum Occidente novit, breviter memorandi. Audiverat *Strabo* d. S. O. Lib. XVI. carmine quodam Perſico decantari utilitatum genera trecenta & ſexaginta; *Plutarchus* Sympoſ. Lib. VIII. qu. 4. refert totidem celebrari à Babyloniis. Tantum verò numerum hodiè non reperio, omnes utut partes excutiam diligentiſſimè. Uſus autem omnis vel eſt Oeconomicus, vel Medicus, vel Magicus.

Oeconomicum internum præſtant quæcunque ex arbore edulia depromi poſſunt, qualia ſunt tum tenella partium principia & primordia, vulgò *Paniiri nachl*, i. e. caſeus palmeus dicti, tum ipſi fructus. Cibum primi generis ſpurius (*vid. Tab. XI. Fig. 13.*) è frondium axillis naſcens, de quô Relat. 2. §. 5. in fine memoravimus, copiâ non contemnendâ exhibet: cujus demptis impedimentis exterioribus delicatiſſima pars eſt ima baſis *Kuur* dicta, nam quæ ſuccedit, rapæ ſaporem refert cum amaritudine, palato non æquè gratum. Ejusdem notæ & nominis eſt medulla ipſius comæ, ἐγκέφαλον & ἐγκέφαλος Græcis dicta, quam vero ambroſiam non obtinemus, niſi cum damnoſa totius arboris excidio, prout in fine §. 2. Rel. 4. docuimus. Par locus inter cibaria debetur frondibus in palmæ adoleſcentis faſtigio recens naſcentibus, & in coni figuram convolutis, quousque illæ cum foliorum rudimentis in materno ſinu abſconduntur. His bonitate nil cedit novelli ſpadicis in utroque ſexu principium, ad unius palmæ longitudinem, quod palmicolæ ignotô etymô *Kuurahheng* indigitant. Nec poſtremas inter bellaria laudes merentur exciſi illi fœtûs cùm maſculini, tum fœminei, quos ſub titulo *anbaar* & *thalehhi nachl* ſupra ſuis locis laudavimus. Dictæ inquam partes omnes manducari & crudæ poſſunt, & cum carne vervecinâ coctæ: ut taceam, ex iisdem varia bellaria parari ab iis, qui coquinariam artem exercent. Omnem verò palmeas inter cupedias abſolvunt paginam ipſa Pruna, ſive fructus. Præſtant illi in popularium œconomiâ τὸ ὅλον καὶ πᾶν, ſive, ut Latini loquuntur, olus & panem: panem, inquam, quem *Homerus* medullam hominum, ſacri Codices robur cordis appellant; adeo ſolis Dactylis, quicquid lautitiarum ab homine in agris degente excogitari poteſt, clauditur & continetur. Fercula equidem non unius formæ, ſed varietatem ſuppeditant non contemnendam; cùm enim menſibus æſtivis dactyli ferè crudi & recentes, ceteris verò inſolati & expreſſi ventres vulgi exſatient, tum verò in utroque genere multiplex differentia eſt in pinguedine, mollitie, colore, ſapore, aliisque virtutibus, tum nativis, tum ab inductæ ſiccitatis, condituræ & expreſſionis gradu & modô conciliatis. Alimentum, quod præſtant, nec pondere aliquo, nec morâ longiori gravat ventriculum: nec etiam, quod noſtri auctores ſcribunt, inebriante vapore caput turbat, ſed aquæ bibulis perquam ſalutare eſt & maximè temperatum. De exſiccatis idem non ſentio, quod cum duritie compagem nacti ſint firmiorem, ſtypticam & concoctu difficilem. Vidi, per deſerta profectus, aſinis oneri ſuccubituris oblatos fuiſſe dactylos, priùs in maſſam, demptis oſſibus, ſubactos: quibus illi deficiente pabulo promptiſſimè inſtaurati, labores diætæ feliciter ſuperabant. Oſſa ad aliquam excocta mollitiem dejugatis bobus dantur pro pabulo. Syrupo è dactylis elicito plebs in cruſtulis butyri loco, in oryzâ & pulte pro condimento utitur, non indies, ſed in conviviis & feſtivitatibus, quibus genialiter epulandum erat. *Carmania* ſeptentrionalis butyrum (quod copioſum utribus dimittit, ab aëre liquens inſtar olei) hôc ſyrupo percoquit, qui illud à corruptione ſalis vice conſervat, & in fundo tandem inſtar muriæ ſubſidet. Vinum & dactylis aquâ perfuſis fermentabant veteres, ut teſtantur *Strabo* & *Dioſcorides*; nec artis hodie oblita eſt *Natolia*, quæ eam ratiùs & clanculum exercet, rigore prohibita religionis Mahhammedanæ, præſertim interdictô Legislatoris *Djjaäfaar*, qui vinum inter *Neäſſjaſaat Aſjëreh*, i. e. decem impuritates repoſuit. Spiritus verò licet vetitorum decuriam ſubeat, frequentiùs tamen deſtillatur ſub medicamenti nomine, ad ventriculi cruditates & tormina levanda; quod ut præſtet efficaciùs, adduntur ante deſtillationem, à ditio-

ribus radix Chinæ, ambra & aromata: à plebejis radix Glycyrrhizæ & herba *Affinthiin*, id eſt, Abſinthium Perſicum, planta à noſtrate Abſinthio prorſus heterogeneâ, ſive hæc, ſive illa Abſinthii nomen jure poſſideat. Addi ab aliis vidi radiculas *Nagiir*, ſeu *Iſchir*, i. e. Schœnanthi veri, terræque huic genuini; tum herbam alterutrius Sementinæ, præſertim Turcicæ. Duplex enim hîc creſcit, una *Dirimneh Fars*, id eſt, Sementina Perſica, quæ in Regni deſertis ubique luxuriat, ſemen ferens leve, à folliculis ſuis ægrè ſeparabile, & utplurimum inane: altera *Dirimneh Turkì* dicta, i. e. Turcica, quæ rarior & montium alumna in ipſo flore exareſcit, nec niſi in Turcoſtanâ, (*Turkeſtaan*) quæ ei nomen dedit, ſemen progenerat; quod ad Europæos translatum, ſeminis Cynæ & Zedoariæ appellationem recipit.

Externo uſui Palma omnes ſuas concedit partes: inprimis verò in conſtruendis tuguriis, caudices, in trinum fiſſi, palos & trabes conſtituunt, quibus tectum & tota ædificii fabrica innitatur; cetera omnia ex palmeis frondibus ſine clavis & normis, ſine arte & induſtriâ clathrata ſunt & rudi manu compacta. Sed quæ ruditas non omnino materiæ, ſed agreſti deſidiæ debetur; nam in oppidis paſſim invenies elegantis ſtructuræ domus cæmentitias, quæ ex palmeo ligno trabes, ex frondibus intergerinos exhibent non indecoros. Hinc *Bellonii* & *Alpini* de architectonico ligni uſu diſſidentium, facilis erit conciliatio: ſi caudices palmeos ad architecturam (ob fibras craſſas laxeque cohærentes) nihil valere *Bellonio* concedas; trabes tamen domuum in Ægypto conſtituere, credas *Alpino*. Supellectilia ædiculis Palma etiam ſubſtituit; pro cremio enim ramalia, pro ſcopis racemi, pro urceis & ſcutellis inanes ſpathæ ſerviunt, in formam deſideratam flectendæ. Ex ſpadicum verò ſcapis bene præparatis torquentur funes firmiſſimi ad navalem apparatum neceſſarii. Falſi ſunt, qui eos ex coſtis frondium, aut arboris cortice, quem nullum habet, elaborari ſcribunt. Modus præparandi eſt, ut crudi ſcapi, decurtatâ priùs & abjectâ portione racemoſâ, per octiduum aquæ immergantur, ac ſatis macerati malleis ligneis tundantur, donec, quod facilè evenit, in ſtupeam reſolvantur materiam, ad reſtiariorum opus idoneam. Ex eâdem ſtupâ fiunt calceamenta *Sovvaas* dicta, quibus in his provinciis utuntur ruſtici: conſtruuntur ex incondito quatuor funiculorum ſtamine & paris conditionis tramâ, ita laxè intexendâ, ut manu coarctari poſſint, & ad cujusque pedis menſuram nullô negotio aptari: obſtragulum deeſt; locum ſupplent ſtupeæ corrigiæ, quarum ope tibiis adſtringuntur. Ex foliis, ſed imprimis ſylveſtribus, texuntur dodrantalis latitudinis mattæ famoſæ *Tulèt*, vel *Djjulèt*, quibus transvehendæ merces pro tutelâ obvolvuntur; Ex iis quoque torquentur funiculi tenues, quorum in iisdem voluminibus conſuendis uſus eſt; In ſportas quoque conſtringuntur rudes, ſaltem idoneas, ad recipienda ſcruta & quisquilias. Quin, majori artificio ex foliis varia flabellà & capitis opercula conficiunt, ſed priùs ad candorem usque inſolatis, variè deinde tinctis & in limbulos diviſis. Reticula, quæ frondium baſes involvunt, excitando igni fomitem, præſtant; in hydriis verò ac leucythis concludendis, nec minùs in compingendis vel firmandis ad transvectionem vaſis fictilibus vitreisque, pro ſtupâ & ſtramine ſerviunt.

§. 2.

Medicas virtutes Palma in fructibus recondidit. Primariam venditamus, quâ moderatè adſtringunt: Hâc conciliare vires ventriculi, cohibere alvi fluxiones, inteſtina, uterum & fœtum roborare, experientia docuit. Eidem facultati acceptum eſt, ſi quid iidem fructus præſtant extrinſecus adhibiti. Alteram vocamus dulcedinem, ſed adſtrictione temperatam, cujus beneficiô caryotæ opem ferunt egregiam tuſſientibus: nam catarrhos tenues, acres & vagos (Medicè loquor) blandâ coagulatione ſub naturæ reducunt obedientiam, ut absque inani concuſſione thoracis excerni valeant, dum & abſtergunt leniter & organa pneumonica demulcent. Hinc *Decocti pectoralis*, *Syrupi de Hyſopo*, *Syrupi reſumptivi*, *Specierum diathamaron Nicolai*, *Looch ſani & experti*, atque his pares noſtratium medicamentorum formas ingrediuntur. Eidem virtuti debetur, quantum ſuccurrunt renibus aut veſicâ dolentibus. Dactylorum ſocietatem nec purgantia reſpuunt. *Electuarium Diaphœnicum*, quod *Meſue* ſanitatis ac ſalutis medicamentum vocat, ſatis magnâ quantitate illos recipit, eo conſilio, ut ſcammonii ferocitatem mitigent, & detergant pituitam inteſtinis adhærentem, in affectu Colico. Idem electuarium, eodem fructu nobilitatum, proſtat etiam in tabellis, inſignitum nomine *Diaphœnici in ſolido*. Pariles virtute & dactylorum connubiô compoſitiones officinæ Perſarum exhibent, quas prolixè deſcribit Theſaurus Charaſem Sjaicus *Sachireh Charaſem-Schahii*, ingens liber Perſicus à Rege ejus nominis ſic dictus, auctoris *Muſaffer ibn Mahhammed el Hoſſein:* & in ſuâ Appendice ſimplicium & compoſitorum hiſtoriæ, auctor libri Selectorum naturalium & mirabilium *Kitaabi Echtiaraati Bedii*. Ex quibus Rev. *P. Angelus* Carmelita diſc. haud infideliter Pharphacopœiam ſuam Perſicam latinè tranſtulit. *Emplaſtrum* quoque *diachalciteos* ab hac arbore nomen *Diapalmæ* & *Diaphœnici* ſortitum eſt, cujus in vulneribus & qualibuscunque ulceribus ſanandis, nonnunquam etiam in leniendis doloribus arthriticorum, inſignis uſus eſt. Verùm emplaſtrum illud, cum Palmæ non fructum, ſed ſolum admittat lignum, quocum in præparatione agitari ſolet, quicquid virtutis exerit, Lithargyrio acce-

acceptum refert; rudicula nihil ei, nisi nomen tribuit. Ad arthritidem curandam ipsos dactylos commendat *Solenander*. Oleum ex eis *Joëlius* elicit, quò procidentem anum & excoriatas partes corporis inungit. Pulpam dactylorum imponunt populares extrahendis ex pede festucis & aculeis. Pulverem contusorum ossium, partum expellere *Forestus* author est; idem & calculos educere Medicorum testimonio creditur. Cinerem ossium ustorum in urinæ incontinentiâ propinat *Riverius*. His tot virtutibus ut ut dactylorum nomen clareat, apud alios tamen malè audiunt, quòd crebriùs manducati cephalalgiam, & quod Medici Persiani crepitant, gravissimam visioni noxam inferant: cùm vix tertius in hâc gente aliquâ non gravetur luminum ægritudine. Quâ culpâ dum reliqua dulciaria insimulat *Aretæus*, solidioris experientiæ Medicus, & à doctis, teste *Quercetano*, Anima Hippocratis non immeritò appellatus, solas tamen palmulas eximere non dubitat. Sunt sanè oculorum vitia omni genti oryzâ vescenti, sub dio & in tore dormienti, balneis denique crebrioribus assuetæ, familiaria & vernacula. Hæc tria cùm in una hac natione videas, religio sit, tot mali causis præsentibus, eo nomine infamare dactylos.

§. 3.

Magicum arboris abusum subjungimus, quò ex foliis de rebus absentibus & futuris pronunciant, eam vaticinandi fraudem edocti, quam speciali, sed barbaro fortassis, nomine *Faali meshèk* appellat vulgus Ormusiense. Nam, utut plura sint superstitiosæ genti per vaticinia imponendi genera, quibus vel ex calculationibus *Djaaferianis*, vel in religioso suo Codice *Alkoraan*, aut Poëmatibus *Chodsja Hafes Sjiraſi*, obscurarum rerum ex multò obscurioribus apophthegmatibus, evolutionis sorte inventis, lucem quærunt: vel ex somniorum ingentis summæ libro *Taabiir*, nebulosis spectris, centauris & dæmoniis picto, somniorum prænotiones evolvunt: vel arte Geomanticâ *Raml*, inventa tesseratum jactu auguria calculant, hæc tamen *Faali meshèk* spectabilis ars omnibus illis dactylophagi populi judicio longissimè antecellit. Modus hic est: Scandit possessor comam Palmæ floriferæ, & ex novellâ medii verticis fronde carpit sinistrâ recentium foliorum manipulum. Ex requisitis est, ne Magus quicquam toto actu loquatur, nec nisi semel carpat, detracta folia in terram ne dejiciat, nec pretio vendat, sed gratis concedat petentibus. Si in uno eorum delictum sit, irritus est labor, irritum oraculum. Cùm divinatio instituenda venit, unum vel alterum foliorum fasciculus in septem discerpit lacinias, quas sinistrâ manu ita apprehendit, ut utræque laciniarum extremitates inter pollicem indicemque ad æqualem longitudinem emineant, ne, qui unius lori fines sint, appareant. Hos inquam fines Magus quærenti offert connodandos, binos atque binos, postremis saltem duobus, quoscunque voluerit, omissis. Quo facto, compagem laciniarum, quacunque sorte cohæreat, humi spargit, ut natas ex nodulis figuras inspiciat, & ex iisdem responsa eliciat. Ridiculum est quot obtingant laciniis varietates figurarum, per circulos, catenas, lineas & multiplicia involucra cohærentibus vel disjunctis; sed magis est ridiculum, quàm Magus severâ fronte lineas aut gyros, conjunctiones aut separationes, unitates & numeros, ad itinera, reditus, connubia, mortem, ægritudines, sanitatem innumerosque casus argutè flectat, &, nisi ritè fata, rectè tamen crumenas explicet eorum, qui hanc sibi fabulam ludi petierant.

LI.

D. JOH. CHRISTOPH. VOLKAMERI *EPISTOLA* ad ILLUST. DN. LUCAM SCHRÖCKIUM, DE GELSEMINO ARABICO, FRUCTUM CAFE FERENTE ARBORE.

QUantus hactenus Arabicæ Provinciæ, Jemen dictæ, fructus Cahoven, ab Europæis Cafe nominatus, rixas dederit, cùm alii ad leguminosum & fabaceum genus (forte voce Buncho Bon-Sinæ, vel Buncæ Rhasis, hinc que detortæ oculæ Bon decepti) alii ad amygdaliferum retulerint, omnibus, qui primis tantùm labris Botanices delitias degustarunt, notum. Nemo tamen hactenus tot inter viros βοτανικοτάτους, aliosque multum terris jactatos & undis exstitit, qui notas illas characteristicas arboris, tot ac tantas opes provinciæ, in quâ crescit, suppeditantis, descripserit, & cui classi accensenda foret, certò determinaverit.

Nullis

Nullis equidem hâc in re ſumptibus pepercit Illuſtriſſ. operis Danubialis Auctor, Comes de Marſigli, qui perquam exactas arboris fructusque imagines depictas, ex Arabiæ Provinciâ Jemen per Conſtantinopolin delatas, VI. Tabulis æri incidi curavit, publicæque expoſuit luci: quæ Figuræ cum certo tamen deſtituantur charactere vota expectationemque curioſorum deludunt. Nec aliorum defuere in eruenda veritate, Arboris hujus, licet proh dolor irrita, conamina, ut meritò exclamaverit Excell. Ra„jus: Mirum tantum theſaurum unius gentis „peculium eſſe, tamque lucroſæ ſtirpis plantaria „intra unius provinciæ anguſtias coërceri. Mi„rum vicinas nationes, exſtimulante invidiâ aut „avaritiâ, ea jam pridem non vel vi depopulatas „eſſe, vel ſemina aut vivi radices dolo ſurripu„iſſe. Mirum quem vigilem draconem Coæ„vetis ſuis tuendis præficiant indigenæ, qui o„mnem inſidiantium technas & conatus fruſtre„tur & eludat.

Sed deluſæ tandem vigilantiſſimi Draconis Arabici technæ, arborque non tantùm in alias Aſiaticas transplantata nunc regiones, ſed in Europam noſtram transvecta, lætè nunc in Belgiô & ſeptentrionalibus Germaniæ noſtræ oris, accedentibus indefeſſis culturæ curis, vireſcit.

Miſit Cafe fructus, cerâ obductos, conjunctiſſimo Dn. D. Joh. Georg. Volkamero, ex Amſterodamenſi Horto, Excell. Comelinus, Floræ illud delitium. Arboris autem Cafe ferentis cum baccis ramum, quem hic delineavimus, ſumma liberalitas Generoſiſſ. & Excellentiſſ. Dn. L. B. à Munnickhauſen, Magnæ nunc Britanniæ Monarchæ Potentiſſimi & Electoris Brunſwicenſis Hannoverani, (quem Deus T. O. M. ſervet & tueatur) Theſaurarius & Conſiliarius Intimus, ex Horto ſuo Swebbertiano, prope Hamelenſe Fortalitium exſtructo, cum Regiis certè comparando, mihi, quod grata mente recolo, exhibuit.

Folia equidem caſtaneis perquam ſimilia ſunt, flos verò perfectus, elegantiſſimus & odoratiſſimus monopetalus, ex oblongo tubo quinquefariam diviſus: nuclei bini ſibi impoſiti pericarpio ſuccoſo incluſi, bacciferis arboribus & Jasminorum Claſſi fructum Cafe accenſent & *Gelſeminum Arabicum foliis caſtaneæ, flore albo ingenti odoratiſſimo* pronuntiant, omniaque hactenus circa hunc fructum ejusque arborem exorta dirimunt diſſidia.

Fig. vid. in *Ephemerid. Acad. Cæſareo-Leopoldino-Carolin. Cent. III. & IV. Obſ. 108. p. 378.*

LII.

MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI *EPISTOLA*

ad

DN. ANDREAM CLEYERUM,

Bataviæ Novæ Conſulem & Soc. Ind. Orient. Proto-Medicum.

P. P.

MIraberis, Vir Experientiſſime, quod neque facie, nec unquam nomine forte viſus miſſis Tibi literis comparere, meaque ſcriptione in mediam ferè Indiam excurrere modò auſim. At verò dabis id ſummô, quô Celeberrimo Tuo nomini innoteſcendi flagro, deſiderio, de cujus humanitate æquè ac candore jamdudum me certiorem reddidit Amiciſſimus quondam Vir, Dn. Sebaſtianus Schefferus, non ſine magno Reipublicæ literariæ diſpendio febri nuper malignâ, per contagium hauſtâ, ſublatus, quod vel ingratiis Excellentiam Tuam celare nequeo. Sic INSERVIENDO ALIIS IPSIMET CONSUMIMUR! quæ ultima ferè ſunt, quibus agonizante modò labro nobis valedixit pectus candidiſſimum, heu magna quondam vitæ meæ portio! Dicere non ſuppeti V. E. quam acerbo me dolore cruciarint pra matura beatiſſimi Viri fata, qui ut diffuſiſſimc quô gaudebat admodum, ſcribendi commerci penes Eruditos quosvis Europæ Medicos fac lem ſæpe atque liberum nobis acceſſum parar ita quæ undique advolabant, literas in ſincer amicitiæ teſſeram vel ultrò ſæpe concedere nc dubitabat: quas inter illæ cumprimis, quas Magnifica Tua Excellentia diverſis jam vicib exceperat, Epiſtolæ, rariori non minus literat ra, quam rerum naturalium ſupellectili refc tiſſimæ, ſumma nos utrobique delectatione fecêre. Curioſa certè ſunt, quæ de infallib Javanorum lithontriptico, *fructu* ſcil. *Anan* (in ambulacro horti Academici Lugdunenſis

Batav

Batavia conſpicio) refers, qui an balſamicas terebinthinæ vires habeat, an verò ſpecificâ forte partium texturâ calculum infringat, ſcire multum expediret. Curioſa non minus ſunt, quæ illic æquè ac in publicum edito *ſpecimine Medicinæ Sinicæ*, de myſtica Chinenſium doctrinâ circa pulſus, profiteris, ad cujus aditum nobis clavem haud ita pridem ſuppeditavit R. P. Michael Boymius, S. I. quam, ut Miſcellaneis Germanorum Curioſis Dec. II. Anno 4. eſt adjuncta, officioſè inſimul offero. Quæ ſi ita ſint, ipſe profecto Galenus huic Nationi palmam concederet, in hac quidem doctrinâ, ſi quis alius, operoſus. Ut verò dicam quod res eſt, paucos eadem in Europâ usque Patronos reperit, cùm circulationi ſanguinis (jam à 200. annis Indis cognitæ) quadantenus refragari videatur, niſi ſanior poſthac explicatio ſequatur, quam ab Excellentia Tua impatienti prorſus expectatione ante deſiderant omnes Eruditi, quàm ex Europa prorſus expellatur hic Sinenſum pulſus. Vereor enim, ne ſimile eundem fatum maneat ac famoſam nuperrimè *Moxam*, novum podagricorum ſolamen, quæ ut ſummis ab exortu laudibus eſt evecta, ita nunc quidem in Europâ prorſus ſilet. Ni grave fuerit, V. E. totam ejus hiſtoriam jam animi gratiâ recenſebo, ut quam varii ſint rerum mundanarum caſus mecum admireris.

Primus, quantum ſcitur, qui Germanis illam obtulit, eſt Hermannus Buschoof, Soc. Ind. Orientalis quondam Paſtor navalis, qui plusquàm Oratoriâ gravitate miris eandem encomiis extulit, ejusque operationem ſimul vernacula ſibi Belgica lingua in peculiari libello (mox in Germanicam translato) deſcripſit. Pervenerat hic fortè fortuitò ad Per-Illuſtrem Dn. Ericum Mauritium, ſummi, quod Spiræ eſt, judicii Cæſarei Aſſeſſorem Graviſſimum, qui literis ad B. Dn. Schefferum datis S. R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum id detulit, ut ex Miſcellan. Germ. Cur. Dec. I. Anno VI. obſ. 18. videre eſt: quibus Inclytus Elsholzius paulò poſt libelli ſupradicti ſummaria ſubjungebat, conf. Obſ. 22. c. l. Abhinc Diſputatione, quam vocant, Graduali Marburgi Cattorum idem argumentum ex profeſſo expedivit celeriſſimi quondam Practici, D. Geilfuſii, filius, nunc Archiater Naſſoicus & in Friſia Orientali Profeſſor Publicus, ſicut & alii porrò ejus nemine. Vix autem viſum erat Europæis Eridos hocce pomum & duæ ſtatim controverſiæ inde gliſcere cœpérunt, an nimirum *moxa* hæc Veteribus cognita? & cujus illa ſit naturæ, an artificialis, an verò naturalis? Quod priorem attinet, ſunt qui jam Hippocratis ævo remedium hoc minus inſolitum fuiſſe adſtruunt, idque ex Tit. 12. C. 130. l. de affect. ubi quidem, ſi in unum, ut loquitur, locum incubuerit dolor, τῷ ἀμυλίνῳ, id eſt, lino durere jubet, eoque non crudo, ſed, ut Martianus commentatur, præparato, cum *Moxa* fere conſpirante. Alii negativam amant, & hæc in merum Coi favorem ferè gratis aſſeri teſtantur, ſicut ex aliis ejus locis id apparet. Cæterum meò quidem perquam tenui judicio res facilè componi poſſet, ſi cum generoſo Dn. D. Majore Diſp. de Podagra diſtinguas inter uſtionem ipſam & urendi modum: illam Veteribus omnino cognitam eſſe non negavero, quod pluribus rationibus adſtruit Magnif. D. Francus, Rector p. t. Academiæ Palatinæ, in Miſcellan. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Anno I. obſ. 27. Modum interim Indis uſitatum & omnino novum Antiquos latuiſſe plauſibilius eſt.

Quod verò II. eſſentiam hujus moxæ concernit, primò quidem naturale quid è fungorum numero putabatur eſſe, quod aperrè profitetur jam ſupra citatus Geilfuſius. Verum & hic rem aliter ſe habere recentiorum tandem induſtria detexit. Fuére quippe, qui portionem Ejus è Belgio ſuſceptam armato oculo ſcrutantes quædam artemiſiæ latifoliæ haud diſſimilia iſtic obſervárunt, unde *moxam* mox ex artemiſia parari ſuſpicati ſunt, cùm planta hæc ex illarum quoque numero ſit, quæ teneram lanuginem in ſinu fovent. Quid quod ipſe Buschoofius id tacitè ferè innuat, dum herbam ejus *Herbarum matrem* vocat, quod apud Dodonæum, Lobelium & alios artemiſiæ eſt epitheton. Factum inde eſt, ut Inclyto Wedelio ſubnata ſint cogitata, annon & *Moxa* inde *Germanica* parari poſſet, quæ Indicæ partes ageret & pari fortè uſui ſerviret, de quâ vid. Germ. Curioſ. Dec. II. Ann. I. obſerv. VI. Manebat interim in dubio, an cum Sinenſium moxa res ita ſe habeat: donec omnis hujus rei ab Excell. Tua literis tandem certior redderetur beatiſſimus Schefferus, quarum epitomen habent eadem Miſcellanea Dec. II. Ann. IV. unde præparatio pariter genuina addiſci poterit. De cetero ut plerumque minuit præſentia famam, ita cognito demum myſterio evileſcere crepit tanti ante æſtimata pluresque in uſus adhibita moxa, ut mira (modò vera) ſint, quæ citatus ſæpe Buschoofius de maniâ, epilepſia & cumprimis podagrâ eadem radicitus ſublata refert. Quin & hunc in finem inde per Germaniam aliquot hujus rei experimenta facta ſunt, ſed impari ferè ſucceſſu. Modus autem adhibendi, fuſius à Buschoofio tradtus, cautelis ſanè indiget, ſecus enim moxa nõ uret ſine noxâ. Quam infauſto enim exitu in Perſonis alicubi Illuſtribus exarſerit hoc cauterium, juxta Patrui ſui, Joh. Danielis, communicationem refert Gregorius Horſtius Diſp. Grad. de Mania. Parili nempe modo hîc agendum ac cum aliis, actuali, ut loquuntur, flammâ inurendis cauteriis, de quorum œconomiâ legitimaque adminiſtratione ſpecialis exſtat commentarius Hieronymi Capivaccii Epiſt.

& Conſiliis à Scholzio collectis, adjectus. Nec omnes hic Helmontii ſarcaſmi ſunt de nihilo. Nimirum eò tandem totum recidit negotium, ut ſubjectis magis ſeroſis atque doloribus articulorum frigidis, vulgò ita dictis (*in der kalten Gicht*) ut & tumoribus œdematoſis mage conveniat, præmiſſis tamen præmittendis, quo excuſſo poris ſero pars △. roboretur, fibræque ante juſto flaccidiores quaſi rigeant. Ubi contra vel minima inflammationis facies adfuerit, cautela ſane opus eſt, ne gangrænæ tandem aut Sphaceli periculum accedat.

Ultimò quæſitum fuit, annon in tanta Moxæ caritate quædam fortè ſuccedanea dentur, intentioni huic & uſui æquè ſufficientia? Quid verò ni? nullam enim cauſam video, quò minus & alia pariter cauteriorum genera, tam actualia, quam potentialia huic ſubſtitui poſſint Novi ſanè Theologum magni nominis, qui ſummam, quâ per vices affligitur, podagræ carnificinam cantharidibus brevi ſupplantare novit, quarum multam inde portionem domi aſſervat. Nec deſunt qui fungos, lanugines verbaſci, taraxaci &c. idem præſtare aſſerunt. Alii telas aranearum, medullam ſambuci &c. ſubſtituunt, de quibus Miſcell. Gem. Cur. l. c. Novit pariter Archiatrum quendam Palatinum Dn. Francus, qui funis ſclopetarii raſuram (*Geſchabte Lunten*) hunc in finem adhibet: quæ omnia eodem, quo Moxa adhibetur, modo applicari ſolent, ita ut in affectibus capitis inſtar coronæ caput cingant, in doloribus iſchiadicis autem & arthriticis artubus, manibus ſcil. pedibus & genubus apponi & mediante baculo aromatico accendi debeant.

Cæterum quæcunque tandem ſint, ſive peregrina, ſive domeſtica, quæ pro ſublevandâ podagrâ inuruntur, tantiſper ſquidem hunc dolorem palliant, quatenus vel archæo terrorem incutere, vel lymphæ corroſivæ portionem exantlare apta ſunt. An verò radicalis affectus derturbatio ita obtineri poſſit, valde dubito. Manet enim intus ſcaturigo & in viſceribus oberrans cauſa, quam qui cognoſcere poterit, næ! feliciſſimus erit in ejusdem cura. Acidum hic nervis inimiciſſimum inculpat unanimis Recentiorum deciſio, Helmontii puta, Tachenii, Sydenhamii &c. ſed quanta, quæſo, acidorum latitudo eſt ſpecifica? in cujus determinatione & exercitatiſſimis ſæpe aqua hæret. Unde multis non ſatisfacit generalis hæc acidi incuſatio, quod in genere utique peccare non negavero, Probant id juvantia & nocentia: probant & antecedentia cauſæque occaſionales, quas inter crebrior vini, acido plus minus acri volatili abundantis, ingurgitatio carniumque aperto igne aſſatarum eſus notoriè nocent; quæ unica ferè cauſa eſt, quod in divitum culinis magis elixetur podagra. Unde procul dubio vulgi ſubnata eſt ſuſpicio frequentem gallinarum eſum ad arthritidem diſponere: quod certè non penitus de nihilo eſt, ſiquidem aperto igne exaſſentur & ita Stygio qs-flammæ acido imprægnentur, quo flammam abundare in modum eò facilius credo Tachenio, quod noverim encheireſin, quâ flamma concentrata, non ſecus ac ſulphur ſub campana deflagratum, in ∽. aquæ forti non cedentem abeat. Quid quod muliercularum experientia id conſtare poſſit, quæ raphanum ruſticanum (in Auſtria & Bohemia frequentiſſimum) radiculâ comminuentes ad apertam ſe flammam collocant, ne oculis incommodet. Hâc enim ratione effluvia flammæ acida ſali raphani volatili occurrentia ſe mutuò arripiunt & in ſalſum tertium abeundo ſua utrobique energiâ privantur. Neque ridenda ſunt experimenta hæc in culinis & ad focum nata, cum ſæpius olitor ſit opportuna locutus. Ego verò ne paitentia Tua, Vir ampliſſime, turpiter abuti, noctuasque, quod dicitur, Athenas detuliſſe videar, in his enarrandis ſubſiſto, quæ eum tantum in finem ὡς ἐν παρέργῳ expedire volui, ut & animum meum honoris Tui cupidiſſimum explicarem, & quæ de novo hoc Indorum cauterio hactenus in Europa ſe truſerunt, Excellentiæ Tuæ communicarem. Quodſi forte circa præparationem ejus aut adhibitionem ceſpitatum fuerit, nec omnes Chinenſium enchireſes innotuerint, ulteriorem hac in parte informationem obnixè rogitarem, quâ tum univerſam Naturæ Curioſorum Academiam, tum in ſpecie Venerandum noſtrum Præſidem, Dn. D. Fehrium, multum obſtringes, qui juxta Celeberrimum Volckamerum, me jam interprete, Excell. Tuæ ſalutem impertit humaniſſimam: quam & nomine Conterraneorum Tuorum, Conſultiſſimi Witſtenii, Sereniſſimi Principis Waldeccenſis Cancellarii Magnifici: Experientiſſimi Dn. Schleiermacheri, Archiatri Haſſo-Darmſtatini, & Per-Reverendi Dn. Wahlii ſimul officiosè offero. Quodſi demum gratiam penes Excellentiam Tuam invenient ea, quæ in foro cumprimis Medico poſthâc dederint Europæi noſtri, commodâ annuatim occaſione, per communem nobis amicum, Dn. Nicolaum Dumbsdorfium, Civem Ambſtelodamenſem & Pharmacopœum nulli ſecundum, certam ſemper eorum copiam facturus ſum, qui, ut ſtipulata manu adſtruit, commercii noſtri literarii ſincerum, ut hactenus, patronum aget. Vale, Vir Celeberrime, & eundem, quem hactenus favorem Germanis Tuis concedis, indulgere perge, qui pro uberiori (cujus & medios inter Barbaros potitus es abundè) Familiæ Tuæ ſplendore atque felicitate mille DEO T. O. M. ſuſpiria perſolvere nunquam deſinent. Vale terque quaterque. Dab. *Ambſtelredami, die 28. Maji, Anno 1686.*

MANTIS-

MANTISSA EXOTICORUM ACADEMICA,

complectens

DISPUTATIONES QUASDAM INAUGURALES, in diversis Germaniæ Academiis de simplicibus exoticis habitas, & in Museo Museorum laudatas.

DISPUT. I.

DE

SERPENTARIA VIRGINIANA.

D. Christophori Ludovici Göckelii.

B. C. D.

PROOEMIUM.

INter plures prudenter & ingeniosè excogitatas, & à serpentibus seorsum desumtas, veterum parœmias meritò illam quoque militare notum est, qua rem noxiam depingere intenti cane pejus & angue, sanguine item viperino fugiendam monuere.

Attamen cum & in hoste laudanda sit virtus, tantum abest, ut omni plane careant utilitate serpentes, ut plura potius ex iisdem rursus aucupari liceat non æque contemnenda symbola, ac remedia.

Præbuerunt, ut hæc aliquot tantum exemplis illustremus, ii tum sacro Codici, tum profanis Moralis Philosophiæ Doctoribus symbolum prudentiæ, neutiquam non mortalium commendandæ: Mythologis & Hierophantis, teste, præter alia, historia Georgii Castrioti, vulgò Scanderbegi dicti, à Marino Barletio in vita ejusdem descripta, signum futuræ felicitatis: nummorum inventoribus, in specie bini baculum nexibus ambientes depicti, emblema, Ethicorum ad exemplum, ut pacis, ita & sapientiæ, eruditionis atque calliditatis. Hinc & Mercurio, Hygeiæ, Æsculapio, singulisque Mercurialium virorum choris, adeoque & inter hos Medicis, quoniam & his præ reliquis cultura ingenii, acumen & prudentia competat, sacrum.

In scholis verò Medicis seorsim gemina notione de serpentibus, latius & in genere sumtis, tractari solet, tum ut vitandis, eorumque veneno illato curando: tum quænam arti servandorum hominum & suo loco sœnerent medicamenta & ipsi, & ab illis denominatæ herbæ ac simplicia, serpentibus adversa.

Singula hæc ut latius excuti ac perpendi merentur, ita inpræsentiarum & alia quædam delibare animus est, & maxime, Dissertationis Inauguralis loco, lustrationem ac examen instituere SERPENTARIÆ VIRGINIANÆ dictæ, id quod ut feliciter eveniat, DEUM O. M. solicite & devotissime oramus.

CAPUT I.

DE

SERPENTARIIS EARUMQUE ETYMOLOGIA ET DIFFERENTIIS IN GENERE.

UT maxima serpentum est latitudo, ceu genus plures sub se species continentium, ita operæ pretium est & delibare *Serpentariarum* ambitum non exiguum. Non ignobile constituunt ex regno animali hoc titulo proprie denominati serpentes, ipsæque viperæ, in substantia & quoad diversas partes in usum venientes. Tacemus ὄφιασιν, morbum capillorum, qui & area dicitur, quando certis spatiis in serpentis similitudine decidunt: & serpentum instar serpentulos, vel viperas, per alvum præternaturaliter excretas.

Non pauca vero ex aliis regnis quoque mutuata à serpentibus extant nomina. Ex regno minerali ipso celebris ὄφιτης, *ophites*, marmor serpentinis maculis attimile, & variæ τὸ λίθος ὄφιτης,

ὄφεις, ſeu *lapidis ſerpentini* ſpecies huc ſpectant, teſtibus *Galeno l. 9. de ſimpl. Medicam. Dioſcoride l. 5. ſimpl. c. 119. Plinio l. 36. c. 7.* & *Matthiolo in Comment. ad citat. Dioſcorid. locum.* Tacemus ſerpentes petrefactos & alia analoga inter curioſa lapidum ζητήματα occurrentia.

Maxime vero in vegetabili regno longe diffuſiſſimo idem uſu venit. Sic *Lignum Colubrinum* à colubris ſeu ſerpentibus nomen accepit, quoniam, ne alias ejus qualitates pluribus laudemus, vel ſolo odore eos in fugam conjicere, attactosque internecioni illico dare, ex mente illorum incolarum, ubi hoc ipſum venit, *Joh. Bauhinus Hiſt. Plant. Univerſ. l. 15. c. 39.* recenſet.

Imo & arte facta à ſerpentum aliqua analogia dicta ſunt, quod vel in Chymicis ſcholis *ſerpentinæ* dictæ edocuerint, ſeu inſtrumenta tortuoſa deſtillatoria, tam vitrea, quam alia, ob hanc ipſam tortuoſitatem ſuam aliqua ex parte ſerpentum anfractuoſos plexus imitantia, ad ſubtiliorem ſurſum propulſandum ſpiritum vinoſum curioſe excogitata, vid. *Charas Pharmacop. Reg.* Si tamen verum fateamur, etiam citra tales circulationes & ambages volubiles idem ex fundamentis artis impetrari ſimpliciori via poteſt.

Speciatim quamplures plantæ ſerpentibus nomen debent, quacunque demum ſimilitudine, ſignatura, charactere, mechanica, figura, colore, aliisque medium terminum, ſeu tertium ſimilitudinis & occaſionem largitis. Ut diſtinctius hæc appareant in ſingulis, notabile eſt commode in tres claſſes ſpecies quaſi ſub hoc genere comprehenſas dirimi poſſe, quo ipſo derivatio & nomenclatura optime clarere & concipi poteſt.

Ad *primam* referimus, quæ à formæ externæ, aut alia extrinſeca, in uno aliquo tertio cum ſerpentibus convenientia denominationem hanc nactæ ſunt. Ad *alteram*, à virtute inprimis alexipharmaca & ſerpentum veneno adverſa ita cognominatas. Ad *tertiam* denique utroque charactere inſignes, adeoque duplicem ob cauſam, tam quod forma externa ſerpentes aliquatenus referant, quam quod viribus ſuis ſaluberrimis iisdem contrarientur, titulo hocce inſignitas.

Liceat hæc, ut certius magis dictis conſtet fides, exemplis præterea aliquot illuſtrare, vel ideo, quod ipſi Serpentariæ Virginianæ noſtræ eo facilius à reliquis diſtinguendæ inſerviant.

Sic in prima claſſe locanda venit (1.) *Nummularia*, ita quidem communiter, ob foliorum rotundiorem figuram, nummos minutos æquantem, herbariis audiens: *Lonicero* vero in *Herbar. p. m. 441. Fuchſ. in Comment. ad Hiſt. ſtirp. c. 153. Dodonæo*, & aliis, quod caulem habeat in terræ planitie inſtar ſerpentis repentem, latius paulo, ſerpentaria minor, Germ. *klein Natter-Zunge*, & *Caſp. Bauhin. in Pinac. l. 8. ſect. 3.* ſerpentaria tertia, ſeu centummorbia Brunsfelſii dicta.

(2.) *Ophioglossum* quoque huc pertinere videtur, quæ herba appoſitiſſime non tam à Græcis recentioribus, quam quod Germanicam etiam nomenclaturam, *Natter-Zünglein*, exprimat, & rem ipſam, cum forma pediculi è folii ſinu prodeuntis, & lingulam ſerpentis referentis optime conveniat, ita vocata eſt, teſte *Fuchſio in Herbar. c. 22.* & *Dodon. Pempt. l. 5. c. 21.*

(3.) Ad hunc ordinem referre licebit *Ophioſcorodon*, ſeu *allium ſerpentinum*, aut, ut *Matthiolus* vocat, *Creticum*, German. *Schlangen-Knoblauch*, ob caput, quod ſerpentis inſtar cum ſuprema caulis parte ſe contorquet, prout à *Bauhin. Hiſt. Univerſ. Tom. 2. l. 19. c. 3.* depingitur, hoc nomen gerens.

(4.) Nec *Biſtortæ* reticendæ, utpote vel κατ' ἐξοχὴν multis ſerpentariæ nomine notæ, quod, prout *Fuchſ.* in *Herbar. c. 297. Rolfincius in Ord & Meth. Comment. l. 10. ſect. 1. c. 3.* & *Ettmullerus*, iisdem fere verbis, loquuntur, primum è terra erumpentes linguæ ſerpentis in modum contractis iisque ruffeſcentibus gaudeant radicibus: quin præterea ob ipſam hanc radicum rubedinem, ad elegantem aliarum diſtinctionem, *Taxis Hafnienſi* & *Lipſienſi* & *Emanueli König in Regn. Vegetab.* Serpentariæ rubræ dictæ. Et illam quidem, quæ radice magis intorta prædita, ſerpentariam marem exiſtere; alteram, cui minus intorta eadem, ſerpentariam feminam ſeu Colubrinam dicere poſſumus, ſi *Fuchſium*, *Caſp. Bauhinum* & alios ſequi velimus.

(5.) In hunc tandem cenſum plures *Dracontiorum*, ſeu dracunculorum, & his affines quædam *ari* ſpecies, caule inprimis etiam ſerpentum in modum maculato conſpicuæ, recipi geſtiunt, in quibus ſpecialius recenſendis non immorabimur.

Inter hæc vero alia ita audiunt, quibus, ut *Plinius* & hunc ſecuti volunt, biſtortæ in modum fere radix draconis convoluti forma ſpecioſa eſt. Alia, ut *Theophraſtus Ereſius*, *Dioſcorides* & *Bodæus in Not. ad Ereſ. l. 8. c. 11.* itemque *Apuleius l. de Medic. c. 4.* ſentit, quibus caulis πολλῷ ὀφιώδης, vel ὀφιωδὴς, i. e. *ſerpentis* aut draconis modo maculis pictus exiſtit. Accedit, quod *Anazarbeus* addit, *l. 2. c. 196.* qui radice manus ſuas perfricuerint, à viperis feriri negantur, parum deinde attendendo, num domeſtici ſint illi, ut dracunculus major, minor, paluſtris, hortenſis, aliique noſtris regionibus familiares, an exotici.

Eminet inter has quoque *Serpentaria Triphylla Braſiliana*, caule punctulis nigris notato, teſte *Marcgrav. Hiſtor. rer. Natur. Braſil. l. 1. c. 13.* Luſitanis Erva de S. Maria dicta, à *Caſp. Bauhino in Prodrom. p. 101.* imperfecte tamen, ut *Raju* monet, magis, perfectius à *Dodarto* deſcriptus, à quo deinceps & ſuam ſe deſcriptionem mutuam

mutuam ſumpſiſſe *Rajus Tom. II. l.* 31. *c.* 19. fatetur.

Meretur huc referri etiam herba *Hippocrati* memorata, *Ophis* ipſi dicta, & *l.* 2. *de morb. mulier. c.* 7. *t.* 7. ejus καρπὸς ſeu fructus in fluxu ſanguineo ad ſuffitum commendatus cum aliis; quamvis dubium ſit etiamnum, an cum dracontio eadem ſit planta, & ſic ſemen ejusdem, quod *Joh. Bauhino Hiſt. Plant. l.* 19. *c.* 30. placere videtur, intelligatur, an echii *Dioſcoridis l.* 4. *c.* 27. cujus ὁ καρπὸς κεφαλῇ ἔχιος ὅμοιος, *ſemen capiti viperino ſimile* ſcribitur.

Quod alteram claſſem præfixam concernit, ſerpentariæ etiam dictæ fuere, tum interno, tum externo uſu, quæ à virtute alexipharmaca ſerpentibusque adverſa denominationem ſibi fœnerantur. Notabile hic eſt exteriorem ſignaturam ſine dubio anſam & occaſionem dediſſe cogitandi de interna virtute & efficacia bezoardica, vel externa quoque, quoad uſum morſibus ſerpentum debita, illis potiſſimum præferendis, ubi experientia conjecturam firmavit, addenda hinc ratione quoque congrua.

Ex his laudari poteſt Coronopi ſylveſtris vulgo ſpecies, quæ à Göritienſibus ſeorſim, apud quos provenit, *Serpentina* dicta eſt, autore *Matthiolo in Comment. ad l.* 2. *Dioſcor. c.* 123. *pag.* 384. & *l.* 6. *c.* 40. aliisque locis, & *Dodon. Pemt. ad. l. l.* 4. *c.* 24. Herbariis, quod *Theod. Tabernæmontanus lib.* 1. *ſect.* 4. *c.* 3. *p.* 303. monet, Gramen Serpentinum, Germ. *Schlangen-Zwang*, *Schlangen-Graß*, cujus radicem pulveriſatam in vino potam citatis iisdem locis Matthiolus crebrius laudat viperarum aliorumque venenoſorum animalium morſibus maxime adverſam, præcipuumque eſſe remedium, ita ut vel ſola optime liberet demorſos, quin & contra epota venena alia valeat efficaciter. Confer latius *Joh. Bauhin. l. c. l.* 31. *c.* 4. *p.* 510 *ſeq.*

Sic in cenſum hunc merito venit porro decantata hodie Scorzonera, ſeu, ut aliis placet, Eſcorzonera, in Hiſpania, & quidem, ut *Monardes* recenſet, in Comitatu Urgel, Catalauniæ Provinciæ loco, Momblanc dicto, à Mauritano, captivo eo adducto, ante duo fere ſecula primum inventa, & voce hac idiomati Catalonico conformi inſignita, non exactius Latine exprimenda. Pluribus hoc exprimitur apud *Monardem*, inprimis *l. de Lapide Bezoar* & *hac herba* conſcripto, & à Cluſio Latinitate donato, *Matthiol. Lib.* 5. *Epiſt.* 13. *Rolfincium Ord. & Method. Comment. Lib.* 10. *Sect.* 1. *cap.* 3. pluresque alios. Hinc & Viperinæ ſeu Serpentariæ nomine gaudet, & vernacula voce *Spaniſch-Schlangen-Kraut*, ſeu, cenſente *Theod. Tabernæmontano*, *Schlangen-Mord.*

Schurzo enim ſive Eſcorzo denotare Catalonis quoddam Serpentum genus autores affirmant, cujus morſibus venenatis hanc ipſam radicem efficaciter reſiſtere, experientia comprobatum ferunt, adeoque merito inde ipſi nomen Scorzoneræ videtur, uti prolixius eodem *Monardes* libro teſtatur, inditum: maxima quippe, ſi huic itidem autori fidem adhibeamus, ei adverſus Scorzonem vis ineſt, & adeo quidem, ut confeſtim, ſi ejus tangatur ſucco, torpeat, ſi in os ejus injiciatur, pereat, & manibus eo ſucco illitis contrectetur ſine periculo. (Non enim mordere tunc poſſe, ſed adeo torpeſcere, ut ſemimortuus quaſi videatur.) Et ſi, qui fuerit ictus, comedat de radice aut ſuccum foliorum bibat, confeſtim ſanetur, ſi inflatus jam fuerit, deſideat tumor, ſedentur dolores & deliquia, ſique præſumatur, antequam momorderit, non ſuperveniant priora ſymptomata, & quæ mitæ ejusdem vires pluribus ibidem legendæ deprædicantur aliæ; quamvis ſæpe hæc talia hyperbolice extollantur ultra meritum. Satis ſit, ſcorzoneram montanam Italicam & Hiſpanicam, imo & noſtram, non infeliciter inter bezoardica militare, & laudem inſignem adeptam.

Tacemus à *Piſone l. de Medicin. Braſiliens. c.* 71. *p.* 120. memoratam *Cajatiam*, alias Caaicam, Luſitanis Eruam dos cobres, aut, ſi Latine reddamus, *Serpentariam* appellatam. Et hæc enim, ipſius autoris verbis, refertur colubrorum morſibus feliciſſime mederi, nec ulli antidotalium herbarum dignitate cedere, quod maſticata vel contuſa, & morſui ſerpentum applicata dolorem non ſolum ſedet, ſed ipſum venenum validiſſime extrahendo etiam vulnera curet: ſicca vero & in pulverem redacta è convenienti liquore ad pugillum exhibita cor muniat viresque à veneno lapſas reſtituat.

Agmen claudit SERPENTARIA, noſtro ævo ſua acceſſione celebratiſſima, VIRGINIANA, ſeu unam, ſeu plures ſpecies ejus ponamus, qua de mox pluribus agemus.

Utroque demum nomine & titulo viſendæ ſunt quoque dictæ; quam enim in ſingulis aliqua præſumptio talis videri vel ſtatui poſſit, à potiori tamen denominatio fieri debet, & ſic magis exhauriri ambitus & latitudo.

Spectat huc *Echiorum* cohors, quæ quippe ſingula ἀπὸ τῆ ἔχιος, *Vipera*, nomen ſuum derivant, adeoque Viperinæ Latine, ſive etiam Serpentariæ, ſalva nihilominus manente uſitata alias ſtrictiore, quæ hodie proſtat, Viperas inter & Serpentes diſtinctione, non inepte appellanda, imo jamjam ab aliis appellata. Idque tum propter ſeminum formam viperina capita imitantium, ut, quot ſemina, tot fere minuta viperarum capita appareant: tum quod & hæc ipſa ſemina, quin & radix in vino pota, præſervative & curative ſerpentum venenis reſiſtant, & folia ictibus eorundem impoſita illos potentiſſime ſanent.

Utut vero hæc talia præſumptive potius, vel relative, poſſint ſcripta & laudata eſſe, citra experimentorum mentionem, videri: attamen

nec temere neganda ſunt, nec negligenda, ſed ulterius minimum exquirenda. Vid. *Dioſcoridem l. 4. c. 25. Matthiolum in notis ad b. l. Dodonæus Pemtad. 5. l. 1. c. 12. Cluſium l. 5. Hiſtor. rar. Plant. c. 50. Coſtor. Durant. Hortul. Sanit. p.* 336. ex recentioribus *Joh. Bauhinus, Hiſt. Plant. Tom. 2. l. 33. c. 5. Proſper. Alpin. l. 1. de Plant. Exotic. c. 57. Tournefortius Inſtit. Botan. p.* 136. aliique unanimiter quaſi idem confirmantes.

Si ad exotica divertere velimus, referenda huc & *Caapeba*, Luſitanis, vel etiam, ut *Piſo in Hiſt. Natural. Braſil. l. 4. de facult. Simpl. c.* 54. pluribus refert, quod nunc vicinas conſcendere arbores, nunc humi inſtar Colubri herba repere ſoleat, & viribus adverſus ſerpentes polleat, *Cipo de cobras*, ob eximias vero alias virtutes & præſtantiam *Erua de Noſſa Senhora* item cognominata.

Agmen claudat etiam addenda *Serpentaria mirabilis montana*, Germ. *Bergſchlangen-Kraut*, elegantiſſimus Stiriacorum & Hungaricorum montium fœtus, à ſolo, quantum nobis conſtat, *Muntingio* ſolidè & plenius deſcripta & delineata, *Herbarii Belgici cap.* 330. *p.* 752. Antea vero jam ejus meminere quoque *Phædro in Chirurg. minor. p.* 76. & *Crollius l. de ſignatur p.* 81. qui Sidericam & dracontium majus vocat.

Hæc ipſa elegantiſſima & artificioſiſſima gaudet facie, ut eadem omnibus certe plantis contra, ſaltim mirabilis nomen ſortitis, ſummi Conditoris majeſtatem oſtendat, & vel adſpectu ſuo alliciat obvios. Foliis ſerpentem refert ſingulis, quatuor vero ſolùm habet, velut depictum vel inſculptum; unde & nomen ſortita eſt unice. Floribus rubentibus ſtellam, ſeu ſidus cœleſte refert, eamque triplicatam quaſi, vel exactiſſimam potius, unde *ſidereon* dicitur. Quod enim in cœlo ſtellæ, id in terra plantæ ſunt, earumque flores, quaſi terreſtria ſidera, enarrantia & ſuo loco gloriam Dei O. M. Radice & foliorum numero mandragoram æmulatur, niſi quod hæc craſſiori in medio vena, exacte ſerpenti à capite usque ad caudam, ut ovum fere ovo, ſimili, inſigniter conſpicua ſint.

Vires quidem nondum æque exploratæ, ſi ullus tamen ſignaturæ locus eſt, hanc applicare, & ad venenatos morſus & virulentiam indagare ulterius & illuſtrare par eſt, dummodo occaſio tulerit, ratiſſimam hanc plantam obtinendi.

Notabilis eſt locus de ſerpentariarum nomine *Paracelſi Chirurg. magnæ P. 1. Tr. 2. cap. 7.* a ſerpentum exemplo, quos quandoque diſſectos, cum ſemet ipſos rurſum conglutinare herbis quibusdam homines viderent, ab affectu *Serpentarias* vocandas eſſe, utpote traumaticas. Id quamvis puerili ratione factum ſcribat, ea tamen occaſione non diffiteri poteſt, inventos quoque eſſe pulveres glutinantes vulnera.

CAPUT II.

DE

RADICIS SERPENTARIÆ VIRGINIANÆ

ORIGINE, DEFINITIONE, DIFFERENTIIS ET AFFECTIONIBUS IN SPECIE.

Quod alias de obviis ignotis, nec prius viſis primum & ſolenne eſt quærere, qui genus? unde domo? ut cum Poëta loquamur, vel cum *Propertio:* qualis & unde genus? id jure quoque tum de aliis exoticis & peregrinis ex oris aſportatis medicamentis valet, tum & hic inpræſentiarum de Serpentariæ Virginianæ origine.

Gemina circa hanc explorandi eſt via, ſi à mercatoribus, & ſeplaſiariis diſceſſerimus, apud Medicos & Hiſtoricos, ſeu Geographos ipſos potius ſimul.

Cum itaque primus, quantum inveſtigare potuimus, ex Medicis hujus meminerit *Jacobus Cornutus*, Medicus Pariſienſis, *Canadenſium Plantarum aliarumque nondum editarum Hiſtoria*, Anno MDCXXXV. edita, *cap.* 80. *pag.* 214. par eſt, eundem audire. Præmiſſo enim titulo: Radix ſnaqröel nothæ Angliæ: miſſa quoque eſt, *ſcribit*, ad me ex notha Anglia radix, quam Serpentariæ vocant, vernacule ſnaqröel, cum hac inſcriptione: Hæc radix Alexiterium præſentiſſimum eſt contra morſum ſerpentis ingentis perniciоſiſſimique in notha Anglia; hujus radicis ſumatur portio, qua ſumpta nullus unquam auditus eſt periclitari de vita.

Quot verba, tot pondera, quæ clarius patent, ſi noverimus, quod dicatur Anglis à Snake, *anguis*, de quo nullum eſt dubium, & root, *radix*, unde videtur dicenda potius *Snackroot*, à vipera, ſerpente, & radice; niſi vel in Anglia ipſa, vel in Gallia perabuſum, tyrannum loquendi, vel ignorantiam linguæ Anglicanæ detortam putemus in Snaktöel.

Audito primo hoc ſaltim Scriptore Medico, prius, quam audiamus alios, conſultum eſt evolvere *l'Hiſtoire de la Virginie* (Gallica enim lingua ſaltim legenda obtigit,) *l. 2. c. 4. p.* 196 On y trouve, *ait*, la *ſerpentine*, qui paſſe en Angleterre pour un des meilleurs cordiaux, & un antidote

antidote excellent, contre toutes les maladies peſtilentieuſes.

On y voit auſſi, *pergit*, la Racine de ſerpent à ſonnette, qui eſt un remede incomparable, & qui guerit de la morſure de ce ſerpent, dont le venin tue quelquefoi en deux minutes. Quand on en eſt mordu, ſi l'on avale au plutoſt de cette racine, elle chaſſe d'abord tout le venin, & au bout de deux ou trois heures le patient eſt retablie dans ſon premier état.

Nomen habet ſerpens ille à ſono, par le bruit, qu'il fait avec ſa ſonnette, & qu'on peut entendre a une diſtance raiſonable. Addit *l. 4. cap. 19. pag.* 405. non mordere, ſi quis obviet, niſi irritatum, & venenum ejus eſſe mortale, qui non ſtatim medeatur aliquo antidoto.

Ex his ceu fontibus derivanda ſunt, quæ hinc apud alios de eadem confirmata & relata leguntur. Ita *Pometus* refert ab Anglis eam in America effodi, & contra varii generis venena adhiberi ſolere, *l. 2. cap. 3. p.* 49. cum inſignem ejus uſum, in illis, ubi provenit, locis, & inprimis ſpecificum deprehenderint adverſus morſus lethiferos magni illius Serpentis Boicininga, Braſilienſibus, Luſitanis Caſcavela, Belgis Raatel Snake dicti.

Horrendum hoc ſerpentum genus à *Margravio* fuſius deſcriptum extat *Hiſt. Nat. Braſil. l. 6. c. 14. p.* 240. quinque pedes longum, coloris obſcure flavi, dentibus armatum longis & acutis, & in cauda hamulis quaſi catenariis ſingulari modo invicem aptatis inſtructum, quibus etiam cymbali modo, repens, ſonum eumque è longinquo percipiendum edere dicitur, peregrinantibus. Ipſe vero ſuo tempore nondum contra illius virus amuletum cognitum fuiſſe fatetur.

Repetit hinc idem & ſuum facit *Pometus l. c.* adeo formidabile ac venenoſum exiſtere hoc virus ſcribens, ut quibus ab illo, quod tamen non infrequens eſt, læsi contigerit & morderi, niſi illico hujus radicis aſſumſerit portionem, præſentaneam intra duodecim horas ſubiiſſe mortem obſervatum eſſe.

Quando hinc erudito Orbi quadraginta demum abhinc annis magis innotuiſſe atque in uſum veniſſe *D. Valentini in Muſeo Muſeorum L. 2. Sect. 2. c.* 10. recte aſſerit, id intelligendum eſt de penitiori cognitione, & recepto in praxin Medicam ſucceſſive uſu.

Mentionem quoque ejusdem facit *Simon Paulli* in *Quadrip. Botan.* & recentiores inſuper Medici Angli, in *Pharmacopœia Londinenſi, p.* 1. 6. & 172. & ſcriptis ſuis variis, unde hodie & Gallis & Germanis ipſis, communi velut conſenſu & applauſu plerorumque, recepta eſt.

Inter reliquas itaque dudum notas & celebratas, uſuque confirmatas, claſſicas & officinales, merito primas tenet apud Practicos, ſalim curioſiores, SERPENTARIA VIRGINIANA, maxime quoad radicem hactenus, eaque vera. Dicitur hæc ipſa, ut rectiſſime idem *Simon Paulli in Quadrip. Botan. p. m.* 531. ſub Scorzonera mentionem ejusdem faciens judicat, & nobiſcum ſic ſentit, non quod biſtortæ aut Serpentariæ inſtar ſerpat, aut quod ſit ſerpentis jacentis modo in ſe contracta, aut ad Serpentariæ alias ſpecies pertineat, ſed quod quanta quanta alexipharmaca ac ſerpentibus adverſiſſima exiſtat.

VIRGINIANA vero, ſicut innumeræ radices, plantæ & vegetabilia alia, à Patria audit, VIRGINIA, quod *Moriſon Part. 3. Hiſt. Plant. Sect. 12. c. 26. Pomet. l. c. Dale in Pharmacolog. Sect. 17. §. 8. Charas Pharmacop. Galeniqu. & Chimiqu. pag.* 286. & tantum omnes recentiorum confirmant.

Hæc vero regio, ut ex Geographicis & Hiſtoricis notum eſt, Septentrionalis Americæ, in Floridæ confinio, ſita, ab Anglis Anno Chriſti cIↃ IↃ LXXXIV. demum inventa, inque Eliſabethæ Reginæ honorem ita appellata, pluribus tum herbis egregiis aliis, tum copioſo hujus quoque herbæ & radicis ſaluberrimæ proventu à natura donata.

Celeberrimus verò *D. Valentini, in Muſeo Muſeorum Lib. 2. Sect. 2. c.* 10. Jamaicam, inclytam Americæ Septentrionalis Inſulam, Anglorum itidem imperio ſubjectam, longius tamen à Virginia diſtantem, potius laudat. Hoc ut cum mechoacanna & aliis habet commune nomen Serpentaria, à patria ſcilicet, ita nil obſtat, ex utroque loco eandem provenire poſſe, ſeu proventu nativo, ſeu arte promoto, quod ab ipſis Anglis facillime potuit fieri, uti & indigenatum ipſum, vel tabaci exemplo aliorumque, etiam apud Europæos non paucæ ſortitæ ſunt.

VERÆ autem nomen ſibi vendicat ad diſtinctionem aliarum ſpuriarum, ſiquidem operæ pretium eſt, ut in omnibus aliis, ita in noviter inventis probe diſpicere, ne fallamur. Revera enim, ut reliqua jam mittamus, cum ipſa Ipecacuanha primitus, ad mercatores noſtros allata, confuſa fuit.

Sicuti vero inventionis gloriam & nomen debet inclutæ Anglicæ nationi ſerpentaria hæc Virginiana: ita, ſi ejusdem delibemus Synonyma, Gallis, ut *Charaſio* & *Pometo*, Viperine Virginienne, Latinis hinc item Viperina Virginiana, Colubrina, Germanis *Virginiſche Schlangen-Wurtzel*, ſi *Valentinum* ſequamur, ſecundum autorem autem editionis Germanicæ *Medicinæ Experimentalis Digbæanæ, Virginianiſcher Schlangenmord*, audit; quæ tamen nomina ſingula quoad ſignificationem fere eadem, nec niſi pro cujusvis linguæ idiomate variant.

Nec errant, qui Contrayervam Virginianam vocant, tum ratione nominis & virium, tum ratione analogiæ. Contrayerva enim radix idem ſonat Hiſpanico idiomate ac: contra venena, teſte *Nard. Ant. Recchi l. 8. rer. Med. Nov. Hiſp. c. 59. p.* 302. Nam Yerva Hiſpanis & herbam, & venenum ſeorſim notat. Cum itaque

ſimilium eadem ſit ratio, cur non in nomine quoque analogia locum inveniat? Accedit eadem quoad radices fibroſas, ut tanta magis id locum habeat, quo major eſt in utraque, viribus & ſubſtantia, licet non exquiſita penitus, convenientia, utraque ex America oriunda.

Idem dixerimus de vincetoxico. Uti enim cum Mexicani agri planta congruit ſerpentaria, dicta Virginiana: ita etiam ad Germanas collata, cum Aſclepiade, ſeu hirundinaria, convenit; utraque enim non modo in re, ſed & hinc optime in nomine convenit, ut ſit & dicatur vincetoxicum, utrobique fibroſa conſpicua & reperiunda radice.

Ne vero circa hanc dubium reſtet, cum plures quaſi ſpecies hujus videri poſſint, ſelectu videtur opus eſſe omnino. Ita huc refertur (1.) ab ipſo Pomeio *Serpentaria Virginiana*, alias Poulior, i.e. *Pulegium vocata, Hiſt. des Drogu. Lib.* 2. *c.* 3. *p.* 49 merito hoc nomine à *D. Valentin. in Muſ. Muſeor. l.* 2. *Sect.* 2. *c.* 10. notato atque correcto. Enimvero ſic Pulegii Virginiani ſpecies cum vera & noſtra Serpentaria confunditur, quam *Rajus Tom.* 1. *l.* 11. *Sect.* 2. *c.* 3. nonnullis Serpentariam aut Colubrinam Virginianam, Anglis Virginian Snakeweed dici, cujusque caules & folia pulegium Cervinum imitantes, non item flores & ſemina ſe vidiſſe affirmat. *Nehem. Grew in Muſ. Reg. Societ. Anglic.* autem Anglis Penroyal potius audire, & foliis magis, ut fere pulegium montanum, & odore multum ad thymum accedente deſcribit. *Plukenet* vero *in Phytogr. Tab* 54. *fig.* 2. delineans Pulegium vocat Virginianum anguſt folium, ſeu ſerpentariam floſculis in cymis, vel Clinopodium Pulegii anguſtoque rigidoque folio Virginianum floſculis in cymis; & *Breynius* denique *prodrom.* 2 *p.* 86. Pulegio cervino quodammodo ſimile eſſe. quoad folia vero & faciem ad capitatam chamæpytin Auſtriacam cœruleam accedere ſcribit, de radice cetetum omnes, quod dolemus, plane ſilentes.

(2.) Nec *Serpentaria repens floribus ſtamineis ſpicatis*, Bryoniæ nigræ folio ampliore pingui, *Virginiana*, à *Plukeneto in Phytogr. Tab.* 117. *fig.* 3. hoc nomine delineata pro vera eſt æſtimanda, utpote plantæ reſpectu toto jamjam cœlo ab eadem, (forte & radice, quam tamen nos ignorare atque hinc certi nihil definire poſſe fatemur,) diverſa: unde & quantum nos tangit nullum quidem hic erraſſe invenimus. In eo, vero *Turnefortius* ſibi contrariari videtur, quod in *Inſtit. Botan. Coſſ.* 15. *Sect.* 1. hanc ipſam plantam aſarum cyclaminis folio Virginianum Banſteri nominans, ejusque iconem apud *Plukenetum Tab.* 78. depictum eſſe allegans inter herbas flore aperalo ſtamineo referat, cum tamen & eadem nequaquam aſarum Banſteri exiſtat, & tantum abſit, ut aſarum laudatum *Tab.* 78. *Plukeneto* delineatum flore gaudeat ſtamineo, ut ejusdem potius ratione, ipſo oculo teſte, inter monopetalas melius herbas ſit collocanda.

(3.) Diſtinguendum item probe eſt à vera Serpentaria *Aſarum Canadenſe Cornuti*, apud eundem in *Canad. Plant. Hiſt. c.* 11. *c.* 24 deſcriptum, & *p.* 25. delineatum, cujus quoque *Sim. Paul. in Quadrip. Botan. Claſſ.* 2. *p.* 26. *Menzel in Ind. Plant. multilingu Rajus Tom* 1. *l.* 4. *Sect* 3 *c.* 12. & in *Append. p.* 1857. mentionem faciunt, quæque *Rajo*, minus tamen nobis, aſarum Americanum Parkinſoni eſſe videtur; cum, quam idem *Rajus* ex *Cornuto* profert deſcriptionem (folia nimirum pediculis longis inſidentia, figura & magnitudine foliorum chelidonii minoris, verum circa oras ad modum calthæ paluſtris crenata habere, quibus & ſimilia, niſi quod minora, radices fibroſas nigricantes,) eam illi potius competere plantæ videamus, cujus folia & radices ſibi à *D. Petivero* communicata, dein & ſicca apud *Plukenet* à ſe viſa eſſe recenſet, quorum vero neutri aſari Americani Parkinſoni, ſed inprimis Plukeneto folia ejusdem *Tab* 15. *fig.* 3. *Phytogr.* ſuæ exhibenti Aſari è terra Mariana violæ luteæ vel aſarinæ foliis, & Anglis in genere ac vulgo Serpentariæ nigræ titulo venit.

(4.) Minime in eorum porro tranſcendendum eſt caſtra, qui Serpentariam Virginianam noſtram pro eadem vendunt cum *Aſaro Virginiano folio cordato*, cyclaminis more maculato Moriſoni & Baniſteri, ſeu Aſaro Virginiano Piſtolochiæ foliis ſubrotundis, cyclaminum more maculatis *Plukeneti Tab.* 78. *fig.* 2. Hæc alias quoque, ut *Moriſon* & *Dale* recenſent, Serpentaria nigra officinarum audit.

Radicem habet craſſiuſculis fibris, non tamen ex uno capite, ſed diſtinctis ſemper locis exeuntibus, conſtantem, exterius fuſcis, interius paulo albidioribus, calidis, odoratis, guſtu & odore lignum ſaſſafras, aut recentiorem illum corticem Culilaban dictum æmulantibus, in receſſu quandam acrimoniam offerentibus, reſpectu ſerpentariæ veræ magis dulcibus, minus reſinoſis, viribus item magis ſtomachicis, quam diaphoreticis inſignem.

Folia ſingula huic tribuuntur, aſari ritu peculiaribus pediculis longius inſidentia, vulgatis magnitudine cedentia & à petiolo longius protracta, cordiformia ſuperficie, è pallido atroque virore cyclaminum in modum maculata. Aſſignatur eidem *flos* trifidus, ſegmentis rotundioribus fiſſus, ad exortum pediculi proveniens, brunni coloris, cum aſari floribus penitus congruens. *Semina* denique ſexangulari incluſa pericarpio ſena, datutæ Indicæ ſeminibus multum ſimilia, niſi quod minora.

Atque hoc ipſum eſt, quod *Dalius* etiam conqueritur, ab ipſa *Pharmacopœia Londinenſi* aliisque hinc, minus tamen probando errore pro eadem cum Serpentaria Virginiana habera cum merito potius utraque, utpote ratione vi

rium

um, radicum & florum ſatis inter ſe, ut clarius ferius porro indicabimus, differentia, ab aeratioribus etiam à ſe invicem ſtudioſe diſcerntur.

(5.) Idem denique & de *Ariſtolochia Polyrrhizos auriculatis foliis Virginiana* valet, cui, ſecundum iconem *Pluken. in Tab.* 78. *fig.* 1. traditum, ſecundum *Moriſoni* deſcriptionem, *radices* unt fibris cirriſque plurimis comatæ & in unum aput conjunctæ, *folia* numero pauca, petiolis eculiaribus è caule exeuntibus adhærentia, in indo cordis figuram exprimentia, ſtatimque onſtricta, quaſi auriculata ac in longam cuſpiem in medio exporrecta, *flores* longi, concavi, recti, ariſtolochiarum ritu formati, *fructus* pentangulatis, *ſemina* parva acinis vuarum ſimilia, ed compreſſa includens, cuique ipſi ſerpentariæ Virginianæ ſecundæ nomen vulgo tribui quoque *Plukenet loc. cit.* addit.

An eadem polyrrhizos Virginiana Parkinſoni etiam ſit, quod *Plukeneto* itidem placet, an Piſtolochia Cretica *Caſp. Bauhin.* quam Cluſius à Jacobo Plateau ſibi communicatam in *Append. Hiſt. rar. Plant. p.m.* 260. & *Rajus* ex Cluſio itedum deſumtam *Tom.* 1. *l.* 15. *Sect.* 2. *c.* 4. deſcribunt, quoniam noſtri non tam eſt ſcopi, pluribus certo diſquirere quidem ſupersedemus: veoſimile autem apparet, cum ejus deſcriptio cum riſtolochiæ hujus auriculatis foliis Virginianæ haracteribus exacte coincidat, longiſſime interim à vera Serpentaria diverſam & facile dignoſcendam certi, & prolixius mox demonſtraturi.

Ipſa namque (6.) radicis SERPENTARIÆ VIRGINIANÆ genuinæ planta, licet itidem ad riſtolochias pertineat, alia tamen earundem, & ea potius exiſtit ſpecies, quæ *Ariſtolochia violæ fruticoſæ foliis Virginiana*, ſeu ariſtolochia polyrrhizos Virginiana, fructu pentangulari *D. Boiſtero*, item Ariſtolochia Piſtolochia ſeu Serpentaria Virginiana caule nodoſo audit.

A *Plukeneto in Phytogr. Tab. XV. fig.* 2. in icone repræſentatur, & caule conſtat erecto, utplurimum ſingulari gracili, exigue circa exitum pediculorum foliis propriorum nodoſo, cui folia pauca inordinate poſita, modo majora, modo minora, neutra tamen ultra unciam lata, plurima ex parte ariſtolochiæ aut vincetoxici foliis ſimilia, baſi cordata & acutum in mucronem ſucceſſive protracta, rigidiora, petiolis ſemuncialibus inſidentia adhæreſcunt. Flos monopetalos campaniformis ſuperius circa marginem in ſena ſegmenta, utrinque in eandem cuſpidem tendentia, diviſus provenit, & ſemina parva ſena ſiciformia, uni pericarpio, in ſex loculamenta diviſo, incluſa ſuccedunt.

Quamvis vero omnia hæc certius ex ipſa αὐτοψίᾳ plantarum recentiorum erui ac judicari penitius queant ac debeant: quantum tamen ex iconibus & deſcriptione judicare potuimus, ita ſe omnia habere nobis viſa ſunt, ſalvo rectius ſentientium judicio. Collata vero & viſa à nobis juncta cum radicibus folia, & ſemina ipſa reperta & examinata in ſiccioribus, non aliter rem ſe habere perſuaſere. Ceterum, ſi quæ reſtare videantur dubia, ex *Moriſoni*, *Raji*, *Turneſortii*, aliorumque ulteriori comparatione enaſcentia, illis non immorabimur inpræſentiarum, donec forte ipſimet plenius Angli hæc enodaverint: contenti illis notis & viribus, quas ex allata ad nos colligere integrum fuit.

DEFINIRI poteſt: Serpentaria Virginiana radix eſt fibroſa, tenuis, levis, admodum odorata, ſubacris, amara, viribus bezoardicis, hinc & aliis polychreſta.

GENUS eſt radix, eaque exotica, ipſo ſenſu confirmante ac teſte. Non novum enim eſt ſoli uſuali radici totius plantæ nomen tribui, quod exemplo rhabarbari, jalapæ, mechoacannæ, ipecacuanhæ, contrayervæ & plurium aliarum notiſſimum eſt, unde quoque Grammaticorum ſimul leges obſervantibus in caſu recto radix Serpentaria Virginiana rectiſſime nominatur: impune tamen & in caſu obliquo radix Serpentariæ Virginianæ, quod in aliis dictis quoque valet.

Qui vero eandem ſibi comparare geſtiunt, probe proſpiciendum, ne vetuſtam, mucidam, ſordibus peregrinis multis refertam, aut, quod jam tetigimus, vel Ipecacuanham, vel, quod itidem evenit, Aſarum Virginianum, à materiæ Medicæ gnaris à ſe invicem facile & notis characteriſticis dignoſcenda, illius loco accipiant. Laudatur enim, ubi electioni locus datur, radix potius, quæ craſſioribus pollet fibris, & recentior, quoad ſaporem ſubacris, amaricans, quoad odorem aromatica magis & gratior, zedoarizans aliquantulum, ut ita loquamur.

Serpentariæ hinc Virginianæ temperiem ad incudem legitime revocantes eam cum curioſiſſimo *Moriſonio* manifeſte & eminenter, ſcu, ut diſtinctius & uſitatius loquamur, gradu ſecundo, & quidem manſione ſecunda, calidam & ſiccam deprehendimus. Patet id, præter vires dotales & ſeminales, ex miſcela ſalis fixi & volatilis, ſulphurisque ejusdem commatis inter ſe commenſurata. Amaritiem gradum definit, omnia enim amara ſunt calida, & quidem hujus generis ſecundo. Acrimonia volatilis & mercurialis manſionem, acidum proportionatum reliqua moderatur.

Atque ſic tantum abeſt, ut doctrina de temperamentis, hoc loco mixti, ut gradus quaſi dimenſionis, & manſionis, ſeu ſubdiviſionis ulterioris, ſint pro fictitiis habenda, ut potius fundamentum habeant in re. Et hinc principia rerum concordia, in corpore humano & mixtis ad ſe invicem comparata, etiam lucem inveniunt, Chymica quidem vulgo dicta, ſed artis & naturæ genuina illa, & clavis Scientiæ Philoſophicæ & Medicæ omnis.

Enimvero merito calida & ſicca v. g. audiunt, quæ principia vitalia, calidum & humi-

dum, ſanguinem & ſerum, & in his ſal, ſulphur, mercurium, ita alterant, ut illum exaltent, rarefaciant, hoc cicurent & deprimant proportionatim. Hinc rectiſſime etiam ab *Hermanno*, *in Lapide Mater. Medicæ Lydio* c. 1. p. 10. radicibus ſale volatili oleoſo, ut & multo fixo præditis eadem accenſetur. Id quod ex amarorum & aromaticorum mechanica ratum eſt. Omnia enim illa ſale alcalico fixo abundant magis, hæc ſale volatili oleoſo, diverſimodè fermentorum & ſeminum idea modificato.

Sicuti hinc, effato *Ereſii l. 6. de cauſ. plant. c.* 22. odoratæ ſunt plantæ, in quibus aliquid acredinis, aut pinguedinis eminentium ineſt ita & h. l. odor inſignis reſinoſus, aromaticus balſamicus, idem confirmat; ſapor item ſubacris, amaricans cum ſtypticitate levi, incidens ſatis jam à priori de particularum activiorum tum ſalinarum acidarum & alcalium, volatilium, fixarum, tum ſulphurearum eminentium, paſſivis terreis & aqueis paucis temperatarum, prædominio teſtatur; eademque, per analyſin Chymicam, & maxime effectus in corpus inde redundantes, à poſteriori porro patent evidentiſſime.

CAPUT III.

DE

VIRIBUS ET USU SERPENTARIÆ VIRGINIANÆ.

Solenne non tantum omnium hominum eſt dicterium, ſed maxime arti ſervandorum hominum deditorum, cui bono? Integrum eſt Medicorum choro, & reliquorum omnium votum, ſano ac ſobrio ſenſu, omnia æſtimare ab utili.

Quandoquidem hinc in exquirenda Serpentaria Virginiana occupati ſumus, maximum ſane ejusdem encomium petendum erit ab uſu ac emolumento publico, quod ab eadem arceſſere integrum eſt.

Plurima delectant apud Medicos, imo univerſum humanum genus, ſed ut Poëtæ, ita & Medici & prodeſſe volunt & delectare. Delectat univerſum ſtirpium gazophylacium, miraculorum divinorum promtuarium, proſunt vero, velut ſelectu quodam facto, quæ hinc officinalia vel audiunt ac ſunt omnino, vel inter talia recipi merita, & ut claſſica deprædicanda. Cum itaque de temperie ſatis conſtet, ſitque calida & ſicca, hinc particulis ſuis balſamicis ſulphureis ſalinis, ſanguinem in motum citando, & ſulphur ejus vigorando, humidum contra ea magis rarefaciendo, ac diffflando, *calefacit* & *ſiccat*, quando id indicatur & ex uſu eſt. Particulis verò ſalinis fixis, amaricantibus & volatilibus alcalicis tenuioribus inſuper prædita *aperit*, *incidit*, *abſtergit*, *reſolvit*, & *roborat*, multisque eandem ob cauſam viribus ac uſibus ſpecialibus rurſus idonea & applicanda.

Videri poſſet, ex relatione ſuperius laudata, etiam prædita eſſe virtute *emetica*, quòd antidoti loco data per vomitum quoque viſa fuerit aliquando operata. Id vero ordinarie minus inde obſervatum eſt, neque hoc fine propinanda directe. Enimuero natura agit non tam ad modulum agentis extrinſeci, quam receptivitatis & activitatis propriæ, ut notum eſt, plures bezoardicos ipſos nonnun quam citaſſe vomitum.

Imo & abſtergendi virtute, cum amari aliis communi, *aluum* ipſam blande promove re poteſt, quod in febribus inprimis maligni non raro ex uſu eſt, ad edomandam cacochymiam bilioſam, roborando ſimul fibras nerveas poſtmodum, & apparando bezoardicis viribus viam, quibus ipſa pollet inſignibus.

Notabiles ſunt ejusdem vires DIAPHORETICÆ & DIURETICÆ, quæ ex iisdem principiis fluunt. Illæ maximæ ob halituoſitatem ſubtilem elaſticam, volatilem: hæ oleoſoriam reſoluentem & inciſoriam qualitatem ſunt nobiliſſimæ. Quin incidente abſtergente, abſorbente & præcipitante ſua *ιλεγμα* coagulum tartareum mucoſum disjiciendo atque è corpore ſeparando ipſis quoque calculoſis auxilium afferre poſſe videtur, & recte affirmat *Georg. Franc. in Fl. Francic. p.* 292.

Eminet vero maxime efficaciſſima & excellit virtute BEZOARDICA, ſeu alexipharmaca inſigniſſima. Idque exeruit dudum non ſolum ſummo illi Boicingæ ſerpentis veneno, aliis reliquis bezoardicis remediis omnibus contra, tam potenter reſiſtere viſa, ut radicis hujus portione ſumta nullus ejus morſu læſus unquam auditus ſit periclitari de vita: verum etiam in aliis caſibus venenorum ex animali præcipue regno, fermentificorum. Adde, quod *Pometus* recenſet, conquaſſatæ tantum cum radice herba, fiſſoque ex altero extremo baculo, ita tamen, ut paululum promineat extra fiſſuram, indita, ſicque adverſus ſerpentis rictum protenſa vel enecet eundem vel in fugam conjiciat.

Neque abſolute idem negant, vel diſſen-

tiunt

tiunt, qui in noſtris regionibus Europæis frigidioribus ac ſeptentrionalibus nec tam præſentanea eſſe venena, nec conſimilia præſentiſſima alexipharmaca, ac in calidioribus & in meridionalibus ſtatuunt, quo de vid. *Simon Paulli* in *Quadrip. Botan. Claſſ.* 3. *pag.* 153.

Satis eſt, & hoc caſu & loco magis & minus non variare ſpeciem. Verum eſt, nec viperas noſtrates Thuringicas & Bohemicas aſſequi vel virulentiam, vel elegantiam, & virtutem Italicarum, uti nec venenum ſeu virus illarum. Interim tamen & omnino apud nos morſus lethalis inde obſervatus fuit, niſi ſufficienter obviam eatur. Idem de ſcorzonera & aliis, imo vinis diverſis, verum eſt.

Ponamus hinc, tanta ἐξοχὴν alexipharmacam non exiſtere apud noſtrates, magnum tamen inter bezoardica nomen & principem fere locum vel ideo meretur, quod in morſibus canis rabidi, indeque oriunda ſæpius hydrophobia, aliorumrumque animalium ictibus venenoſis, & morbis ac febribus malignis, item epidemicis, continuis, petechialibus, variolis & morbillis tutiſſimum & polychreſtum præbeat medicamentum.

Viribus itaque diaphoreticis egregie ſigillata, ac virtute ſua balſamico-ſulphureo-ſalino-alcalina, putredini reſiſtente, aptiſſima eſt ad maſſam ſanguineam liberandã à fermento peregrino noxio, hoſticos machinante motus, æſtumque præternaturalem, delitia & alia, aut σῆψιν corruptionemque intentante, tutandaque principia vitalia. Perinde vero eſt, an per ejusmodi morſus cum ſaliva, an per ictus, aut alias internas injurias in corpus introducta ſit labes, ſeu, quod utrumque de febribus malgnis valet, in corpore ipſo genita.

Seorſim & ſub hac univerſali virtute in febribus intermittentibus tertianis, quartanis, quotidianis egregie ſe gerit, & optimo ſucceſſu, præmiſſis univerſalibus aliis, cum cortice Chin. chin. gentian. & ſalibus fixis, ut in malignis ardentibus petechialibus cum rad. contrajerv. ſcorzon & ſalibus volatilibus remixta, propinatur. Eſt enim FEBRIFUGA, quod, ut D. *Jones in Tract. de Febr. intermittent. part.* 3. laudat, amariſſima ſit, adeoque præcipitando & abſorbendo acidum, reſolvendo pituitam, detergendo bilem, libertatemque viarum ad inteſtinum eidem virtute ſua aperiente procurando, ad ſupprimendas fermentorum præternaturalium vires ſatis pollens, una quoque, ut apex fere ſudoriferorum vegetabilium, materiam morbificam per ipſos corporis poros excludere potentiſſime valens.

Porro & ANTHELMINTICA eſt, ac putredini apprime verminoſæ reſiſtit, ob amaritiem ſuam balſamicam non tantum, ſed & quod calorem præterea depauperatum nativum inſigniter reſtauret, humores abundantes potenter exſiccet, bilis inertiam corrigat, & ſulphure ſuo balſamico partes ſic quaſi condiat ac muniat contra iniquos iſtos hoſtes, & miſeros corporis humani tortores.

Imo & exterius ex eodem capite cariei & verminoſæ putredini averruncandæ, ac præſervandæ, egregie reſiſtit, veſtibus pellicets aliisque vermibus obnoxiis interpolata, ut viperis ſiccatis aſſervandis ipſis quoque inſeruit quam optime.

ANTISCORBUTICUM eſſe non minimæ laudis in aprico eſt, frigido tamen reſpective potius, quam calido ſcorbuto conveniens. Sulphureis enim balſamicis activioribus particulis ſuis torpidam lymphæ putriaginem, lentorem & fixitatem corrigit, acido contraria, calori diminuto ſpiritibusque fixioribus nova ſuccendicula porrigit, ſalia peregrina ſylveſtria deſtruit, & ῥάσιν humoribus ſpiritibusque inductam expedit.

Optime item CACHECTICOS & ARTHRITICOS, ſeu à ſcorbuto item, ſeu aliunde derivanda ſit cauſſa, ſolatur. Fermentum enim tartareum volatiliori aperiente & incidente virtute ſua reſolvit, acidum præternaturale amaritie & ſale alcalico ſuo præcipitat, calorem ſubjugatum genuinaque ſanguinis elementa balſamico ſulphure ſuo roborat & ipſam denique maſſam ſanguineam à ſalibus morboſis præternaturalibus, per ſudores & urinam eadem copioſe eliminando, ſumma liberat efficacia.

Non minus ut inſigne remedium cephalicum, NERVINUM, *antiſpaſmodicum* epilepſiæ quoque, aliisque generis nervoſi convulſivis & ſpasmodicis, capitisque frigidis & ſoporoſis affectibus medetur, pituitam liquans, ſpiritus & humores torpidos in motum citans, ſicque in ordinem circulum redigens, & elaſticam lymphæ ſpirituumque irritationem ſulphure ſuo blando placans atque componens.

Teſtatur id ſua experientia *Williſius*, qui in morbis hinc convulſivis tum adultiorum, tum puerorum, à viſceribus præſertim ſeu lumbricis oriundis, in lethargo item & paralyſi, & in pulvere cum coralliis ad albedinem calcinatis, & in electuario, cum aliis adpropriatis, in pilulis item cum contrajerva, valeriana, coralliis rubris aliisque eandem remixtam commendat, & Dominæ illuſtriſſimæ paroxyſmis convulſivis periodicis, cum miris ſymptomatibus aliis conjunctis, diu laboranti, cum ſpeciebus antepilepticis aliis, feliciſſimo eventu aliquando propinatam *Tract. de morb. convulſ. c.* 11. laudat.

Confirmat idem ſuo elogio *Mortonus*, qui in *Pyretol. Exercit.* 2. *c.* 9. *p.* 371. bolum è rad. ſerpentar. Virgin. ℈ß. pulv. è chel. ℈ß. compoſ. ℈j. ſyrup. caryoph. q. ſ. confectum, cum hauſtu julapii additi ſumtum, ſervo cuidam febre continua, choleram cum ſpasmis thoracis & abdominis ſimulante, laboranti, ſumme proficuum fuiſſe recenſet. Datus in epileptico pulvis è ſpecifico cephalico, rad. ſerpentariæ Virgin. & cort. chinæ de china ana ad ʒß. pro tribus doſibus ſu-

dorem movit cum ſucceſſu. Tacemus & PTARMICA virtute eandem gaudere.

Nec ANTHYSTERICA Serpentariæ virtus, variis in uteri affectibus ſumme proficua, eſt reticenda. Virtute quippe ſua calefaciente & exſiccante intemperiei frigidæ & humidæ, indeque ſæpius oriundæ laxitati, fluori inprimis albo, & gonorrhœæ, (ubi eſſentia ejusdem, cum eſſ. ſuccini, caſtorei & liquore martiali egregia eſt,) & ſterilitati conducit. Ἀντιδυσεντερικὴ enim ſua & ſale volatili oleoſo ſanguinem ſpiritusque rarefaciens motumque promovens, an aritie incidente, abſtergente, roborante l bertati viarum & tono proſpiciens, menſium fluxum decenter procurat, & ſulphure denique ſuo balſamico ſpiritus humoresque ſerenante ac demulcente, nervoſum genus & ipſam uteri ſubſtantiam nerveam reſpicit, inflationibus, paſſionibus hyſtericis, motibus ſpaſmodicis, indeque provenientibus in toto corpore phænomenis incongruis aliis, felicem jucundamque miniſtrat opem.

Præterea & TRAUMATICAM ac ANTIDYSENTERICAM, aliisque hypercatharſibus ſedandis idoneam obtinet ἰσχυν. Sive enim ſæpius laudatum ſulphur ejus balſamicum putredini contrarium, ſive amaricantem & adſtrictoriam lenem, abſtergentemque virtutem reſpicias, utroque fine morbis hiſce moleſtis & ſæpius funeſtis convenit. Quid, quod inſuper alexipharmacum & diaphoreticum ſit probatiſſimum, adeoque malignitati ſæpe latenti & fermento febrili peregrino deſtruendo inſervire queat. hinc vel eo magis & tutius iisdem tollendis & curandis velificatur.

Notabilis hanc in rem eſt quoque obſervatio illa *Hermanni*, quæ egregie hanc theſin noſtram illuſtrat. Si enim in infuſis purgantibus ſennæ foliorum ʒß. Serpentaria addatur, virtutem eorum purgantem hanc adeo imminuere ſcribit, ut niſi intentione ſua excidere velit Medicus, doſin illorum ad ʒ. ſeu in robuſtioribus ad ʒiß. extendere cogatur. Ratio reddi poteſt, quod ſulphure ſuo blando reſinoſo & amaricante adſtringenteque leni ſua virtute, irritationi & excretionibus, à purgantium ſalino ſtimulo oriundis, egregie contranitatur, unaque ad diaphoreſin potius medimenti virtutem dirigat.

Quod ſi analogiam amarorum ſequi velimus, ad alia quoque poſſunt experimenta produci. Unicum ſaltim laudabimus adhuc: cum enim lymphæ vappeſcenti alterandæ, ſuperfluæ exſiccandæ, ſpiritibusque roborandis inſignem quoque præſtet opem, vix dubitari poteſt amaritie ſua abſterſiva leviorique acrimonia, oculis non ingrata, OPHTHALMICIS quoque tam internis, quam externis jure annumerandam eſſe.

Uno verbo denique, ut hæc concludamus, ubi malignitati remedia quærenda, ubi morbus & ſalia peregrina maſſam ſanguineam turbantia per ſudores educenda, ubi balſamico lymphæ ſtatui vitiato ſuccurrendum, ubi ſpirituum motus & ſanguinis circulus debitus promovendus, adeoque & in ſcabie, hydrope, petechiis, morbisque ſimilibus aliis optime viribus ſuis laudatis ſeſe commendat frigidioribus & phlegmaticis ſubjectis Serpentaria; calidioribus autem, id quod ſtudioſe attendendum, biliofioribus, ſiccioribus, gravidis, debilibus, aut cum aliis temperatioribus caute remiſta, aut minus omnino propinanda.

CAPUT IV.

DE

PRÆPARATIS E SERPENTARIA VIRGINIANA VARIIS, SIMPLICIBUS ET COMPOSITIS, EORUMQUE USU.

Quod pluribus aliis, & in ſpecie aromaticis balſamicis reſinoſis radicibus competit, ut nullo egentes corrigente per ſe & in ſubſtantia, ut in Medicorum ſcholis loquuntur, ſtatim in uſum vocari poſſint; id & Serpentariæ noſtra ſolenne eſſe deprehendimus. Hinc, ubi integrum ejus virium complexum deſideramus, non melius, quam in pulveriſata tantum eadem illum ancupari licebit, ſive ſibi relictam propinare, ſeu pro diverſo indicantium modulo, in variis formulis, iuxta leges compoſitionis, remiſcere placeat.

Præſcribi hinc ſolet quoad DOSIN in pulvere, ſeu ſola, ſeu cum aliis remixta, à gr. X. usque ad ʒj. in vehiculo convenienti pro lubitu aſſumenda. In infuſis vero, more Medicis ſolenni, duplicata aut etiam triplicata quantitate, adeoque ad ʒij. ʒi. quod & tum ipſis Anglis, tum *Hermanno* placuiſſe deprehendere licet.

Chymicæ vero analyſi ſubjecta varia largitur præparata, & in experimenta vocari meretur. Sic per ſe deſtillata, etiam ad uncias ſaltem aliquot, per retortam ex arena largitur, per experientiam, SPIRITUM *acidulum* ſulphureum, ſpiritus tartari æmulum, cum ſale alcalico

lico efferveſcentem, virtute ſudorifera conſpicuum, oleoſis miculis circa parietes retortæ relictis.

Sin ſpiritus vini ab eadem abſtrahatur, v.g. recipiendo rad. ſerpentar. ℥iv. ſpiritus vini rectificati q. ſ. facta per diem & noctem infuſione, maceratione, ex cucurbita vitrea, cum alembico, igne arenæ, lege artis, fiat deſtillatio moderata, obſervatum fuit (incerto experimento, an ſemper idem fiat,) fieri hoc, præter morem, paulo ægrius, ob bullulaſcentiam in fundo ſurſum cum ſono ſubinde evibratam.

Pollet hic ipſe SPIRITUS *vinoſus* quidem aliquali odore & ſapore, quo leviter ſimplicis ſui particulas ſapidas & odoratas exprimit: ſed hoc ipſum evidens eſt indicium, aliquo quidem omnino pollere ſale volatili oleoſo, minus autem copioſo, adeoque nec fortiori ſeu odore, ſeu ſapore, ſe prodere apto. Accedit tamen, quod ſpiritus vini iſtiusmodi particulas imbibat, edulcet, occulat, quod in aliis, ut ex ſalinis lepidio, hoc modo tractato, evidens & clarum eſt. Non incommode tamen ad aquas & ſpiritus bezoardicos recipi poteſt & ſociari eadem.

Dimidia dein fere menſtrui parte per alembicum in vas recipiens derivata & ſpirituì impenſa, altera, quæ ſupereſt portio tum ad præcavendum empyreuma, tum inprimis lucrandam ESSENTIAM, ſeu Tincturam, (indeque ſi lubet parandum Extractum,) in cucurbita relictam, à reliquiis effuſione & expreſſione ſeparandam & filtrandam, inſervit.

Uti enim *Eſſentiæ amaræ* ſeorſim inter alias celebrantur, tanquam magis efficaces, quamvis non omnibus gratæ viſæ: ita eſſentiam amaram egregiam exhibet Serpentaria Virginiana, hoc ipſo modo, partibus aromaticis ſulphureis ſpirituoſis adhuc, pauciori tamen ſale volatili oleoſo, inſignem. Ex viridi ſubflaveſcens eſt, ſatis odorata, amaricans & ſaturata. Quod ſi eadem extrahatur directe & per ſe, cum ſpiritu proprio utroque, efficacior eſt ſine dubio, licet etiam cum ſpiritu vini ſimplici rectificato extrahi poſſit.

Exinde vero facta inſpiſſatione per evaporationem lenta oritur & conſurgit quoque EXTRACTUM ſerpentariæ reſinoſum, inprimis ſi largiori paulo quantitate extrahatur. Hoc ipſum è nigro virideſcens ſumme amaricans, nec omnis plane odoris expers, adeoque multis quidem particulis balſamicis aromaticis, ſed fixioribus terreis magis refertum. Et hoc iterum, pro re nata, in ſpiritu decenter ſolutum, modo omnibus extractis reſinoſis conformi, TINCTURAM ſeu Eſſentiam denuo reddit, alteri colore, odore, ſapore, ſimilem, viribus vero, cum majori volatilium activiorum particularum, ex ſpiritu ſibi ſociatarum, ſine dubio copia, forte ſuperiorem.

Ex capite denique mortuo rite exſiccato & ſecundum artis præcepta reſpective ulterius calcinato, elixiviato, evaporato aucupari licet SAL ALCALI FIXUM, diverſis pro lubitu uſibus applicandum.

Quod ſi animus ſit OLEUM ſerpentariæ pretioſum quoque per deſtillationem eliciendi, ad inſtar aquæ inde evocandæ, paucis mutatis, ſale communi & tartaro additis, fuerit procedendum. Id vero & parciori proventu expectandum, nec fere operæ pretium, vel neceſſarium erit, ad bezoardica olea & balſama impendendum.

Ex reſide in veſica parte humida, depurata & per evaporationem magis incoctam extractum conſurgit itidem reſinoſum, minus tamen, cum particulis jamjam aquoſioribus imprægnatum ſit, & iis magis auſcultare jamdum didicerit, Eſſentiæ inde eliciendæ, ut ſuperius, inſerviens, quam potionibus potius remiſceri aptior: ex parte vero ſicciori terrea ſal priori ſimillimum alcali fixum. Sed & his ſuperſedere poſſumus, ut & aliis, ne entia præter neceſſitatem multiplicemus.

Et hinc quoque paucis exceptis curioſioribus Chymicis, vel pharmacopœis, rarius hæc ipſa in officinis quæſiveris; ſuffecerit eandem in nobilioribus bezoardicis impendi, vel præſervandi, vel curandi, interno & externo uſui, in compoſitionibus puta magiſtralibus, iisque liquidis, ſolidis & mediis, pro re nata tamen & præparatis minus compoſitis uti, pro lubitu. Exemplo ſit tamen Pharmacopœia Bateana, &, teſte *Franco in Fl. Francic.* Beckeri officina Regia Hafnienſis ad Elephantem.

Ita ingreditur ea, & baſin cum contrajerva & floribus tunicæ conſtituit *Sirupi Alexiterii* in *officina Dietericiana* Norimbergenſi proſtantis, ſequentem in modum, ſi ipſum Auctorem ſequi non diſplicet, parandi:

℞. rad. contrajerv. ſerpent. Virgin. ā. ℥iß fl. tunic. ℥j. Inciſ. & conquaſſ. infund. per horas 24. ſucci ceraſ. nigr. acidorum, citri depur. granator. acidor. ā. ℥viij. Exprime hæc poſtea fortiter & per manicam Hippocratis clarif. Quæ remanent eoque lento igne in aquæ cort. citr. ſcorzon. ſcord. galeg. ā. ℥viij. ad dimidiæ partis conſumtionem. Reſiduum exprime fortiter, add. ſacchar. alb. ℔ij. & album. ovor. n. 2 clar fic. coq. ad conſiſtentiam decentem, cui dein addenda Tinctura ſuperior.

Ita habebis ſyrupum bezoardicum elegantiſſimum confortantem, ſummi in delicatioribus, frigidioribus & debilioribus uſus, minus vero calidioribus, biliolioribus, hyſtericis, & iis caſibus, ubi in genere dulcia magis vitanda, aut exigua ſaltem doſi exhibendum.

Sic recipitur quoque eadem in *Eſſentiam ſ brifugam D. Ringelmanni* Hafnienſem, ex li colubrin ℥ij. corylini ℥j. quercin. ℥ß. rad. gal. ℥ij. Serpentar. Virginian. ℥iß. exuv. Serpent.

salis hyperic. ʒij. cort. chin. chin. fraxin. ā. ʒvj. incisis, contusis, spiritus theriacal. & spiritus vini tartarisat. ā. viii. infusis, & posthæc calido loco digestis & expressis parari solitam, celeberrimarum in febribus intermittentibus, præmissis tamen universalbus, virium.

A Medico Regio Gallico Doctore d'Aquin, teste *Pometo*, in Theriacæ cœlestis reformatæ compositionem, à *Charas in Pharmac. Reg. pag.* 285. descriptam, ob virtutem suam alexipharmacam præstantissimam cum aliis, & in specie contrayerva, recipi digna judicata est. Idem & in concinna ac polychresta Theriacæ cœlestis variatione, in *Dissert. Wedeliana de Theriac. cœlest. Cap.* 2. *p.* 18. pluribus tradita, factum, ubi reliquis illic nominatis & pro basi electis speciebus alexipharmacis primo statim loco Serpentariam junctam leges. Idem de Tinctura bezoardica essentificata aliisque intelligendum, ejus enim accessione majores vires singulis fœnerari licet.

Inprimis vero ut Angliæ officinis divini simplicis hujus vires alexipharmacæ summæ primum innotuere, ita & eædem diversa adhuc recentiorum composita alexiteria, serpentaria, tanquam primario ingrediente, gaudentia asservant. Ita, ne latius diuagemur, præter species confectionis liberantis *in pharmacop. Londinens. p.m.* 162. descriptas, principem merito sibi vendicant locum bina illa hodie decantatissima, Pulvis Comitissæ à Kent, & Lapis Bezoar de Goa.

Pulvis hic ipse ratione nomenclaturæ admodum variat, & aliquibus *Pulvis Comitissæ à Kanth*, aliquibus pulvis Cantianus, aliis, ex. gr. *Willisio in Pharm. Ration. Sect. VI. cap.* 2. Gasconicus audit, & aliis denique, ut nominatim *Charasio in Pharmacop. Reg.* idem cum pulvere è chelis cancrorum Londinensi composito esse videtur, qui tamen in *Pharmacop. Londinens.* simplicior & paucioribus constans ingredientibus est descriptus, forte vero posthæc pluribus auctus atque sic quasi reformatus.

Si enim *Medicinam Experimentalem Digbæanam* sequamur, eam ibidem *p.* 15. pulveris hujus offendimus compositionem, in plerisq; Charasianæ conformem: ℞. *apic. chel.* ℈. ʒij. *ocul.* ℈. *perl. ppt. corall. ppt.* a. ʒi. *succin.* ʒß. *contrayerv. Serpentar. Virginian.* a. ʒvj. *lap. Bezoar. Orientat.* ʒuj. *ost. de cord. cerv.* ℥iv. Pulverisentur singula probe, & apicibus chel. & oculis cancrorum affundatur, pro evitanda aliqua fermentatione & solutione meliori, paululum succi citri. Mixtis deinde altero die inter se adde extract. croc. Anglic. ℥ij. massæque incorporandæ & postmodum in umbra exsiccandæ affundantur tria aut quatuor cochlearia spiritus mellis, & gelatinæ viperarum, subjuncta denique trochiscorum viperin. aut carnis viperin. pulverisat. ʒi.

Consurgit hac ratione inde pulvis elegans bezoardicus, diaphoreticus summus per totam Angliam, & in Gallia iis, quibus, ut *Charas* loquitur, cognitæ sunt vires ejusdem, usitatissimus contra omnes generis morbos epidemios, maxime variolas, morbillos, ipsam pestem, tum præservative, tum curative, pro corde & partibus nobilioribus insigniter defendendis.

Primum autem, monente *Willisio*, *Tract. de Febr. cap.* 19. inter Anglos tunc, cum anno CIↃIↃCXLIII. febris pestilens epidemia in eadem regione, & circa Oxoniam admodum sæviret, magni esse nominis cœpit, sæpius deinde ab eodem *Willisio*, & reliquis in medicina claris Angliæ proceribus, *Sydenhamio*, *Mortono* aliisque confortandi fine, & ut alexipharmacum egregium, in febribus omnis generis, malignitatem quandam occultantibus, affectibus capitis frigidis, & nervorum, paralysi, arthritide, tremore cordis, convulsionibus, prout hinc inde ex scriptis eorum patet, summo semper successu adhibitus.

Dosi dandus ordinaria XXV. XXX. granorum; pestis vero grassantis tempore, sicut quævis alia quoque remedia, aucta magis & extraordinaria, ad XL. usque grana tuto adscendendo.

Idem quoque Pulvis, paucis saltem & sequenti ab amico quodam nobiscum communicata ratione mutatus, aliter se habet, ℞. *rad. contrayerv.* ʒij. *serpentar. Virgin.* ℥iv. *margarit. Or. ppt. ocul.* ℈. *ppt. corall. rubr. ppt. succin. alb. ppt. Cornu cervi sine ign. lap. bezoar. Or.* a. ʒij. *chel.* ℈. ad pondus omnium. Cum sufficienti itidem quantitate gelatinæ viperarum, vel unicornu marini impastatus, & aliquot auri foliis immistis, massam præbet globulis inde parari consuetis, ex brunno subviridescentibus & miculis aureis conspicuis, ʒvij. vel unciam unam ordinarie pendentibus, & hodie communiter *Lapidum Bezoar de Goa* nomine venientibus.

Idque ea forte, ut videtur, de causa, quod primo compositio hæc ob virtutes lapidi bezoar similis Goæ, altero, teste *Cluso l.* 7. *Exot. c.* 17. totius Indiæ emporio, inventa atque celebrata fuerit. Inveniri enim Indos, qui ex massa ipsis cognita adulterinos conficere lapides bezoar noverint, jam *Monardes* se ex Guidone de Lazaris, urbis Hispalensis cive, qui universum circumivit orbem, & in Sinarum regione versatus, percepisse, *Lib. de Lap. Bezoar & Scorzoner. p.m* 9. recenset.

Inde ad Anglos quoque postmodum transmigravit, & ab his in Germanorum rursus quorundam curiosorum notitiam, qui etiamnum de iisdem legitime, & ad normam genuinorum, parandis maxime sunt soliciti.

Quoniam autem lapidum horum, utpote in pauciſſimis Germaniæ officinis adhuc prostantium, vires roborantes, bezoardicas & polychrestas minus adhuc cognitas esse credimus, non iniquum fore judicavimus, aliquot fidæ aliorum experientiæ testimoniis eosdem reddere notiores. Ita *Mortoni* observatio est notabilis

qu

qui lapidem eundem ad gr. xii. cum aliis in pulverem redactum, & ægræ febre continua, vomitionem tamen immanem, spasmos thoracis ac abdominis, & strangulationem simulante, laboranti propinatum sudorem universalem & calidum, somnum placidum excitando & symptomata mitigando, summe fuisse proficuum, in *Pyretolog. Exercit. 2. c. 9. Hist. 7. pag.* 382. laudat.

Idem sæpius & felicissimo cum successu in febribus malignis, in variolis, & curandis & præservandis, in dysenteria etiam desperata visa, & aliis expertus est Excellentissimus D. *Christianus Ludovicus Göckelius*, Parens noster longe honoratissimus, pro re nata singulis sex horis propinata & repetita.

Et vel ipsa pauca hæcce exempli vice esse possunt, quomodo & per se bezoardica v.g. hoc loco laudatissima serpentaria possit & debeat dari, ac commode cum aliis symbolicis misceri, & in eminentiorem sic sphæram evehi activitatis. Unicum saltim adhuc addere consultum videtur, ad hoc ipsum comprobandum. Si enim essentia serpentariæ Virginianæ misceatur cum ana misturæ simplicis, sive cum eadem extrahere eandem placeat, habetur sane mixtura probatissima ad febres tam intermittentes, quam maxime continuas, ardentes puerperarum, aliasque, & præservandas & curandas, ex legibus artis procedendo, quod & de mixturis aliis, pulveribus, & infusis aliisque valet, & optimo cum successu applicatur.

DISPUTATIO II.

DE

AGALLOCHO,

D. JOHANNIS EHRENFRIEDI REINBOTH.

Q. D. B. V.

Brevis dissertationis Delineatio.

§. 1. *Unde dicatur aloë.* 2. *Lignum paradisi.* 3. *Synonyma alia.* 4. *Varia ejus genera.* 5. *Spurium, veri fucatio.* 6. *Verum.* 7. *Cur tam rarum.* 8. *Descriptio generum.* 9. *Tria cum Bauhinô.* 10. *Explicatio primi generis.* 11. *Secundi.* 12. *Tertii.* 13. *Alius secundum Pomet.* 14. *Nota bonitatis.* 15. *Distillatio ab agallochô, fucus quomodo?* 16. *Natale solum.* 17. *Spurium lac habet virulentum.* 18. *Verum resinam præbet.* 19. *Præparata ejus: Essentia, Extractum.* 20. *Aqua.* 21. *Oleum.* 22. *Essentia quinta.* 23. *Pulveres & sicca alia.* 24. *Vires generales.* 25. *Speciales: Usu Interno.* 26. *Externô.* 27. *Formula.*

§. I.

VEreor ne fundamento careat conjectura *Casp. Hoffmanni l. 2. c. 25. de Medicam. officin.* de aloës ligni denominatione potiùs quàm derivatione, ab ἀλοὴ, Indicô nomine odoramentô, aut, quod *Bontiô ad Cap.* 16. & *Garziæ ab Ortô pag.* 43. videtur, à succo aloëticô, quem amaritie æmuletur suâ. Hæc enim ut vi blanda aromatica gratissimâ planè differt à nauseosâ succi, qui expressus est condensatusque, ab agallochi peculiari procera totô genere discrepantis plantæ penetrantissima: ita illic odoratiora in Indiis plura, simili, si non meliori jure, ejusmodi nomen ferre deberent.

§. 2.

Ligni autem Paradisi nomine celebratur, eò quòd simpliciores opinati sint in Paradisô nasci, cùm rarò ad nos deportetur, juxta *Collectores Pharmacop. Augusti. in Prolegom. Cap. 2. & Marxii Material-Kammer p.* 236. vel ob gratiam, ut apud Ethnicos nectar & ambrosia Deorum cibus & potus efficta sunt: sive alludendô ad locum quem non pauci eodem pactô de ligno Aloës, (*ut Johannes Deodatus versione Italica, Mey l. c. aliique de Santalis*) exponunt, tanquam Paradisi juxta fluvium (Euphratem) tanquam arbores aloës, quas plantavit Deus, juxta parapharasin Chaldaicam, quò de videatur *Clus. not. ad histor. aromat Garz. ab Ortô, l. 1. c.* 16 *p.* 247. referente *Perillustri Wedeliô Exercit. Med. Philolog. Dec. IIX. p.* 7.

§. 3.

Varia interim alia sortitur nomina. German. *Paradies-Holtz., Augen-Holtz., Creutz-Holtz., Aloe-Holtz, vid. Schurzii und Marxii Material-Kammer*, Agallochum *Veteribus, Avicennæ* Agalugen & Agalugin, *Recentioribus* Xyloaloë. An autem veterum Agallochum sit lignum aloës recentiorum, doctis judicandum relinquit *Dominicus Chabræus in Sciagraphiâ Stirp. p.* 35. Veterum Agallochum *Ruellius*, quem multi secuti, Orbi incognitum ait, *Sylvius* lignum Aloës, quod ostendunt Officinæ, esse verius Asphalatum. Græcæ verò Linguæ ignorantiâ deceptus *Savanarola*, qui lignum aloës à Xyloaloë facit diver-

diverſum. Mirum, nusquam *Galenum* agallochi meminiſſe. *Ammannus in manuduct. ad Mat. Med. p.* 58. illud lignum corruptè dici agallochum ſtatuit: Et agallochum eſſe ſolum affine ligno aloës putat *Hermannus in Cynoſur. Mat. Med.* Habitâ generum ratione nuncupatur lignum *Calampart, Calambac, Calambouc, Calamba, Colamba, Calambes, Aloa, Tarum, Tambac, pao d'aquila, lignum S. Crucis. Paulus* agallochum dixit thya, aut thyæ ligno ſimile. *Plinius* trogete, etiam tarum. *Vid. Dioſcorid. emblem. XXI. p.* 18. *Caſp. Bauhini pinax theatri Botan. p.* 393. *D. Mich. Bernh. Valentini* Muſeum Muſeorum *p.* 259. Vocârunt quoque Veteres ſolitariè aloën; nam diapaſma illud, quô lectulum ſuum odoris gratiâ conſperſerat mulierecula, de quâ *in Prov. Salom. c.* 7. *v.* 17. *legitur*, myrrham, aloën & cinnamomum recipit; quô enim locô minimè intelligendus denſatus ille amariſſimus & graviter olens ſuccus, aloe vocatus, qui nullis odoratis pulveribus aut diapaſmatis miſcetur unquam, nec reputatur inter aromata & odoramenta. Itaque hoc *Proverb.* loco agallochum intelligendum eſt, *Graffenried. Hiſt. Univerſ. plant. Tom. X. L. IV. p.* 477. *Hoffmannus l. c. Avicenna p.* 1052.

§. 4.

Evolvi nunc merentur varia ligni noſtri genera, nomen & rem ipſam ferè variantia. *Dn. G. Everhard Rumphius in Miſcell. Academ. Natur. Cur. Dec.* 3. *annot.* 3. *obſerv.* 22. & apud *Bonetum in Medic. ſeptentrional. Part. altera, L. IIX. P. IV. ſect.* 3. ita loquitur: Lignum aloës duplex, verum & ſpurium. Spurium, quod ut audio in Europâ pro vero venditur, hîc in arbore excœcante natum, & ad ſuffiendum adhibetur, naſcitur circa Amboniam, in Inſulis, & vili emitur. Hæc arbor nihil commune habet cum iſtâ veri agallochi. Eſt enim excœcans deformis arbor, nonniſi in littoribus ſolitariis creſcens & malè audiens, tam apud nautas noſtros, quàm incolas, quia lacte quôdam albô turget, quod caſu oculis immiſſum magnos excitat cruciatus, inflammat, & niſi citiſſimè ſuccurritur, ſummâ cum mordacitate excœcat. Videtur lathyris quædam arboreſcens eſſe: ubique fructus fert triquetros, lathyridis baccis valdè ſimiles, quæ vulgò cataputia audit. Folia cum pyrifoliis conveniunt, ſed in marginibus obſcurè dentata ſunt. Hanc habet dotem, quod in caudicis radicumque terræ exſtantium cavernis odoratum hoc lignum reperiatur, quod gignitur ex pinguibus ejus partibus, Solis fervore & crebrâ aſperſione aquæ marinæ probè excoctis, quas fraudulenti Sinenſes aquâ roſaceâ & ſcobe agallochi veri maceratas ita præparare norunt, ut imperitis mercatoribus pro legitimô obtrudant.

§. 5.

Verum & legitimum odore & ſapore imprimis dijudicandum. Naſcitur in Regno Coinam & ratò ad Europæos defertur, quia in Indiâ majoris eſt pretii quàm in Europâ. Duplô & triplô argenti pondere redimitur. Eſt etiam cereæ mollitiei, dimidiô auri pondere æſtimatum, ſed id rariſſimum. *vid. Rumphius.* Hujus fragmenta ʒij. manibus contrectata, inenarrabilem odoris ſvavitatem ſuper omnia ſuffimenta ſpirant. De hôc *Scaliger:* Agallochum noſtrum, quod habemus, eſt odoratum adeò, ut ſolâ tractatione ſine ullô ſubjectô igne ſpiret admodum validè, ſed jucundè; vocatur Calamba, *Rajus in Hiſtor. Plantar. Tom. II. p.* 1808. Hoc ſincerum eſt præſtantiſſimum, quod cum aurô argentove perſæpe deponderatur, teſte *Linſcothanô P.* 2. *Ind. Or. c.* 24. Solùm inter Reges Indiæ diſtribuitur, afferente *Ludovicô Romanô*, neve illud, quod optimum eſt, aliis quibuscunque, quim Regibus offeratur, capitis pœnâ interdictum, juxta *G. Hieron. Welſchium in M. N. C. D.* 2. *A.* 3. *v.* 22.

§. 6.

Raritatis hujus & caritatis cauſa, dubito, an difficilis & cum vitæ periculô conjuncta, ob ferociſſimas belluas, tigrides maximè & leones, natale ejus ſolum, olim Indiæ promontorium infeſtantes, nunc tamen magis habitatum & â beſtiis iſtis liberatum, collectio ſecundum *Pharmac. Auguſt. in Prolegom. c.* 2. *& t. t. Marxii Material-Kammer. p.* 236. & non porius verius præſumatur à *Paulô Hermannô in Cynoſur. Mater. Med. p. m.* 107. quod ex integrâ ſæpe arbore, quæ quercu non inferior eſt magnitudine, vix libra ſemiſſis ligni laudabilioris eruatur. Dignum ergo admiratione habetur meritò illud, modò ſincerum exſtiterit, quod ex Indiis in Hollandiam deportatum erat ann. 1642. pondere centum & ʒiiij, longitudine pedum duorum, latitudine unius minùs ʒubus. *vid. Wormii Muſeum L. XVI. p.* 166. & quod Reges Indiæ Orientalis per Legatos ſuos aliquando Regi Galliæ in vaſa lavatoria more ſuô gentiliticô efformatum, *memorante Pomet. Hiſtoire generale des Drogues l.* 1. *c.* 1. *p.* 104. item quod *Luſitani Goæ* in Japonia incolæ novo Portugalliæ Regi ſuo, Ducî de Breganza, ſex pedes longum & duos rotundum, pretio 55000. ℔. monetæ Gallicæ, æſtimata ſæpe unica libra ejus ligni pro 1000. thaleris, donô miſerunt à Regibus, longè æſtumatiſſimo, *Tavernier Reiſe-Beſchreibung P.* 3. *c.* 4. *p.* 67.

§. 7.

Illuſtrat hæc authorum aſſerta *Andreas Caſalpinus, Aretinus L. II. c.* 27. *p.* 62. dicens: Tradit *Ludovicus Romanus in ſuis navigationibus* in Indiâ Orientali triplex genus arboris ejus haberi: primum, quod ibi Calampart vocatur, optimum vendi in urbe Sarnau, apud quos otitur aureis decem in libras, ſed hoc diſtribui apud Reges ejus loci, non ferri ad nos: Ejus fragmentum ʒij. manibus contrectatum inenarrabilem ſvavitatis odorem ſuper omnia ſuffimenta exhalare; duo alia genera in Inſulâ Taprobana habeti

haberi, quorum unum flumine quôdam importatur, quod Lubam vocant: alterum Bochor, cujus ortus illis manifeſtus eſt: quæ duæ genera ad nos convehuntur. Indum, Mondanum, Scificum, Alcumericum, quatuor ſcilicet genera, locorum ortus & ſoli conſtitutio ſui diverſitatem ſaltim important, *Serapio Lib. Simpl. c.* 197. *Paludanus* aliquot ſe ſpecies habere notat, amœnas odore omnes, variatas & maculoſas, pinguedine plenas, denſas & craſſas, ad *Linſcott. Hiſtor. Ind. Or. L.* 2. *c.* 24. *p.* 4.

§. 8.

Clarius exprimi nequit, quàm ut cum *Bauhinô in pinace l. c.* ex authoritate *Ludovici Romani* & *Joh. Linſchottani* ſtatuamus tria genera: primum agallochum præſtantiſſimum, aliis verum, genuinum & ſincerum dictum, rara avis in terris noſtris, Regibus reſervatum, Calampart & Calambac Indis: Secundum, agallochum Officinarum, Xyloaloë fiſſilis, lignum Paradiſi, S. Crucis, tarum Aetii, palo d'aquila: Tertium, ſylveſtre, aquila brava, tarum *Plinii L.* 12. *c.* 20. *juxta Daleſchampium notis in Plinium.*

§. 9.

Jonſtonus in Hiſtor. Natur. L. IX. p. 460. *ſeqq.* primum genus deprædicat eſſe peculiaris arboris, oleæ inſtar (interdum minoris, quæ nonniſi in Indiâ naſcitur, *Garziâ & Linſchottanô* teſtibus) &c. addit *Wormius in Muſeo Cap. XVI. pag.* 166. fructu piperis modo rotundo & rubente, ligno Thuyæ ſimili maculato, cortice craſſo, verſicolore: Ramenta ligni nodoſa, denſa, ſubcineritia, maculis nigris, quæ ſi fricentur, odorem ſuavem ſpirant, quale fruſtum ſibi ex Hiſpaniâ allatum poſſideret, cum *Dioſcor. cap.* 21. *pag.* 15. Simile Thuyæ ligno, maculatum, odoratum, guſtu adſtringens, cum quâdam amaritudine, cute verius quam cortice veſtitum, aliquantulum verſicolore, juxta *Hermannum l. c.* arboris Chinenſis Calambuc interioris medullæ fragmenta lignoſa, magnitudine varia, ſolida, denſa, ſpadicea, ſtriis aliquando nigricantibus & reſinoſis conſpicua: ſaporis ſubacris, amari, aromatici & pinguis, odoris, dum accenditur vel incaleſcit, fragrantis. Præſtat annoſum, grave, reſinoſum, æquale, & ſi odoris fragrantia & ſuavitas ingens, à principiô accenſionis ad omnimodam conſumptionem usque, nullô vel paucô relicto carbone.

§. 10.

Secundum genus lignum eſt pectinibus plerumque denſis & rectis, quodque transverſim ſectum quernei ligni pectines æmulatur, partim albicans, durum grave, pingue, & cum quâdam aromaticâ acrimoniâ amaricans, ſuavem odorem ſpirans, prunis injectum, bullas agit, totumque ſenſim colliqueſcit, flammeſcit tandem, ſi ſufflandô pergas, præditum venis multis, nonnunquam fuſcis amaris & pinguibus, quæ manducatæ ceræ modô lenteſcebant. Sunt arboris Calambac affinia fragmenta lignoſa, ſolida, ex fuſco ruffeſcentia, ſtriis interdum albicantibus notata, bituminoſa, ligno aloës laxiora & craſſiora, ſaporis amaricantis pinguis, odoris debilioris, earundem cum ligno Aloës virtutum, ſed gradu longè debiliori. An ſpurium ſuprà memoratum *Rumphii*, quale in Europâ ſæpe pro verô venditur, arboris excœcantis fœtus ſupponatur, certum erit criterium, quando prunis inſperſum, primum benzoinum, ſed mox in nidoroſum deſinit, *vid. Bonetus Med. Septentr.*

§. 11.

Tertium genus, ſylveſtre, in Ceylan Comoria provenit: mirum in modum æmulatur agallochum, inodorum tamen eſt. *Bauhinus l. c.* etiam hoc ſtatuit odoratum, & inodorum pro alió ligni genere habet, agallochi æmulô. Quorſum etiam illud, quocum adulteratur tam hoc quam potius ſecundum, ſi *Platuario* credendum, lignum quoddam in montibus Almaſiæ natum, quod pondere, nodoſô habitu, & quâdam aromaticâ vi notas veri referat.

§. 12.

Hæc tria aut quatuor ligni genera ut ſecundum arbores diſtincta tradita ſunt, ita *Valentini in Muſeo l. c.* & *Pometus in Hiſtoire des Drogues*, differentiam in partibus, ſed unius arboris, oleæ inſtar, variis poſitam, eandemque triplicem pariter quærunt: Primum ſub cortice, denſum, ponderoſum, nigrum inſtar ebeni, ideò à *Luſitanis* palo d'aquila (aquilæ lignum) vocatum. Secundum levius, venis multis præditum, quaſi corruptum, brunni coloris, appellatum lignum Calambouc, aut purpureum aloës lignum. Tertium eſt medullaris eius pars, pretioſum lignum de Tambac aut Calambouc, rariſſimum, prout ſecundum ſeu medium officinale noſtrum & vulgare agallochum foret, primum verò ſub nomine aſphalathi nonnunquam reperiatur.

§. 13.

Paucis: Optimum licet in Curioſorum potiùs & Magnatum ſcriniis reperiatur, rariùs in pharmacopolia tranſiens: pro melioris tamen notæ lignô haberi & eligi debet, quod eſt ſolidum, compactum, ponderoſum (ut aquæ impoſitum fundum petat, *Valentini l. c.* & *Schurzens Material-Kammer pag.* 48.) ſuavem ſi fricetur odorem ſpirans, ambræ æmulum, ſapore aromaticô & ſubamarô, (aliquamdiu in ore detentum) præditum, nigro-purpureum, inſuper quod accenſum non adeò promtè flagrat. *vid. Marxii Material-Kammer*, & reſinoſi humoris plurimum exſudat. Conſonant hiſce, quæ *Rajus in Hiſt. Plantarum Tom.* 1. *pag.* 1808. habet: fragmenta cenſentur optima, quæ ſunt nigro-purpurea, venis cinerei coloris interſecta, amara, ponderoſa, liquorem ſi prunis candentivé ferro imponantur, exudantia, ſuavem & acidulum fumum, ſi incendantur, præben-

tia, bullulasque simul post se relinquentia. Improbatur leve, catiosum, albicans, quod flammam statim concipit, vel fractum pulverem dimittit, etiam longò aquarum discursu omni ex parte laceratum, exesum, comminutumque interdum spectatur.

§. 14.

Distinguitur inter alia ab Asphalathô, quod hoc in ignem conjectum flammam facilius concipiat inque cineres abeat, agallochum autem resinæ instar prunis impositum primò liquescat, antequàm comburatur, & præterea colore ad fuscedinem magis inclinet, *vid. Pharmacop. August. Prolegom. Isagog. cap. 2. pag. 4. Bontius Comment. in Garziam ab Orto cap.* 16. Neque satis est, asphalathum, quod sæpe suaveolentibus unctum reddunt melius agallochô, huic genuino spurium, optimo vile aut corruptum, vero proprium & ejus saltim æmulum alitervé adulteratum substituisse; fucum quoque faciunt ligno oleæ in aqua odoriferâ maceratô, vel cum oleô odoratô postmodum illitô: aut dum resinam ejus cum virtute eliciunt coctione, unde tamen leve, aquæ supernatans atque coloris albicantioris evadit. *vid. Jonston. l. c. Valentin. l. c. Schurzii l. c.*

§. 15.

Natale solum variæ laudantur Indiæ Orientalis regiones, promontoria Indiæ, à *Dioscoride* India & Arabia, speciatim Regnum Coinam, Tunquin, Calecut, China, Malucca, Ceylan, Pegu, Jonam, Chiambi, Sumatra, *Tavernier Reise-Beschreibung p. 3. c. 4. p. 67. J. Jac. Marxen Material-Kammer p.* 236. *seq.* &, referente *Patre Kircherô*, optimum & uberrimum Calamba nasci in monte Moi, item in provinciis famosis Junnam Chiambi, transmitti ex Tartatiæ intimis oris, & in Regnum Sinæ transferri, secundum *du Val Reise-Beschreibung P. 1. p.* 507. Ex Sina in alias terrarum oras devehuntur. Veneti unum genus nôrunt, quod Alexandriâ habent, ex Arabia delatum. Spurium reperitur in Insulis Amboinis, pariter Indiæ Orientalis, secundùm *Rumphium l. c.* Sylvestre in Ceylan, Comoria & Tractu Coromandel, juxta *Jonstonum l. c.*

§. 16.

Vires dum scrutamur, non quærimus illas in lacte albô, quô turget lignum aloës spurium, oculis insensissimo excœcante, & cujus quinque guttulæ internæ assumtæ validam cient purgationem, sed simul in gutture urunt; licet etiam ligni ejusmodi schedia minutim conscissa rudi modo per descensum destillatione picis liquidæ instar oleum suppeditent, quod pro scabie & aliis cutis vitiis conducat, ceu *Rumphius testatur l. c.* Quod si veritati consonat, quam Viro peritissimo derogare oculatoque testi absonum foret, pariter spurio, non autem ex authorum citatorum sententia, & genuino attribuitur ligno, quando *Jonston. l. c.* scribit: ex relatione *D. Philiberti Vermuthi* lignum hoc lac manat adeò virulentum, ut si oculos incidat, cœcitatem causetur: sin in ullam aliam corporis partem, pustulas excitet, cutim inflammet; quod idem de arboris Moncinelli ligno in Indiâ Occidentali traditur. Hoc inquit, *D. Greu*, neque ex ligno interiori, neque de alburno accipiendum est, sed de cortice solo, se enim in nullius arboris ligno vasa lactea hactenus observare meminisse, sed in cortice tantum. Utrum quod *Acta Societ. Reg. Angl. Volum. 1. p.* 427. *de succo agallochi recenti* pronunciant, esse venenosum, nec sine periculo ab hominibus æque ac brutis usurpari posse, etiam potiùs de spurio, an vero, sit intelligendum, aliis pensitandum scrutandumque relinquimus.

§. 17.

Princeps ejus virtus consistit in resinâ, quâ perquàm dives est Xyloaloe, subtili, volatili, aromaticâ, suavissimâ, ut ligni aloës libra una quandoque uncias duas resinæ elargiatur, notante *Vielheuer in Beschreibung frembder Materialien*, & *Ettmüllero in Colleg. Pharmaceut. Schröder. tituto agallochum.* Pollet & resina gratô sale acidô volatili, *le Mort. Pharmac. Medico-Physic. p.* 29. balsamica pingui substantia crassiori & subtili, volatili sulphure suaveolenti, *Zwelfer. Pharmacop. Reg. p.* 416. *sequ.* Manifestant eandem adhærens ligno pinguedo, quæ semper in lignis resinositatem indicat, ductus venarum & striarum ex nigro splendescentium, mollities atque fragrantia, facilis incensio, sub quâ bullulæ pingues exudant, & interspersa ubique resina oculis patens. Quid, quod adhuc majus, gummi, de resinositate tali infallibile præbens indicium, adhærens ligni aloës frusto poris ligni exudans, aliquando repertum fuit, cujus sapor ligni, unde exudavit, prorsus similis, color aloës purissimæ lucidæ socotrinæ dictæ; siquidem radiis reflexis spectatum picem referebat: refractis verò inter oculum & lucem suspensum carbunculi instar splendebat, in pulverem redactum apparebat fulvum. Hoc aliudvè simile gummi aromaticam antiquam Hebræorum aloën fuisse, asserit *Vir eruditissimus D. Grevius*, à cujus similitudine vulgaris aloë nomen acceperit, *Jonston. l. c.*

§. 18.

Accomodatissimum resinosæ huic crassæ æque ac subtilis substantiæ extrahendæ menstruum est spiritus vini & analogi, formicarum, rorismarini, cerasorum nigrorum, simplices alii atque compositi appropriati, qui meliores, pro diversâ equidem intentione & respectu ad morbos hos illos, quibus opponere remedium suum discupit Practicus. Ita paratam habebimus cum digestione & filtratione optimam essentiam, in guttulis 30. & 40. exhibendam. Hæc sua retribuit contenta, factâ spiritus per alembicum abstractione, ut maneat

in

in fundo extractum resinosum, nonnullis resina dictum, leni igni inspissandum & exsiccantum, subtili quidem sulphure exhalabili privatum, in spiritum aloës seu vini illum transeuntem alembicum facessente, eoque ipsô fere fatuum & debilius essentiâ, satis tamen adhuc balsamicum, pingue & super prunis benè olens. *Zvvelfer. in Pharmacop. Reg. class. 7. p. 13.*

§. 19.

Quodsi aquam, simplicem vel compositam, spirituosam tamen ex parte, aloës virtute imprægnare animus est, imponat segmenta ligni collo alembici, ut exhauriatur cum subtili balsamicâ etiam fixa resinosa substantia, à quâ ob sui copiam aliquando aquæ fiunt albicantes lacteæ: quomodo aquas cordiales & cephalicas spirituosas rectè ingreditur. Simplex aquosum menstruum coctione gummosam quandam materiam solvit & aquam constituit, at ipsam potissimùm virium expertem, quas de Xyloaloë gloriari solent vulgo: Potentiorem paululum, si locô aquæ simplicis sumatur vinum.

§. 20.

Egregium hoc lignum præbet oleum fragrantissimum, essentiale æthereum, nativô sapore & odore cum simplici, recipiendo scobem aloës subtilissimam q. v. macera in vase capaci, magnâ cum aquæ quantitate dies circiter 14. tum igne moderatô per vesicam cum refrigeratorio destilletur, & ab aqua oleum separetur, aliquota oleosa particula adhuc divite, in aliquos mitiores usus. Empyreumaticum, sed adustionem redolens necessariò evadet oleum, quòd ex rasura ligni per se, nullâ additâ aquâ, igne nudô, destillatione laterali per descensum, ex retortâ terreâ, aut vitreâ in arenâ propellitur, & à phlegmate acidulo liberandum, ingrati odoris atque saporis, virium quoque calefacientium quidem, non verò roborantium. An verò attingat ætherei statum, nondum experiri licuit, quod *Angelus Sala, citant. Frider. Hoffmannô in Commentar ad Schræder.* ita parare docet: ℞. Ligni aloës segmenta q. v. destilla per se, nullâ additâ aquâ, sed saltim particulâ vini spiritus adspersâ, ex retorta vitrea in segmentis humidis MB. locata, vel etiam igne apertô sine combustione oleum prodibit, secundum *Angeli Salæ* sententiam, æthereum. Simile ex spiritu ligni segmentis per descensum, picis liquidæ instar, conficitur, *Bonetus Medic. Septentrional. P. 1. pag. 775.*

§. 21.

Residuum harum destillationum in spiritum vini superaffusum derivabis aliquale extractum, quod vel illud quoque superiori viparatum olei destillatis, inprimis saccharô interveniente, combinatum, concentratas possidebit vires; imo residua in cineres combustione vertantur, qui per elixiviationem & lixivii inspissationem sal exhibent, quod oleô & extractô per trituration em mixtum, promovebit extractionem cum spiritu vel proprio rectificatô, vel vini tartarisatô, aut Tartari Tincturâ, pro essentiâ Xyloaloës quintâ valde efficaci.

§. 22.

Excogitatæ sunt præparationes tam ad exaltandas vires, quam ægri gratiam, hâc illâ commodiori quàm pulveris formâ aucupandam aut necessitati litandum, hanc illam medicamenti consistentiam exposcenti. Nec tamen inusitatus est pulvis ejus ad ℈j, quôcum species & trochisci diaxyloaloës componuntur. *Mesue* species cum aromaticis & cordialibus, pro ventriculi, cordis, jecinoris malis frigidis, cordis palpitatione, lypothymiâ, ciendâ lætitiâ componit, *vid. Pharmacop. August.* Nobilitat aquas, Anhaltinam, apoplect. *Zvvelf.* Heroicam *Timæi*, auream *Dæreri*, bezoardicam, cephalicam, aromaticam & Anhaltinam, cordialem *Herculis Saxoniæ*, & temperatam Augustanorum mirabilem &c. De quibus tamen monitum *Danielis Ludovici in Pharmacia Dissert. 1. p. m. 254.* notari meretur, inter tot parabilia non opus esse præstante quidem pretioso ligno aloës, ejusvé essentia, vel concentratioxi extracto resinoso: aut si quis omninò vel Indorum æmulatione hoc lignum Calambac selectis nostris adjungat, tam prodige tamen temereque in tot incompetenter formulas, epithemata, cucuphas, aquas Xyloaloës aliasque ejus generis compositas, etiam per MB. (cum parùm per vesicam & solitarius vini spiritus indè abstractus adhuc minus alteretur) destillari præceptas: item, in tot inutiles hodiè pulveres, species atque trochiscos haud proscindendum esse cogiter.

§. 23.

Audiendus in admirandarum virium expressione generali *Excell. Wedelius in Exerc. Medico Philolog. Decur. VIII. l. c.* nullum lignum est sub Sole, quantum quidem hucusque noscere est datum, quod hoc (aloës) æquatur, nedum superet, viribus confortativis, ut si arbor vitæ quædam statuenda est superesse, hæc si non vera & genuina, tamen succedanea ipsique quàm proxima, omni meritô suô dici debeat. Habeat sibi *Helmontius* Cedrum vel arborem vitæ *p. m. 633.* omnia, quæ ipsi requirit prædicata, non cedro, sed rectiùs agallocho conveniunt. Hoc lignum saluberrimum, odorum, balsamicum, ac penè immortale lignum, ex eô hoc medicamentum petendum, plura enim ab ipsô dicta attributa huc referri queunt largô fœnore in Xyloaloë reperiunda: est suavitas indicibilis.

§. 24.

Vi contentorum elementorum balsamicâ, aromatica, amaricante & leve terrestreitate lignum hocce calefacit, siccat, roborat spiritus

omnes & confortat, ſubadſtringit & conſolidat parte fixâ ſuâ reſinosâ *Zvvelf. l. c.* confortativum omnium viſcerum reverâ primarium: ſummè proficuum in affectibus frigidis, ſeroſis, catarrhalibus, acidô & viſcidô corrigendô, dyſcraſiâ ſanguinis pituitosâ & acida, oſcillatoriô vitali humorum motu debili, ſpirituum torpore, viſcerum atonia & levi obſtructione, cachexiâ, ſcorbutô, & ſimili ſanguinis impuritate: ſpeciatim in morbis capitis, cerebrô roborandô, imbecillitate memoriæ, ſomnolentia, epilepſia, apoplexia: in morbis cordis, lipothymia, palpitatione: in ventricul. imbecillitate, imprimis ob ſerum intemperie humida, cruditatibus acidis, flatulentis, cardialgia, cholera, dyſenteria, lumbricis aſcaridibus necandis, fluore albo, paſſione hyſter. ad abortum præcavendum, ſi lateris jecinorisque dolor excruciat, vel infeſtant tormina; ſiſtit quoque vomitum & ſingultum, curat incontinentiam urinæ à ſpirituum defectu ortam, *vid. Dioſcor. l. c. c.* 21. *p.* 15. *Amman. de Mat. Med. p.* 58. Ita placet *Hermanno Cynoſ. Mat. Med.* Salia volatilia reſinæ ſociata adeò analoga ſunt ſpiritibus noſtris, ut inter analeptica & confortativa catholica habeantur, inprimis ſtomachica, uterina, cephalica, cordialia. Tanquam ſpecificum confortans jungitur appropriatis ſtomachicis & uterinis.

§. 25.

Externè in cucuphis præſcribitur adverſus catarrhos, in epithematibus cordialibus pro lipothymia, in pulveribus Cypriis & inſperginibus aliis ſudorem compeſcit, ſi pulvis cuti aſpergatur, *Langius in Operibus Med. l.* 1. *p.*374. Accenſi fumus naribus attractus recreat arcetque lipothymias, & in paſſione hyſterica graviori excitat, recreat quoque reſina ejus naribus odorata, *Ettmüll. l. c.* Experimentô ac quotidianô uſu comprobatum eſt agallochum vel ſuffitum, vel naribus admotum, mirificâ eſſe vi in corroborandô cerebrô ac ſenſibus excitandis, adeò, ut ſi in pulverem redigatur, admixtis aliquot caryophyllis atque oſſe de corde cervi, eaque oleo nigellæ commiſceantur, eas vires conferre cerebro, ut ſi galli gallinacei vertex eo oblinatur, cantillare & crocire non deſinat: Ex *Lemnio Schenckius l.* 1. *obſervat.* 13. *de memoria p.*75. Chinenſes maximè ejus odoratu delectantur, & quô gratior amicus, eô meliorem portionem ei offerunt, *Hermann. l. c.* Manditur, aut decocto os colluitur commendandi halitus gratiâ, ea ratione, quâ quidam hôc ævô Moſchum quibusdam confectionibus mixtum quotidiè mandunt adverſus oris graveolentiam, *Dioſcorid. l. c. & Petr. Andr. Matthiolus l.* 4. *Epiſtol. p.* 173. Maſticatum oris fœtorem corrigere, & ejus fumum ore ſuſceptum ciere ſalivam dicitur, *Schurzii Material Kammer p.* 48. In monumentis literarum ſacrarum de hoc odoramento ſvavi ligni aloës legitur, quod meretricula lectulum ſuum conſperſerit apud *Salomonem Prov. c.* 7. *v.* 17. *Caſp. Hoffm. in Opuſc. de Medic. officin. p.* 116. Inſervit enim communiter ſuffimigiis, & thuri ſubſtituitur in pulveribus fumalibus. Indi ex eo Satrapis & Sacerdotibus defunctis rogum inde ſtruunt, ſummo & pari honore, quô apud nos marmorea ſepulcra celebrantur; unde raritas & magnum ejus pretium animas defunctorum Diis acceptas magis reddere hoc ipſo ſtudent *Bramini, Marxii Material-Kammer p.* 236. *Vielheueri Beſchreibung frembder Materialen p.* 21. Indi odoratiſſima lavacra inde ſibi conficiunt aliaque odoramenta in regales præparant uſus, *Jonſton. l. c. Plutarcho* ad condimenta vini uſitatum eſt, carni putridæ aſperſum in forma pulveris, ſine omni dolore exedit eam, *Bartholinus de Cauter. c.* 22. Ex illo, ſed frequentius ex ſylveſtri, ſphærulæ precatoriæ, odoris jucunditate & pretii magnitudine ſe commendabiles conficiuntur; fiunt & ex alio ligni genere, quod agallochum æmulatur, ſed inodorum eſt, *Bauhinus in pinac. theatr. Botan. p. m.* 344. Sylveſtre quoque dum ad ſuffiendum adhibetur, cum inſperſum prunis primum quidem benzoinum oleat, ſed mox in nidoroſum deſinat odorem, mixtura unguis odorati corrigit. *Rumph. M. A. N. c. l. c.* ediſſerit oleum ſimiliter ſpurii pro ſcabie & aliis cutis vitiis operam inſignem conferre.

§. 26.

Accuratiorem utendi modum plenius monſtrabunt formulæ, hinc inde ab exercitatiſſimis Practicis elaboratæ. Datur per ſe & in ſubſtantia ad ℈j. in decoct. ad ℥j. ſed decocta reddit nimis amaricantia, *Hermann. l.* ſuprà cit. In confortandâ memoriâ, virium lapſu, ſyncope,

℞. extr. lign. al, perl. præparat. ā. ℈j. ambr. gryſ. in ♁ cinam ſolut. gr. vij. ♁ cardam. gt. viij. ſacch. cand. ℥j. M. F. Pulv. ſumendus ex aquis cephalicis.

℞. Lign. al. corall. rubr. præparat. ſuccin. maſtich. præparat ā. ℈ß. ambr. gr. iij. M. F. Pulv. adſtringens & roborans pro utero, in fluore albo, incontinentia urinæ.

℞. Lign. al. ℈ß. theriac. ℈j. ♁ mac. gt. ij. laudan. op. gr. 1. M. F. Bolus ad vomit. ſiſtendum, ibidem. Commendatiſſimam ſibi habet *Excell. Wedelius* tincturam ♂is balſamicam nigram, quæ roboret viſcera & aperiat, extemporanea mixtura confectam:

℞. Eſſent. lign. al. ℥ß. liquor. ♂. gt. vj. M. *Pharmac. acroamat. Lib. II. Sect. V. C. V. p.* 515. Elegantiora alia exhibet in *Compend. Prax. Clin. exemplar.*

℞. Spec. diaxyloal. ſpecif. cephal. rad. ar. præparat. Sapphir. præparat. ā. ℥j. ♁ caryophyll. gtt. ij. M. F. Pulv. in paralyſi. *L. I. Cap. XIV. p.* 17.

℞. rad. pœn. chin. ſarſapar. ā. ℥ß. herb. beton.

ton. salv. rorismar. pol. montan. chamædr. chamæpyt. origan. flor. stœch. arab. ā. mß. mar. ver. ʒij. cardam. cub. lign. al. saſſafr. a. ʒiß. anis. Turcic. ʒi. castor. ver. ℈j. M. l. a. D. ad Ch. pro decocto pugillari.

℞. Tinctur. ♂. balsam. ʒiij. ☿ cephal. ʒj. M. ibid.

℞. Elix. propriet. antiscorbut. essent. carminat. lign. al. a. ℈j. essent. cardam. succin. ā. ʒß. ♃. citr. ver. gtt. ij. M. in vertigine *Cas. X.*

℞. Conserv. fl. pœon. meliss. beton. lil. convall. ā. unc. sem. condit. Zingib. confect. anacard. ā. dr. ij. alkerm. compos. spec. diaxyl. diamargarit. calid. ana dr. j. corall. perl. præparat. ana scrup. essent. ambr. ☿ li ℈i. cephal. ana scrup. sem. syrup. corall. q. v. M. F. Elect. in oblivione simili, *Cas. XI.*

℞. Tinctur. corall. ess. lign. al. arom. ana dr. j. M. in melanchol. hypochondriaca, *Cas. XV.*

℞. Elix. ceph. essent. fumar. compos. tinct. ♂. balsam. ana ʒiß. M. pro eadem, *Cas. XVI.*

℞. Tincturæ corall. ☿ li cephal. ess. lign. al. ana dr. j. M. in calculo, *Cas. XVII.*

℞. Elect. diacor. de bacc. laur. conserv. cochl. fumar. ā. ʒß. spec. diambr. diaxyloaloës ā. dr. j. condit. Zing. dr. ij. extract. acor. ver. Zedoar. ana gran. v. syrup. gran. Cherm. q. v. S. M. Elect. in incubo.

℞. Spec. diarrhod. diacurcum. rad. ar. croc. ♂. aperit. ana scrup. ij. lign. al. ♃ nativ. ana scrup. j. ♃. mac. citr. ver. ana gt. j. M. F. Pulv. in asthmate cachectico, *Cas. XI.*

℞. Elix. proprietat. antiscorb. essent. lign. al. ana dr. ij. ☿ ⊖ ✱. optim. gtt. vj. ♃. citr. ver. gt. iij. M.

℞. Tinctur. corall. essent. lign. al. ana. dr. ij. M. simpl. rectif. scrup. j. ♃. citr. ver. gt. ij. M. in palpitatione cordis, *Lib. II. Cas. XVI.*

℞. Elix. proprietat. antiscorb. essent. absynth. compos. Xyloal. ana dr. ij. ☿ ⊖ ✱ ci gt. vi. ♃ mac. citr. ver. ana gt. j. M. in cachexia, *Cas. XXII.*

℞. Essent. absynth. compos. dr. ij. lign. al. cinamom. ana dr. j. ambr. scrup. ß. ol. citr. ver. aurant. ana gtt. j. liquor. ♂. gtt. ij. M. in obstructione lienis cachectica, ibid.

℞. Benzoes elect. ℥iß. styrac. calam. dr. x. lign. al. dr. iij. caryophyll dr. vj. cinamom elect. dr. ij. lign. cupress. ʒiß. sacchari alb. unc. xiv. cum infusione tragacanth. aqua rosar. fact. F. Pastilli. Et ejusmodi plura *Zwelf. in Pharmacop. Reg. Class XIII.*

DISPUTIO III.

DE

CASIA CINNAMOMEA ET MALABATHRO,

D. JOH. GEORGII DEXBACH.

§. I.

ONomatologiam Casiæ Cinnamomeæ traditurus, statim video multas hîc occurrere difficultates, quibus Etymologorum non minùs, ac Botanicorum animi in varias distrahuntur partes. Quidam enim Casiam Græcis κασία, παρὰ τὸ κάσαι, ab ornando, dictam esse volunt, quod cæterorum aromatum ornamentum sit; alii κασσία derivant à Græcorum κάσσυμα, quod corium s. coriaceum integumentum aut corticem notat, qualem Cassiam esse referunt. Rectiùs me judice, faciunt, qui Casiam ab Hebræorum קָצָה, quod abradere & decorticare significat, deducunt, eò quod iste cortex ab arbore Cinnamomifera in multos usus quotannis detrahatur. In Etymologia vocis Cinnamomi non una quoque Autoribus mens est: Errant, tum qui Cinnamomum quasi Chinæ Amomum vocari putant, cum Cinnamomum in China non proveniat, nec ad Amomum referri possit: tum qui idem cum *Scaligero* in *Exercit.* 144. deducunt à peregrina vocula Cau, quæ lignum, & nama, dulce significet: utrumque enim reiiciunt, & teste *Bodæo à Stapel in not. ad Theophrast. hist. Plant. l. 9. c. 5.* rident LL. Orient. periti, qui Casiam & Cinnamomum à Phœnicia Indicaque voce suam denominationem accepisse tradunt. Hinc mihi arridet illorum sententia, qui Cinnamomum ab Hebraica vocula קִנָּמוֹן, Latinis canna, & Græcorum κάμωμον, Amomum, derivandum esse dicunt. A Phœnicibus autem, quos primos literarum inventores fecit *Plinius hist. Nat. l. 7. c. 56.* & *Lucan. Pharsal. l. 3. v. 220.* Hebræos suum קִנָּמוֹן & Græcos vocabulum κίναμον, ac κιναμώμον habuisse *C. Salmas in Exercit. Plin. fol. 919.* fidenter & probabiliter asserit. Per Cinnamomum Veteres Græci intellexerunt arboris Cinnamomiferæ surculos resectos, integros, lignosos, odoratos, & suo adhuc dum aromatico cortice tectos, ex quibus ξυλοκινάμωμον nominârunt eos, qui ξυλώδεις seu lignosiores & robustiores erant, uti per ξυλοκασίαν, optimam speciem, quæ ξυλικὴ lignosa & suo tecta fuerat cortice. In genere autem sub Casiæ nomine ipsis plerumque veniebat

bat cortex arboris Cinnamomiferæ tubulatus & in fiſtulas complicatus, quem καυλὸν σύριγγα ſ. Caſiam fiſtulam vocârunt, ſolo ramorum cortice, abſumpto per vermiculos (ut putabant) interiore ligno, conſtantem. Hanc recentiores nonnulli Græci minus bene καυλὰν & καυλὰκι, Latinique rectius cannellam, à cannis, quas concavitate ſua referunt, appellarunt. Interdum tamen Caſiam etiam nuncuparunt ſurculos integros, Cinnamomum facie, ſapore & odore remiſſiore referentes, quales erant ii, qui *Dioſcoridi de M. M. l. c. 12. ſeq.* βλαχὸς Μοσυλίτης, & ξυλοκινάμωμον, *Plinio* autem *l. c. l. 12. c. 20.* iſocinnamon audiunt. Patet hinc Veterum καυλὰν & κιννάμωμον ab unius generis arbore fuiſſe deſumptum, & à noſtro hodierno Cinnamomo planè non diſtinctum, niſi quod ſub Cinnamomi titulo ſolidi lignoſique arboris ſurculi, ſub Caſiæ verò nomine illorum ſaltem cortices à Veteribus utplurimum deſcripti fuerint, ceu *Salmas. l. c. f.* 920. evidenter demonſtravit. Poſtquam autem ſeqq. temporibus obſervatum fuit ſurculorum lignum inutile eſſe, ſolus dein arboris cortex allatus fuit, qualis hodienum ex Inſula Zeylan ad nos transfertur, & Cinnamomum, Cinnamum, Caſia Cinnamomea, item Cannella, vernaculè *Zimmet, Zimmet-Rinde, Cannel* vocatur. Arabibus Cinnamomum minus propriè Dar Sini, h. e, lignum Sinenſe, & κατ' ἐξοχὴν karfe, lignum, item karfe aldar Sini, lignum Cinnamomi, Caſia verò Veterum accuratius Selicha ſeu corticea nominatur, teſte *Salmas. in Homonymis Hyles Iatricæ c.* 94. Arbor ipſa, quæ Cinnamomum largitur, Caſia Cinnamomifera, Caſia Cinnamomea. *P. Hermanno in catal. Horti Lugd. Bat.* cannella Zeylanica, *C. Bauhino pin. pag.* 408. Zeylanenſibus Cuurdo, teſte *G. Piſone Mantiſſ. Arom. f.* 165. & kurundu referente *P. Herman. l. a.* vel Corunda gauhah, ut vult *R. Knox. in relatione hiſtorica de Inſula Ceylon l. 1. c.* 4. Germanis *Zimmet-Baum Cannel-Baum*, nominatur. Præter hanc Caſiam Cinnamomeam in noſtris officinis alia proſtat, quæ à Græcorum Arabumque interpretibus Latino-Barbaris, ob ſubſtantiam minus fragilem maioremque duritiem, lignea vocata fuit, & Medicis adhucdum ita dicitur. Eſt autem arboris Cinnamomiferæ Malabaricæ aut Javanenſis, à priori Zeylanica genere non differentis, cortex lignoſior, qui, cum utero ſingulariter prodeſſe credatur, à noſtratibus *Mutter-Zimmet*, appellatur. Hunc corticem Antiquis ſub ξυλοκασίας nomine cognitum, & inter Caſiæ genera deſcriptum fuiſſe nullus dubio, quandoquidem folia arboris, quæ corticem iſtum præbet, conſtituant Veterem *Malabathrum*, ab Indorum *Tamalapatra* ſic dictum, quod Græcis Μαλαβάθρου, item φύλλον, φύλλον ἰνδικὸν, Arabibus Sadhegi, h. e. *folium*, & Sadhegi Alhendi, ſ. *folium Indum* audit: quo nomine & Latinis venit, quibus, uti Græcis, abſolutè qq. *folium* nuncupatur. Ipſa verò arbor Botanicis Canella Malabarica, Javanenſis & Sumatrana à loco natali, incolis verò Carva dicitur, uti refertur in *Horto Malabarico t. 1. f.* 107. Tertia ſpecies arboris Cinnamomiferæ in loco natali katou karva, *J. Bauhin. hiſt. Plant. t. f.* 151. Cannella ſeu Cinnamonum vulgare craſſiori cortice *J. Rajo. Hiſt Plant. t 2. f* 1562. Cannella ſylveſtris Malabarica, Belgis *vvilde Caneel* vocatur, à Malabaræ locis ſylveſtribus atq; montanis, ubi ſine cultu creſcit. Cæterum pluribus diverſi generis vegetabilibus Caſiæ, Cinnamomi, & Cannellæ nomen eſt commune, uti *Caſiæ Caryophyllatæ* Offic. quæ cortex eſt tubulatus, tenuis & obſcurè ruffus, ſaporis ac odoris Caryophyllati, deſumptus ab arbore baccifera, flore tetrapetalo, fructu rotundo umbilicato & odorato, geminisque acinis inſtructo, foliis ſemper virentibus, quæ in Inſula Cuba, Jamaica & Tabaſco ſponte provenit, ac à *F. Hernandez in Hiſt. Mexic.* Piper Tavaſci, à *J. Rajo in Hiſt. plant. t. 2. f* 1507. Piper Jamaicenſe, rectiùs autem ab *Hermanno in Colleg. MSS. ad M. M.* Myrtus arborea Americana nominatur, ſicque ſatis à Caſia Cinnamomea diſtinguitur; quemadmodum etiam Caſia fiſtula ſeu purgatrix *J. Bauhin.* quæ arboris ſiliquoſæ Ægyptiacæ fructus eſt oblongus, teres, nonnihil incurvatus, ſub cortice atro & lignoſo, in ſuis loculamentis pulpam nigricantem & ſubdulcem, cum nucleis rotundis, depreſſis, fulvis atque glabris, continens. Hæc cum Caſia noſtra ſæpius confunditur ab indoctis Interpretibus Græcorum atque Arabum, in quorum diſpenſatoriis ξυλοκασία & φύσκια ſimpliciter dicta, utplurimum denotat aromaticam, interdum tamen etiam hanc ſolutivam, maximè ubi expreſsè καθαρμὸν, ſ. purgatrix cognominatur, aut illius medullæ mentio fit. Caſia Poëtarum humiles inter ericas prorepens herba eſt, Cneoron *Theophraſti* dicta, & ab odoriferis, quos vere profert, floſculis, ſine dubio ſic nominata, apibusque grata, de qua ita canit *Virgil. l. 4. Georg.*

Hæc circum Caſiæ virides & olentia latè
Serpilla & graviter ſpirantis copia Thymbræ
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.

Caſia verò Poëtica Monſpelienſium eſt frutex baccifer monopyrenos, floribus ſuaveolentibus, Oſyris fruteſcens baccifera *C. Bauhino* dicta, quæ herbæ cum Caſia noſtra præter odoris gratiam nihil commune habent. Sub Cannellæ tandem albæ Cinnamomi albi & Caſiæ lignea Jamaicenſis titulo in quibusdam Pharmacopoliis proſtat cortex lignoſus, craſſior & renacior, in longos tubulos contractus, extus cinerea & inæquali cuticula tectus, intus pallidus, ſaporis acris & aromatici, odoris fragrantis, qui tamen ad Caſiam Cinnamomeam non eſt referendus, quoniam ex diverſi generis arbore, baccifera ſcil. pentapetala & laurifolia, fructu calyculato

tetra-

tetrapyreno, racemoſo, in Inſula Jamaica colligitur, uti refertur in *Transact. Philoſ. Angl. n.* 192. Cinnamomum Syriacum *Plinii*, quod Caryopon appellari ſcribit l. c. ad Cinnamomum non pertinere, & κόμμιν *Theophraſti*, fructumque ſcandentis plantæ racemoſum, in Inſula Java provenientem, quem cum Arabibus cubebam vocamus, eſſe, me docuit *Salmaſius l. c. f.* 923. Cinnamomum ſeu Cannellam Peruanam *C. & J. Bauhini* genere diſtinctam eſſe arborem à Caſia Cinnamomea, ſatis oſtendit fructus parvo pileo ſimilis, ſeu ſubrotundus, & depreſſus, thaleri magnitudine, qui calyce à Suberino, nonniſi magnitudine, & odore ſaporeque cinnamomeo diſcrepante, continetur. An autem à *J. Rajo l. c. fol.* 1563. recte Laurus Americana odorata, à foliis, quæ habet laurinis, vocetur, dubito. Paucis hîc meminiſſe lubet avis illius, in Arabia ſibi ex cinnamomi ſurculis nidum ſtruentis, quam *Ariſtoteles hiſt. Anim. l. 9. c.* 13. Cinnamomum, *Plinius, hiſt. Nat. l.* 1. *c.* 33. Cinnamologum, & *Solin. in Polyhiſt. c.* 34. Cinnamolgum vocavit, fabuloſaque Antiquitas credidit ſubminiſtrare cinnamomum, quod vel ab ipſa hac ave ex nido projici, vel plumbatis ſagittis decuti, collectumque vendi, ac in alias regiones exportari *Herdotus*, teſte prælaudato *Salmaſio l. c. fol.* 391. tradidit. Sed cum in Arabia cinnamomum non proveniat, nec indè transferatur, fictitiam hanc avem eſſe puto, non ſecus ac ipſum Phœnicem, quem nonnulli Veterum cum hac volucre confuderunt.

§. 2.

His præmiſſis accedo ad deſcriptionem Caſiæ aromaticæ, quæ triplex eſt, *Cinnamomea, lignea* Offic. & *ſylveſtris*. *Cinnamomea* eſt cortex aromaticus, ex flavo ruffeſcens, lignoſus, tenuis & fragilis, in diverſæ craſſitiei & longitudinis cannulas contractus, ſaporis ſubdulcis, mordentis & cum fervore nonnihil adſtringentis, odoris admodum fragrantis, ex arbore Cinnamomifera Ceylanica, pro variis in re Medica & culinaria usibus, collectus. *Lignea* eſt priori ſimilis, ſed compactior, durior, lignoſior, pauloque obſcurior ac ferrugineus, in minores tubulos coactus cortex, ſaporis ſubdulcis & mucilaginoſi, minusque ferventis, odoris qq. languidioris, de arbore cannellifera Malabarica, Javanenſi, vel Sumatrana, in uſus Medicos detractus. *Sylveſtris craſſior* eſt pollicaris ferme craſſitudinis cortex, denſus, lignoſus, & quaſi calloſus, foris rugoſus atque ſcaber, cinerea plerumque ſua cuticula adhucdum tectus, intus dilutè ferrugineus, & nonnihil contractus, ſaporis aromatici levioris & magis adſtringentis, odoris cinnamomei languidioris, ab arbore Cannellifera ſylveſtri Malabarica deſumptus. *Arbor Cinnamomifera* radicem habet valde craſſam, rectam, altiùs terræ infixam, & paucis propaginibus ſemet haud adeò latè diffundentem, cortice foris ex cinereo ruffo, intus rubicundo & caſuram vehementer olente tectam, cætetum ligno albo atque ſolido nullius odoris conſtantem. Ex hac truncus mediocris altitudinis & craſſitiei, inſtar ceratorum noſtratium, imò ſi arbor vetuſtior fuerit, ejus amplitudinis, quam quis uno brachio vix complecti queat, aſſurgit, multis erectis firmiſque ramis brachiatus, & libro circumdatus craſſo, extus ruffo cinereo, intus in fuſco rubeſcente ac ſuaveolente, cui ſubeſt lignum album, ſolidum & inodorum. Extremi ramorum ſurculi, tenuiore & fragrantiore viridique cute veſtiti, foliis ornantur ex adverſo binis, ſpecioſis, ſemper virentibus, rigidiuſculis, oblongo rotundis, & in extremitate paululum acuminatis, cum novella & teneriora ſunt, hepatico colore tinctis, ubi verò ad juſtam magnitudinem pervenerint, ſupernè diluto virore nitentibus & ſubtus pallidioribus, ſpithamam longis, & palmam ferè latis, odoris caryophyllati ac ſaporis aromatici. Marginem horum foliorum tenuis & albicans præcingit nervus, è brevi, ſtriato & ſemipollicari illorum pediculo prodiens, è quo tres ſimul egrediuntur coſtæ, ex viridi flaveſcentes, & in averſa foliorum parte magis prominentes, quarum media craſſior eſt, & recta per foliorum longitudinem excurrit, laterales autem paululum inflexæ, tandem cum media in extremo junguntur, & in ſuo ductu quamplurimos ad latera dimittunt ramulos, qui tortuoſis ſuis propaginibus elegans vaſorum ſucciferorum rete effingunt, cujus interſtitiola magnus veſicularum membranacearum, ſeu utriculorum, fragranti humore turgidorum, numerus occupat. Flores ſummis ſurculis, in laxiores racemulos expanſis, & viridi cuticula tectis, parvulorum & dilutè virentium petiolorum intermedio inſident exigui, ſtellati, monopetali, & in ſex lacinias, oblongis ac rotundis ſuis oris verſus anteriora nonnihil contractas, diſſecti, ex viridi albicantes, & lilia convallium odore referentes. In horum medio duplex ſtaminum conſpicitur ſeries, quorum exterior ordo ſex habet ex viridi transparentia, & planis latiuſculisque ſuis capitulis prominentia: interior foveolas totidem minora & tenuiora, flavis apicibus donata, quibus in eadem ſerie tria alia exterioribus ſimilia paribus intervallis adſtant, centrum occupante ſtylo tenui ac viridi, cujus ſuperna pars nigricans paululum hiat, inferna autem viridis & ovalis in ſexangulari calyculo latitat, & futuri fructus rudimentum eſt, quod ſenſim incrementa capit, & tandem in glandem avellanæ magnitudine abit, cortice tectam fragili primò, ex viridi fuſco, albis maculis conſperſo, dein per maturitatem obſcurè cœruleo, glabro atque nitido, qui ſub pulpa unctuoſa viridi, aromatico acri & ſubamara, continet nucleum oblongo rotundum, pellicula tenui obductum, lævem, ex rubro cœruleicentem, inſtar glandis bifidum, ſolidum, & oleoſum, odoris fragrantis debilioris, ſaporis ad baccas juniperi accedentis. Hæc arbor in ſola Inſula Zeylan copioſè provenit, & per

deci-

deciduas glandes ſua ſponte propagatur, integraſque ſylvas facit, menſe Januario floreſcens, & Auguſto fructus maturos ferens, teſte *R. Knox. l. c.* Iconem arboris accuratiorem nobis dedit *P. Hermann. in Cat. H. L. B. p.* 655. *ſeqq. Cannella Malabarica ſeu Javanenſis, aut Sumatrana,* quæ *Caſiam ligneam* & *Malabathrum* ſubminiſtrat, Zeilanicæ per omnia ferè ſimilis eſt, niſi quod corticem proferat denſiorem & rubicundiorem, odoris languidi & ſaporis mucilaginoſi, minusque acris Cinnamomei, qualis etiam in foliis Malabathrum Offic. conſtituentibus, deprehenditur. Creſcit ſua ſponte in Regno Malabar, & Inſulis Sumatra, Java, ac Philippinis, ubi eodem tempore, quo Zeylanica floret, & fructus maturos profert. Exactè deſcribitur ac delineatur in *Hort. Malab. t.* 1. *f.* 107. *tab.* 57. *Cannella ſylveſtris Malabarica.* quæ katou karva vocatur, in allegati *Horti Malabarici t.* 5. *f.* 105. & *tab.* 53. depingitur, prioribus arboribus non quidem diſſimilis, ſed major & altior eſt, foliis prædita trinerveis grandioribus, duas ſpithamas longis, & binas palmas latis, floſculis in ſummitatibus ramulorum, velut in umbellas expanſis, parvis, ex viridi candicantibus, inodoris & pentapetaloidibus, quorum medium exornant quinque brevia & viridia ſtammula, ex viridi flaveſcentibus apicibus inſtructa, & circa parvulum glabrumque ſtylum ludentia; floſculis deciduis ſuccedunt fructus minores, ſubrotundi & calyculati, ad ribium noſtratium magnitudinem accedentes. In Regni Malabarici provinciis Berkencour, Teckencour, & aliis vicinis frequentiſſima eſt hæc arbor, & illis in locis montanis ac ſylveſtribus ſemper viret diuque perennat, Julio & Auguſto menſe floribus, Decembri verò & Januario fructibus maturis onuſta. Ex præmiſſis ſatis, ut opinor, patet, arbores Cannelliferas ob nucleum, quem producunt, bifidum, durum, atque pinguem, fragili nitidoque cortice obductum & calyculatum, jure meritò à modernis Botanicis ad glandiferas, & quidem (ob perpetuam frondem) ſemper virentes referri, à congeneribus autem rectè diſtingui foliis ex adverſo binis, trinerveis, & floſculis monopetalis, in quinque vel ſex lacinias diviſis, ſummos caules occupantibus, nec non cortice trunci ac ramorum cinnamomeo.

§. 3.

Hac nota generica differt arbor Cannellifera à Caſia Caryophyllata, ſolutiva, ſeu fiſtula purgatrice, lignea Jamaicenſi, & duplici Poëtarum, ceu jam in §. 1. oſtendi, nec non à *Muiva Braſilienſium, G. Marggraff. in Hiſt. rer. nat. Braſ. l.* 3. *f.* 117. arbore racemoſa Braſiliana *J. Breynii cent.* 1. *Exotic. f.* 3. ac lauro vulgari atque Indica *T. Aldini* ſeu Regia *Horti Pariſ. Reg.* (quæ corticem, Caſiam odore & ſapore referentem, habet, & in *Novell. Reipubl. literar. anni* 1684. *menſe Novembr.* pro arbore Cannellifera perperam deſcribitur, ſed error in ſeq. corrigunt) ut & Americana odorata, quæ à *C.* & *J. Baubinis* Canella Peruana fructu pileo ſimili minus bene nominatur, quia fructu pileato & foliis laurinis à Caſia noſtra differt. Qui igitur arborem Cinnamomiferam laurum Zeilanicam baccis calyculatis vocant, à verò longè aberrant; & hinc etiam præcitatus *Herm.* qui hujus olim opinionis erat (ut ex illius literis ex Zeylan ad *A. Syen.* datis liquet) animi ſententiam poſtea mutavit in *Cat. Horti B. L.* Caſiam Cinnamomeam peculiaris generis arborem fecit, integram illius & ſpecierum ſubalternarum, quas ipſe in Oriente conſpexit, Hiſtoriam in Muſeo, quod promiſerat, Zeylanico deinceps daturus, ſi per præmatura fata licuiſſet. Quamvis autem deſideratiſſimo hoc opere nunc deſtituantur Botanophyli, grata tamen mente fatentur ſe Caſiæ Cannelliferæ deſcriptionem exactiorem, quam habent, potiſſimum debere induſtriæ Celeberrimi hujus viri, qui jam ante hos XX. & quod excurrit annos iſtius arboris ſurculos aliquoties ex Zeylan in Belgium transmiſit, ubi ad ſecundum tertiumve annum in celebrioribus hortis viguerunt, donec incidente rigidiori bruma interierint. Quo autem modo arbores Cannelliferæ ex loco natali ad nos transferri vel ex fructu maturo propagari, foveri & hyemali tempore à frigore præſervari debeant, docet *A. Munting, Nauwkeurige Beſchreyving der Aardgewaſſen, f.* 121. *ſeqq.* Differentia ſpecifica, qua arbores Cinnamomiferæ inter ſe dignoſcuntur, petenda eſt tam ab illarum loco natali, quàm à foliorum, florum atque fructuum ipſorumque corticum diverſitate, quæ ex præmiſſa triplicis Caſiæ Cinnamomeæ deſcriptione ſatis ſuperque patet. Qui autem fiat, ut Cannella in *Zeylan* penetrantiorem vim aromaticam obtineat, quam in *Malabar. Java, Sumatra,* & *Philippinis Inſulis,* determinatu haud adeò facile eſt; quamvis hoc à poliſolique diverſitate deducendum eſſe putem cum *A. Cleyero* in *M. N. C. d.* 2. *a.* 4. *obſ.* 6. An verò in plaga meridonali & occidentali Inſulæ Zeylan, ubi haud procul ab urbe *Columbo* atque *Galos, Caſtroque Negumbo* integræ Caſiæ Cinnamomiferæ ſylvæ perpetua fronde virent, major Solis fervor & ſubtilior aër oleaginoſum iſtarum arborum ſuccum magis attenuet atque reſolvat, ut inhærens ſal volatile aromaticam ſuam activitatem hinc liberius exerere poſſit, an verò benignior terra nutrimentum defæcatius his arboribus ſuffundat, aliis quibus prædictæ Inſulæ proprietates magis perſpectæ ſunt, dijudicandum relinquo. Cæterum Veteres Cinnamomum in varia diſtribuerunt genera, quorum duo recenſuit *Theophraſtus l. c.* & quinque *Dioſcorides l. a* ubi primum, quod nigrum, ex vinoſo cinereum, læve, tenuibus, fre-

frequentibusque ramulis cinctum jucundè olet, & gustu acre atque mordens est, Mosyliticum ab Æthiopiæ promontorio & emporio Mosylo, quò olim deferebatur, nuncupavit: alterum crassum, pumilum & admodum fulvescens, à loco natali, montanum appellavit: tertium suaveolens, nigrum & fruticosum, paucis intercedentibus geniculis: quartum fungosum, candicans aspectu, tuberosum vile ac friabile, magna Casiam æmulante radice: quintum odore nares feriens, suffruffum, & cortice fulvæ cassiæ simile, tangenti firmum, minus nervosum, & densa radice præditum esse retulit. Casiam verò cap. 12. in sex genera subdivisit, quorum primum crassum, purpureum & nigricans, rosæ odore, ζίγιρ (*Galeno l.* 1. *de antidotis* γίζιρ) cognominatum, præcipui in Medicina usus esse: secundum fulvescens pulchri coloris, corallii æmulum, perquam angustum, longum, crassum & fistulosum, gustu mordens, ac cum aliquali fervore adstringens, aromaticum, vinosi odoris, incolis Ἄχυν & Alexandriæ mercatoribus Δαφνίτιν dici: tertium *Mosyliticum* surculum: quartum, quod nigrum, insuave, cortice tenui ac rimoso Λεπτήν: quintum atque sextum Δάφνα & νιτσὶ barbaris nominibus vocitari commemoravit, hæcque tam obscurè proposuit, ut Botanici etiamnum dubitent, an prædicta Casiæ Cinnamomique genera omnia ex arboribus Cannelliferis suprà descriptis petita fuerint? imò alii cum *Matthiolo in not. ad Dioscoridem l. c.* putent nos cinnamomo Veterum prorsus carere. Potuit quidem Casia ab una eademque arbore Cannellifera, sed diversis illius partibus, trunco scil. ramis crassioribus & tenuibus virgultis detracta, nec non majori vel minori cura exsiccata differentem habuisse crassitiem, colorem, saporem & odorem, sed idem de Cinnamomo dici nequit, quoniam hoc ex integris Casiæ Cinnamomeæ surculis constabat, ut perspicuè demonstravit *Salmasius in Exercit. Plin. l. a.* Unde conjicio Veteres suum cinnamomum non ex sola arbore Cannellifera *Zeylanica*, sed & *Malabarica*, *Sumatrana* atque *Javanensi* desumpsisse, & hinc Casiæ ac Cinnamomi nomine sæpius confudisse, id quod satis patet ex *Galeno*, qui *l. c.* refert se summos Casiæ surculos vidisse Cinnamomo pares forma, cortice, sapore & odore, quibus deceptus fidenter nimis asseruit Casiam in Cinnamomum mutari. Et hic *Galeni* lapsus vel solus sufficienter comprobat Veterum Casiam ac Cinnamomum ab ejusdem generis arbore petitum, & illam quidem corticem, hoc verò solidos surculos, summa virgulta, aut teneros flones fuisse, à Casiæ Cinnamomiferæ radice divulsos, veluti hoc ex præmissa descriptione *Dioscoridea* generum Casiæ ac Cinnamomi facilè colligitur. Inter hæc recensita genera etiam Casiam ligneam nostram, sub ξυλοκινναμώμε & ξυλοκασίας titulo, à Veteribus fuisse descriptam, vero consentaneum mihi videtur, maximè si considero ea, quæ *Dioscorides c.* 13. de Xylocinnamomo tradidit, cum Casia lignea satis convenientia. Accedit, quod Veterum *Malabathrum* ab eadem arbore, quæ Casiam ligneam subministrat, desumptum fuerit. Hoc quidem Scriptores Græci cum folio *Betel*, quod Arabes *Tembul* vocant, confuderunt, & Μαλαβάθρου φύλλον dixerunt, à sphærica foliorum convolutorum figura, qua deceptus *Plinius l.* 12. *c.* 26. Malabathri arborem convoluto folio esse malè retulit, quandoquidem ista folia, quæ sub sphærica forma olim ex India adferebantur, non ex arbore, sed planta, convolvulorum instar scandente, *Betel*, fuerint decerpta, & crassioribus fibris ungue demptis, in majores & minores pilulas, pro varia foliorum magnitudine, adspersa calce & Areeca conglobata, qualia hodienum apud Indos præparantur & in deliciis habentur. Hæc folia nigricant, scabra sunt, & quodam salis gustu, ita scribente *Plinio l. a.* Malabathrum autem, teste *Dioscoride c.* 11. ex candido nigricat, suavi sapore & odore, Nardum referens, integrum, nec fragile, nec falsum, quod collectum statim lino transuitur & siccatum reconditur: ex quibus satis patet, distinctum esse Betel ab Antiquorum Malabathro, quod Cannellæ Malabaricæ folium esse sufficienter comprobant hujus arboris rami cum foliis & fructibus, sæpius in Europam, teste *Clusio in Exot.* & aliis pluribus translati, & in *Matthioli operibus f. m.* 44. peperam ramis arboris Caryophylliferæ adpicti: imò tot fide digni & oculati testes in Malabar cannellam sylvestrem, Malabathrum proferentem viderunt. Malè igitur à *Dioscoride l. c.* refertur Malabathrum lentis aquaticæ modo Indiæ paludibus innatare, sine ulla radice, & à *Plinio* arboribus Syriæ innasci foliis convolutis, ab aliis Nardi Indici folium esse, quod Curiosorum autopsiæ repugnat.

§. 4.

Priscis temporibus Cinnamomum magno in pretio erat & auro carius, quoniam ex arboris Cannelliferæ summis & tenuibus surculis, ad palmi longitudinem resectis, utplurimum constabat, & è locis valde remotis afferebatur, non sine fabulosa variarum difficultatum, quas illius collectores subire cogerentur, traditione, de qua videatur *Theophrastus l. a.* & *Plinius l.* 12. *c.* 19. ubi Arabiam felicem & Æthiopiam regionem κινναμοφόρον esse falsò referunt. Ob hanc cinnamomi raritatem & caritatem illius arbores atque radices, capsis ligneis inclusæ, olim ab Imperatoribus Romanis inter alia pretiosa repositæ fuerunt, teste *Galeno l. c.* & *Plinio*, qui *d. l.* commemorat vidisse se in Palatii templo, quod Divo Augusto fecerat Coniux Augusta, radicem cinnamomi magni ponderis, ex qua guttæ editæ quotannis in grana durabantur, Casuram sine dubio referentia, qualem subinde Cinnamomiferæ arboris radices per corti-

cis tubulos, ſub guttarum oleoſarum, ſenſim in ſalis candidi grana coëuntium, forma emittunt. Caſiæ duplo minus olim erat pretium, quàm efficacioris Cinnamomi, cujus una pars Caſiæ duabus æquiparata fuit, ſive quod καρία εὐφυΐᾳ è locis minus diſſitis, Malabar, ſc. Sumatra, & Java & Philippinis Inſulis allata, ſylveſtris Cannellæ cortex ignobilior & minus aromaticus fuerit, ſive quod de arboris Cinnamomiferæ Zeilanicæ majoribus ramis detracta eam, quam tenerior ſummorum ſurculorum cortex habet, efficaciam non habuerit. Utrumque fieri potuiſſe, Caſiamque Veterum ex quovis arbore Cannellifera collectam fuiſſe, perſuadent diverſa illius genera, ſupra deſcripta, quæ ab unius ſpeciei arbore non poterant deſumi.

§. 5.

Quod colligendi modum attinet, pro fictitio habeo eum, quem Veteribus uſitatum fuiſſe *Theophraſtus l. a.* & ex eo plures alii referunt, Caſiæ ſc. ſurculos longitudine duorum digitorum, aut paulò majores, abſciſſos, quod decorticari nullo modo poſſent, recenti bovis corio cinctos & circumſutos fuiſſe, ex quo dein vermiculi progeniti lignum omne abſumpſerint, cortice ob amaritudinem & odoris acrimoniam intacto. Quin potius credo Priſcorum modum Caſiam & Cinnamomum colligendi haud adeò diſſimilem fuiſſe ab hodierno, qui in Zeylan, Malabar, & cæteris locis Cinnamomiferis etiamnum obtinet, & communiter ita deſcribitur: Arboribus trium vel quatuor annorum efflorescentibus cortex, tunc temporis fragrantior & ſucculentior, propterea que facilius ſecedens, in trunco & majoribus ramis, cultro falciformi, quo prius abraditur extima cutis candicans, inciditur, in oblongas quadrangulares laminas dividitur, & poſtea detractus (arbore novum corticem ſenſim induente, ſi hic ex una ſaltem trunci ramorumque parte deſumptus fuit, & marceſcente, ubi omni cortice ſpoliata fuerit,) ſub Solis radiis, vel in umbra ſiccatur, unde in diverſæ craſſitudinis tubulos ſua ſponte coit, & hac forma ad nos per mare ingenti copia transfertur. Cannellæ ſylveſtris, katou karva vocatæ, cortex craſſior rarò nunc in Europam mittitur, quia Cinnamomo Zeylanico & Caſiæ ligneæ viribus longè cedit. In Curioſorum Muſeis tamen adhuc dum reperitur. Pretium Cannellæ admodum variat apud nos: Etenim quæ de arboribus aliquot annorum deſumpta, tenerior eſt, & ſolicitè ſiccata, ſubtiliore ſale volatili oleoſo, penetrantiorique hinc ſapore ac odore pollet, ſub Cinnamomi fini nomine, majori venit pretio, quam de annoſis arboribus avulſus cortex craſſior, lignoſior & languidior, vel per ſiniſtram exſiccationem aut diuturnam aſſervationem, potiori ſuo ſale atque ſulphure aromatico privatus, aliove modo exhauſtus, qui vulgare Cinnamomum audit. Diu quidem & juxta *Galenum l. c.* ad XXX. usque annum integer manet cortex Cinnamomeus, ſi ab aëre externo (qui ſuo afflatu continuo divaporabiles illius particulas paulatim abſumit) defenditur, in quem finem aromatarii Cannellam piperis rotundi cumulis recondunt, quo tamen modo aſſervata ſuum ſaporem aliquando recuperat, uti hoc obſervavit ac commemoravit *D. Ludovici in M. N. C. d.* 1. *a.* 4. *&* 5. *obſerv.* 202. Cauſam periodicæ hujus variationis vigoris in Cinnamomo, attribuo aëri humido, qui cum condenſatis piperis effluviis Cinnamomi ſal & ſulphur activum ita ligat & obvolvit, ut hoc nec odore, nec ſapore ſe prodere queat, donec à rarefacto rurſus aëre priſtini juris fiat. Non enim diſſipatum aut deperditum, ſed ſuppreſſum ſaltem eſſe volatile hujus Cinnamomi ſal, indicat aqua ex illo vi ignis prolecta, quæ Cinnamomeæ ſtillatitiæ nihilo eſt deterior. Ex arbore Cannellifera, Malabaris *karva* dicta, folia, cum ad juſtam magnitudinem pervenerunt, olim colligebantur, & in faſciculos conſuta atque ſiccata ſub Malabathri titulo in exteras regiones transvehebantur, ubi pro Medicis uſibus recens collecta, integra, dilute viridia, odoris fragrantis & ſaporis aromatici, deligebantur, hodie verò rariùs ad nos mittuntur in tanta aromatum & ipſius Cannellæ abundantia. Quæ verò in noſtris officinis hodienum inveniuntur, ex accidenti ibidem plerumque proſtant, quoniam his Cannellæ Malabaricæ foliis majores gummatum, ex Oriente allatorum, & nominatim *Benzoini* glebæ, ne facile colliqueſcant, in loco natali, priusquam transferantur, obteguntur, & ſic ad noſtras manus perveniunt. Medicis tamen uſibus non amplius deſtinantur, & in confectione medicamentorum compoſitorum, quibus, ad veterum præſcriptum, Malabathrum eſt addendum, Caſia lignea, vel, quod præſtat, Cinnamomea, ut optimum illius ſuccedaneum, aſſumitur, quoniam hæc cum illo magis convenit, quàm *macis*, *radix Cyperi*, *Spica Nardi*, & alia, quæ in Malabathri locum ſubſtitui ſolent.

§. 6.

Probatur Caſia, quæ recens collecta, & ad nos transvecta, tenuis, coloris ruffeſcentis, odoris aromatici, ſaporis acris & ferventis eſt: ſpeciatim autem Cinnamomum bonæ notæ habetur, quod foris ex flavo ruffeſcit, & intus paulò obſcuriore colore tinctum eſt, glabrum, fractu facile, fragrans & guſtu mordens. Caſia lignea laudatur, quæ in minores tubulos convoluta magis purpuraſcit, tenuis, fragilis, odorata, acris eſt, ſubdulcem ac mucilaginoſum in ore ſaporem relinquens. Rejicitur uterque cortex, ſi craſſior, lignoſior, fractu difficilis, ex fuſco nigricans, ſitu vel prævia coctione, aut deſtillatione viribus orbatus, nullius ferè ſaporis ac odoris eſt. Apud Veteres Cinnamomum in ſurculis optimum fuit, quod ex arboris ſummitatibus deſumptum palmaris erat longitudinis, colo-

coloris, ut refert *Galenus l.c.* leucophæi, in cœruleum quadantenus vergentis, (cujus solet esse cortex summorum virgultorum arboris Cannelliferæ, sua adhuc dum cuticula tectorum & exsiccatorum) odoris aromatici fragrantissimi. Casia verò in tubulis selecta fuit, quæ colore purpureo, sapore & odore aromatico tenui ac remissiore se commendabat. Olim adulterabatur Casia intermixta *Pseudocasia*, quæ teste *Dioscoride l.c.* Casiæ quidem similis, sed medullosus, nec acris, nec odoratus cortex fuit, qualis est crassior ex Cannella sylvestri Malabarica desumptus. Cinnamomum verò additis Casiæ, styracis, & lauri surculis, referente *Plinio l.12. c.20.* Hodie cinnamomum à mangonibus fraudulenter miscetur cum Casia lignea, quæ quadruplo minoris ordinariò constat, vel, cum cinnamomo, prævia coctione aut destillatione exhausto, quo etiam cinnamomi pollen sæpissime corrumpitur. Fraus autem ista solo gustu vel odore facilè detegitur.

§. 7.

Antequam qualitates & effectus Casiæ Cinnamomiferæ exponam, lubet prius illius texturam accuratius inspicere, & ex quibus partibus compositus sit noster cortex, paucis recensere, ut ea, quæ proponenda restant, faciliùs intelligantur. Quemadmodum autem omnis arborum cortex ex innumeris vesiculis membranaceis, subrotundis, & transparentibus, vario humore turgidis & subjectis, quibus adhærent, fibris succiferis & aerivehis componuntur, ita etiam triplex Casia Cinnamomea, microscopio examinata, apparet, foris ex quamplurimis componi vesiculis, seu utriculis talibus, qui ab extima cuticula derasa relicti ac exinaniti, substratos habent multiplices vasorum succiferorum, laxius per fasciculos cohærentium, hisque interpositarum trachearum seu fistularum aëriducarum ordines, per corticis longitudinem productos, & argenteo splendore nitentes, quorum interstitiola replent alii utriculi, condensato humore resinoso, coloris rubinei transparentis & odoris admodum fragrantis, semirepleti, quales etiam, sed numero plures, argenteis adstant vasculis ruffescentis illius pelliculæ, qua interior Casiæ Cinnamomeæ pars obducitur. Et cum pelliculæ hujus utriculi ita sibi invicem inhærere videantur, ut oblongos constituant ductus, sub ferruginearum striarum forma, in Cinnamomi superficie interiore nudis etiam oculis conspicuos, hos ipsos pro vasis resiniferis habui, quibus salino sulphureus humor sub cortice ad folia, flores atque fructus defertur, & in harum partium utriculos deponitur, ubi subtilior ejus pars, Solis calore in tenues vapores resoluta, sensim exhalat, reliqua verò minùs dissipabilis salino gummea restat, & in rubineam, fragrantem & aromaticam resinam condensatur, quæ copiosius in Cinnamomo, parciùs in Casia lignea, & omnium parcissimè in Cannella crassiori s. sylvestri reperitur. Ab hujus excocti humoris difflabili parte deducenda est admiranda Casiæ Cannelliferæ fragrantia, quæ sese non solum per totam Insulam Zeylan extendit, sed etiam spirantibus ventis apogæis per mare longè latèque diffundit, adeò ut navigantes cinnamomi odorem etiam sex vel octo milliaribus à littore percipiant, teste *Jurgen Andersen* Orient. *Reiß-Beschreib. l. 2. c. 11.* A restitæ verò humoris prædicti resinosa parte derivandus est gratissimus sapor, quem linguæ nostræ imprimit cinnamomum penetrantiori suo sale, subtili sulphure mixto, quod gummea mucilagine obvolutum est in Casia lignea, quæ proin degustata linguam blandius afficit, & quendam dulcedinis sensum post se relinquit, uti Cannella sylvestris sale suo pluribus particulis terreis implicato, gustus organum superficietenus saltem tangit atque ita saporem aromaticum leviorem, & magis adstringentem producit. Ex his satis, ut opinor, elucescit, Casiæ Cinnamomeæ qualitates & effectus potissimum dependere à sale volatili sulphureo, seu oleoso, ab adhærentibus mucilaginosis, seu gummeis & crassioribus terreis, paucissimisque salinis acidis fixis (quibus omnes cortices cum ligno gaudent) partibus plus minusve ligato, cujus respectu Cinnamomum calidum in tertio, & siccum in secundo (aliis calidum & siccum in tertio) gradu dicitur, & propterea humores lentos potentiùs attenuare, obstructos vasorum ductus aperire, putredini resistere & cephalicum & alexipharmacum esse perhibetur. Casia verò lignea iisdem qualitatibus imbuta creditur: & denique cum Casia sylvestri. Malabathrum, quod minus aromaticæ resinæ continet, calidum in primo, ac siccum in secundo gradu communiter habetur. Sed quis non videt, infirmo hæc omnia, quæ de gradibus afferuntur, niti fundamento, quod illico corruit, si qualitates illas paulò exactiùs perpendimus, & cum corticum istorum foliorumque viribus, quas in nobis habent, conferimus? Calidum in se esse cinnamomum nego, & tale saltem intuitu nostri corporis esse credo, pro cujus constitutione diversa varios effectus sæpissime producit, & hinc in uno & eodem gradu suum calorem non in omnibus exerit. Idem judicandum de cæteris illius qualitatibus, tam primis, quam secundis, &c. Manifestus quoque error est, quando eadem efficacia attribuitur Casiæ lignea, ac cinnamomo, quod tamen omnium judicio, saporis & odoris est penetrantioris, propterea que subtiliori sale atque sulphure gaudet. Mihi videtur cinnamomum sale volatili oleoso, multis partibus terreis, & paucioribus mucilagineis, pauciſſimisque acidis fixis implicato constare, & eodem in nobis spiritus excitare, humores commovere, ac solidarum partium fibras roborare, hocque modo calefacere, aperire, attenuare, discutere, & præcipuè languentis stomachi atque uteri tonum firmare, viresque labefactatas instaura-

ſtaurare. Caſia verò lignea conſimili ſuo ſale atque ſulphure aromatico, copioſiore tamen mulcilagine velut obducto, in corpore humano paulò remiſſius agit, & ubi modicè calefaciendum, aperiendum, reſolvendum, confortandum, locum invenit, dulci mucagine ſimul humorum actimoniam obtundens. At Caſia ſylveſtris craſſior, præpollente ſua ſubſtantia terrea, pauciori ſale volatili oleoſo imbuta, magis adſtringit, & minus attenuat atque reſolvit, unde prioribus Caſiæ generibus meritò cedit, ac apud nos ratiſſimè proſtat. Malabathrum, quia Cinnamomum odore ac ſapore refert, hujus potiùs, quàm *Spicæ Nardi ſ. Indicæ*, vim & efficaciam, ſed, ob parcius ſal & ſulphur volatile, remiſſorem habet, atque ita iisdem ferme uſibus, quibus Caſia lignea, inſervire poſſit, niſi præſtantioris Cinnamomi copia faceret, ut utroque facilè carere queamus. Nullam enim video neceſſitatem, quæ uſum Caſiæ ligneæ omnino requirat, ſi Cinnamomum in promptu eſt, quicquid alii dicant, qui Caſiæ ligneæ ſingularem in morbis uterinis virtutem gratis attribuunt.

§. 8.

Prius autem, quam Caſiæ Cinnamomeæ ac Malabathri facultates ſingulas, quas in corpore humano exerunt, ordine recenſeã, placet omnia medicamenta ex illis parata & in officinis pharmaceuticis uſualia, commemorare, ut ea, quæ de iisdem in ſeq. traduntur, hinc clariora fiant. Proſtant autem in pharmacopoliis *Cinnamomi Aqua deſtillata ſimplex & compoſita, Tinctura ſ. Eſſentia, Syrupus, Confectio mollis, & ſaccharata ſicca, Oleum ſtillatitium, Balſamum, Elæoſaccharum, Species, Sal fixum & volatile oleoſum*, de quorum præparandi modo pauca hic monenda ſunt. *Aqua deſtillata ſimplex* fit ex Cinnamomo acuto in minima fruſtula diffracto, & vino per triduum infuſo, poſteaque ex cucurbita vitrea in arena deſtillato: quo modo etiam *Aqua Cinnamomi hordeata* obtinetur, ſi loco vini ſumitur decoctum hordei tenuius, cui tamen, ſi aqua Cinnamomi minus ſpirituoſa deſideratur, ſimplicem fontanam præfetrem, vel ſaltem aquam Cannellæ vinoſam ex tempore aqua bugloſſi vel borraginis diluerem, ut ſic laborum fiat compendium. *Aqua compoſita*, & quidem *Cydoniata*, ex Cinnamomi libra dimidia in ſucci cydoniorum recens expreſſi & per ſpontaneam ſubſidentiam depurati tribus vel quatuor per aliquot dies macerata, ac dein ex cucurbita vitrea deſtillata conficitur, in fundo reſtite ſucco condenſato, qui elegantem ſyrupum Cinnamomi cydoniatum ſiſtit, teſte *Wedelio in Pharm. pag.* 68. Ex Cannella, in aqua quatuor florum cordialium aliquandiu infuſa, per deſtillationem fit *Aqua Cinnamomi cordialis Auguſtanorum*, quæ cuivis *bugloſſatæ* vel *borraginatæ*, ſeorſim cum harum plantarum ſuccis præparatæ, eſt anteferenda. Ex floribus recentibus Caſiæ Cinnamomeæ Cyngalenſes aquam deſtillant fragrantem, quæ cochleatim hauſta analepticum & ſtomachicum eſt gratiſſimum. *Tinctura*, alias *Elixir* ſeu *Eſſentia* dicta, ex Cinnamomi fragmentis *SVR* in vaſe probè clauſo infuſis, per digeſtionem fit, & poſt colaturam uſus tempore oleo deſtillato proprio exaltari, vel Eſſentia ambræ ſicca ſpecificari, ſyrupove Cannellæ dulcificari pro lubitu poteſt. *Syrupus* è Cinnamomo craſſiuſculè pulveriſato, & ſtillatitiæ illius aquæ, roſacea dilutæ, per XXIV. horas in loco calido infuſo, & filtrato liquore dein cum ſaccharo clarificato ac ſufficienter inſpiſſato ſuper igne celeri manu permixto paratur: cujus tamen locum in ſelectu M. M. ſupplere poteſt *Syrupus Cinnamomi Cydoniatus*, qui in aquæ deſtillatione ſimul atque gratus habetur. Uterque autem medicamentis cephalicis, cardiacis, atque ſtomachicis ad gratiam ſuperadditur. *Confectio de Cinnamomo Regia Pharm. Norib.* ex Succolada Indica, Nuce Moſchata in India condita, confectione alkermes completa, Eſſentia ambræ ſicca, oleo deſtillato Cinnamomi & roſarum, additis auri foliis concinnata, non ubique venalis proſtat, & rectiùs ex tempore componitur, ne vires per diutinam aſſervationem diſſipentur. *Confectio Cinnamomi ſicca* nil niſi illius fruſtula ſunt, ſaccharo incruſtata, quæ inter bellaria referuntur. *Oleum deſtillatum* ex Cinnamomi aqua ſimplici, paulò fortiori igne prolecta, vel à novo cortice bis vel ter abſtracta, aut etiam è Cannella vino conſperſa, per deſtillationem ex retorta habetur, quod vel *ſubtilius* eſt & ætherеum dicitur, quia aquæ ſpirituoſæ, quacum prodit, innatat, vel *craſſius* in quo major ſalis copia eſt, ob quam ſubſidet & vaſis fundum petit. Hoc *ſal volatile* tractu temporis in oleo Cinnamomi concreſcit in exiguos *cryſtallos*, de quibus videatur *J. D. Major in tr. de lacte Lunæ c. 5. th. 7.* Ex integra verò libra Cinnamomi vix olei drachma prodit, quoniam major olei pars in minimos reſoluta globulos innatat poris aquæ, quæ hinc lacteſcere ſolet, ſi recens deſtillata eſt, poſtea autem clareſcit, ſi globuli iſti in oleum paulatim coiverint. Minoribus igitur impenſis Pharmacopœi hoc oleum à mercatoribus Belgis, qui illud accipiunt ex Inſula Zeylan (ubi quotannis ex recenti cortice in ſat magna quantitate paratur & dein ad nos per mare transfertur) coëmere ſolent, modò genuinum ſit & oleo amygdalarum dulcium non permixtum: quæ fraus tamen facilè detegitur, ſi affunditur ſpiritus ſalis bonæ notæ, qui oleum Cinnamomi mox abſorbet, amygdalino fundum petente. Difficilius autem impoſtorum dolus manifeſtatur, ſi oleum Cinnamomi ſpiritu vini probè rectificato & adjecto ſaponis raſi tantillo (cujus interventu olea ſtillatitia reſolvuntur & cum ſpiritu vini intimiùs miſcentur) dilutum ac adulteratum fuerit. *Balſamum* è nuciſtæ oleo expreſſo, & proprio odore per prævium macerationem in ſpiritu vini privato,

privato, posteaque olei cinnamomi guttulis aliquot imprægnato, levi negotio conficitur: uti etiam *Elæosaccharum*, quod ex tempore paratur, si saccharum olei cinnamomi tantillo irroratur & in mortario lapideo teritur. *Species diacinnamomi Pharm. August. Renov.* ex Cannella, Casia lignea, & pluribus aromatibus, addita radice enulæ, croco, atque saccharo componuntur, quarum tamen locum tragea aromaticæ suo merito complent. Si ex cinnamomo, post aquam destillatione abstractam residuo, & calcinatione in cineres redacto, cum aqua simplici lixivium fit, post filtrationem super igne divaporandum, *Sal cannellæ fixum* obtinetur, cæteris salibus lixiviosis non dissimile, & proinde inter officinarum superflua referendum: non secus ac *sal volatile oleosum cinnamomi*, quod ad *Dispens. Brandenb.* normam, ex ☉ ⊖ ✻ vinosi ℥i. cum ol. destill. cinnamomi ʒß. in vase probè clauso & sæpius commovendo per aliquot dies digesta, ac dein ex cucurbita vitrea igne arenæ destillata confieri potest, sed melius ex tempore, si tale quid omnino desideratur, momentanea mixtione ⊖ vol. C. C. cum olei destillati Cinnamomi guttula una vel altera paratur, licet mihi speciosum magis, quam necessarium videatur medicamentum, quod officinis pharmaceuticis optimo jure exesse poterit. Plura medicamenta ex cinnamomo in Zeylan conficiuntur, quæ apud nos nunquam, vel rarissime prostant, qualia sunt *Casura*, quæ ex corticibus radicum arboris Cannelliferæ siccatis, contusis, aquæ immersis ac per alembicum destillatis habetur, & sub olei forma prodit, post refrigerationem autem prolecti phlegmatis spirituosi, ex parte in candidi salis crystallos coagulatur. Talis Cafura sine dubio etiam ex his corticibus recentibus & propria aqua, cafuram olente, quam radices incisæ profundere solent, imbutis, consimili methodo, extrahi potest, aromatico cannellæ sale atque sulphure simul fœta, & hinc communi cafuræ meritò præferenda. *Aquam istam destillatam casuratam* Medici in Zeylan pro sudorifero in febribus continuis atque malignis cochleatim cum felici successu propinant. *Oleum* autem atque *Casuram* inde collectam pro aperiente, resolvente, discutiente, sudorifero, cephalico, nervino, analeptico, stomachico, & antarthritico, intus atque extus utiliter adhibent. 2. *Oleum*, caryophyllorum aromaticorum odorem ac saporem habens, ex recentibus arboris Cannelliferæ Zeylanicæ *foliis*, affusa aqua simplici, destillatur, quod in prolecto liquore ob permixti salis abundantiam similiter subsidet. Hujus loco oleum caryophyllorum aromaticorum nobis esse poterit. 3. *Oleum* ex canellæ Zeylanicæ *fructibus*, nondum perfectè maturis, contusis, & cum aqua fontana ex alembico destillatis, sub phlegmatis vehiculo, prodiens, juniperino sapore, odore & efficacia est simile, relicta in alembici fundo materia pingui, ceracea atque viridi, qualis etiam 4. *Sebum* sua consistentia & albedine referens, ex *maturorum fructuum nucleis* exprimitur, odoris fragrantis, ex qua candelæ, unguenta, & emplastra resolventia, nervina, cephalica, stomachica, & carminativa conficiuntur, sebo isto pro usibus domesticis in lampadibus olei, & pro Medicis, in unguentis & emplastris ceræ vices sustinente. 5. *Balsamum Cinnamomi* viride & instar butyri liquabile, sine pinguedinis alterius additione, teste *H. N. Grim.* in *laboratorio Ceylanico* paratum, quod per se, vel cum aliis à ℈ß ad ʒi. tam internè, quam externè adhibitum, insignem effectum præstare dicitur, &, me judice, ex sebacea immaturorum cinnamomi fructuum pinguedine, oleo destillato cannellæ & radicum cafurato sale saturata componitur. Et licet præcitatus *Grim l. a.* referat, se hujus balsami præparandi modum, ut rem maximi momenti, citra Societatis Indicæ detrimentum, manifestare non posse, Auctori tamen hoc arcanum lubenter relinquimus & antedictis è cannella confectis medicamentis, quibus nostræ officinæ jam abundant, satis superque contenti, reliquis è Casiæ Cinnamomeæ radice, ligno, (alias in loco natali foco destinato) foliis, floribus, & fructibus concinnatis remediis variis, *Aqua seil. destillata, Spiritu, Essentia, Oleo, Syrupo, Conserva, Extracto*, &c. de quibus vide *laboratorium Ceylanicum & Acta Med. Haffn. vol. 5. obs.* 91. in tanta cinnamomisatorum & cafuratorum medicamentorum copia non indigemus. Ex *Casia lignea* in Malabar *oleum* eodem, quo ex cinnamomo, modo prolicitur, quod odore atque gustu mixturam ex cannellæ & cafuræ refert, teste *A. Cleyero* in *Misc. Nat. Cur. Germ. d.* 11. *a.* 4. *obs. VI.* Neutiquam igitur æquiparari, multò minus præferri debet hoc oleum cinnamomeo, utut hoc fecerit *A. Sala* in *append. Hydrel. c.* 4. & *J. Hartman.* in *not. ad Crollii Basil. Chym.* aliique, quos ipsa experientia refutat. Ex radicum corticibus similiter Cafura aromatica obtinetur, quæ Borneensi tamen postponitur. Apud nos *tinctura* ex Casia lignea beneficio aquæ cinnamomi vinosæ elicitur, & *Syrupus* nonnunquam paratur, ad *H. Mynsichti* præscriptum, in *Armament. Med. Chym. p. m.* 48. & 260. Conf. *le Mort Chym. p. m.* 54. sed horum medicamentorum usus in hodierna praxi rarior esse solet, quoniam illorum loco cinnamomum majori cum emolumento adhibetur. Ex foliis recentibus Casiæ lignæ, seu *Malabathro* aquæ infusis per destillationem etiam habetur *Oleum* virideſcens, saporis aromatico-dulcis & mordacis, odoris cinnamomei tenuis, quod in proprio phlegmate subsidet, ita ex aliis referente *J. Rajo* in *hist. Plant. t.* 2. *fol.* 1561. *Cinnamomi sylvestris* cortices, à radicibus desumpti, per destillationem *sal* præbent *volatile oleosum*, quod myrrhæ saporem & odorem habet, aquæ, cum qua prodit, sub forma crystallisati salis innatans, ceu testatur *Grim.*

in *laboratat. Ceylan. & M. N. C. G. d. 2. a. 3. Obſerv. CCIX.*

§. 9.

His præmiſſis ad ſalutares Caſiæ Cinnamomeæ effectus, quos in morbis capitis, pectoris, infimi ventris, & artuum, ipſorumque humorum, præſtare dicitur, ordine recenſendos me nunc accingo. Et cum ſuprà monuerim *Caſiam Cinnamomeam*, quæ *Cannella Zeylanica* vocatur, ſal volatile penetrantius & ſulphur aromaticum ſubtilius, partibus terreis copioſis, & paucioribus mucilagineis implicatum, poſſidere, *Caſiam ligneam* autem blandiori ſale atque ſulphure aromatico, dulci mucagine velut obducto, pollere, *Cinnamomum* tandem *ſylveſtre craſſius* quamplurimis partibus terreis, parciori ſale volatili oleoſo imbutis conſtare, facilè hinc colligi poterit, majorem in morbis enumerandis efficaciam ineſſe Cinnamomo Zeylanico, minorem Caſiæ lignæ, & minimam Cannellæ ſylveſtri craſſiori, quæ potentiùs adſtringit, quam reſolvit, atque ita eam, quam Cinnamomo genuino debemus, laudem non meretur. Abefficaciori igitur initium facio, & *Cinnamomum Zeylanicum*, ob ſal volatile oleoſum penetrantius, in *morbis capitis* à ſeri colluvie, vel ſtaſi, ſpirituumque penuria, aut ſuppreſſione productis utile eſſe, multiplici Practicorum experientia edoctus aſſero, ſed non tam per ſe adhibitum, quam aliis idoneis medicamentis aſſociatum. Et hinc *Species diambræ completæ, aromaticæ, caryophyllatæ Officinarum*, quibus Cinnamomum & Folium Indum ſuperadditur, nec non *Cephalicæ F. F.* à *Schröd. in Pharm. p. m.* 267. & à *F. Hoffmanno in Clave p.* 110. correctæ, in dict's affectibus capitis utiles ſunt, maximè ſi ſub pulveris potius quàm rotularum ſaccharatarum forma, cum vino dantur, modò caveatur, ne in horum calidiorum uſu excedatur, ut in ſeq. monebo. Locum quoque invenit Cinnamomum in *aquis cephalicis, & apoplecticis, epilepticis, anticatarrhalibus & Anhaltina Officinarum*, uti oleum Cannellæ deſtillatum in *balſamis vitæ & apoplecticis*, quæ tamen illo omiſſo neutiquam deteriora ſunt. Aſt in Zeylan & Malabar pulvis foliorum atque florum Caſiæ Cinnamomiferæ contra vertiginem cum ſaccharo datur, ut patet ex *Horti Malabarici l. a.* E floribus autem recentibus *conſerva* cephalica, reficiens, & ſtomachica parari poteſt, de qua videatur *Grim. laboratorium Zeylanicum.* Sed major vis Cinnamomo eſt in *morbis pectoris*, quia cor robare dicitur, dum ſale ſuo aromatico volatili non ſolum ſpiritus magis expandit, ſed etiam humores per ſua vaſa fluentes reſolvit, ut alacrius in corpore circumire, ac viſcerum coctiones atque ſecretiones promovere queant. Si igitur ex ſanguinis coagulo, vel intercluſis flatibus cor palpitat, aut à ſuo motu ad tempus planè ceſſat, ut animi deliquium ſuperveniat, Aqua Cinnamomo cum vino deſtillata, vel cordialis *Auguſtanorum*, ad cochlear unum vel alterum exhibita, item eſſentiæ cochlear dimidium, cum vino datum, præſentaneam opem fert, modò Medicus, palpitationis cordis & lipothymiæ cauſam priùs ſatis cognoverit. Hæc enim ſi ex hypochondriis ſuum traxerit ortum, ut ſæpiſſime fieri ſolet, remedia antiſpaſmodica Cinnamomo permixta requirit, qualia ſunt in paroxyſmo, corde admodum palpitante, *pulvis abſorbens Wedelii* unica olei deſtillati Cinnamomi guttula irroratus, cum *aqua cordiali Offic.* aſſumendus, non neglecto externo *balſami Cinnamomei* litu ad ſcrobiculum cordis. *Species cordiales temperatæ, diamargariti calidæ, diamoſchi, diaxyloaloes* & conſimiles, Cinnamomo gravidæ, cum hujus aqua deſtillata dandæ: lipothymia verò præſente *balſamum vitæ Schröderi, Spiritus ☉ci vinoſus* ex tempore *Cinnamomiſatus* cum *aqua carbunculi*, quæ Cannellam quoque recipit, ad guttas XX. vel XXX. præbendus: extra paroxyſmum autem utroque in caſu alia conveniunt, ex gr. ℞ *balſam. Wedel. ℈ata, Ludovici hellebarata &c.* per plures ſeptimanas cum aqua Cinnamomi ſimplici, vel compoſita cordiali in uſum vocanda. Quin etiam quovis ægrotantium languore pellendo, Aqua Cinnamomi cordialis egregiè prodeſt uti in convaleſcentium viribus inſtaurandis *Regia illius confectio* ex *Pharm. Norib.* ſuprà paucis deſcripta, quæ ad nuciſtæ magnitudinem interdiu per vices deguſtanda, ut & *Confectio alkermes*, cujus ſpeciebus Cannella ſemper additur, ſub paulò minori doſi ſumenda. *Ex morbis infimi ventris* primò conſiderandi *ſtomachici*, qui ex ventriculi atonia & cruditate pituitoſa proveniunt, uti ſunt *lienteria, anorexia, dyſpepſia, nauſea, vomitus, ructus, & inflatio ſtomachi*, in quibus affectibus medicamenta Cinnamomiſata admodum ſunt proficua, nominatim *Aqua Cannellæ Cydoniata, Eſſentia, Elæoſaccharum* & *ſpecies diacinnamomi, pulvis ſtomachicus Birckmanni & Wedelii, ſpecies pro morſulis Imperatoris, Tragea aromatica Offic. Elixir. vitæ Matth. Aqua vitæ Offic., maſtychina, ℞ aromatica in Le Mort Chym. p. m.* 153. deſcripta, *Elixir ☉ſi Mynſichti, Eſſentia carminativa Wedelii*, & alia, quorum ſale inciſivo aromatico, multis particulis terreis ſubadſtringentibus inhærente, viſcidior ſtomachi mucus attenuatur, & eodem obſtructi glandularum tubuli, lympham gaſtricam emittentes, reſerantur, ſimulque laxatæ hujus viſceris fibræ modicè adſtringuntur, quo ipſo priſtinus eidem tonus atque vigor brevi reſtituitur, maximè ſi externè ſimul ſcrobiculo cordis balſamum ſtomachicum, ex oleo expreſſo nuciſtæ, ♃ menthæ, Caryophyllorum, Cinnamomi, &c. inungitur, vel ſaltem Caryophyllorum & Cannellæ pollen cum cruſta panis toſta & calente, vino madefacta, imponitur. In Zeylan *Oleum è Cannellæ foliis* prolectum Caryophyllatum extus & intus pro ſtomacho

macho confortando adhibent, nobis noſtrum è caryophyllis aromaticis deſtillatum idem præſtat. *Ros ſolis* ſtomachicus & reficiens ex cinnamomo & aliis gratioribus aromaticis, ſpiritus vini, aqua roſarum diluto, infuſis, ſaccharo ad gratiam adjecto, ab Italis paratur, qui cunctarum deliciarum epitome audit, qualis eſt ſequens *Ros ſolis Taurinenſis*, odoris & guſtus ſuavitate celebratiſſimus cujus deſcriptionem communicavit *D. Spleiſſ.* in *not. ad ZAPATÆ mirabilia pag.* 39. Rec. ol. cinnam. caryophyl. ligni Rhodii ā. ℈ß. Moſchi, Ambræ, ā. gr. ij. ſacchari, ▽ roſar. ſpiritus vini, ā. ℔j, mixta ſ. a. filtrentur. Quodſi verò colorem gratum quoque deſideras, ſantalum rubrum filtro priùs immitte. Huc referendum eſt vinum aromatibus infuſis conditum, & ſaccharo edulcoratum, à manica, per quam filtratur, *Hippocraticũ Offic.* dictum, quod ex cinnamomo, cardamomo, zingibere, corticibus citri & caryophyllis conficitur, & pro ſtomachico modicè bibitur. Tale vinum, ℞ *Hippocraticæ* inſtillatione, ex tempore parare docet *le Mort* in *Chym. p. m.* 153. *Morbi inteſtinales*, in quibus laudatur cinnamomi & medicamentorum inde præparatorum uſus, ſunt *Colica flatulenta*, in qua *Spiritus carminativus Sylvii*, vel *Eſſentia carminativa Wedelii* cum ℞ cort. aurant. & *olei* ♃ *cannellæ guttula* mixta & in ▽ *phyſagoga* ſumpta, flatus egregiè diſcutit: quod etiam facit foliorum cinnamomi pulvis, cum ſaccharo datus, teſte *Grim.* in *labor. at. Zeylan. Alvi fluxus ſeroſus* ex ſoluto inteſtinorum tono, vel glandularum plexiformium, oſculorum ve lacteorum laxitate nimia, aut irritante humorum acrimonia, vel etiam *hypercatharſi* proveniens: quo in caſu ▽ *cinnamomi cydoniata*, per ſe, vel cum *theriacali ſimplici* mixta, *decoctum C. C. uſti infuſo cinnamomo medicatum, lac cum cannella coctum*, ℞ *roſ. r. cinnamomi ſata*, ſeu ex his floribus & cinnamomo ▽ fervidæ per noctem infuſis, filtratis, poſteaque ſaccharo edulcorata parata, laudari merentur. *Affectus uterini* Caſiæ Cinnamomeæ, ob ſal, quo turget, volatile reſolvens & aperiens, cedentes, ſunt I. *Obſtructio menſium*, quæ præmiſſo emetico & pulvere anticachectico ex cinnamomi parte una, & duplo ſacchari, quadruploque limaturæ chalybis in pollinem redactæ, compoſito, per aliquot ſeptimanas cuſpidatim cum ▽ meliſſæ præbendo, tandemque inſtante catameniorum periodo in uſum vocato potu emmenagogo, ex herbis rorismarini, pulegii, ſabinæ, corticibus aurantiorum, cinnamomo, caryophyllis, mace, croco, & baccis lauri vino infuſis, ſæpiſſime tollitur, niſi inveterata fuerit. Nec obſtat, quod in *M. N. C. G. d.* 1. *a.* IX. & X. *obſ. XXXV.* legimus, decoctum ex cinnamomi uncia, cum duabus boni vini libris vaſe clauſo paratum, pluries in *menſium fluore nimio* bis de die cum ſucceſſu fuiſſe hauſtum: quandoquidem hic effectus cinnamomi partibus terreis manifeſtè adſtringentibus potiſſimum ſit adſcribendus. *Cinnamomi* enim *decoctum* magis adſtringit, *infuſum* attenuat atque reſolvit. Prius faciunt cannellæ partes ſalinæ, fixæ, & terreſtres coctione copioſiùs prolectæ: poſterius ſalino ſulphureæ volatiles digeſtionis adminiculo ab affuſo menſtruo ſolutæ. II. *Abortus*, quem præcavet ſubtili ſuo ſale atque ſulphureo blando, particulis terreis implicato, ſpirituum ac humorum motum tam inteſtinum quam progreſſivum in æqualitate conſervando, & ſimul viſcerum, præſertim uteri, tonum firmando, hocque modo matris & tenelli fœtus corpus roborando: in quem finem, poſt VSnem, medio geſtationis tempore inſtitutam, conducit *pulvis* ad *abortum* ſequens: ℞. *corall. r. præp.* ʒj. *cinnam. acuti, granorum kermes optim. ana* ʒß, *ſmaragdi præp.* ℈j. *Nucis Moſchatæ* ℈ß. *m. f. p.* de quo ℈j. quovis mane cum cochleari uno ſubjuncta *aquæ confortantis*, quam *D. Ludovici*, in *pharm. p. m.* 258. *balſami embryonum* loco gravidis commendat, exhiberi poterit ℞. ▽. *cinnam. opt. p. ij, menthæ ſpiritus p. j. apoplecticæ p.* ß. m. III. *Partus difficilis*, quem æquè ac ſecundinas remorantes promovet cinnamomum, ſale ſuo volatili aromatico ſpiritus exſuſcitando, atque ita deficientes parturientium niſus provocando, præcipuè ſi cannellæ pulvis cum borrace atque croco, oleique ſuccini guttula in ▽ cinnamomi cordiali & hyſterica caſtoreata propinetur. IV. *Lochiorum fluxus* poſt partum *diminutus*, vel penitus *ſuppreſſus*, ob ſtagnationem humorum in utero, quos egregiè reſolvit, mixtura ex ▽ pulegii, meliſſæ, cinnamomi ſimplicis, antihect. *Poter.* ſpecif. ceph. *Michaëlis*, & olei ♃ ſuccini guttula una vel altera, cochleatim exhibenda, vel pulvis ex ♁ diaphor. & ſuccini albi præp. part. æq. cum aliquot ♃ nativæ granis & ♁ ♃ cinnam. guttula, in ▽ lil. alb. & artemiſiæ tantillo eſſentiæ caſtorei imbuta dandus. *Morbi artuum*, in quibus medicamenta è Caſia Cinnamomea confecta commendantur, ſunt *paralyſis*, ad quam pro tollenda nervorum obſtructione, internè ⊖ vol. ♁ ſum cinnamomi, cum balſamo vitæ mixtum, externè membrorum reſolutorum, ac ſpinæ dorſi frictiones atque litus cum ſpiritu lumbricorum terreſtrium, ⊖ ✻ci ⊡ſo, eſſentia caſtorei, ♁ ♃ ſuccini, caryophyllorum & cinnamomi laudantur. In ea verò paralyſeos ſpecie, quæ Indis infeſta *Beriberi* dicitur, oleum ſebaceum, è nondum perfectè maturis arboris cannalliferæ glandibus coctum, & caſura oleoque ♃ cinnamomi probè imbutum, membris affectis ſalubriter inungitur, ceu refert *Grim.* in *M. N. C. d.* 2. *a.* 3. *obſ.* 209. Videtur autem mihi cinnamomum in affectibus paralyticis aliis penetrantioribus nervinis poſtponendum eſſe. *Arthritis vaga atque fixa*, cujus dolores oleum caſuratum è corticibus radicum Caſiæ Cinnamomiferæ ♃ tum

articulis illitum, brevi ſopire dicitur. Arcum hoc oleum apud nos rariſſimum ſit, illius loco caſura communis in ſpiritu vini diſſoluta, & croco, ſi lubet, tincta, ſubſtitui poterit, tam in *arthritide*, quam in *gangræna* partium carnoſarum, ad quam iſtud oleum non minùs quàm cinnamomeum commendari ſolet, licet utrumque ob raritatem & caritatem hodie vix adhiberi queat. *Oſſium caries* facilè cedens oleo ℞ cannellæ, cum oleo ſublimato mixto, quo remedio in ſegregandis celeriter oſſibus nil convenientius vidit *N. Tulpius*, uti teſtatur in *obſ. Med. l. 1. c. 37. p. 70. Dolores & tumores* nervoſarum partium è frigore, contuſione, diſlocatione, aut humorum viſcidorum congeſtione producti, quos diſcutit oleum tam caſuratum antè dictum, quàm ſebaceum, è fructibus arboris cinnamomiferæ coctum, quod Cyngalenſes pro anodyno mitiſſimo & ſingulari reſolvente per ſe, vel cum aliis competentibus, extus adhibent, noſtrates autem hujus loco *SVR*, caſura, croco atque myrrha imbutum, eodem, ſi non majori, cum effectu in iisdem affectibus in uſum vocant. *Morbi* denique *humorum*, quos tollere dicuntur remedia cinnamomiſata, ſunt *cachexia* atque *Chloroſis*, quæ non quidem ſoli cinnamomo, ſed Martialibus & aliis reſolventibus ſociato, præmiſſis univerſalibus, plerumque cedit: hinc *pulvis cachecticus Quercetani & Wedelii* in his affectibus, ac conjunctis ſæpe viſcerum obſtructionibus, proficuus exiſtit. His accenſendæ *febres continuæ* atque *malignæ*, in quibus cinnamomi aqua pro reficiente & analeptico, caſura autem cinnamomea pro ſudorifero alexipharmaco, feliciter adhibetur: quamvis apud nos in poſterioris defectu, caſura communis eodem cum ſucceſſu detur, maximè ſub pulveris bezoardici vel Anglici & ☿ depurati connubio. Quin etiam in ipſa *peſte* cinnamomi virtus alexipharmaca, quæcunque demum eſt, à Medicis paſſim celebratur, & propter eam cannella *theriacæ Andromachi, cæleſti, Mithridatio, Diaſcordio Fracaſtorii*, ℞ *bezoardicæ, pulveri Pannonico rubro*, & aliis antidotis ſuperadditur, licet harum effectus non tam cinnamomo, quam cæteris ſimplicibus ſalino ſulphuris, aromaticis & abſorbentibus terreis invicem permixtis, & ſub iſta miſcela medicamentum ſudorifero-anodynum conſtituentibus, ſit attribuendus. Cæterum ex cinnamomi acuti & confracti ʒß. in ▽ ferventis menſuris duabus vaſe probè clauſo infuſa, gratiſſimus conficitur *potus*, qui non tantùm colore, odore & ſapore, ſed etiam virtute ſua analeptica, ſtomachica, & modicè adſtringente, in cordis & ventriculi debilitate, alvique fluore ſeſe commendat. Quosdam per omnem vitam hoc *cannellæ infuſum* pro potu ordinario bibiſſe, & corpore ſatis valentes, extremam ſenectutem attigiſſe, alios quibus imbecillior fuit ſtomachus, idem quovis in paſtu vino admiſcuiſſe, & hoc modo ſuæ infirmitati conſuluiſſe à fide dignis mihi relatum fuit. Sed nolo hæc, ob brevitatis ſtudium ulterius proſequi, nec prolixiùs recenſere, quo modo cinnamomi pulvis, oleum, aqua deſtillata, ℞ vel Eſſentia, & cætera illius præparata, aliis medicamentis purgantibus, cephalicis, cordialibus, ſtomachicis, carminativis, uterinis in & externis, & quibus non? tum pro gratia, tum pro virium exaltatione permiſceri ſoleant, cum de his pleni ſint Practicorum libri. Sufficiat paucis oſtendiſſe, in quibus affectibus corporis humani cinnamomum utiliter adhiberi queat. Reſtat nunc ut brevibus etiam *Caſiæ lignea* & *Malabathri*, nec non *canellæ craſſioris* facultates exponam. *Caſia lignea* & *Malabathrum* in iisdem morbis, quibus cinnamomum laudatur, licet remiſſius agat, ob ſuam mucilaginem, humores acres nonnihil obtundit, uti ſale ſuo volatili aromatico viſcidos reſolvit: unde non ſolum in *cephalalgia pituitoſa* & *capitis debilitate*, à defluxionibus catarrhalibus, *cordis palpitatione, ventriculi languore*, & *menſtruorum ſuppreſſione*, verum etiam in *tuſſi, aſthmate, fluxu albo, ſtranguria* & *dyſuria* commendatur, imò quamplurimis medicamentis *cephalicis, cardiacis, pectoralibus, ſtomachicis, carminativis, nephriticis, uterinis, alexipharmacis*, nominatim ▽ *benedictæ ſerpilli, ſpeciebus aromaticis, caryophyllatis, diaxyloaloes, de gemmis calidis, dianiſu Meſuæ, diatrion pipereon Ejusdem, lithontripticis, ſyrupo de artemiſia compoſito, theriacæ, Mithridatio, Orvietano &c.* ſuperadditur. *Oleum* præterea ℞ *tum Caſiæ lignea* externè in *arthritide vaga* membris dolentibus inungitur, referente *Cleyero in M. N. C. d. 2. a. IV. obſ. VI.* internè verò cum ſaccharo vel aliis competentibus remediis, in *cordis, ſtomachi, & uteri morbis* ſuprà recenſitis (licet rariſſimè) guttatim exhibetur, uti ℞ *caſiæ lignea* cochleatim, & *ſyrupus* illius unciatim. Quæ de *Caſura Cinnamomea* retuli, hic quoque de ea ſubintelligenda ſunt, quæ ex Caſia lignea ignis vi elicitur. *Oleum è Malabathri foliis* ℞ *tum* in pellendo *ſtomachi languore* cinnamomeo eſt multò debilius, & in noſtris oris albo corvo rarius. Ex *canellæ ſylveſtris foliis* in ▽ coctis Malabathri balneum contra quoscunque *articulorum dolores* parare ſolent, uti è radicum cortice, cum cardamomo & Nuce moſchata in ▽ decocto *potum*, quem ad *ventris tormina* bibunt, c. traditur in *Horti Malabarici t. 5. l. a. Sal* autem *volatile oleoſum* & quaſi *myrrhatum* ex eodem cortice per deſtillationem prolectum, & in ſpiritu vini ſolutum, poſteaque ad ϑß. in juſculo datum, per ſe, aut elixirio proprietatis dulci loco myrrhæ adjectum, in *ſtomachi debilitate, & febribus intermittentibus* proficuum eſſe toties citatus *Grim* in *M. N. C. d. 2. a. 3. obſ. 209.* teſtatur. Sed his omnibus longè præferenda ſunt medicamenta è cinnamomo parata, quoniam efficaciora

ciora

ciora sunt, & sub dimidiata dosi, in iis casibus, ubi blandius aromaticum desideratur, idem imò plus præstant, quam Casia lignea, quæ, si ob mucilaginem suam attemperantem omnino requiritur pro usibus Medicis, per me in paulò diffusiorem remediorum apparatum reponi poterit: licet cinnamomum cum *gummi Arabico* proportionatè mixtum, aut in illius solutione maceratum, Casiam ligneam suis qualitatibus facilè adæquet. Supereſt, ut de Cinnamomi *usu domestico* atque *culinario* pauciſſima subjungam. Ex *ligno* in Zeylan, Malabar, & cæteris locis cinnamomiferis focus & ædificia exstruuntur, ex *foliis* & *floribus* recentibus aquæ odoriferæ destillantur, ex *fructibus* maturis oleum sebaceum pro candelis & lampadibus excoquitur, ex *cortice* crassiore lævigato & polito varii generis theeæ, scipiones, & alia ferinia, auro vel argento sæpe exornata, artificiosè conficiuntur, & ad majorem odoris gratiam oleo destillato cinnamomeo illinuntur, de quibus videatur *Walther Schultz Oſt-Indianiſche Reiſs-Beſchreib. l. 2. c. 20. Philip. Baldæus* in *deſcript. Inſulæ Zeylan c. 50.* & alii plures. In *culinis* cinnamomo confracto, vel in pollinem redacto, cum vel sine aliis aromatibus ipsoque sacchato, varii generis jusculà, pulmenta, embammata, gelatinæ, carnes, pisces &c. condiuntur, de quibus artis coquinariæ libri videantur.

§. 10.

Quod tandem cinnamomi *abusum* atque noxam attinet, peccant, & delicti pœnam in proprio corpore luunt, quotquot cinnamomo, seu frequentius ore manso, pro commendando oris halitu, seu in cibis medicamentisve assumpto nimis indulgent: quod illi maximè faciunt, qui vinum cum cannella, caryophyllis, & macere calefactum, & saccharo edulcoratum, vel etiam essentiam cinnamomi, indeque paratum rorem Solis, aquam vitæ, & vinum Hippocraticum, quovis mane, aut post pastum quotidie, sæpeque largiter hauriunt: item qui præservationis, ut ajunt, gratia salia volatilia oleosa & cinnamomisata crebrò citra necessitatem, præsertim in pastu, vel post eum, assumunt, quoniam his calidioribus stomachi digestio turbatur, spiritus & humores nimis commoventur & ex parte dissipantur, cephalalgia, narium hæmorrhagia, sputum sanguineum, cordis palpitatio, anorexia, colica flatulenta, diabetes, mensium, vel hæmorrhoidum nimius fluxus, calor totius corporis vagus, & alia mala inferuntur: quæ omnia facillimè juvenibus, literatis, præsertim hypochondriacis, & scorbuticis, fœminis hystericis, cæterisque, quibus caput debilius ac nervorum systema tenerius est, accidere solent. Sunt nonnulli, qui ex idiosyncrasia cinnamomi & casiæ ligneæ odorem vel saporem nullo modo ferre possunt, quales in sequiore sexu reperiuntur plurimæ; ad quas etiam referendà est illa mulier, cujus mentionem fecit *R. Boyle* in *Experim. & obſ. Phyſ. cap. 4.* quæ ab assumpto cinnamomo enormem hypercatharsin passa fuit. Rectè hinc faciunt Medici practici, qui in præscriptione cinnamomi, & remediorum inde paratorum, vel consimilium aliorum, priùs solicitè inquirunt, num æger talia ferre possit, ne ex illorum improvido usu eidem damnum inferatur.

DISPUTATIO IV.

DE

SANGUINE DRACONIS,

D. JOH. FRIDERICI OCHSII.

SECTIO I.

De

Natura, Origine ac Differentiis Sanguinis Draconis.

§. 1.

SOlent equidem communiter in Dissertationibus Academicis multa rei pertractandæ nomen concernentia præmitti, mihi verò integrum erit *realem* priùs mei Thematis *definitionem*, si non exactam, saltem perspicuam, quoad potero, descriptionem in medium proferre. *Est igitur Sanguis, sic vulgò nuncupatus, Draconis substantia gummeo-resinosa, friabilis, coloris nigricantis, si verò teratur, sanguinei ac rubicundi, odoris debilis, quodammodo resinosi, saporis terreo-subadstringentis, modò in panes seu offas congesta, modò in minores massulas pruniformes & interdum cylindricas coacta, foliis junceis involutas.*

§. 2.

Hic ſtatim animadvertendum venit, hanc modo deſcriptam materiam eſſe ipſiſſimum Κιννάβαρι *Dioſcoridis* aliorumque Græcorum; Noſtram vero cinnabarim ἄμμιον ſive minium illorum. Diſerte enim apud Dioſcoridem (*a*) erroris arguuntur, qui *veram cinnabarim*, quam ipſe à nonnullis propter colorem αἷμα δράκοντος (Sanguinem Draconis) appellari perhibet, cum minio, ſive *moderna cinnabari*, confundunt: cum de cætero ſuæ cinnabari plures notas ipſe tribuat, quas noſtro *Sanguini Draconis* antea adſcripſimus.

§. 3.

Sed ut ad ulteriorem Thematis mei explanationem progrediar, operæ pretium eſſe puto, ſingula ſuperius traditæ conciſæ deſcriptionis membra paulo fuſius explicare. Et primo quidem, cum *Sanguinis Draconis ſubſtantiam gummeo-reſinoſam* pronunciaverim, id variis experimentis comprobare licet. Notum autem eſt *Gummi* nomine generatim indigitari *lachrymam vegetabilem* inſpiſſatam, quæ à menſtruo aqueo in mucilaginem ſive lentorem viſcoſum reſolvitur, neutiquam vero in liquore ſpirituoſo, multoque minus in oleo diffluit, nec igni admota flammam concipit. Contraria vero omnia circa *reſinam* uſuveniunt; hæc enim aquæ nullum, ſpirituoſis vero & oleoſis liquoribus facilem acceſſum pro ſui ſolutione concedit, & igne ſatis prompte liquatur & exardeſcit. Jam vero plures dantur lachrymæ ſive ſucci, ex plantis vel ſponte fluentes, vel arte prolecti, naturæ & ſubſtantiæ partim gummoſæ, partim reſinoſæ, quibus eapropter *Gummi-reſinarum* titulus recte tribuitur. Hujus generis omnino etiam eſt *Sanguis* noſter *Draconis*; neque enim aqueis, neque ſpirituoſis aut oleoſis adeo obtemperat menſtruis, ut ab alterutro eorundem ſolo perfecte ac centraliter diſſolvatur, ut potius aqueum menſtruum reſinam, ſpiritus vero gummi liberum in fundo vaſis relinquat: Præterea igni commiſſum iſtud concretum liqueſcit quidem & inflammatur, ſed ferè difficilius & non parum materiæ à combuſtione reliquum facit. Quare *Sanguinem Draconis* eſſe mixtam, ſive gummeo-reſinoſam ſubſtantiam ad oculum quam clariſſimè patet.

§. 4.

Illud porrò neminem fugit, qui unquam propius conſideravit *Sanguinem Draconis*, quod minime tenax & ductilis, aut calore manuum emollienda, ſed *rigidior* atque *friabilis* ſit ejus *ſubſtantia*: cujus phænomeni ratio partim à remixtis largiter gummoſis particulis, partim etiam inde dependet, quod reſina hujus mixti per ſe eſt *fixior ac terrea*, paucis ſubtilioribus oleoſis atomis prædita, unde etiam *odoris debilitas*, & *coloris tam prompta* per diverſi generis liquores *diffuſio* deducenda videtur.

§. 5.

Ipſe vero *color*, in maſſa ſibi relicta & integra, eſt *obſcurior ac nigricans*, levi tamen attritu comminutis quibusdam portionibus exaltatur in *rubicundum*, qualis fere eſt *nativæ ſeu foſſilis cinnabaris*; ut hinc præcipue nata appareat memorata ſupra *confuſio Sanguinis Draconis cum cinnabari*, quam hodie ſic appellamus. Cæterum *coloris* intuitu ſuam cinnabarim, ſive noſtrum *Sanguinem Draconis Dioſcorides* βαφύχρων ἢ βαθύχρων, i. e. *auſterum ſive triſtem & profundum* vocat. Eſt autem τὸ βαφὺ in coloribus maxime *preſſum & ſaturum*, & quadam *coloris triſtitia profundum*, cui æquipollet βαθύχρων, opponitur verò τὸ ὀξὺ ἢ ἰανθὲς χρῶμα, i. e. *clarus ſeu floridus, multoque lumine excitus color*: quam in rem prolixe admodum commentatus eſt *Claudius Salmaſius* (*b*). Et profecto *Sanguis Draconis* optimus quisque, quomodocunque tritus fuerit & comminutus, *obſcurum* iſtiusmodi ac minus lætum præ ſe fert *ruborem*, qualis fere eſt alicujus *cruoris*, niſi adjectione quorundam Salium is exaltetur; de quo artificio infra nonnihil commemorabo, hoc interim non prætermittens, iſtam coloris conditionem in *Cinnabari* vel *Sanguine Draconis* jam olim bene perſpectam fuiſſe *Plinio* (*c*) aſſerenti videlicet, *non alium eſſe colorem, qui in picturis propriè Sanguinem reddat, quam illum ipſum cinnabaris Indicæ, aut noſtri Sanguinis Draconis.*

§. 6.

Reliqua, in deſcriptione ſummaria §. 1. hujus Diſſertationis contenta, quæ *formam externam* ſeu *figuram Sanguinis Draconis*, ex arbitrio hominum colligentium factam, concernunt, alio in loco perpendenda, hic prætereo, & ad *originem* iſtius concreti declarandam feſtino. De hac nihil habet *Dioſcorides*, niſi quod *ex Africa deferri, à quibusdam*, propter toties nominatum colorem, *Sanguis Draconis eſſe exiſtimetur*, cui tamen opinioni ſuum calculum addiſſe *Dioſcorides* haud apparet. *Plinius* autem liberè ſtatuit eſſe revera *ſaniem Draconis eliſi elephantorum morientium pondere, permixto utriuſque animalis ſanguine.* Verum enim vero, ſicut in hunc usque diem nemo inventus eſt, qui iſtam Draconis cum elephanto pugnam, hujusque dictum modo effectum ſuis oculis unquam viderit, ſic meritò exploditur antiqua fabula; cui quidem excogitandæ occaſionem dediſſe ſagaciter exiſtimat *Marcellus Vergilius* (*d*) ingens pretium illius rei, ex locis ab Europa longè diſſitis advectæ, *cum ſæpè ſoleant novitate & miraculo aliquo mercium ſuarum pretia augere mercatores.* Taceo, quod tantum non in univerſum

(*a*) Lib. V. de M. M. Cap. 109. (*b*) Exercit. in Solini Polyhiſt. p. m. 140. & ſequ. (*c*) H. N. Lib. XXXIII. Cap. VII. (*d*) Comment. in Dioſcorid. l. c.

versum fictitia sint, quæ de Draconibus apud veteres leguntur, talesque bestiæ, quales illi sub nomine Draconis descripserunt, hodiè vix ullibi terrarum reperiantur, cum tamen *Sanguis* (ita dictus) *Draconum* magna ubique copia & modico pretio vendatur.

§. 7.

Rectius igitur *ex vegetabili regno* deducitur *Sanguinis* illius *Draconis origo*, quod inter antiquos Autores primus omnium (quantum ego novi) fecit *Arrianus*, Nicomedensis, Philosophus & Historicus, qui Romæ sub Adriano & Antonino Imperatoribus floruit. Hic (*e*) in Insula quadam maris rubri, olim Dioscoride, nunc Socotera dicta, *gigni scribit cinnabari Indicum, idque lachrymarum instar ex arboribus emanans, colligi solere:* sed arborum ipsarum speciem ille Arrianus neutiquam declaravit. *Aëtius* quidem, Medicus inter Græcos recentiores, qui seculo post Christum natum quarto vel quinto vixit, mentionem *Sanguinis Draconis* faciens (*f*) eundem in India ex *herba, Dracunculo* appellata, colligi testatur, sed pariter non indigitat, cujus facici ille sit Dracunculus, quando nec *Dioscorides*, nec alius quispiam veterum Draconti sive Dracunculo talem succum sive lachrymam attribuit. Ex Arabum cœtu *Ebnsina*, vulgo *Avicenna* (*g*) de Sanguine Draconis agens, quem sua lingua *Alachuin* nuncupat, dum quærit, quid est? nil respondet præter hoc, *est succus rubeus notus*; forsan juxta illud, *sapienti sat! Serapio* autem & ipse Arabs, (*h*) suum *Demalochohen* sive *Sanguinem Draconis* autumat esse succum *Achilleæ sideritidis*, à *Dioscoride* (*i*) descriptæ; aft hic de ista Achilleæ proprietate, quod lachrymam rubicundam fundat, ne verbum quidem meminit, uti sane in nulla sideritidis specie, nec in Achillea ale quid observare licet.

§. 8.

Melior itaque sententia est *Sanguinem Draconis oriri ex arboribus quibusdam*, sicuti jam pridem exploratum habuit ante citatus *Arrianus*. Nemo autem post hunc aliquid fide dignum de istis arboribus retulit, usque ad principium seculi XVI. quo tempore *Aloysius Cadamustus*, natione Venetus, (*l*) in Insula Portus Sancti (una ex Canariis) se observasse scripsit Sanguinem Draconis, lachrymam arboris, ferro sauciatæ, cum stato anni tempore arbores incisæ emittant anno sequente gummi, quod phenis decoctum & defecatum in *Sanguinem Draconis* dictum evadat: Arborem istam producere fructum cerasi instar, mense Martio, gustu eximium, coloris veneti. Sed quis non videt, quam manca sit hæc *Cadamusti* relatio? nec pleniorem dedit *Andreas Thevetus* (*m*) paulo recentior Cadamusto, qui ab hoc suam arboris illius descriptionem penitus mutuasse videtur, ut eadem fere verba repetere me pœniteat. Ampliorem nonnihil *Sanguinis Draconis* mentionem facit *Nic. Monardes* (*n*) Medicus Hispanus, qui tamen & ipse in describenda arboris, illum fundentis, figura plurimum deficit.

§. 9.

Primus autem, qui istam arborem accuratè descripsit ac delineavit, est *Carolus Clusius*, (*o*) cujus verba, quatenus ad præsens institutum faciunt, huc transferam, quemadmodum & *Joh. Rajus* (*p*) iisdem verbis usus est. Ita autem *Clusius:* Est Draco (aptius enim nomen non invenio) *procera arbor*, pinum procul intuentibus referens, adeo æquales, semperque virentes sunt rami. Hujus truncus crassus, octo aut novem cubitales ramos æqualiter nascentes & nudos sustinet, qui in summo fissi, in alios ternos vel quaternos ramos cubitales aut paulò ampliores, brachialisque crassitudinis desinunt, nudos item & sine foliis, in summo gestantes capita, plena cubitalium *foliorum*, unciali latitudine, sensim in mucronem desinentium, media costa densiore & eminentiore, *ut in Iridis foliis*, tenuium & rubentium in lateribus: mucronem plane repræsentant ea folia, semperque virent, & Aloës, vel Iridis modo, invicem amplexando nascuntur. Truncus, perquam scaber, multis rimis dehiscit, humoremque fundit per caniculæ æstus, qui *in rubram lachrymam densatus, Sanguis Draconis* appellatur, ob quam sane causam hanc *arborem Draconem* nuncupavi. Materia trunci firma est, ferrumque difficulter admittit, quod veluti fibris transversim & oblique excurrentibus constet: at rami, cum multo succo prægnantes sint, satis facile cædi possunt.

§. 10.

Talem arborem *Clusius* primum vidit Olysiponæ post monasterium S. Virginis à gratia dictum: crassitudinem habuit octo palmorum, retuleruntque Monachi istius loci, *quod nec florem nec fructum ferat:* rem tamen aliter se habere postea deprehendit *Clusius*, ramulo ex illa ipsa arbore anno sequente revulso donatus ab amico; erat autem ille ramus pedali ampliorive longitudine, cui inhærebant alii ramuli, *multo fructu racematim compacto onusti.* Fructui color flavescens, sapor aliquantulum acidus, magnitudo exigui cerasi. Eum in summis capitibus nasci verisimile existimat *Clusius*, ut in palma dactyli nascuntur: spatha tamen, uti illos, includi non intellexit; hujus porro arboris recentia capita tenella esse idem narrat, ut humilium palmarum, sive Chamæriphes mo-

(*e*) in periplo maris Erythræi p. m. 10. (*f*) Tetrabiblio IV. Serm. III. Cap. XII. (*g*) Lib. II. Tract. II. Cap. 608. (p. 388.) (*h*) de Temperam. simplic. Cap. 331. (*i*) Lib. IV. Cap. 36. (*l*) de Navigat. sua Capit. IV. (*m*) Singular. Franc. Antarct. Cap. 8. (*n*) de Simpl. Medicam. novi Orbis Lib. I. p. m. 367. (*o*) rar. Plantar. Histor. p. 1, 2. (*p*) Histor. Plantar. Tom. II. p. 1598.

do, cujus cerebrum in deliciis eſt, edi poſſent, niſi amaritudo prohiberet.

§. 11.

Hodie in hortis ſplendidioribus per Europam paſſim colitur iſta *arbor Draco*, ut neque *Norimbergæ* deſit, vitenda ibidem, inter plures rariſſimas plantas, in horto domeſtico ſummi Botanici *D. Volckameri*. *Lipſiæ in horto Boſiano* alitur quædam altitudine plusquam decem pedum, cujus effigies, juxta cum Aloë Americana ſtupendæ magnitudinis, quæ anno ſuperiori in laudato horto floruit, æri inciſa proſtat. Sed multo grandior eſt illa, quæ *in horto Amſtelodamenſi* feliciter adoleſcendo, ultra viginti jam pedes aſſurrexit, confirmante mihi hoc *Viro Excellentiſſimo Dn. D. Laur. Heiſtero: Patriam* verò hujus arboris Europæ viciniorem, quam *inſulas Canarias*, nullam ab Autotibus memoratam invenio; hinc autem aliquando ad Philippum II. Hiſpan. Regem miſerunt arbuſculam, *Joh. Fragoſi* (q) opinione, *ſimilem palmæ*, quam vocabant *Dragonalem*. Num vero etiam alibi locorum hæc arbor ſponte creſcat, affirmare nequeo. Cæterum *Caſpar. Hoffmannus*, Academiæ hujus illuſtre quondam decus, inter primos forſan fuit, qui genus *arboris* illius *Draconis*, ad quod ipſa pertinet, accurate indicavit, (r) eſſe nimirum *revera genus Palmæ Indicæ*. Hanc in ſententiam pedibus eunt moderni Botanici, & ex his ſpeciatim *Joh. Commelinus*, (s) noſtram arborem concinne deſcribit, quod ſit *palma prurifera, foliis Yuccæ, fructu, in racemis congeſto, ceraſiformi, duro, cinereo, piſi magnitudine, cujus lachryma Sanguis Draconis dicta*. *Joh. Rajus* etiam (t) affinem facit palmæ, ſeu *arboribus arundinaceis Irinisve*, differentiam ſpecificam conſtituente *caudice ramoſo*.

§. 12.

Præter hanc *Draconis arborem* alias quoque plantas, eundem aut *ſimillimum ſanguini Draconis ſuccum* fundentes, à Botanicis memoratas reperio. Et duas quidem recenſet *Nardus Antonius Recchus* (u): unam ſub nomine *Ezquahuitl Quahuchinacenſis*, folia ferentem verbaſci, ampla & anguloſa, ſanguine ſtillantem, ſive ſucco ſimillimo iſti, qui ab *arbore Dracone* Fortunatarum Inſularum colligi ſolet. Alteram huc referendam priori perſimilem eſſe dicit *Recchus*, foliis tamen magis orbiculatis, hirſutis, & aſperis, craſſo cortice, radice ſurculoſa præditam, ac juxta aquas naſcentem. Verum ex his adeo imperfectis narrationibus parum conſtat, cuinam arborum claſſi binæ illæ ſint accenſendæ, cum nec florum, nec fructuum characteres fuerint declarati.

§. 13.

Aliam *arborem Draconem Indicam*, *ſiliquoſam, populi folio*, ſub titulo *Angſana* vel *Angſava Javanica* proponit *Joh. Commelinus* (x) his verbis: *Folia* habet incondita, pediculis longis tenuibusque fulta, forma populi ſimilia, in totum vero minora, duas uncias longa, vix ſeſcunciam lata, mucronata, tactu mollia, glabra, nitentia, hilariore virore, ad flavedinem inclinante, perfuſa, ſapore fatuo. *Fructum* rite perſcrutatum haud male convenire reperi cum eo, à *Monarde* deſcripto; & quamvis multi (quibus nunquam data fuit occaſio hosce cernere fructus) pro fabula habebant, quod *Monardes* de *figura Dracunculi*, huic fructui à natura inſculpti tradit, ego tamen veram eſſe hiſtoriam judicavi: ablata enim tunica exteriore, diſperſæ per fructum viſuntur plures venæ, de quarum diſtributione & concurſu *Dracunculi figurant* ſibi imaginantur homines, ſicuti facere aſſolent ex ignis flamma. Hi *fructus*, pediculis longioribus innixi, colore ſunt cinereo, rotundi, & duri, margine membranacei, coſtulis eminentibus præditi. *Semina* in unoquoque fructu bina ternave, oblonga, incurva, rubicunda, dura, glabra, ſplendentia, renis aut phaſeoli gracilioris figuram nonnihil imitantia. *Humor*, quem fundit arbos hæc, in *lachrymam rubram* condenſatur, eademque eſt, quæ tenuibus involucris junceis involuta *Sanguis Draconis in lachrymis* audit in Pharmacopoliis.

§. 14.

Hucusque *Commelinus*, qui porro *Andreæ Cleyeri*, Haſſo-Caſſellani, Societatis Indicæ in nova Batavia quondam Archiatri (à quo ipſe iſtius arboris ſemina obtinuit) teſtimonium his verbis affert: *Angſana Javanica arbor eſt ſiliquoſa, floribus gaudens luteis, odoratis, cujus truncus, ut & rami, ſcarificati humorem fundunt, Sanguinis Draconis inſtar, qui illico condenſatur*. Hujus arboris mentionem etiam ita fecit *D. Herm. Nic. Grim* (y): Arbor eſt *Javæ*, quin ipſius *Bataviæ urbis* incola, *ſuccum, Sanguinis Draconis* inſtar, eleganter pellucidum deſtillans: Eſt proceræ magnitudinis, ligni durioris, foliorum oblongorum, florum parvorum, flavi coloris, amariuſculi ſaporis &c. Num verò hujus arboris ſucco ſub *Sanguinis Draconis* nomine revera potiantur officinæ noſtræ, haud facile affirmaverim.

§. 15.

Rurſus *aliam plantam*, *Sanguinis Draconis feracem*, extare deprehendo, ſub nomine *Arundinis ſarctæ Indiæ Orientalis*; de hac è *Roberto Moriſono*, & *Jacobo Bocharto*, ſequentem in modum ſcribit *Joh. Rajus* (z): Ab India Orientali à mer-

(q) Hiſt. arom. & ſimpl. Ind. Cap. XV. p. 49. (r) de Medic. offic. Libr. II. Cap. 121. (s) Catal. plantar. hort. Med. Amſtel. p. 206. (t) Method. plantar. emend. p. 135. (u) Hiſt. plantar. Mexican. p. 59. (x) Hiſt. rarior. plant. horti Amſtelodam. Cap. 109. (y) Ephemer. A. N. C. Dec. II. ann. III. obſ. 37. (z) Hiſt. plantar. Tom. III. p. 615.

à mercatoribus petitur, ejusque succus *Dragons-Blood in Drops* nostratibus vocatur: subtilior est & pretiosior, duploque alio ab arboribus proveniente carior, unde *Dragons-Blood-Cane*, ex internodio, quatuor pedes longo, digitum crasso orta, flavescens. Ex hujus *arundinis* nodis (una cum foliis) emergit *fructus ad instar nucularum*, quarum duæ species, *minor* figurâ rotundâ, magnitudine avellanæ minimæ, *major*, figurâ oblonga, magnitudine avellanæ majoris. Utraque autem species externe multos habet gibbulos seu squamas, ad instar baccæ mori. Fracto putamine duriusculo intus apparet nucleus, qualis in cerasis; revera autem res ita habet: dictus fructus externe tegitur *materiâ quadam rubrâ, facile friabili*, ita ut eam quis digito abstergere possit, quæ tacta chartam aut manus rubedine afficit. *Et haccce rubra materia ea est Sanguinis Draconis species, ex qua fit vernix, qua cistæ & pyxides Sinenses obduci solent.* Modus autem rubram materiam colligendi est, dictum fructum in aqua calida macerare, donec materia illa rubra in fundo vasis subsideat, unde aquâ evaporata aut effusa dictus *Sanguinis Draconis cum guttis seu frustulis concretis* ex fundo vasis colligitur.

§. 16.

Talem *fructum*, qualis in antecedenti §. describitur, non solum apud prælaudatum *Dn. D. Heisterum* vidi, sed etiam ex amplissimo suo rerum naturalium tariorum apparatu mihi exhibuit *spectatissimus h. t. Ordinis Medici Decanus Dn. D. Joh. Jacobus Bayerus*, statim admonens, hunc fructum non *Arboris Draconis Clusii* aut alius, sed *ipsissimæ istius Indicæ Arundinis* esse, jam pridem descriptum ac delineatum, sub specie *fructus peregrini squamosi, à Carolo Clusio*; (α) quamvis ille circa plantam nihil exploratum habuit, præter hoc, quod sit *Canna de Bengala*. Meminit vero etiam hujus Arundinis *Samuel Dale* (β) qui tamen ejus notitiam non nisi ex allegatis modo Autoribus, *Morisonio & Bocharto habuit*. Clariorem vero ejus mentionem fecit Vir celebertrimus, *D. Mich. Bernh. Valentini*, (γ) quando Arundinem illam, ex *Georgii Eberhardi Rumphii* & *Herberti de Jager* epistolicis relationibus, comprobat in Insula Sumatra crescere, & *Rotang Calappa*, i. e. *Palmi-junci speciem*, aliquibus etiam *Palma pinum*, aut *palmam coniferam spinosam vocari*. *Allegat porro D. Valentini Disputationem Inauguralem Engelberti Kæmpferi de Dsjerenang*, sive *Draconis Sanguine*, qui ex fructibus palmi-junci conficitur. Non licuit mihi esse tam felici, ut illam Dissertationem nanciscerer, aut saltem, quo loco edita sit, compererem; interim excerpta, quæ hinc in appendicem sui operis *D. Valentini* transtulit, egregia sane sunt, & non parum illustrant ea, quæ *de Arundine Indica, Sanguinem Draconis fundente*, ex aliis Autoribus in medium protuli. Eandem plantam ejusque fructum atque lachrymam *D. Guilielmus Sherard*, Botanicus consummatissimus, & Smyrnæ pro Societate Anglorum Turcica Consul, communicavit *Samueli Dale*, sicut ipse *l. c. pag.* 263. enarrat, commemorans plantam istam à *Sherardo* nuncupari *palmam, quæ Sanguinem Draconis fundit alteram, foliis & caudice spinis longis, acutissimis, nigris, undique armatam:* Reperiri eam in Amboyna Insula: lachrymam esse admodum puram, & cum purissimo Sanguine Draconis in guttis colore convenientem. Quamvis autem *Dale* dubitet, utrum hæc planta specie non differat ab Arundine supra descripta, verosimillimum tamen est, quod una sit eademque, præsertim quoniam *Kæmpferus* testatur Arundinem istam omnino plurimis spinis esse obsitam, ut adeo hoc etiam nomine cum *Sherardiana palma* conveniat, licet hanc spinositatem non indicaverit *Rajus* in sua descriptione.

§. 17.

Nescio autem ferè, quid statuere debeam de *aliis quibusdam*, quas, præter hactenus declaratas, *Sanguinem Draconis* pariter fundere nonnulli Autores asseverant. Ita superius allegatus *Herbertus de Jager* (δ) ex Gallica *Flacourti Historia Insulæ Madagascar tres* recenset *Species*, non inter se tantum, sed etiam ab illis, quas ego exposui (uti plane videtur) diversas. *Primam* nuncupat vocabulo barbaro *Varaucoco*, quæ instar clematis arbores vicinas scandat, fructum ferat cœruleum, magnitudine persici, quatuor nucleis dulcibus & esculentis refertum: è cortice autem stillare ait *gummi-resinam, coloris sanguinei. Alteram speciem Rhàa*, quæ vox sanguinem significat: arborem hanc esse proceram, instar juglandis, è cujus ramorum ac trunci leviter sauciato cortice effluat *succus sanguini animalium florido simillimus*, folia gerat pyri foliis analoga, sed paulo longiora, florem rutilantem & flammei coloris, racematim dispositum, sicut flos urticæ. *Tertiam Masoutra* aut *Voasoutra* nominat, arborem cujus fructus formam & magnitudinem pyri referat, nisi quod in fine crassior sit, & quinque cornubus instructus: in medio fructus contineri nucleum pinguem, figura nucis myristicæ, cinctum duriori cortice &c. Plures circumstantias harum arborum, fugiendæ prolixitatis causa nunc omitto: Illud tamen non possum sicco prorsus pede præterire, quod *Petrus Pometus* Myropola Gallus (ε) non solum descripserit, verum etiam delineaverit arborem istam *Flacourti* tertiam, cujus fructus *Masoutra* aut *Vaosoutra* dicatur: esse autem specie eandem cum altera illa *Rhàa* ante dicta, & non modo in Madagascar, sed & *in Canariis Insulis* copiose nasci.

(α) Exotic. Lib. II. Cap. III. (β) Supplem. Pharmacolog. p. m. 252. (γ) Musei Museorum p. m. 587.
(δ) In Appendice ad Valentini Museum Mus. pag. 41. & 42. (ε) Histor. Gener. Simplic. part. I. p. 260.

§. 18.

Ex his omnibus *plantarum, Sanguinem Draconis ſuppeditantium, ſpeciebus* indubiæ veritatis eſſe puto I.) *palmam pruniferam foliis Tuccæ*, ſive *Draconem arborem Cluſii*. II.) *Angſanam ſive arborem Draconem Indicam ſiliquoſam populi folio*, §. 13. & 14. deſcriptam : III.) *Arundinem farctam, Indiæ Orientalis Moriſoni, ſeu palmam Sanguinem Draconis fundentem, foliis & caudice ſpinoſis Sherardi*, de qua §. 15. & 16. egi. Harum enim ſpecierum Hiſtoria, & quod ſingulæ Sanguinem Draconis revera fundant, certo ſatis conſtat. De reliquis vero, *duabus* nempé *Nardi Ant. Recchi*, §. 12. expoſitis, ut & *tribus illis à Flacourto recenſitis*, & in §. 17. à me exhibitis, quoniam non niſi admodum imperfectæ proſtant deſcriptiones, vix aliquid auſim determinare, donec luculentiora de ſingulis teſtimonia invenerim. Cæterum facile oriri poſſet dubium, *quomodo ejuſdem naturæ ſuccus, aut unus idemque Sanguis Draconis, à tot tamque diverſis plantarum ſpeciebus produci queat?* Verum enim verò non magis impoſſibile illud videri debet, quam hoc, quod idem lapis Bezoar ex animalibus ſpecie diſtinctis pluribus, eademque fere terebinthina ex diverſis arborum ſpeciebus depromi ſoleant. Non dubito autem, quin inter *lachrymas Sanguinis Draconis* (licet quædam generalis exiſtat convenientia) non una tamen etiam obſervanda ſit *diſcrepantia, in colore, aut ſapore, aut aliis qualitatibus* deprehendenda, ſi uniuscujusque ſpeciei accuratum examen & cum aliis ſedula collatio inſtitueretur ; quod quidem apud nos facere ideo non licet, quoniam nemo Mercatorum aut Pharmacopœorum pro certo aſſerere poteſt, ſuum *Sanguinem Draconis* ab hac & non alia plantæ aut arboris ſpecie ſumtum eſſe.

§. 19.

Minime vero audiendus eſt *Joh. Godofredus Vitus*, Myropola Wormacienſis, qui *D. Valentini l. c.* referente, contendit omnem Draconis ſanguinem è ſola ſaltem illa Arundine farcta Indica provenire : Potuit enim omnino bonus ille Vir, cum in Orientali India viveret, obſervaſſe quidem, quod *Sanguis Draconis*, ibi locorum, non aliunde, quam *ex Arundine* laudata colligatur, fruſtra vero negaverit, quod in aliis regionibus, ab aliis etiam plantis, ejusdem indolis ſuccus petatur ; ut propterea merito ipſius hanc opinionem confutaverit *D. Valentini*.

§. 20.

Quod ad *delectum Sanguinis Draconis* attinet, præferendus eſt purus, nullis vel paucis quisquiliis, arenis, plantarum corticibus aliisve ramentis contaminatus, levis, qui ſibi relictus nigricat, in pulverem vero comminutus egregie rutilat. Et talem quidem in *maſſulas pruni minoris, interdum etiam brevioris bacilli aut cylindri ſimiles coactum*, prælongis foliis arundinaceis vel junceis involutum, Pharmacopœi accuratiores ad medicinam eligere ſolent ; cujusmodi etiam optimæ notæ & exquiſitæ pulchritudinis lachrymas, alias quidem *ipſiſſimæ Arboris Draconis Cluſii*, alias *Arundinis* alicujus, ſine dubio iſtius *farctæ Indicæ* foliis incluſas, mihi oſtendit ſupra laudatus *Dn. D. Bajerus*.

§. 21.

Sicut autem in compluribus, præſertim pretioſis, mercibus imitandis & adulterandis turpe lucrum quærunt fraudulenti mercatores, ita nec circa *Sanguinem Draconis* iidem abſtinent ſuis mangoniis. Tametſi enim hic ſuccus hodie minori conſtet pretio, quam olim, tempore *Dioſcoridis*, qui illum ex Africa delatum magno conſtare, & tam rarum eſſe perhibet, ut vix verſicoloribus pictorum lineis ſatisfaciat, ne nunc tamen adeò idem eviluit, ut potius, juxta dulciſſimæ patriæ meæ, *Francofurtenſem* nimirum *Taxam*, uncia dimidia *Sanguinis Draconis* optimi pro decem crucigeris venundetur. Cæterum *Lapathi* quædam eſt *ſpecies*, quæ ob rubicundas per folia diſperſas maculas & venas, *herba Sanguis Draconis* vulgo dicitur, quando ſunt, qui autumant, hujus herbæ expreſſo ſucco poſſe confici ἀντιβάλσαμον *genuini Sanguinis Draconis* : Sed neutiquam confirmat experimentum, quod primus in iſta planta rubedinis aſpectus promittit, quin potius non alium, quam *virideſcentem ſuccum* ex eadem licet exprimere.

§. 22.

Vario autem modo *adulterari* obſervatur *Sanguis Draconis*. *Hermolaus Barbarus* (ζ) id fieri *cum ſorbis tritis & caprino ſanguine*, pariterque *Matthiolus* (η) cum *hirci ſanguine, reſina quavis, ſorbis ſiccis*, & aliis, perhibent. *Amatus Luſitanus* (ϑ) compoſitas ſua ætate novit *rotulas*, pro Sanguine Draconis venditatas, *è ſanguine hircino, ſorbis, & laterum pulvere*, in unum redactis, vel etiam *ex rubia tinctorum, bolo Armena, reſina*, & *tragacantha* ſimul mixtis. Hujusmodi ſane maſſa, ſub titulo *Sanguinis Draconis vulgaris aut vilioris*, ubique proſtat in Pharmacopoliis, & quia minime pretioſa eſt, à fabris & mulomedicis expetitur ad medicinam equis faciendam. Aliud *mangonium* Vercellis ſe vidiſſe ſcribit *Franc. Alexander* (ι) *ex gummi* nempe *in Virgini* (i. e. ligni Braſilienſis rubri) *decocto ſoluto, corticibus quibusdam, aliisque ſimul compactis, in quadrangulas tabellas tam aſtute paratum, ut viſu non internoſcatur*. Tamen *ſpurium Draconis ſanguinem*, pulcherrimi quidem coloris, ſed in aqua promptiſſime ſolubilem & hinc *plane gummoſum* vidi apud ſæpius memoratum

(ζ) Corollar. ad Dioſcorid. cap. 94ſ. (η) in Libr. IV. Dioſcorid, cap. 32. (ϑ) Comment. in Dioſcor. Libr. IV. enarrat. 69. (ι) Appoll. radio I. p. m. 322.

ratum Excell. *Dn. D. Bajerum*, illique parum dissimilem, folio arundinaceo (ad majorem scilicet mangonii occultationem) involutum, à Pharmacopœo Altdorffino obtinui.

SECTIO II.

De

Virtutibus & Usu Sanguinis Draconis.

§. 1.

Satis jam prolixe, ut opinor, persecutus sum *historiam naturalem Sanguinis Draconis*, ut nunc ad declarandas ipsius *facultates* atque *utilitates*, *in Medicina* cumprimis, tum & *mechanicas* quasdam, progrediendum mihi esse videat. Hoc autem omnino præmoneo, quod in sequenti tractatione non nisi *optimum quemvis talismodi succum*, qui *Sanguis Draconis* dicitur, hoc nomine subintelligam, excluso quolibet *mangonio*. Illius igitur, cujus notas bonitatis in Sect. I. §. 20. edocui, *qualitates primas*, ut juxta veterum doctrinam, sano sensu admissam, definiam, cum *Christ. Marggravio* (κ) arbitror, *Sanguinem Draconis siccum esse & frigidum in primo gradu*. Quamvis enim resinosa ejus substantia calefaciendi potius virtutem arguat, quia tamen istæ particulæ (ceu in §. IV. monstravi) maximam partem sunt fixiores ac terreæ crassiores, minus volatiles, supposita hac conditione difficultas in assignando qualitatum primarum gradu facile tollitur; quanquam nec illis refragari velim, qui *temperatum in calefaciendi & refrigerandi facultate Sanguinem Draconis* esse contendunt.

§. 2.

Hoc certum est, *siccare*, *adstringere* ac *roborare* istum succum, quod jam pridem exploratum habuit *Dioscorides*, quando *suæ cinnabari*, seu *nostro Sanguini Draconis eandem vim, quam hæmatitæ lapidi* adjudicat, verum *efficacius adstringere*, & *sanguinem cohibere* censet. Quare in compluribus morbis, ubi laudatæ virtutes requiruntur, perutilem præstat operam *Sanguis Draconis*, cum interno, tum externo usu. Antequam verò speciales ejusdem effectus in hoc aut illo morbo recenseam, placet nonnihil *de præparandi Sanguinem Draconis ratione* præmittere.

§. 3.

Diffiteri autem nequeo *Sanguinem Draconis* esse ex illorum simplicium genere, quæ *quam minima* ut plurimum indigent *præparatione*. Quodsi enim *in lachrymis purioribus*, nullo mangonio corruptus (uti sane talem impetrare facile licet) eligatur, *prompte in pulverem conteri*, indeque variis in formas potionum, electuariorum, pilularum &c. converti, quin & unguentis & emplastris admisceri pro re nata poterit. Ubi vero non nisi *impurior*, multisque rebus heterogeneis aut quisquiliis contaminatus præsto fuerit, hunc *in spiritu vini dissolvere*, solutionem *percolare*, & blando igne *inspissare* conveniet, quemadmodum *Frid. Hoffmannus Pater* (λ) idem faciendum præcepit; tametsi hoc pacto saltem *resina Sanguinis Draconis* extrahatur, si spiritus vini affusus sit rectificatus, & non quodammodo aqueus, ut simul gummosam istius succi portionem dissolvat.

§. 4.

Si quis *in forma liquida* concinniore propinare velit *Sanguinem Draconis*, *tincturam vel essentiam* ejus mediante spiritu vini simplici vel tartarisato conficiat. Per retortam igne arenæ fortiori, gradatim adhibito, propellitur in vas excipiens *spiritus acidulus*, è flavo rubescens, non ingrati odoris & saporis: *oleum* vero non prodit fuscum, *empyreumaticum*, nec tamen ipsum adeò ingratum, ut potius *aromatica quadam acrimonia* linguam, & *fragrantia* (inter ipsum empyreumaticum fœtorem) nares afficiat. Et hujus quidem olei ex unciis duabus Sanguinis Draconis duas circiter cum dimidia drachmas obtinui, spiritus vero quantitatem paulo minorem. Non data fuit hactenus occasio, ut vires utriusque experirer: nullus tamen dubito, quin *oleum* laudatam *virtutem traumaticam* eximiam olei tardari fœtidi externo usu æquaturum sit, vel superaturum.

§. 5.

Ut autem nunc *Virtutes Sanguinis Draconis*, contra hos vel illos *in specie* morbos, paulo accuratius declarem, illos primum effectus notabo, in quibus medicamentum istud *interne datum* prodesse deprehenditur. Sunt autem hi in universum *omnis generis fluxiones*, sanguineæ, serosæ, aut aliæ. Testantur hoc uno quasi ore, qui Sanguinis Draconis mentionem faciunt Medici, præsertim recentiores, quos inter *Nicolaus Monardes* (μ) illum succum tam intro assumtum, quam ventri illitum, aut clysteribus inditum sistere *alvi profluvium, sanguinem etiam undequaque manantem reprimere* affirmat. Similiter *Matthiolus* periculum facientibus liquido patere perhibet, quod adstringendi vi polleat & majori quidem, quam hæmatites, unde fiat, ut felicius eo utantur Medici *ad muliebres & dysentericas fluxiones, ad cruentas excreationes* &c. Et quamvis

Joh.

(κ) Mater. Med. contract. pag. 49. (λ) Clav. Schroeder. p. m. 599. (μ) de Simpl. medicam. ex novo Orbe delat. p. m. 367.

Joh. Bauhinus (*r*) ſcribat, ſe nullam inſignem vim ad reprimendos flores ſanguinis animadvertere potuiſſe in legitimo Sanguine Draconis, in adulterino vero, ob admixta adſtringentia majorem credere, plus tamen apud me valet peritiſſimi *Dan. Ludovici* (*s*) autoritas, qui *omnibus ſtypticis exoticis verum ſelectioremque Draconis Sanguinem anteponit*, ſuffragante omnino experientia, dummodo non nimis exigua doſi, ſed à ℈j. circiter ad ʒj. exhibeatur.

§. 6.

Conſulto hinc celeberrimus *D. Wedelius*, quem Patronum ac Præceptorem de ſtudiis meis ſumme meritum piiſſime veneror, in *pulverem ſuum ſtipticum rubrum* larga ſatis quantitate recipit *Sanguinem Draconis*. Quod idem quoque ingrediatur vulgarem iſtum *pulverem contra caſum*, in Pharmacopœa Auguſtana, Diſpenſatorio Norimbergenſi & alibi deſcriptum, nemo niſi ignariſſimus in re medica ignorabit. Et ſane dolendum eſt, non frequentius à Medicis tentari *virtutes illius ſucci*, quas certo perſuaſum habeo egregias plane comparituras *in compeſcendis compluribus hæmorrhagiis aliisque præternaturalibus fluxibus*. Terreæ enim & gummi-reſinoſæ fixiores ejus particulæ non poſſunt non humorum nimiam tenuitatem, agitationem & acrimoniam corrigere, vaſa nimium relaxata tono ſuo reſtituere, eorundemque præternaturalem anaſtomoſin aut diæreſin conſolidando ſanare.

§. 7.

Eſſet in proclivi plures allegare *obſervationes Practicorum*, aſſertionem meam confirmantium, niſi prolixitatem fugiens ſufficere putarem unicam memoraſſe, quam pro ſumma in me benevolentia ſua mecum communicavit *Vir Præ-Nobiliſſimus atque Excellentiſſimus Dn. D. Joh. Mauritius Hoffmannus, diverſorum S. R. I. Principum Conſiliarius & Archiater, Academiæ hujus & Collegii Med. Norimbergenſis Senior graviſſimus &c. Patronus ac ſtudiorum meorum Promotor maximopere colendus*, de *hæmoptoico* nimirum quodam fere deſperato, cui ſequens *Electuarium* veluti θεὸν ἀπὸ μηχανῆς opem tulit: ℞. *obſerv. roſar. antiq.* ʒij. *croci* ℈. *ſtyptici, ſangu. dracon. in lachrym. lap. hæmatit. præparat. ſucci catechu* ää. ʒij. *M. ad fictil. c. f. q. Sirupi de roſis ſicc. F. Elect.* Idem modo laudatus Vir mihi retulit, ſe non ſine felici ſucceſſu uſum eſſe *puriore Sanguine Draconis in affectibus ſpaſmodicis*, remiſcendo illum cinnabarinis, raſ. ung. alcis, eboris & ægagropilis; qualem ſane effectum Sanguis Draconis ſubſtantia ſua balſamica & abſorbente terrea nervoſo generi, ab inimicis ſalium ſpiculis irritato & afflicto, liberaliter promittit. Quapropter minime peccavit *Pharmacopola quidam in Belgio, qui colorem pulveris ſpecifici cephalici Michaëlis eleganter exaltavit, addito tantillo Sanguinis Draconis*: cumque ideo ab alio Pharmacopola fraudis aut criminis accuſatus eſſet apud Magiſtratum, ab hoc ſine ulla pœna dimiſſus & merito abſolutus eſt, quemadmodum *Excell. Dn. D. Heiſterus* hanc hiſtoriam mihi narravit.

§. 8.

Pergo nunc ad *externos* etiam *uſus Sanguinis Draconis* explicandos, qui omnino multi ſunt & varii. Pulverem ejus vertici *capitis* inſperſum *defluxiones* ipſius, ne in partes inferiores delabatur, prohibere, Autor eſt *Monardes l. c.* ſed multo rectius, meo quidem judicio, ageretur, ſi cum aliis cephalicis & anticatarrhalibus remediis, e. gr. pulv. ſuccini, thuris, maſtichis, gum. anime &c. *in emplaſtri formam* converteretur, aut ſaltem cum *empl. de betonica* ſubactus imponeretur vertici dictum in finem Sanguis Draconis, ſine dubio roborandi & ſiccandi virtute ſua catarrhis obicem poſiturus. *Ad ophthalmica medicamenta* ſuam cinnabarim, noſtrumve *Sanguinem Draconis* commendat *Dioſcorides*: nec dubium eſt, quin contra ſeri lachrymalis moleſtam exundationem, cum acrimonia conjunctam, & hinc ortam *lippitudinem* & *ophthalmiam humidam* ſingulari ſit auxilio.

§. 9.

Notiſſima autem eſt *Sanguinis Draconis efficacia in gingivarum corruptione ſcorbutica*, indeque ſecuta *dentium vacillatione*: quibus in caſibus prudentes Medici ad *pulveres dentifricios*, ad *linimenta* item aliasque formulas illum ſuccum ordinarie recipiunt, utpote abſorbendo & putredinem arcendo, inſuper conſolidando valde proficuum. Hoc nomine *Paul. Hermannus* (*t*) præſcripſit ſequentem in modum; ℞. Sang. dracon. maſtich. myrrh. ää. ʒß. alum. ℈j. mell. roſar. q. ſ. f. *linimentum in vacillatione dentium á cauſa ſcorbutica*. Quantum *traumatica virtus* polleat *Sanguinis Draconis*, cum in confeſſo ſit inter Medicos, prolixius adſtruere ſupersedeo. Teſtes ſint tot compoſitiones antiquæ & novæ, ad vulnera ſananda excogitatæ, quas ſuccus ille largiter ingreditur, e. gr. *emplaſtrum Aëtii l. c. purpura inſcriptum, ad cruenta vulnera glutinanda, empl. de pelle arietina, catagmaticum Renodæi, Stipticum Crollii &c.* quin & *pulveribus iſchæmis*, aut Sanguinem violenter erumpentem externo uſu ſiſtentibus toto die admiſcetur: ſicut ſeorſim *in hæmorrhag. narium* cum albumine ovi mixtum Sangv. Drac. applicandum ſuadet *Chriſt. Joh. Langius* (*u*)

§. 10.

Neque vero minus efficax eſt remedium *in ulceribus ſordidis & manantibus* mundificandis, ſiccandis & conſolidandis: quem in finem *Joh. Muſe* (*v*) *Sanguinis Draconis* unum ex præcipuis ingredientibus *unguenti*, *craſeos parvum dict.*

(*r*) Hiſt. Plant. Tom. I. Lib. III. p. 405. (*s*) Pharmac. p. m. 339. (*t*) Cynoſur. M. M. p. 294. (*u*) Oper. Med. part. I. p. 415. (*v*) Oper. edit. Coſtæi p. 187, 11.

dicti esse voluit, quod ulcera tam vetera quam nova terget, carne implet, glutinat, cicatrice claudit. In specie vero ad *synoviam*, sive stillantem ex articulis sauciatis lymphaticum laticem, prodesse Sanguinem Draconis perhibet l. c. *Langius*. Quod *ambustis igne*, & *papularum eruptionibus*, *cerato exceptus* ille succus medeatur, *Dioscorides* asseverat; nec dubium est, quin longe pluribus morbis idem occurrat, in quibus nimirum siccare, roborare & putredinem avertere convenit. Ego sane persuasissimum habeo, quod etiam *in suffitu*, *ad siccandos catarrhos*, *ad uteri & ani prolapsum* &c. egregie conducere queat.

§. 11.

Ut tandem *de usu Sanguinis Draconis extra medicinam* aliquid addam, hunc sane, & nominatim *pigmentarium*, Medico vetustiorem esse arbitror: quod vel solo supra allegato *Dioscoridis* testimonio constat, qui *cinnabarim* suam, *aut modernum Draconis Sanguinem versicoloribus pictorum lineis præcipue destinatum* scribit. Quod non alius sit color, quam ipsius, qui in picturis proprie sanguinem referat, ex *Plinio* supra retuli; confirmat idem *P. M. Caneparius* (τ) hoc insuper commemorans, quod *Sanguinis Dracoconis* color magis perduret, quam laccæ, ac magis sanguineus & vividus sit; cæterum quæcunque pictura scripturave hoc pigmento ducta exsiccataque madefiat aqua imbuta Verzino seu ligno Brasilienſi, illam Violati coloris fieri. *Vitriariis* etiam *inservire Sanguinem Draconis*, ut carmesino colore vitra pingant, testatur *Langius*.

§. 12.

Coronidis loco adjicere placet modum parandi *magisterium Sanguinis Draconis pro usu Cosmetico*, ad genas puellarum & fœmellarum vivaciori rubedine, siquidem hanc desideraverint, imbuendas: quod arcanum *Præ-Nobil. Dn. D. Heisterus* benevole mihi revelavit: R. *Sanguinis Draconis* q. p. *coque cum lixivio forti*, *filtra saturate tinctum*, *eumque cum solutione aluminis*, *aqua pluviali facta*, *præcipita*, *edulcora & exsicca*, *hoc præcipitatum misce cum solutione Tragacanthi*, *vel mucilagine seminis cydoniorum*, *uteræ*. *Color ejus exaltatur*, *si particula aliqua hujus magisterii in mortario vitreo cum pauxillo aluminis teratur*, *inque subtilissimum pollinem redigatur*. Sed ego hic pedem figo, gratias persolvens *Supremo Numini*, quod conficiendo huic qualicunque Specimini sufficientes mihi vires largiri voluerit. *Lectorem* vero *benevolum* spero condonaturum, si in hujus dissertationis elaboratione vel minus accuratum, vel nimis brevem me fuisse deprehenderit, uti sane lubens profiteor, potuisse hoc thema meum & accuratius & prolixius tractari, quod nec ipse omisissem, nisi temporis angustia & festinationis necessitas prohibuissent.

(τ) de Atrament. descript. V. cap. 16.

DISPUTATIO V.

DE

BALSAMO COPAYBA,

D. FRIDERICI WILHELMI HOPPE.

§. 1.

UT ordinis habeatur ratio, *Balsami Copayba* Etymologia hic ante omnia tradenda est. *Balsamum* dicitur, quia liquoribus spissioribus, suaveolentibus & balsamicis, qui ex diversi generis vegetabilibus sua sponte fluunt, vel facta incisione promanant, aut coctione demum eliciuntur, simillimum est. Derivatur autem vox Balsami ab Hebræorum *Baal* seu *Bal*, *Dominus* & *Schemen*, *Oleum*, qs. dicatur, *Dominus* aut *Princeps Olei*, ob fragrantiam & insignem in variis morbis efficaciam, qua Balsamum se commendat. Alii cum *P. Alpino* in *Dialogo de Balsamo c.* 3. sibi persuadent Balsami Etymon ex lingua Arabica deducendum esse, quoniam olim Medici Arabes illud *Baleſſan* vocarunt, quod Græci βάλσαμον & Latini *Balsamum*, nostrates vero *Balsam* appellant. Ad distinctionem autem aliorum Balsamorum, quorum quædam à loco natali, uti *Peruvianum* & *Tolutanum*, alia ab ipsa planta, ex qua promanant, ut *Opobalsamum*, vel arte parantur, veluti *Balsamum Nucistæ*, *Cinnamomi &c.* alia denique ab usu, cui dicata sunt, ut *Balsamum vitæ*, *Nervinum* & consimile, suum cognomen obtinuerunt, nostrum Balsamum *Copaiba* vel *Copayva*, item *Copaliba*, & *Copalyva*, ab ipsa arbore, quæ illud effundit & à Brasilianis hoc nomine insignitur, passim apud nos appellatur, ut & à nonnullis minus accurate *Balsamum Indicum album*, *weisser Americanischer Balsam*, quia sic cum *Balsamo Peruviano albo* confunditur. Ab initio *Oleum* Copayva dicebatur ob limpiditatem. Americanis etiam *Colocai*, Lusitanis *Camelo*, Gallis *Copaii*, *Copaif* & *Campaif*, teste *P. Pomet Hist. des Drogues fol.* 281. dicitur. Et cum plerique Americani, referente *G. Pisone in Hist. Nat. Brasil.* resinas omnes odoratas & gummata suaveolentia *Copal* vocent, arbores autem per voculam *Iba* vel *Yva* designent, facile exinde Ety-

mologiæ ratio patet, cur ſcilicet arbor balſamum noſtrum proferens ipſeque liquor reſinoſus ex ea promanans *Copal-Iba* & *Copal-Yba*, contracte vero *Copaliba* vel *Copayva* denominetur. Pluribus quidem Braſiliæ arboribus reſiniferis diſtincti generis hoc nomen commune eſt, adeo ut *Franc. Hernandez in Hiſt. plantar. Mexican.* octo ſpecies arborum *Copaliferarum* enumerarit ac deſcripſerit, ob odoris tamen ſuavitatem uſumque præſtantem balſami noſtri arbor illius & liquor reſinoſus ex ea deſtillans Copayva nominatur, & ſub hoc titulo officinis noſtris Pharmaceuticis cognitus eſt.

§. 2.

Indicato nomine ad ipſius arboris & liquoris balſamici ex ea ſtillantis deſcriptionem progredior. *Arbor* ſatis procera eſt, multis, craſſis & late per terram diffuſſis radicibus innixa, truncoque gaudens recto, admodum craſſo, qui foris denſo cortice cingitur, intus autem ex ligno conſtat ſaturate rubro & velut minio tincto, duritieque fagino æquali, ex quo non ſolum aſſeres lati fiunt, ſed & liquores rubri affuſa aqua per coctionem eliciuntur, in varios Fabrorum lignariorum atque tinctorum uſus. Hic truncus multos de ſe ſpargit ramos & ramuſculos late extenſos, quibus quamplurima adhærent folia ſuperna parte magis virentia, inferna vero diluto virore tincta, ſubrotunda & ad ovalem formam accedentia, quatuor aut quinque digitos longa, duos autem vel duos cum ſemiſſe lata, pediculisque craſſis, & digitalis longitudinis innixa, per quæ plurimi fibrarum ſucciferarum faſciculi, in poſtica foliorum parte magis prominentes, excurrunt. Ramulorum extremitatibus inſiſtunt multi flores, ex quinque mediocris magnitudinis petalis compoſiti, quibus ſingulis decidentibus ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ oblongæ, digitales, ſubrotundæ atque fuſcæ, quæ, ſi ad maturitatem pervenerunt, digito preſſæ mox aperiuntur, & nucleum, quem continent, emittunt, oblongo rotundum, avellanæ magnitudine atque forma, cujus exterius integumentum cuticula eſt nigricans, quæ ad medietatem veſtitur paucâ pulpâ luteâ, lentâ, molli, odoris inſtar piſorum contuſorum: nucleus autem, qui comeditur, conſtat carne lentâ, dentibus cedente, ſaporis haud adeo manifeſti, coloris aquei, quo fructu Simiæ delectantur, ita referente *G. Margravio in Hiſt. rer. natur. Braſiliæ*. Creſcit hæc arbor in denſis nemoribus mediterraneis Braſiliæ, & valde luxuriat in vicinis Inſulis Antillis, ubi fervente æſtate ex trunco tempore plenilunii profundius inciſo *liquor* effluit oleoſo reſinoſus, primo quidem limpidus, inſtar olei deſtillati Terebinthinæ, poſtea vero craſſior ex albo flaveſcens, & aqua ſubrubente quandoque permixtus, ſaporis ſubacris & amaricantis, odoris reſinoſi ac Terebinthinati ſubtilioris, qui diverſis vaſculis ita excipitur, ut qui primo profluit liquor, ſeorſim aſſervetur, ceu præſtantior altero, qui ultimo prodit & ſubrubente aqua nonnunquam dilutus in vaſis terreis oblongis & anguſtis ad nos per Luſitanos, ſub *Balſami Copaiba* titulo, transfertur. Si truncus arboris iſtius juſto tempore ſatis profunde & ultra corticem inciditur, ſpatio trium horarum ad duodecim balſami libras emittit; at ſi intempeſtive ſauciatur, nihil vel parum liquoris balſamici fundit, vulnere autem mox cera aut argilla obducto, poſt duas circiter hebdomadas reſinoſum ſuum liquorem ſat copioſe largitur. Infima trunci pars in hac arbore cernitur plerumque attrita crebro affrictu eorum animalium, quæ à ſerpentibus vel aliis beſtiis læſa ad remedium illud naturæ ſe inſtinctu conferunt, uti traditur in *Barlei Hiſt. rerum in Braſilia ſub Mauritio geſtar. p. m.* 226.

§. 3.

Ex modo relatis patet, *arborem*, quæ Balſamum Copayva ſubminiſtrat, eſſe ex genere *ſiliquoſarum balſamiferarum*, quæ *floribus pentapetalis & ſiliqua brevi monoſperma, foliisque ſubrotundis* ac *ovalibus* à cæteris congeneribus differt. Arbor enim illa, quæ *Balſamum Peruvianum* profert, foliis Amygdalinis paulo majoribus, acuminatis & ſiliquis oblongis ac anguſtis, locoque natali à noſtra recedit: quæ vero *Gummi Anime* largitur & *Ietaiba* Braſilienſibus dicitur, ſiliquis oblongis, & tricoccis abludit: quæ *Opobalſamum* largitur arbuſcula, Arabiæ Felicis incola, folia habet alata, ſemper virentia, floſculos pentapetalos, in medio ſtamineos, & fructus ſubrotundos ac monopyrenos, quales fere ſimiles aliquot *Terebinthi Jamaicenſis* ſpecies, Balſamum fundentes & à *Sloane* deſcriptæ, proferunt, de quibus vid. *J. Raj. Hiſt. plant. Tom.* 3. *fol.* 51. Quæ *Balſamum Tolutanum* præbet, in Americæ Provincia *Tolu* folia gerit *Ceratiæ* ſimilia, ſemper viridia, & conos inſtar pumilæ *Pinus*. Celeb. *P. Hermannus, in Colleg. Mſſ. de Materia Medica*, arborem, quæ Balſamum Copayba fundit, bacciferam eſſe refert, ſive quod breves illius ſiliquas, ſive quod alius arboris balſamiferæ Occidentalis fructus ſubrotundos & racemoſos, quales *Hernandez l. c.* deſcripſit, pro baccis habuerit, quæ tamen minus proprie ita vocantur, quia baccæ Botanicis dicuntur Vegetabilium fructus minores & ſubrotundi, qui ſub cuticula tenui & pulpa molli atque ſucculenta ſua ſemina recondunt, uti *Rajus in Method. plant. emend. p.* 72. recte monet: ſiliquas autem arboris Copayba pro baccis habuiſſe prælaudatum *Hermannum*, ex eo conjicio, quod baccas in duas partes dehiſcere ſcripſerit, id quod ſiliquis proprium eſt & *Piſo* quoque *l. a.* de fructu arboris Copayba ſubinnuiſſe videtur, quando ſiliquas digitô preſſas facile aperiri tradidit.

§. 4.

Balſamum, quod ex trunco ſauciato arboris Copayva ſtillat, ſuperius in §. 2. liquorem vocavimus oleoſo-reſinoſum, qui primo quidem limpidus & clarus inſtar olei deſtillati Terebinthinæ profluere, poſtea vero craſſior & fla-

& flaveſcens, aquaque ſubrubente nonnunquam permixtus emanare dicitur, ſaporis ſubacris & amaricantis, odoris reſinoſi Terebinthinati penetrantioris, ut ſic ab aliis balſamis eo melius diſtinguatur. In eo quidem omnia balſama naturalia conveniunt, quod liquores ſint oleoſi, reſinoſi & paululum viſcoſi tractuque temporis lenteſcentes, qui ex vegetabilibus balſamiferis vel ſponte fluunt, vel arte exprimuntur, coctioneve proliciuntur, & ex particulis oleoſis ſeu hamoſis, plicabilibus & lubricis, intermixtisque ſubtilioribus ſalinis acidis (à quarum connubio ſulphureæ & reſinoſæ inflammabiles deducendæ) conſtant: ſed in aliis balſamum Copayva à cæteris congeneribus admodum differt, & quidem: 1. ab *Opobalſamo*, quod recens collectum albeſcit, poſtea virideſcit & tractu temporis aureum colorem induit, ſimulque odoris & ſaporis eſt ſubtilioris & penetrantioris, teſte *Alpino l. c.* 2. à *Balſamo Tolutano*, cujus color eſt aureus, odor citratus, ſapor ſubdulcis atque gratus, conſiſtentia admodum glutinoſa. 3. à *Peruviano albo*, quod ſimilem quidem colorem, ſed odorem fragrantiorem ac ſaporem minus acrem, nec adeo amaricantem habet, ſi recentius eſt: diutius autem aſſervatum rubeſcit cæterisque balſamicis haud facile permiſceri poteſt: à *nigro* vero, cui color eſt obſcure rubens ſeu fulvus, odor inſtar Benzoini ac Styracis vel Liquidambræ fragrans, ſapor intenſe amarus, acris & nauſeoſus, conſiſtentia tandem unctuoſa atque tenax: 4. à *Reſina Copal* officinarum, quæ arboris Americanæ Copaliferæ, ab *Hernandez l. c.* deſcriptæ, liquor eſt pellucidus, tenax & viſcoſus, ex vulnerato trunco profluens & mox in reſinam flaveſcentem ac tranſparentem, inſtar Gummi, concreſcens, Thusque odore referens, ſi prunis candentibus imponitur. 5. Demum à *Terebinthina*, tam *vera* ſeu *Cypria*, ex Terebintho profluente, quam *Laricea* ſeu *Veneta officinarum*, cui Balſamum Copayva propius accedit & in multis ſimile eſt, adeo ut non ſolum à lucripetis Mercatoribus Terebinthina laricea purior & recens collecta, vel illius oleum deſtillatum, expreſſo amygdalarum dulcium diluto, pro balſamo Copayba, vel etiam Peruviano albo quandoque vendatur, ſed & ipſa arbor Balſamum noſtrum fundens pro *Terebintho Indica* haberi poſſit, teſte *G. W. Wedelio in Diſput. de Terebinthina.* Sagaciores tamen Medici & Pharmacopœi Terebinthinam Cypriam atque lariceam à Balſamo Copayva ſatis dignoſcere ſolent, tum conſiſtentia, quæ utrique Terebinthinæ ſpiſſior, tum colore, qui vitreus, balſamo autem Copayba albido pellucidus, aut ad flavedinem inclinans, tum denique odore, quem ſubtiliorem ſpirat Balſamum noſtrum, & ſapore, quem minus amarum minusque acrem Terebinthina linguæ noſtræ imprimit, urinamque violaceo odore inficit, quod non facit Balſamum Copayva, lotium ſapore manifeſte amaro imbuens, ceu refert *Th. Fuller. in Pharmacop. extemporanea pag.* 181. cui experientia ſuffragatur. Proprietates igitur ſingulares, quibus Balſamum noſtrum ab aliis diſcerni poteſt, ſunt limpiditas ſucci oleoſo-reſinoſi, ex inciſo arboris Copayba trunco primum copiosè promanantis, & ultimo ſequentis ſæpeque ſubrubente aqua permixti viſcoſa craſſities, nec non color flaveſcens, ſapor ſubacris & amaricans linguæ diutius inhærens, odorque reſinoſus ac Terebinthinatus ſubtilior: quæ omnia junctim ſumta genuini Balſami Copayva notas exhibent.

§. 5.

Quoniam autem duplicis conſiſtentiæ atque coloris, nec non majoris & minoris efficaciæ balſamū ex vulnerato arboris Copayva trunco profluit, ideo recte balſamum hoc *duplicis generis* eſſe dicitur: *unum* ſcilicet limpidius, tenuius & purius, majorisque activitatis, quod ex inciſa arbore primum emanat & ſeorſim colligitur, uſibusque internis potiſſimum deſtinatur: *alterum* autem flaveſcens, craſſius & tenacius, quandoque quisquiliis infectum vel aqua ſubrubente, quæ ſimul ex arbore deſtillat, permixtum, quale uſibus externis plerumque dicatum, in vaſis terreis oblongis & anguſtis ex Braſilia per Luſitaniam ad nos nonnunquam affertur &, quandoque ab admixta copioſiore aqua ita corrumpitur, ut nimis dilutum ſeri lactis colorem ac fluiditatem acquirat, uti tradit *Pomet. l. a.* Tale balſamum recte rejicitur, ut & impurius & diutius aſſervatum, quod ſpiſſius atque tenacius aureoque colore tinctum potiſſimam ſui ſalis volatilis ac ſulphuris balſamici partem tractu temporis per exhalationem amiſit. Improbatur etiam illud, quod oleum Amygdalarum dulcium admixtum habet, & genuino limpidius, minusque amarum atque fragrans eſt, vel quod Terebinthina laricea ejusve oleo deſtillato imbutum eſt, aut ex illa ſola conſtat: nam penetrantius & activius eſt Balſamum Copayba, propterea que Terebinthinæ, etiam Cypriæ, jure merito præfectur. Optimum eſt tenue, limpidum, ex albo pellucidum aut ad flavedinem inclinans, purum, odoris penetrantis ac reſinoſi, ſaporis ſubacris & amaricantis, diu linguam ferientis, quod ex inciſo arboris trunco primum effluxit & ex Braſilia ad nos recens advectum fuit, quale in multis Germaniæ Pharmacopoliis & Materialiſtarum (ut vocantur) officinis etiam noſtratibus, jam ab eo tempore juſto pretio venale proſtat, quo per Luſitanos, Hiſpanos, Anglos atque Belgas omnis generis ſimplicia ex Novo Orbe in Europam mari ſat copioſe quotannis transvehuntur.

§. 6.

Illo quidem tempore, quo Braſilia primum à Luſitanis detecta fuit, non ſtatim Europæis innotuit Balſamum Copayba, cujus uſus ſaluber-

rimus aliquamdiu illis ignotus fuit, ſed progreſſu temporis ſagaciores advenæ ab indigenis invidis, ſua vulnera illitu hujus balſami conſolidantibus, vel etiam ab ipſis animalibus feris,& ſpeciatim apris, qui ſaucium corpus, ſingulari naturæ inſtinctu, arboris Copaiba trunco crebro affricant, arque ita corticis detritu balſamum eliciunt, hocque læſis partibus excipiunt, ut inde brevi conſolidentur, edocti, ſalutiferam iſtius liquoris balſamici vim non ſolum in proprio corpore, jubente neceſſitate, experiri voluerunt, ſed etiam eandem uſu probatam ſuis conterraneis commendare, laudatiſſimumque medicamentum in Europam transmittere, id quod circa finem ſeculi decimi ſexti factum eſſe conjicio. Nam *C. Cluſius* in *notis* ad *N. Monardes Hiſt. ſimpl. medicam.* ex *Novo Orbe delat. c.* 1. ſcribit: *Capit jam à paucis annis ex Occidentali India liquor quidam inferri Olei de Copalyva appellatione, quod an ex gummi hoc capite deſcripto* (Copal) *ſit eductum, me latet; valde tamen commendari & perutile eſſe intelligo ad vulnera recentia curanda. Ejus vero duo eſſe genera videntur: nam ab honeſtiſſimo humaniſſimoque Viro Petro Gareco, ſub extremum annum MDXCVI. vaſculum olei illo nomine inſigniti accipiebam, ſulveſcentis craſſiuſculæque ſubſtantiæ, inſtar Balſami illius, quod ex Hiſpaniola Inſula defertur: alterius autem generis vaſculum ſub idem tempus a Vetere amico Franciſco Peninio, Viro docto & humaniſſimo, multo liquidioris, non minus tamen odorati priore.* Utrumque hoc Balſamum hodie à Pharmacopolis in pluribus Germaniæ emporiis venditur, & quidem longe minori pretio ac olim, cum primum in Europam tranſvehi cœpit; libra enim Balſami Copayva purioris & limpidioris hodierno tempore duobus vel tribus florenis divenditur, craſſioris autem viliori pretio coëmitur, & quidem illud in uſus Medicos in & externos, hoc vero ſaltem in externos Veterinariorum: pretii tamen hujus vilitas efficit, ut hodie apud nos rarius balſamum Copaiba impurius & craſſius venale proſtet.

§. 7.

Antequam Balſami Braſilienſis facultates atque vires recenſeamus, placet prius in illius *ſaporem* & *odorem* diverſamque *conſiſtentiam* accuratius inquirere, ac ſimul eas commemorare *mutationes*, quas ſubiit, quum varii generis liquoribus addebatur, tandemque igni committebatur, quo rectius de partibus conſtitutivis, indeque dependentibus ex parte viribus dijudicare poſſimus. *Sapor* balſami noſtri ſubacris & amaricans, admodumque penetrans, qui linguæ diutius inhærere ſolet, ſatis teſtatur de ſubtili atque volatili illius ſale acido, quod plurimis hamulis oleoſis & ſulphuris implicatum multisque moleculis terreis ac fixioribus permixtum promtè poros linguæ ſubit & in ſubjacentes nerveas papillas ſuis ſpiculis paulo vehementius agit, atque ita ſaporem ſubacrem & amaricantem diuque in ore durantem excitat. *Odor* reſinoſus & terebinthinatus, quem diffundit balſamum Copayva, adſcribendus quoque ſali illius volatili acri & ſulphuri, cujus effluvia cum aëre ad nares delata ſenſiles organi olfactus fibrillas afficiunt & ſpiritus illic hoſpitantes in tremulum motum rapiunt, qui mox ad ſenſorium commune delatus in mente dictum odoris ſenſum producit. Salino ſulphureum autem eſſe balſamum noſtrum ſatis oſtendit tum illius inflammabilitas, quæ patet, quando chatta hoc balſamo madida vel ſpatula ferrea eodem obducta candelæ accenſæ admovetur & mox flammam luculentam concipit citòque deflagrat, tum prompta illius diſſolutio in ſpiritu vini, facilisque mixtio cum oleis deſtillatis, quibus intime jungitur. Cum expreſſis verò & coctis oleis, ut & axungiis, non ita prompte coit, ob copiam ſalis acidi immixti, quod cum affuſis oleis craſſioribus non ſtatim combinatur. *Conſiſtentiam* & *naturam oleoſam* balſami Copayva indicat quoque aqua limpida, cui ſi pauca illius quantitas inſtillatur, primo ſub guttularum ſubrotundarum forma paululum deſcendit, mox autem ſeſe expandit & in aquæ ſuperficiem aſſurgit eidemque ſupernatat; at vaſe ſæpius commoto balſamum hac agitatione in minores globulos diviſum aquæ poros ſubit & in liquorem lacteum abit, qui expanſo ſuo ſulphure balſamico gratum odorem ſpargit. Lacti guttatim immiſſum balſamum Braſilienſe, ſupernatat, nec tamen lac coagulat. Tritum cum ovi vitello, affuſa ſimul aqua roſarum vel alia, etiam fontana, primo quidem turbidum liquorem ſiſtit, qui tamen poſt decem circiter horarum intervallum ſedimentum album deponit, ex craſſioribus vitelli moleculis cum implicatis balſamicis, ad vaſis fundum deſcendentibus, conſtans, ſupernatans autem liquor paululum fœtet. Quod ſi balſamum noſtrum cum ☉li miſcetur, ſpiſſius inde fit & glutinis inſtar immiſſæ pennæ adhæret, ſpirituique ſupernatat, nec tamen colorem mutat, ſed ſaltem aliquid amaroris ſui deponit, quia ſpicula vitriolica plicabiles atque diffuſas balſami particulas ſulphureas magis coarctant & ita comprimunt, ut linguæ papillas haud adeo vehementer afficere queant. Cum balſamum noſtrum affuſa aqua ſimplici, via humida, per veſicam cupream, ſubdito igne, pellere voluimus, prodiit primo & in vitrum appoſitum deſtillavit cum phlegmate oleum æthereum & albeſcens, odoris perquam grati, quod ſubtilior & defæcatior ſulphuris balſamici pars eſt, igne reſoluta & à reliquis craſſioribus partibus, quibus ante implicabatur, liberata, ſub tenuioris olei ſpecie ſeſe ſiſtens. Hoc oleum phlegmati ſupernatans ſeparavimus ope goſſypii & admodum fragrans deprehendimus, ita ut affuſis duabus aquæ menſuris ſuum odorem gratum communicaverit. Reſiduum phlegma, poſt peractam deſtillationem, in veſica

itidem

itidem ſuaveolebat, ſed tamen empyreumatici quid ſimul ſpirabat. Reſina vero ſeu Colophonia huic phlegmati innatans, quæ nil niſi viſcoſa atque craſſior balſami noſtri pars eſt, multo adhuedum ſulphure & pauco ſale fixo imbuta, odoris erat reſinoſi & ceræ inſtar digitis, quibus tenaciter adhæſit, tractari poterat. Poſtea deſtillationem, quæ via ſicca fit, inſtituimus, & Balſamum Copayva per ſe retortæ vitreæ immiſimus, hancque in arenam locavimus, ſuppoſito vaſe recipiente: ſubdito igne, ab initio paulo fortiore, prodiit ſpiritus albicans, valde volatilis & acidus, empyreuma redolens, qui collo retortæ appoſitum vas recipiens mox diffregit. Vitro igitur anguſti orificii infuſus fuit, in quo poſt refrigerationem ita efferveſcere cœpit, ut vitrum probe obturatum mox quoque diſrumperetur. Efferveſcentia vero ceſſante ſpiritus craſſamentum album ad fundum vaſis dimiſit. Hujus ſpiritus quatuor partes cum ſpiritus vitrioli una parte commixtæ non ſtatim efferbuerunt, ſed brevi ſedimentum paucum depoſuerunt: cum vero in loco calido ad digeſtionem aliquamdiu ſepoſita fuit hæc mixtura, ſtrepitum ſonorum fere tinnientium campanularum inſtar edidit, poſteaque colorem rubeſcentem aſſumpſit. Hæc mixtura retortæ infuſa, ſuppoſito igne fortiſſimo, oleum fundebat colore & odore illud referens, quod in officinis oleum Philoſophorum audit: hoc ad ſiccitatem abſtracto, in fundo retortæ hæſit Colophonia ſplendeſcens, quæ affuſo ſpiritu vini non ſolvebatur. Oleum vero abſtractum addito ſpiritu vini rectificato craſſius evaſit, ad infimam vitri partem deſcendit & ſpiritum vini rubro colore tinxit: inſtillato autem ☉li oleum eidem mox ſupernatavit rubicundiſſimum. Ex recenſitis conjicere licet, Balſamum Copayba per ſe retortæ inditum, adhibito mox ignis intenſiore calore, ſal ſuum volatile acidum, ſubtiliori phlegmati junctum, una cum ſulphure balſamico ſimul in vas recipiens demiſiſſe, ubi ſub ſpiritus fumoſi albicantis, volatilis & acidi ſpecie ſemet ſiſtebat & ob ſulphuris ambuſtionem à vehementiore igne factam empyreuma ſpirabat, continuatoque eodem fornacis æſtu tanta copia vas recipiens occupabat, ut hoc elaſticam illius vim non ſuſtinens brevi in fruſta diſſilierit. Sal autem volatile acidum, hujus ſpiritus ſubtili phlegmate diſſolutum, ubi per quietem, ſepoſito ad refrigerationem ſpiritu, magis ſui juris factum fuit, mox intermixtas ſulphuris balſamici particulas invaſit & cum iis colluctando efferbuit, donec ſale acido diſcerptæ particulæ ſulphureæ cum illo amice coiverint in craſſamentum album, ad vaſis fundum deſcendens. Hæ particulæ ſulphureæ in iſto ſpiritu quodammodo ligatæ & ab affuſo ☉li magis ſuppreſſæ tandem, accedente externo calore, in digeſtione magis expanſæ fuerunt & cum occurrentibus ſalinis acidis intermixtisque reſinoſis commiſſæ bullas effecerunt, quæ cum impetu diſruptæ tinnientium campanularum ſonitum produxerunt, tandemque evanuerunt, ſulphure cum ſale acido jam intimius combinato & toti mixturæ rubeum colorem inducente. Ex hoc ſalis & ſulphuris connubio arctiore, per intenſum ignem facto, derivandum eſt illud oleum, quod ex hac mixtura per retortam prodiit, oleo Philoſophorum ſimile, cujus caput mortuum ex magmate reſinoſo conſtans Colophoniam ſplendeſcentem retulit, difficiliorisque ſolutionis fuit. Balſamum Copayva cum cineribus mixtum & retortæ immiſſum, appoſito vaſe recipiente non lutato, ſubjectoque igne fortiſſimo, nobis præbuit oleum cœruleum, odoris haud ingrati, ſed tamen empyreuma redolentis, quod cum phlegmate prodiit limpido, quale per veſicam cupream antea deſtillatione obtinuimus. Spiritus vini rectificatus huic oleo ad eminentiam duorum digitorum transverſorum affuſus & ad digeſtionem ſepoſitus non tingebatur quidem ab oleo, ſed tamen illius colorem cœruleum dilutiorem reddidit, oleoque ſupernatavit. Huic mixturæ refrigeratæ guttatim inſtillatus ſpiritus vitrioli bonæ notæ mox eam lacteo colore imbuit & dein ſedimentum albidum atque viſcoſum depoſuit, quo facto tota mixtura in diverſi coloris liquores abiit, ita ut ille, qui ſedimento proximus erat, phœniceus, medius autem pellucidus, & huic innatans oleum cœruleum eſſet: poſtea in vitro probe exagitata mixtura tota cinerea facta fuit. Varium iſtius olei colorem, ab affuſis diverſæ naturæ liquoribus productum, deducimus à ſulphureis Balſami Braſilienſis particulis, quæ ab acidis ſuis compedibus per additos cineres liberatæ & ſuppoſito igne fortiſſimo in minimos globulos reſolutæ, modo propius ad ſe invicem accedendo, modo longius recedendo, ſuis interſtitiolis majoribus vel minoribus, plures paucioresve luminis radios transmiſerunt, ſphæricaque ſua ſuperficie vario modo incidens lumen verſus intuentium oculos reflexerunt, unde varium hujus olei colorem derivandum eſſe putamus.

§. 8.

Ex his prolixius commemoratis patet quidem Balſamo Braſilienſi ineſſe ſal volatile acidum admodum penetrans, quod phlegmati & ſpiritui, ex hoc balſamo igne prolecto, copioſo inhæret, ut & ſulphur tenue atque ſubtile ſali acido intime junctum, quo oleum deſtillatum noſtri balſami ſcatet, nec non multas particulas terreas, ſalinas fixas, oleoſas atque viſcidas, quæ à deſtillatione reſiduam Colophoniam conſtituunt & ſpiſſiorem Balſamo Copayba communi vel diutius aſſervato conſiſtentiam largiuntur. Hæ ipſæ tamen partes balſami conſtitutivæ ſub ea prorſus forma, quæ in conſpectum noſtrum poſt variam deſtillationem, vel aliam operationem Chemicam veniunt, antea in balſamo non

fuerunt, ſed ab ignis demum vi, quam paſſæ ſunt, variam ſuam magnitudinem, formam, connexionem & inde ex parte reſultantem colorem & odorem obtinuerunt. Majorem autem ſubtilis & ſulphurei olei quantitatem, minorem ſalis acidi volatilis oleo immerſi, minimam denique ſalis terreſtris atque acidi fixi oleique craſſioris partem ſibimet intimè permixtam Balſamum Copayva componere, plusque purioris & tenuioris olei ſalisque volatilis acidi balſamo noſtro liquidiori, minus autem impuriori & craſſiuſculo ineſſe, tum ſubtilis & penetrans illius odor, conſiſtentia fluida, ſapor amaricans & acriuſculus, paucaque reſina, quæ poſt deſtillationem remanet; tum ipſa analyſis Chemica Balſami noſtri ſupra relata ſatis, me judice, indicat, imo id ipſum corroborabat quoque vis ejus aperiens, reſolvens, detergens, conſolidans atque corroborans, quæ Balſamo Copayva non ſolum paſſim attribuitur, ſed etiam per experientiam Medicam confirmatur.

§. 9.

Sale enim ſuo ſulphureo & amaro-acri non ſolum tunicas inteſtinorum blande extimulat Balſamum Braſilienſe, ſed etiam humores viſcidos primarum viarum attenuat, atque ita alvum blande laxat, à ℈S. ad ʒij. vel ʒiij. cum ſaccharo ſub boli forma ſumtum, vel ovi vitello ſubactum & vino ſaccharato, vel alio convenienti liquore dilutum. Sic *Fuller. l. c. p.* 181. *Mixturam Balſamicam* ex balſami noſtri ʒj. vitell. ovor. nro. ij. Syrupi albi ʒij. & vini albi ʒviij. parare docet, quæ cochleatim data ventrem blande movet & urinam ciet, ſanguinemque viſcidum reſolvit & acriorem temperat. Imprimis autem Balſamum noſtrum ſpecificum audit in gonorrhœa & fluore albo, tam ſimplici, quam maligno, ſanguinem & imprimis illius lympham acrem viſcidam & Venereo contagio infectam, ſive in vaſculis ſeminalibus, glandulis proſtatis hisque vicinis Cowperianis, ſive in inguinalibus, aut denique vaginalibus uteri hæreat, reſolvendo & attemperando, perque diaphoreſin ac diureſin inſenſibiliter educendo; in quem finem Balſamum Copayba per ſe ex ovo ſorbili, aut cum vini Hiſpanici aliusve exotici pauxillo, à guttis V. ad X. vel XV. mane veſperique datur, vel cum aliis mixtum ſub forma Eſſentiæ, Tincturæ, Olei, Boli, Elæoſacchari vel Pilularum exhibetur. *J. H. Juncken in Lex Pharm. p.* 78. deſcribit *Elixir antivenereum* ex Balſ. Copaib. ʒj. reſin. Guajac. ʒij. ol. ♌ ligni ſaſſafras ℈S. & ſpiritus vini rectif. ʒv. per digeſt. addito pauxillo ſalis ♈ri parandum, quod in fluxu albo & gonorrhœa, ſimplici æquè ac virulenta, eſt egregium, urinæ ardorem ſimul mitigans & ſabulum renum eliminans ſudoremque movens, ſi à guttis X. ad XX. cum decocto lignorum calente præbetur. Hoc uſu probatum à quibusdam ſub *Elixirii albi* nomine præſcribitur, quia prior denominatio non omnibus arridet. Poteſt etiam *Tinctura balſamica* ex ſolo balſamo Copayva, vel addito Peruviano & Tolutano adminiculo affuſi ſpiritus vini ♈ſati per digeſt. elici, quæ in pollutione nocturna, gonorrhœa, fluxu albo, vulneribus & ulceribus partium, tam internarum, quam externarum, cum infuſis vel decoctis vegetabilium idoneorum, non ſine emolumento à guttis V. ad XXX. hauritur. *J. le Mort. in Chym. Med. Phyſ. p. m.* 58. *Oleum Terebinthinæ compoſitum* ex Terebinth. claræ Lib. ij. balſam. Copayv. Lib. ſemis, Nucis Moſch. ʒij. cort. citr. exter. & rad. Irid. Florent. ana ʒiv. Benzoes ʒiij. balſ. Peruv. ʒis. & ſpiritu vini rectif. in quo Moſchi & Zibethi ana gr. ij. ſoluta fuerint ʒiv. per deſtillationem leni igne parandum deſcripſit, quod ad guttas XXX. vel XL. cum ſucceſſu dari poteſt in quavis Gonorrhœa & fluore albo contumaci, modo purgantium ♈lium uſus ſubinde intercedat. Ex balſami Copayva drachm. una cum ſacchari albi uncia una, in mortario marmoreo trita, *Elæoſaccharum* conficitur, quod non modo in prædictis affectibus, ſed etiam in ſtranguria & dyſuria, ex refrigeratione vel cibo potuve aceſcente ſuborta, vulneribus item & ulceribus, præſertim nervoſarum partium, proficuum eſt, à ſcrup. uno ad drach. unam ex apto vehiculo ſumptum. Hoc elæoſaccharum cuidam Civi Manheimenſi, qui ex ulcere perinæi male tractato fiſtulam ſinuoſam genitalium contraxerat, olim à Celeberrimo hujus Academiæ Prof. Med. *G. Franco* commendatum ita profuit, ut dolores & urinæ ardores haud parum mitigati fuerint, ipſeque æger immedicabile hoc malum per viginti & aliquot annos patienter ferre potuerit, donec accedente tabe, cum pulmonis ulcere, circa initium anni elapſi Ladenburgi fatis ceſſit. Felicior hoc ægro fuit Civis Landavienſis, qui à longo tempore renum doloribus & dyſuria contumaci, variis ſymptomatibus ſtipata, vexatus Celebriorum Medicorum, etiam extraneorum, conſilia atque remedia magnis quidem ſumtibus experit, ſed fruſtaneo cum effectu in uſum vocavit, donec ab Empirico in Alſatia monitus fuit, ut per integrum annum quotidie ſex guttas balſami Copayva aſſumeret. Cum autem ille ſanitatis avidus hoc balſamum ſenſim in paulo majori quantitate ad guttas X. XV. tandemque XX. ſingulis diebus hauſit, elapſis aliquot ſeptimanis magno conatu cum urina veſiculam oblongam, ſubrotundam & albicantem, quæ nucleo Dactylorum quodammodo ſimilis erat, excrevit, & ab illo tempore maximum levamen ab uſu hujus remedii ſenſit. Ne vero redeant dolores illi moleſti, adhuc dum ſubinde quinque vel ſex guttulas balſami hujus aſſumit, quod omnibus divitiis anteferendum eſſe dicit. Qui in commemoratis affectibus ſaccharata minus prodeſſe putant, *Pilulas balſamico-traumaticas* ex Tereb. clar. extr. Rhabarb. & Virgæ aureæ vel Bellidis min. Succin. alb.

alb. præparat. lap. ℈. Gum. Arab. Maſtich. & Balſ. Copayva conficiunt, quas ad Scrup. unum mane atque V. in gonorrhœa, fluxu albo, vulneribus & ulceribus, ſpeciatim renum & pulmonum aliorumque viſcerum, cum fructu exhibent. In phthiſi pulmonali & quavis alia ex interiorum ulcere nata, nec non empyemate balſamum Copayba tam per ſe', quam cum pulv. rad. Ari & Irid. Flor. Antihect. Pot. lap. ℈ & Saech. candidatum egregie detergit & puris acrimoniam corrigit, læſasque partes ad conſolidationem diſponit, modo ulcus non fuerit profundius ac inveteratum, vel à cauſa hæreditaria contractum. Merito hinc Balſamum Braſilienſe optimum audit Thoracicum, quod mucum tenacem & acrem bronchiis impactum abſtergit, temperat & educit, pulmonum quoque tonum labefactatum corroborat & illorum tubercula cruda diſſolvit. Hujus balſami uſu tuſſes admodum periculoſas & phthiſin minitantes, citra omnium exſpectationem, penitus ſublatas fuiſſe teſtatur *Fuller. l. a. pag.* 182. *F. Hoffmann. in Diſput. de Balſam. Peruv. pag.* 24. *Balſamum pectorale* in omnibus Thoracis affectibus, ubi materies viſcoſa vel purulenta expectoranda eſt, perquam utile commendat, quod ex balſ. ſulphuris cum oleo amygd. dulc. par. ʒj. balſ. Peruv. vitello ovi ſol. & Copayv. ää. drach. duab. oleique deſtil. aniſ. drach. ſem. paratur. Quicquid hoc medicamentum in morbis pectoris præſtat, id *balſamum nephriticum à J. le Mort in Chym. Med. Phyſ. pag.* 182. deſcriptum, cui balſamum noſtrum permiſcetur, in doloribus nephriticis & colica flatulenta peragit, ſi à gutt. x. ad xl. datur. Quidam chylum per vias urinarias excernens aſſumpto balſamo Copayva integre convaluit, ita referente *Fullero l. a.* ubi teſtatur idem balſamum hecticis profuiſſe, quibus acrimoniam ſanguinis corrigit ejusdemque putredinem arcet, conciſa doſi propinatum. Tonum quoque viſcerum firmat & humorum intemperiem pituitoſam, ſalſam, acrem emendat, propterea que in cachexia, imprimis ſcorbutica, arthritide, ulceribus & fiſtulis partium externarum conducit, ſanguini balſamicam ſuam virtutem communicando. Partum etiam faciliorem reddere balſamum noſtrum *Zacutus l. 2. obſ.* 148. refert, ita ſcribente *Welſchio in Exot. cur. & obſ. Med. chil. 2.* §. 433. id quod ſale ſuo ſulphureo acri & amaro, quo fibras internas extimulare valet, ſine dubio præſtat, ſi in paulo longiori doſi aſſumitur, qua etiam alvum ſubducit, uti ſupra monuimus. Et hinc in dyſenteria ac diarrhœa non ſemper tutus nobis eſſe videtur balſami Copayv. uſus internus, quo inteſtina facile irritantur & interaneorum ardores atque dolores intenduntur. Externe vero balſamum Braſilienſe læſis partibus ad motum diſcutit & humores ſtagnantes reſolvit, nervos irritatos demulcet vel debilitatos roborat, partiumque tonum firmat, idque facit particulis ſuis ſalino-ſulphureis ſeu balſamicis, quibus etiam abſtergit, mundat & à putredine præſervat, læſasque vulnerum ac ulcerum fibras conſolidat, unde traumatica illius vis abunde patet. Admiſcetur hinc plerisque *unguentis & balſamis vulnerariis*, quorum deſcriptio vid. in *C. Bontekoe Pharm. p. m.* 223. *M. G. Purman. Chirurg. Lorbeer-Krantz. P.* 2. *c.* 2. *pag.* 197. & *cap.* 5. *pag.* 428. nec non *Ejusdem ſonder-und wunderb. Schuß-Wunden Cur. obſ.* 12. *p.* 127. *Junckens Chir. S.* 2. *c.* 1. *pag.* 96. & 110. *J. C. Schwartz von gehauenen Wunden obſ.* 1. *p.* 42. *R. Roonhuyſen in Obſ. chir.* 22. *l.* 1. ex balſami Copayb. & olei hyper. æquali portione ſuum balſamum vulneratium conficit, cui aloë, maſtiche & myrrha ſuperaddi poteſt, ſi vulnera cum magna contuſione, aut fibrarum dilaceratione, vel etiam inſtrumentis venenatis morſuve animalium rabidorum inflicta deliganda ſunt. Balſamum igitur Braſilienſe non ſolum in vulneribus recentibus partium carnoſarum non adeo profundis, quæ ſarcotica ſua virtute brevi conſolidat, ſed etiam in ſclopetariis & cum ablatione partis alicujus læſæ factis vi ſua detergente prodeſt, balſamicâ vero vulnera venenata partesque nerveas ac tendinoſas punctim vel cæſim læſas demulcet, ac ſpaſtica ſymptomata præcavet. Vulneribus ſclopetariis balſamum Copayva ſæpiſſime ſaluberrimo cum effectu adhibuit *A. H. Sprengerus*, Copiarum Palatin. Chirurgus ſuperior exercitatiſſimus, ut mihi haud ſemel retulit. Inflammationem & gangrænam vulnerum venenatorum arcet hoc balſamum cum oleo tereb. & ſpir. Theriacali camphorato mature admotum. Dolorem autem & tumorem phlegmonodem, ex nervo vel tendine V. S. rudiori compuncto, brevi tollit idem balſ. cum oleo terebinth. vulnuſculo tepide inſtillatum. Si tendinoſa muſculi maſtoidæi pars, qua cum clavicula conjuncta eſt, in obſtipo capite à perito Chirurgo circumſpecte diſſecta fuit, patens vulnus plumaceolis balſamo vulnerario Roonhuyſii madidis replendum eſt, ut ſic conſolidatio promoveatur. Quodſi caput cum denudatione cranii graviter læſum fuit, ipſi quidem oſſi linamenta ſicca imponenda ſunt, vulneris autem labiis balſ. Copayv. cum balſ. *Arcæi*, myrrha & maſtiche mixtum inungendum, impoſito deſuper Emplaſtro de beronica vel conſimili, quod etiam in aliis vulneribus cum oſſium vel cartilaginum læſione faciendum. Ubi labium leporinum debite ſectum & acubus recte unitum fuit, lintea carpta balſamo Copayva imbuta partibus læſis admovenda, ſuperinducto emplaſtro glutinoſo pro firmando hoc apparatu, de quo vid. *Nuck. Exper. Chir. c.* 22. Si veſicæ collum fœminis ex quacunque demum cauſa diſruptum occalluit, forfice prius caute auferri debet callus & poſtea labiis dextre adaptatis balſamum Copayv. cum linamentis apponi, quod conſilium eſt *Roonhuyſii in Obſ. Chir.*

Chir part. 2. p. m. 168. In ulceribus, tam ſimplicibus, quam ſordidis, ſinuoſis & fiſtuloſis, aut cum oſſis vicini carie junctis balſamum Braſilienſe ſale ſuo volatili & ſulphureo digerit, puris generationem promovet, abſtergit & ad conſolidationem eadem diſponit, ſi per ſe, vel cum unguentis digeſtivis, addito ſubinde fuſco, Ægyptiaco, ut & aloë, myrrha, maſtiche, ſarcocolla, gummi elemi &c. adhibetur. Speciatim autem in fiſtula lachrymali, ulceribus mammarum profundis, abſceſſibus thoracis, vel infimi ventris, præſertim cum ſubjacentium inteſtinorum læſione, fiſtula ani, bubonibus & parotidibus apertis, aliarumque partium exulcerationibus ſinuoſis, pædarthrocace, verrucis & clavis pedum profundius reſectis, aut adhibitis acrioribus irritatis, Balſamum Copayva, cum Tinct. Myrrhæ, Succini, Aloes, Balſamo Sulphuris terebinthinato, melle perſicariæ & ſimilibus, admotum perquam utile eſt, uti patet ex *Append. Obſerv. Armament. Chir. Sculteti Obſerv. 97. p. 283. Purmanni Chir. curioſ. part. 1. c. 32. p. 240. part 2. c. 3 p. 293. & c. 22. p. 523.* nec non *part. 3. c. 19. p. 741. Yvonis Gauckes Prax. Chirurg. Med. c. 53.* & aliis. In Ozœna Venerea & narium fiſſuris atque puſtulis exedentibus ſalubri cum effectu linimentum ex Balſ. Peruv. & Copayv. terra ♑li dulci, ſarcocolla, ☿ præcipit. rubro & melle roſ. adhibuit in *Miſcell. Nat. Cur. Germ. dec. 3. a. 9. & 10. obſerv. 123.* Ad ſynoviam Balſamum Copayva commendatur à *Purmanno in der Feldſcherers-Kunſt Sect. 4. c. 12. p. 330. ſeq.* & ad ariduram membrorum *in den ſonder-und vvunderbahren Schuſs-Wunden Curen obſ. 9. p. 108. & obſ. 34. p. 302. ſeq.* nec id ſine ratione, quoniam ſale ſuo volatili ac ſulphureo humorum ſtaſin tollit & priſtinum motum reſtituit, ſi cum aliis competentibus remediis in uſum vocatur. In paralyticis præterea nervorum reſolutionibus, membrorum diſtorſionibus & ſpaſmis dolorificis balſamum Braſilienſe, cum oleis deſtillatis ſpicæ, roriſmar. ſuccini, caryophyll. axungia caſtorei, &c. partibus effectis utiliter affricatur. *Jobus à Meckren in obſ. chir. 56.* decoctis detergentibus & conſolidantibus, in veſicam ab extracto calculo læſam injiciendis, balſamum Copayva ſub minori quantitate felici cum ſucceſſu addidit, ob vim, quam habet, traumaticam, qua etiam prodeſt in Empyemate, ſi liquoribus abſtergentibus immiſcetur & per ſiphonem in cavum pectoris, ſectione prius dextre perforati, tepidè infunditur, ut purulentus humor, interioribus thoracis partibus tenacius adhærens, detergatur & imminens putredo præcaveatur. Hac ratione in vulneribus & ulceribus inteſtinorum craſſiorum conducit quoque balſamum noſtrum, clyſteribus abſtergentibus parcè cum vitello ovi ſuperadditum.

§. 10.

Hæc autem omnia in recenſitis affectibus præſtat ſub Divina benedictione Balſamum Copayva, ſi genuinum nulloque mangonio corruptum vel infractum, debito tempore & modo, juſtaque quantitate à prudenti Medico & exercitato Chirurgo adhibetur; largiori enim doſi, vel longiori, quam par eſt, minusve opportuno tempore aſſumtum ſulphure ſuo balſamico & acri ſenſiles tunicas primarum viarum extimulat, humores nimis exagitat, & ſic febres, hæmorrhagias, cephalalgias, cordis palpitationes, dolores & ardores ventris aliaque incommoda parit. In ſpecie phthiſi & ulcere renum laborantibus abuſus balſami Braſilienſis facile tuſſim exaſperat, hæmoptoën & mictum cruentum infert, febremque lentam intendit. Nephriticis quoque frequentius & largius exhibitum dolores & inflammationes renum adauget. Dyſenteria maligna & lienteria notha, quæ ex denudatione tunicæ nerveæ ventriculi ac inteſtinorum oritur, vexatis balſamum noſtrum propinatum, vel clyſmatibus additum, ſæpe ardores internos excitaſſe obſervavi. In omnibus igitur alvi fluoribus, ab humorum in primis viis collectorum acrimonia natis & cum gravi inteſtinorum inflammatione junctis, balſamum Copayba aſſumtum plus obeſt, quam prodeſt. In mictu Cruento & Dyſuria Senum, ab humorum ſalſedine producta, ſimiliter nocet, quia ſanguinem nimis commovet & vias urinarias, jam dolorificè affectas, magis irritat. Nec etiam extus adhibitum balſamum Braſilienſe ſemper & ubivis conducit, quia vulneribus & ulceribus nondum ſatis deterſis, ſeu à pure inhærente liberatis, admotum intempeſtive cicatricem inducit & ſic ulcera ſæpe numero ſinuoſa infert, quæ brevi tempore recrudeſcunt & difficilius ſanantur.



DISPUTATIO VI.

DE

MALO CITREO,

DN. D. DANIELIS NEBELII,

Archiat. & PP. Heidelb.

CAPUT I.

NOMEN EXPLICAT.

UT ab ovo, quod ajunt, exordiar, ante omnia nominis habenda erit ratio, cum hujus notitia sæpe eo felicius in rei tractandæ cognitionem deducamur. *Denominationem* vero suam pomum citreum unde acceperit, Etymologi adhucdum inter sese dissident: quidam enim *citreum à colore corticis citrino* nomen accepisse volunt, sed petitionem principii committunt: Alii à *cedro*, quod citri folia & fructus cedri referant odorem, derivare contendunt, verum nec hi mihi omnino satisfaciunt: Propius accedere videtur *Vossius* in *Etymologico Latin. ling.* qui *pag.* 183. vocem putat esse Latinam, ast non à Græcis, sed potius Afris acceptam: Alii alia adducunt, de quibus prolixe differentem vide *J. Bod. à Stapel, in not. ad Theophrast. Eresii Hist. Plant. l.* 4. *c.* 4. *p.* 337. *seq. & pag.* 522. *seqq.* Sic diu multumque circa citri etymon hæsitanti mihi scrupulum tandem ademit Vir Nobilissimus & L.L. peritissimus *Henricus Screta à Zavorziz & Schotnau*, Physicus Reipubl. Scaphus. Celebratissimus, Fautor plurimum colendus, in doctissimis suis ad me pridie Calend. Octobr. 1685. exaratis literis, in quibus ita scribit: *Vox* Citrus *nec Græcanica neque Latina est: sed quia tam lignum quam fructus ejus primum à Pœnis, Africæ litora incolentibus, in Italiam advehebatur; ideo haud absonum erit statuere, ipsammet vocem pariter ab eorundem lingua petendam esse. Venit ergo* citrus *à Punico seu Ebræo* קטר, *quod in* pihel *significat* adolevit, suffivit; *unde nomina* קְטֹר suffitus, ac קְטֹר fumus *veniunt.* Græcis vocatur μῆλον Μηδικὸν, ἢ Περσικὸν, ἢ Κεδρόμηλον (seu potius, teste *Vossio l. c.* Κιτρόμηλον) *Dioscor. l.* 1. *c.* 136. it. μῆλον κίτριον: Latinis *malum s. pomum citreum, citromalum Matthiol. in Commentar. ad Dioscor. l. c.* Ab Antiquis *malum Medicum, Persicum*, vid. *Theophr. Eres. l. c. Assyrium à Plinio H. N. l.* 12. *cap.* 3. nominabatur, vel à virtute, quâ pollet, Medica, quod vult *Claud. Deodat. Panthei Hygiast. l.* 1. *c.* 29. *pag.* 309. vel à terris, ubi familiare & frequens admodum erat, quod verosimilius, vid. *Calepini Dictionar.* voce Media. Post autem teste *Galeno de Medic. simpl. facult. l.* 7. *c.* 3. non amplius *malum Medicum*, sed ab omnibus *citreum* appellabatur. *Athen. Dignos. l.* 3. *c.* 111. hæc *mala Hesperica & χρυσὰ μῆλα* vocat, sed minus bene, cum *J. B. à Stapel. l. c. pag.* 338. *seqq.* multis rationibus stipatus, *Hesperica* mala *Cotonea* esse dicat. In vernacula nostra *eine Citrone, ein Citron*-it. *Judenapffel* salutatur, quia Judæi in festo Palmarum celebrando hoc fructuuti dicuntur, ceu præter alios vult *Tragus in hist. Stirp. l.* 3. *c.* 40. *Majora autem mala citrea Citrinat*, it. *Citronatäpffel* vocantur, conf. *Christ. Vielheuers Beschreibung frembder Materialien und Specereyen, part.* 2. *pag.* 94. Qui plura synonyma desiderat, evolvat *Hermol. Barbari corollar. in Dioscor. l.* 1. *c.* 176. *C. Bauhin. pinac. l.* 11. *Sect.* 6. aliosque. *Arbor*, quæ hunc fructum profert, Græcè μηλέα Μηδικὴ, ἢ Περσικὴ, it. Κιτρέα, Latine *malus Medica, Persica, Assyria*, it. *Citrus, malus citrea & citria*, Germanis *ein Citronen-Baum* audit. *Malum* autem hic fructus vocatur, quia præter formam id cum cæteris malis commune habet, quod brevi gaudeat pediculo; *pomum* vero, quoniam, attestante *C. Bauhin. in Addition. ad Matthioli Commentar. in Dioscorid. l. c.* fere omnes perspicuæ magnitudinis fructus ita nuncupari soleant. Duplici vero sub sensu *mala Medica* sumuntur, & quidem *latè* sub se comprehendunt *Limonia* & *Aurantia*, utpote quæ illorum genera sunt, *strictè* vero pro in specie sic dictis *pomis citreis* intelliguntur. Monendus autem est B. L. me sub *citreorum malorum* nomine illa comprehendere, quæ apud nos pro *citreis* venduntur, licet his sæpissimè *limonia* mala intermixta sint; cum enim *Limonia citreis* facie & facultate fere respondeant, facile tota hæc dissertatio paucis mutatis ad eadem quoque applicari poterit. Ex modo dictis constat, me neutiquam *artificialia illa ex ære fabricata, concava, occulto dotata siphone* commemoraturum *citrea mala*, quibus aqua repletis otiosi homines incautos adstantes subito terrere ac madefacere solent, ea etenim ad forum Medicum non spectant. Quod *arborem* attinet, plurimum ea differt ab illa *mala Persica*, quam Germani

einen Pfirſichbaum nuncupant, ceu cuivis notum. Duæ quoque arbores apud Latinos *Citri* nomine gaudent: *malus citrea*, de cujus fructu heic agere conſtitui, & *citrus cupreſſo ſimilis*, quam Græci Θύον, Latini *arborem vitæ* vocant, quamque deſcriptam vide apud *Theophr. l. 5. c. 5. Joh. Jonſton. dendrogr. l. 5. artic. 5. punct. 4. p. 281.* ex qua *menſæ* illæ, Veteribus, *Plinio* maxime, *H. N. l. 23. c. 15.* decantatæ quasque *citreas* vocarunt, dedolabantur, de quibus ita *Petronius:*

— ecce Afris eruta terris
Citrea menſa —

An autem *citreum pomum* Antiquioribus cognitum fuerit, hic non diſquiram, cum id jam egerint *Athen. & J. B. à Stapel. ll. cc. pag. 523.* Hoc ſaltim adnotare lubet, *Homerum & Nævium* Poëtas, teſte *J. Langio l. 1. epiſt. 67.* veſtes, quibus ad gratum odorem conciliandū *citrea mala* interpoſita fuere, *citroſas* nuncupaſſe, unde illud *Nævii:*

Pulcram ex auro, veſtemque citroſam.

CAPUT II.

ARBOREM CUM FRUCTU DELINEAT.

Indicato nomine preſſo pede ad ipſam arboris & fructus deſcriptionem progredior, ut, è qua arbore hæcce poma legantur, B. L. pateſcat. Eſt itaque *citrus arbor* exotica pomifera non magnæ proceritatis, *radicibus* copioſis & tenuibus ex fuſco flaveſcentibus, brevi *trunco*, qui cineritio & ſubaſpero libro circumdatus eſt, *ramis* oblongis, craſſis, firmis & obſequioſis, partim truncum verſus anguloſis & viridi glabraque cute veſtitis, è quo ipſi tamen ligno infixæ *ſpinæ*, viridescente lævique cuticula tectæ, unciales ferè, rectæ & rigidæ, ſub foliorum annexibus, prodeunt. *Folia* ſeparatim hinc inde poſita, oblonga, lata, lævia, odorata, per ambitum non profunde ſerrata, ſemperque viridia, adeoque laurinis non admodum diſſimilia, niſi quod dilutiora juglandis folii magnitudinem fere adæquent, ſuperiori parte ſplendentia, inferiori verò nonnihil pallida, brevi pediculo inhærent. Coſtula præterea dorſali donata ſunt, quæ ramulos ad latera ſpargens multiplices effingat areas, quas utriculi, diaphano ſucco turgidi & aliquomodo hiantes, occupant; hinc omnes Botanographi ſcribunt folia, ſi radiis Solaribus opponantur, minutiſſimis foraminibus, non ſecus ac hyperici folia, perforata conſpici. *Flores* calici inſidentes ſupremis ramulis innaſcuntur, candidi, foris ſæpius purpuraſcentes, & oleoſis guttulis, ſeu potius utriculis oleo diſtentis extus conſperſi, calathi fere effigie, carnoſi, ſolidi, brevique pediculo præditi, & lilia convallium nonnihil redolentes. Interiorem florum partem alba ſtamina, tenuia admodum, occupant, quorum apex flavum tenet capitulum, exiguis globulis luteis refertum. In centro horum ſtaminum quidam ſtylus, turgentibus oleo veſiculis conſperſus & inferna parte globoſus, ſuperna verò hiante capitulo ornatus extat, quo, futuri pomi rudimento, quidam flores deſtituuntur, & proinde infœcundi cito decidunt. Ex hoc itaque ſtylo paulatim incrementa ſumente tandem *fructus* formatur, utplurimum oblongus & ovata facie, interdum rotundior, *Limonii* mali magnitudinem non multum excedens. Exterior *Cortex*, peculiari odore gratiſſimus, adoleſcenti pomo viret, maturo ſuaviter flaveſcit, dilutoque aureo colore ſplendet, rugoſus cætera & quodammodo verrucoſus, nec non innumerabilibus veſiculis, fragantiſſimo oleoſo humore turgidis, quaquaverſum conſitus, brevi, at firmo, pediculo gaudet, qui ubi pomo adhæret, quatuor vel quinque diviſuris eminentem ſquamoſam ſtellulam, (quondam in flore calicem) refert. Flavo cortici ſubeſt candida caro, lignoſis undique fibris conſita, craſſa, firma & exſucca, omnis ſaporis & odoris expers, niſi quod aliquo modo ſubdulcis videatur. *Medulla* interior ſubflava ſucco acido turget, & membranis intercurrentibus, utplurimum denis vel undenis (aliquando pluribus, aliquando paucioribus) ſapore amaritudinis, ſpicas, ſ. potius expanſæ roſæ formam, ſi pomum per medium diſſecetur, referentibus, ab albo fungoſoque meditullio diſtinguitur. Hæ ſpicæ in interſtitiis ſuis *femina* continent incerti numeri, tam perfecta, quam imperfecta & coriacea, hordei granis ſimilia, niſi quod majora ac craſſiora ſint, cortice quodammodo flaveſcente & duro tecta, ſubſtantia vero interiore albida & amara gaudent. Semper autem hæc arbor viret, fere continuo floret (maximè in calidioribus regionibus) ſimulque pomifera eſt, hinc uno eodemque tempore tum poma matura, tum matureſcentia, tum ſubnaſcentia conſpiciuntur; quare *Pontanus* in *hortis Heſperidum* canit de *citro*:

Flore novo, ſemper quoque fœtibus aucta.

Quod folia perpetuo vireant, & tota hyeme arborem exornent, cauſam eſſe puto tum texturam & ſubſtantiam arboris ac foliorum ſolidorem firmioremque, quo minus frigidior aër penetrare, atque ita condenſando prohibere poſſit, ne in foliorum pediculos alimentum ſufficiens deferatur, tum ſuccum, quo nutriuntur, viſcoſum & minus diſſipabilem, utpote oleoſum, vid. *Willis de fermentat. c. 4. p. m. 14.* tum quoque ipſum aërem, qui, ubi minus frigidior eſt,

eſt, foliorum caſum impedit: *Sic in Batavia, inquit J. B. à Stapel l. 3. c. 4. pag. 123. Mali Medicæ folia decidunt, cum in Hiſpania, cæterisque locis ea ſerventur.*

CAPUT III.

POMI CITREI INTERIORA PENITIUS LUSTRAT ET DISSECAT.

Quantum incomparabilis Anatomicus & Italorum decus, *M. Malpighius*, nec non induſtrius *N. Grevv*, Societatis Anglicanæ digniſſimum membrum, de re Botanica meriti ſint, teſtantur eorum accuratiſſimi *de Anatome plantarum* conſcripti libri, quos omnes docti admirantur & magni æſtimant. Non parum lucis enim tum vegetationi, tum ſtructuræ plantarum addiderunt, dum non tantum varias partium conformationes, multiplices fibrarum plexus, omnis generis receptacula & vaſa, partim aërea, partim ſuccifera, ſed & diverſos diverſiſſimorum humorum motus in iisdem detexêre, quibus intervenientibus toti vegetabilium generi aliqualem reſpirandi facultatem, eorundemque ſuccis perennem circuitum attribuerunt, atque ita de novo qs. vitam indiderunt. Cum itaque ex revelata vegetabilium ſtructura non parum utilitatis ſperandum ſit, mearum quoque partium eſſe cenſui, hcic pro viribus in citrii pomi intima cultrum adigere, ejusque viſcera tum nudis oculis, tum viliori, quo hactenus uſus ſum, microſcopio armatis, conſiderare, ut etiam interior ejus facies eò melius innoteſcat. Inſpicienti itaque ſæpius memoratum fructum, ſtatim occurrit *cortex*, qui duplex eſt, exterior flavus, & interior candidus. Ambo ex multis conſtant fibris ligneis, è pediculo (cum cæteris vaſis) per plures faſciculos eo transmiſſis, quæ in exteriori flaveſcente cortice tenue & eleganti modo configuratum rete effingunt, cujus interſtitia congeries utriculorum, humore oleoſo turgidorum, replet; in interiori v. ſ. candida cute dictæ fibræ partim recta linea intra exteriores diviſuras, quibus acidæ medullæ pericarpia per longitudinem fructus à ſe invicem diſtinguuntur, excurrunt, quod cuivis bene maturum fructum ab ambobus exterioribus corticibus liberanti patebit, partim multis ramuſculis in albida hac ſuſtſtantia varie pererrant. Notandum autem quasdam harum fibrarum minus duriuſculas, & intus concavas, peculiarem ad partes evehere ſuccum, & alias eundem à partibus ad radicem revehere, cæteras vero lignoſas plane & majores pro fructus ejusque partium robore & firmitate à provida Natura fabricatas eſſe. Patet exinde, humores in plantis æque, ac in animalium corporibus circulari, quod præter laudatum *M. Malpighium* & *Neh. Grevv*, Excell. *J. D. Major de planta Gottorp. monſtroſa* §. 33. *ſeqq.* luculenter demonſtravit. Quod dictos attinet utriculos, ſunt hi diverſæ magnitudinis & figuræ, quidam enim majores, quidam minores, alii rotundi, alii triangulares, quadrangulares &c. alii denique oblongi, omnes vero peculiari membranula præditi ſunt tenui & pellucida, qua humorem oleoſo-volatilem, ante maturitatis tempus virideſcentem (unde viridis adoleſcentis pomi color derivandus) per maturitatem autem flaveſcentem continent, qui in exſiccatis maturis corticibus in flavam, in unoquoque utriculo conſpicuam, reſinam concreſcit. Membranulæ utriculorum ſpongioſa adjacet ſubſtantia, glandularum munere fungens, cujus ope aliqua humoris oleoſi per fibras ſucciferas (hic arterias æmulantes) eo delati ſecretio fit, qua idoneum ab inidoneo ſeparatur, & in appoſitos utriculos ponitur, reliquo liquore per alias fibras, itidem ſucciferas (animalium venis analogas) remeante, & pro ulteriore ſui elaboratione ad radices deproperante. Liquor in utriculos depoſitus ſenſim Solis ope excoquitur & volatiliſatur, donec fructus omnimodam nactus fuerit maturitatem. Quoad alterum, album nimirum corticem, videtur is ex innumeris ſibi invicem appoſitis candidiſſimis bullulis, ſed inanibus, ſpumam fere referentibus, conflatus eſſe, cujus ſubſtantiam fibræ vario modo percurrunt. Hac carne remota ſeſe offert *acida medulla*, quæ à tenui, aſt valida, cuticula inveſtita, interius pro ſeminis munimento à novem vel decem plus minus membranis (quas propter ſimilitudinem tot diaphragmata vocares, vel, ob contentum ſemen, pericardia diceres) ex duabus cuticulis denſis, quas fibræ tam ligneæ, quam ſucciferæ ex interiori candida medulla copioſè perreptant, compoſitis, per longitudinem pomi excurrentibus, ſemicircularibus & robuſtis, in tot oblongas concamerationes ſeu potius uteros diſpeſcitur, quorum quilibet differentis numeri ſemina, tam perfecta & per maturitatem libera, quam imperfecta, ſucci plena & fibrarum ope membranis adhucdum adhærentia continet: reliquam cavitatem ſibi invicem appoſiti infiniti ſacculi, cryſtalli inſtar pellucidi, oblongi, à *M. Malpigh. in anat. plant. part. 1. tab. 48. num. 279.* depicti replent; quilibet ſaccus, ſuo pediculo firmatus, à fibroſo faſciculo per tenuem illam cu-

tem, integram pulpam exterius inveſtientem, diſperſo dependet, & propria membrana pellucida innumeram cellularum, interius conſpicuarum, ſuccoque acido turgidarum, ſeriem ambit. Hi ſacculi pro ſeminis tutela creati ſunt, quare ſemini propiores eidem extrema ſui parte adhærent, & avulſi in exteriore ejus cortice ſui veſtigia relinquunt; nonnunquam eorum ope duo, tria quatuorve ſeminis grana ſibi invicem ita annectuntur, quaſi connata eſſent. *Succus* autem, qui in hiſce receptaculis reperitur, per peculiares fibrarum faſciculos ad ſuperius indigitatam cuticulam delatus, in ſacculos pediculis ſuis adhærentes deponitur, ibidemque ſuam tandem fatetur aciditatem, ſi quidem in vaſis ſuis fibroſis adhuc contentus revera acidus non exiſtit. Nimirum humor per dictas fibras fluens, ante fructus omnimodam maturitatem plurimo ſale fixo, à terreſtribus particulis implicato, conſtat, qui ſal poſtmodum in cuticula (prævia ſubtili quadam filtratione) terrenis compedibus liberatus & ſui juris factus in ſacculos defluit, una cum particulis aqueis, cum quibus ſeſe intime conjungit, &, pro ſalium more, ab iisdem diſſolvitur, unde hujus ſucci aciditas, quæ in ſale fixo in fluorem effecto, teſte *Willis. de anim. brut. part.* 1. *c.* 12. conſiſtit, derivanda venit. Nemo tamen inficias ibit, ipſas ſacculorum cellulas ad acidi hujus ſucci perfectionem plurimum contribuere, ceu elegans harum fabrica id ſatis arguit. Affluentibus autem quotidie per maturitatem copioſioribus aqueis particulis, ſalina ſpicula magis magisque hebetantur & obtunduntur, unde ſuccus plurimum aciditatis deponit, ita ut tandem mitior evadat, quod in malis citreis plus quam maturis obſervare licet. Hic autem ſuccus (vel potius integer fructus) à Natura ſeminum gratia productus eſt, in quorum nutrimentum cedit & incrementum; videmus enim in omnibus fere pomis præter ſemina matura quoque immatura, & ſucci, inſipidi fere, plena, quæ adhuc debitum exſpectant nutrimentum ſuum. Fructus centrum per longitudinem albiſſima, aſt exiguæ capacitatis, *medulla*, pro ſuccorum feliciori elaboratione & perfectione, ex meris & inanibus fabricata bullulis occupat, cujus extremitatem in circulo diſpoſiti tum fibrarum, & lignearum, & ſucciferarum, faſciculi, tum tracheæ ſeu vaſa aërea varie percurrunt. Hæ tracheæ in trunco arboris & pediculo melius obſervari poſſunt, quam in fructu, ubi oculo nudo vix in conſpectū veniunt, armato vero ſub obſcura viridi macula apparent, & ſpirales ſunt, ne ſubtilior aër uno impetu tranſire, ſed aliquam in iis morulam, pro ſuccorum fluiditate & ſubtilitate conſervanda & ulterius promovenda, nectere cogatur. Reſtat *ſemen* examinandum, quod imperfectum adhuc ſuo apice pediculo, è fibris ligneis, ſucciferis & tracheis, ipſam ſeminis ſubſtantiam intrantibus, compoſito adhæret, quorum vaſorum ope, poſtquam ſuam nactus eſt perfectionem, à pediculo, ceu fœtus à funiculo umbilicali, decidit: munitum autem eſt variis involucris, quorum exterius partim ex fibris ligneis, partim glandulis conſtat, quod quilibet facile videbit, cui ſeminis, aqua per unum pluresve dies macerati, corticem detractum tactu & viſu explorare lubet. Huic ſubjacet ſecundum involucrum, cuticula ſc. tenuis & diaphana, quam ſequitur tertium itidem tenue, aſt puniceo colore tinctum, cui quartum & ultimum ſubtiliſſimum firmiter annectitur. Per has membranas humor, è terræ gremio pro ſeminis germinatione transmiſſus, progreſſu temporis filtratur & percolatur, quo poris plantulæ ſeminalis reſpondere queat: Eodem itaque modo, ac animalium fœtus, hoc ſemen ſeſe habere quis non videt? Siquidem è terra (*matre*) ſuccus (*ſanguis*) in ſeminis exteriorem corticem (*uterum*) & quidem ejus glandulas (*tot placentulas ſeu acetabula*) mittitur, in quibus ſequeſtratus pergit ad ſecundum involucrum (*chorion*) per quod filtratus tertium (*an allantoidem?*) & poſt quartum (*amnion*) pervadit, ſicque ſeminalibus lobulis commiſſus inhærenti plantulæ (*embryoni*) nutrimentum præbet &c. his enim amplificandis jam ſpatium denegatur. Detractis omnibus hiſce involucris ſuccedit nudum ſeminis parenchyma, quod in duos lobos majores externos, & duos minores internos dividitur, in quibus ſeminalem plantulam nonniſi per optimum microſcopium cernere licet. In ſeminis apice exiguum quoddam foramen occurrit, per quod in vegetatione radicula tranſit & terræ infigitur, è qua ſuccum haurit idoneum, pro plantæ accretione, nutritione & augmentatione, de quibus alio tempore verba faciam. Hæc ſunt, quæ in ſæpius iterato mali citrei examine, prænonſtrante mihi nonnulla Nobiliſſimo atque Excellentiſſimo *D. J. C. Peiero*, Anatomico dexterrimo, Fautore meo venerando, obſervare potui; quod ſi forte quidam irrepſerint errores, culpam tum in ſubtile hoc & abſtruſum anatomiæ genus, tum in optimorum microſcopiorum defectum puto rejiciendam.

CAPUT IV.

GENERA ET DIFFERENTIAS RECENSET.

Citrum arborem eſſe *pomiferam*, cuilibet illam adſpicienti primo patebit intuitu, cum ſemper & adoleſcentia & matura mala foveat. *Joh. Raju* in elegantiſſima *plantarum methodo* arborem

rem vocat *pomiferam*, *foliis perpetuis & fructu ovali ac oblongo majore: Joh. Jonston. in dendrogr.* inter arbores *pom-aciniferas* optimo jure recenſet. Multa vero paſſim à *Botanologis* Mali Medicæ genera à ſe invicem nonnihil diſcrepantia notantur, quæ pro *magnitudine arboris folio, flore, fructu, patria &c.* variam ſortiuntur denominationem. *Quatuor* quidem utplurimum recenſeri ſolent: 1. *Malus Citria.* 2. *Malus Limonia.* 3. *Aurantia* & 4. vulgò vocata *Adami ſeu Aſſyria. C. Bauhinus* autem *in pinace l. c. quinque* proponit: I. *Malum Medicam vulgarem* (quam hic in *ſativam*, nobis familiarem, & *ſylveſtrem* in calidioribus regionibus, Indiis imprimis frequentem divido.) II. *Maximam fructu pulpa plurima*, III. *fructu ingenti tuberoſa*, IV. *ab Imperatore Carolo V. ex Hungaria in Hiſpaniam delatam*, cujus fructum omnium Mali Medici generum acidorum ſuaviſſimum teſtatur *C. Cluſius in hiſt. rar. plant. l. 1. c. 4.* V. *Malo Medicæ affinem Javanenſem folio rotundiore.* His *Joh. Jonſt. dendrog. l. 1. tit. 1. c. 1. art. 3.* addit α. *malum citream fructu dulci.* β. *Fructu multiformi & digitato.* γ. *Tria mala citrea rara.* Ex *exoticis* ad citrum referri poſſunt, ſecundum cit. *Jonſt.* præter 1. *Samaciferam Javanorum* à *Joh. Bauhin. hiſt. plant. univerſ. Tom. 1. l. 1. c. 44.* deſcriptam, cujus jam ſuperius mentionem feci, 2. *Ibacamuci*, de qua conſule *Marggraff. hiſt. plant. Braſil. l. 3. c. ult.* 3. *Quauhyyac Ocuilenſium*, cujus meminit *Nieremberg. hiſt. exotic. l. 14. c. 74.* His ego annumero illam arborem, cujus fructus à *J. Bontio in Hiſtor. Nat. Med. Ind. Orient. l. 6. cap. 28. p. m. 115. Mangoſtan* vocatur: hujus enim folia, ut & truncus & rami, niſi quod ſpinoſi non ſint, mali citrei arborem æmulantur, & niſi odore diſtinguerentur, qui hujus *Mangoſtan* foliis nullus eſt, procul dubio aſpectum fallerent. Has vero ſpecies heic deſcribere nimis prolixum foret: enarrabo ſaltem, qua ratione à vulgari citro pleræque abludant. Quod itaque *malum Limoniam* & *Aurantiam* reſpicit, differt illa à citro ratione *foliorum*, quæ anguſtiora, *ſpinarum*, quæ breviores, *fructuum*, qui minores dilutiore flavedine, tenuiore cortice & acidiore ſucco gaudent, ac *ſeminum*, quæ minus frequentia & amara magis ſunt; Hæc vero ratione *magnitudinis:* citrea enim arbore major eſt, *foliorum*, quæ licet colore citreis ſimillima ſint, gemella tamen qs. videntur, dum folia appendice quadam, juxta pediculum, cordis formam nonnihil referente, dotata ſunt, acuminatiora inſuper, anguſtiora & circa ambitum minime ſerrata conſpiciuntur, & *fructuum* denique reſpectu, qui orbiculata facie aureo colore fulgent; denique *malus Adami*, *Citrius altera Cordo* dicta, a citro in tantum differt, quod *folia* habeat inſtar Limoniæ mali, & *fructum* aurantio pomo ſimilem, ſed duplo triplove majorem proferat, vertice obtuſo, depreſſo & inæquali, cortice fiſſuris quibusdam exaſperato, perinde ac ſi dentibus demorſus eſſet. Accurate vero cum foliis depictum videbis malum *citreum, limonium, aurantium, Sinenſe & Adami* apud *Excell. Elsholtz. in diætet. l. 1. c. 7. pag. 85. & 89.* Ratione *florum* à vulgari citro differt illa, quæ *flores* profert *plenos*, cujus mentio fit apud *A. Mandirolam im Italiäniſchen Blumen- und Pomerantzen-Garten*, ubi plura Malorum Medicarum genera recenſentur. Differentiæ à *fructu* petitæ multiplices ſunt: conſiſtunt autem 1. *in magnitudine*, quæ variat: nonnulla enim mala, referente *Matthiol. l. c.* in tantam excreſcunt molem, ut *melopepones* magnitudine æquent, cujusmodi ſunt quæ ex Liguria & Adriatici Ægeique pelagi Inſulis afferuntur: quædam *humani capitis magnitudine* (ceu *Joach. Camerar. in horto Med. & Philoſ. pag. 43.* tradit) in Gallo-Provincia obſervantur, & *Pomeires*, quaſi poma cerea vocantur, quæque cum tertio *C. Bauhini* genere conveniunt. Conſentit *Hieron. Welſch Reiß-Beſchreibung c. 51. pag. 271.* ubi ait: *Um Sevillien in Spanien wachſen ſie eines Kopffs groß. In Guinea findet man ſie zuvey Fauſt groß, und noch gröſſer*, teſte *Hemmerſam Reiß-Beſchreib. c. 5. p. m. 44.* alia *minora* ſunt: alia *Limonum* magnitudine, vel *paulo majora*, qualia prope lacum Benacum reperiuntur, quæ vulgaria ſunt. Huc quoque *pondus* referri meretur, de quo *Joh. Baptiſta Ferrarius in Heſperid. l. 2. cap. 3.* ita loquitur: *Sex aut novem librarum Calabris conſuetum, inſuetum triginta, quod compertum eſt in Liguſtico. Salodienſis ab libra in ſexdecim: &, ſi quosdam audiamus, in quadraginta: Romani nonnunquam ad vicenas usque libras.* De malis citreis, quæ melopeponibus paria creſcunt, notant *Cardanus* & *Geſnerus*, citante *C. Bauhin. in pin. l. c.* quod quandoque ad *decem librarum pondus* perveniant: Illa vero quæ ad nos afferri ſolent, utplurimum *octo* vel *decem* plus minus *uncias* pendent. 2. *Figura*, quæ itidem diverſa eſt; quædam enim prælonga, quædam rotundiora, aliaque forma conſpiciuntur. Sic *J. Jonſton. l. c. ex J. B. Ferrar. l. a.* malum citriam *fructu multiformi* ita deſcribit: *Seneſcens pomorum varietate variat, aliud digitatam expanditur in manum: aliud ſororiantes extumeſcit in mammas: viſitur hoc avium ritu roſtratum, illud facie gallinacea criſtatum: hoc hircino, illud bubulo more corniculatum.* Idem *Jonſton. l. c.* pomum citreum vulgare *belluatum*, it. *cucurbitinum*, nec non *monſtroſum* illud maximum, calceum Polonicum & Turcicum referens, quod Stutgardiæ in horto Aulico natum, & à *Joh. Bauhin. tr. de fonte admirab. Bollenſi* deſcriptum eſt, depingit. Mentio quoque fit pomi citrei *manuformis* in *Ephem. Acad. N. C. G. dec. 1. an. 9. obſ. 3. coronam imitantis dec. 2. an. 2. obſ. 11.* Et *Barthol. Marantha meth. cognoſc. ſimpl. l. 2. c. 11.* tradit, mala Medica operoſo cultu ita efformari poſſe, ut & *maris & fœminæ genitalia* referant. Sic quidam fructui naſcenti

formas figulinas, varias intus imagines refetentes, aliquo tamen in loco pro ingreſſu aëris perforatas, artificioſè adaptare norunt, hasque, donec fructus per incrementum formam figulini vaſis contraxerit, ita relinquunt, poſtmodum tollunt, quo fructus, maturitate ſuperveniente, à Solis radiis nativum queat adipiſci colorem. 3. *Odore*, qui in aliis ſuavior, in aliis debilior deprehenditur. 4. *Colore*, ſiquidem hæc mala dilutiore, illa ſaturatiore luteo cortice fulgent: Artis quoque adminiculo huic fructui alienum nonnulli tentant conciliare colorem, inter quos Magnificus atque Celeberrimus *D. Præſes*, Fautor & Præceptor meus nunquam ſine honoris præfatione nominandus, *in invitat. ad ſolenn. herb. luſtrat.* 1681. §. 4. recenſet *Florentinum*, qui citri poma moro inſita *rubra* fieri ſcripſit. 5. *Sapore*, quo alia remiſſiore, alia vehementiore obſervantur, & quidem communiter *acido*, aliis tamen, ſed rarius, *dulci* eſt. Hæc dulcia poma in hortis circa urbem *Patras* copioſe proveniunt, teſte *Jac. Spon. in ſeiner Reiſs-Beſchreib. l. 4. f. 4.* qui inquit, *das inwendige iſt ſüſs und kan man es wie einen Apffel genieſſen, aber der wenige Safft in der Mitte iſt ſauer.* Duo malorum citreorum genera in Regno Tunquin reperiuntur, ita referente *Joh. Baptiſt. Tavernier in ſeiner neu und ſonderbahren Relation vom Königreich Tunquin c. 3. fol.* 65. quorum quædam *luteo* corticis colore, quædam *viridi* gaudent, omnia vero *acerbiſſimum* præ ſe ferunt ſaporem; Ipſiſſima *Authoris* verba exſcripta lege in hujus Diſſertat. *c.* 12. Quidam citri & autantii ſemina ita artificioſe ſibi invicem conjungere ſciunt, ut *arborem Hermaphroditicam* proferant, quæ poma dat tam odore, quã ſapore gratiſſima, ſicut plura hujus rei exempla Florentiæ extare *Ol. Borrichio* relatum eſt, ceu ſcribit in *Act. Med. & Philoſ. Hafn. p.* 147. Conf. *Act. Philoſ. Angl. Oldenburgii p.* 449. citante Nobiliſſ. & Doctiſſ. *D. König* in elegantiſſ. *Regn. Vegetab. §.* 15. Hujus rei rationem in dictorum ſeminum duarum radicularum concreſcentia quærendam eſſe perſuaſum habeo. Narrat cit. *Sponius l. a. pag.* 9. quod in dicta urbe *Patras* triplicia & acidorum & dulcium citreorum pomorum genera, à diverſis unius mali citreæ ramis pendentia, viderit, ut & citrum trunco aurantiæ arboris inſitam, tam aurea, quam citrina poma ferentem &c. 6. Differunt itidem ratione *contentorum*; quidam enim fructus *plurima pulpa* gaudent, quale eſt ſecundum genus *C. Bauh in pin. l. c.* quidam *craſſiore cortice* obducti nullius fere ſucci ſunt, cujusmodi eſt tertium *C. B.* genus: alii *copioſo ſemine* referti ſunt: alii *rarum* & *inane* fovent, id quod pro diverſitate anni temporum in his fructibus obſervavit *J. B. Ferrar. l. c.* ubi ita fatur: *Menſe Majo præflorentibus acris medulla, ſemina copioſa: Auguſto vel Septembri natis plurimum ſucci, parum ſeminum, eorumque inanium & exſuccorum: Octobri vel Novembri exornata ſucco & ſemine prope deſtituuntur: ipſa admodum tument.* Nonnulla denique mala *prægnantia* deprehenduntur, quæ mirо Naturæ artificio alium in ſuo ſinu, tanquam utero, fœtum continent, quorum exempla leg. apud *J. B. Ferrar. l. c. l.* 3. *c.* 19. *in Ephem. Acad. N. C. G. d.* 1. *a.* 1. *obſ.* 36. *& a.* 3. *obſ.* 241. Conf. *Sachſ. Gammarolog. l.* 1. *c.* 8. *& in append. ad hoc caput p.* 885. Magnif. *D. Præſid. Satyr. continuat.* 3. *lit. d. prægnans triplicatum* deſcribitur in *Eph. cit. a.* 4. *&* 5. *obſ.* 54. Cauſam hujus imprægnationis ego, ſi quid hac in re hariolari poſſum, vel in ipſa *ſemina*, quatenus duorum ſibi proxime accumbentium ſeminum primæ radiculæ concreſcunt, quæ poſtmodum ita commixtæ duplicem fructum proferre poſſunt, conf. *J. D. Major l. c. §.* 28. *ſeqq.* vel in *inſitionem*, quam Itali (teſte *Zach. Ennichmann c.* 2. *Hiſt. plant. general.* diſputationis loco, Præſ. *Joh. Theod. Schenk. Jenæ* 1656. *publ. expoſ.*) in pomis citreis & aurantiis ſub uno cortice du- & triplicandis ſæpius inſtituunt: vel etiam in duorum ſibi invicem à prima nativitate arctius conjunctorum fructuum *coaleſcentiam* rejicerem. Hæc mihi in memoriam revocant *ovum illud gallinaceum prægnans*, quod hic Heidelbergæ in cujusdam ædibus *d. 7. Auguſti* 1685. a gallina Indica depoſitum aliud in meditullio fovebat ovulum, magnitudine nucis moſchatæ majoris, exteriore cortice ſubaſperum, quod Magnif. Dominus *Præſes* inter alia rariora reſervat. Elegans & admirandus Naturæ luſus eſt *malum aurantium citreo gravidum*, quod depingit *P. Bocconus in Icon. & deſcript. rar. plant. Sicil. Melitæ, Galliæ & Italiæ p.* 3. Conf. *Eph. N. C. G. d.* 2. *a.* 2. *obſ.* 12. *Act. Angl. Philoſ. num.* 29. *§.* 8. Heic meminiſſe juvat *arboris* illius *aurantiæ*, quam Baſileæ ante biennium in horto quodam vidi, cujus fructus exteriorem corticem ſecundum longitudinem & ſtriatim, ſegmentorum inſtar, alius pomi citrei cortex inveſtiebat, eleganti ſane ſpectaculo, dum elevatus quodammodo exterior citrinus cortex ſuaviter flaveſcebat, transparente ex interſtitiis grato immaturi aurantii pomi virore. 7. *Patria* tandem differunt: quædam enim mala ex noſtris oris petuntur, quædam ex Italia, Gallia &c. ad nos transportantur, quæ quoque noſtris præſtantiora ſunt. Plurimæ vero dictarum differentiarum, quæ cum in exteriori, tum in interiori fructus parte obſervantur unquam, vel à fortuito caſu, vel ab humana induſtria, translatione, inſitione, omnique cultus mangonio proficiſcuntur. Lubet ob rei affinitatem & raritatem huic capiti annectere verba Nobiliſſ. atque Excellentiſſ. *D. J. D. Dorſtenii*, Medicinæ in alma Marpurgenſi P. P. mei quondam Præceptoris colendi, quæ in reſponſione ad epiſt. Nobiliſſ. & Doctiſſ. *D. Mich. Bernh. Valentini, M. D. de Monſtror. Haſſiac. ortu atque cauſis* Id. April. 1684. dat. profert: *His ipſis diebus lapidem è ſabulo Lani ſelectum accepi, qui & quantitate & figura corticem dimidii pomi citrei quam exactiſſime refert, ut jures excavatum citreum lapideſcere poſſe &c.*

CAPUT

CAPUT V.

LOCUM NATALEM, CULTURAM, COLLIGENDI TEMPUS, ASSERVANDI MODUM, ET DELECTUM TRADIT.

Cum citrea malus ab Antiquis *Medica* & *Persica* nuncupata fuerit, ceu ex cap. 1. patet, facile inde colligere licet arborem hanc *Patriam* agnoscere *Mediam* & *Persiam*, quod *Theophrast.* & *Plin. ll. aa.* satis indicant. Ex his regionibus *Palladii* diligentia in *Italiam* translatam fuisse *Matthiol. l. c.* verbis seqq. refert: *Hæ* (citrias arbores intelligit) *Plinii ævo non erant in Italia, ut ipse testatur l. 12. c. 3. ubi inquit, sæpius tentasse gentes plantas è Media transferre ad se, quæ tamen ibi diu vivere nequiverunt, licet magna cultorum solertia fuerint enutritæ. Nunc vero contra translatitiæ factæ sunt, atque cum Italo solo tantam inière gratiam, ut non modo in maritimis, sed in mediterraneis quidem tum hortis, tum viridariis, tum etiam nobilium lacuum ripis frequentissimæ feliciter germinent, postquam cultu & diligentia Palladii (is enim proditur primus artem adinvenisse) factum est, ut ex Media in Italiam translatæ prosilierint & propagaverint.* Hinc in *Hispania* in usum devenit, teste *Nic. Monardo in Epist. de Citriis ad Quadram Archiehirurg. Hispan.* ita ut nemora & campos occupaverit: conf. *Hieron. Welsch Reiß-Beschreib. c. 41. p. 225.* & *Anonymi Itinerar. Hispan. c. 2. p. m. 9.* Hodie in *Regni Neapolitani, Hispaniæ* & *Gallo-Provinciæ tractibus maritimis*, referente *Frid. Hoffman. clav. Schræd. l. 4. S. 1. §. 111.* ut & in *viridariis* prope *lacum Benacum*, aliisque calidioribus locis copiose provenit. Sic in *Corcyra, Zacyntho, Creta, Cypro ac Tripoli* abunde proveniunt, teste *Joh. Cotovic. in paræneſi ad Lector. Itinerario suo Hierosolym.* & *Syriac. præfixa. Indiis* quoque citrus familiaris & frequens est; refert enim *Joh. Bauhin. hist. plant. univ. Tom. 1. l. 1. c. 25. pag. 100.* illam in *Insula S. Helenæ, Brasilia* aliisque novi Orbis partibus ubertim reperiri, quod nauticæ Ephemerides confirmant. Integra *malorum citrearum nemora*, delatis hinc inde per alluviones seminibus, *in Peruana, Nova Hispania*, & vicinis locis exorta *Joseph à Costa hist. Occid. l. 4. c. 31.* memorat: Et *Guilielm. Piso hist. Nat. & Med. Indiæ utriusque l. 5. c. 20.* scribit: *Mali citreæ & limoniæ, ut olim in Hispaniam & Italiam, sic quoque in Indias Occidentales translatæ, & licet illic per insitiones aliaque naturæ adulteria hortenses, hic vero in America etiam nunc minus excultæ sint, tamen ob calores Solis perpetuos & soli hujus genium, Europæis sativis si non præstantiores, saltem pares existunt, adeoque sponte in sylvis satæ stercoribus avicularum depositæ luxuriant, ut ob nimiam ubertatem vilescant.* In *Sina* optima mala citrea nasci *Trigaut. de regno Sinæ c. 3. p. m. 20.* refert. In *Guinea Hemmersam l. c.* In *Java majore Albr. Herport Ost-Indianische Reiß-Beschreib. p. m. 28.* Idem *ibid. pag. 102.* ait: *Auf der Insul Formosa gibt es süsse und saure Citronen.* In *Gusurata* Indiæ malos citreas frequentes esse author est *Mandelslo in seiner Reiß-Beschreib. l. 1. c. 13. fol. 46.* qui *ibid. c. 6. fol. 17.* ait: *Um Schiras in Persien wachsen viel Citronen:* it. in *Rischmisch* Persiæ Insula *Id. l. c. fol. 28.* Malorum citreorum abundantiam in Galliæ oppido, *Hieres* vocato, *Jacob Spon in seiner Reis-Beschreib. durch Italien, Dalmatien &c. l. 1. fol. 7. seq.* innuit: *die Citronen und Pomerantzen-Bäume sind allda sehr vervvunderlich, und scheinet mehr die Natur einer Verschvvendung anzuklagen, als daß die Menschen solche anzubauen allzusehr bemühet seyn solten; ein Edelmann in dieser Gegend erhebt jährlich bey die 15000. Pfund Renten von den Seinigen, ob sich schon sein Gebiet so weit nicht erstrecket.* Nec *Germania* nostra arboribus hisce destituitur, cum in multis, non tantum Principum, hortis istiusmodi arbores & floribus & fructibus simul onustæ conspiciantur, imo quandoque exoticas magnitudine superent. Sic ante 4. & quod excurrit, annos in horto Aulico Stuttgardiano non tantum *Citreas*, sed & *Aurantias* & *Punicas arbores*, nostrati Cydoniæ malo pares, Alii mecum observarunt. Cum autem hæ arbores non tot possint gignere fructus, quot in nostros quotidie impenduntur usus, singulis annis ex *Italia* & *Gallo-Provincia*, inprimis *lacu Benaco* ingens tum arborum, tum fructuum, & *recentium* & *muria conditorum* quantitas ad nostras mittitur oras. Id tamen notari velim, citrea mala, quæ ex dictis locis ad nos terra marique transferuntur, ante perfectam maturitatem decerpi, quo melius asservari & à putredine vindicari possint, siquidem matura multo phlegmate abundant, hincque gustu mitiora putredine citius corripiuntur. Colitur autem hoc arborum genus ob ornatum potius, quam lucrum, in hortis nostris, ubi in vasis ligneis perforatis studiose asservatur. Vario autem modo ab hortulanis nostratibus plantatur ac propagatur: vel enim *semina* opportuno tempore idoneæ terræ traduntur, sed hoc modo sata sero flores & fructus profert: vel *surculus* citri resectus simpliciter terræ infigitur, quod tamen non semper ex voto succedit: vel *ramulus* aut *gemma* trunco alterius arboris, v. gr. mali *aurantiæ, limoniæ* &c. secundum artem inseritur, quo artificio apud nos feliciter succrescere solet: vel *surculus* arboris vulneratus vasculo cuidam perforato & optima terra repleto committi-

mittitur, donec ſufficientes ad transplantandum radices egerit: vel denique ipſæ *arbores* ab externis injuriis bene munitæ ex diſſitis locis in noſtros transferuntur hortos, de quibus ſerendi, plantandi propagandique modis omnino vid. *Mandirol. l. c.* Excell. *Sigism. Elsholt. Gartenbau, Horticultura Petri Laurembergii*, aliique. *Solum* autem citrus diligit pingue & molle, ac calidis, ſed irriguis gaudet locis, hinc æſtate ſæpius riganda, & quoniam iteratas foſſiones amat, ſingulis menſibus circumfodienda. *Locus*, cui implantata eſt, à boreali vento immunis ſit: ſola quippe omnium arborum, teſte *Caſſiano Baſſo Geoponic. l.* 10. *c.* 7. alleg. *J. B. à Stapel l. c. pag.* 343. ab auſtro opem ſentit, à borea vero læditur; & quoniam frigoris impatientiſſima eſt, ab hortulanis, inſtante hyeme, vel ſtramineis tectis occluditur, vel in *fornices* fornace inſtructos reponitur, & ſic à frigore defenditur, affulgente vere autem libero iterum exponitur aëri, quod *Ren. Rapinus S. I. Hortorum l.* 2. *p.* 52. ubi de citro agit, ſeqq. innuit:

Idcirco mollem ladant ne frigora plantam,
Cum Boreas, florum ſemper ſaviſſimus hoſtis,
Torquet agens violentam hyemem, vel nubila differt,
Eſt tibi porticibus longum retinenda ſub altis,
Et contra duros hyemis ſervanda rigores,
Donec agat Zephyros annus Solemque reducat.

Cæterum citrus ſedulam ſui requirit *curam*, adeoque diligentem cultorem, qui in hoc arborum genere plantando, in ſerendo ablactando, ablaqueando, propagando, irrigando, cædendo, transferendo & cuſtodiendo admodum peritus ſit, de quibus vide ſis *Mandirol.* aliosque cit. Etenim ſi ab induſtrio hortulano rite tractetur, per multos & ſingulos annos fructuum copiam, adhibitæ ſedulitatis præmium, non ſine curatoris lucro ſpondere poteſt, ſiquidem arbor hæc, teſte *J. Bauhin. l. c. p.* 101. ſupra fidem durare putatur. Referunt quidam rei ruſticæ ſcriptores, citrum per ſympathiam quandam vicinitate & amplexibus *cucurbitæ* recreari, de cujus rei veritate cum nondum mihi conſtet, his inquirendis jam ſuperſedebo, usque dum experientia fultus certius hac de re judicium proferre queam. Rariſſimum eſt, quod *Eraſm. Franciſci in der luſtigen Schau-Bühne* 4. *Verſamml. p.* 602. refert: in horto nempe *P. P. Auguſtinianorum* Romæ *citrum ſine radice* in libero aëre pendere, & tamen folia, flores fructusque annuatim parere: ramis autem ſuis aliarum ſui generis citrorum ramis implicita eſt, & ex horum vicinia ſuum nutrimentum capit. Quod *colligendi tempus* ſpectat, diverſum hoc eſt, juxta ſcopi varietatem: Poma enim, quæ aſſervari debent, decerpenda ſunt cum ramis foliosis ante maturitatis ſtatum, cum plena maturitas declinationis initium ſit, teſte *Helment. Pharmac. & diſpenſat. modern. §.* 59. Quæ vero pro conditura, ſyrupis, oleo, ſemine &c. uſurpanda ſunt, ea legere convenit prorſus matura, & cum vigoris ſui terminum attigerunt, quod utplurimum intra unius anni ſpatium contingit, is enim fructus creditur, tradente *J. Bauh. l. c.* qui per *annum* in arbore duravit, & nullum frigus perpeſſus eſt; qui vero nondum annuus ſua ſponte cadit, minus probatur. Noſtrates autem arbores pro fructus maturitate *duos* nonnunquam *annos* exigunt, immo dantur, teſte *N. Monard. l. c.* arbores, quæ *trium annorum fructum* fovent. Quidam porro in *collectione* fructuum ſidera ſtudioſe obſervant, & ſecundum certos ſtellarum tactus poma colligenda eſſe, ex Aſtrologicis principiis probare nituntur, quibus aſſentiri nequeo, cum eorum opinio ſtramineis nitatur hypotheſibus. *Aſſervantur* autem hæc mala & à putredine vindicantur, ſi loco temperato, nec nimium humido, à ſe invicem diſpoſita & ſegregata deponantur in vas hordeo bene exſiccato plenum, vel paleis aut miſſi ſemine obruantur, aut ſtuppa involvantur, vel denique ipſis citri foliis inſerantur, ut ab omni aëris injuria immunia ſint. Quod ſi vero ad diſſita loca transportanda ſint, optime matura decerpuntur, putredini quippe minus obnoxia. Ex hac forte ratione poma citrea noſtratia illis, quæ in calidis regionibus frequenti incolarum uſui inſerviunt, minora, minusque matura, adeoque acerbiora ſunt; vel enim, ceu modo dixi, immatura ad nos adportantur, vel in noſtris enata hortis debitam maturitatem, ob cœli inclementiam, recuſant. Cæterum tradit *Sylv. Rattray de ſympath. & antipath. p.* 16. Medica mala *inſperſo pane putreſcere*, cujus rei (ſi ita habet) rationem in occulto panis acido volatili conſiſtere autumo, quod exteriorem citrei pomi cuticulam aggrediens, ejusdemque humori oleoſo & alcalino in ſuis veſiculis contento communicatum, novas excitat turbas, unde veſiculæ diſtentæ rumpuntur, ſicque quoddam ulcus, quod in vegetabilibus putrefactionem vocamus, exoritur, quod, humoribus extra vaſa poſitis ſenſim acrioribus factis, undiquaque proſerpit. Quod *delectum* attinet, mala citrea è calidis regionibus allata noſtratibus utplurimum præferenda erunt; alias eligenda ſunt ea, quæ, ceu modo dixi, nondum plane matura ſunt, ſi aſſervari debeant: ſin vero ſaccharo condienda, aut aliis modis ad uſum œconomicum & pharmaceuticum expetantur, præſtant quæ matura & tactu molliora deprehenduntur, plurimaque pulpa gaudent, quale genus *c.* 4. annotavi. Principem aliàs pro medicamentis locum obtinent, quæ à *lacu Benaco* afferuntur, majorem quippe reliquis in ore gratiam ineunt, ceu ſcribit *Cl. Deodat. l. a.* Odoris vero gratia mala citrea *parva* à *J. Jonſt. l.* 1. deſcripta, utpote odoratiſſima laudantur.

CAPUT

CAPUT VI.

TEMPERAMENTUM ET VIRTUTES IN GENERE INDAGAT.

Præmissa citri historia ad ea, quæ rem Medicam magis spectant, deproperandum est, cumque ordine jam examinandum veniat *Temperamentum*, paucis de eodem heic differere conveniet. Admodum vero dissentiunt Botanographi in describenda vegetabilium, maxime vero citrini pomi, temperie, utpote cujus *cortex* quibusdam calefacit 1. & siccat 2. gradu: aliis calefacit & siccat 3. gradu; sic *pulpam* alii refrigerare & siccare (rectius, secundum Excell. D. *Præsid.* in *lex. veg. usual. p. m.* 27. humectare) in 1. alii in 3. gradu asserunt; *semini* quoque hi calefaciendi & siccandi facultatem in 1. illi in 2. alii in 3. ordine attribuunt. Conf. *Francisc. Alexandri Apollo p.* 54. *seq.* Verum enim vero cum hæ qualitates infirmo fulcimento, quaternario sc. elementorum Aristotelicorum numero innitantur, non jam de lite hac componenda solicitus ero. Rectius acuti hujus seculi Celeberrimi Viri ad alia, activa magis, principia confugiunt, & non per qualitates primas, aut harum symmetriam, sed per constitutionem radicalem & virtutem seminalem, ex qua, veluti effectus, modo dictæ qualitates emergunt, concretorum naturalium temperiem felicius explicant. Prout autem variat seminalis ista virtus, cujus rationem Vir de re medica optime meritus *B. Ettmüller in Medic. Hippocr. Chym. c.* 1. §. 8. ex certa particularum materialium, inprimis salinarum, corpora ex seminum directione componentium, habitudine & textura, indeque mutua activitate dependere dicit, etiam variat cujusque rei natura & temperies. Sed plura de his addere, hujus loci non est, cum Acutiss. *Helmont. in scriptis suis* passim, Illustris *R. Boyle in Chymist. Scept. & in Cosm. rer. qualit.* & laudatus *Ettmüller.* in *præfat. Dissertat. de Virtute opii diaphor.* & *in cæteris suis operibus posthumis*, aliique de hisce satis evidenter egerint. Statuo itaque facultates mali citrei petendas esse à certa particularum suarum modificatione, id est, figura, textura, motu & combinatione, quam ipsi peculiarem in prima rerum creatione Omnipotens DEUS, per efficacissimum illud verbum FIAT, elargitus est, cujus modificationis respectu hos avertere morbos, illos asperare solet. *Corticem* igitur exteriorem, præter singularem, quam obtinet, texturam, ob particulas tenues, agiles & ad motum valde pronas, nec non maximam partem plicabiles, ex puriore sulphure & sale volatili constare, hinc calefacere, aperire, penetrare, incidere, attenuare dico, quod tam ex odore, quo pollet, fragrantissimo, quam etiam sapore aromatico patet; id quod alii quoque ex corticis flavedine deducere annituntur; sulphuris insuper præsentiam olei è recenti cortice compresso in candelæ flammam exilientis inflammabilitas satis arguit. Interior & albicans corticis caro, particulis activis pene destituta, ex fixa & terestri materia conflata videtur, masticata tamen exiguam mentitur dulcedinem, dubio procul à portiuncula olei illius sulphurei & aromatici, quæ ex fibrillis succiferis, per hanc carnem dispersis, & dentibus in masticatione attritis, exstillando nerveas linguæ papillas aliquo modo ferit, sicque aliqualem dulcedinem causatur; sapore alias & odore privata nullius, quod sciam, insignioris usus est, quapropter huic ulterius describendæ non immorabor. In *pulpa* activa principia depressa magis sunt & à particulis acidis, *Willisio de Anim. brut. part.* 1. *c.* 12. tetrahedricis (quæ scil. cuspide tereti & acuta, & dein corpore instar cunei majorem in molem acuto constant) ligata, præpollentibus nimirum salinis fixis, quæ ab oblongis, fluidis & plicatilibus, id est aquosis, huic pulpæ copiose inexistentibus, in fluorem evectæ, aciditatem referunt, teste cod. *Willis. l. c.* hinc refrigerare, adstringere, coagulare, & omnia alcalium prosapiæ figere potis est. *Semen* fixas itidem, sed viscosas & ramosas fovere particulas, à quibus volatiles & oleosæ pro futura germinatione detinentur, ex analysi ejus Chymica patet, hacque de causa calefaciendi vim habet. Elucescit jam, quantis præsens fructus destinatus sit *usibus*, quos heic in *Medicinalem, Politicum* & *Oeconomicum* divido. Quoad priorem, *integrum citreum* unanimi *Botanosophorum* consensu *alexipharmacum* & *cardiacum* est, quoniam humores noxios corrigit & per *diaphoresin* & *diuresin* ex corpore propellit; hinc in *morbis pestilentialibus & malignis* miris modis commendant, in *venenatorum animalium*, *viperarum* inprimis, *morsibus* extollunt, & ad *appetitum prostratum sitimque nimiam*, *scorbutum* aliosque morbos cum fructu adhibent. Id tamen notari velim, modo laudatum fructum non promiscue ad omnis generis *Venena* salubriter usurpari posse, cum illa diversimode corpori nostro necem minari soleant, ceu bene monent Illustris *Acad. N. C. G.* splendida bina membra, *Pæon* & *Pythagoras*, Fautores & Præceptores mei maxime venerandi, in *exercit. famil. Anat. & Med.* 42. *pag.* 232. Sub venenorum enim nomine illa saltim heic indigitare volo, quæ *alcalinorum* & *narcoticorum* classi communiter inseruntur. Cæterum *exteriores* pomi *cortices antiloinicorum*, *cephalicorum*, *cordialium*, *stomachicorum*,

rum, carminativorum & uterinorum, ſeu, uno verbo, medicamentorum ele volatili oleoſo turgidorum, albo annumerant: *ſuccum* acidulum medicamentis *diaphoreticis, diureticis, cardiacis, ſtomachicis, alexiteriis, antiſebrilibus ſcelotyrbicis, antinephriticis* inſerunt, & in *ſanguine ferociente* figendo, *ſiti* reſtringuenda, *appetitu* excitando, *vomitu fluxuque ventris* compeſcendo laudant, nec non in quibusdam *cutaneis affectibus* externe adhibitum commendant: *ſemini ſudorem* provocandi, *urinam, alvum* ſubducendi, *vermes* enecandi, *venena* debellandi & *gravidarum vomitus* ſiſtendi facultatem attribuunt. *Cl. Deodat. l. c.* citri virtutes ſeq. carmine comprehendit:

Medica mala ſumus *pelli vis ignea noſtræ,*
Humentis bruma nec bene cocta caro.
Terreus eſt humor, ſectantur ſemina pellem,
Flos calet & folium: ſic voluere Dii.
Tarda caro eſt, ſuccus choleram fluxumque moratur,
Cor tepet hinc ardens, hinc tua membra nitent.
Semen, flos, folium & cortex frigentia mulcent
Corpora, & epurant aëra peſtiferum.
Citria ſic Tyrio contundunt poma veneno.
Ardua concoctu, ſed tamen eſſe puta.
Febribus obſiſtunt, peſtis quoque tempore proſunt,
Ex ſucco cordis mitior ignis erit.
Sola tamen volumus mandi, ſic gratus, areſcens,
Nos bona dic Veneri, non mala nec Medica.

Poſteriorum *Politicum*, ut & *œconomicum* uſum late *c.* 12. deſcriptum reperies, quare hic nihil adde.

CAPUT VII.

MEDICAMENTA CUM ET EX CITREO MALO PARATA PROPONIT.

Quoniam varia ac multiplicia cum & ex pomo citreo parata medicamina in Officinis reperiuntur, quorum conficiendi methodus in omnibus fere diſpenſatoriis aliisque libris Practicis deſcripta occurrit, veniam me facile impetraturum ſpero, ſi in tradendo horum medicamentorũ præparandi modo heic brevior eſſe videat, cum omnia ex Authoribus repetere operoſum nimis & nauſeoſum foret. Sunt autẽ medicamenta ex citro parata vel *liquida*, vel *ſolidiora*, vel *ſicca*. Inter *liquida* primum meretur locum *Aqua* fragantiſſima per M. vel V. balneum ♃æ, ex corticibus recentibus extimis ▽æ aſſociatis, quibus pro majori efficacia ante ♃tionem aliquot vini guttæ adſpergi poſſunt. Hæc ▽♃ando albeſcens prodit, ob ſulphuris in cortice reſidentis particulas, caloris ope attenuatas, & ſub exiguorum globulorum forma aquæ copioſe innatantes, unde radii luminares minus penetrare valentes neceſſario reflectuntur, ſicque lacteus color exſurgit. Poſtquam autem hæc ▽ immota ſteterit, flexiles illi globuli ſibi invicem adhærent ac ſuperiora petunt, ſicque conjuncti oleum conſtituunt, quod dein goſſypii ope ab ▽ ſeparatum *olei citri* ♃i nomine venit. Aliqui *ſuccum acidum* vel ſolum, vel aliis ſtypticis admixtum, pro virtute adſtrictoria extrahenda, *deſtillant*, ſed nil niſi phlegma prodit, ſtyptica virtute remanente. Male itaque agere videntur illi, qui integra citrea mala pro ſupra dicto ſcopo per ſe ♃ant, vel ſpeciebus ♃andis addunt, cum ex pulpa hac ratione nulla fere virtus ſperanda ſit. Huc referenda ſunt *infuſa*, de quibus in ſeq. & *decocta* è pomis citreis vel ſolis, vel aliis admixtis parata, de quorum adornandi methodo vid. *Adr. Mynſicht. Armam. Med. Chym. Sect. 25. p. m.* 382. Excell. *Joh. Mich. Febr. tr. de Scorzon. c.* 7. aliosque. Sequitur *Succus*, qui depuratus ſit perfuſa pauxillo ♁ & amygd. ſed ne vappeſcat, pro quotidiano uſu à pharmacopoeis in cellis aſſervantur & *Vinum citri* audit. Uſurpatur crebrius pro alcalium fixorum & poroſiorum, lapidum ſc. ♋. corall. &c. ut & aliorum ſimplicium, v. gr. opii, ſcammonii, aloes & ſimil. diſſolutione, unde magiſterium ocul. ♋. corall. eſſentia opii, ſcammonium correctum, aloe citrata &c. exſurgent, de quibus conf. *Diſpenſator.* Chymici hunc ſuccum, tanquam præſtans *menſtruum* pro *corall. Tinctura* extrahenda, laudant, putantes corallia huic menſtruo digeſtionis ope ſuum impertiri colorem: ſed falluntur, ſiquidem omnis citri ſuccus nullis coralliis aſſociatus, ſola digeſtione, rubicundum induit colorem. Alii volunt corallia, ſi cum oleo cort. citri ♃to in forti ponantur digeſtione, eidem ſuam elargiri Tincturam: verum & hoc (uti cætera oleoſa) ad digeſtionem ſepoſitum rubeſcit. Solent aliâs Practici haud infrequenter eundem ſuccum (quandoque etiam cortices) variis admiſcere medicamentis, pro *grato ſapore & odore* conciliando. Sic, ex. gr. ex manna, crem. ♉ri & ▽ font. ſucco citri convenienter acidulata, adjectis citri corticibus, *laxativa* paratur *potio*, colore odore & ſapore gratiſſima. Sic *Joh. Zvvelf. Pharmac. Reg. cl.* 5. *p.* 59. *confectionem emeticam* deſcribit, quam propter, grati ſaporis & odoris ergo, adjecta citrea mala citratam vocat &c. Ex *corticibus*, nonnunquam etiam integro fructu, *Acetum* fit *citratum*, ſola cum communi ✣ infuſione & digeſtione parandum,

dum, cujus conficiendi rationem leg. apud *Zvvelf. in Pharm. Aug. reform. cl.* 15. *p. m.* 551. Elicitur etiam vel ex integro fructu, vel ex corticibus saltem *spiritus*, qualem *cardiacum* describit *Fr. Hoffm. l. c.* ut & alium *compositum Tob. Dorncreil. in Dispensat. p.* 2. *c.* 7. *p. m.* 35. Usitatiorem *succus citri* parandi modum vid. in *Dispensat.* Hunc excipit *Elixir* & *Essentia* citriorum *liquida:* compositiones vid. in *Schröd. Pharm. Med. Chym. l.* 2. *c.* 52. cui adde *Fr. Hoffm. clav.* ad hunc locum: *Zvvelf. Mantiss. Hermet. p. m.* 436. *seq. & Pharmac. August. renov. & nuperrime auct. cl.* 20. it. *Glogauische Medicinische Pest-Consilium &c. Elixir citri cordiale* vid. apud *G. Rolfinck Chym. in art. form. redact. l.* 4. *sect.* 2. *c.* 4. *Elixir citri purgans J. Michaëlis* descriptum lege apud *Valent. Andr. Mollenbroc. de arthr. vag. scorbut. c.* 9. ubi quoque *essentiam citri liquidam* ex aliorum communicatione parare docet. Ex corticibus itidem *oleum* fit, quod vel ex ▽ cort. ℞ta comparatur, ceu supra dixi, vel sine ▽æ additione per VB. quale *Zvvelf. Pharm. Reg. cl.* 5. depingit, ℞tur. Cortices autem pro ℞ usurpandi recentes, nullique fermentationi prius expositi, alias ℞ à citri odore plane alienum & terebinthinatum quid spirans effundunt. Notandum præterea, quod ℞ hoc, licet ex recentissimis corticibus secundum artis requisita ℞tum fragrantissimum obtineatur, brevi tamen terebinthinam redoleat; & licet iterum iterumque rectificetur, semper tamen particula colophoniæ, terebinthinæ affinis, in fundo remanet &c. Exprimitur itidem ex contritis & tostis citri *seminibus oleum*, pro extemporaneo usu, cum aliâs facile rancorem contrahat, de quo vid. cap. 11. Liquidorum agmen claudunt *Syrupi*, tam ex *corticibus*, quam acido *succo* concinnati, quos Vir in Chymicis versatissimus, Excellent. *D. H. Screta* in suis *Noctibus hybernis*, seu *notis in Zvvelferi animadv. ad Pharm. Aug.* (quas forte aliquando Erudito Orbi non denegabit) accurate parare docet. *Prior* seq. modo conficitur: ℞. Cortic. citri extimor. ab alta carne purgator. recent. & minutim concisor. ℔j. vini Malvatici vel Frontiniaci ℔ij. hæc commixta per triduum in loco tepido digerantur, dein ex vitrea cucurbita ℞lentur, ad corticum fere exsiccationem: postea aquæ huic frangranti immergantur iterum cortic. recent. purgator. uti prius, ℔j. quæ iterum post triduanam digestionem ℞lentur ex balneo: tunc aquæ huic balsamicæ denuo immergantur cortices, uti prius, purgator. ℔ß. stent pariter per triduum in loco calido probe clausa, dein fortiter exprimantur, ac tinctura per filtrum trajiciatur, quo clarescat. Postmodum cortices à tribus hisce infusionibus recollecti coquantur cum ▽ font. ℔iv. ut bulliant aliquamdiu, expresso vero juri adde saccha. alb. ℔ij. frigeratis adde quoque ▽ spirituosam corticibus tinctam, & continua agitatione, donec saccharum solutum sit, habebis syrupum efficacissimum. Neque opus erit eidem grana chermes ac moschum superaddere, cum illæ duæ granorum tinctoriorum drachmæ, quæ alias huic syrupo associari solent, exiguas heic vires præbere possint, earundemque defectus facile additione confectionis alchermes completæ suppleatur: quare etiam moschus omitti poterit, ipso syrupo sat suaveolente. *Posterior* sic componitur: ℞. succi pomor. citri rec. purissimi, ad semissem super maris balneo exhalati, ℔iij. cortic. eorund. extim. flavor. radula recentissime attritor. ℔j. l. iß. stent per triduum in loco tepido, vase figulino vel vitreo probe clauso infusa, postea forti institutæ hujus succi expressioni sub prelo adde saccha. Canar. albiss. in pollinem simplici tritu redacti, ac ad Solem vel fornacem siccati, adhuc calidi, ℔iv. quæ super leni balnei calore soluta abibunt in syrupum alexipharmacum optimæ notæ. Huc quoque referendus est *syrupus totius citri*, à *Tob. Dorncreil. l. c. part.* 1. *c.* 5. descriptus, cui similem *bezoardicum* tradit *Prævotius*, cujus compositionem leg. apud *Herm. Grube in Analys. de Malo Citreo pag.* 71. *seq.* Cæterum hic non raro in usum venire solet *syrupus ex succo citri sine igne* facile parabilis, si scil. mundo linteo in cella suspenso pomorum citreorum succulentorum lamellæ cum adsperso pulvere saccha. cand. alb. ita imponantur, ut fiat S. S. S. Linteo vero vas figulinum supponitur, pro recipiendo destillante syrupo, qui gratissimus esse solet. Meminit quoque *J. Sigism. Elsholt. in diætet. l.* 6. *c.* 6. *pag.* 332. *Syrupi de succo citri secundum Turc.* receptum morem in spissiori consistentia, instar rob cerasorum parati & à se visi, cujus portionem ditiores Turcæ, teste *Joh. de Laët histor. Arab. c.* 12. quotidiano potui, ab ipsis *Scherbet* vocato, pro gratia crebrius admiscent, quod *Jac. Spon. l. c. l.* 2. *p.* 56. confirmat. Ex *solidioribus* considerandum venit *Electuarium* & *Extractum citri solutiva*, quorum illud ex corticibus conditis & admixtis purgantibus, hoc ex succo acido expresso, purgantibus itidem aucto, concinnantur, quorum usus tamen sensim abolevit. Conf. hac de re *Dispens. D. Augustanor.* ubi quoque *mel rosatum citratum* describitur, quod sola corticum citri in mel rosatum simplex, ad perfectionem decoctum, infusione paratur, de quo leg. *Zvvelf. animadv. ad Pharm. Aug. cl.* 1. *p. m.* 91. Simplici quoque modo in Officinis *Conserva* paratur ex *medulla* acida, à corticibus & seminibus probe liberata, & in mortario lapideo cum saccharo alb. in consistentiam conservæ redacta, quam *Zvvelf. Pharm. Reg. cl.* 14. *p. m.* 188. suis viribus castratum pronunciat, cui tamen ego haud facile assentirer. Solent etiam integra *citrea majora*, nondum satis matura, cum cortice ac carne incisa, nucleis exemptis, saccharo incoqui sicque in liquida forma *condiri*, de quorum præparatione *Zvvelf. in Pharm. Aug. reform. cl.* 14. *p. m.* 472. Pharmacopœos monet, ne aquam, in qua poma condienda ad mollitiem deco-

quuntur, tanquam inutilem effundant, ſed potius in illa, utpote cui potiores jam decoctorum pomorum virtutes inſunt, ſaccharum pro conditura diſſolvant & percoquant. Eadem methodo *citrea minora* integra, vel in partes diſſecta, ut & ſoli *cortices* ab adhærente candida carne probe ſeparati condiuntur, & poſtmodum *weiche eingemachte Citronen-Schalen* appellantur. Fit quoque *balſamum citratum*, ſi ℔ N.M. expreſſum ℔ cort. citri ♃to ſaturetur. Quodſi quis ſimpliciſſimum & inodorum pro balſamo corpus deſideret, facile id obtinere poterit, ſi dictum Nuciſtæ oleum Tinctura & odore ſuo per alcohol vini privare allaboret. Huc referendum *unguentum* illud, Officinis *citrinum* dictum, ob ſuccum & cortices admixtos: compoſitionem vid. in *diſpenſ. Auguſt. renovat. cl.* 15. Inter *ſicca* è citro concinnata medicamentũ caput exerit *elæoſaccharum*, ſeu *eſſentia ſicca* facile parabilis: affricantur nimirum integra citrea poma duriſſimo ſacchari ſtuſto tamdiu, donec inde extimus flaveſcens cortex oleoſus plane abſumtus ſit: ſaccharum flavo & oleoſo hoc liquore madidum cultro abraditur, & in vaſe probe clauſo lente exſiccatum ad uſum reſervatur. Conficiuntur quoque *morſuli*, tum *ſimplices* cordiales, quales *T. Dorner. l. c. p. m.* 35. *Greg. Horſt. Oper. Tom.* 2. *l.* 7. *p. m.* 355. *Schröd. l.* 2. *c.* 69. & *Fr. Hoffm. in theſaur. Pharmac. Sect.* 17. *num.* 3. deſcribunt, tum *compoſiti*, ex crem. ♈ri, ſucco & corticibus citri ſubtiliter conciſis, addita ſacchari ſ. q. qui morſuli diuretici ſunt, & ab aliis, qui acidas bibunt, frequenter expetuntur; his quandoque ſtimuli loco aliquot diagrydii grana adduntur, unde morſuli de citro *laxativi* exſurgunt. Adornantur etiam in Officinis dulciariorum *confectiones ſaccharinæ citratæ*: Vel enim integra poma *citrea* & *majora*, vernacule *Citronat* vocata, & *minora* ſ. vulgaria, vel ſeparatim *cortices* ſyrupiſato ſaccharo incoquuntur & poſtmodum exiccantur, unde *truckene condirte Citronen und Citronen-Schalen* exſurgunt, quibus pro decipiendis plebejorum oculis auri foliati particulæ nonnunquam agglutinantur. Modum conficiendi tradit *J. S. Elsholt. in append. diatet. p.* 445. *ſeq.* Quidam *corticum citri* particulas affabre conciſſas artificioſe ſibi invicem conjungunt, ita ut coronæ vel alterius rei formam referant, quam poſtea ſacchari cryſtallis, juxta artis leges obducunt, unde *Candiſirte Citronen-Schalen* nuncupantur. In hunc modum non raro *integra* quoque *citrea* poma incruſtantur, quæ Magnatibus in deliciis eſſe ſolent. Poteſt etiam ex acido citri ſucco ☉ parari *eſſentiale*, ſi videlicet ſuccus expreſſus & colatus ad conſumptionem ſuperfluæ humiditatis coquitur, & poſtmodum in frigidum locum reponitur, ut cryſtalli vaſis lateribus vel fundo accreſcere queant. Eodem ferme modo *Fr. Hoffm. clav. Schröd. l.* 4. *Sect.* 1. *p.* 421. ex ſucco berberum & citri tale ☉ ♈reum concinnare docet, ex cujus cenſus ☉libus ſæpe Laudatus *D. Sereta ſyrupos ſiccos* componit, qui ob formam magis portatilem in itineribus utiles & pro Medico Caſtrenſi commodiſſimi ſunt; poteſt *ſyrupus è ſucco citri ſiccus* ſubjuncto modo conflari:

℞. Succi citrei,
berber.
Cryſtallor. ♈ri ā ℥j.
Elæoſacchari citri
Sacchar. roſati tabulati ā ℥iij.

f. p. ſubtilis, de quo cochlear plenum ♈æ font. menſuræ mediæ commixtum probe, diu è vitro in vitrum infundatur, ac ita turbidum ad immodicam ſitim extinguendam aliquot hauſtibus exoretur; vel ℞. ☉. eſſential. citri, cryſtal. ♈ri, nitri vitriolati, vel ſucco citri ſ. berberum imprægnati ā ℥j. morſulor. è ſucco citri ℥vj. m. f. p. ſubtilis, ut præcedens uſurpandus. Talis *ſyrupus ſiccus* etiam *ex corticibus* adornatur, ſi elæoſaccharum citri ſale volatili oleoſo corticitri, inferius deſcripto, ſufficienter imbuitur, quod in vaſe probe clauſo ad eosdem, ac ſyrupus liquidus, uſus pro quibuscunque mixturis liquidis, mollibus ſiccisque aſſervari poterit. Cum modo ☉*lis è corticibus citri volatilis* & ſi mentio facta fuerit, non poſſum non, quin hujus conficiendi modos, quorum aliquos ab Experientiſſimo *D. Sereta* me itidem accepiſſe grata mente recordor, heic quoque commemorem: Paratur vel ex tempore, ſi ſc. ☉ quoddam volatile, v. gr. C. C. aliquot olei citri ♃ti guttulis irroretur: ſeu quando ♏ vini ♈riſatus oleo citri ♃to ad ſaturationem imprægnatus cum ♏tu ☉ ☽ci urinoſiſſimo debite commiſceatur: vel aliquali comparatur labore, dum ☉ ♈ri puriſſimum, cum elæoſaccharo citri in mortario lapideo probe commixtum, addito ☉le ☽co, ſine vel cum additione aquæ, è cucurbita vitrea ex arena lege artis ſublimatur, donec urinoſa ☉lis pars una cum ♁ſis particulis aſcenderit, qui ſal dein vel ſponte in limpidum abibit liquorem, vel, ſi cryſtallos acquirat, pauxillo ♏ vini ♈riſati in fluorem redigi poterit, de quo in Mæ S. à quacunque cauſa retardato motu gut. x. cum appropriato vehiculo aſſumtæ præſentaneam promittunt opem. Plura de horum ſalium præparatione notatu digniſſima leg. in *Fr. Vigani Medulla Chymiæ aucta pag.* 30. *ſeqq.* ubi elegantem *alcali volatile & aromaticum* ex ℔ cort. citri, vel alio ♃to componendi formulam exhibet, cujus guttæ X. vel XII. vino Rhenano commixtæ illi odorem & ſaporem vino Hiſpanico naturalem impertiunt. Poſſem plurimorum adhuc meminiſſe medicaminum compoſitorum, quibus vel integer hic fructus, vel ejus ſaltem partes ſub diverſa facie aſſociantur, uti ſunt pleræque aquæ aromaticæ & ſpirituoſæ compoſitæ, tincturæ, elixiria, decocta, infuſa, pulveres, aliæque ſub diverſa forma & ſubſtantia præſcribi ſolitæ mixturæ; verum cum hæc melius

melius ex Authoribus Practicis, ceu ipsis fontibus, hauriri possint, eo B. L. remitto. Singulorum quoque *dosin* & *utendi modum* silentio præterivi, cum hæc ob variam Medici præscribentis intentionem diversissima esse soleant, quapropter ad virtutes citrini mali speciatim indagandas propero.

CAPUT VIII.

TOTIUS CITREI POMI VIRES EXHIBET.

Si ullum unquam è simplicibus medicamentis polychresti nomine dignum, id certe malum citreũ erit, quippe quod rite adhibitum totum bonum, omni ætati, omni sexui conveniens, alterat, roborat & evacuat: in cujus productione solers Natura vim suam testata est, dum artificioso plane modo & salubri temperie fructum hunc ex diversis partibus combinavit & composuit. Flavescentes enim alcalini *cortices* aperiunt, incidunt, attenuant, bilis inertiæ succurrunt & humorum motum promovent: *Pulpa* vero acida constringit, incrassat, coagulat, bilem acriorem temperat & humorum ferociam refrænat. In virtute tamen *alexipharmaca, cordiali, stomachica, antiscorbutica* & *antifebrili* hæ, diversæ licet, partes conveniunt & in unam qs. coalescunt medicinam, hincque remedium in venenis resistendis, corde roborando, ventriculo confortando, scorbuto debellando & mitigandis febribus insigne componunt. *Alexipharmaca* integri citrei virtus experientia casuali in Africa & Ægypto detecta fuit, si *Athenæi* supra citatis scriptis fides adhibenda; in quibus historiam refert facinorosorum ad serpentes damnatorum, qui ab esu Citrii mali liberi salvique evaserunt. Hinc sedula posteritas idem in peste cæterisque morbis venenatis & malignis, summo semper cum successu, adhibuit, cujus asserti ratio ex annata corticum seminumque diaphoretica, balsamica & spiritus torpescentes reficiendi virtute, nec non succi moderata & salubri aciditate abunde patet. Cum enim à venenato miasmate tota Mahis, tam quoad consistentiam, quam quoad dulcedinem ac motum maxime pervertatur, ita ut exagitatis sulphureis & ℞is sanguinis partibus omnimoda humorum colliquatio, & inde dependens spirituum depauperatio subsequatur, præsentissimam hic fructus conferet medelam, dum balsamico suo cortice novum sanguini conciliat vigorem, sicque spirituum penuriæ succurrit, temperataque sui succi aciditate effrænes humorum motus compescit, luxuriantes veneni particulas infringit, & interveniente seminum oleositate invisçat, obtundit & educit. Ea ipsa de causa in nupera Viennensi *peste* mala citrea tam salutaria fuere: quorum virtutem alexiteriam summo itidem cum fructu, peste Basileæ anno 1667. & sequente ferociente, in plurimis curæ suæ submissis ægris expertus est Nobilissimus atque Excellentissimus *D. Jacobus Rot, M. D. Anat. & Botan. in Inclyta Basilienſi P. P.* Fautor & Præceptor plurimum colendus, qui mihi retulit Chirurgum quendam tunc temporis sola pomorum citreorum in ▽ font. infusione vel decoctione plures ægros restituisse, & denique se ipsum, copiose hausto vino, cui alias valde deditus erat, citrato, ab hoc sæviſſimo morbo jucunde liberasse. Magni alias in *febribus malignis*, ut & cæteris *ardentibus* usus est *decoctum* ex hoc fructu paratum, quale *Mynſ.* & Excell. *Febr. ll. cc.* describunt, cui jure merito cætera bezoardica citrata associanda sunt, qualia sunt *Confectio alexipharmaca* Excellentiſſ. *D. Scretæ*, in eleganti *Tract. von der Lagerſucht pag. 223. ſeq.* descripta, *Conditum prophylacticum P. Barbet. de Peſte p. m. 179. Morſuli alexipharmaci* à Medicis Norimbergensibus in *Tr. de præſervatione à contagione n. 12.* descripti, *Electuarium prophylacticum de citro im Glogauiſchen Medicinischen Peſt-Conſilio* descriptum, ubi quoque ✣ *bezoardica*, electuaria præservativa & confortativa, citriis nobilitata virtutibus, conspiciuntur & similia, quorum fatraginem reperies apud *Angel. Salam, Matth. Untzer. Tract. de Peſte, M. Hoffmann Bericht von den Peſt-Fiebern, Ettmüll. Prax. part. 1. c. 15. H. Grube de Malo Citreo*, aliosque innumeros, quibus recensendis jam supersedebo. Apprime quoque *prophylaxeos* ergo citrea mala in pestifera lue conveniunt, si horum aliquot lamellæ matutino tempore ante egressum deglutiantur, si cibo & potui crebrius admisceantur & una cum aliis remediis convenienter assumantur. Inprimis autem ✣ *è toto citro*, tam interne ad cochlear dimidium vel integrum subinde haustum, quam externe naribus & manuum carpis illinitum, cibis additum, conclavium tabulis adspersum, ignitis lateribus infusum multisque aliis modis usurpatum summe prosicuum est. Nec contemnendam præstabit operam seq. alexiterium, quod ex rut. rec. m. IV. herb. scord. m. II. ✣ vini opt. ℔ij. & adjectis duobus vel tribus pomis citreis componitur, quo celebris Poloniæ Medicus se cum plurimis hominibus, diversis pestis temporibus, præservavit, ceu refertur *in der neuen Schleſiſchen Infections-Ordnung part. 1. §. 14.* Huc spectant na-

ribus ſæpius admovendi *noduli* tornatiles, ex juniperino ligno confecti, quorum ambitus foraminulis affabre pertuſus, interior vero cavitas ſpongia ✣to imbuta citrato, vel alio bezoardico repleta ſit. Neque inepte hunc puto Medicum facturum, qui contagioſo & maligno morbo decumbentes ægros viſitans mali citrini odorem naribus ſæpius excipiat, & ſubinde fruſtulum de eodem deguſtet, quò infectum aërem tam per nares inſpiratum, quam etiam in ore ſalivæ communicatum corrigat. Excellens porro alexipharmacum & analepticum eſt *gelatina* ex raſura C.C. cum ▽ ſimpl. parata & citri corticibus, ut & acido ſucco, alterata, cui æquiparatur congelatum ex contuſo juvene capone, in duplici vaſe, mediante fervida aqua, decocto, cujus filtratum brodium, ſucco citri & berberum acidulatum, adjectaque corticum flavedine, cinnamomo & ſimil. ad congelationem ſepoſitum, in peſte & febribus, tam præſervationis, quam curationis gratia, cochleatim aſſumtum maximam meretur laudem. Prodeſt itidem citrium, ſi decenti modo adhibeatur, contra plurima aſſumta, vel extus ab animalibus venenatis, aliove modo recepta, tam *narcotica*, quam *corrodentia venena*, maxime ſi illa jam virus ſuum in Mam Hlem depoſuerint; ſic ſingulare contra *nucem vomicam* deprædicatur antidotum in *Pharmac. Aug. renov. prolegom. c.* 8. quod confirmat experientia edoctus *Jerem. Leſſius Diſſert. de Nuce vomica §.* 29. ubi quoque hujus rei rationem reddit. Illuſtrat modo dicta *Theopompus hiſt.* 38. (ita allegante *Joh. Jonſt. l. c.*) dum refert *Clearchum Heracleotam*, Ponti tyrannum, multos veneno ſuſtuliſſe, plures ſublaturum, niſi vis mali Medici nota fuiſſet ſubditis. Quantum inprimis contra *viperarum morſum* præſtet, partim ex *Athen. l. c.* ex *Moyſ. Charas experim. de viper.* abunde conſtat, qui poſterior notabilem de Nobili illo Germano, à vipera Pariſiis demorſo &, propinatis prius variis remediis, ipſoque ſale viperarum volatili, accidentaliter pomorum citreorum eſu reſtituto, tradit caſum, qui non levem inter *Frid. Hoffmannum & Moyſ. Charas* olim commovit litem (de qua conf. *Fr. Hoffm. clav. Schræd. l. c. & M. Charas Pharmacopée Royale part.* 3. *l.* 1. *c.* 28. *p.* 666. *ſeqq.*) dum ille cauſam recuperatæ ſanitatis aſſumtis malis citreis attribuit, hic vero ſali volatili viperino omnia detulit. Quodſi vero hic conjecturæ detur locus, dicerem utrumque, ⊖ ſc. viperinum volatile, & poma citrea ſuum in reſtituenda ſanitate contuliſſe ſymbolum, ceu hoc ex integra hiſtoria facile colligitur. His licet obſtet Nobile illud Italorum decus *Fr. Redi*, qui in *obſerv. de viperis p. m.* 45. *ſeq.* convincere vult in citro nullam eſſe vim alexipharmacam contra viperarum morſum, confidens experimento, quod ipſe cum duobus gallinaceis pullis inſtituit, ſunt tamen nonnulla dubia, (quod ſalva hujus de re Medica optime meriti Nobilis authoritate dixero) quæ mentem meam ab ejus ſententia divellunt. Accedit, quod ab ave ad hominem nulla valeat conſequentia, cum illi noceat quod huic prodeſt, & vice verſa. *Cor* roborat hic fructus, non ob externam, qua cor quodammodo referre dicitur, figuram, ſed quatenus corticum ſale balſamico ♃ reſtaurat, ſicque cordis debilitati ſuccurrit, & partibus ſuis ſubacidis ſulphur in ſanguine prædominans infringit, ſubigit & conſopit, atque ita Mam Sam inordinate motam ad priſtinum ſtatum blande reducit. *Ex fructibus, qui è Provincia adnos deferuntur*, ait *Guido Patin de valetud. tuend. c.* 2. *p.* 357. *malum citrium præ cæteris commendaverim, cardiacisque quibuſvis præſidiis officinalibus antepoſuerim, cardiacis, inquam, nomine potius, quam re.* Quare laudandus hunc in finem ♃ *citri cardiacus*, tam in-quam ex-terne uſurpandus, *ſyrupus totius citri*, *elixir cordiale Rolfincii*, quibus merito annumerandi *morſuli de citro, eſſentia ejusdem &c.* quæ in *animi deliquiis, palpitatione cordis*, & ſimilibus admodum ſalutaria exiſtunt. Egregiam præſtat operam ſeq. mixtura confortans & ſtomachica, cujus efficaciam *Excell. D. Sereta* in multis ſæpius expertus eſt. ℞ Conſerv. acetoſell ℥iij. Antihect. Poter. ℥ij. conf. alcherm. compl. ℥ß. pom. citr. num. j. f. conditum, de quo æger ſingulis fere horis nucis quantitatem aſſumat. *Ventriculo* ſuccurrit, dum non ſolum balſamicis ſuis partibus eundem corroborat, ſed & blanda ſua aciditate eiusdem fermentum exaltat & reſtaurat, quam ob rem variis ventriculi affectibus medetur, *cruditati* imprimis *nidoroſæ*, *ciborum faſtidio & inappetentiæ*: quo in caſu tam crude cum ſaccharo comeſtum, quam aliis metis ſtomachicis admixtum juvat. Sic prælaud. *Excell. D. Rot* in inappetentia ſemper cum ſucceſſu ſuadet malum citreum vel aurantium, quod, facta in ſuperiore pomi parte profunda ſectione cruciformi, caryophyllis, cinnamomo &c. configere & addita ſ. q. ſacchari cum vino veteri ad ſyrupi conſiſtentiam coquere jubet, de quo ſub prandii & cœnæ initium æger fruſtulum deglutire, & unum vel alterum cochlear de ſyrupo ſuperaddere debet. Elegans & gratum ſtomachale remedium eſt ſeq. ℞. Cinnamom. ℈iij. caryophyll. ℥ß. Zedoar. Galang. ā ℈ij. cubeb. ℈ß. NM. num. j. fl. roſar. tunicæ, conſolid. Reg. āā. p. j. cort. citri & aurant. conditor ā ℥j. Confect. alcherm. compl. ℥j. ſucci citri recent. expreſſ. & depur. ℥j. ſacchar. alb. in ▽ Roſar. ſolut. ℥vij. f. l. a. morſuli. S. *Haupt- und Magen-Morſellen.* Plurimam itidem in *diarrhœa*, biliosa dicta, laudem meretur ante deſcripta mixtura, cujus ope aberrans ſemen ad vias ordinarias ablegatur. Et cum viſcidior & acris mucus, in primis vias haud raro deliteſcens, ventriculi & inteſtinorum fibras ſubinde ſtimulet, atque adeo *cardialgiam*, *vomitum*, *choleram* aliaque mala producat, idem fructus corticibus & ſeminibus ſuis hunc mucum attenuare ac irritatas fibras demulcere, moderata

derata vero ſucci aciditate easdem relaxatas ſtringere, ſicque muſculoſum ventriculi tonum conſervare valet; poterunt hinc ægris citri lamellæ ſubinde exhiberi, vel etiam mixturæ ex ſyr. corall. cydon. totius citri, cum ▽ cinnam. cydoniat. menthæ, meliſſ. cort. citri confectione alchermes, & ebore, C. C. ſ. △ calcinat. cryſtall. mont. ut & mdtis ♂te paratis, concinnari, quæ felicem ſpondent effectum. *Antiſcelotyrbicum* audit, dum cortices ſale alcalino volatili vitiatam Mæ Hlis craſin, ex primæ digeſtionis vitio utplurimum ſubortam, corrigunt & aucto ſimul, ſulphuris ſui volatilis ope, Mæ Hlis motu, ſcorbuti ſalia ſero involuta per cutis ſpiracula & vias urinarias extrudunt: ſuccus vero dicta verſipellis ſcorbuti ſalia, ſi forte volatilia & vagabunda nimis ſint, ſopit & infringit. Hinc prudentiores Medici, in ſcorbuti ſublatione occupati, appropriata volatilia mdtis temperatis miſcent, ut inde qs. tertium emergat. Non male itaque citrium in ſcorbuto laudatur, utpote cui & volatile & acidum blandum ineſt. Arridet proinde inter alia electuarium antiſcorbuticum *Timæi à Güldenklee, in Catalog. Medic. compoſ. caſibus practicis annexo* deſcriptum, quod dicta poma recipit, cui ſimile eſt illud *Schröderi in Pharm. l. 2. c. 51.* Ea ipſa de cauſa iis, qui mari diutius ſeſe credentes ab aëris & haud raro alimentorum labe ſcorbutum contrahunt, hic fructus cum interne aſſumtus, tum externe membris affrictus tam ſalutaris exiſtit, ceu *G. Piſo l. c.* & *S. Paulli in Quadripart. Botan. cl. 3. pag. 383.* referunt: id quod *nauticæ Batavorum Ephemerides* indies confirmant. *Wir leſen in den Oſt-Indianiſchen Reiſen*, ait *Joh. von Beuervvick im Schatz der Geſundheit part. 1. c. 8. p. m. 121. daß das Schiffs-Volck, ſo bald es irgend an ein Inland anländet da Citronen und Pomerantzen vvachſen, mit denſelbigen den Schorbock zur Stunde vertreibet, und friſch und geſund wieder an ſeine Arbeit gehet.* In *febribus, acutis* præſertim & *malignis*, hoc quoque malum utile dixi, ſeu jam earundem rationem formalem, cum plerisque Medicorum, in Mæ Sæ agitatione nimia, ſeu è contrario, cum Viris hac ætate longe celeberrimis, in ſanguinis aut lymphæ, vel utriusque ſimul, circa extrema arteriarum oſcula aut tubulos excretorios ſtagnatione ſubitanea conſiſtere putem. Nimirū ſale ſuo volatili ~ſas Mæ Hlis partes, vel ob nimium ejus motum diſſipatas reſtituit, vel ab acido peccante irretitas liberat, & moderata ſimul aciditate febrilem fomitem nonnihil enervat & immutat, fermentum gaſtricum ab alienis humoribus plus minus alteratum corrigit, ſitis tædia pellit, priorem ſanguini exæſtuanti conſiſtentiam reddit & diaphoreſin ac diureſin, unde ægri non parum levaminis percipiunt, blande promovet; propterea febricitantibus tam familiaris fructus eſt, cujus etenim lamellis ore detentis & tandem deglutitis, potuque, à Limonibus Limonada vocato, ex abraſa corticum flavedine & acido ſucco cum ▽ fontana ſaccharo edulcorata parato, reficiuntur. Reſpondet huic potui *tinctura roſarum citrata*, in febribus, præſertim ardentibus, optima, quæ, quomodo conficiatur, tradit ſæpe citat. Nobiliſſ. D. *Screta von der Lagerſucht pag. 302.* Elegans & gratus præterea in febribus *potus* eſt ſeq. *refrigerans* & nonnihil *laxans*: ℞. Tamarind. ʒiß. paſſul. min. ʒj. pom. citr. num. j. ſacchar. alb. ʒß. conciſ. coq. parum. cum ſ. q. ▽ font. in vaſe dupl. probe clauſo, ſub finem addendo cinnam. ℈j. Colatura ſerv. uſui. Non minoris in febribus malignis aliisque epidemicis efficaciæ eſt dictus fructus, inprimis *ſyrupus totius citri*, qui vel per ſe, vel aliis aſſociatus mdtis, ubicunque ſpiritus refocillandi & ſudores movendi ſunt, egregiam affert operam; teſtem adduco Excellent. *Theoph. Bonet.* qui *Anat. pract. l. 4. S. 1. fol. 1501.* in febribus malignis epidemicis mdta ex citro tutiſſima dicit. In febribus autem lentis ſucci aciditas plus obeſt, quam prodeſt, unde ejus uſus quoque vitandus erit; in intermittentibus tamen æſtus tempore julapia ex eodem concinnato ſuo merito laudanda ſunt: ſed cave, ne quid nimis! majus enim cortices encomium merentur. Conſideratione tamen dignum eſt, quod in *Zodiac. Med. Gallic. ann. 1. menſ. Jun. obſ. 8.* de viro quodam Primario refertur, qui febri continua laborans & ſolo *Limonadæ* uberiori potu, conſumtis cum in ſcopum, viginti quatuor horarum ſpatio, nonaginta pomis citriis, integram recuperavit ſanitatem. Sunt nonnulli qui in urgentiori febrium, etiam malignarum, æſtu citrii recentis & ſucculenti lamellas frigide fronti applicant, ſed rem periculi plenam ſubeunt, ſiquidem inde pori cutis occluduntur, ipſaque materiæ morbificæ metaſtaſis, quam Natura in hiſce febribus ſubinde intendit, impeditur. Cæterum hic fructus ad *abortum* præcavendum ſingulare deprædicatur remedium, ſiquidem temperata aciditate ſua uteri aliorumque viſcerum tonum corroborat, effrænes humorum motus, unde non leve abortionis periculum imminet, avertit & cortice ſuo ſpiritus vegetat, fœtum confortat, ejusdemque debilitati ſuccurrit. Proderit itaque gravidis, ſi nonnunquam citri fruſtula comedant, vel mixturis utantur confortantibus, è quorum cenſu ſit ſeq. ℞. Conſerv. meliſſ. pulp. citr. ā. ʒij. cort. citr. condit. ʒi. Nuc. Ind. cond. ʒß. conf. alcherm. incompl. ʒj. corall. rubr. præp. ℈ij. ſyrup. granat. acid. ʒß m. f. Electuar. De quo nucis juglandis quantitas ſingulo mane deglutiatur. Hiſce breviter addo, quod *J. P. Porta Phyſignom. l. 5. c. 5. p. m. 312.* ex *Avicenna* decoctum citri *impinguare* dicat, cui conſentit *D. Panarol.* qui *Pentecoſt. 2. obſ. 36. pag. 52.* quendam *atrophia* correptum citreo malo convaluiſſe narrat, quibus rigoroſe non refragabor, cum etiam citrium

trium pomum in atrophia curanda ſuum haud raro locum defendat. Denique ut paucis multa complectar: Quodſi verum eſt, quod nonnulli ex Modernis Medicis defendere conantur, in plerisque, ſi non omnibus, morbis vel acidum vel alcali peccare, citreum univerſale remedium erit, utpote quod cortice ſuo acidum p. n. corrigere & blanda ſuccí aciditate ferociens humorum alcali refrenare valet; aſt manum de tabula!

CAPUT IX.

CORTICUM VIRTUTES CONSIDERAT.

Quantum citrei cortices in re medica laudem mereantur, ex tenui & ſulphurea eorum ſubſtantia, qua intime penetrant, incidunt & attenuant, ſatis elucefcit. Præterquam enim quod tam ſenſibilem, quam inſenſibilem tranſpirationem promoveant, *Alexipharmaci* quoque dicuntur, ob eam, quam c. 8. indicavi, cauſam. Felici proinde cum ſucceſſu in peſte, cæterisque morbis epidemicis, tam præſervationis, quam curationis gratia maſticantur, alimentis, ſuffimigiis, ✣tis & trochiſcis alexipharmacis, aliisque ſub quacunque forma paratis remediis antidotis (quorum ſylvam vid. *im Glogauiſchen, Nürnbergiſchen, Schleſiſchem Peſt* - Conſilio P. de *Sorbait. tr. de Peſte P. à Caſtro de febr. malign. punct. Sect.* 8. *p.* 196. 207. *& ſeq.* ubi *ſal, extractum ſive magiſterium* (uti vocat, *citri* deſcribit, &c.) modo in ſubſtantia crudi, vel ſaccharo utcunque conditi, modo eorundem ſyrupus, eſſentia, oleum &c. adhibentur; formulas *H. Grube. l. a.* & reliqui præcedente cap. citati Authores exhibent: inter quas tamen illæ mihi magis arridenr, quæ acida commixta habent, cum à calidioribus bezoarticis acido carentibus ægri haud raro in majus vitæ periculum conjiciantur, niſi ſumma cum cautione propinentur. Cortices citri peſtis tempore homines in publicum prodeuntes præſervationis ergo ſub lingua detinere debere non male ſuadet *Joh. Crato conſil.* 275. ita citante *J. J. Japſerio, in manuduct. ad vitam longam p.* 334. Alii alia adducunt, quæ vid. in conſiliis contra peſtem, modo citatis. Cephalici ſunt ratione particularum ſuarum aromaticarum, quibus ſpiritus recreare, ſanguinem & lympham volatiliſare, viſcidioremque, nec non facile ſtagnantem reſolvere queunt. Conducunt hinc in *cephalalgia, apoplexia, memoriæ imbecillitate*, & reliquis à ſanguinis & lymphæ torpeſcentia inductis capitis affectibus ▽æ cephalicæ cum corticib. citri ⚗tæ, quarum formul. vid. apud *Frid. Hoffm. theſ. Pharm. Sect.* 1. *Willis de anim. brut. P.* 2. *c.* 8. *ſeq.* mixturæ ex ☁ſis cum eſſentia vel ſale volat. citrato compoſitæ, v. gr. ℞. ▽. fl. til. majoran. ā ℥ij. applect. ℥j. ☁lil. convall. ʒj. eſſent. citri liq. ♃ij. vel ☉. vol. oleoſ. citrati ♃ß. eſſent. ambr. ſicc. gr. iij. ſyrup. pœon. ℥j. m. ſ. *Löffelvveiß Morgends und Abends einzunehmen.* Condita ex conſervis capiti dicatis, addito ſyrupo cort. citri, vel iisdem conditis, qualia vide apud *Fel. Plater. obſ. Med. l.* 1. *p.* 226. *l.* 2. *p.* 366. *G. Rolfinc. Diſſert. de dolore capitis &c.* morſuli, pulveres, cucuphæ, & ſimilia mdta compoſita, quæ citri cortices recipiunt, quorum copia in libris Practicis occurrit. Inſigne inprimis præconium meretur ſal. volat oleoſ. cort. citri in *affectibus ſoporoſis, quibus*, ſunt verba *Ol. Borrichii de ſomno & ſomnifer. §.* 6. *non occurritur felicius, quam per pharmaca ſpiritum promoventia.* Cum quoque cortices recenter noctu ante decubitum manſi *ſuavia inſomnia* procurare dicantur, non inepte mdta citreis imprægnata dotibus in *incubo* ſalutaria cenſeri poſſunt, inter quæ excellunt illa, quæ ex conſerv. meliſſ. cort. citr. conditis, conf. alcherm. comp. Antihectico *Poter.* & ♂ cum eſſent. citri concinnata ſunt. *Oleum cort. citri d.* in *epilepſia* laudant *Macaſ. p.* 293. *& Barbett. prax. l.* 1. *cap.* 1 *p. m.* 9. procul dubio ob vim, quam habet acidum vitioſum (frequentiorem epilepſiæ cauſam) corrigendi & attenuandi, de quib. conf. *G. Weinlig diſp. de Epilepſia præſ. Estmüll. L.* 1. *pſ.* 1676. hab. *Cordiales*, ſ. potius Vitales ſunt, dum partibus ſuis balſamicis vel abſumtos ſpiritus reſtituunt, vel languentes recreant, vel totam Mam Hlem ab acido viſcido plus minus inviſcatam liberant & qs. volatiliſant, unde in animi deliquiis, cordis palpitatione, affectibus melancholicis, & (ut ſummatim dicam) ubicunque dejecti ☁ ſuſcitandi & Mæ Hlis vigor reſtaurandus eſt, non ſatis celebrari queunt, ſive cortices modo ſoli & recentes manuum carpis applicentur, (quibus tamen ego deraſam flavedinem præferrem) modo exſiccati ſpeciebus pro cordis & pulſuum epithematibus includantur, & eorundem ▽. ✣, ♎, balſamum, vel ſolitarie, vel aliis admixta, temporibus, naribus, ſcrobiculo cordis & pulſibus illinantur, quorum varius præſcribendi modus ex Practicorum libris peti poterit: ſive ex iisdem corticibus parata ▽. ſyrupus, cochlearim, ♎ a. deſtill. & ☉ volat. ♎ ſ. guttatim aſſumantur, aliis medicamentis cardiacis includantur, quorum ſylvam in Medicorum monumentis invenies. Præter cor etiam *Ventriculum* corroborant, quatenus vel mucum in ventriculo deliteſcentem viſcidum ſolummodo, in *appetitus inertia*, ſeu acredine ſimul inquinatum, *cardialgiæ, vomitus, choleræ, lienteriæ & flatuum* frequentem cauſam, incidunt & attenuant, vel fermentum eſurinum acidum

acidum nimis, *in appetitu aucto* obtundunt & enervant: Adeoque hunc in finem non modo cortices exiccati ſpeciebus pro vinis medicatis, tragæis, elixiriis & cæteris ventriculo ſacris remediis adjiciuntur, ſed etiam conditi vel per ſe jejune aſſumuntur, vel aliis mixturis ſtomachicis cum ſyrupo aſſociantur; neque tantummodo interne uſurpati juvant, ſed & externe ſacculis ſtomachicis induntur, ungtis vero, balſamis & emplaſtris ventriculi regioni applicandis, eorundem ℞ crebrius additur. Egregie mucum ventriculi viſcidum incidit & fœtentem oris halitum emendat *Confectio ex malo Citrino, in Pharmacopœa Perſica cap. Gim. ſeu G. num. 76. pag.* 33. deſcripta. Gratiſſimum præterea ſtomachale medicamentum eſt ſeq. Præcellentis cujusdam Medici, quod non ita pridem hic præſcriptum ſuavi ſuo ſapore & odore ſe commendabat: ℞. Panis ſimilag. ℥iiij. Nuc. Moſch. ℥iij. vini alb. opt. menſ. 1. diger. per aliquot dies, & poſt deſtill. per cucurb. vitr. & ſerv. uſui. Hujus aquæ ſpirituoſæ ℥j. ſi eſſent. citri ſaccharin. ʒj. addatur, concinnabitur inde remedium in multis, ventriculi præſertim, affectibus, ut ſuaviſſimum ita efficaciſſimum. Plurimum vero valent in *pica*, tum à fermenti vitio, tum à catameniorum ſuppreſſione producta, dum non ſolum fermenti craſin reſtituunt & menſes pellunt, ſed & vitiatum ſpirituum animalium motum, heic ſimul peccantem, ſale ſuo balſamico placant. Quapropter Celeb. *Joh. Michael. in Colleg. M.S. in Jonſt. Id. Med. Pr.* hos cortices, & omnia ex iisdem parata medicamina in gravidarum pica ſpecifice prodeſſe refert. In *bulimo* vinum citratum juvabit. Huc referenda eſt virtus horum corticū *carminativa*, quæ à particularum aromaticarum, gas flatuoſum, ab acido viſcido, pertinaci primarum viarum incola, natum, attenuandi & diſſipandi facultate dependet: unde *Sylvius prax. l. 1. c. 14. p. m.* 189. ſalia volat. oleoſa potenter, at blande ſimul, flatus diſcutere teſtatur; & in eundem finem ℞ cort. citri ♃ in *append. prax. tr. 9. §. 251. p. m.* 810. commendat. Gratiſſimum alias medimentum anticolicum eſt elæoſaccharum citri cum vino, vel alio convenienti liquore, propinatum, cui æquiparanda corticum ▽ eſſentia & ſyrupus, ſeu per ſe, ſeu cum aliis medicamentis idoneis varia ſub ſpecie propinentur. Inprimis vero *H. Grube l. c. pag.* 35. olei citri deſtill. ad aliquot guttas propinati præſtantiam in flatulenta colica ſe ſæpius expertum eſſe fatetur, qui quoque *pag. 66. ſeq.* medicamenta ſtomachica & carminativa, citreis dotata virtutibus, deſcribit. Alias Practici cortices, vel eorundem eſſentiam, vel ℞ ♃ medicamentis *purgantibus* pro *correctione*, ceu vulgo, ſed male, dicitur, ſuperaddere ſolent, id quod ſatis notum eſt. Quo vero modo febribus adverſentur laudati cortices, jam ſupra dixi, nec ſine ratione hos eorundemque præparata in *febribus intermittentibus, quartanis* maxime, extollit citatus *Grube pag.* 40. *ſeq.* Quoniam porro *affectio hypochondriaca* utplurimum à materia acido-viſcida, in vulgo dictis primis viis ſtabulante, dependet, & ab adhibitis volatilibus alcalicis plurimum mitigatur, non inconvenienter citrini cortices, acidum peccans fortiter debellantes & quicquid viſcidum eſt, incidentes uſurpari poterunt. Specifice vero prodeſt, & alia e dicto cortice facta medicamenta activitate ſua ſuperat ſal volat. ℞ ſ. citratum, utpote quod flatus, hic ſimul peccantes, potenter diſſipat, urgentem cordis palpitationem cæteraque præſentia mala imminuit, & genuinam ſanguini diatheſin reſtituit. Cum etiam huic malo non contagioſo vel conjunctum ſit, vel exaſperato ſuperveniat aliud contagioſum, *ſcorbutus* ſcil. facile patet, cortices ſuis etiam præconiis hoc in caſu non defraudandos eſſe, ſiquidem medicamenta ex iis confecta, & cum volatilib. urinoſis, ut & ſpecificis antiſcorbuticis mixta, non contemnendum in ſcorbuto, ſi non extirpando, ſaltem mitigando, fructum præbent, maxime ſi nonnunquam medicamenta, blandis acidis ſociata, intercalentur, de quib. c. 8. Quodſi bilis viſcida & glutinoſa nimis ductus cyſticos obſtruat, ſicque *Icterum* producat, tunc modo laudati cortices, bilem incidentes & attenuantes, felicem pollicentur effectum. *Utero* itidem ſolatium præbent, dum non ſolum ejus *inflationem* vi ſua carminativa tollunt, particulis balſamicis ♎ uterumque roborando *partum* facilitant, ſed etiam ſubſiſtens *lunare tributum* reddunt, dum vel ♎bus novum vigorem conciliando ♂♃ motum promovent, vel humores glutinoſos, ſanguinis in utero effluxum impedientes, attenuando & incidendo, obſtructiones reſerant, nec non craſſam ſanguinis intemperiem corrigunt; quæ omnia ſale ſuo volatili & aromatico præſtant, ſiquidem *Sylv. meth. med. l. 2. c. 17. §. 15.* ejusmodi ſalium volat. ope ſe facile, cito & feliciter ſubſiſtentia vel ſuppreſſa menſtrua moviſſe teſtatur; hinc frequenter vinis medicatis, ad *catameniorum defectum*, & inde ortam *cachexiam* præſcriptis laudati cortices addunturquorum ☉. volat. oleoſ. (ut jam cætera medicamenta citrata prætream) excellens quoque hoc in caſu remedium erit. Quin etiam celebris corticum uſus eſt in *affectibus hyſtericis*; unde quoque *pulv. hyſt. J. U. Rumleri in Pharmac. Auguſt. cl.* 8. deſcriptum cum ſemine ingrediuntur. Efficax alias remedium hoc in caſu exiſtit ſeq. ℞. ▽ meliſſ. fl. til. ſambuc. ā. ℥ß. hirund. cum caſtor. ℥j. ♎☉*ci, ☉ volat. oleoſ. citrat. ā. ℈j. ☉ volat. ſuccin. gr. v. laudan. cydoniati gr. ij. ſyrup. fl. aurant. ℥ß. m. d. cochleatim. Nec reticenda horum corticum potentia, quam in *ſtranguria* exerunt, dum acidum peccans temperant & corrigunt. *Aphrodiſiaci* porro ſalutari poſſunt, reſpectu partium

ſuarum aromaticarum, quibus ventriculi digeſtionem promovent, ſicque chylum elargiuntur ſpirituoſiorem & quaſi aromatiſatum, qui ſanguini commixtus eidem novum ſolet conciliare vigorem; unde non poteſt non laudabilis, plus minus acris, elaborati genitura, ex cujus moderata acrimonia & turgeſcentia crebriores Veneris ſtimuli naſcuntur. Admiſcentur itaque cort. citri urplurimum conditi cæteris Venerem ſuadentibus remediis, qualia proponunt *Zvvelf. Pharm. Reg. claſſ.* 11. *pag. m.* 123 *Ettmüll. prax p.* 2. *c.* 14. *p.* 418. alique. Commendantur denique contra *oris fœtorem* recenter maſticati, vel etiam ſaccharo utroque modo confecti, quorum uſum in fœtido oris halitu ſcorbutico in multis proficuum obſervavit cit. Excell. *D. Rot.* Nec tandem, ut concludam, cortices in cæteris, *ab acido vitioſo natis*, *morbis chronicis*, infelici cum ſucceſſu, præmiſſis tamen præmittendis, uſurpari poſſunt, utpote qui non tantum acidum peccans, plus minus glutinoſum, ceu ſæpius indigitavi, deſtruunt, attenuant, & attenuatum cum ſero ex corpore eliminant, ſed & corporis balſami, bilis, intertiæ ſuccurrunt; de quibus doctam *Theod. Chriſtoph. Crugii diſſert. inaug. de morbis chronicis ex acido vitioſo, Marpurg.* 1676. *habit.* conſule.

CAPUT X.

ACIDI SUCCI PRÆSTANTIAM INDICAT.

Succus citri, æque ac cortices, inſignem affert utilitatem, utpote cujus uſus in multis morbis, malignis præſertim, ſatis commendatus eſt. Reſtaurat enim *acidum* noſtrum *vitale*, manifeſte in ventriculo, occulte vero in ſanguine reſidens, quod toto vitæ curriculo, quantum poſſibile, religioſe conſervandum monet Celeberrimus *J. J. Waldſchmid*, Med. in alma Marpurgenſi P.P. Primar. & Phyſ. Ordin. Sereniſſimi Haſſiæ Principis Archiater, Patronus, Fautor & Præceptor meus pie venerandus, *in Fundam. Med. l.* 4. *c.* 1. Refertur autem inter medicamenta *alexiteria*, dum non ſolum peſtem ab hominibus arcet, firmiorem Mæ S. conciliando texturam, quæ recipiendo venenato miaſmati minus aptâ nata ſit, ſed etiam ſuſceptum contagium repellit, dum peſtiferum ☉ volatile, arſenici inſtar ſummè corroſivum, Mæ Hlis craſin maxime corrumpens, aciditate ſua moderata figit & mortificat, ita quidem, ut particulis ſuis ☉nis acutis in veneni arſenicalis ſpicula agendo, eadem obtundat, & immutet, ſimulque relaxatam Mæ Sæ fibroſam compagem leviter conſtringat: quo ipſo ſerum copioſius, peſtilenti miaſmate infectum, è ſanguine qs. exprimitur, unde, ſero facilius tam per apertos corporis poros, quam vias urinarias eliminato, ſuccus citri mortiferum venenum per ſudorem & urinam eduxiſſe, & cætera urgentiora ſymptomata imminuiſſe dicitur, confer *Lud. Conr. Jacobi V. E. de dyſenteria maligna incruenta*, ubi quæſtionem movet: *Warum der Citronen-Safft in der Peſt groſſen* Effect *thun könne, und gethan habe?* Antidotalem dicti ſuccî vim in peſtiferum arſenicale miaſma confirmat, quod Celeberrimus *J. Wepfer in cicut. aquat. p.* 296. ex alterius relatione refert: caſu ſc. compertum fuiſſe, ſuccum citri veneni illius arſenicalis, *Aquetta* dicti, quo veneficæ quædam Romanæ gravem olim ſtragem ediderunt, prope unicum alexipharmacum fuiſſe. Præcavet autem & avertit imminentem peſtem, ſimulque conceptam repellit, ſi tam cibis crebrius aſpergatur & potulentis immiſceatur (qualia pro quotidiano uſu ſunt decoctum citri *Myſ.* decoct. hordei, vel etiam C.C. ſucco citri acidulatum: quo etiam Gelatina C.C. cum ſucco citri & berberum alterata ac potui admixta ſpectat, quorum multas & elegantes variorum Authorum formulas leg. in *J. A. Grabæ Elaphograph. p.* 110. *ſeqq.*) quam etiam medicamentis confortantibus & alexipharmacis modo crudus, modo acetoſus ejus ſyrupus, modo etiam conſerva acidæ pulpæ addatur, de quib. conf. Authores, qui de peſte ſcripſere, cit. Qua vero ratione venenis reſiſtat, ex ante dictis colligitur. Cum etiam hic ſuccus putredinem arceat, cieat ſudorem & ſitis tædia pellat, convenienter admodum in *febribus ardentibus & malignis*, eodem fere, quo in peſte, modo, uſui deſtinati poteſt, maxime ſi calidis alexipharmacis & ſudoriferis pro ſcopi ratione aſſocietur; optime vero clamoſa *ſitis* ſyrupis è ſucco citri, ut & julepis explebitur, cum laudato ſucco confectis, quales *Barbett. de peſte p.* 183. *Ettmüll. in Id. præſcr. form. cl.* 3. *alique* tradunt: in *Phrenitide* quoque, *eryſipelate*, omnique *Mæ Sæ exagitatione* nimia præſtantes. Elegans ſane profiti ſedanda inſtrumentum excogitavit *S. Sanctorius*, quod *Comment. in prim. ſen. Avicennæ, quæſt.* 87. deſcriptum reliquit. Conficitur autem ex vitro vel argento, in nuclei Perſici, vel ſimili forma, & exiguis undiquaque foraminibus pertunditur, quod dein ſyrupo ex ſucco citri, vel alio idoneo repletur & ori inditur, exſtillante ſenſim per foramina ſyrupo, quo fauces optime irrigantur ſitisque pellitur. Inſtrumentum autem commodè repletur, ſi calefactum liquori immergatur. Hoc remedii genus admodum conveniens eſt ad linguæ aridítatem & ſcabritiem, in febrium æſtu frequentem. *Corialis* dicitur, quatenus

tenus ſanguinem nimis attenuatum & turgeſcentem, hincque cordis thalamos majori, quam par eſt, copia irruentem, vel etiam extra vaſa facile proſilientem placat & compeſcit. Non levem proinde præſtat opem in *animi defectibus, palpitatione cordis & hæmorrhagiis*, à ſanguinis orgaſmo inductis, ſeu cum ▽ refrigerantibus ſub forma julapii propinetur, ſeu convenientibus mixturis additus exhibeatur, de quibus conſ. Practicos. Variæ alias & innumeræ cordialium medicamentorum formulæ in Diſpenſatoriis reperiuntur, quæ ſuccum citri recipiunt, uti eſt *Julepus Gemmatus Magni Ducis Hetrur. à Schröd. Pharm. l. 2. c. 84. deſcript. ▽ cordial. frig. ab eod. Ibid. c. 38.* annotat. &c. Solet quoque ſuccus citri cardiacus nuncupari reſpectu virtutis ſuæ diaphoreticæ, qua ſerum heterogeneis, corpori infenſis, particulis implicatum educit, unde ſequens mixtura ſudorem movens in omnibus fere morbis cum febre conjunctis, cardiacæ nomen meretur : ℞. ▽ fumar. ℥iij. ſyrup. acetoſ. citri ℥j. conf. alcherm. compl. ℈ß antimon. diaph. ʒij. bezoard. mineral. ʒj. m. & ſingul. trihorio unum cochlear exhibeatur. Adeo quoque ſyrupi acetoſitatis citri increbuit uſus, ut vix potiunculam ſudoriferam videas, quæ hunc ſyrupum ſibi non admixtum habeat. Summe præterea proficuus eſt hic ſuccus Indias petentibus & incolentibus Europæis, tam præſervationis, quam curationis ergo, in febribus acutis & malignis, in calidioribus oris admodum frequentibus, cum ▽ ſo potu, aliove modo, crebrius aſſumtus, ceu fidem facit *Zod. Med. Gall. ann. 4. menſ. April. obſ. 2. Ventriculo* gratus eſt propter temperatam ſuam aciditatem, qua fermento gaſtrico ſuccurrit. Laudatur cum in finem poſt prandium vel cœnam modice aſſumtus ; ex quibus conſtat eundem ad *anorexiam*, à fermenti ſtomachici inertia ſubortam, utiliter adhiberi, quovis modo uſurpatum. Quantum vero poſſit ad *ſitim* fallendam, ex præmiſſis patet : hic ſaltem addidiſſe ſufficiat, ſerum lactis, citri ſucco acidulatum, tum in ſiti, tum in *ſcorbuto*, aliisque, etiam malignis, morbis, vel ſolum vel idoneis vegetabilium ſuccis aliisve adjunctum, non ultimum eſſe remedium, formul. vid. apud *Ettmüll. de præſcr. form. cl. 3. & 4.* Enormem quoque *vomitum*, à bilioſa colluvie, in ventriculo fluctuante, compeſcunt, & relaxatum ſtomachi tonum reſtituunt cum & ex citri ſucco concinnata remedia, inter quæ conſerva roſatum citrata laudatur. Elegans alias in vomitu, malignatum præſertim febrium, remedium exiſtit ⊖ abſynth. ʒj. cum cochleari ſucci limon. miſtus, de quo vid. *L. River. cent. 1. obſ. 15. & c. 2. obſ. 99.* Commendantur porro ſyrupi è ſucco citri ſicci, aquæ pro potu, vel aliis medicamentis diaphoreticis admixti, ut & hujus loco julapia è ſucco parata, in *alvi fluxibus* bilioſis vulgo dictis, dum ſerum, ad inteſtinorum glandulas copioſius delatum, ope ſudoris avocant, adeoque partim per cutis cribrum expellunt, partim ad priſtinos canales, ductus ſc. urinarios, ablegant. Heic non prætereundam cenſeo *anthelminticam* hujus ſucci virtutem, qua, operante ſale ſuo acido, tum ovum verminoſum, nondum excluſum, ſubigit, tum etiam ipſorum vermium teneram compagem deſtruit : Et cum febricula plerumque ſoleateſſe conjuncta, à miaſmatibus putridis Mæ Sæ communicari ſolitis, præſto erunt julapia ex ▽ card. bened. centaur. min. &c. cum ſyrupo acetoſ. citri & ♏ vitrioli parata, &c. Cæterum aſſerunt quidam, ſuccum citri interne aſſumtum *calculum* comminuere, quoniam margaritas, corallia &c. diſſolvere queat. Verum enim vero hic ab externis ad interna non valet conſequentia. Id equidem facile conceſſerim, ſuccum hunc, quatenus diureticus eſt, arenulas (calculorum rudimenta) in renibus ſtabulantes, per vias urinarias educere, ſimulque abſterſiva ſua, qua poller, virtute, à calculo præſervare poſſe, ceu Practicorum obſervationes docent ; Quare etiam *Ettmüll. prax. p. 2. c. 3. p. 186. & Sylv. Meth. Med. l. 2. c. 24. §. 48.* aliique hunc ſuccum ſuis laudibus in exturbando renum calculo privare nolunt, ſiquidem poſterior l. c. hunc in finem ol. amyd. dulc. ſemel aut ſæpius ad ℥ß. vel ℥j. cum vino Rhenano diuretico tepido, ſucco citri & ſaccharo ad gratiam adſperſo, hauſtum commendat : Et *M. Sebiz. Spec. Med. Pr part. 4. Sect. 6. c. 11.* inter experimenta antinephritica ſeq. refert : ℞. ſucci limon. ℥j. vini Cretici ℥iß. Ω bacc. junip. ʒj. m. Cavendum tamen ne ſolus citri ſuccus nimia in quantitate & diutius uſurpetur : nam *Primeros. de error. vulg. l. 4. c. 41.* ex *Dureti notis ad Holler.* refert, quendam, poſtquam ſectionem abhorrens ex aliquorum conſilio ſuccum limonum per tres menſes bibiſſet, aphthis in ventriculo, à ſucci aciditate obortis, interiiſſe. Quod vero laudatus ſuccus in renibus, vel veſica hærentes, ac ſiliceæ duritiæ gaudentes calculos comminuere poſſit, credat Judæus Apella. Ad *Iſchuriam* renalem & veſicalem à materia viſcida & mucilaginoſa, meatus uninarios obſtruente, appropriatum porro remedium audit ſuccus limonum *Amato Luſitano cent. 5. obſ. 71.* ſi ad ℥ij. vel iij. usque ad iv. aſſumatur ; placet vero magis hoc in caſu ſeq. quod *Ettmüll prax. p. 2. c. 4. pag. 203.* ad imitationem *Riverii in obſerv. communic.* proponit : ℞. vini albi dulcis ℥iij. ſucci limon. ℥j. Ω terebinth. ʒj m. capiantur ſucceſſive. *Nimio* præterea *menſium & lochiorum fluxui* eatenus reſiſtit, quatenus turgeſcentem ſanguinem leviter inſpiſſando ejusdem impetum cohibet, & fluxum ſiſtit. Hinc in uſum vocari poſſunt julepi ex ▽is refrigerantibus cum ſyrup. acetoſit. citri, addito ſang. pulv. dracon. corall. rubr. &c. vel etiam mixturæ ex conſ. roſar. antiq. pulp. citri, cum myva cydonior. confect. alcherm. incompl. ſyrup. corall. &c. adjecto uno vel altero grano de laudano cydoniato.

Laudatur insuper in *gonorrhœa benigna*, à superflua seminis generatione ejusdemque turgescentia suborta, sæpe citatus succus, cujus efficaciam hoc in affectu se millies expertum esse *Amat. Lusit. cent. 5. cur. med. 71.* gloriatur. Præscribendi formulas tradit *Ettmüll. prax. p. 2. c. 15. p. 423.* Nimiæ quoque utriusque sexus *salacitati*, imo & *uterino furori*, frænum injicit, si suasore laudato Viro *l. c. c. 16. p. 433. & p. 3. c. 5. p. 20.* cum opiatis, nitratis, camphora &c. propinetur: quo serum lactis succo citri acidulatum referri potest. Dictorum vero rationem ab aciditate succi, sanguinis laudabilem crasin nonnihil immutante & simul per diaphoresin & diuresin laudabilis seri, ossis & nutritiis particulis imbuti, copiam expellente, petendum reor; id quod etiam dicti liquoris acidi facultas, qua *corpulentiæ nimiæ* resistit, satis superque confirmat. *Cosmeticorum* denique albo succus citri ob vim, qua gaudet, abstergentem inserendus est, utpote qui recens cuti affrictus varias ejus *maculas, lentigines, ephelides &c.* ut & *guttam rosaceam*, præmissis tamen præmittendis, delet; id quo etiam serum lactis cum laudato citri succo actum efficere solet. Cum vero cutis ab horum fortiorum detergentium usu nonnihil aspera reddatur, eadem facile iterum lævigari poterit, si lacte, vel emulsionib. ex amygd. nucl. persic. agar. petræo, & similib. cum ▽ rosar. fl. fabar. sigill. salom. &c. paratis abluatur. Huc pertinet *unguentum citrinum* s. potius citreum, quod cutim asperam lævigat, maculis contaminatam dealbat, cicatrices emendat, & *pustulas* ab aeri lympha productas sanat. Ad *scabiem* tandem, teste *J. Jonston. Thaumatogr. cl. 5. c. 33.* commendatur, si per medium sectum citreum, & tenuissimo sulphuris pulvere consperſum, nec non ferventi calefactum cinere, corpori scabioso affricetur; id quod ratione succi sui præstat, siquidem succus limonum quoque speciebus unguentum ad scabiem constituentibus jungatur.

CAPUT XI.

SEMINUM FACULTATES ANNECTIT,

Quantis semina citri à plurimis Botanophilis mactentur laudibus, prolixa verborum serie nunc enarrare superfluum puto, cum forte in futurum latior de hisce differendi patebit campus. Quod igitur decantatam illorum vim *antidotalem* attinet, consistit ea in pinguibus & ossis, quibus maxime adundant, particulis, quarum hamulis & glutine acuta veneni pestilentis spicula qs. involvuntur & obtunduntur, ita ut corrodentem suam vim in teneras corporis nostri partes exercere nequeant; quibus vis horum seminum accedit diaphoretica, qua plurimum in morbis malignis præstare assolent: adeoque tam in peste, quam etiam reliquis, à veneno communicato inductis, symptomatibus proficua sunt, vel interne, in substantia, speciebus pro medicamentis alexipharmacis, v. gr. confect. liberant. antidot. *Matth.* conf. de hyacinth. electuar. contra pestem Imperator. *Ferdin.* Theriac. cœlest. &c. addita, vel externe, contusa venenatorum animalium morsibus applicata, authore *Hafenreffer. de cute l. 3. c. 12. p. 537.* id quod etiam & ex seminibus expressum præstare valet, teste *J. B. Porta Mag. natur. l. 8. c. 9. & l. 10. cap. 5.* Maximi quoque usus sunt dicta semina in *febribus maligni moris, variolis & morbillis*, si ex iis in mortario cum aliis seminibus contritis emulsio, vulgo expulsiva dicta, paretur, qualis est seq. R. sem. aquileg. citri excortic. napi ā ʒj. contund. & emulg. cum ▽ card. bened. & scord. āā ʒiß. quibus adde C. C. Philos. præp. unicorn. fossil. ā. gr. x. sacchar. perlati ʒj. S. *Außtreibende Milch auf einmahl.* Adduntur etiam speciebus pro *decoctis expellentibus*, quorum form. vid. in *Fr. Hoffmann. thes. Pharm. Sect. 6. num. 14. seq.* Nonnulli hæc semina *sacculis cordialibus* includunt, cujusmodi form. habet *Schröd. Pharm. l. 2. c. 78.* quem vero usum præstent, non video, siquidem à semine citri hac ratione nulla fere virtus speranda. *Lumbricos intestinales* enecant, quia ratione particularum suarum amararum, quæ ex mente *Willis. l. c.* ex furcatis aculeis constant, tenera vermium corpuscula destruunt; Adeoque nonnunquam saccharo obducta infantibus deglutienda præbentur, vel, quod præfero, sub pulveris seu boli forma aliis admixta propinantur, v. gr. R. Sem. santon. citri excort. ā. ʒß. myrrh. ℈j. cum conserv. rosar. vitriolat. f. bolus; vel etiam ex iisdem pro eodem scopo emulsiones parantur. *Fr. Hoffm. thes. Pharm. Sect. 11. num. 7.* sequentem adornat: R. sem. cannab. ʒß. citr. ʒj. ▽. fl. persicor. ʒiv. f. emulsio add. corallin. C. C. ust. āā. ʒß. ~ citri gutt. x. m. pro 2. vel 3. dosibus. In eundem finem nonnulli & ex seminibus exhibent, vel etiam ventriculi regioni cum felle bubulo permixtum exterius illinunt. Laudantur porro contra *vomitum gravidarum*, quatenus particulis suis blandis & oleosis fermentum gastricum, à Mali, per graviditatem alterata, corruptum corrigunt & ventriculi fibras irritatas demulceant. Consultum itaque erit in graviori hujusmodi vomitu, præter alia medicamina, sequentem concinnare tragæam: R. spec. lætif. Gal. ʒi. de N. M. ℈ß. cort. citr. pulverisat. ʒj. lap. ♋ præp. ʒß. magister. corall. cum succ. citri parat. ℈j. sem. coriandr.

riandr. præp. citri exortic. ää. ℈ii. facchar. roſat. tabulat. ℥ij. m. f. tragæa, de qua ſingulo mane & veſperi cochlear dimidium pani toſto & vino malvatico inſperſum aſſumatur. *Arthritico* alias *dolori*, & ſuccedenti *tumori*, exterius inunctum & è ſeminibus conducere dicitur. Quoniam itidem dicta ſemina abſtergente & diuretica facultate pollent, *urinam* promovere, & arenoſum *calculum* tam præcavere, quam educere valebunt, maxime ſi ex iisdem & ſemine violar. nucl. perſic. &c. cum ▽ fragor. parantur emulſiones, quibus lap. ♋ pulv. addantur. *Alvum* denique blande *ſubducendi* vim habent dicta ſemina, primas vias lubricando, detergendo moderateque ſtimulando, de qua re jam plura verba facere inſtituti ratio vetat.

CAPUT XII.

CITRI USUM POLITICUM ET OECONOMICUM SUBJUNGIT.

MAla citrea ab Antiquis magni æſtimata, nec ad cibos adhibita fuiſſe, ex *Theophr. l. c.* habemus, cujus ætate nondum in ciborum uſum venerant, & ne quidem *Plutarchi* avorum memoria, ceu *Athen. dipnoſ. l.* 3. *c.* 6. refert, qui ibid. teſte *J. B. à Stapel l. c. pag.* 92. hujus rei rationem reddit, dum dicit, veteres non ideo à citreorum eſu abſtinuiſſe, quod non fuerint edulia, ſed quia in alium uſum, tanquam rem ingentis pretii & theſauro dignam, reſervanda duxerint. Legimus hinc apud *Plin. l. c.* aliosque citrea poma olim in veſtiaria repoſita fuiſſe, quo veſtes non modo ſuaviſſimo odore ſuo perfunderent, ſed & easdem à tineis præſervarent, quas poſtmodum ab odore, quem referebant, *citroſas* nuncupavere. Poſtquam autem vis eorum alexipharmaca caſu innotuit, eadem tum curationis ergo ægris commendare, tum præſervationis gratia cibis admiſcere cœperunt. Cum etiam curioſi Poſteri non tantum in pluribus morbis, ſed etiam in variis domeſticis uſibus commoda deprehenderint, in tantum eorum increbuit uſus, ut hodie ubique multi reperiantur mercatores, inprimis Itali (*die Italiäner*) qui horum pomorum aliquot millia, non ſine lucro, ſucceſſu temporis divendunt. Ut enim nihil jam de ea quantitate, quam Pharmacopœi ſæpius pro medicamentorum compoſitione, & Dulciarii pro bellariorum confectione, coëmunt, referam, anne numerari poſſunt, quæ in Principum aulis quotannis conſumuntur? Quot, quæſo, funera hebdomadatim terræ mandantur? vix tamen ullum bajulorum videris, qui non citrinum pomum, ad cadaveroſum fœtorem emendandum, manu geſtet. Narrat *Ovid. metamorph. l.* 10. *fab.* 15. *Hippomenem*, ex Veneris conſilio, tribus aureis malis *Atalantam*, Regis filiam, ſibi conciliaſſe: quid! ſi forte idem, vel ſaltem ſimile quid compti juvenes in nuptiis heic, alibique locorum, tentare velint, quum decoro virginum cœtui in ſaltationibus non exiguam horum pomorum quantitatem offerunt? Mille modi ſunt, quibus plebei cereum hocce malum in ſuos vocant uſus publicos, quorum heic aliquos ſaltim commemorare lubet. Quodſi nimirum cujusdam natalis affulget dies, vel nominalia celebrantur, accurrit illico vicinus, qui citreum brachio ejus, cum ſerica faſcia, (*mit einem taffetem Band*) adalligat: alius, quem ſævus urit amor, cum *Virgiliano Menalca eclog.* 3. Phyllidi ſuæ unum vel alterum citrinum pomum, (fructum utpote Veneri ſacrum, ceu vult *Claud. Minos ad Alciat. Embl.* 206.) in amoris ſignum, offert, vel etiam acido ejus ſucco, atramenti loco, in conſcribendis amatoriis literis (*zu den Buhlen-Briefen*) utitur, quod Scripturæ genus nonniſi flammis illuſtratum legitur. Eſt rurſus alius, qui amicis, qui illis, quorum gratiam vel favorem ambit, ſtrenæ loco, aliquot horum & aurantiorum pomorum paria mittit. Adeo tandem familiaris eſt hic fructus, ut, præter ægros & ex morbo convaleſcentes, plurimi utriusque ſexus homines eundem ob colorem & fragrantiam adament, &, quocunque iverint, circumferant. Taceo, quod mercatores Itali exſpatiantibus hæcce poma ultro venalia obtrudere ſoleant. Tranſeo ad *uſum Oeconomicum*, qui variat: ſiquidem rei culinariæ præfecti hunc fructum, tum recentem, tum muria conditum, nunc integrum, nunc in taleolas diſciſſum, nunc tantummodo corticem, nunc ſolummodo acidum ſuccum, pro ſcopi ratione, variis ciborum generibus, & condimenti & ornamenti loco, adhibent; nonnunquâ etiam integra citrea mala, vel eorundem cortices, tam ſub liquida, quam ſicca forma cum ſaccharo conditos & candiſatos inter bellaria ſecundis Magnatum menſis apponunt. Solent etiam nonnulli haud contemnendo commodo ſuccum acidum recentem carnibus & piſcibus aſſatis adſpergere, ut melius concoquant, gratioremque cibis concilient ſaporem: alii citri lamellas ſacchari polline conſpergunt, & ad appetitum excitandum eſitant, quod ipſis *ein Citronen-Salat* audit. Frequenter autem ejusmodi fruſtula cereviſiæ vinoque injiciunt, imo quibusdam nullum ſapit vinum, niſi prius

poculorum ora aromaticis, è compreſſo recenti cortice proſilientibus, guttulis madefacer nt, quo genuinum vini ſaporem adulterent. Norunt plurimi ex elæoſaccharo corticum & ſucco acido, cum una vini albi, & duabus ∇ ſont. partibus, adjecto uno vel altero eſſentiæ ambræ ſiccæ grano, gratiſſimum concinnare potum, quem *eine Limonade* vocant. Quinimo in nonnullis populoſis civitatibus peculiares degunt homines, qui conficiendo huic potui unice incumbunt, unde etiam *die Limonadirer* appellantur. Ad hunc potum ſæpius confugiunt illi, qui prægreſſis diebus Baccho litarunt, vel aliunde aſtum contraxerunt, quo aridis faucibus ſuccurrant. Accuratam ejus præparationem leg. in Excell. *J. S. Elsholt. Diætet. l. 6. c. 6. pag.* 331. ubi hunc potum, vino in conviviis admixtum, optimum ebrietatis prophylacticum eſſe dicit ſeq. *Weil ſie dem Rheiniſchen Wein der Farbe nach gleichet, kan man ſothane Miſchung* tanquam ſucum honeſtum, *als ein Mittel wider die Trunckenheit in Gaſtereyen gebrauchen, alſo daß, wann andere vom lautern Wein truncken worden, man bey gutem Verſtand bleibe.* Refert *J. Bontius hiſt. Nat. & Med. Ind. Orient. l.* 1. *dialog.* 3. *p. m.* 8. potum ex his pomis, cum tamarindis, ſaccharo & ∇. in Inſula Java parari quotidianum & guſtu jucundiſſimum, quem *ibid.* deſcribit. Conficitur etiam à noſtratibus quandoque ex abraſa corticum flavedine & ſaccharo *vinum citratum*, ſtomacho gratiſſimum. Nonnunquam citrei cortices ſpeciebus pro *vinis & cereviſiis medicatis* (*Kräuter-Wein und Kräuter-Bier*) adduntur, quarum formul. annectere ſupervacaneum puto, conf. ſaltem *Ettmüll. Id. præſcr. ſorm. cl.* 4. *§.* 7. *Lamograph. J. O. Marolt. c.* 15. *lit. A.* Cæterum cupediarii *paſtas* ex corticibus & acido ſucco, cum ſaccharo, amylo &c. conficere conſueverunt, quarum multifaria genera in libris, quibus coquendi ars traditur (*in den Koch-Büchern*) ad nauſeam usque videbis. Quomodo *Citronen-Biſcuit und Brod* componatur, docet ſæpius laud. *Elsholt. in append. diætet. p.* 452. *&* 455. *Tinctores* item in ſerico tingendo, illis præſertim coloribus, quos Galli *couleur de Nacre*, it. *couleur de feu* (*Flammenfarb*) vocant, ſucco utuntur acido: qui quoque à non infimæ ſortis lotricibus ad *maculas ex atramento* è linteis extirpandas haud infrequenter expetitur. Iisdem modo dictis uſibus incolæ Regni Tunquin hunc ſuccum deſtinare ſolent, ceu *J. B. Tavernier. l. c.* innuit ſeq. *Sie haben auch ingleichen 2. Arten von Citronen, gelbe und grüne, ſind aber beyderſeits ſo ſauer, daß man ſie ohne Verderbung des Magens nicht eſſen kan. Gleichwohl ſind ſie ihnen nicht unnützlich, dann ſie gebrauchen ſie, wie man hier das Scheid-Waſſer, zu Reinigung des Kupffers, des Meſſings, des Eiſens und andern Metallen, die ſie vergulden wollen, ingleichen zu den Farben, vornehmlich zu der Seiden-Farbe. Sie brauchen ſie auch zum waſchen, dann ſie machen das Leinwand vollkommen weiß, und nehmen alle Flecken oder Mackel weg. Man bedienet ſich ihrer in allen Herrſchafften des groſſen Mogols zu den Baumwollen-Zeugen, welche davon ſo weiß werden, daß ſolcher Glantz offtmahl das Geſichte blendet.* Deſcribit denique *Adr. à Mynſicht. in Arcan. Med. Chym. Sect.* 20. *p. m.* 341. *liquorem veſtimentalem* dictum, ex ∇ ſont. lib. ij. ciner. clavell. nucis quantitate & malo citreo compoſitum, quo omnes ſordidæ & oleoſæ quatumcunque veſtium maculæ tolluntur.

CAPUT XIII.

INDICATIS CAUTELIS CIRCA CITREI USUM OBSERVANDIS CONCLUDIT.

Cum nullum detur medicamentum, quod cunctis indiſcriminatim exhiberi, omnibus mederi morbis, quolibetque tempore ſalutariter uſurpari poſſit, ſequitur, nec ipſum citrii uſum ſemper & ubique ſalutarem eſſe, quod ratio & quotidiana Practicorum experientia ſatis evincunt. Etenim in vulgo dicta biliosa corporis conſtitutione & morbis colliquativis, vel ubi Malis ex æſtuatione nimia turget, dicti cortices cum cautela, & non niſi blandis acidis nupti aſſumendi ſunt, quod etiam de cæteris ex hiſce corticibus præparatis medicamentis dictum volo, maximè v. d. ⊖ volatili & ſ. cujus diuturniore uſu abſtinendum eſt, cum ab iſtiusmodo volatilibus diutius uſurpatis Mæ Sæ compages nimium reſeretur, unde nonnunquam cordis palpitationes & periculoſæ oriuntur hæmorrhagiæ, ceu obſervavit *Ol. Borrich. in Act. Med. Hafn. vol.* 1. *obſ.* 113. Notanda hic peculiaris idioſyncraſia Nobilis Matronæ à *Ryſchach*, quæ referente *Joh. Bauhin. Hiſt. Plant. univ. l. c. pag.* 103. ex ſolo mali citrei odore nauſea concepta, multoties in vomitum erupit: ſimile fere recenſet *Excell. Joh. Lud. Hannemann in Eph. Acad. N. C. dec.* 2. *ann.* 1. *obſ.* 72. de cive quodam Hafnienſi, qui juvenis Norimbergæ vivens toties in colicam incidit, quoties citriorum odorem percepiſſet, poſt a. ætate provectior & Hafniæ degens ab his cruciatibus, licet citreis uteretur, immunis fuit: Ipſe quidem cauſam in mala citrea ex Italia Norimbergam delata rejiciebat, utpote quæ alterius, reſpectu cæterorum, indo-

lis

lis esse putabat ; optime tamen Excell. *Luc. Schröck. Fil. schol.* monet genuinam hujus rei rationem ex simplici hac relatione, omissis cæteris circumstantiis, difficulter erui posse. Acidum porro succum non omnibus prodesse testis est sequior sexus, qui ab acidis nonnunquam gravia patitur symptomata ; hinc frequens mulierum querela : *Ich kan nichts sauers leiden.* Cum enim hic sexus delicato & magis sensili gaudeat systemate nervoso, ac plurimis simul spasmodicis affectibus obnoxius sit, acida, nervis inimica, facile spasmos aliaque mala producere, vel mineram morbificam augendo crebriores horum affectum recidivas efficere possunt. Sunt tamen nonnullæ mulieres, quæ horum pomorum esu ita delectantur, ut exinde in catameniorum suppressionem incurrant, quale quid ab esu limonum & acetariorum nimio in virginibus Monspelliensibus bene multis Excell. *D. Carol. Drelincurt.* observasse refert *Joh. von Flammerdinge §. 19. Dissert. Inaug. de tumoribus lienis habitâ Lugdun. Batav.* 1671. Nocet præterea citri succus, nimium usurpatus, nervis, dentibus, pectori, & (ut brevis sim) ubicunque acidum jam prædominium obtinet : tunc enim vel plane non adhibendus, vel, si forte ejus indicatur usus, parca manu, & admixtis convenientibus medicamentis præstat. Gratus alioquin hujus pomi sapor efficit nonnunquam, ut illi, quibus à Medico ad appetitum excitandum, ut integri citrii frustulum subinde deglutiant, injunctum fuit, in quantitate peccent, & duo, tria, vel etiam plura ejusmodi mala devorent, unde, exaltata fermenti aciditate, in contrarium malum, famem scil. auctam, vel etiam, teste *Walæo M. M. pag.* 146. in crebras oris spuitiones incidunt. Huic illi præterea maxime culpandi veniunt, qui saltationibus, palæstra, pilæ lusu, aliisque vehementioribus exercitiis incalescentes frigidiorem Limonadam plenis buccis ingurgitant, unde sanguis in faucibus, pulmonibus, ventriculo subito restagnans harum partium inflammationes aliaque mala parit : testis est Academiæ N. C. G. oculatissimus *Argus*, qui in *Ephem. dec. 2. ann. 3. obs.* 11. menses suppressos in virgine 17. annor. cum cachexia, anorexia, chlorosi, dyspnœa, dolore in dorso, &, post statam mensium periodum ad 3. vel 4. septimanas, copiosis sanguinis grumis una cum fæcibus depositis, ab immodica saltatione, dein æstuante corpore ingurgitato potu, *Limonade* dicto, subortos vidit. Ast! qua, quæso, pœna digni sunt illi malitiosissimi homines, qui saluberrimum hunc fructum venenis suis conspurcare audent? siquidem refertur *D. Langium* Juvenem, ab infecti citrini mali esu misere afflictum, restituisse: Postquam enim dictus juvenis dimidiam citrii partem, à levioris notæ fœmina receptam, hora quarta pomeridiana deglutisset, singulis post diebus per eandem horam tanto in dictam fœminam cruciabatur amore, ut hinc inde cursitando nonnisi eandem complexus quiesceret. Conf. hac de re lectu dignam *D. Elsverth Disp. Inaugural. de Philtris, sub Præsid. Magnifici D. Franci hic 1673. habit.* Jam trium literarum tyrannus, *Mos*, mihi vellicat aurem, meque de fine monet : quare nunc filum abrupturus id saltim adhuc notari velim, singulare Naturæ beneficium esse, ab eodem, qui offendit, citreo malo, certissimum posse peti remedium ; cortices enim, si corpori noxam intulerint, acidus ejusdem pomi succus præsens erit remedium, quod si vero hic ipse succus læserit, cortices indubitatam medelam afferent. Plura in aliud reservo tempus.

DISPUTATIO VII.

DE

MALO SINENSI AUREO,

D. JOHANNI PHILIPPI BURGGRAFII.

I. N. J.

CAPUT I.

QUia initium doctrinæ nominum habetur consideratio, juxta *Socratem apud Avian.* merito & nos à definitione capimus initium. Certè de Nomine tractationem *Philosophus* rem benè intelligendi dixit principium : Ipseque Medicinæ Princeps ille *Cl. Galenus* nos eruditè monet, *Lib.* Num Hygiene Med. sit vel Gymnastic. dicens, in omni contemplatione, optimum Inventionis initium est, antè exactè cognoscere, quidnam sit illud, quod quæratur.

Malum vocabulum à Græcis mutuatum Latinis, juxta *Isidor. Origin. Libr.* 17. *c.* 7. est namque à Dorico & Æolico μᾶλον pro μῆλον, quod non modò pecus & mammillam, *sed & pomi genus significat.* Hinc *Varro Lib.* 10. *de LL. Malum, quod Æoles dicunt* μᾶλον.

Sinense verò, à locô patriô seu natali, non quidem quod tantum in Chinensium oris hoc malum proveniat, (imò illam, de qua hic nobis sermo est, speciem, quæque vulgo Sinen-

sis perhibetur, in dicta Chinensium regione neutiquam crescere ferrunt, ut postea fumus dicturi,) sed quia omnium illic primum propullasse visum est. Sic Succolata Indica audit, quia in India præcipuè ex fructu Cacao parari consuevit; pariter Opium additó speciali epitheto Thebaicum vocatur, quod Thebis maximè deferatur ad nos, meliores notæ omne: sic quoque alia loci patrii seu natalis determinationem proprio nomini habent conjunctam, v. gr. ut in eodem persistamus genere, malum Punicum, malum Persicum.

Aureum dicitur, quia pretioso auri resplendescit colore, mire hoc modó intuentium omnium oculos afficiens. Homini namque, præsertim avaro, nil ferè jucundum, nisi quod aureum est.

Ratione *Homonymiæ* variat hoc malum: Aurantium Sinense vocatur *primo*, quoddam in China inveniundum malum, *tardè crescentis olivæ* & magnitudinè & figurâ conspicuum, & quidem, quod maximum omnino est, planè regioni dictæ proprium: vid. *Jo. Bapt. Ferrar. Hort. Hesperid.* Pomum *secundò* aureum Sinense dicitur, aurantiorum malorum certa species, quæ Goæ inprimis, Salsetanisque Insulis, siquidem *Alvari Semedi* Jesuitæ Lusitani, fide standum, *nullis hominum cogentibus*, crescit, magnitudine aurantium æquans commune: de ultima hâc jam nobis speciè agendum erit.

Synonymiam quod spectat, vocatur hoc quoque malum *Aurantium Sinense vel Arantium*, ab Arantia Achaiæ Regionis in Græcia oppidulo, vid. *Ferrar. l. d.* Hermol. Barbar. corol. *l.* 1. corol. 922. Vocatur etiam *Aurantium Olysipponense* quia frequenter Olysippone in has aliasque transfertur oras. Gallis vocatur: *une pomme de Sine, vel Orange de Portugall.* quasi dicas Poma Sinæ vel Chinæ. Sæpe etiam nomine *Citrei* vel *Punici mali* aurantium venit, priscæ ætatis Doctoribus imprimis, qui nullam omnino vel levem admodum inter hæc mala differentiam agnovere; hinc certè evenit, quod frequenter quidem Citrei vel Punici illius seu Granati, non facilè vero Arantii, apud illos mentio fiat. Germanis audit Sin-*Apfel*, *Apfel* Sin-

CAPUT II.

Pomum hoc, aureum Sinense dictum, fructus est arboris peregrinæ ex India in Lusitaniam primum, post in Italiam nostrasque oras translatæ, colore flavó, aureó, cortice leviter asperó, amaró, pulpâ succó acidiusculó irroratâ gaudens: Semina habens oblonga, alba, peculiaribus capsulis & cellulis inclusa: Quæque speciosó hoc fœtu arbos gravatur, non procera, sed humilis est, duorum circiter vel trium cubitorum, humilis hinc epitheto Authoribus dicta: dispersa in ramos breviores multos, foliis gaudens minutioribus, spissâ sitis congerie, floribus pubescens gratissimis, vid. *J. Commelyn Hesperid. pag.* 17.

Quia fortasse fructus arboris hujus admodum amabili omnibus vultu ridet, prisci illi, ex quibus etiam *Jo. Tristanus est*, speciosam arboris originem finxere, perhibentes scilicet: Aurantium fatum fuisse primo in Insula Cypro, à Venere illa amorum Dea, venustatisque omnis Parente, quam Veterum assertionem carmine Eriphi illó confirmat Tristanus, *vid. Ferrar. Lib.* 10. *Hesperid. cap.* 1 *pag.* 373.

Ast *Nicolaus Monardes*, gravissimus satis Author, seriò affirmat, ejus ortum planè à modo dictó diversum esse: Aurantium nempe propullulasse, insitâ in Punicam Citri taleâ; speciosum Dî inventum, si vera jam diceret Author! Sed quotidiana reclamat experientia, cum facilè periculó insertionis, spe nostrâ, malum aurantium expectantes, frustremur. Puto ergo malum aurantiam esse peculiarem arborum speciem, à Deo in primâ rerum omnium creatione conditam cum aliis, non demum humanâ arte adinventam.

Ast ipsa cum annosa ilice aurantia malus certare de longævitate videtur, per multam annorum seriem fatorum despiciens iniquitates: cumprimis, ubi cœlum nacta clementius fuerit; quadringentorum, mirum dictu! annorum Aurantiam Romæ felici Cœnobitæ cujusdam manu consitam exhibet *Ferrar. Libr.* 10. *Hesperid. pag.* 372.

Rursus etiam veterrimam aliam, quasi Romanum miraculum, profert, qui quadringentesimum jamdum annum superaverat: Speciali certe prærogativa Naturæ matris almæ, quâ Citrea malus & Limonia prorsus carent. Adscribi hôc locó elegantissimum Pontani carmen, de hujus arboris vivacitate, meretur, ita verò ille:

Nec verò spatium vitæ breve, seu breve tempus
Est Citrio: æternum genus, immortalis origo,
Et species æterna quidam. Stirps Citria longum
Ipsa manet: Sæcla exuperans & jungere sæclis
Sæcla parans: Truncó extincto mox surgit & alter,
Inde alter: victrixque diu sua robora servat.

Solum amat arbor pingue quidem, terrâque pullâ humectaraque gaudet: non tenella tamen adeó, quin mediocri solo curaque adhibita lætissime crescat; de cultura hujus arboris pluribus & doctè & eleganter disserit Ferrar. *Libr.* 10. *Hesperid.* *J. S. Elsholt. Horticult. Libr.* 10. *c.* 8.

Mala ipsa, seu fructus, terræ Chinensis opes putaban-

putabantur: Aſt, qui apud Sinenſes ſic ſatis diu commoratus eſt, Jeſuita *Alvarus Semedus* pro certo affirmavit, teſte elegantiſſimo *Ferrar. d. l.* ſe in Sinenſium Regione nulla planè illius formæ poma conſpexiſſe, benè tamen in reliqua India, tum præcipue Goæ & Salſetanis Inſulis, plurima: *Indicum* hinc, adjicit ille, potius eſſe hoc malum nominandum, aut *Goanum*, *quam Sinenſe*. Retinere tamen adhucdum maluimus poſterius illud nomen in rubrica Diſſertationis hujus, quia ita vocari hodiè quoque ſuevit.

Differunt mala Sinenſia verò duplici modò, magnitudine ſcilicet ſaporeque; ſic majus illud, quod in Salſetanis Inſulis naſci *à Semedo* perhibetur, duplo ferè majus eſt alterò illô minori Sinenſi propriè dictô: Corticem habet *Goanum* illud amaricantem, è contra *Sinenſe minus* pinguis magnitudine olivæ, delicatiori multò gaudet involucrô, ut cedere totum in cibum poſſit.

Conſtat his hoc malum *partibus:* 1. cortice, 2. carne, parte cortici contigua, 3. pulpâ ſeu medullâ, 4. ſuccô acidiuſculo, 5. loculamentis ſeu capſulis Seminariis, 6. Semine.

CAPUT III.

Odorem verum eſſe virium in medicamentis ſimplicibus indicem, traditio non vana Botanicorum eſt; etenim, cum à ſulphure vel purô, quod reficere magis ſpiritus noſtros aptum calidoque nativo apprimè amicum eſt: vel impurô, pro re natâ magis nocivo, omnis proficiſcatur odor, facile mixti cujusvis κρᾶσιν manifeſtare poterit.

Jam verò ſi de odore noſtri proſpiciamus mali, reperiemus ſuaviter ſic ſatis illud ſpirare, naresque, delicatulum ſenſum, non quidem tenaci & penetranti, ſed mitiori, aliquantum acriori tamen, recreare odore; tenuioris ergo ſubſtantiæ erit præſens malum: hoc eſt, gaudebit particulis ſulphureo-ſalinis volatilibus plurimis, attenuantibus & incidentibus: ſed cum ſuſpicio meritò eſſe poſſit, minus tenacem odorem ſuperficiei ſaltem inhærere exteriori, nec per intima æque eſſe diffuſum, jure meritoque dicemus temperate pomum hoc calidum eſſe, multoque plures ſalino-terreſtres portiones, volatilioribus illis in apice conſtitutis extremo, habere admixtas.

Quod naribus ſtitimus modo aureum pomum, jam linguæ accuratiori examini offeremus: quamvis certè corpora quædam inodora prorſus, qualia ſunt præcipue ex minerali regno, antimonium & ſulphur, narium ſubtiliorem ſenſum fallant, non æque tamen, materialis magis ſenſus, guſtus puta, aciem eludent: tantò magis ergò præ ſuperiori alterô illô hic nobis obſervandus.

Cortex mali, mox cum admovetur linguæ, ingratâ ferit amaritie fermè, recens quidem ſi fuerit; partibus ergò, præter volatiliores paucas, facilè ad coloris ſenſum evaneſcentes, conſtabit ſalino-terreis plurimis, temperantibus, præcipitantibus & invertentibus, adſtringentibus & abſorbentibus; ſubit hunc quoque corticum cenſum caro ſeu pulpa, ſuccô ſuô, quô quidem irrorari ſuevit, orbata.

Succus verò gratiſſimâ ſuâ ſe aciditate palato probat inertique paulum ventriculo blanditur: ſeu arentem blandè linguam rigat, fermentumque ſtomachale, in deperditô ſeu proſtratô appetitu, roborat.

Nec chryſomeli hujus color facile prætermittendus abſque quaſi examine eſt, cum & hic in tantum quidem nobis mali vires videatur prodeare: aureô profectò, quo fulget colore, non levem caliditatis ſuſpicionem in inquirentium animis creabit, ſulphure à ſale panſo pulcherrimè. Sic calida quævis majori gradu ſunt & nobis dicuntur flava omnia illa, *Rhabarbarum*, *Crocus*, *Florum antheræ*, *Curcuma*, *alia:* calidioris eſſe ergo naturæ hoc malum, hic color, quod ſupra odor, teſtatur.

Finirem hocce jam caput, niſi timerem quendam mihi ſuccenſurum, quod demum in calce hujus capitis, quid mali indicet color, agere occeperim: cum tamen omnium primus color incurrat in ſenſus. Verum ordinem hic non Naturæ, ſed Doctrinæ ſequi malui. Verum eſt, color, ut ſenſuum nobiliſſimus ſenſus, viſus auditum, antecedit longè odorem: aſt hôc locô, non æque ut odor, ſic color potenter ſignificat, & quam inveſtigamus, ſimplicium medicamentorum cognitionem, non tam hæc qualitas cognoſcendique principium adſtruit, quam adjuvat, conſignificat: probabiliter namque debiliterque procedit dignotio virium & temperiei à colore, vid. Magni *Wedelii*, Præceptoris mei æternum venerandi, *Lib. de Medicament. facultat. cognoſcend. Libr.* 1. *Sect.* 1. *cap.* 3. *pag.* 8.

CAPUT IV.

Terret propriam matrem informe monſtrum, quemque laborioſô edidit partu fœtum exhorreſcit mœſta genitrix, difficilis quandoque Natura, ſi formam negavit: jam ſe utero concepiſſe luget! jam tot menſium longa tuliſſe faſtidia dolet! Sanguine enutri-

visse suo horribile monstrum, quam potest, maximè deflet! partuque non facili omninò tandem prodidisse non expectatam Patris spem, sed turpissimam sobolem, lamentatur: Sic longas ducit in fletum voces misera Parens, quemque concepit dolorem, monstrosi fœtus aspectu, lacrumis explere satagit.

Ita quidem, Naturæ abortus dicam, an lapsus, in Genere Humano deplorari consuevit: ast non æquè flebili à nobis clamore, risu potius excipiuntur, quæ in genere Fructuum monstra contingunt, quin accensentur rarioribus paulò illa, & in deliciis habentur, quasi miracula forent; hôc namque modô Naturâ comparati omnes sumus, ut insolita præ consuetis expetamus singuli: varietate inconstanti mens nostra delectatur constantissimè. Certè petulantia Asæ & nequitia in desertô diversæ speciei animalium congressum, Olitorum verò industria dicam, an novandi aliorum cupido, arborum diversarum insertionem adinvenit. Graviditatis negotium, animantibus aliâs proprium planè, lusus Naturæ aut error vegetabilibus facit quandoque commune. Hinc illa *prægnantia Poma*: hinc *fœta pyra*.

Citrum certè in Citro exhibet ingens Polyhistor, *D.D. Jo. Dan. Major*, in Ephemerid. A.N.C. An. 2. numero 241. Prægnans Citreum malum *Willichio* apud *Thom. Barthol.* in Centur. III. Epistol. Medicinal. 41. visum est: ipseque hic Bartholinus vidit, quem *Naturæ* vocavit eleganter *novum Bibliothecarium*: quô tamen non minor erat *Guern. Rolfincius*: vidit inquam Limonium gravidum minori aliô, *Barthol. Cent. IV. Ep. Med.* 62. & 63. Pyrum pyro recensetur innatum *Actor. Hafn. volum.* 2. *pag.* 163. Ipse ego, *argutos* hos inter *olores* stridulus *anser*, *Darmstadii* non ita pridem Aurantium Sinense aliô vidi fœtum, occasione *Serenissimo Principi* data, qui gravidum malum jamque parturiens, non pariens, opportune incidendo fasce levavit onerosô.

Nemo verò putet hanc *arboreis saltem fœtibus* competere sortem, tangit hæc quoque animantia labes. Fœtum prægnantem describit iterum sagax Naturæ ille mysta, dictus jam nobis *Thom. Barthol. Centur. VI. Histor. rarior.* 100. & *Tract. de Insol. P. II.* viis *pag.* 124. Exhibet in fœtu fœtum Celebertimus *Dn. D. Georg. Francus Satyr. Med. Continuat.* 3. Et *Joh. Eusebius Nieremberg. Libr.* 6. *Histor. Nat. c.* 2. refert equam in Hispania mulam alia mulâ gravidam peperisse vid. *Casp. Rejes Camp. El. q.* 36. *num.* 78. *Ephemerid. Academiæ N.C.* Imò mures in alvo matris fertur esse prægnantes à *Plinio & Æliano*: Si modò non decepti hi Autores ignorantiâ vel negligentiâ fuêre, textum *Aristotelis* Græcum obiter saltem inspicientes, ut quidem *Arnold. Senguerdius* putat. Servat in Technicotheca sua Augusta *Serenissimus Daniæ Rex* Ovum ovô aliô prægnans, *Thom. Barthol. l. d.* Ovumque gallinæ fœtum *Acta Hafn. produnt volum. V. pag.* 72.

Sed plures suô concludit ventre fœtus eosque ruptô umbilico, mirabili modò, ostendit Aurantiorum malorum illud genus, quod *Fœmina* dicitur vel fœtiferum: rectè hinc omninò peculiaris species Authoribus putatur. Poma talia prægnantia ferre Cajetam dicitur, vid. *Joh. Baptist. Ferrar. Libr. X. Hort. Hesperid. cap.* 8. quod verum ego vidi, unum tantum malum, idque satis magnum, uterô continebat, umbilico non sponte sua sed vi disruptô: proles ergô fœtiferi hujus aurantii non est. Malum Arantium malo Citrio prægnans describunt *P. Bocco* & *Fr. van Sterbeeck*.

Causam quæres monstrosæ in nostrô pomô graviditatis: nimis multum abs tenuitate mea exigis, curiose lector: ast, quantum concedent vires, explanabo phænomenon: Seminis puto lætam in arbore luxuriem fuisse, quæ Naturam ad profundenda germina blandô sæpius stimulô invitârat: Hæc vero, de seminis fœcunditate, mirâque quasi læta exuperantia facilè ad fruticescendum surrexit. Sed quò minus creôro ubique vimine posset fertilitatem testari arbusculæ, in florem jam se induere conantis, obstabat spatii angustia brevis, cum eleganti florum copulâ, in trunco nunquam luxuriosæ etiam arbores pubescant: nec tamen ea propter operari desitit rerum mater, potius ac si esset prodigalitatis studiosa, in fœtu fœtum condidit, quodque modo ortum malum erat mox aliô prægnans reddidit.

CAPUT V.

Id demum revera præstat, quod habet jucundo utile mixtum: profectò si ad singula quærendum, cui bono? cui usui? quæ accessio ad salutem exinde proficiscatur? imò, si in hoc avarus Medicus esse debet, scilicet utile, quam quid jucundum sit, curet, si rarioribus delectare illi concessum, hâc lege est, ne penitus obliviscatur, quod etiam prodesse, præter oblectare, debeat, mederi cupiens: vide undiquaque Celebertimi *D. Georgii Wolffgangi Wedelii Præfat. Lib. de Medicament. facultat. cognoscend. &c.* profectò inquam & mihi *l. l.* quærendum erit, quale, præter jucundum, utile malum nostrum conferat? juxta namque *Poëtam Venusinum Libr. de Arte Poëtic.*

Omne tulit punctum, qui miscuit utili dulce.

Ego vero quin exclamem parum abest, omne jucundum hic utile, nisi quod jucundum in se,

sed

ſed utile multâ medicamen in arte mutatum: Corticum, ut ordine agam, *primò* virtutes in medicina enarrabo, poſtea ſucci, pulpæ namque vel medullæ hîc nullus quidem, quod ſciam, uſus. Calidi ſunt & ſicci, aperiunt ergo, alterant, abſorbent, roborant. Convenient proinde meô judicio in ſuppreſſione menſium, in dyſuria, torminibus ventris, colica potiſſimum, humores ſtagnantes fundendo, corrigendo, invertendo vel abſorbendo. Convenient in Febribus, tam Continuis, quam Intermittentibus, dum διαφόρησιν excitant, ſerum ſanguini nimis incoctum præcipitando, fundendo, combinatis tamen pro re natâ aliis.

Ita in ſuppreſſione menſium ſequens poſſet præſcribi, v. gr.

Recip. rad. rub. tinctor.
zedoar.
aſparag. aa ʒij.
herb. artemiſ.
calamenth.
marrub. alb.
meliſſ. aa. mj.
ſabin. mß.
dictamn. cretic. pj.
cortic. aurantior.
citri.
anthophyl. aa ʒj.
coſti arabic. ʒiß.
bac. laur. ʒij.
M. conciſ. contuſ. inſuant. ſynd. alb.
D. S. &c.

In Colica verò talis *mixtura*, v. gr.

Recip. aq. meliſſ.
menth. aa ʒiij.
cinamom. ʒj.
Spir. nitr. dulc. ʒiß.
Tr. cortic. aurant. ʒj.
Syrup. papav. alb. ʒiß.
M.

Vel Electuarium tale: v. gr.

Recip. conſerv. flor. aurantior. ʒiß.
condit. citr.
calam. aromatic. aa ʒij.
elect. diacor. ʒß.
ſpec. diacum.
galang. aa ʒi. vel ʒij.
ſyrup. cortic. aurant. vel
citri q. ſ.
adde fol. ☉ri.
M. f. l. a. electuar.

In febribus diaphoretici locô ſequentem potiunculam:

v. gr. Recip. aq. card. benedict.
ſambuc. aa ʒij.
ſpir. theriacal. camphor. ℈j.
mixt. ſimpl. ʒj.
ſyrup. cortic. aurant. ʒiij.
M. f. l. a. potio.

Rarò quidem, fateor, aurantiorum malorum ſuccus præſcribi ſolet, nec tamen prorſus negligendus, qui propter aciditatem, quâ gaudet, gratiſſimam, in potiunculis, ſi non in aliis morbis, certe in nimio ſanguinis fervore, febribus continuis ſcilicet & malignis adhiberi quam commodè poteſt: vid. *Frid. Hoffman. in Clav. ad Schröder. Libr.* 10. *pag.* 144. v. gr.

Recip. aq. meliſſ.
typhor. C. C.
cinam. bugloſſat. aa ʒij.
ceraſor. nigror.
naph. aa ʒj.
mixt. ſimplic. ʒß.
ſucc. aurantior. ʒiß.
pulv. pannonic. rubr.
bezoard. Sen. aa ʒj.
Syrup. corall.
de gemmis ʒi.
M.

Alia.

Recip. aq. acetoſ.
plantag. aa ʒiij.
vit. Matthiol. ʒß.
Tinctur. bezoart. Michael. ʒiß.
ſuc. aurant. ʒiij.
laud. opiat. gr. ij.
Syrup. acetoſ. citr. ʒij.
M. Vel

Recip. ſucc. aurantior.
ſpir. vini aa ʒj.

Quod poſterius in colica, gravitate ventriculi, febribus, tam continuis quam intermittentibus, præſtantiſſimum medicamen, qui in Artis jam conſenuit ingenti laude operibus Dn. D. *Carolus Drelincurtius*, Promotor omni honoris cultu æternum proſequendus, communicavit. Succi hujus ex malo aurantio quinque vel ſex unciarũ, prout magnitudine illa diſcrepant, colligi circiter poſſunt unciæ quatuor.

Proſtant in *Officinis Præparata* plurima, quæ malus Aurantia miniſtrat: primo *Aqua* ex floribus, quam *Naphæ* vocant, vel *Nampha*, *Lauſam* quibusdam etiam dicitur, vel Angelica, diaphoretica, confortativa. Sic refert *Gabelchoverus* alexiterium præſtantiſſimum contra venena eſſe, ſi recipiantur v. gr. lapid. bez. or.
gr. iij.
aq. naph. ʒß. ʒj.
Miſc.

Secundò aqua ex corticibus, & *in Pharmacop. Londin.* aqua ex fructibus. Tertio ſuccus expreſſus, quem *vinum Aurantiorum* vocant, alexipharmacus, utilis in febribus ardentibus, ſanguinis fibras diſperſas admodum colligendo, anorexiâ ventriculi, fermentum roborando. Quartò ſyrupus. Quintò Conditum Corticum. Sextò Conſerva. Septimò Electuarium, quod *Gelatinam Aurantiorum Schræderus vocat.* Octavò Oleum deſtillatum. Nonò Balſamum. Decimò Extractum Corticum. Undecimò Unguentum Aurantiorum. Duodecimò Eſſentia Saccharina. *vid. Joh. Schræder. Pharm. Med.*

Med Chymic. Pharmacop. Augustan. c. not. & animadv. Zwelfer. Pharmacop. Londin. Καὶ ταῦτα μὲν οὕτως ταῦτα. Jam in limine hærens, priusquam totus hâc Scenâ discedam, pro salute *Serenissimi Mei Principis*, quod mea me pietas jubet, voce precabor: Olim apud Indos, siquidem verus *Strabo* est, novus jam cum oriretur annus, Philosophi ad Regis fores congregabantur, ut, quod quisque composuerat eô annô, vel observârat, de frugibus, de animalibus, vel de Republica, in medium proferret: Tui, *Maxime Princeps*, Palatii fores si petere etiam concederetur tenuitati meæ, nec quiquam tamen homo ἀφιλόσοφος attentione tua dignum proferre fortè possem, cum quidem mihi tam felici esse hactenus non licuerit, qui novi quid in animalibus, in fructibus observarem: muneris tamen locô, ignobili veniam penuriæ si dares, *Clementissime Princeps*, id *Serenissimo Tibi*, (quasi profectò alter ille, qui Potentissimo quondam Regi obviam venienti aquam:) darem, quod curiosâ pridem *Tibi* diligentiâ vindicaveras.

Æternum faxit Numen, ut desideretur ex hâc prosapiâ nunquam, qui in Avitô Thronô sedere coram Dominô possit.

DISPUTATIO VIII.

DE

MALO PUNICA,

D. JOH. CHRISTOH. WEISSII.

CAPUT I.

DE NATURA ET SPECIEBUS MALI PUNICÆ.

§. 1.

Malum à Græco μῆλον oriri, & genus fructuum designare, cujus caro esculenta, nec duro admodum putamine includitur, nec officulum in se continet, è *Joh. Raji* (a) & aliorum Botanicorum sententia hic obiter quasi moneo: perinde ut pueris etiam notum est, quod *Malus* in fœminino genere *arborem* significet istiusmodi fructum producentem; quomodo *pomum* sit *mali synonymon*, aut qua ratione juxta hos illos vel autores hæc vocabula distinguantur, vix operæ pretium existimo commemorare.

§. 2.

Quam vero examinare præ omnibus delegi, *malus Punica* cognominatur, *Plinio* (b) teste, à Regione sive *Regno Punico* Carthaginensium, in Africa olim celeberrimo, unde sine dubio ad Romanos primum pervenit. Vulgari etiam appellatione fructus illius arboris *Malum Granatum* dicitur, cui Germanorum respondet vocabulum, *Granaten-Baum*, non quidem à Granata, Hispaniarum civitate, sed verosimilius ab insigni granorum multitudine, quam Pomum complectitur. A Græcis nuncupatur ῥοιὰ communiter, seorsim vero *Theophrasto* ac *Dioscoridi* ῥοὰ, quo nomine & fructus dotatur. A Bœotis *Mala Punica* σίδαι nominari scribit Agathar-chides, teste *Athenæo* (c) his verbis: *Athenienses cum Bœotis de finibus Regionis litigabant, quam sidas appellant: Epaminondas, in ea controversia partes suas defendens allegansque jura sua, statim è sinistra manu, quod occultum gerebat, Punicum dextra capit, & Athenienses rogavit, quo nomine vocarent? responderunt illi,* ῥοὰν σεσὲ nominare: *At nos*, inquit *Epaminondas*, σίδαν *appellamus. In hoc autem tractu, de quo erat contentio, plurimæ crescebant Mali Punicæ, indeque principio nomen erat inditum*: *Sic Epaminondas causam obtinuit. Menander*, eodem *Athenæo* narrante, ῥοΐδια nominavit istud malorum genus quo tamen nomine per diminutionem significari saltem *exiguum malum Punicum*, Autor est *Joh. Bodæus à Stapel* (d). In Lingua Sancta *Rimmon* dicitur, passim occurrente hoc vocabulo in *S. Literis* V. T. ex quo fonte licet nonnulli derivare velint Græcorum ῥοιὰν sive ῥοὰν, rectius tamen à ῥέω, fluo, formari contendit modo citatus *Bodæus à Stapel p.* 390. quod omnes sistat fluxiones, vel quod flos fructusque facile cadant ex arbore.

§. 3.

Quibus nominibus tam *arbor*, quam *malum Punicum* à diversis Europæ præsertim nationibus, e. g. Lusitanis, Hispanis, Gallis, Italis, Anglis,

(a) Method. Plant. nov. p. m. 29. (b) H. N. Lib. XIII. cap. 19. (c) Lib. XIV. Deipnosoph. p. m. 659.
(d) Comment. in Theoph. H. P. p 390.

glis, Belgis, Danis, &c. insigniatur, ex *Joh. Bauhino, Ulysse Aldrovando*, imprimis autem *Christ. Menzelio*(e) quilibet curiosus poterit cognoscere. Ego missis illis vocabulorum disquisitionibus ad ipsam rem propius accedo, & *Mali Punicæ* singularumque hujus partium, præcipue vero *florum* & *fructuum* concinnam & (quantum licet) accuratam descriptionem nunc aggredior. Enarrabo autem primum ea quæ *toti generi* aut cunctis speciebus *Mali Punicæ communia* sunt, traditurus deinde *uniuscujusque speciei propria phænomena*.

§. 4.

Est igitur, ut accuratissimi Botanici *Jos. Pitton Tournefort* (f) exquisite perspicuis verbis me explicem, *Malus Punica planta* (& quidem *arboris*) *genus, flore rosaceo, plurimis scil. petalis, in orbem positis, constante, cujus calix campani-formis, multifidus, abit deinde in fructum fere globosum, coronatum, in plura loculamenta divisum, acinis succi plenis fœta, placentæ affixis, membranis tenuissimis distinctis, & semine turgentibus, ut plurimum oblongo. Radicibus* innititur brevibus, summæ telluri adhærentibus, & non admodum numerosis. Primum è radice erumpens *germen* quidam *Rhicinum* vocant, *Joh. Bauhino* (g) annotante. Cæterum multis luxuriare solet *stolonibus*, & propterea fruticis in morem vegetat, ideoque à nonnullis inter *frutices* refertur. Quodsi vero superflui stolones resecentur, in *arborem* sese extollit, sed tamen non admodum proceram, Evonymo magnitudine, cortice, ligni duritie, radicibus denique non dissimilis. *Ramos* promit numerosos, tenues, angulosos, exiguis, paucis, oblongis, subrectis *aculeis* armatos, *cortice* obductos rubescente. In his *folia* hærent, per hyemem decidua, minus regulariter disposita, longitudine sextantem, latitudine vero digitum raro excedentia, oleæ aut myrti æmula, sed non adeo acuta, nitidi viroris, pediculis annexa rubentibus, rubrisque intercursantibus venulis prædita, graviter cum fœtore aliquo odorata, atque canum halitum, feliumque urinæ graveolentiam aliquo modo referentia, sicut accurate notavit sæpius allegatus *Bodæus*.

§. 5.

E lateribus ramorum prodeunt *flores phœnicei*, aut *punicei* dicti, rutilantis coloris, pentapetali, sed in quibusdam speciebus pleni seu polypetali, quorum medium occupant plura *stamina* cum suis apicibus, *cytino* sive *calici* insidentia, qui puniceo pariter colore splendens, uncia longior, corticosus, in quinque lacinias mucronatas ordinarie divisus est, quæ *umbilicum* postea pomi succedentis coronant. Hic tempestivum erit nonnulla de diversis *florum Mali Punicæ* apud antiquos Scriptores occurrentibus nominibus edisserere. Et quidem ampla est inter Botanicos controversia, quomodo bina ista vocabula *Cytinus* & *Balaustium* vel conveniant inter se, vel differant. *Plinius* in universum *quemvis mali Punicæ florem* vocat *Balaustium, Cytinum* vero *calicem, quo flos continetur*: contra vero *Dioscorides* & *Galenus sylvestris* saltem *punicæ florem Balaustii* nomine appellant, *Cytinum* vero sativæ florem nuncupant. Autores hos gravissimos conciliari posse arbitratur *Bodæus*, si cum Nicandri Scholiaste κύτινος statuatur esse *flos Mali Punicæ*, sed tum demum sic vocandus, quum florere desiit, ac fructus rudimentum apparere incipit. Cæterum modernæ officinæ Pharmaceuticæ, autoritatem *Plinii* sequentes, *omnem* tam sativæ, quam sylvestris *Punicæ florem* promiscue *Balaustium* (*Granaten-Blüte*) dicunt.

§. 6.

Fructus vero subnascitur è calice floris, vel *Cytino*, pro more aliarum arborum pomiferarum; quare ab *Hermanno, Rajo*, aliisque recentioribus Botanicis *malus Punica* accensetur *arboribus, quarum fructui flos insidet*. Ipse autem *fructus* variæ magnitudinis, plerumque tamen malis vulgaribus majoribus æqualis, est rotundus ferè, nisi quod utrinque leviter compressus existat, in summitate umbilicatus, Cytini nempe apicibus relictis, umbilicum coronatum efficientibus. *Cortex Pomi* est mediocriter crassus, duriusculus & fragilis, ante maturitatem viridis ac lævis, post puniceus & rugosus, qui tandem etiam ad spadiceum extrinsecus accedit, intus vero flavescit, saporis austero-adstringentis. Græcum ipsi nomen est σίδιον, ex quo nonnulli recentiorum, haud sine vitio, formarunt *Psidion*. Latini vocant *malicorium*, cujus dictionis etymon quidam existimant suppeditare *Plinium*, quando is illius corticis usum esse ad coria præparanda perhibuit; mihi tamen, vel citra hunc respectum, esse dictum videtur κατ' ἐξοχὴν *malicorium*, quod præ aliis pomorum corticibus hic *cortex mali Punici* tota sua substantia nobilem habeat usum, ceu suo loco fusius ostendam.

§. 7.

Intra corticum claustra continentur *acini* sive *grana*, simpliciter κόκκοι seu κόκκωνες Græce dicta, *Hesychio* (h) teste. *Membrana acinos discriminans cicus*, vel *cicum* appellatur à Varrone. Ipsa vero grana *succo* turgent *vinoso*, aut dulci, aut acido, aut medii saporis, pro diversa nimirum specie aut maturitatis gradu. Sunt autem grana favorum modo disposita, carnosis membraneisque dissepimentis, ceu parietibus intergerinis, circumsepta amaris, modo candidis, modo purpurascentibus. *Nuclei acinorum* figuræ sunt ut plurimum oblongæ, ligneo constant

(e) In Indice nom. Plant. multilingu. edit. nov. p. 192. (f) Instit. rei herb. p. m. 636. (g) Hist. Plant. Tom. I. pag. 78. (h) Lexic. Græc. lit. K.

cortice, & pulpa amara, non tamen ſine adſtrictione. Cæterum usque adeo prægnans eſſe ſolet ſuis acinis *malum Punicum*, ut ſæpe *crepaturam ſpontaneam* hinc patiatur cortex, ſuosque embryones jucundo ſpectaculo oſtendat.

§. 8.

Pergo jam ad *mali Punicæ ſpecies* enumerandas, & *diſcrimina* evolvenda; ubi quidem iſtud primo commemorandum venit inter *ſylveſtrem* & *ſativam*: illa ab hac non in eo ſaltim differt, quod ſit aſperior & ſpinoſior, ſed & quod *florem plenum*, proprie *balauſtium* dictum, ferat, *fructum* vero *nullum*. Dantur hujus punicæ ſylveſtris quædam differentiæ, cumprimis à magnitudine florum petitæ: quemadmodum *Rajus* & celeberrimus hujus ſeculi Botanicus *Joh. Georg. Volckamerus* (*i*) *binas* ſaltem *ſylveſtris mali Punicæ ſpecies* recenſent, alteram majorem, *balauſtium Hiſpanicum* vulgo dictam, cujus flos nonnunquam ad roſæ centifoliæ amplitudinem accedit, alteram *minorem*, foliis atrovirentibus, caule craſſiore, flore minore, triſtiore ſaturata purpura punicante, à priori differentem. His affinem *tertiam* proponit *Tournefort l. c. Punicam* ſcilicet *flore pleno majore variegato*.

§. 9.

Sativæ autem, ſeu potius *fructiferæ ſpecies*, ſunt longe plures. Novem extare ſcribit *Plinius*, ſed parum diſtincte easdem deſcribit, ſeorſim vero confundit alicubi (*k*) *malum Punicum dulce* cum *apyreno* (ita enim legendum monet *Bodæus*, non *apyrinon*): quaſi vero omne Punicum dulcis ſucci careat nucleis, quod aſſertum experientiæ neutiquam reſpondet. Quid, quod *hoc phænomenon*, abſentiam nempe nucleorum aut ſeminum, in quibusdam punicis *accidentarium*, & *ex mero naturæ luſu* eſſe arbitratur *Rajus*. Obſtare hic equidem videtur autoritas *Theophraſti*, qui (*l*) circa *Solos* in *Cilicia* omnes punicas fructum ferre ἀπύρηνον, id eſt, *ſine nucleo*, teſtatur: ſed tamen ex ipſo hujus autoris contextu facile apparet, id regionis & climatis beneficio tantum contingere. Cæterum nec adeo proprie τὸ ἀπύρηνον eſſe accipiendum *Seneca* docet in epiſt. quando ſcribit: *Sic ſapiens imperturbatus dicitur, quomodo apyrena dicuntur, non quibus nulla ineſt granorum duritia, ſed quibus minor.* Quin & ipſe *Plinius* alibi (*m*) ſe explicat, *apyrenon* vocando, *cui lignoſus* (*ſive durior*) *nucleus abeſt, candidior autem natura & blandioris ſunt acini minuſque amaris diſtincti membranis.* Eſt ergo ab antiquis autoribus toties laudata *feminum in malis punicis abſentia*, vel accidentaria, vel ita intelligenda, ut nucleorum exilitatem & mollitiem ſolum ſignificet.

§. 10.

Quasdam vero *differentias reales Punicorum* facit color in ſeminibus, quemadmodum jam olim *Plinius punica erythrococca* ſeu rubris granis, & *levococca* ſeu albis granis dotata, ab invicem diſtinxit. Sic etiam *Tournefort* duas recenſet ſpecies Punicæ ſativæ, *granis amethyſtinis criſpis, alteram fructu majori granisque majoribus, alteram fructu & granis minoribus.* Notiſſimum vero diſcrimen eſt quoad *ſaporem ſucci*: unde vulgo etiam *Punica* diſtinguuntur in *acida, dulcia* & *vinoſa*, ſive medii inter acidum & dulcem ſaporis. Attamen & hæc diverſitas per accidens ſi non in univerſum, ſaltem ſæpius oriri videtur. Sic *Theophraſto l. c.* perhibente, *malus Punica* quæ in Græciæ regionibus *acida* exiſtit, in Ægyptum transplantata, *dulcis evadit*. Sic vice verſa, quæ in Italia aut aliis calidioribus locis *dulces* ferunt *fructus*, ſi in Germania colantur, nonniſi *acidos*, aut ad ſummum *vinoſos perficient*. Neque multum valebit in contrarium illa obſervatio *Cæſalpini* & *Lacunæ*, *à Joh. Bauhino l. c. relata*, quod nempe dulcia punica urpſuriimum ſint grandiora & majoribus granis prædita, ſcabro etiam præ cæteris cortice inſtructa. Hæc enim Phænomena, ſicuti *majorem maturitatis gradum* haud obſcure arguunt, ita quoque iisdem conjuncta *dulcedo* de eodem, & non æque de ſpecifica quadam differentia teſtari videtur. Quare parum abeſt, ut credam, *poſſe in eadem arbore, & dulces, & acidos, & medii ſaporis fructus inveniri*, prout unum præ altero magis vel minus digeſtum. Quicquid ſit, illa *fructuum differentia ratione ſaporis*, etiamſi non conſtet quod à totidem diverſis ſpeciebus proficiſcantur, nihilominus quam maxime à Medicis attendenda eſt, quoniam pro vario ſapore variis etiam facultatibus pollet Granatorum ſuccus, ceu ſuo loco oſtendam.

§. 11.

Alias *Mali Punici differentias*, præter enumeratas, apud Autores non deprehendo. Meminit tamen *Tournefort Punicæ Americanæ ſeu humillimæ Bignonii*, quamvis ſine ulla uberiori deſcriptione, ut incertum ſit, an ſola parvitas peculiarem ſpeciem efficiat. Oblitus autem fere eſſem *de loco natali & cultura mali Punicæ* aliquid commemorare. *Satam* primum in Cypro ferunt hanc arborem *à Venere*, ut Græcorum teſtantur fabulæ: frequentius tamen *Junoni* affingitur, ſæpiſſime vero *Cereri*; forte in memoriam ejus luctus, quod Proſerpina à Plutone capta, & à Matre Cerere repetita, eandem à Jove obtinuit ea lege, ſi nihil apud inferos deguſtaſſet: ſed cum inventa fuiſſet *mali punici granis* jejunium ſolviſſe, apud Plutonem manſit, quemadmodum *Ovidius* (*n*) prolixo poemate enarravit, inter alia datum Cereri à Jove hoc reſponſum perhibens:

repetet Proſerpina Cœlum
Lege tamen certa, ſi nullos contigit illic
Ore cibos; nam ſic parcarum fœdere cautum eſt.

quid

(*i*) Flor. Norimb. p. 201. (*k*) Lib. XXIII. cap. 6. (*l*) Hiſt. plant. Lib. II. cap. 3. (*m*) Lib. XIII. cap. 19. (*n*) Metamorph. Lib. V. fab. 8.

quid hinc evenerit, Poëta hunc in modum declarat:

Non ita fata sinunt, quoniam jejunia virgo
Solverat, & cultis dum simplex errat in hortis
Puniceum curva decerpserat arbore Pomum,
Sumptaque pallenti septem de cortice grana
Presserat ore suo: solusque ex omnibus illud.
Ascalaphus vidit, quem quondam dicitur Orphne
Inter Avernales haud ignotissima Nymphas,
Ex Acheronte suo furvis peperisse sub antris,
Vidit & indicio reditum crudelis ademit &c.

§. 12.

Quod si fas est amplius in *fabulas* excurrere, possum aliam *de origine Mali Punicæ* ex *Arnobio* (o) proponere, quam velut in summam contraxit *Bodæus à Stapel l. c.* hunc in modum: In Phrygiæ finibus saxum fuit *Agdus* dictum, ex quo *Deucalion* & *Pyrha*, ex Themidis præcepto, ad humanum genus renovandum, post diluvium lapides sumserunt, ex quorum jactu mater Deum efficta fuit, quam in Agdo obdormientem Jupiter incestis cupiditatibus appetiit, & diu luctatus, cum, quod optaverat, obtinere nequisset, sperma in lapidem fudit, ex quo *Agdestis* natus fuit, qui sua immani efferitate, cum nec Deos nec homines timeret, à Diis de ejus temeritate imminuenda constitutum est, ut *Liber* in eum animadverteret, cui cum merum potui *Liber* apposuisset, gravissimo somno oppressus esset, Liber setis complicatis laqueo plantas nexuit ex una parte, ex alia testes cum pene, ille, somno solutus, extensis pedibus, membrum virile sibi amputavit, cujus cruore *mali Punici arbor* cum suis pomis nata est.

§. 13.

Sed mitto fabulas, & è diverticulo in viam redeo, de *natali solo* & *patria Mali Punicæ* quædam dicturus. *Solum* amat hæc arbor *macilentum*, quamvis & in *pingui* proveniat. In *Regionibus calidis* insimul tamen umbris & rigationibus oblectari dicitur. *Sativa* abundat *in Balearibus Insulis*, *Hispania*, *Gallia Narbonensi*, *Italia*. Optima Granata poma *in Regno Neapolitano* & *Valentino* haberi scribit *Joh. Bauhinus*. Cæterum arbor *passim gignitur etiam sine cultura*, qua tamen accedente melius proficit: In vinetis enim, viridariis, hortis, aliisque locis excultis lætior ac vegetior conspicitur. In *Germania* & aliis frigidioribus Europæ regnis *nonnisi sata*, magnoque studio adversus hyemale frigus defensa succrescit. *Sylvestris* in *Africa* nascitur, in *Syria* circa Alepum, ac in ea *Hispaniæ* parte, quæ freto Herculeo vicina *Granata* vocatur. In *Capite bonæ spei* & *in Batavia Indica*, *Belgarum Colonia*, non solum feliciter crescere *malum Punicam*, verum etiam fructus genitali pugni magnitudine proferre, passim quoque *sylvestrem* sive *Balaustium* in dumetis ac sepimentis crescere, ἀυτόπτης *Georg. Meister* (p) testatur. Quin & hodie *mala Granata* suppetunt in *Brasilia*, ex Europa illuc translata, ut ex historiis Indicis discimus.

§. 14.

Quod *sationem* & *culturam* attinet, hanc, sicut olim in Italia in usu fuit, *Columella* (q) his verbis describit: *Malum Punicum* circa Nonas & Idus Martias usque in Cal. Aprilis recte seritur: quod si acidum aut minus dulcem fructum ferat, hoc modo emendabitur: stercore suillo & humano urinaque vetere radices rigato: ea res & fertilem arborem reddet & primis annis fructum vinosum, & post quinquennium dulcem & apyrenum facit; nos exiguum admodum laseris vino diluimus & ita cacumina arboris summa oblevimus, ea res emendabit acorem malorum. *Mala Punica ne rumpantur in arbore* remedio sunt lapides tres, si, cum seres arborem, ad radicem ipsam collocaveris: at si jam arborem satam habueris, scillam secundum radicem arboris serito. Alio modo, cum jam futura mala fuerint, antequam rumpantur, ramulos quibus dependent intorqueto, eodem modo servabuntur incorrupta, etiam toto anno: hucusque *Columella*. Posse autem *arbores punicas* feliciter produci *ex acinis terræ mandatis*, licet omnino constet, plures tamen autores præferunt *propagationem per surculos*, de matrum radice devulsos: & quamvis non uno modo seratur, optimum tamen *Palladius* (r) censet, si ramus ejus cubitalis incisus, manubrii crassitie, & capite utroque acuta falce levigatus, scrobi velut obliquus immergatur, prius porcino stercore, & in capite & in parte, quæ ima est, oblinatur, vel in crudo solo malleo cogatur ad inferiora defigi. Melius adhuc proveniet, si ponendus ramus gemmata jam matre sumatur. Plura, ne longior sim, ex antiquis rei rusticæ scriptoribus *de cultura mali punicæ* huc non afferam, cum & apud recentiores horticulturæ scriptores, e. g. *Petrum de Crescentiis*, *Anton. Mizaldum*, *Joh. Sigism. Elsholtium*, &c. quamplurima legi queant. Cæterum florendi & fructificandi tempus necessario variare debet, pro diversitate climatum. Nostris quidem in regionibus *flores circa medium æstatis* erumpere solent, *fructus* autem *adulto demum autumno*, & quidem rarius maturi conspiciuntur.

(o) Lib. V. adversus Gentes p. m. 155. & seqq. (p) *Ost-Ind. Kunst- und Lust-Gärtner* pag. 104. (q) Lib. V. de re rust. cap. 10. (r) de re rust. mens. Martio, Tit. 10.

CAPUT

CAPUT II.

DE FACULTATIBUS, PRÆPARATIONE ET USU MALI PUNICÆ IN MEDICINA.

§. 1.

Postquam ea, qua potui, brevitate ac perspicuitate *historiam Physico-Botanicam mali Punicæ* pertractavi, ordo nunc requirere videtur, ut *partium* illius arboris *præcipuarum*, quæ ad medicinam expeti solent, *facultates, præparandi & utendi rationes*, similiter explicem. Sunt autem istæ partes 1. *flores* 2. *Putamen aut cortex fructus seu malicorium*, 3. *succus*, 4. *semina sive nuclei*: de quibus, utpote diversa natura & virtute præditis, singulatim erit agendum. Quamvis autem non ignorem à nonnullis veterum commendari etiam partes alias, sicuti *Dioscorides* (*s*) *radicis decoctum potum latas ventris tineas expellere*, *Plinius* vero easdem *radices rubro cortice ex vino potas somnum facere* affirmant: quos tamen *radicum*, uti etiam *foliorum*, à quibusdam memoratos effectus, aut parum probatæ fidei, aut ita comparatos esse existimo, ut ab aliis *partibus mali Punicæ magis usitatis* æquè facile aut facilius obtineri queant.

§. 2.

Floris itaque *temperamentum* quod concernit, juxta veteres statuendum erit *frigidum & siccum in secundo gradu*; quod quidem non minus *de sativæ punicæ flore simplici*, vel *Cytino*, quam de *balaustio* sive *sylvestri & pleno flore* valebit; Nec obstat quod duobus distinctis capitibus *de Cytino & Balaustio* egerit *Dioscorides*, *cum easdem utrique vires manifeste adjudicet*. Quando autem hujus Autoris mentionem hic iterum facio, non possum, quin obiter indicem, (quod superius in capite 1. omiseram) ipsum *plures* numerare *Balaustii quoad colorem differentias*, nempe *album, fulvum*, & *roseum*, è quibus tamen nonnisi unicum *fulvum* (πυῤῥὸν, qui erit ipse *ordinarius phœniceus color*) unquam observare, aut ab alio fide digno autore observatum reperire potui. Cæterum è laudato *florum mali Punicæ temperamento*, aut *primis qualitatibus*, sano sensu admissis, resultat *vis adstringendi* notissima. Omnis vero, tam siccandi & refrigerandi, quam adstringendi facultas accepta referenda venit *particulis sulphureo-terreis & quibusdam acidis fixioribus* in consortium adscitis; talem enim miscelam non solum *sapor terreo sub-austerus* arguit, sed etiam hoc phænomenon confirmat, quod *infusum vel decoctum balaustii, cum aqua factum, sibi relictum coloris rubelli, injecto vitriolo statim nigrum atramenti instar evadat*; quod quidem plurimis rebus terreo-austeris & adstringentibus, cujusmodi vulgatissimum exemplum *Gallæ* præbent, proprium esse constat.

§. 3.

Quare *mali Punicæ flores*, tam *Cytini* quam *Balaustia*, promiscue adhibentur *adstringendi & siccandi fine*, tam interne, quam externe, variis in casibus: nominatim *diversis eruptionibus sanguinis, per uterum, hæmorrhoides, alvum*, si nimis largæ & violentæ acciderint: ubi tamen (sicut in genere circa usum remediorum adstringentium,) cavere decet, ne intempestive exhibeantur, antequam humorum intemperies correcta & impetus præternaturalis refrenatus quodammodo fuerit. Eâdem cautelâ observatâ locum habere potest *Balaustium in diarrhœis* ac *dysenteriâ*, (quemadmodum *Plinius farina istius floris à morte revocari dysentericos alvumque sisti scribit*) nec non fluore albo & gonorrhœa, quando scilicet labefactatus vasorum & meatuum tonus, & vasculorum excretoriorum oscula nimis hiantia constrictione indigent. Contra ejusmodi igitur affectus (ut *Galeni* (*t*) verbis loquar) *non est qui ipsiam Medicorum, qui Balaustio non utatur*. Nec minus frequens ipsius est *usus in gargarismate ad uvulam relaxatam*, perinde, ut is, quem teorsim *Dioscorid. l. c.* prædicat *adversus humida gingivarum vitia mobilesque dentes, si decocto colluantur; herniam quoque prolapsu intestini erumpentem cataplasmate Cytini repelli posse* idem perhibet. *Si intertriginibus & aliis ulceribus balaustium illinas, celerrime illa videbis cicatricem contrahere*, *fidem faciente Galeno.*

§. 4.

Quod autem *Dioscorides* ex antiqua traditione commemorat, illum, *qui tres quam minimos cytinos devoraverit, nullam eo anno lippitudinem passurum*, id sane superstitionem sapit; quemadmodum & hoc eget probatione, quod *Plinius* asseverat, *balaustium scorpionibus adversari*. Cæterum suavissimus floris hujus color invitavit curiosa ingenia, ut aliis etiam usibus eosdem adaptarent, sanitati simul & voluptati serviendo. Hac intentione excogitatus est *pulvis errhinus ruber*, jucundissimi coloris & perquam suavis odoris, cujus descriptionem, ab amico olim impetratam, necdum (quod novi) in ullo libro typis impresso inveniendam, pro singulari humanitate sua mecum communicavit *Spectatissimus h. t. Facultatis Medic. Decanus, Dn. D. Joh. Jacobus Bayerus, Fautor & Promotor meus cum pietate & observantia ætatem colendus*: ℞. Flor granator. exquisitæ rubedinis ℥ß. tunicæ pariter

(*s*) Lib. I. de M. M. cap. 154. (*t*) Lib. VI. de simpl. Medic. facult.

pariter ſelect. ʒij. lilior. convall. ʒj. Rad. Irid. flor. ʒß. ol. lign. rhod. ℈j. cinamom. gtt. iij. Zibeth. gr. ij. Moſch. gr. j. Miſc. f. l. a. *pulvis* groſſiuſculus. Talem vero pulverem, tametſi oculis abblandiatur & fragrantia ſe commendet naribus, Vir prælaudatus tamen exiſtimat non æque convenire, niſi *temperamentis humidioribus*, & quorum nares, ob vitiatum glandularum & vaſculorum tonum, pituitoſo excremento abundant. Illud fere prætermiſiſſem, quod jam in antecedente §. memoraſſe par erat, proſtare ſcilicet in quibusdam officinis *conſervam Balauſtiorum*, vel per ſe dandam, vel electuariis adſtringentibus ex tempore componendis deſtinatam. De hac notabilis eſt locus *Petr. Andr. Matthioli* (*u*): Paratur *ex Punicæ floribus*, hoc eſt, ex internis Cytinorum puniceis ac tenuibus foliis, *ſaccharum*, perinde ac *ex puniceis roſis* (i. e. *balauſtiis*) admirabilis facultatis ad *utrasque uteri fluxiones*, ſi ſemunciæ pondere ſumatur ex vino rubro auſteriuſculo, aut ex punicorum acidorum ſucco, aut ex aqua, in qua ferrum exſtinctum fuerit: præſtat quoque, magno ſane præſidio, ad *Gonorrhœam, ad cœliacos & dyſentericos* &c.

§. 5.

De *Malicorio* ſeu *putamine mali punici*, quod vulgo in Pharmacopoliis *cortex granatorum* dicitur, ad ea primum reflecto digitum, quæ *cap.* 1. §. 6. notavi, eſſe nimirum hunc corticem *ſaporis auſtero-adſtringentis*; unde haud difficulter apparet, quid de virtutibus ejusdem ſit pronunciandum: ut paucis omnia complectar, cum *Dioſcoride* affirmo *malicorium omnes præbere uſus, quos Cytini, aut Puni mali flores*, tam ſimplices, quam pleni. Eſt autem certe *malicorium in adſtringendo valentius Cytino & Balauſtio*, inſimul etiam fere inſuavius ſapore. Non repetam nunc illos caſus, ad quos florum eſſe uſum antea oſtendi; hoc tamen experimentum nequeo tacere, quod pro ſingulari humanitate ſua & favore in me ſummo mihi retulit *Magnificus Dn. D. Hoffmannus, diverſorum S. R. I. Procerum Conſil. & Archiater, Facult. Med. & totius Academiæ hujus, nec non Colleg. Med. Norimberg. Senior venerabilis, Hoſpes ac Præceptor meus omni honoris & obſequii cultu proſequendus*, ſe nimirum *in nimio menſium fluxu*, cum felici ſucceſſu, ſolere uti *externo fotu, è cortic. granat. flor. Balauſt.* rad. Biſtort. tormentill. fol. plantag. centumnod. burſæ paſtoris, equiſeti, nuc. cupreſſ. in aq. fabror. ferrariorum decoctis.

§. 6.

Quanto certior autem eſt *ſtiptica malicorii facultas*, ſive intus ſive extrinſecus illud adhibeatur, tanto magis paradoxæ ſunt obſervationes quorundam Medicorum de *Emmenagoga iſtius corticis virtute*. Sic *Jacobus Janus*, Archiater Reg. Dan. (*x*) *mulierem* novit, *menſium retentione detentam*, quæ omnibus aperientibus fruſtra tentatis tandem præter rationem *aſſumtis corticibus granatorum provocavit menſtruos fluxus*. Verum eſſe hoc experimentum, idque in aula Sleswicenſi, & vicina alia, non ſemel factum, teſtatur *Joel. Langelott:* (*y*) cortices vero granatorum, non in ſubſtantia aſſumtos, ſed *in decocto cum cereviſia facto*, idem admonet, cauſam inſecuti effectus rejiciens in *particulas ſalinas volatiles vitriolaceas* aperientes, reliquæ corticis ſubſtantiæ terreſtri & adſtringenti immerſas, parciores quidem, quæ tamen ſi convenienti menſtruo (quale ſit cereviſia lupulo condita) reſolvantur, non poſſint non inſigniter aperire. Sagaciter autem *Langelotto* reſpondit *Th. Bartholinus* (*z*) hunc in modum: *Multa eſſe ſcio terreſtrium partium, quæ aperiant, quod de adſtringentibus pyris, poſt paſtum comeſtis, Galenus teſtatur. Cauſaque non Chymica eſt, quod craſſæ illæ partes & adſtringentes roborant viſcera, ut expellant deinde promptius, vel fibras venarum conſtringendo compreſſionem inferiorum promoveant. Hæc ratio reddi poteſt amethodicæ curationis, ſiquidem in ſubſtantia exhibiti fuerint: Salinæ verò particulæ, quia te ſatente exigua in quantitate corticibus inſunt, vix videntur ſua vi aperiendi obſtructos locos referare, præſertim cum menſtruum ex cereviſia imbecillius ſit, quemadmodum in aliis purgantium infuſionibus experimur.*

§. 7.

Quod *Plinius* ſcribit, *expeti malicorium malaciæ gravidarum, quoniam guſtatu ejus moveant infantem*, id quidem cum à nemine fide digno Medico confirmatum legerim, aliis explorandum relinquo. Decantatus vero eſt illius *corticis uſus contra lumbricos infantum*, quandoquidem mulierculæ infuſum ipſius, cum cereviſia paratū, pueris propinant non ſine effectu deſiderato, ceu prælaudatus *Dn. D. Hoffmannus* mihi aſſeveravit. Forſan & de eodem cortice intelligendus eſt locus *Dioſcoridis* ſupra citatus, ita ut pro τῶν ῥιζῶν legendum exiſtimem σιδίων, ſiquidem totum iſtud caput *Dioſcoridis* περὶ σιδίων inſcribitur, & tractat, ut propterea in eo laudata *virtus anthelmintica* incongrue radicibus mali Punicæ, rectius vero *corticibus* tribueretur. Poſſet ea ipſa *vis inimica lumbricis* quodammodo etiam exinde comprobari, quod *Plinius* perhibet *mali Punici corticis fumo culices fugari*. Luculentum autem exſtat teſtimonium *Conſtantini* (*aa*) affirmantis, *peculiarem vim ineſſe malis Punicis tineas ventris enecandi*, ſeorſim autem *malicorium* vino decoctū, acpotum occidere *vermes*, maxime eos quos *Aſcarides* nominant. Idem Autor alibi (*bb*) refert, tam cortices quam flores punicorum in pulverem redactos, ac jejuno ſtomacho ſumptos, plurimum *facere ad tuſſim frigidam & catarrhum.*

(*u*) in Lib. I. Dioſcor. cap. 127. (*x*) in *Barthol.* hiſt. Anat. Cent. IV. 39. (*y*) Epiſt. Med. *Bartholin.* Cent. II. 63. (*z*) l. c. epiſt. 64. (*aa*) Lib. IV. cap. 18. de morbis. (*bb*) l. c. cap. 19.

§. 8.

Febres intermittentes ſæpe fugare malicorium ex *Tachenio* ſe didiciſſe *Tancretus Robinſon* apud *Rajum l.c.* teſtatur, exiſtimans *ab alcali aperitivo*, quo cortex ille abundet, vim febrifugam proficiſci. Sicut autem iſtius principii abundantia gratis ſupponitur, ita ne quidem opus eſt ab eo repetere laudatum effectum, quoniam decantata *virtus antifebrilis corticis Peruviani, aluminis &c.* exquiſite ſtipticorum, citra omnem aperitivæ facultatis ſuſpicionem manifeſte ſatis ſeſe exerit. Cæterum *externos uſus malicorii ſpeciales*, tametſi plures adhuc laudare poſſim, aliquot tamen ſolum inſigniores nunc indicabo, & hunc imprimis à *Matthiolo* commendatum: *Eſt malicorio præcipua vis adverſus pudendorum ulcera, ſiquidem id exſiccatum & cum ſicca pariter marina ſpongia & aloe tritum, æquali omnium portione, addito aluminis uſti momento, penis ulcera in viris & vulvæ in mulieribus brevi ad ſanitatem deducit.* Cortice punici ex vino decocti & impoſiti *perniones* ſanari aſſeverat *Plinius*. Macerati iidem cortices in aquis congruis conducunt *ad oculos* lachrymis, & *hæmorrhoides* ſanguine nimium ſtillantes, ſi partes affectæ iſto liquore foveantur, teſte *Aldrovando* (*cc*). Speciatim vero *uſum ophthalmicum in variolis*, ad oculos puerorum defendendos, extollit celeberrimus *Zvingerus* (*dd*) non ſolum ſimplici decocto malicorii in illo caſu locum concedens, ſed ſequentem formulam præſtantiorem delarans: ℞. *cort. granat.* ʒiij. *aut* ℥ß. *affund. aq. roſ. fœnic. & plantag.* āā. ʒvj. *vel* ʒj. *diger. in arena vel cinere calido, hinc filtr. & addantur tutiæ præp.* ϑij. *croc.* gr. iv. *vel* vj. *camph.* gr. iij. *miſc. aqplic. ſæpius oculis tepide cum linteo.*

§. 9.

Nucleorum ſive *acinorum* aut *ſeminum mali Punici* vires fere ſimiles ſunt illis malicorii modo laudatis. Quare *ſiccatos in Sole iſtos nucleos* (acidi præſertim punici) *obſoniis inſperſos concoctosve, fluentem alvum & ſtomachum ſiſtere, aqua pluviali madefactos commode bibi ab hæmoptoicis, ad dyſenteriam item fœminarumque fluxiones prodeſſe, Dioſcorides* affirmat. Porro hic ipſe Autor *expreſſum nucleorum ſuccum coctum cum melle, ad oris, virilitatis, & ſedis ulcera, nomas, reduvias, & ea quæ in corpore extuberant, aurium dolores & narium vitia*, commendat. Quo minus autem de hoc *externo granorum punici* uſu dubitandum eſt, eo magis confirmat *internum uſum Aldrovandus l.c.* quod nimirum integra *mali Punici grana*, matura & ſiccata, vino eduliisque omnibus, per infuſionem vel ebullitionem, virtutem efficaciſſimam tribuant omnes compeſcendi *excretiones immoderatas* cujuscunque generis: ſeorſim vero *pulvis eorum nucleorum ſubtiliſſimus*, ſi thuris parum admiſceatur, illeque cum aqua roſacea bibatur ad dies aliquot in doſi ʒij. *profluvia alba mulierum* tollant.

§. 10.

Succi autem *granatorum vis differens eſt, pro ſaporis diverſitate*; quod pridem perſpectum habuit *Hippocrates* (*ee*) ſic pronuncians: *Mali punici dulcis ſuccus alvum movet, habet autem quid æſtuoſum: Mala punica vinoſa minus æſtuoſa ſunt: acida vero magis frigefactoria.* Idem fere eſt judicium *Dioſcoridis*, ſed paulo prolixius declaratum his verbis: *Punica dulcia ſtomacho utiliora habentur, ſed aliquantulum in eo calorem gignunt, inflationes pariunt, unde in febri abdicantur. Acida adſtringunt, æſtuanti ſtomacho auxiliantur, & multo magis contrahunt ac urinam cient, ora, gingivasque lædunt. Vinoſa vero mediam ſortiuntur naturam.* Solent propterea *diſtincti* illi (quoad ſaporem) *ſucci granatorum* in uſus Medicos ſeorſim aſſervari, aut è ſingulis præparari *ſingulares ſyrupi.* Et quamvis *Galenus* (*ff*) è triplici (ratione ſaporis) ſucco ſimul componere doceat ſyrupum, merito tamen ex ſententia *Caſpari Hoffmani* (*gg*) contra illum diſputant periti Practici, *ſeorſim* nempe *parandos eſſe ſyrupos iſtos, pro diverſitate ſcoporum, quia profecto non eſt idem, effectus*; ita enim laudatus Autor *in febribus biliosis*, præſertim ubi humor occupabat os ventriculi, *ex acidis punicis* egregium emolumentum ſenſit, quod ex dulcibus ſperare non poterat. Conſulto igitur in officinis pharmaceuticis bene conſtituis uterque, *tam dulcium, quam acidorum granatorum, ſyrupus* proſtat, quin & *acido dulcium* ſeu vinoſorum quoque; tametſi talem ex tempore componi poſſe arbitror, ex acidi ac dulcis miſcela.

§. 11.

Cæterum aut ex medii vinoſive ſaporis malis punicis, ab origine talibus, aut ex acidis ac dulcibus junctim exprimitur *ſuccus*, & ſub titulo *vini granatorum*, ad deſideratos uſus, recondítur. Ejus conficiendi ratio, juxta *Matthiolum*, hæc eſt: Acini maturi diligenter à putaminibus & membranis purgati prælo committuntur, ac exprimuntur: mox vinum ſaccis ad id accommodatis percolatur, & in vaſculis reponitur, quousque fæx reſidat, defæcaturque deinde, & clarum ſervatur, affuſo deſuper oleo, ne corrumpatur, vel aceſcat. Sunt & qui ſine oleo illud in cellis aſſervent, ſed id per æſtatem facile aceſcit. *Palladius vinum de Malis granatis*, à corruptione defendendum, *coquere* jubet lente usque *ad medietatem*, & cum refrixerit picatis & gipſatis vaſculis claudere. Aliqui, eodem *Palladio* teſte, ſuccum non excoquunt, ſed *ſingulis ſextariis libras mellis ſingulas miſcent*, & in prædictis vaſculis ponunt & cuſtodiunt. Aſt vere recte animavertit *Aldrovandus*, non poſſe fieri abſque præjudicio guſtus vinum hujusmodi exco-

(*cc*) Dendrolog. Lib. II. p. m. 434. (*dd*) *Neu vollkommen Kräuter-Buch* p. 25. (*ee*) Lib. II. de diæta §. 29. (*ff*) Lib. VI. de morb. ſec. loc. 1. (*gg*) Lib. II. de Medicam. officin. cap. 181.

excoctum, aut compoſitum cum melle, ideoque uſu receptum eo minus eſſe, quo magis recedit à temperie concupita in medicamentoſo ſimpliciter vino. Eſt tamen, ut per annum vel ultra duret *Granatorum vinum*, omnino neceſſaria *aliqualis coctio & Sacchari admiſtio*, quemadmodũ complures Pharmacopœi conſueverunt *libris duabus ſucci Granatorum vinoſi*, probe decantati & pauliſper cocti, ℥iv circiter *Sacchari admiſcere.*

§. 12.

Sicut autem juxta Poëtam:

Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ,

ita nunquam non in deliciis poſuere mortales, præſertim æſtu & ſiti morboſa afflicti, *ex ipſis malis Punicis delibare ex tempore ſuaviſſimum ſuccum.* Quoniam vero iſta poma ſibi relicta, vel in arbore adhuc hærentia *ſponte rumpuntur* ſuumque ſuccum profundunt, vel decerpta *non admodum diu citra corruptionem durant*, hinc prius incommodum, nempe crepatura, ut avertatur, prudens eſt conſilium *Columellæ l. c.* ut *ramuli, quibus mala jam matura dependent, intorqueantur*, ſic enim non ſolum non rumpi, ſed & incorrupta toto anno ſervari Autor ille perhibet. Rationem experimenti hanc ſubeſſe puto, quod facta intorſione ramuli uberior ſucci tranſitus ex arbore in pomum impediatur, jam præſens vero ſuccus in pomo magis digeratur, & corticis pori condenſentur, ne vel tranſpirare ſuccus, vel aër, corruptionis cauſa, liberius ingredi per eos queat. Alteri autem intentioni, ut ſcilicet Punica mala diutius incorrupta ſerventur, ſatisfacere docet *Palladius* vario modo: ſi *picatis pediculis* ordinata ſuſpendantur, aut lecta integra *in aqua marina vel muria fervente mergantur*, ut combibant, poſt triduum Sole ſiccentur, ut ſub dio nocte non maneant, poſt in loco frigido ſuſpendantur; cum volueris uti, aqua dulci pridie macerabis. Feruntur hæc pomis recentibus æmulari, item ſi à tactu invicem ſeparata *paleis obruantur*, item ſi *induantur argilla*, & ea ſiccata loco frigido pendeant. Mitto alias *conſervandi rationes*, à *Palladio* aliisque traditas, hoc ſaltim addens, *Apicium Cœlium* (*hh*) nonniſi unicam commendare enchireſin, *ut mala granata diu durent, in calidam ferventem mergendo, & ſtatim levando, ac ſuſpendendo*: quem in locum ita *Mart. Liſterus*: *de aqua marina fervente omnes, imo & ipſe Mago Carthaginenſis loquuntur; & noſter Apicius ſine ſalerem conficit, ita certe ſapor melius conſervatur, & ſatis condenſantur pori ut durent.*

§. 13.

Sive autem *in pomis integris* conſervatus, ſive expreſſus & in *vini formam redactus*, aut in *ſyrupum coctus* habeatur *ſuccus Granatorum*, virtutes ejus omnino variabunt, prout *vel à natura dulcis, vel acidus, vel medii generis*, aut *vinoſus* ille fuerit, ſicuti §. 10. jamjam indicavi. Et *dulcium* quidem *ſuccus*, indeque paratus *ſyrupus*, dictitante *pharmacopœia Auguſtana*, tuſſim ſedat, exſcreationes promovet, humectando ſitim mitigat, ac pectus lenit. *Acidus* vero *ſuccus*, cum ſyrupo ſuo, præter virtutes ſupra laudatas, inſignem habet uſum *in cardialgia & vomitu bilioſo*, quandoquidem *Simon Pauli*, *ii*) ſcribit, Socerum ſuum *Jac. Fabricium tanti feciſſe in cardialgia ſyrupum acidum granatorum, ut illius ſpecificum eſſe diceret, & pro eo haberet, unde adverſus vomitum & ſingultum ei is valde familiaris erat.* Huc pertinet ſine dubio *Hippocratis* (*kk*) obſervatio: *Mulieri cor, hoc eſt os ventriculi dolebat, & nihil remittebat dolor: huic polentæ pollen in mali punici ſuccum inſperſus, & ſemel in cibo ſatis fuit, & non removebat.* Similiter *Simeon Sethus* (*ll*) aſſeverat *acidi mali punici ſuccum*, cum maſticbẽ crebrius ingeſtum, *immoderatum vomitum avertere & jecinoris inflammationes à vinolentia exortas compeſcere*: porro etiam eundem ſuccum, ob aciditatem cum melle illitum, oculis *viſum acuere*, præcipue ſi alicujus ſit ætatis.

§. 14.

Qui vero *medii* eſt *ſaporis*, aut *vinoſus granatorum ſuccus, mediõ* etiam *ſtat loco quoad effectum*, ut e. g. minus calefaciat & abſtergat, quam dulcis, minus vero etiam refrigeret atque adſtringat quam pure acidus. Propterea iſte *medius aut vinoſus* egregie *temperat, humectat & roborat.* Hinc *morborum malignorum*, cor & ventriculum corroborando, eſſe *alexipharmacon*, ſpeciatim *in dyſenteria, febribus malignis, variolis & morbillis* prodeſſe affirmat *Simon Pauli l. c. ſyrupum granatorum acido dulcium nauſeam ac vomitum bilioſum* reprimere, *febribusque bilioſis* plurimum auxiliari teſtantur inter alios *Medici Auguſtani in Pharmacopœa* ſua. Adverſus *ſputum cruentum* ſi gularis eſt virtutis ille *ſyrupus*, cum opii gr. j exhibitus, ceu mihi retulit *Vir Prænobil. Excell. atque Experient. Dn. D. Laurent. Heiſter.* Cæterum in memoratis caſibus aut per ſe ad ℥j. vel alteram propinari ſolet *vinum granatorum*, aut julepis ac potionibus admiſceri: par ratio eſt *ſyrupi.*

§. 15.

Cum autem *punica*, perinde ut alia poma, inter eſculentas res aut alimenta vulgo numerentur, merito quæritur, *an alimentum præbeant corpori?* reſpondet cum *Galeno Caſp. Hoffmannus*, minimum vel nullum, aut certe non majus, quam citria & aurantia. Vidit *Joh. Bruyerinus* (*mm*) non paucos, anno quo Clemens VII. Pontifex Maſſiliã navigavit ad Regem Franciſcum I. *eſu malorũ granatorũ nimio* graviſſime conflictatos *inflationibus, & alvi doloribus.* Galli enim mediterranei, æſtuum impatientes, huicque pomo non aſſueti, tanta aviditate vorabant, ut nullus prope finis mandendi videretur: verum id fieri oportebat cum modo, & citra ſatietatem, alioqui generoſiſſima poma

(*hh*) Lib. I. de art. coq. cap. 18. (*ii*) Quadrip. Botan. p. m. 384. (*kk*) Lib. II. epidem. Sect. 2. text. 1. (*ll*) de aliment. lit. P. cap. 1. pag. m. 101. (*mm*) Lib. XI. de re cibar. cap. 24.

infamabantur. De *nimio* eroundem *usu*, vel potius *abusu*, intelligendum quoque est *Simeonis Sethi* effatum: *omnia mala Punica impetum Veneris obtundere, præcipue in illis, qui frigidi sunt temperamenti.*

CAPUT III.

DE USU MALI PUNICÆ EJUSQUE PARTIUM, FLORUM ET FRUCTUUM, EXTRA MEDICINAM.

§. 1.

Tametsi præfixum mihi scopum, post concinnatam *Mali Punicæ historiam Botanico-Mecam*, attigisse me jam existimem, ne tamen multiplicem ipsius *usum extra Medicinam*, qui passim ab autoribus notatur, penitus ignorasse aut neglexisse videar, pauca duntaxat ejus exempla in medium proferam, ablegans desiderantem plura Lectorem ad scriptores in hujusmodi rebus evolvendis prolixiores, instar omnium vero ad *Ulyss. Aldrovandi dendrologiam*. Lubet autem mihi imprimis delibare *usum Mechanicum & Oeconomicum*, hinc etiam *Mysticum & Moralem*. Prioris specimen est, quando *malus punica ornamentum præbet hortis*, & per eos ambulantibus oblectamentum, gratam opacitatem. In regionibus calidis e. g. in Italia, malus punica sylvestris *tutissima* simul & *utilissima hortorum sepimenta* præstat, utpote quæ spinis fures arceant. *Lignum arboris coloratum* Abacatiis ad eorum tessellata opera perficienda inservit. Cæterum *corticem mali punici ad coria præparanda adhiberi*, indeque *malicorii* vocabulum enatum esse jam supra Cap. I. §. 6. è *Plinio* retuli. Huic suffragatur inter alios *Matthiolus*, immaturum punici corticem ideo malicorium antiquis esse dictum, *quod eo, ut Rhu arbore, ad perficienda coria uterentur*. Idem cortex *ad conficiendum scriptorium atramentum*, una cum Gallis, aut loco earum potest impendi: Quam in rem notabilis est *Petr. Mar. Caneparii* observatio: (*nn*) *aliqui Gallis addunt cortices malorum punicorum, verum integri cortices, aut in frusta saltem nulloque pacto triti ingredi debent, ac prope finem, dum componitur encaustrum* (sive atramentum); *redditur enim ex corticibus granatorum magis splendidum & nigrum*. Varios autem *atramenti ex malicorio componendi modos*, quales Autor laudatus recenset, huc transcribere supersedeo.

§. 2.

Usum mali Punici mysticum vix puto magis concinne & accurate me posse enarrare, quam *Benedicti Curtii Symphoriani* (*oo*) verbis: *Fuit olim malum Punicum in sacris Hebræorum ceremoniis* lege etiam plurimum laudatum: nam *sacerdos*, sacrum tabernaculum ingressurus, vestem gestabat, in cujus imo margine, atque per ambitum alternatim *mala Punica* & tintinnabula pendebant, non sine mystica ratione, uti nos docuerunt sacri interpretes; & quod tantum *malum Punicum* sive *granatum* attinet, quemadmodum ejus exterior cortex *interius plura grana continet, sic fides una innumeros sanctæ Ecclesiæ populos conservat*, quos tamen meritorum diversitas retinet: Alii, quod hoc malum concordiam denotet. Fuit etiam *apud Ethnicos in illorum divinis* percelebre; nam prodentibus multis Græcis Autoribus Hæreum templum in imo Insulæ Eubœæ memorabile fuit, præsertim vero Junonis simulachro, ex auro & ebore facto, verum memorabilius, artificio materiam longe superante, *Polycleti opere*, cujus manuum altera *malum Punicum*, altera sceptrum gestaret. Quod autem ad *mali Punici gestationem* pertinet, *Pausanias* secretiora esse dicit, quam ut ullus sermone explicare debeat, ideo prætermittenda. Quantum seorsim ad *complura S. Scripturæ loca*, in quibus τὸ *Rimmon seu mali Punici* fit mentio, singulorum fere *sensum*, præcipue *mysticum* studiose explicavit *Joh. Henr. Ursinus* (*pp*) quem omnino consuluisse Lectorem curiorum non pœnitebit.

§. 3.

Cæterum de *usu mali granati emblematico, symbolico* & *morali* multa possem hic congerere, si id temporis & instituti ratio pateretur. Unum igitur alterumve saltem exemplum commemorabo. Nota autem est imprimis illa de *Dario Persarum Rege* historia, qui cum forte *pomum Punicum* in manu teneret, dixerit, *se non optare majorem thesaurum, quam ut tot haberet Zopyros, quod grana sint ipsius pomi*: significans, Regibus nihil utilius esse fidelibus amicis, qualem *Darius* erat expertus *Zopyrum*. *Henricus IV. Hispan. Rex malum Punicum* sibi delegit, cum epigraphe: *Acre-dulce!* ut significaret in optimo Rege sic severitatem & humanitatem esse temperandas, ut neque sine severitate ignavus, neque sine humanitate crudelis videatur (*qq*). *Malum Punicum Regni symbolum* esse, & *pomum Imperii aureum Mundi*, pluribus ostendit laudatus *Ursinus* (*rr*) qui etiam *mala granata in veste summi Sacerdotis Hebræorum* regna mundi denotasse arbitratur, pedibus Dei subdita, cujus laudem tintinnabula interposita concelebrarent: quam sententiam olim quoque fovit *Valerius Flaccus*:

Punica quid mala hæc, quid tintinnabula signant?
Cuncta Dei laudem subdita Regna canunt.

Denique *malum Punicum sponte diseruptum* (ut sæpe fit) elegans præbet *emblema* aut *symbolum Christianæ charitatis*, quæ difflari nimium propter ardorem, aliisq; communicari benefice desiderat.

M. B. V.

(*nn*) de atrament. descript. IV. cap. 8. (*oo*) hortor. Lib. XXI. cap. 12. (*pp*) Arboret. Biblic. cap. XXXII. (*qq*) in 1. Reg. cap. XIV. v. 2. (*rr*) Analect. Sacr. Vol. I. pag. 264.

M. B. V.

GAZOPHYLACIUM BEATORUM, PRO SUPPLEMENTO MUSEI MUSEORUM.

DUm ſua *Muſeis* ars & natura miniſtrant,
Immortale decus nunc mea Muſa canet.
Muſeum referam nullis aut auribus α) unquam,
Aut oculis β) hauſtum, quod parat ipſe Deus
Cunctis Theiophilis: gaudet quô cœlica turba,
Ad faciem γ) æternùm cernere nempe Deum.
Exulet hîc auri fulgor, ſit ſplendor inanis
Gemmarum: Artificum ceſſet & artis opus.
Deſinit heîc Phyſicus, ceſſant heîc experimenta,
Nil tria naturæ regna referre valent.
Aldrovande vale, valeas *Kirchere*, *Oleari*,
Nil cum *Besleris VVormius* hicce juvat.
Sanctus δ) namque locus Musei Museiorum
Coelestis: Dominus ter ε) quoque ſanctus ibi.
Trinunum mirare prius venerando Supremum,
Majeſtate ſua qui modò cuncta ζ) replet:
η) Lux in inacceſſis habitans θ), fulgore coruſcans,
Illuſtrans radiis turbida quæque ſuis:
Altitonans & quæque regens, cui militat æther,
Qui reboans tonitru fulmen in Orbe quatit.
Cerne ι) *Creatorem*, fontem ſine fonte perennem,
Unde ruunt vitæ flumina quæque tuæ.
κ) *Agnum* cerne *Dei*, (λ) *cæleſtem* cerne *Columbam*,
μ) Numine Trinuno cuncta repleta ſacro.

α) Eſaiæ 64. §. 4. β) 1. Cor. 2. §. 9. γ) 1. Joh. 3. §. 2. 1. Cor. 13. §. 12. δ) Joh. 14. §. 2. ε) Jeſ. 6. §. 3. ζ) 1. Reg. 8. §. 27. Jer. 23. §. 23. 24. η) 1. Tim. 6. §. 16. θ) Pſal. 18. §. 8-16. ι) Gen. 1. §. 1. Actor. 17. §. 24. κ) Joh. 1. §. 29. 36. λ) Matth. 3. §. 16. μ) 1. Reg. 8. §. 27.

Hic ν) *Dominus* Dominos quoscunque coercet in Orbe,
Cuique poteſtatem dividit Ipſe ſuam.
Nullus Pontificat, nullas habet Induperator
Vires, nî Dominus conferat ante ſuas.
Principis hîc titulus ceſſat, ξ) nî ceſſerit illum
ο) Principium & Finis, ſcilicet ipſe Deus.
Vis *Solium?* hoc π) cœlum eſt. Pedibus dat terra *Scabellum*,
ρ) *Sceptro* ſceptra ſuo quælibet ille regit.
σ) Nubibus is vehitur, fugiant procul inde Curules,
τ) Non capiunt Dominum pulpita noſtra Deum.
Aularum Attalicis aulæis ſplendida Roſtra
Vix raſtro aut roſtro quid melioris habent.
Vis υ) *diadema* tibi monſtrarier atque coronam?
Ah! Servatorem φ) conſpice quæſo tuum.
Sanguine ſtillantem monſtrabit is ipſe *coronam*
Quis ſine tormentis mentis id omne videt?
Vimina cum ſpinis cingunt hîc tempora *Regis*,
Rarius hiſce nihil, carius hiſce nihil.
Hoc opus, hic labor eſt, pangunt quæ χ) crimina Mundi
Immundi mundo ſalvificoque Deo.
ψ) Hoſce θλιβερὰ pariunt peccata dolores,
Ut nos æternus deſerat usque dolor.
Sæpius in fanis Sanctorum mille Relictis
Demulcet oculos credula turba ſuos.
Mox Chriſti ſpinas, clavos, mox pallia monſtrat,
Et quæ monſtrorum plura relicta tenet.
Illic particulæ crucis ſine cruce videntur,
Nil feſtuca valet lignea luce carens.
Artus Sanctorum veneratur & inde cruorem,
Cum lacrymis Chriſti, Matris & illa Dei.
Aſt incerta nimis, vanâ quoque ſorte referta
Sunt è defunctis membra petita viris.
Quid juvat aſpectus membrorum? quidve ſuperſtes
Inde ſuperſtitio? ω) corde tenendus amor,
αα) Chriſtus noſter amor, cujus nos ββ) ſanguinis unda
Mundati Chriſti portio magna ſumus.

γγ) Hunc

ν) Dan. 2. §. 21. cap. 5. §. 21. 1. Tim. 6. §. 15. ξ) Prov. 8. §. 15. Rom. 13. §. 1. ο) Apocal. 1. §. 8. π) Eſa. 66. §. 1. ρ) Pſal. 45. §. 1. σ) Pſal. 18. §. 11. 12. τ) 1. Reg. 8. §. 27. υ) Cant. III. §. 11. Matth. 27. §. 29. φ) Joh. 19. §. 5. χ) Eſa. 53. §. 5. ψ) Eſa. 43. §. 24. ω) Joh. 21. §. 17. Pſal. 18. §. 1. αα) Epheſ. 3. §. 19. 1. Cor. 16. §. 22. ββ) 1. Joh. 1. §. 7.

γγ) Hunc qui corde tenet, thesauros possidet omnes,
Immensos, raros, quos pia turba capit.
O mihi felices, ô terque quaterque beatos,
Queis licet in Domino cernere tanta suo!
δδ) Nauseo delicias, vanissima gaudia Mundi,
Stent licet ingenti vel prece, vel pretio.
In Christo quærenda mihi rarissima quævis,
Hîc boni abyssus erit, munera quæque ferens.
εε) O quam profundi fundi tunc divitiarum
Cœli & cœlestis cognitionis erunt!
ζζ) Terra & terrena ruent, cœlumque peribit,
Ast Salvatoris verba relicta manent.
ηη) Quando erit illa dies, quâ corpore glorificato
Et vultum & faciem cernimus euge tuam?
θθ O quando venies Jesu! dulcissime Jesu!
Ah venias! propera! Tu mihi solus eris
Omnia: ιι) posthabitis exantlatisque periclis
Te anhelo Jesu! Tu mihi solus eris!
κκ) Te modò si teneam, pereant terrena, superna,
Dispereant vitæ stamina quæque meæ.
λλ) Cogito perpetuam, volitante per æthera mente,
Sedem: quam ut stabili, da mihi, mente petam.
Illa sede sede, nec ab illâ sede recede
Mens mea μμ) spiritibus nunc prope juncta bonis.
νν) Si Patria est ubicunque bene est, ubicunque beatè
Vivitur: in cœlo vivitur hocce modô.
Vivitur hîcce Deo vivo, qui cuncta creavit,
Vivitur hîc Christo, ξξ) quô mihi vita patet.
Vah! quam suavis erit Sanctorum cantus in aure!
Vah! quam dulcis erit visio sacra Dei!
Da mihi prægustum cœli, Pater alme, ubi gustum
Perdidero: labiis sis panacea meis!
οο) Mors mea vita siat, quia mors tua vita Redemptor,
Te sequor, utque sequar, me trahe Christe, sequar.
Fac ut in ππ) occursum veniam, mî Sponse, tuorum
Vulnerum: in amplexu tunc ρρ) requiesco tuo.

σσ) Quan-

γγ) Eph. 3. §. 17. δδ) Phil. 3. §. 8. Coll. 3. §. 1. seqq. εε) Rom. 11. §. 33. ζζ) Matth. 24. §. 35. ηη) Pf. 42. §. 2. 3. Phil. 3. §. 21. θθ) Apoc 22. §. 20. ιι) Apoc. 7. §. 13. 14. κκ) Pfal. 73. §. 25. 26. λλ) 2. Cor. 5. §. 2. seq. Phil. 1. §. 3. μμ) Ebr. 12. §. 23. νν) Hebr. 13. §. 14. cap. 11. §. 10. ξξ) Joh. 14. §. 6. οο) Phil. 1. §. 21. seqq. ππ) 1. Thess. 4. §. 17. ρρ) Cant. 2. §. 14.

ρρ) Quando nunc venies Jeſu! dulciſſime Jeſu!
Euge veni! ah venias! Tu mihi Sponſus eris.
ττ) Extenſis manibus Te expecto! ſpecto ſuprema,
υυ) Ad Te perpetuò lumina flecto mea.
φφ) Clamitat ut cervus ſitiens quærendo fluentum
Sic clamo ad Dominum corde flagrante meum.
χχ) Luctando luctam tandem cum morte tremendam
Imploro auxilium deſuper ipſe tuum.
Ad Te ſuſpiro, dum ſpiritus hoc regit artus,
ψψ) Exſpirantem animam ſuſcipe quæſo meam!
Quod reliquos ſpectat, quos exſpirando relinquo,
ωω) Summe patrocinio protege quæſo tuo.
ααα) Dirige cunctorum greſſus, cunctorum dirige vitam,
Vitam poſt vitam confice quæſo novam.
Ut tandem è tumulo ſurgens Tibi dicere poſſim:
βββ) Ecce Tuum! Ecce Tuos! quos mihi credideras.
Omnia (*) præcepi atque animo mecum ante peregi,
Audi vota Deus! dirige cuncta Deus!

ρρ) Pſ. 42. §. 1. ſeqq. Apoc. 22. §. 20. ττ) Phil. 3. §. 13. υυ) Luc. 21. §. 28. φφ) Pſal. 42. §. 1. χχ) 2. Tim. 4. §. 7. ψψ) Luc. 23. §. 46. Act. 7. §. 58. 59. ωω) Joh. 17. §. 9. ſeq. conf. cap. 19. §. 26. 27. ααα) Pſal. 1. & 119. βββ) Joh. 18. §. 9.

(*) Hæc agonizantis *Gaſſendi* verba erant, cum à Medico, *Guidone Patini*, moneretur, ut res ſuas ordinaret. Vid. *Guy Patin aux lettres choiſies* n. 65. pag. 180.

INDEX.

Belmoſchi pag. 77.
Acacia vera 268.
vulgaris 269.
ſuccus 268.
Acalbahar 502.
Acetum 219.
ſcilliticum 129.
Achiotl 7.
Acidulæ naturales & artif. 71.
Acmella 131.
Adamas 32.
Adamica terra 4.
Adianthum album 146.
nigrum ibid.
vulgare ibid.
Ægagropilæ 313.
Ærugo 56.
Æris ſquama 7.
Æs caldarium 54.
uſtum 55.
Aetites 47.
Agalliochum 179.
Agaricus mineralis 3.
quercus 231.
trochiſcatus 232.
vegetabilis 232.
Agnus caſtus 88.
Scythicus vegetabilis 321.
Alabaſtrum 41.
Alcali ſal 19.
Alcanna 126.
Alce 297.
ejus ungula ibid.
Alchymia 433.
Alga ſaccharifera 168.
Alkekengi 238.
Alkermes 209.
Alquifoux Gallorum quid? 58.
Aloe caballina 259.
hepatica 259.
lucida 260.
ſuccotrina 259.
Aloes lignum 179.
Alumen botryoides 12.
catinum 13.
facum 13.
plumoſum 13.
rubrum ſpurium ibid.
verum ibid.
rupeum ſ. de rocca 13.
ſaccharinum ibid.
ſcajolæ ſeu ſciſſile 13.
uſtum ibid.
Zigenhainenſe 12.
Ambra gryſea cruda pag. 336.
genuina unde? ibid. 428.
valor 499.
vindicata 338.
nigra 337.
Amethyſtus 32.
Ammi 79.
Amomum 78.
Dioſcoridis ibid.
Plinii 78.
ramoſum 78.
Ammoniacum gummi 279.
ſal 297.
Amydum ſeu Amylum 95.
Amygdala amara 225.
dulcia 226.
Ampelitis 27.
Anacardia 207.
Ananas 192. 433.
Anatrum 14.
Anchovies 443.
Anchuſa 127.
Angelica 129.
Anil 9.
Aniſum 80.
ſtellatum 81.
Anſeres Scotici fabuloſi 327.
veri ibid.
Anthora 115.
Anthraces 27.
Antimonium crudum 65.
diaphoreticum 67.
Antimonii butyrum 67.
crocus metallorum 66.
flores 67.
hepar 66.
minera 65.
Regulus ſimplex 66.
& alis ibid.
medicamentoſus ibid.
ſulphur auratum 66.
vitrum hyacinth. 66.
nigrum ibid.
purpureum ibid.
ſuccineum ibid.
Antihecticum Poterii 57.
Antophylli 203.
Aper 317.
Indicus ibid.
Mexicanus ibid.
Aphronitrum 14.
Apices nigri chel. aſtacorum 349.
Apri dentes 317.

Aqua benedicta Rulandi 66.
fortis 15.
naphæ 213.
regia 297.
Aquila 47.
Arabicum Gummi 269.
Aracus aromaticus 197.
Aranea 362.
Arbor regundorum finium 7.
ſaguifera 435.
canaria 439.
Philoſophica 53.
calapa 439.
caſuaria 403.
giomoato 418.
Arcanum corallinum 70.
duplicatum 15.
Areca 227.
Argentum 52.
foliatum 53.
in muſculis *ibid.*
Muſicum *ibid.*
vivum 67.
Argilla 3.
Ariſtolochia 125.
Armena bolus 3.
Ars incruſtandi lacca 278.
Arſenicum album 28.
citrinum *ibid.*
nativum an detur? 28.
rubrum 29.
Arthanita 107.
Arum 129.
Aſarum *ibid.*
Aſparagi ſemen 97.
Aſphaltum 23.
Aſa dulcis 243.
fœtida unde oriatur? 242.
qui colligatur? 246.
Aſtrum CC. 300.
Aſtroites lapis 50.
Aſſurum 44.
cinereum *ibid.*
Atramentum commune 17.
Sinenſe *ibid.*
Avanturina 55.
Avis Cinnamolgus an detur? 599.
Avis Rhinoceros 295.
Aves Paradiſiacæ 324.
Regiæ 325.
Aurantia com. 212.
bergamotto dicta 215.
Sinenſia 213.
Auriculæ flos 197.
Auripigmentum 28.
Aurum 51.
albicans *ibid.*
foliatum in libellis 51.
libris 51.
finum *ibid.*
miſtum *ibid.*
Aurum fulminans 52.
in muſculis 51.
Muſicum 52.
Sophiſticum *ibid.*
Axungia caſtorei 332.
caſtoris *ibid.*
equi 303.
humana 290.
Lunæ 316.
muris montani 316.
Solis 2.
Taxi 316.
Vitri 20.
Urſi 316.

B.

Baccæ alkekengi 239.
kermes quid ſint? 209.
juniperi 188.
lauri 221.
myrthi 238.
myrtillorum *ibid.*
Badian 81.
Balanus Myrepſica 228.
Balauſtia 160.
Balſamum alb. Indicum 280.
de Copaiba 283. 619.
nativum minerale 281.
nigrum Peruvianum 282.
Saturni 61.
Tolutanum 282.
Verum 280.
Banillia 190.
Barometra qui parentur? 67.
Baſaltes 41.
Bazgendge 231.
Bdellium 257.
Beculo Beloculo 99.
Been album 123.
rubrum *ibid.*
Belemnites 40.
Benzoë 243.
Bergamotto 211.
Bergerac 206.
Bernicla 327.
Bexuquillo 99.
Bezetta cærul. 366.
rubra *ibid.*
Bezoar equinum 303.
Germanicum 313.
mulinum 304.
Occidentale 312.
Orientale 308. 498.
ſimiarum 294.
vaccinum & bovinum 304.
Bezoardicum animale 356.
minerale 67.
Biſmuthum 64.
Bitumen Judaicum 23.
Blanc d'Eſpagne 64.
de Perle *ibid.*
Blatta Bizantina 353.

Bois de Palile 268.
Boletus cervinus 300.
Bolus Armeniæ 3.
Leiningensis ibid.
Toccavienſis 2.
Bombax 240.
Boramez 321.
Borrax Venetorum 14.
Botargum 343.
Botritis Cadmia 55.
Braſilienſe lignum 189.
Broullamini 3.
Bryonia communis 169.
Indica 103.
Bubalus Indicus 300.
Butyrum 67.

C.

Cacao 195.
Cadmia foſſilis metallica 23.
botritis 55.
nativa metalli expers 44.
factitia 55.
oſtracitis 55.
Caffe 194. 576.
Cafoſanga 99.
Calambac 179.
Calaminaris lapis 44.
Calamita bianca 255.
Calamus aromaticus 118. 415.
ſaccharifer us 166.
Calbahar cinereum 506.
nigrum 501.
rubrum 507.
Calculus humanus 292.
Callimus lapis 47.
Calloti 19.
Camelus 296. 566.
Camphora 249.
Borneana ibid.
Japanenſis ibid.
Cancamum 254.
Canella 173.
alba 175.
de Milano 174.
Canelle matte 173.
Cancri fluviatiles 348.
marini ibid.
Cancrorum marinorum chela ibid.
oculi 348.
Canis marinus 342.
Cantharides 359.
Canna ſaccharifera 168.
Caphura 249.
Capilli Veneris 146.
Syrup. ibid.
Capoc 241. 403.
Cappares 230.
Capſicum 206.
Carabe 26.
Caranna 257.
Caraquæ 195.
Carbunculus 32.
Cardamomum majus 86.
maximum ibid.
minus ibid.
triangulare 401.
Carduus benedictus 169.
Caricæ 221.
Carlina 111.
an delaſſet? ibid.
Carminum 364.
Carneolus 33.
Carpo-balſamum 280.
Carthamus 163.
Carui ſemen 83.
Caryophylli aromatici 202.
Regii genuini 203.
ſpurii 204.
ſylveſtres 449.
Caſſia Ægyptiaca 234.
Braſilienſis ibid.
Caryophyllata 172.
Cinamomea 171.
fiſtula 234.
lignea 171.
an neceſſaria? 604.
pro clyſt. extracta 233.
Caſſiæ flos 234.
Caſſonada 167.
Caſſutha 147.
Caſtaneæ 222.
Caſtoreum 331.
Caſuarius 323.
Caſuaria arbos 403.
Cataputia 237.
Catechu ſ. catſio 387.
Cajous 208.
Caviarium 343.
rubrum 344.
Cedrus 187.
libani 188.
Cedria 188.
Cedro 212.
Cera alba 359.
citrina ibid.
flava ibid.
rubra 360.
ſigillat. Hiſpan. 277.
Chinenſis 278.
Ceraſorum gummi 269.
Ceratonia 216.
Ceraunia 40.
metallica 41. 403.
Cervus 298.
Cervinum bezoar 299.
cornu ibid.
lachryma ibid.
os de corde ibid.
Ceruſſa 59.
antimonii 67.
nigra 58.
Ceterach 169.
Chalcitis 18.

Chalybs 61.
Chagrin 304.
Chaquerille 175.
Chamæleon 355.
Chamæpythis 168.
Chamomilla Romana ibid.
vulgaris ibid.
Charta Hiſpanica 366.
Chermes 209.
China rad. 112.
China Chinæ genuina 176.
ſpagyrica 178.
ſpuria 177.
Chocolata 195.
Chryſocolla 56.
Chryſolithus 33.
Cicer 97.
Cichorium 129.
Cinnamomum 173. 441.
Cinnabaris antimonii 67.
factitia 69.
nativa 68.
Cingulum Mercuriale 68.
Cineres Jovis 57.
Cinis inſectorius 18.
clavellatus 19.
Citrus 211.
Citrulli ſemen 97.
Clematis Ind. fol. Perſicæ 389.
Clincant 55.
Cnicus 163.
Coatli 184.
Cobaltum 27.
Coccionellæ 364.
ſunt chryſalides inſect. ibid.
Coccognidium 97.
Cocus 223.
Maldivienſis 224.
Cocculi de Levante ibid.
Cæruleum montanum 42.
Berolinenſe ibid.
Coffi 196.
Colcothar ☿ 18.
Colocynthis 236.
Colophonium 285.
Colla piſcium 343.
Colubrinum lignum 191.
Conchæ anatiferæ 327.
Conchilia varia 354.
Conchites 50.
Confectio alkermes 210.
anacardina 207.
Contrayerva 110.
Copal 255.
Corallia alba 75.
nigra 76.
rubra 75.
Corallina 76.
Cordis cervi oſſa 299.
Coriandrum 86.
Corium alcis 298.
Cornua Ammonis 50.
Cornu Alcis 298.
Cervi 208.
Philoſ. calcin. 299.
uſtum ibid.
Rhinocerotis 295.
Coronæ ſerpentum 349.
Cortex bugiæ 188.
Cortices capparum 230.
Caryophyllod. 172.
Culit lavvan 284. 450.
granatorum 161.
ligni ſancti 182.
mandragoræ 129.
maſſoy 397.
tamariſci 184.
thymiamatis 256.
Wintheran. 175.
Coſmeticum Cluvii 64.
Coſta ſartoria 334.
Coſtus albus 176.
Arabicus 115.
amarus ibid.
corticoſus 176.
dulcis 115.
ventricoſus 176.
Cranium humanum 291.
Crayon 58.
Craye de Briançon 6.
Creta 6.
Umbria ibid.
Cremor ♀ 220.
Crocodilaſter criſtatus 331.
Crocus ♂ 62.
metallorum 66.
vegetabilis 162.
Cryſtallus 34.
montana ibid.
Cryſtalli æris 56.
☽ 53.
Tartari 220.
Cubebæ 206.
Cucumeris ſemen 97.
Cucurbitæ ſemen ibid.
Culilavvan 172.
Cuminum 83.
Æthiopicum ibid.
Cuprum 54.
Cuſcuta 147.
Cutis humana 293.
Cymolia terra 2.
Cyperus longus 122.
rotundus ibid.
Cyſteolithus 45.

D.

Dactyli qui colliganturſ 215.
Daucus Creticus 79.
noſtras 97.
Dentali 354.
Dentes apri 317.
caſtorei 331.

Den-

Dentes elephanti 293.
hippopotami 392.
Dſevvadarne 396.
Diagridium 264.
Dictamnus albus 129.
Creticus 144.
Diphryges 54.
Diphyes 47.
Doronicum 129. 313.
Dracunculi Perſarum 565.
Dudaim 144.

E.

Ebenum 191.
Ebur vulgare 293.
Ebur foſſile 341.
Philoſ. calcin. 294.
Eiderdunen 328.
Email 57.
Emplaſtrum miraculoſum 59.
Norimbergenſe ibid.
Elaterium 129.
Electrum vid. Succin.
Elemi 258.
Elephas 293.
Elleborus albus 105.
niger 104.
Encardius lapis 50.
Ens Veneris Helmontii 297.
Enulæ radix 129.
Entali 354.
Epiſtolarum Scriptores 379.
Equinum bezoar 303.
Equi Luſitanici an vento concipiant? 303.
Marini 330.
Perſici. 303.
Epithymum 147.
Eringii radix 129.
Eſulæ radix 129.
Euphorbium 262.

F.

Fabæ 97.
S. Ignatii 198.
Marinæ 354.
D. Thomæ 238.
Fauſel 227.
Fernambucum 189.
Ferrum 61.
Fel tauri inſpiſſ. 300.
terræ 292.
vitri 20.
Fila ferrea 62.
Filtrum lapis 45.
Florée d'Inde 9.
Flores æris 54.
auriculæ 190.
carthami 164.
caſſiæ 234.
cnici 164.
granatorum 160.
Jovis 58.
marcaſitæ 64.
Flores ♂ 63.
varii 171.
Fluores metallici 31.
Fœniculum 84.
marinum 85.
ſtellatum 81.
Folia Acmellæ 131.
Ind. 143.
lauri 222.
ſennæ 150.
Folliculi ſennæ 150.
Fontes Soterii 70.
Fritta quid? 30.

G.

Gagates 27.
Galanga major 121.
minor 122.
Galbanum 250.
Galena 58.
Gamaicu 38.
Ganitrus 404.
Gallæ 230.
Turcicæ 231.
Gelatina CC. 299.
Gemmæ 31.
Nuc. Maldivienſis. 224.
Gentianæ radix 129.
Geodes lapis 47.
Gialappa 103.
Ginſem radix 108.
Gitta gambir 399.
Glaſtum 151.
Glacies Mariæ 34.
Glans unguentaria 228.
Gluten 302.
Glycirrhiza 117.
Gloſſopetræ Alzejanæ 49.
Melitenſes 50.
Globa kuſe 416.
Goſſypium 240.
Gradus qualitatum fictitii 603.
Grana d'Avignon 209.
chermes 208.
Paradiſi 87.
Granatilli 237.
Granatus arbor 160.
lapis 32.
Grappa 127.
Gratiola 169.
Gröeſin 20.
Guajacum 181.
Gummi Ammoniacum 279.
anime 254.
Arabicum 269.
bdellium 257.
caranna 257.
ceraſorum 269.
elemi 258.
guttæ 264.
hederæ 263.
laccæ 276.

Gummi ladanum 270.
sandaracha 188.
senega 269.
serapinum 251.
Tacamahaca 258.
Gypsum 41.

H.

Hæmatites 31.
Hepar antimonii 66.
lapidis alb. 3.
rubr. *ibid.*
viperæ 356.
Herba Moluccana 422.
Herbæ variæ officinales 169. 170.
Hermodactylus 107.
Hippolithus 503.
Hippopotamus 329.
Hirculus 162.
Hostia 95.
Houatte 241.
Hyacinthus 32.
Hydrargyron 67.
Hydrotites lapis 47.
Hysterolithus 47.
Hypocistis 270.

I.

Jasminum 171.
Jaspis 33.
Ichthyocolla 343.
Jecco 455.
Imperatoria radix 129.
Inde flottante 9.
Indigo Dominico 10.
lauro 9.
platto xerquies *ibid.*
quatimalo 10.
Ipecacuanha 99.
Iris Florentina 117.
lapis s. minera 54.
Isatis sativa 151.
Judaicum bitumen 23.
Judaicus lapis 39.
Jujubæ 214.
Juncus odoratus 403.
Juniperi baccæ 188.
Malvaticum *ibid.*
⊖ *ibid.*
spiritus & oleum *ibid.*
Juniperus major 188.
minor *ibid.*

K.

Kapoc 241.
Kasura 410.
Kermes 208.
Kodreti Benna 281.

L.

Lacca 276.
Florentina 366.
in globulis *ibid.*
Lactis saccharum 301.
Lac Lunæ 3.
Lacertæ volantes 355.
Lacmus 152.
Ladanum 271.
Laminæ ferreæ 61.
Lapis actites 47.
Geodes 47.
hydrotides 47.
amianthus 37.
Armenus 42.
alabastrum 41.
asbestus 37.
astroites 50.
belemnites 40.
Bononiensis 39.
bufoninus 47. 48.
calaminaris 44.
carneolus 33.
Caymanum 331.
crystallus 34.
contrayervæ 110.
cordialis Ind. Orient. 497.
filtrum 45.
fuscus 36.
Florentinus 42.
fulminaris major 40.
minor *ibid.*
metallicus 41. 403.
Gamaicù 38.
Gratianopolitanus pretiosus 33.
Hæmatites 36.
Histricinus 318.
hystericus 47.
infernalis 18.
Islebiensis cum herb. 54.
pisæ. 54.
Judaicus 39.
Lazuli 42.
lydius 41.
lyncis 40.
magnes 35.
manati 338.
medicamentosus 18.
mesticas Ind. 403.
Mexicanus 45.
mirabilis 18.
molybdites 58.
nephriticus 33.
ophites 42.
osteocolla 45.
parius 41.
pavonius 42.
porcinus 318.
porphyrites 41.
prunellæ 15.
pumex 45.
sabulosus Palatinus 50.
sarda 33.
schistus alb. 13.
commun. 36.
pellucid. 13.
smiris 36.

Lapis Schvvarzvvaldensis cum fig. plant. 54.
serpentinus 41.
specularis 34.
spongiæ 45. 74.
Theamedes 35.
Thracius 27.
Turcois 33.
variolatus 38.
violaceus 39.
Laserpitium 242.
Lavendula 161.
Lauri baccæ 221.
folia 220.
oleum 221.
Lazuli lapis 42.
Levisticiradix 129.
Lichen 153.
Lignum acajoux 192.
agallochum 179.
aloes ibid.
ambratum 192.
ancillarum ibid.
asphaltum 180.
Brasilium 189.
caliaturicum 412.
campeschanum 190.
camphoratum 192.
carabaccinum 192.
cedri 187.
colubrinum 191.
ebenum ibid.
Fernambucum 189.
fustel 191.
Guajacum 181.
spurium 182.
juniperinum 188.
lentiscinum 185.
literatum 191.
Moluccense 191.
nephriticum 184.
Panava s. Pavana 191.
Rhodinum 180.
Sambaran 192.
sanctum 181.
sandalum album 186.
flavum ibid.
rubrum ibid.
sapan 190.
sassafras 182.
tamarisci 183.
Lilium convallium 171.
Limatura ♂ 62.
Lini semen 97.
Linum catarcticum 423.
Linguæ Melitenses 50.
Linteum incombustibile 37.
Liquidambra 256.
Liquiritia 117.
Lithargyrium argenteum 60.
aureum 60.
Lithopædium Senonense 293.
Lucerne 93.
Ludus Helmontii 292.
Lupini 97.
Lycium Indicum 269.
Lycopodium 153.
Lyncurius lapis 40.

M.

Macis 201.
oleum 202.
Magdaleones ferri 61.
Magnesia 29.
alba 15.
Magnes 35.
arsenicalis 29.
Magisterium jalappæ 103.
Jovis 58.
marcasitæ 64.
Saturni 61.
terræ sigillatæ 2.
Majorana 169.
Mala aurantia 212.
maxima ibid.
Sinensia 213. 648.
citria 210. 630.
limonia 211.
Bergamotta ibid.
Punica 160. 653.
Malabathrum 145.
Malachites 33.
Malicorium 160.
Maltha 24.
Malva 169.
Malvaticum juniperi 183.
Manati 333.
lapis ibid.
Manna de Brianson 261.
Manna calabrina 261.
liquida 262.
mastichina 188.
montis 261.
Persarum 566.
Mandragora 127.
Manucodiata 324.
Msse. Digbæi ubi lateant? 18.
Marchasita 64.
argentea ibid.
aurea ibid.
Marchasitæ magisterium 64.
Marga saxatilis 3.
Margaritæ Occident. 352.
Orientales 351.
sunt ovula ibid.
Margaritarum augmentum 352.
piscatio 350.
Marmor 41.
Maroquin 276.
Mare lacteum 423.
Mars 61.

Martis minera 61.
solaris 4.
Marum verum 145.
Massicot 60.
Mastiche 185.
rubra ibid.
Mater perlarum 353.
Mazatli 192.
Mechoacanna alba 103.
nigra ibid.
Medulla crurum vituli 302.
Melanteria 18.
Melaquette 87. 190.
Metallum 54.
Mel 359.
Melanthium 9.
Melissa 169.
Batavica 424.
Melligette 87.
Melonum semen 97.
Mercurialis aqua 69.
cingulum ibid.
Mercurius dulcis 70.
præcipitatus ibid.
resuscitatus 67.
sublimatus 69.
virgineus 67.
vitæ 67.
vivus 67.
Messis cinamomi 439.
Mexachuchitl 205.
Mezereum 106.
Milium Solis 97.
Minera & Hassiaca 4.
Mercurii 67.
Minium 59.
Misy 18.
Molochites 42.
Momordica 240.
Moncus radix 404. 536.
Moschus 306.
Moxa 154. 432.
Mumia 287.
alba ibid.
nativa 288.
Muminahi ibid. 490.
Mures montani 316.
Mures marini 347.
Musa 143.
Muscerda 5.
moschata 387.
Muscus arboreus 153.
cran. hum. 291.
fontanus 153.
terrestris 153.
Myrrha 252.
Myrobalani 232. 233.
chebulæ 233.
citrinæ ibid.
Bellericæ ibid.
Emblicæ ibid.
Indæ ibid.

N.

Naphta 24.
Napi semen 97.
Nardus Celtica 161.
Indica 161.
Nasturtii semen 97.
Natrum Ægyptiacum 14.
Nephriticum lignum 184.
lapis 33.
Neroli 213.
Nicotiana 148.
Nidi avis Indici 328.
Nigella 9.
Nihilum album 55.
Nitrum 14.
fixum 15.
præparatum ibid.
spiritus 15.
anticolicus ibid.
Noir d' Allemagne 219.
d' Espagne 178.
Nux avellana 228.
ben 228.
cocus 223.
Maldiv. 224.
Indica condita 201.
Lampertiana 228.
moschata mas 200.
fœmina 199.
Regia 200.
qui plantetur? 452.
pinea 226.
pontica 228.
vomica officin. 225. 388.
vera Antiq. ibid.

O.

Oblatæ 95.
Ochra 5.
Anglica ibid.
plumbaria 5. 59.
factitia 59.
Oculi cancri 248.
Serpent. Melitensium 50.
Oesypus 322.
Oleum de Cade 188.
cinamomi 174.
lacertorum 355.
laurinum 221.
nuciſt. destill. 201.
expr. 201.
olibani 254.
olivarum 229.
omphacinum ibid.
palmæ 216.
petræ album 25.
nigrum ibid.
rubrum 25.
Rhodinum 181.
scorpionum 355.
♀ 221.
terræ 25.

Olibanum 254.
Olivæ 229.
Omphacinum 219.
Onosma 126.
Opalus 33.
Opium 271.
Ophites 41.
Opobalsamum 279.
Opopanax 251.
Orcanette 126.
Orichalcum 55.
Orseille de Lyon 152.
Orleana humida 7.
ficca ibid.
Oriza 95.
Os de corde cervi 299.
bovis 301.
sepiæ 342.
Osteocolla 45.
Hassiaca ibid.
Ostracitis 50.
cadmia 55.
Ostrutii radix 129.
Ova casuarii 323.
cometica 324.
rajarum 347.
struthionum 323.
Oves Orientales maximæ 322.
Oxicedrus 188.

P.

Palma 216. 546.
Palmeira brava 427.
Palmites 216.
Panacea laxativa 15.
Mercurialis 70.
Pancratium 128.
Pancopal 255.
Panis Aëtiticus 47.
Papaver album 97.
nigrum ibid.
rhoeas 171.
Paradysi grana 87.
Parcira brava 106. 509.
Passulæ majores 217.
minores ibid.
Pavonum specula 324.
Pedra del porco 218.
della cobra 357.
quadrata 521.
Perelle 152.
Perigueur 31.
Persicorum flores 171.
nuclei 97.
Perticæ ferreæ 62.
Petroleum 23.
Petroselinum hortense 171.
Macedon. 80.
Peucedani radix 129.
Pezetta 366.
Phœnix avis an detur? 546.
Persicus 545.
Phosphorus 289.
Pierre pretieuse de Grenoble 53.
Pilæ Damarum 313.
marinæ 73.
Pilulæ Francofurtenses 260.
Pimenta de Chiapa 173.
Pinea Indica 192.
Pini nuces 284.
resina 285.
Piper Æthiopicum 206.
album 205.
Hispanicum 206.
Jamaicense 205.
longum 205.
nigrum 204.
ut plantetur? 480.
Tabasci 173.
Piscis Rhinoceros 296.
Pissasphaltum 24.
Pisselæon 25.
Pistacea 227.
Pix navalis 287.
liq. & nigra ibid.
Placitis 55.
Plumbago 58.
Plumbum 58.
foliatum album 5.
marinum ibid.
minerale ibid.
ustum 59.
Poleponze 212.
Polium montanum 145.
Pompholix 55.
Porphyrites 42.
Potelot 58.
Poudre Due 201.
Priapus ceti 335.
Pruna de Brignole 222.
Damascena ibid.
sylvestria 269.
Pulmo vulpis 316.
Pulmonaria arborea 154.
Pulpa cassiæ 234.
Pulv. bezoardicus Anglicus 10.
Imperialis 166.
pyrius 23.
sympatheticus 16.
Pumex 45.
Venetus ibid.
Punicum malum 160. 653.
Purpurina 55.
Pyrethrum 124.
Pyrites 64.

Q.

Quercus 230.
viscus ibid.

R.

Radix acori adult. 118.
noſtr. 118.
anthoræ 115.
ariſtolochiæ long. 125.
rotund. 124.
arthanitæ 107.
behen alb. 123.
rubr. ibid.
Caapebæ 107.582.
cardopatiæ 113.
Carlinæ ibid.
Chinæ 112.
contrayervæ 110.
cyclaminis 107.
cyperi longi 122.
rotundi ibid.
curcumæ 122.
doronici 115.
galang. major 121.
minor 122.
helleb. alb. 105.
nigri 104.
jalappæ 103.
ipecacuanhæ alb. 99.
nigr. ibid.
ireos Florentin. 117.
noſtr. 129.
liquiritiæ 117.
mechoacannæ 103.
meu 114.
mongus 536.
Ninſing 108.
pareiræ bravæ 106.
piſtolochiæ 125.
pulſatillæ 113.
pyrethri 124.
rhabarb. 100.
Monach. 101.
rhapontici 102.
rhodia 130.
rub. tinctor. 126.
ſarſaparillæ 111.
ſerpent. Virgin. 109.
thymelææ 106.
variæ officinales 129.
viperina Virgin. 109.582.
zedoariæ 120.
zingib. 119.
Raſura ligni ſancti 181.
Realgar 29.
Reſina 285.
Reſina Guajaci 182.
pini 280.
Remora 345.
quî ſtupefaciat? ibid.
Rhinoceros 295.
Rhus 153.
Riſigallo 33.
Rochetta 20.
Roſa Hierochuntina 78.
Ros Solis Taurinenſis 607.
Rubinus 32.
Rubrica 7.
Ruſcus 169.
Ruſma 29.

S.

Sabina 169.
Sacchari præparatio Ind. Orient. 493.
Occident. 169.
Saccharum Canarienſe 168.
Candum album ibid.
rubrum 169.
Caſſonadum 167.
Maderienſe 168.
de Mambu 166.
Penidium 169.
Thomæum 168.
Saturni 61.
Saccharum ſeri vel lactis 301.
Saflor 164.
Saffra 29.
Safranum 164.
de Gatinois 163.
Sagapenum 251.
an venenoſum? 251.
Sagu arbor & farina 435.ſeqq.
Sal alcali 19.
amarum Epſhamenſe 523.
ammoniacum 296.
commune fontanum 11.
marinum ibid.
gemmæ commune 10.
rubrum ibid.
hypochondriacum 297.
Indum 11.
Jovis 58.
petræ 14.
pyramid. Ægypti 11.
tamariſci 184.
vitri 20.
Sandaracha miner. 29.
vegetab. 188.
vera 188.
Sandix 60.
Sanguis Draconis 265.
factitius 266.
Martis Geilfuſ. 53.
Sandali vox unde? 385.
Sandalum alb. 186.
citrinum 186.
cæruleum 184.
rubrum 186.
Santonicum 90.
Sapo communis 301.
Venetus 301.
Saponetto odoriſero 93.
Sapphirus 33.
Sarcocolla 253.
Sarda 33.

Sardellæ 343.
Sarsaparilla 111.
Sassafras 182.
Scammonium 264.
sulphurat. ibid.
Scasçarilla 175.
Schagren 304.
Schoenanthum 164. 403.
adulterinum 165.
Scilla 128.
Scinci marini 330.
Sebesten 214.
Secco vinum 218.
Segrein 304.
Selenites 34.
Semen agni casti 88.
ammeos 79.
anisi 81.
bombacis 241.
cartui 83.
carthami 163.
cinæ 90. 388.
crithmi 97.
coriandri 86.
cumini 83.
dauci Cretici 79.
florecauli 91.
fœniculi 84.
foenugraci 92.
lycopodii 153.
Magaleppæ 93.
medicæ ibid.
mannæ 97.
nigellæ 84.
orizæ 95.
petroselini Maced. 80.
ricini 237.
santonici 90.
saxifragiæ 87.
scorpioid. 92.
seseli 80.
staphisagriæ 89.
thlaspios 88.
Semina varia officinarum 97.
Senna 50.
folliculi ibid.
Serapinum gummi 251.
Sericum crud. 361.
Serpentaria Virginiana 109.
Serra piscis 347.
Sesamum 97.
Seseli Massil. 80.
Sideritis lapis 35.
Sileris semen 97.
Siliquæ 216.
Siliquastrum 206.
Smalta 30.
Smaragdus 33.
Smectis 6.
Smiris 36.
Soldanella 169.
Solen 354.
Sophisticatio Virginum 13.
Soude 19.
Sory 18.
Speauter 65.
Specularis lapis 34.
Sperma ceti 334.
Sphærulæ saponariæ Ind. 396.
Spica Celtica 162.
hortensis ibid.
Indica 161.
Spiritus nitri 15.
⊖ ✻ 297.
terræ sigill. 6.
vini 219.
rectificatus ibid.
vitrioli Philos. 67.
urinæ 297.
Spodium 55.
ex ebore 294.
Spongia Lunæ 39.
marina 74.
solis 39.
Squilla arenaria 349.
marina vid. scilla
Stacte 252.
Stalactites 50.
Stannum 57.
cinereum ibid.
foliatum 57.
Stil de grain 210.
Scinci marini 331.
Stoechas Arabica 164.
citrina 165.
Storax calamita 255.
liquida 256.
Struthio 323.
Sturio 344.
Suber 178.
Succinum album 26.
flavum ibid.
nigrum 27.
Succolada 195.
Succus alkermes 209.
Succus liquiritiæ 117.
Sulphur auratum ☉ 66.
caballinum 22.
flavum 22.
sciffile 23.
virgineum 22.
vivum 22.
vitrioli anodynum 29.
Sulphuris balsamum 23.
flores 23.
lac ibid.
spiritus coagulat. 22.
oleum 23.
Sumac 153.
Syrupus 167.
granatorum 161.
violarum adulter. 152.

T.

Tabacinus clyſter 149.
Tabacum 148.
Tabaxir 168.
Tacamahaca 258.
Talcum argenteum 37.
aureum 38.
an oleum fundat? ibid.
Tamarindi 235.
Tamarindus arbor ibid.
Tamariſci cortex 184.
lignum ibid.
Tarantula 362.
Tartarus albus 219.
chalyb. 220.
emeticus ibid.
ruber 220.
ſolubilis ibid.
vitriolatus 221.
Tartari cremor. 219.
cryſtalli ibid.
ſal 220.
oleum p. d. ibid.
Terebinthina com. 284.
Cypria 283.
Veneta 284.
Terra Aceldema 4.
Adamica 4.
alba 5.
antiſcorb. 4.
catechu 4.
Chia 2.
citrina 5.
Colonienſis 6.
Cymolia 2.
Japanica 4.
Ilfana 4.
Norimberg. rubra 6.
Sigillata Arabica 1.
Bohemica ibid.
Gallica ibid.
Brachmanum 1.
Greiffenſteinenſis 2.
Hieroſolymit. 1.
Laubacenſis 2. 367.
Lemnia 1.
Lignicenſis 2.
Livonienſis ibid.
Melitenſis 2.
Strigonienſis 2.
Turcica 1.
Ungarica ibid.
Terræ Sigill. magiſterium 5.
ſpiritus ibid.
ſolaris rubra 4.
Terra viridis 6. 56.
vitrioli dulcis 18.
umbria 6.
Teſtudines 342.
Thée appropriatum 134.
Bu 133.
Thée Cæſareum 133.
commune 132.
Japonenſe 135.
Therma 72.
artificiales 73.
Thora 115.
Thus 253.
Thymiama 256.
cortex ibid.
Thymus 170.
Tinct. benzoini 244.
Lunæ 53.
Martis 62.
Solaris 4.
Topaſius 33.
Tormentilla 129.
Torna ſang. aſin. 304.
Solis 153.
Torneſol en pâte 152.
pierre ibid.
Torpedo 345.
Tragacanth. album 278.
nigrum 279.
Tripolis 5.
Trochiſci alhandal 238.
alkekengi ibid.
hedichroi 145.
de viperis 356.
Tuba baccifera 225.
Tuber regium 393.
Turpethum 104.
minerale 70.
Tutia 55.

V.

Vaniglia 190.
Ubi radzia 393.
Veneris dealbatio 55.
Venenum Macaſſarienſe 434. 542.
Veratrum 104.
Verdello 41.
Vermicelli 95.
Vermillon 69.
d'Eſpagne ibid.
Vernix 276.
Victorialis longa 130.
rotunda 130.
Vinum Alonenſe 218.
granatorum 161.
Hippocraticum 607.
Hiſpanicum 218.
Secco ibid.
de Thin ibid.
Toccavienſe 218.
Vipera 356.
ſpin. & oleum ibid.
Viperina Virginiana 109.
Viride æris 54.
Viride montanum 56.
Viſcum Alexandrinum 236.
aucuparium 231.
corylinum ibid.
quernum 231.

INDEX.

Viſnaga 80.
Vitri ſel 20.
Vitriolum album 17.
Anglicum 17.
de Cypro 17.
Goslarienſe 17.
Piſanum 16.
Romanum ibid.
Salisburgenſe 16.
Scanicum 17.
Suecicum 17.
Ungaricum 17.
vomitivum ibid.
Vitrioli ſal 18.
ſpiritus ibid.
roxa 18.
Vitrum Venetum 20.
Ultramarinum 43.
Berolinenſe ibid.
Umbilicus marinus 353.
Ungula alcis 297.
Unguentum armarium 16.
Unguis odoratus 354.
Unicornu foſſile 341.
marinum 340.
Uniones 349.
ſunt ovula concharum ibid.
Urucu 7.
Uſnea cranii humani 292.
Vulpis pulmo 316.
Indic. ibid.
Uvæ Corinthiacæ 217.
Damaſcenæ ibid.
paſſæ 217.

X.

Xiphias 340.
Xylaloes 179.
Xylobalſamum 279.
Xylon 240.

Z.

Zaffera quid? 30.
Zedoaria longa 120.
rotunda ibid.
Zibebæ 217.
Zibethum 314.
Zinckum 65.
Zinghi 385.
Zingiber 119.
ſylveſtre 45.

CORRIGENDA.

pag.	*columna*	*lin.*	*error*	*correctio*
4.	2.	50.	rubram	verane
199.	- -	25.	Macere	Mace
281.	1.	4.	ſcaturiens	ſcaturientem
297.	2.	44.	CÆVICERVUS	EQUICERVUS
285.	1.	13.	pina.	pini
404.	2.	30.	macere	mace

FINIS.

INSTRUCTIO BIBLIOPEGI
de
FIGURIS ÆNEIS dirigendis,
oder
Bericht an den Buchbinder / wie die Kupfferstücke
zu binden seyen.

Tabulis æri incisis,& ipsi Historiæ Simplicium generali inserendis,in summitate marginis libri & capita insculpta sunt, quibus agglutinentur, oportet. Reliquæ, ad Indiam Literatam referendæ, seqq. paginis applicentur:

* * *

Auff diejenige Kupfferstücke / so zu dem Hauptwerck der Historiæ Simplicium gehören/ sind oben am Rand jedes Buch und die Capita gestochen/ wobey sie zu leymen sind. Die übrige/ so zu der India Literata kommen/ müssen folgenden Paginis beygefüget werden:

TABULA		PAGINA
I.	- - - - - -	430.
II.	- - - - - -	449.
III.	- - - - - -	453.
IV.	- - - - - -	454.
V.	- - - - - -	480.
VI.	- - - - - -	481.
VII.	- - - - - -	488.
VIII.	- - - - - -	501.
IX.	- - - - - -	509.
X.	- - - - - -	516.
XI.	- - - - - -	550.
XII.	- - - - - -	556.
XIII.	- - - - - -	561.
XIV.	- - - - - -	569.
XV.	- - - - - -	571.

